Plotini Diuini illius è Platonica familia Philosophi De rebus Philosophicis libri LIIII. in Enneades sex distributi,

à

MARSILIO FICINO FLORENTINO È GRAECA Lingua in Latinam uersi, & ab eodem doctissimis commentarijs illustrati, omnibus cum Graeco exemplari collatis & diligenter castigatis.

BIBLIOTHECA REGIA MONACENSIS

BASILEAE,
PER THOMAM GVERINVM.
Anno M. D. LIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

A *ILLVSTRISSIMO AC SAPIENTISSIMO*

PRINCIPI COSMO MEDICI FLORENTINO-

rum Duci Petrus Perna Basil. Typographus.

S. P D.

RTIVM ſcientiarumq; præcellentium celebre domiciliũ ſemper fuiſſe progenitores tuos. Magnanime COSME doctiſſimorum monumenta græcis Latinisq; literis ab hinc centum iam annis edita teſtantur. Quos enim bonos autores haberemus, niſi & Coſmi & Laurentij magnificis ſumptibus, nõ tantùm libros, quos optimos ex omnibus ferè gentibus & linguis conquiſiuerunt, verùm etiam doctos viros è Græcia euocatos, tanquam fæcũdas ſtirpes in Florentinum agrum tranſtuliſſent? atq; ita coluiſſent, vt non Italiam modò verùm omnes quoq; totius Europæ regiones & angulos

B *ſuauiſſimis literarũ fructibus repleuiſſent? Hinc Ficini, Pici, Politiani (Dij boni qui et quanti viri) atq; alij propè innumerabiles, tanquam ex equo Troiano prodierũt. Nam præſtantiſſima quæq; ingenia æmulatione quadam liberali excitata, Florentiam quaſi nouas Athenas Medicib. proauis tuis, mirifica prorſus & noua liberalitate allicientibus, conuolarunt. Excitabat eos artium pulcherrimarum dignitas: cõmouebat loci amœnitas, commoditas atq; celebritas: præmia honeſtiſſima alliciebant, tuorumq; maiorum ſumma humanitas ac propè diuina. Honore enim & præmijs artes vigent: & nemo eſt tam durus, qui gloriæ ſtudio non accẽdatur: quæ ſi deſint, ingenia uel præclariſſima neſcio quomodo torpere ſolent. Atq; illi præclara hæc fundamenta iecerunt: tu uerò COSME Princeps, ab eorum ueſtigijs nequaquam recedis: uerùm ut dignitate maioribus tuis antecellis, ſic magnificentia operũ & rerũ geſtarũ gloria omnibus quoq; præſtas. Nam cum principatus tuus in medium rerum omnium certamen atq; diſcrimen incidiſſet, adoleſcens ac penè puer, tanta prudentia atq; conſtantia Remp. adminiſtraſti,*

C *ut paucis menſibus omnes illos inteſtinos dubioſq; motus intus & foris ſedares atq; comprimeres. Quid de finitimo, ancipitiq;, & periculoſiſſimo, quod cum hoſte potentiſſimo geſiſti, bello dicam? Qua prudentia ſuſcepiſti, adminiſtraſti conſtantia, uirtute ac felicitate tandem uictor confeciſti? Sunt hæc quidem magna, quis neget? Atq; ab iſtiuſmodi rerum geſtarũ gloria quidam etiam Magni cognomentũ ſunt adepti. Verùm illa maiora & diuturniora, ac omnino amabiliora, quibus ad maiorum tuorum gloriam propius accedis, quòd nimirum regia planè magnificentia literarũ bonarumq; artium ſtudia, ubiq;, ſed potiſſimũ in florentiſſima academia Piſana tueris ac foues: monumenta typis ornatiſſimis propagas: uiros doctiſſimos magnis allicis atq; euocas præmijs: ut docendo, ſcribendo, diſputando, cõmentando iuuentutem erudiant, monumentisq; literarũ, non modò præſentes, uerùm etiã abſentes omnes qui ubiq; ſunt inſtituãt: ac nõ ſolùm tuo feliciſſimo ſeculo, ſed omni poſteritati plurimũ proſint. Quis igitur hæc utilitate maiora, uera gloria ampliora, firmitate diuturniora eſſe negabit? Nemo certè qui intelligat quæ ad mentem atq; animum excolendum pertinent & faciunt, ea longè ijs præſtare quæ corporis uiribus armisq; geruntur. Siquidem corpus, quæq; cor-*

Digitized by Google

D poris ſunt, caduca omnia & fragilia cernuntur: animus verò cum iis quæ ad eum ornã dum conferuntur, æternus. Quanta uerò et quàm multa ſint detrimenta bellorũ, quæ non ſolùm uictis, uerùm ipſis quoq; victoribus importantur, uel tu Princeps inuicte teſtis eſſe potes. Urbiũ excidia, uaſtationes agrorũ, neces amicorũ, oppreſſiones ciuium, legum et morũ omnium euerſionẽ, artium extinctionẽ, bella ſecum trahere ſolent. Nihil tale pariunt pacis otiq; artes, ipſaq; ſapientiæ ſtudia, ſed opes, ſed honores, ſed ueras animi uoluptates, gloriamq; ſine fine permanſurã. Neq; enim maior extitit Alexander ille Macedo Dario victo, Perſisq; ſubactis, quàm quòd Stagiritẽ Ariſtotelem Peripateticorũ principem fouit: ex quo tot immortalia doctrinarũ monumenta prodiere. Neq; ferè quiſquã Ptolemæum illum Philadelphum Aegypti regem noſſet, niſi omni genere doctorũ & librorum ſuum regnum, totamq; Aegyptum exornaſſet. Hæc atq; his maiora, cum tu COSME Inclyte, tuorum inſiſtens veſtigijs facias, meritò ad te docti omnes certatim concurrunt: tibi ſua atq; aliorum monumenta literarum inſcribunt, tanq; cõmuni omniũ certiſſimoq; patrono, adeo vt ulli nũquã principi tot fuerint literatorum monumenta conſecrata. Cum igitur inter reliqua Mediceæ Bibliothecæ monu
E menta Plotinus non infimũ locum inueniſſet, Marſilius Ficinus philoſophorũ ſui temporis Platonicorum facilè Princeps eum è Græco conuertit, neq; conuertit ſolùm, uerùm etiam argumentis & cõmentarijs illuſtrauit. Nam cum Platonem antea latinitate donaſſet, uideretq; Plotinum, quaſi Platonis interpretem, diuinũ certè ſcriptorẽ à Latinis deſiderari, hunc quoq; conuertit, ac Magno Laurẽtio proauo tuo primùm cõſecrauit: deinde eo è uiuis ſublato, Petro eiuſdem Laurentij filio inſcripſit, eiusq; ſumptibus (quæ veſtra ſemper liberalitas fuit) typis, ut eo tempore potuit, expreſſit. Hunc ipſum Plotinum ego cum uidere nuſquam iam inueniri, à multisq; deſiderari, ne tam diuino autore literaria Reſp. careret, nouam hanc editionẽ adornaui. Sed ne cuiq; fortè tantum ueterem illam imitati uideamur, dedimus operam, primùm, ut cum Græco, eoq; peruetuſto codice cõferretur. Hanc autẽ operã præſtitit nobis Dominicus Monthesaurus Veronenſis, medicinæ ac philoſophiæ peritiſſimus & ſcientiſſimus, qui certè non paucos locos antea corruptos reſtituit, ac diminutos expleuit. Quod uerò in noſtra uel diligentia, uel induſtria ſitum erat, nos præſtare conati ſumus. Nam & totũ de in
F tegro Plotiniũ legimus, & quæ ueteris librarij incuria admiſſa erant (quæ quidem innumerabilia fuerunt) emendauimus, typisq; (ut uides) deſcripſimus maioribus & minoribus, ut à Marſilij Ficini lucubrationibus Plotinum ipſum diſtingueremus. Quicquid igitur illud eſt quod in hoc præclaro autore, uel reſtituendo uel edendo præſtare potuimus, ipſumq; Plotinum tibi Princeps Illuſtriſſime conſecro & dono: ſi tamẽ quod tuorum maiorũ fuit donare licet, ac non potius poſtliminio reſtituere. Tibi ergo tanq; legitimo hæredi ac domino hunc Plotinianum fundũ à multis uepribus repurgatum, cultumq; remittimus, ut tantis tuis bonis hoc etiã accedat, nõ in poſtremis habendum. Quippe ex eo ſuauiſſimos fructus, ſi quando lubeat adire, uoluptatemq; longè quàm ex iſtis uulgaribus agris, maiorem ac diuturniorem percipere poteris. Id Petrarcha tuus, id Ficinus ipſe, atque adeo boni omnes doctiq; uno ore teſtantur. Vale. Baſileæ Cal. Martijs. M. D. LIX.

MAR-

MARSILII FICINI FLORENTINI IN PLOTINVM PROOEMIVM AD MAGNANIMVM LAVRENTIVM MEDICEM PATRIÆ SERVATOREM.

AGNVS Coſmus Senatus conſulto patriæ pater, quo tempore concilium inter Græcos atq; Latinos ſub Eugenio Pontifice Florētiæ tractabatur, Philoſophum græcum nomine Gemiſtum, cognomine Plethonē, quaſi Platonem alterum de myſterijs Platonicis diſputantem frequenter audiuit: è cuius ore feruenti ſic affiatus eſt protinus, ſic animatus, vt inde Academiam quandam alta mente conceperit, hanc opportuno primùm tempore pariturus. Deinde dum conceptum tantum magnus ille Medices quodammodo parturiret, me electiſſimi medici ſui Ficini filium, adhuc puerum tanto operi deſtinauit: ad hoc ipſum educauit indies. Operam præterea dedit, vt omnes non ſolùm Platonis, ſed etiam Plotini libros græcos haberem. Poſt hæc autem anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimotertio, quo ego trigeſimum agebam ætatis annum, mihi Mercurium primò Termaximum, mox Platonem mandauit interpretandum. Mercurium paucis menſibus eo viuente peregi: Platonem tunc etiam ſum aggreſſus. Et ſi Plotinum quoque deſiderabat, nullum tamen de hoc interpretando fecit verbum, ne grauiore me pondere ſemel premere videretur: Tanta erat viri tanti erga ſuos clementia, in omnes tanta modeſtia: itaque nec ego quidem quaſi nec vates aggredi Plotinum aliquando cogitaui. Verùm interea Coſmus, quod viuens olim in terra reticuit, tandem expreſsit, vel potius impreſsit ex alto. Quo enim tempore Platonem Latinis dedi legendum, heroicus ille Coſmi animus heroicam Ioannis Pici Mirandulæ mentem neſcio qnomodo inſtigauit, vt Florentiam, & ipſe quaſi neſciens quomodo, peruenirēt. Hic ſanè quo anno Platonem aggreſſus fueram natus, deinde quo die & fermè qua hora Platonem edidi Florentiam veniens, me ſtatim poſt primam ſalutationem de Platone rogat. Huic equidem Plato noſter inquam, hodie liminibus noſtris eſt egreſſus. Tunc ille & hoc ipſo vehementer congratulatus eſt, & mox neſcio quibus uerbis, ac ille neſcit quibus ad Plotinum interpretandum me non adduxit quidem, ſed potius concitauit. Diuinitus profectò videtur effectum, vt dum Plato quaſi renaſceretur, natus Picus heros ſub Saturno ſuo Aquarium poſsidente: ſub quo & ego ſimiliter anno prius trigeſimo natus fueram: ac perueniens Florentiam quo die Plato noſter eſt editus, antiquum illud de Plotino herois Coſmi votum mihi prorſus occultum, ſed ſibi cælitus inſpiratum, idem & mihi mirabiliter inſpirare uerit. Quoniam uerò nunc circa philoſophandi officium diuinam attigimus prouidentiam, operæpretium fore videtur, vt eam paulò latius proſequamur. Non eſt profectò putandum acuta & quodammodo philoſophica hominum ingenia vnquam alia quadam eſca, præterquam philoſophica ad perfectam religionem allici poſſe paulatim atque perduci. Acuta enim ingenia plerunque ſoli ſe rationi committunt, cumq; à religioſo quodam philoſopho hanc accipiunt, religionem ſubitò communem libenter admittunt. Qua quidem imbuti ad meliorem religionis ſpeciem ſub genere comprehenſam facilius traducuntur. Itaque nō abſque diuina prouidentia volente videlicet omnes pro ſingulorum ingenio ad ſe mirabiliter reuocare, factum eſt, vt pia quædā philoſophia quondam & apud Perſas ſub Zoroaſtre, & apud Aegyptios ſub Mercurio naſceretur, vtrobique ſibimet conſona: nutriretur deinde apud Thraces ſub Orpheo atque Aglaophemo: adoleſceret quoque mox ſub Pythagora apud Græcos & Italos: tandem verò à Diuo Platone conſumaretur Athenis. Veterum autem Theologorum mos erat, diuina myſteria cum mathematicis numeris & figuris, tum poeticis figmentis obtegere: ne temerè cuilibet communia fōrent. Plotinus tandem his Theologiam velaminibus enudauit: primusq; & ſolus, vt Porphyrius Proculusq; teſtantur, arcana veterum diuinitus penetrauit. Sed ob incredibilem cum verborum breuitatem, tum ſententiarum copiam, ſenſusq; profunditatem, non translatione tantùm linguæ, ſed commentarijs indiget. Nos ergo in Theologis ſuperioribus apud Platonem atque Plotinum traducendis & explanandis elaborauimus: vt hac Theologia in lucem prodeūte, & poetæ deſinant geſta myſteriaq; pietatis impiè fabulis ſuis annumerare: & perpatetici quamplurimi, id eſt, philoſophi penè omnes ammoneantur, non eſſe de religione ſaltem communi, tanquam de anilibus fabulis ſentiendum. Totus enim fermè terrarum orbis à Peripateticis occupatus in duas plurimū ſectas diuiſus eſt, Alexandrinam & Aueroicam. Illi quidem intellectum noſtrum eſſe mortalem exſtimant: hi verò vnicum eſſe contendunt: Vtrique religionem omnem funditus æquè tollunt: præſertim quia diuinam circa homines prouidentiam negare videntur, & vtrobique à ſuo etiam Ariſtotele defeciſſe: cuius mentem hodie pauci, præter ſublimem Picum complatonicum noſtrum, ea pietate qua Theophraſtus olim & Themiſtius, Porphyrius, Symplicius, Auicenna, & nuper Plethon interpretantur. Si quis autem putet tam diuulgatam impietatem, tamq; acribus munitam ingenijs ſola quadā

Digitized by Google

D *ſimplici prædicatione fidei apud homines poſſe deleri, is à verò longius aberrare, palam re ipſa proculdubio conuincetur: Maiore admodum hîc opus eſt poteſtate. Id autem eſt vel diuinis miraculis vbique patentibus: vel ſaltem philoſophica quadam religione philoſophis eam libentius audituris quandoque perſuaſura. Placet aũt diuinæ prouidentiæ his ſeculis ipſum religionis ſuæ genus auctoritate, rationeq; philoſophica confirmare: quoad ſtatuto quodam tempore verißimam religionis ſpeciem vt olim quandoque fecit, manifeſtis per omnes gentes confirmet miraculis. Diuina igitur prouidentia ducti diuinũ Platonem & magnum Plotinum interpretati ſumus. Platonẽ quidẽ ipſum miſimus ad te iamdiu, vt apud eum aliquãdo reuiuiſceret, in quo reuixit Coſmus, atque renatus adoleuit ad votum, & feliciter floret adultus. Plotinum verò nunc & ſi iure miſſuri ſumus. non tam mittimus quidem quàm ſpectamus ad tuas ædes vltro & alacriter properantem, tanquam ab ipſo Platone, velut ferrum à lapide quodam Herculeo raptum: vt penes te Magnanime Laurenti vnice literatorum patrone vnà cum Platone ſuo feliciſſimè viuat. Audi ergo feliciter Plotinum de omnibus philoſophiæ myſterijs apud te cum Platone loquentem. Sed ante quàm hunc auſcultes, Porphyrius pius eius diſcipulus tibi auſcultandus erit, vitam, mores, geſta magiſtri, & breuißimè ſimul & verißimè narrans. Cuius hiſtoriam Angelus Politianus noſter, alumnus tuus, acerrimo vir iudicio, tam oratoriam quàm philoſophicam eſſe cenſet, propterea tibi admodum placituram. denique non ſolùm audi feliciter, ſed etiam feliciſſimè viue: & quantum nos amas dilectißimè Laurenti, tantùm precor noſtrum ama Valorem, Philippum inquam egregium virum, et Platonicæ ſapientiæ ſtudioſum, & te ardenter amantem.*

MARSILIVS FICINVS MAGNANIMO PETRO MEDICI. S.

E VM Idibus Nouembribus in agro Caregio vnà cum Magno Laurentio Medice deambularem, multaq; Platonis myſteria vltro citroq; interpretaremur, decidi fortè inter loquendum è ſapientia in fortunam, cæpiq; hanc acrius incuſare, quòd Platoni lucem affectanti ſeculis iam multis obſtiterit. Tum ille, noli inquit Marſili Platonem noſtrum infortunatum dicere, niſi fortaſſan me fore putes infortunatum: Sermonem quidem tunc noſtrum his dictis abſoluimus. Sed nunquid mortis cauſa deinde ſecutæ Laurentium liceat infortunatum exiſtimare? ſimulq; Platonis fortunam funditus corruiſſe? Abſit, vt animum illum minus felicem putem, quem è corporis compedibus euolantem, nouo quodam applauſu lætus æther exceperit, grandiore ſtella in Laurentiana tecta cadente, mirisq; flammis ex alto per Caregianos agros triduo coruſcantibus. Sed biduo ante obitum Iupiter rubente dextera ſacras iaculatus arces, terruit vrbem, mox orbam tanto patre futuram. Terruit hoſtes: graue nequid forſan aduerſus inuictã domum Medicam molirentur. Itaque nec Laurentius hæros, nec hæroicus Petrus Laurentij filius ob ea quæ nuper contigerunt, minus poſthac felix eſt iudicandus, nec propterea Plato noſter infortunatus, cuius caput hactenus ſalutari prorſus umbra Lauri fouebatur: nunc pedes iam firmißima Petra nituntur. Plotinus denique manibus nunc tuis apprehenſus, ſeniorem interea Platonem pijs humeris ſubſtinebit, teque Duce producet in lucem.

PLOTI-

Digitized by Google

PLOTINI VITA PORPHYRIO EIVS DISCIPVLO AVTORE, MARSILIO FICINO FLORENTINO INTERPRETE.

PLOTINVS DELITIAS ET INANEM GLORIAM VITAMQVE CONTEMNEBAT: OBIIT ANGINA. APPARVIT DRACO.

PLOTINVS Philoſophus noſtro ſeculo ſingularis: pudore quodam affici videbatur, quòd anima eius in corpore eſſet. Quum igitur ſic eſſet affectus, nimirum neque vnde genus duceret, neque quibus eſſet ortus parentibus: neque etiam qua patria oriundus, æquo animo narrabat. Idem tantopere indignabatur effigiem corporis tradere pictoribus & plaſtis ex primendam, vt cum Amelius obſecraret, vt imaginem ſuam permitteret effingi, quaſi verò inquit non ſatis hanc imaginem ferre ſit, quam natura nobis ab initio circumdedit: etiam cenſes imaginis huius imaginem diuturniorem inſuper poſte
B ris, vt opus ſpectaculo dignum relinquendum? Cum igitur id ſedulo denegaret, renueretque ſedendo pictoris operam expectare, Amelius amicum nomine Carterium pictorem ſuis temporibus optimum Plotini ſcholas ingredi iuſsit: Licebat enim cuilibet cœtibus ibi diſputantiũ intereſſe. Pictorem igitur aſſuefecit Amelius longa quadam attentione concitatiores ex intuitu imagines mente concipere: Deinde dum & Carterius ex imagine memoriæ commendata ſimilitudinem ritè referret, & Amelius ſimul lineamenta ad conſequendam ſimilitudinem emendaret, pictoris huius ingenio ſimulachrum reddidit Plotino neſciente ſimillimum. Proinde cùm ſæpe colico vexaretur morbo, ſemper clyſteres renuit, negans decere ſenem curationes eiuſmodi. Neque theriacã antidota vnquam accepit, cùm nec ex animalium quoque manſuetorum corporibus capere eſcam ſe diceret. Abſtinebat & balneis: frictionibus autem domi quotidie vtebatur. Cùm verò ingraueſcente ſupramodum peſtilentia, qui perfricabant eum è vita iam deceſsiſſent: ipſe autem curationes id genus omnino neglexiſſet, paulatim in anginam incidit. Quod ſanè malum olim me præſente nullum ſui vnquam dedit inditium. Quum verò diſceſsiſſem vſque adeo morbi huius peſtis inualuit (quemadmodum poſtea redeunti mihi amicus Euſtochius retulit, qui Plotinum vſque ad obitum non deſeruit) vt raucedine nimia clarus atque canorus ille vocis rotundæ vigor omnis abiret: Caligaret & viſus manusque & pedes vlcerarentur. Quamobrem cum amici eum non amplius ſalutarent, propterea quòd ipſe omnes ore proprio appellare conſueuerat, ex vrbe diſceſsit: profectusque in Campaniam, deductus eſt in agrum Zethi veteris amici ſui vita iam functi. Neceſſaria verò illi ex rebus hæredibusque Zethi ſuppeditabantur, atque etiam ex Minturnis à Caſtricij
C agris afferebantur. Caſtricius enim prædia Minturnis habebat. Quum verò morti Plotinus appropinquaret: quemadmodum nobis Euſtochius retulit, qui Puteolis habitabat: ac ferme tardius ad eum acceſſerat, adhuc te inquit expecto, atque equidem iam annitor, quod in nobis diuinum eſt, ad diuinum ipſum quod viget in vniuerſo redigere: ſpiritumque his verbis emiſit. Interea draco ſub lecto in quo iacebat ille, pererrans mox in parietis foramen ſe prorſus occuluit. Agebat verò tunc Plotinus annos (vt retulit Euſtochius) ſex atque ſexaginta, ſecundo Claudij imperatoris anno iam peracto. Quo verò tempore Plotinus ex hac vita migrauit, ego quidem Porphyrius in Lilybeo verſabar: Amelius autem in Apamea Syriæ: Sed Caſtricius erat Romæ: Solus denique Euſtochius aderat. Iam verò ſi computemus à ſecundo Claudij imperatoris anno, exactos iam annos ſex atque ſexaginta, natiuitatis illius tempus cum tertiodecimo Seueri imperatoris anno concurrit. Ipſe verò neque quo menſe, neque quo die natus eſſet cuiquam declarauit: quippe quum nequaquam decere putaret, natalem eius ſacrificijs conuiuijsque celebrari. Quamuis ipſe in Platonis, Socratisque quæ traduntur natalibus, & ſacris operaretur, & conuiuio amicos exciperet: vbi ſanè oportebat amicos omnes, quicunque poſſent, orationem quandam ritè conſcriptam in cœtu omnium qui concurrerant recitare. Quæ verò de vita ſua ipſemet in confabulationibus noſtris ſæpè narrauit, talia ſunt.

Digitized by Google

D

De educatione Plotini, & diſciplina ſub Ammonio, & condiſcipulis eius: & quo tempore.

REferebat igitur ſe dum octauum ageret ætatis annum, ac iam ad literarum accederet præceptorem, adhuc tamen ſolitum ad nutricem diuertere, ſugendíque lactis auiditate nutricis nudare papillas. Cum verò quandoque ſibi obijceretur, quòd puer eſſet moleſtus, pudore cohibitum deſtitiſſe. Poſt hæc cùm octauum atque vigeſimum ætatis annum iam impleret, ſe philoſophiæ amore vehementer accenſum, commendatum fuiſſe ijs, qui tunc Alexandriæ excellentiores habebantur: ſed tandem ex eorum ſcholis triſtem admodum mœſtumque diſceſsiſſe, & amico cuidam mœroris ſui cauſam declaraſſe, qui ſuæ mentis affectum planè cognoſcens, ad Ammonium, cuius nullum adhuc periculum feciſſet, adduxerit: deinde cùm Ammonij ſcholas ingreſſus audiuiſſet illum, amico dixiſſe: Hunc ipſum ô amice quærebam. Ex eo igitur die annos vndecim ſedulus audiuit Ammonium, tantumque in ea philoſophia profecit, vt philoſophiæ inſuper in qua Perſæ ſe exercebant, facere periculum affectauerit: atque etiam ſapientiam præcipuè apud Indos probatam proſequi conſtituerit. Igitur cùm Gordianus imperator profecturus eſſet in Perſidem bellum populis illaturus, Plotinus exercitui ſe adiunxit, quaſi annos iam ætatis agens nouem atque triginta: ſed poſtquam Gordianus circa Meſopotamiam interemptus eſſet, Plotinus vix aufugiens in Antiochiam ſoſpes euaſit: Deinde imperante Philippo, Romam venit quadrageſimum iam natus ætatis annum. Cùm verò Eremnius & Origenes & Plotinus olim inter ſe cõſtituiſſent ne Ammonij dogmata ederẽt, q̃ audita ab eo tanquam in primis purgata præcipuè comprobauerant: Plotinus quidem ſtetit promiſsis, familiariter quidem nonnullos excipiens ſalutantes: inſtituta verò Ammonij ſecreta integraque conſeruans. Eremnius autem primus pacta diſſoluit: & Origenes anticipantem Eremnium eſt deinde ſequutus. Scripſit verò nihil præter quendam de Dæmonibus librum: atque ſub Galieno librum, in quo Regem ſolum effectorem eſſe probabat. Plotinus autem à ſcribendi ſtudio diutius ſe continuit: ſolùm verò quæ ex Ammonij conſuetudine olim acceperat ſuis colloquijs inſerebat. atque ita integros annos decem perſeuerauit: colloquio quidem nonnullos admittens, ſcribens verò nihil. Sed quoniam permiſerat vel inuitauerat familiares ſuos pro arbitrio eum interrogare, iccirco Amelius ait, Ludum illum confuſionis cuiuſdam fuiſſe plenum atque nugarum. Hic ſanè Amelius acceſsit ad eum Romæ triennium iam agentem, anno Philippi imperatoris tertio: perſeuerauitque apud illum vſque ad primum Claudij imperatoris annum: atque ita integros cum eo vixit annos quatuor atque viginti. Hic cum primùm ſe contulit ad Plotinum, eo duntaxat habitu præditus erat, quem ex Lyſimachi familiaritate conceperat. Tolerantia verò laboris omnes condiſcipulos ſuperabat, propterea quòd omnia fermè Numenij dogmata ſcripſerit & attulerit, plurimaque memoriæ commendauerit. qui ex ipſo audiendi ſtudio commentariola quædam ſcholaſtica congerens, centum fermè ex his libros cõpoſuit, quæ Iuſtiliano cuidam Heſychio Apamenſi adoptiuo filio dono dedit. Decimo autem Galieni imperatoris anno ego Porphyrius è Græcia vnà cum Antonio Rhodio Romam veniens Amelium repperi, octo & decem iam annos Plotino familiariter vſum, nihil tamen adhuc auſum ſcribere, preter quædam vt dixi commentariola, quæ nondum in numerum creuerant centenarium. Proinde Plotinus decimo Galieni imperatoris anno, fermè iam nouem & quinquaginta annos agebat: Ego verò Porphyrius cum primùm huic adhæſi, triginta tunc annos impleueram. Plotinus quidem primo Galieni imperatoris anno ſe ad ſcribendas conuertit quaſcunque inciderint quæſtiones: ac decimo eiuſdem anno, quando ego Porphyrius Plotino ſum cognitus, ſcripſerat iam vnum vigiſtiq; libros: quos quidem traditos paucis deprehendi: E nondum enim facilis erat editio, neque quiuis eius conſcius erat: neque enim facilè, neque temerè aliquid edebatur: ſed illi duntaxat accipiebant, qui eſſent maturo quodam iudicio comprobati. Scripta verò hæc iam erant, quæ dicam. Quæ cum ipſe nequaquam certis titulis inſcripſiſſet, alius aliter libros inſcripſerat. Inſcriptiones igitur quæ magis obtinuerunt, eiuſmodi ſunt. F

QVAE PLOTINVS SCRIPSERIT: QVO ORDINE, QVO TEMPORE.

De pulchro.
De animi immortalitate.
De fato.
De eſſentia animæ.
De intellectu & ideis & ente.
De animæ deſcenſu in corpora.
Quomodo à primo fit quod eſt poſt primum, atque de vno.
Vtrum omnes animæ vna ſint.
De ipſo bono vel vno.
De tribus principalibus ſubſtantijs.
De generatione & ordine eorum quæ ſunt poſt primum.
De duabus materijs.
Conſiderationes variæ.
De circulari motu cæli.

De ſuo

A De ſuo cuiuſque noſtrûm Dæmone.
De rationali exitu.
De qualitate.
Vtrum ſingularium etiam ſint ideæ.
De virtutibus.
De Dialectica.
Quomodo anima inter eſſentiam indiuiduam, & di uiduam media eſſe dicatur.

Hi ergo libri vnus atque viginti, quando eum primò conueni, ſcripti iam erant, quando & Plotinus nonum & quinquageſimum annum ætatis agebat. Ego autem & hunc ipſum annum, & inſuper quinque deinceps cum Plotino verſatus ſum. Quinetiam aliâs paulò ſuprà decennium Romam veneram, quo tempore Plotinus ocioſus ducebat æſtates: quamuis confabulantium conſuetudinem minimè deuitaret. In his autem ſex quos modò dicebam annis, quæſtiones multæ in diſputando diſcuſſæ ſunt diligenter. Ideoque Amelio meque ſimul hortantibus ſcripſit libros de eadem quæſtione duos, probans vnum & idem vbique totum ſimul adeſſe. Scripſit deinceps duos inſuper alios: quorum alter quidem aſſerit, quod eſt ſuperius ente non intelligere: alter verò diſtinguit quid primò intelligat, quidûe ſecundò. Scripſit etiam librum:

De eo quod eſt in potentia, quodúe exiſtit in actu.
Item, quomodo incorporea minimè patiantur.
Primum de anima.
Rurſus de anima ſecundum.
Denique de anima tertium, vel quomodo videamus.
B De contemplatione.
De intelligibili pulchritudine.
Quòd intelligibilia non ſint extra intellectum, & de intellectu atque bono.
Contra Gnoſticos.
De numeris.
Cur quæ procul uidentur, exigua uideantur.
Vtrum in longitudine temporis felicitas conſiſtat.
De mixtione per omnia.
Quomodo idearum extitit multitudo, atque de bono.
De voluntario.
De mundo.
De ſenſu atque memoria.
De generibus entis primum.
De generibus entis ſecundum.
De generibus entis tertium.
De æternitate & tempore.

Hi ergo libri quatuor & viginti quos in ſex illis annis quos cum eo vixi conſcripſit, aſſumens videlicet ex occurrentibus quæſtionibus occaſionem opportunitatemque ſcribendi: quemadmodum ex capitibus vniuſcuiuſque libri ſignificauimus. Hi inquam libri vnà cum viginti & vno, quos antequam accederem compoſuerat: ſummatim quinque ſuper quadraginta conficiunt. Quo verò tempore in Sicilia vitam agebam, quò peruueneram circa quintumdecimumque Galieni imperatoris annum, Plotinus libros quinque compoſuit, & ad me in Siciliam miſit.

De beatitudine.
De prouidentia primum.
De prouidentia ſecundum.
De ſubſtantijs cognoſcentibus, atque illis ſuperiore.
De amore.

Hos itaque libros miſit ad me primo Claudij imperatoris anno. Inter initia verò anni ſecundi: quando & paulò pòſt ex hac vita migrauit, hos præterea miſit.

Quæ ſint mala.
Vtrum ſtellæ aliquid agant.
Quid homo: Quid animal.
De primo bono, cæteriſq; bonis.

C Hi verò libri vnà cum quinque & quadraginta primo tempore ſcriptis, atque ſecundo quinquaginta & quatuor computantur. Quemadmodum verò conſcripti ſunt: alij quidem in ætate prima, alij verò in ipſo vigore vitæ: alij denique defeſſo iam corpore, ſic fermè libri vim ſimilem ipſi declarant. Primi namque vnus atque viginti, ſi cum proximè ſequentibus conferantur, leuiorem vim habere videntur, nondum ſatis conſtans robur habentem. Qui verò medio tempore compoſiti ſunt, virtutis florem præferunt ad ſummum vſque vigentem. Taleſque ſunt quatuor & viginti (exceptis quibuſdam paucis) perfectiſsimi. Vltimi denique nouem remiſsiorem iam referunt facultatem. idque poſtremi quatuor magis quàm antecedentes quinque declarant.

AVDITORES PLOTINI. ET QVANtum ſit ſalubris abſtinentia.

AVDITORES quidem multos habuit, imitatores autem & gratia philoſophiæ valde familiares, Amelium Tuſcum, & alios. Sed Amelio huic proprium nomen Gentilianus extiterat. Ipſe verò ſe per literam. R. Amerium nominari maluit, ab Ameria, quàm Amelium ab Amelia. Item Paulinum Scythopoliten medicinæ admodum ſtudioſum, quem

Digitized by Google

D diſciplinarum & (vt ita dixerim) auditionum plenum Amelius Miccalum appellabat. Præterea Euſtochium Alexandrinum etiam medicum, qui ſanè propè poſtremum ætatis tempus Plotino notus perſeuerauit, diligenterq; Plotinum ad mortẽ vſq; curauit, ſolisq; Plotini inſtitutis incumbens legitimi philoſophi habitum induit. Verſabatur quoque cum eo Zothicus Criticus homo & poeticus, qui & Antimachi opera emendauit, Atlanticamque hyſtoriam ritu valde poetico in carmina tranſtulit: poſt hæc in caliginem incidit oculorum, & paulò antè Plotini obitum deceſsit è vita. Paulinus quoque diem obijt ante Plotinum. Præterea familiaris admodum Plotino Zethus erat, genus ex Arabia ducens: qui & vxorem duxerat filiam Theodoſij, quondam familiaris Ammonij. Erat & hic medicinæ peritus, Plotinoque dilectiſsimus: quem Plotinus ciuilium gubernaculorum momenta gerentem inde reuocare admodum contendebat, eoque familiariter vtebatur, adeo vt in agros eius ſecederet ad ſextum lapidem ante Minturnas: quos Caſtricius poſſederat cognominatus Phirmus, vir profectò omnium ætatis noſtræ bonarum artium ſtudioſiſsimus, obſeruatorque Plotini & Amelij ſeruili etiam obſequio cultor, mihique Porphyrio cunctis in rebus non aliter quàm legitimo fratri deditus. Hic & ſi ciuilem elegit vitam, Plotinum tamen in primis venerabatur. Senatores quinetiam non pauci Plotinum ſedulò audiebant: inter quos Marcellus Orontius philoſophiæ diligentiſsimè incubuit, maximeque profecit: ſimiliterque Sabinillus, ac pariter ex eodem ſenatu Rogatianus. Qui vſqueadeo ab hac vita animum ſegregauit, vt & bonorum ſuorum curam neglexerit, & ſeruos omnes expulerit, reſpueritque dignitates. Iam verò Prætor proditurus Lictoribus iam adſtantibus, neque prodit, neque vllam habuit publici muneris rationem, neque lares proprios habitabat, ſed quoſdam amicorum familiariumque conueniens, apud eos cœnabat & dormiebat, cibumque in dies vnicum aſſummebat. Qua quidem negligentia vitæ extremaque incuria factum eſt, vt quum acriter podagris antea vexaretur, neque progredi poſſet niſi vectus ſella, robur tandem inde reſumpſerit. Item quum manus antè extendere non valeret, tamen adeo conualuerit, vt his expeditius vteretur, quàm qui artificia manibus quotidie tractant. Hunc ergo Plotinus in primis complectebatur, mirisque laudibus extollebat, proponebatque tanquam inſigne philoſophaturis exemplum. Aderat & Alexandrinus Serapion, hactenus quidem Rhetor: deinde verò diſputationibus quoque deditus philoſophicis: nec dum tamen auaritiæ fœnorisque vitio ſe abſoluens. Habuit præterea me Porphyrium patria Tyrium inter amiciſsimos numeratum, quem inſtituit ſua ſcripta corrigere.

E

MIRA COMPONENDI CELERITAS IN PLOTINO: *nunquam interrupta mentis intentio: negligentia characterum.*

CVM enim aliquid ille ſcripſiſſet, quod ſcripſerat reſpicere bis minimè tolerabat: ſed neque etiam ſemel legere atque percurrere, propterea quòd viſus ei non ſatis ſufficeret ad legendum. Dum verò ſcribebat, neque bellè quidem literas figurabat, neque exactè ſyllabas diſtinguebat, neque vllam orthographiæ diligentiam adhibebat: ſoli videlicet intelligentiæ ſtudens. atque id quod omnes admirabamur id agere ad finem vſque vitæ perſeuerauit. Quum enim totam quandam à principio ad finem diſpoſitionem intelligentiæ ſemel penes ſe concepiſſet: deinde ſcriptis quæ conceperat iam mandaret, connectebat prorſus ita ſcribens quæ in animo diſpoſuerat, vt ex libro quodam ante oculos poſito ſcripta traducere videretur: nempe non nunquam cum ſuorum quopiam verba faciens, & quæ ad commertia pertinent humana componens, interea tamen ab inſtituto mentis actu minimè diſcedebat: vt ſimul & neceſſarium curaret amici negocium, & cunctorum quæ in excogitatione conceperat intelligentiam perpetuam conſeruaret. Quum igitur qui allocutus eum fuerat, iam abijſſet, non repetebat ſcripta, quoniam ad repetendum viſus (vt diximus) minimè ſuppetebat: ſic tamen deinceps ſequentia contexebat, quaſi ne minimum quidem temporis inſtitutum prius intermiſiſſet, dum audiret & tractaret humana. Simul igitur ſecum erat atque cum alijs, intentionemque mentis ad ſe conuerſæ nunquam intermittebat, niſi forſan dum dormiret: quamuis & ſomnum ab eo procul excuſſerit, tum cibi parcitas, ſæpe enim pane etiam abſtinebat, tum aſsidua quædam conuerſio ipſius ad mentem.

F

MVLIE-

MVLIERES QVOQVE DISCIPVLAE

Plotini eius ſanctimonia fretæ. Hic & pupillorum tutor erat diligens, & iuſtus arbiter cauſarum.

AVDIEBANT Plotinum etiam mulieres nonnullæ admodum ſuæ ſapientiæ deditæ: quarum in numero erat Gemina, in cuius etiam laribus habitabat. Item Geminæ huius filia nomine ſimiliter Gemina. Amphidia quoque Ariſtonis filia, & filij Iamblici vxor. Multi quinetiam viri, multæ & mulieres generis nobilitate pollentes cùm morti iam propinquarent, filios ſuos tum mares tum fœminas vnà cum omni eorum ſubſtãtia Plotino tanquam ſacro cuidam diuinoq; cuſtodi tradebant atque commẽdabant. Quocirca Plotini domum plenam iam puerorum virginumq́ne videres: inter quos erat & Potamon, quem Plotinus diligenter educans etiam quotiens aliquid foret cõmutaturus, auſcultabat attentus.

Neque tedebat eũ pupillorũ procuratores audire adminiſtrationis rationes ſæpe reddẽtes, diligentemq; adhibebat parſimoniæ curam: affirmans quamdiu nondum philoſpharentur, ſua illos bona poſſidere, & prouentus accipere abſq; detrimento debere. Et quamuis tot pupillis neceſſaria vitæ ſumma cum diligentia procuraret, nunquam tamen dum vigilaret, intẽtionem animi in mentem conuerſi vel pabulum remittebat. Erat & manſuetus admodum, & omnibus pro arbitrio qui ei quoquomodo adhærerent expoſitus. Quamobrem quum Romæ annos ſex & viginti integros habitaſſet: plurimorumq́ue arbiter mutuas controuerſias diremiſſet, *nullum* tamen ciuium vnquam habuit inimicum.

PLOTINVS MAGORVM MALEFICIA

ſuperauit: Dæmonem ſuum diuinum vidit: paucis indicijs mirabiliter diuinabat.

EX Eorum verò numero qui ſibi philoſophiæ ſtudium vendicabant, Alexandrinus Olympius Ammonij ad breue diſcipulus, vt pote qui principatum in philoſophia ſibi cuperet arrogare, & ipſe deſpiciebat Plotinum, & deſpectum reddere apud omnes moliebatur: animoq́ue tam infenſo maleficijs Plotinum inuaſit, vt magicis quibuſdam machinamentis ſiderare illum contenderet. At poſtquam ſuos in ſeipſum conatus reflecti perſenſit, contubernalibus inquit, Plotini animam tam ingentem habere potentiam, vt ictus directos in eum ſtatim in maleficos retorqueret. Iam verò Plotinus cum primùm maleficia Olympius ille machinaretur animaduertit: aitq́ue ſuis: Nunc Olympio corpus marſupiorum more contrahitur, membraq́ue inter ſe corporis omnia conteruntur. Quamobrem poſtquam Olympius ſæpe ſuo diſcrimine eſſet expertus, ſe ictus ſuos, Plotino in eum repellente, recipere: tandem à maleficio deſtitit. Et profectò Plotinus ipſa quoque natura ab initio maius aliquid præter cæteros poſſidebat. Aegyptius enim quidam ſacerdos Romam profectus, perq́ue amicum quendam Plotino ſubitò notus, quum exoptaret ſuam Romæ ſapientiam oſtentare, ſuaſit Plotino vt ſecum accederet familiarem ſibi Dæmonem, eo aduocante protinus inſpecturus. cui facilè Plotinus eſt obſequutus. Acta verò eſt in ęde Iſidis Dæmonis inuocatio: ſolùm nanq; hunc locum Romæ purum ait Aegyptium inueniſſe. ſed quum in aſpectum proprium ipſe dęmon acceſſeretur, pro Dæmone Deus acceſsit: qui ſanè non eſſet in genere Dæmonum: ſic ergo repẽte Aegyptius exclamauit: Beatus es ò Plotine: qui habeas pro dæmone Deum: neque ex inferiori genere ſis ducem ſortitus familiarem. Narrabat verò non licuiſſe tunc quicquam interrogare, neque diutius videre præſentem: quippe quum communis quidam ibi contemplator amicus aues, quas manu tenebat cuſtodiæ gratia, ſuffocaſſet, ſiue inuidia ductus, ſiue metu perterritus. Quum igitur ex diuiniorum ordine Dæmonum familiarem ſibi Plotinus haberet, meritò & ipſe ſemper diuinum ſuæ mentis oculum ad illum ſublimius erigebat. Quam etiam ob cauſam de ſuo cuiuſque familiari Dæmone librum deinde compoſuit: vbi ſanè conatur cauſas de familiarium numinum differentia diligenter afferre. Præterea quum Amelius ſacrorum obſeruator eſſet, atque per calendas ſacra faceret, & quandoque Plotinum rogaret illuc ſecum accedere: illos inquit Plotinus decet ad me, non me ad illos accedere. Qua verò mente tá excelſa de ſe loqueretur, neq; intelligere ipſi potuimus, neq; auſi ſumus interrogare.

Erat in cognoſcendis moribus ſagaciſsimus. Itaq; cũ mulieri nomine Chione penes ipſum vnà cum filijs habitanti, caſtãq; agenti viduitatẽ, pretioſum monile furto ſubreptum fuiſſet, omnesq́ue ſerui atque domeſtici in Plotini conſpectum accerſiti veniſſent, ſingulos Plotinus

D intuitus ſelegit quendam,aitque:Hic monile ſubripuit.Verberatus ille diu quidem negat: ſed denique confitetur,furtumque reſtituit. Similiter quales ſinguli apud illud verſati pueri futuri eſſent,mirificè prædicebat. Velut de Polemone prædixit: ad amorem hic procliuior erit, nec ad ætatem maturam perueniet.atque ita contigit. Ego quandoque me ipſum interimere cogitabam:quod mirabiliter ille perſenſit, mihique domi deambulanti protinus adſtitit, aitque,ſtudium nunc iſtud ô Porphyri tuum non ſanæ mentis eſt, ſed animi potius atra bile furentis. itaque Roma abire me iuſsit. Huic ergo parens, in Siciliam ſum profectus, præcipuè cum audirem, probum quendam elegantem virum circa Lilybeum tunc habitare. Quo quidem factum eſt,vt hac perturbatione animi liberarer, ſed interea impedirer vnà cum Plotino vſque ad eius obitum vitam ducere.

PLATONOPOLIM AEDIFICARE VOluit: *Diſputator acer, formoſus, amabilis, In dictionibus negligens, ſenſu profundus: Platonica cum Peripateticis abundè coniunxit.*

PROINDE Galienus imperator, vxorque eius Salonina Plotinum honorabant, maximeque colebant.Hic igitur eorum beneuolentia fretus orauit, vt dirutam quandam olim in campania ciuitatem philoſophis aptam inſtaurarent, regionemque circumfuſam cultæ ciuitati donarent,concederentque ciuitatem habituris Platonis legibus gubernari, atqi
E ipſam ciuitatem Platonopolim appellari: pollicebatur ſe illuc habitatum vnà cum amicis omnibus profecturum. Quod facilè Philoſophus ad votum impetrauiſſet, niſi quidam imperatoris familiares inuidia, vel indignatione, vel alia quadam iniqua de cauſa acriter obſtitiſſent. Erat in diſputationibus ſtrenuus ad dicendum, ad inuentionem ſolers, ad opportuna percipienda promptiſsimus, ſed fortè in nonnullis dictionibus aberrabat: non enim pronuntiabat meminiſſe, ſed menimiſſe: ſimiliterque alijs quibuſdam dictionibus abutebatur. Quod quidem vitium in ſcribendo etiam ſequebatur. Præterea inter loquendum mens emicabat foras, lumen intimum ad vultum vſque diffundens. Amabilis quidem erat aſpectu, ſed dum diſputaret pulchrior admodum videbatur: tunc ſanè tenuis quidam ſudor, velut ros è facie diſtillabat: tunc benigna manſuetudo fulgebat: tunc ad quæſtiones & excipiendas placida lenitas apparebat, & diſſoluendas robuſtus admodum vigor.demonſtrabatur. Iam verò cum Ego Porphyrius triduo eum interrogarem, qua conditione potiſsimum anima cum corpore coniungatur, ille in demonſtrando perſeuerauit. Quando etiam quidam nomine Thaumaſius ſcholas ingreſſus communia tractaturus, præfatus eſt, optare ſe Plotini ſententias in ſcriptis exponendis audire: Porphyrio verò interrogante atque reſpondente, diſputationem eiuſmodi minimè tolerare. ſed Plotinus obiecit: niſi dubitationes interrogante Porphyrio diſſoluamus, commentari orationē perpetua quicquam in librum aliquem non valebimus. Scribit autem intentiſsimo quodam acumine, & intellectu multiplici.Eſt quidem breuis, ſed ſenſibus vbique pluribus quàm verbis abundans. Multa numine afflatus effundit: ſæpe exiſtare qua de agit mirificè patitur: neque tam ſimplici diſciplina loquitur, quàm animo ad
F rem ipſam ardenter affecto. Inſerta ſunt libris eius latentia dogmata Stoicorum, Peripateticorumque ſimiliter: præſertim verò ſententiæ Ariſtotelis poſt phyſica congeſtæ illic frequentius inſunt.Latuit eum nihil omnino: quod ad Geometriam, Arithmeticam, Machinariam, Perſpectiuam, Muſicam pertineret: quamuis nunquam ſe promptum ad hæc opere exequenda reddiderit. Legebantur in ſcholis ipſi commentaria Seueri, Cronij, Numenij, Gaij, Actici philoſophorum Platonicorum: Item Peripateticorum Aſpaſij, Alexandri, Adraſti, & quotcunque ſorte inciderint commentaria: ſed nihil ex his tractu continuo dicebatur. Erat enim proprius ſuiq; iuris, & ab his in contemplatione diuerſus.In rebus verò diſcutiendis intellectum ferebat Ammonij. Lectione quàmprimum euadebat imbutus, paucisque profunde contemplationis intelligentiam afferens exurgebat. Quum liber Longini & Phylarchei de principijs lectus eſſet: literarum quidem ſtudioſus eſt Longinus, philoſophus verò nequaquam.Quum Origenes aliquando veniſſet in ſcholas, Plotinus ſtatim genas rubore ſuffuſus aſſurgere voluit, ſermonem verò ab Origene continuare rogatus, reſpondit: Studium loquendi ceſſare, quando qui loquitur animaduertit ſe ad illos qui idem ipſi nouerint verba facturum.atque ita cum pauca quædam diſſeruiſſet, inde ſurrexit.

CELE-

A CELEBRABAT PLATONIS NATALEM.

Erat omnium pudicißimus.

CVM in Platonis natalibus poema de connubio ſacro recenſuiſſem, & quidam præſens obijceret Porphyrium inſanire, quippe quum multa illic diuino quodam afflatu ſecretoque myſterio dicta fuiſſent: Plotinus palam cunctis audientibus ait: Demonſtraſti ſimul poetam, philoſophum, ſacerdotem. Legit quandoque ibidem orator Diophanes defenſionem pro Alcibiade in Platonis Sympoſio debacchante, decere probans, virtutis addiſcendæ gratia amatori ſe ipſum exponere: hanc ipſam demonſtraturo, etiam ſi congreſſum venereum affectauerit. Inter legendum verò Plotinus ſurrexit ſæpius tanquam ex eo cœtu ſubitò diſceſſurus: veruntamen ſe conntinuit: mox verò cœtu ſoluto mihi mandauit in primis, vt refellerem oratorem. At quum Diophanes ille librum mihi legendum concedere nollet, memoriæ viribus argumenta recolui: ſcripſi contrà: eiſdem mox audientibus retuli: tanta Plotinum affeci lætitia, vt in ipſo conuentu continuò ſæpe repeteret: Sic feri, ſiquidem ita viris lumen eris. Eubulus Platonis ſectator ſcripſit Athenis, ſcriptaq; miſit Romam de quibuſdam Platonicis quæſtionibus. Plotinus autē hæc mihi tradi iuſsit, meque conſiderare ſingula, eique referre. Operam dedit aſtronomiæ regulis, quamuis more non admodum mathematico: Aſtrologorum verò iudicijs incubuit diligentius. Cumque illorum prædictiones non eſſe fide dignas deprehendiſſet, non piguit eum ſæpe in ſcriptis ſuis illorum præſagia confutare.

B SCRIPSIT CONTRA QVOSDAM CHRI-

ſtianos hæreticos: Et ſuis contra eoſdem ſcribi mandauit.

FERANT Chriſtiani eo tempore multi, tum alij, tum ex antiqua philoſophia egreſsi hæretici, Adelphij, Acylinique ſectatores: qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demoſtrati, Lydi, plurimos libros circumferebant, & reuelationes quaſdam Zoroaſtris, Zoſtriani, Nichotei, Allogenis, Meſi, aliorumque eiuſmodi palam oſtendentes, & deceperunt multos, & ipſi decepti iam fuerant: aſſerentes Platonem intelligibilis eſſentiæ profundum minimè penetraſſe. Quamobrem Plotinus multas in diſputationibus ſuis in eos argumentationes intulit: ſcripſitque contra eos librum, quem contra Gnoſticos nos inſcripſimus, nobisque reliqua diſcutere & iudicare commiſit. Amelius autem libros quadraginta compoſuit contra librum Zoſtriani. Ego verò Porphyrius argumentationibus multis oſtendi librum Zoroaſtri ab illis inſcriptum, adulterinum nouumque eſſe, & ab eis confictum, qui ſtruebant hæreſim: vt inſtitutiones ſuæ, eſſe Zoroaſtris veteris crederentur.

PLOTINI SENSA PAVCI ADMODVM PENE-

C *trabant. Teſtimonia Amelij vnà cum Porphyrio de excellentia libroram Plotini.*

PLERIQVE Græcorum Plotinum falsò criminabantur, quaſi inuenta Numenij ſibi clam vſurparet: quam ſanè calumniam Tryphon Stoycus & Platonicus Amelio nuntiauit. Hinc librum ſcripſit Amelius, quem nos inſcripſimus De differentia doctrinæ Plotini ad Numenij diſciplinam: Amelius autem librum mihi dicauit, meque ipſa inſcriptione Baſilea, id eſt, Regem cognominauit: id enim mihi nomen erat: Et patria quidem lingua nominabar Malcus, quo nomine vocabatur & pater. Malcus autem in græcam translatus linguam Rex appellatur. Quocirca Longinus, vbi dicauit ſcripta de Conatu Cleodamo, mihique Porphyrio ſic eſt exorſus: ô Cleodame atque Malce. Amelius autem nomen ipſum interpretatus, ſicut Numenius, Maximum appellauit Megalum: ſic Malcum cognominauit Regem. Amelius Baſileo, id eſt regi ſalutem. Certò ſcito me nunquam vocem fuiſſe emiſſurum inclytorum virorum cauſa, qui, vt iam diuulgatum eſſe ais, amici noſtri dogmata in Apameum Numenium referunt: Conſtat enim id ex dicendi loquendique propria apud ipſos & qua gloriantur, modeſtia proficiſci. Nunc quidem meras nugas, nunc verò ſuppoſititium vocantibus: rurſus quaſi viliſsima quædam ſupponat, accuſant: & mendaci duntaxat dicacitate in eum perperam inuehuntur. Quum verò tu occaſione hac vtendum cenſeas, cum videlicet vt quæ nobis videntur ad reminiſcendum promptiora reddamus, tum etiam vt in amici gloriam, præſertim qualis eſt magnus admirandusque Plotinus, quamuis olim decantata my-

D ſteria plenius cognoſcantur, morem tibi gerendum exiſtimaui, iamque tibi reddo promiſſa, triduo quod ſcis à nobis elaborata. Decet verò ſcriptis te noſtris ignoſcere, vtpote quæ non ſint compoſitionum illarum comparatione vel compoſita vel electa, ſed ex veteri congreſſu repetita: & vt quæque prima ſuccurrebant, ſic in præſentia diſpoſita ſunt. Eoque magis danda mihi venia eſt, quòd viri illius conſilium, qui à nonnullis in iudicij noſtri conſenſionem eſt adductus, haud facilè deprehendi poteſt: propterea quòd aliàs aliter de rebus eiſdem, vtcunque placuerit, verba faciat. Ego autem certò ſcio, te benignè prorſus emendaturum, ſi quid præter familiarem Plotini noſtri characterem hîc à nobis fuerit obſignatum. Iam verò compulſus videor, vt eſt in tragœdijs, tanquam negocioſus homo, ideoque ab ipſa noſtri ductis doctrina diſtantior, emendatoris ſubire iudicium, atque retractare. tantum videlicet apud me potuit ardens tibi gratificandi voluntas. Vale.

CONFIRMATIO SVPERIORVM.

HANC equidem epiſtolam afferre ſum adductus, non ſolùm vt fidem faciam, nonnullos illius temporis illo etiam viuente, ſuſpicatos fuiſſe, Plotinum inuentis Numenij ſuperbiſſe: verùm etiam quia nugatorem amplum exiſtimauerint atque contempſerint: ob eam ſcilicet cauſam, quoniam eius dicta nequaquam intelligebant. Ipſeque Plotinus ab omni ſophiſtica oſtentatione, faſtuque erat alienus: in ipſisque diſputantium cœtibus non aliter, quàm in familiaribus colloquijs ſe gerere videbatur: neque properè cuiquam neceſſarias argumentationum vires aperiebat in eius ſermone latentes. Mihi quoque Porphyrio i-
E dem contigit, cum primùm audiui Plotinum. Quapropter eum contra ſcribendo prouocare tentaui, conatus oſtendere, ea quæ intelliguntur extra intellectum exiſtere. Ille verò cum Amelio mea ſcripta legere præcepiſſet, illeque iam perlegiſſet, ſubridens ait: Tuum eſſet Ameli dubitationes iſtas diſſoluere, in quas ille ob quandam noſtræ ſententiæ ignorantiam incidit. Poſtquam igitur Amelius librum non paruum aduerſus obiectiones meas compoſuit: egoque ſcriptis eius iterum contra dixi: rurſusque mihi reſcripſit Amelius: tertio iam gradu vix tandem Plotini mentem auſpicatus, mutaui ſententiam: ideoque palinodiam reſcribens in conuentu omnium recitaui: atque in poſterum Plotini libros fide digniſsimos iudicaui, & præceptorem ipſum omni ſtudio prouocaui, vt ſententiam ſuam articulatim diſtingueret, latiusque deſcriberet. Quin etiam hinc factum eſt, vt ille Amelium quoque ad conſcribendum valde propenſum effecerit. Quid verò Longinus ſenſerit de Plotino, per ea maximè quæ ego ad eum ſcribens ſignificaueram, declrabit pars epiſtolæ hoc ad me tenore perſcriptæ: Cum enim operepretium iudicaret, me è Sicilia ad eum in Phœniciam proficiſci, libroſque Plotini mecum afferre, ſic ait.

TESTIMONIA LONGINI DE EXCEL-

lentia librorum Plotini.

F TV quidem iſta quando tibi placuerit ad nos mittito, imò verò ferto tecum. Equidem non facilè obſecrare te deſinam, vt iter ad nos omni prorſus itineri anteponas. Et ſi non ob aliam cauſam (quid enim nouæ apud nos ſapientiæ ſperans venias, neſcio) ſaltem propter antiquam conſuetudinem, aeriſque ſalubritatem imbecillitati corporis de qua quereris conferentem. Quòd ſi fortè aliud quiddam putes aſſequi, apud me tamen ne noua quidem ſperes, nedum antiqua, quæ plurimum perijſſe dicis. Iam uerò tranſcriptorum tanta hîc eſt penuria, vt per deos, totum id tempus, quæ deerant Plotini inſtaurans, vix horum inuenerim ſubſcriptorem, dum à miniſterijs eum conſuetis abduco, huic autem vni incumbere iubeo. Tot equidem libros illius iam habeo, vt videar iam omnes habere, poſtquam nunc abs te miſſos accepi: ſed non perfectè me habere profiteor. Hi namque libri non mediocriter ſunt mendoſi. Et ſi Amelium amicum noſtrum putaueram errata paſsim ex ſcriptorum emendauiſſe: illi tamen alia magis curæ fuerunt, quàm ſedulitas emendandi. Quamobrem qua ratione his libris vtar minimè habeo: quamuis ſupra modum affectem, quæ Plotinus de anima atque de ente ſcribit, conſiderare. Sed hi potiſsimum libri ſunt exſcriptorum vitio deprauati. Quo circa percupio libros abs te eoſdem ſumma diligentia ſcriptos accipere, vt tantùm perlegam, inde meos emendans, mox verò reſtituam. Sed rurſus idem, quod dixi ab initio repetam. Ne mittas quidem, ſed ipſe tecum afferens huc accedas: neque hos tantùm afferas, ſed ſiquid inſuper reliquum eſt, quod Amelium aufugerit. Quæ enim ille huc aduexit, ſummo ſtudio exquiſita poſsideo. Cur enim non ſumma cum diligentia viri illius ſcripta omni prorſus honore ac veneratione digna perquiram? Hoc equidem tibi tum præſenti, tum procul

procul abſenti, tum habitanti Tyrum ſemper ſignificaui: me ſcilicet non multa admodum Plotini librorum argumenta capere: ipſam uerò ſcribendi formam, intelligentiarumq; frequentiam, & quæſtionum diſpoſitionem admodum philoſophicam me amare ſupra modum atq; uenerari. Atque equidem iudico debere ueritatis indagatores Plotini libros cum præſtantiſsimorum duntaxat operibus comparandos adducere.

CONFIRMATIO SVPERIORVM.

IN ſuperioribus enarrandis iccirco ſui prolixior, ut demonſtrarem quid iudicauerit de Plotino vir ille iudicio ſeculis noſtris acerrimo: qui fermè ſui temporis omnia ſcriptorum opera diſcuſsit atque redarguit: quamuis & hic ab initio aliorum adductus inſcitia Plotinum diu contempſerit. Putauit autem Plotini opera quæ acceperat ab Amelio fuiſſe tranſcriptorum vitio deprauata: propterea quòd conſuetam viri illius elocutionem nequaquam intelligebat. Siqua enim alia, certè quæ penes Amelium erant, emendatiſsima erant: quippe cùm ex libris ipſa Plotini manu ſcriptis exſcripta fuiſſent. Proinde operæpretium eſt referre quæ in opere ipſo Longinus ſcripſit de Plotino Amelioq;, & cæteris ſua tempeſtate philoſophis: ut certus nobis conſtet quam potiſsimum de illis ſententiam tulerit uir elegantiſsimus atq; ad ingenia arguenda promptiſsimus. Inſcribitur ſanè liber de fine ad Plotinum Gentilianumq; cognomento Amelium: cuius quidem proœmium eſt eiuſmodi.

TESTIMONIA LONGINI
ad idem.

CVM multi temporibus philoſophi noſtris extiterint, ô Marcelle, maior profectò eorum numerus in primis extitit noſtræ ætatis annis. Præſens nanq; tempus quàm paucos habeat, dicere minimè licet. Sed dum eſſemus adoleſcentuli, non pauci philoſophiæ ſtudijs excellabant: quos quidem omnes uidere nobis contigit: quoniam à teneris annis multas paſſim regiones unà cum parentibus peragrauimus. Vbi profectò data mihi occaſio fuit, qua illos, quia adhuc in uita ſupererant, conuenirem, cùm apud multas gentes & urbes in eundem cum illis locum ſæpe concurrerem. Sed ex eorum numero alij quidem ſententias ſuas literis commendarunt, ſcribendo poſteris profuturi: Alij uerò ſatis ſibi factum exiſtimarunt, ſi præſentes familiaresq; conſilij ſui participes effeciſſent. In primo igitur genere fuerunt Platonici quidem Euclides, & Democritus, & Proclinus, qui in Troade habitauit. Præterea & qui etiam nunc Romæ uiuunt, Plotinus & Gentilianus, Amelius Plotini familiaris. Stoycorũ uerò Themiſtocles, atque Phebion: & qui uſque ad externum diem florebant, Annius atque Medius. Ex Peripateticis autem Heliodorus Alexandrinus. Sed in ſecundo genere Platonici quidem Ammonius atque Origenes, quibus cum nos diu verſati ſumus, viris profectò in teruallo non paruo ſui ſæculi philoſophos intelligentia ſuperantibus: Item qui Athenis ſucceſſores Theodotus, atque Eubulus. Iam verò ſiquid ab aliquo eorum ſcriptum eſt, quemadmodum ab Origene liber aliquis de Dæmonibus: atque ab Eubulo expoſitio quædam in Philebum atque Gorgiam: atque de his quæ Ariſtoteles Reip. Platonis opponit: & quibus hec rationibus confutentur, hæc ſanè parui momenti ſunt, ſi cum rationibus, quas illi voce exactius aſsignare ſolebant, conferre uolueris. Neq; enim ſerio quodã ſtudio ſcripſiſſe videntur, neq; ſcribendi munus tanquã præcipuũ apud ſe officiũ elegiſſe. Præterea è Stoycorũ numero Herminus, atq; Lyſimacus: Et qui Athenis egerũt Athenęus, atq; Muſonius. Sed inter Peripateticos Ammonius, atque Ptolemęus: diſciplinarum ambo profectò maximè omnium ſuo tempore pleni, præſertim Ammonius: nullus enim ad diſciplinarum illius copiam prope acceſsiſſe uidetur. Nihil tamen artificioſum admodum conſtruxerunt, ſed poemata quædam demonſtratiuosq; ſermones. Quæ quidem ſcripta nolentibus auctoribus ſeruata apud poſteros arbitror. Neque enim exiſtimo illos exoptauiſſe, per libros eiuſmodi poſteris innoteſcere, cùm neglexerint ſcriptis exactioribus ſuam commendare ſententiam.

Eorum igitur qui ſcripſerunt, alij quidem nihil ulterius compoſuerunt, quàm collectionem aut tranſcriptionem quandam eorum quæ antiquiores iam compoſuerant: ſicut Euclides, & Democritus, & Proclinus. Alij vero exigua valde ex antiquorum hyſtoria memoriæ commendantes, ſecundum eoſdem locos: atque illi libros componere ſunt aggreſsi, uelut Amnius, & Medius, atque Phebion. Hic ſanè ex ipſa orationis diſpoſitione magis quàm ex ſolo mentis conceptu gloriam ſibi cenſuit comparandam: quibus Heliodorum quoque adnumerare licet: qui & ipſe præter illa quæ ab antiquioribus audita fuerant, nihil plus omnino ad diſtinctam orationis ſtructuram contuliſſe uidetur. Plotinus autem & Gentilianus Amelius propoſitionum copia referti ſunt, quas ſtudioſe pertractant, ſcribendiq́ue munus ſeriò elegerũt, proprio quodam more contemplationis utentes. Et Plotinus quidem, ut uidetur, principia Pythagorica ſimul atque Platonica certius quàm priores expoſuit. Et profectò Numenij, Cronij, Moderati, Traſylli ſcripta, ubi Plotinus de eiſdem ſcribit, nulla ex parte propè ad

exactam diligentiam eius accedunt. Amelius autem ueſtigia quidem Plotini obſeruare conſtituit, multaque illius inuenta ſectatur. Verùm dum in rebus explicandis prolixior eſt, & interpretationis ambitu latiore uagatur, contrariam Plotini induit formam. Horum uerò duntaxat libros conſideratione dignos exiſtimamus. Cur enim cæteros quiſpiam ſectari contendat, dimittens interea illos inueſtigare à quibus hi accipientes hæc ſuis literis mandauerunt: ipſiq; nihil his adiunxerunt, ac nedum præcipua rerum capita, ſed nec argumentum quidem ullum. nihil igitur vlterius curauerunt, quàm quæ plurimorum fuerant congregare, uel multa diſcutiendo eligere meliora. Iam verò per alia etiam effecimus idem: quemadmodum ubi Gentiliano quidem de iuſtitia apud Platonem poſita contradiximus, & ubi Plotini librum de ideis tractantem conſiderauimus: communem profectò noſtri illorumque amicum Tyrium dico Baſilium, qui & ipſe non pauca Plotinum imitando tractauit, atque Plotinum ipſum magis quàm uiam regulamque noſtram probans, libri cuiuſdam compoſitione conatus eſt opinionem de ideis Plotinicam ueriorem eſſe quàm noſtram: hunc inquam reſcriptione quadam oppoſita, mediocriter arguiſſe videmur: vt qui non rectè ſcilicet recantauerat. Nos profectò in his opiniones horum uirorum nõ paucas agitauimus, ſicut in epiſtola etiam ad Amelium in magnitudinem libri producta, reſpondente verò ad nõnulla, quæ ille Roma ad nos miſerat atque ſcripſerat: quam ipſe epiſtolam de more Plotinicæ philoſophiæ inſcripſit. Nos autem communi duntaxat inſcriptione libri contenti fuimus, librum ipſum ad Amelij epiſtolam inſcribentes.

LONGINVS ITERVM DE PLOTINI *præſtantia.*

IN his ergo Longinus confeſſus eſt omnibus ſui ſæculi ſapientibus Plotinum, Ameliumq; propoſitionum quæſtionumque copia præponendos, rationeq; contemplationis ſibi propria potiſsimum eos uti. Neq; inſtituta Numenij uindicare ſibi, eaue colere: ſed Pythagoreorum myſteria Plotinum ſectari conſtituiſſe. Sed opera Numenij, Cronij, Moderati, Traſylli operibus de rebus eiſdem Plotini quantum ad abſolutam pertinet rationem, inferiora eſſe cenſenda. Proinde cum dixiſſet Amelium per Plotini quidem veſtigia progredi, ſed nimia quadam expoſitionis prolixitate in oppoſitum Plotini deduci, mox mei memoriam fecit, Plotini familiaritatem nuper adepti, aitque: Communis autem noſtri illorumque amicus Tyrius illo Baſilius, nec ipſe quidem pauca ad exemplar Plotini tractauit atq; compoſuit. In his ſanè uerbis reuera Longinus indicat percepiſſe, me diligentiſsimè deuitaſſe Amelianas ambages à philoſopho nimium alienas, atque in ſcribendo Plotini formam fuiſſe complexum. Satis eſt ergo vir tantus, iudicioq; primus, hactenus inteſtimoniũ nobis adductus ſcribẽs talia de Plotino. Iá verò ſi tunc ad eum quando me aduocauit accedere potuiſſem, profectò nunquam contra reſcripſiſſet illa, quæ ſcribere prius eſt aggreſſus, quàm doctrinam ipſam diligenter examinaſſet. Sed quid nam mi hi nunc expedit (ut Heſiodi more loquar) circa quercum, petramq; loqui? Nempe ſi oportet ſapientum teſtimonijs vti, quis nam Deo ſapientior eſſe poteſt? Deo inquam, qui verè de ſeipſo dixit: Noui equidem arenæ numerum, mariſq; menſuram. Intelligo mutum, audio non loquentem. Apollo ſanè cum interrogaſſet Amelius, quonam Plotini animus emigraſſet, qui & Socratem uirorum omnium ſapientiſsimum iudicauerat: quanta rurſus & qualia de Plotino cecinit, audi.

TESTIMONIVM APOLLINIS DE *diuinitate Plotini.*

IMmortalem aggredior reſonare carminis hymnum, Ob amicum ſuauem, mellitiſsimos cõtexens uocalis citharæ modos, aureo pectine: Sed & muſas aduoco, ut communi uoce concinant omniſonis modis: & omnifarijs harmoniæ viribus. Qualem ſtatuiſſe chorum ob Æacidem feruntur immortalium furoribus, & Homericis cantibus. Sed eia Muſarum ſacer chorus, canamus in vnum conſpirantes, vniuerſi terminos cantus: In medio autem veſtrûm, ego Phœbus intonſus. Genie, vir prius, at nunc genij conſortio diuiniori accedens, ſolutus humanæ iam neceſsitatis uinculo: & ex membrorũ procelloſo turbine mente robuſtus ad exors alluuionis littus enatas feſtinans, procul à nefariorum turba: vt inſiſtas animi puri rectiſsimã viam: Vbi dei reſplendet fulgor: ubi fas puro in loco procul à nefaſto ſcelere. Et olim quidem ſalienti vt amaram deuitares vndam ſanguiſugæ vitę, triſtiumque vertiginum fluctibus in medijs: Surdoque tumultu frequenter à dijs apparuit tibi ex proximo ſignum: Frequenter tuæ mentis coniectus obliquis tramitibus ferri cupientes, ſuis immortales viribus ad recti curſus gyros, æternamque viam ſubſtulerunt: Crebros ſcilicet luminum radios tuis oculis inter obſcuriſsimas tenebras oſtendentes. Nec oculos planè tuos fallax occupabat ſopor: ſed à palpebris excuſſa graui macula caliginis, dum fluctibus ferebaris, multa oculis & venuſta contemplatus es, quæ nemo facilè vidit eorum hominum, qui ſapientiæ fuerunt indagatores. At nũc vbi ſolutus inuolucro es, & animæ genialis ſignum deſeruiſti, ad concilium geniale cõtendis,

quod

quod amœnis interſpirat auris: vbi amicitia eſt: vbi cupido viſu mollis, puræ plenus lætitiæ & ſemper riuis ambroſiis irrigatus à Deo: vnde ſunt amorum retinacula, & dulcis ſpiritus, & & tranquillus æther aurei generis magni Iouis: vbi agitant Minos & Rhadamantus fratres: vbi iuſtus Aeacus: vbi Plato, ſacra vis: vbi pulcher Pythagoras, & quicunque chorum ſtatuerunt amoris immortalis, quicunque genus commune cum beatiſsimis genijs ſortiti ſunt: vbi animus inter menſas lętitia ſemper hilareſcit. Ah beate quammultis exhantlatis laboribus ad caſtos genios abiſti, ad vitam ſtabiliſsimam prouectus. Siſtamus carmen, & orbem chori volubilem Plotini Muſæ gaudentes. At aurea mea cithara hæc habuit quæ diceret, æuum bene agenti.

SVMMA SVPERIORIS ORACVLI.

IN hoc oraculo continetur, Plotinum fuiſſe bonum, & mitem, & manſuetum in primis, atq; ſuauem, qualem & nos extitiſſe vera experientia comprobauimus. Rurſus vigilem extitiſſe, puroq; ſemper animo ad diuinum ipſum ſurſum erecto, quod quidem animo toto ardenter amauit. Item cunctis viribus ſtuduiſſe ex amara cruentæ huius vitæ vnda prorſus emergere. Hac igitur ratione, hoc beato lumine, cum ſæpe ſeipſum attolleret totâ mente ad primum deum mente ſuperiorem: perq; gradus omnes in Sympoſio à Platone diſpoſitos aſcenderet ad diuina, ipſi protinus coruſcauit deus ille, nec formam nec ideam aliquam habens, ſed ſuper intellectum vniuerſumq; intelligibile in ſe ipſo conſiſtens. Cui & ego Porphyrius ſemel appropinquaui, fuiq; coniunctus, cum annum ætatis octauum & ſexageſimum iam implerem. Appa*ruit* ergo *Plotino finis* ille quamproximus. Finis nanque Plotino ſignumq; erat, quo acie mentis intenderet propinquare, coniungiq; ipſi deo omnibus ubique præſenti. Quater autē dum *cum ipſo* verſarer, hunc finem eſt aſſecutus: non potentia duntaxat, inquam, ſed actu quodam ineffabili conſecutus. Præterea ſubdit oraculum: deos ſæpe Plotinum circumuagantem apprehendentes in rectum tramitem direxiſſe: dum uberrimos luminis diuini radios, oculorum eius luminibus benignè porrigerent: vt verè dictum ſit, Plotinum contemplatione intuituq; diuinitus rutilante libros ſuos compoſuiſſe. Iam verò ex intuitu intrinſecus & extrinſecus vigilante *inſpexiſſe* dicitur ab oraculo multa ſuis oculis atque pulcherrima: quæ quidem non facilè vllus philoſophiæ profeſſor *inſpexerit*. Contemplatio nanq; hominum humana quidem rurſum contemplatione præſtantior eſſe poteſt: ſed ad diuinam comparata notitiam, gratioſa quidem eſſe poteſt, non tamen valet penetrare profundum, quo ſuperi penetrant. Hactenus oſtendit oraculum, qualia Plotinus dum eſſet corpore circumſeptus peregerit, & quæ fuerit conſecutus. Poſt hæc vaticinatur Plotinum ſolutum corpore ad cœtum perueniſſe beatum, ubi regnat charitas, ſuaue deſiderium, lætitiaq;, & amor Deo coniunctus. Præterea cōſtitutos eſſe iudices animorum Minoem, Rhadamanthum, Eacum dei filios: ad quos ire Plotinū non quidem vt iudicaretur, ſed ut conuerſaretur, quibus cum alij quoque dij optimi cōuerſantur. Vbi etiam Plato & Pythagoras cæteriq; vitam agunt, quicunque firmiter immortalis amoris chorum conſtituerunt: ibidem Dæmones feliciſsimos ſuam habere progeniem. Item vitam illic agere feſtiua viriditate gaudioq; pleniſsimam, talemque perſeuerare factum diuina largitate beatum.

Diſpoſitio librorum Plotini per materias digeſtas ordine.

HActenus hyſtorico more de vita Plotini ſit dictum. Quoniam verò Plotinus nobis commiſit, vt ordinem, emendationemq; librorum ſuorum curaremus: ego autem & illi viuenti promiſi, & cæteris pollicitus ſum efficere: in primis quidem operæpretium fore cenſui, ne libros permitterem ita iacere permiſtim, ſicut deinceps ſunt temporis ſucceſsione compoſiti: ſed quemadmodum Apollodorus Athenienſis Epicharmi comœdias in volumina decem collegit: & Andronicus Peripateticus Ariſtotelis & Theophraſti libros diſtribuit in tractatus, ſūppoſitiones in vnum proprias colligens, ſic & ego quatuor quinquaginta Plotini libros in ſex Enneadas ſum partitus, occaſione perfecti numeri ſenarij, ſcilicet & nouenarij gaudens. Vnicuique verò Enneadi, id eſt, nouenario propria tribuens, ita ſimul cognata congeſsi, priora ſemper in ordine numeri, propoſita quæ ſunt leuiora conſtituens.

Prima igitur Enneas materias præcipuè morales continet.

Quid anima: quid homo
De uirtutibus
De dialectica
De beatitudine
Vtrum beatitudo in tēporis productione cōſiſtat
De pulchro
De primo bono cæteriſq; bonis
Vnde mala
De rationali exitu ex hac uita

Prima igitur vt dixi Enneas hæc continet, morales poſitiones potius comprehendens.

Secunda vero naturalia colligit, quæ mũdi ſunt, quæúe ad mundum attinent in ſe complectens: hæc verò ſunt.

De mundo
De circulari motu
Vtrum ſtellæ aliquid agant
De duabus materijs
De eo quod in potentia eſt, & quod in actu
De qualitate & ſpecie
De mixtione per omnia:
Cur quæ videntur procul exigua videantur
Contra putãtes mundi opificem eſſe malum: mundumque malum

Tertia quoque Enneas, quæ mundi ſunt continens, comprehendit ea quæ circa mundum conſiderantur.

De fato
De prouidentia primum
De prouidentia ſecundum
De eo qui nos ſortitus eſt dæmone
De amore
Quòd incorporea minimè patiantur.
De æternitate ac tempore
De natura contemplatione q; & uno
De diuerſis conſiderationibus

Has vtique tres Enneadas in vno corpore nobis placuit collocare. Iam verò in tertia Enneade connumerauimus materiam de dæmone nos ſortito: quoniam de eo communiter pertractatur. Atque eſt eiuſmodi prepoſitio, ſiue quæſtio illi conſiderationi conueniens, quæ hominum genituras inquirit. Similiter & de amore locus hic quoque patet. Tractatum verò de æternitate ac tempore, propter illa quæ de tempore diſputantur hic ritè poſuimus. Præterea diſputationem de natura, & contemplatione, & vno, propter ipſam de natura inſcriptionem hic placuit numerare. Quarta poſt hęc Enneas poſt libros de mundo, libros de anima cõprehẽdit.

Hi verò ſunt.
De eſſentia animæ primus
De animæ eſſentia ſecundus
De dubijs animæ primus
De dubijs animæ ſecundus
De dubijs animæ tertius, vel deviſu
De ſenſu atque memoria
De immortalitate animæ
De animæ deſcenſu in corpora
Vtrum omnes animæ vna ſint.

Quarta igitur Enneas omnes de anima ſuas materias habuit. Quinta verò habet quidem de intellectu. Habet etiam vnuſquiſque liber nonnihil de eo quod eſt intellectu ſuperius: ac etiã de intellectu qui animæ ineſt, atque de ideis: hæc igitur habet.

De tribus ſubſtantijs principalibus, ſiue principij rationem habentibus.
De generatione & ordine eorum quæ ſunt poſt primum
De ſubſtantijs cognoſcentibus atque ſuperiore
Quomodo à primo fiet quod eſt poſt primum atq; de vno
Quod intelligibilia non ſint extra intellectum: atque de bono
Quomodo quod eſt ſuperius ente non intelligat: quidue primò ſit intelligens: quidue ſecundò
Vtrum ſingularium etiam ſint ideæ.
De intelligibili pulchritudine
De intellectu, ideiſque & ente

Quartam igitur Enneadem atq; quintam in corpus vnum redegimus: Sextam verò Enneadem in vnum aliud corpus cogere placuit, ut ſcripta Plotini omnia in tria corpora redigantur: quorum primum quidem tres continet Enneadas: ſecundum verò duas: tertiũ denique vnã. Libri verò tertij corporis, ſed Enneados ſextæ ita ſequuntur.

De generibus entis primus
De generibus entis ſecundus
De generibus entis tertius
Quòd unum idemq; ſimul ubique ſit totum. primus.
Quòd vnum idemq; ſimul vbique ſit totum. ſecundus.
De numeris
Quomodo idearum extitit multitudo, atq; de bono
De libertate, voluntateque unius
De bono, vel vno

Libros igitur quatuor & quinquaginta in ſex nouenarios ita diſpoſuimus: inſeruimus autẽ in libros quoſdam abſque certo ordine commentaria: quoniam amici qui nos vrgebant ad cõmentandum, ea potiſsimum exigebant à nobis exponi, quæ maximè declaratione apud illos egebant: quin etiam capitula omnium ſecundum editionis librorum tempora fecimus, præterquam de Pulchro. Nam deerat hîc nobis notitia temporis. Verùm in hoc non capitula ſolũ, ſecundum uniuſcuiuſque libri modum expoſita ſunt, uerùm etiam argumenta quæ ſunt capitulorũ more cõnumerata. Nunc verò libros ſingulos percurrentes punctа etiam ſignaq; adhibere conabimur, & ſi quid uſquam in dictionibus erratum fuerit emendare, ac ſi quid aliud nos moueat, opus ipſum ſignificare poteſt.

MARSILII FICINI ELOGIVM EX PAVLO IOVIO XXXIII.

QVVM clariſsimi Græcorum Theodorus, Argyropylus, & Trapezuntius, veluti ex condicto inter ſe diſtributis operibus in traducendo Ariſtotele ad non obſcuram æmulationem verſarentur, vnus Latinorum Marſilius Ficinus diuinæ philoſophię amore incenſus, tranſferendi Platonis negotium ſuſcepit, atque perfecit, uſq; adeo feſtinata felicis ingenij fœcunditate, vt plerique in puſillo eius corpore, quod vix ſemihominem æquaret, tantam uim inuſitati ſpiritus, & tantas vtriuſque linguæ facultates vigere mirarentur: Nam eundem quoque inſatiabilis ſtudij tenorem ſecutus, Plotinum, Iamblichum, Syneſium, & Pſellum Platonicæ ſectæ nobiles authores latinos effecerat, hortante quidem Coſmo Medice, & mox tradita per manus ſummæ virtutis hæreditate, Petro filio, & Laurentio nepote ſuffragantibus. Ex ea ſiquidem ornatiſsimæ domus liberali diſciplina Ficinus honeſtis ædibus, peramœna villa, ſacerdotio, annuisque ſtipendijs, atque muneribus ſeſe adauctum, & cumulatè perornatum ſenſit. Contemnebat enim maiores opes vir minimè ambitioſus, & nitidæ, iucundæque vitæ ad bonam frugem percupidus, quum vnam ſtudiorum laudem ſpectaret, nec vllis vnquam contentionibus miſceretur, quòd rerum omnium, præterquàm vini ſubdulcis voluptates abdicaſſet, nulla quidem animi triſtitia, quum eſſet omnino lætiſsimus, ſed exactiſsima ratione ad tuendam valetudinem, ſicuti deprehendere licet, ex libris de *Triplici vita* editis. Adeo enim moroſe ſibi ad ſpem vitæ blandiebatur, ut ſæpe eadem die, quum aer incaleſceret, aut aliquo ſpiritu moueretur, capitis tegumenta permutaret. Sed quum ſodalium ſuorum acerba funera luxiſſet Laurentij, Hermolai, Politiani, Mirandulæ, qui vno anno perierunt, Landinique item, & Sauonarolæ, in Caregiana ipſius villa ſeptuagenario prouectior febricula interijt, diro quidem omine, quum eodem die, punctoque temporis, duo clariſsima Italiæ lumina Ficinum ipſum, & Paulum Vitellium ſummæ, inuictæque uirtutis Florentinorum Imperatorem aliquanto certiore inimicorum rabie, quàm noxa capitali ſupplicio damnatum, uis ipſa fatalis extinxerit: & tum eſſet in alpibus Ludouicus Rex Gallorum armatus irrumpens, ut ſingulas illuſtres domos, & ad unum ferè omnes Italiæ principatus euerteret.

INCERTI.

Mores, ingenium, Muſæ, ſophiæq; ſepulta eſt
Laus hic cum magni corpore Marſilij.

INCERTI.

En hoſpes, hic eſt Marſilius ſophiæ pater,
Platonicum qui dogma, culpa temporum
Situ obrutum illuſtrans, & Atticum decus
Seruans, Latio dedit: fores primus ſacras
Diuinæ aperiens mentis actus numine.
Vixit beatus antè Coſmi munere,
Lauriq; Medicis, nunc reuixit publico.

POLITIANI.

Mores, ingenium, Muſas, ſophiamq; ſupremam
Vis uno dicam nomine? Marſilius

ANDREAE DACTII.

Hic ſitus eſt magni ſacrum qui dogma Platonis
Marſilius patriæ tradidit & Latio.
Exuuias tellus, cœleſtes ſpiritus oras,
Diua ſed & terram fama polumq; tenet.

LATOMI.

Hic, hic Marſilius notiſsimus ille Ficinus
Totius Auſoniæ luxq; decusq; iacet.
In paruo ingenteis qui clauſit corpore dotes,
Imò non clauſit, ſed magis exeruit.
Quare etiam hac parua fama eſt auguſtior urna:
Ni tamen hæc potius, quem replet orbis erit.

EXHORTATIO MARSILII FICINI FLORENTINI AD AVDITORES IN LECTIONEM PLOTINI ET SIMILITER ad legentes.

PRINCIPIO uos omnes admoneo, qui diuinum audituri Plotinum huc accedi-tis, ut Platonem ipſum ſub Plotini perſona loquentem uos audituros exiſtimetis. Siue enim Plato quondam in Plotino reuixit: quod facilè nobis Pythagorici da-bunt: ſiue Dæmon idē Platonē quidē prius afflauit, deinde uero Plotinum, quod Platonici nulli negabunt, omnino aſpirator idem os Platonicum afflat atque Plo-tinicum. Sed in Platone quidem affiando ſpiritum effundit uberiorem: in Ploti-no autem flatum anguſtiorem: ac ne anguſtiorem dixerim, ſaltem non minus anguſtum, nonnunquam fermè profundiorem. Idem itaque numen per os utrunque humano generi diuina fundit oracula, utrobi-que ſagaciſsimo quodam interprete digna: qui ibi quidem in euoluendis figmentorum incumbat inuolu-cris: hic uerò tum in exprimendis ſecretiſsimis ubique ſenſibus, tum in explanandis uerbis quambreuiſ-ſimis diligentius elaboret. Mementote præterea, uos haudquaquam uel ſenſu comite, uel humana ratione duce, ſed mente quadam ſublimiore excelſam Plotini mentem penetraturos. Profectò (ut Platonicè lo-quar) cæteros homines rationales animos appellamus: Plotinum uerò non animum, ſed intellectum. Sic omnes eum philoſophi ſuo ſeculo præſertim Platonici nominabant. Atque utinam in myſterijs huius in terpretandis adminiculum Porphyrij, aut Euſtochij, aut Proculi, qui Plotini libros diſpoſuerunt, atque ex poſuerunt, nobis adeſſet. Spero tamen id quod admodum felicius eſt, diuinum auxilium in traducendis explicandisq; diuinis Plotini libris Marſilio Ficino non defuturum.

Sed iam cæleſtibus hinc auſpicijs & nos ad transferendum primum Plotini librum, & argumento breuiter exponendum, reliquosq; deinceps feliciter accedamus. Et uos Platonem ipſum exclamare ſic er-ga Plotinum exiſtimetis: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi undique placeo: ipſum audite.

A R G V M E N T V M

MARSILII FICINI FLORENTINI

IN PRIMVM LIBRVM PLOTINI *platonici.*

Anima rationalis media eſt inter formas diuinas atque naturales, neque ineſt corpori, ſed adeſt, & uitam ex ſe propagat, quæ ineſt corpori, ex qua & corpore fit animal unum compoſitum. Capitulum primum.

PER opportunè primus hic omnium nobis occurrit liber, in quo nos ipſos uelut in ſpeculo contemplemur, ne tanquam nimium curioſi aliena prius quàm noſtra quæramus. Docebit enim nos, id eſt hominem uerum, atque hoc ipſum quod ipſi propriè ſumus, non eſſe corpus: quia hoc utimur ut inſtrumento: non eſſe uitam omnino corpori propriam & addictam, quoniam hæc nobis cum brutis eſt communis: & quia ſæpe huic ipſa ratio per quam ipſi ſumus, aduerſatur & imperat, non eſſe quiddam ex corpore & propria eius uita compoſitum, eiſdem omnino de cauſis quas hic aſsignauimus. Hoc enim eſſe animal non *denique* ex anima rationali & uiuente irrationali coniunctum, quoniam ex indiſſolubili & diſſolubili unũ confici nequeat, ſed hominẽ eſſe animã, id eſt, ſubſtantiã incorporeũ rationalẽ ex diuino quidem intellectu exiſtentem, in ſe uerò conſiſtentem, corpori autem non inhærentem, ſed potius aſsiſtentem, atque ipſa ſui præſentia uitam hanc in corpore producentem, ex qua & corpore compoſitum animal appellatur. Animam uerò noſtram corpori quidem adeſſe, ſed non ineſſe, ſic breuiter oſtendemus. Tria formarum genera ſunt. Infimæ quidem formæ ſunt naturales, ſupremæ uerò diuinæ, mediæ aut rationales animæ. Naturales formæ, ut elementorum atque mixtorum, *dicuntur* & adeſſe materiæ, quantum eam afficiunt, & in eam nonnihil efficiunt: dicuntur & ineſſe materiæ, quantum unà cum ipſa formæ ſimiliter patiuntur. Sed formæ diuinæ, id eſt diuinus intellectus mundi artifex, rerumq; ideæ, id eſt primi diuinæ intelligentiæ actus, & exemplaria rerũ, neque materiæ inſunt: alioquin ne fingi quidem poſſet quicquam à materia ſeparatum: rurſus neq; materiæ adſunt. Non dico procul eſſe à materia ſecundum locum: nam proculdubio ſunt ubique: ſed non adeſſe ſecundum ullam naturæ cognationem, affectumq; aliquem ad materiam. Quis enim intellectum diuinum non animaduertat ab omni materiæ commertio eſſe ſecretum? quando & intellectus humanus non aliter actionem intelligentiæ propriam, quàm ſeipſum à materia ſegregando expedire poſsit atque perficere. Inter formas igitur naturales quæ materiæ adſunt ſimul & inſunt, ac formas omnino diuinas, quæ neque inſunt, neq; etiam adſunt, extare oportet mediam formæ naturam: quæ materiæ non inſit quidem, ne cum materia patiatur, ne patiendo cum ea imperfectè agat in eam: ne imperfectè agendo uſque ad uitæ uigorem hanc ipſam formare non poſsit, adſit autem materiæ, id eſt naturali prouidentia faueat, & foueat quodam affinitatis amore, fouendo formet, atque uiuificet, uiuificando humanum pariat animal, homini, id eſt animæ ſubditum generanti. Talem eſſe rationalem animam perſpicuè conſtat, non ineſſe quidem apparet, ubi corpori repugnat & imperat: apparet etiam & adeſſe, ubi corporis coniugium naturaliter amat. Habet aliquid proprium, ubi ratiocinatur, id eſt motu quodam & tempore ab effectu ad cauſam argumentationibus ſuis aſcendit, iterumq; deſcendit: & ubi propoſito fine, & uiarum inuenta diuerſitate, de illarum electione conſultat. Tota quidem hæc facultas, ratio, cogitatio, conſultatio, maximè hominis propria nominatur. Habet iterum aliquid cum intellectu diuino quaſi commune, intellectum ſcilicet non diſcurrendo, ſed intuendo ueritatem aſsiduè contemplantem: cuius quidem intuitu ſtabili uaga rationis diſcurſio regitur: illinc exordiens, illuc denique deſinens. Habet aliquid & aliquid quaſi commune cum bruto, imaginationem, id eſt ſenſum animæ intimum atque ſimplicem ſenſuumq́e ſequentium iudicem. Proinde ipſa uis media, quæ diſcurrit, qua ratione diſcurrit cogitatio, ſimul ratio conſilium nominatur: qua uerò diſcurrendo exordia ſumit ab intellectu intelligentia, ſapientia, ſcientia dicitur: ſed qua ab imaginatione curſum incohat coniectura, fides, opinio nuncupatur. Hæc ſubſtantia his tribus prædita uiribus anima propriè à Platonicis nominatur: & quatenus ſic affecta eſt, ut uitam quandam in corpus effundat humanum, nominatur & homo. Eſt autem hæc anima propriè. Vita uerò hinc

eſſuſa propriè animatio & uiuificatio dici debet: communi tamen licentia freti illam quidem animã dicemus primam, hanc uerò ſecundam. Atque à prima eiuſq; uiribus ſecundam uiresq; eius oriri. In prima quidem ab intellectu ratio, à ratione imaginatio proficiſcitur: in ſecũda uires quoque tres præcipuè ſunt, imaginatio, id eſt, communis quidam ſenſus: deinde ſenſus exterior in partes quinq; diuiſus: poſtremò potentia genitalis, quæ & natura uocatur, generationis argumenti, nutritionis origo. Imaginatio quidem in anima ſecunda atque animali. Ex ea enim & corpore animal fit humanum, repræſentat primæ animæ intellectum: ſenſus exterior rationem: Natura denique uegetalis imaginationẽ primæ animæ refert. Imaginatio rurſus quæ animę prioris eſt infimũ, diſcreta dicitur phantaſia, & non nihil de particulari ſubſtantia iudicat: ac propius ſequitur rationẽ. Imaginatio uerò quæ ſequentis animæ, animalisq; tenet ſummum, confuſa dici phantaſia ſolet, & accidentia ſolũ percipit, plurimumq; inſtinctu ducitur naturali. Proinde ſenſus omnis in hoc animali, & ad externa ſenſibilia pertinet, & ad paſsiones corpori ab externis illatas, quas perſentit proximè, propriq; corpore patiente compatitur. Senſus autem, id eſt, imaginatio ſuperioris animæ nõ ad ſenſibilia, ſed ad ſubiecti animalis ſenſus ſeſe dirigit: non paſsiones corporis proximè ſentit, ſed compaſsiones ſen ſuum ſtatim animaduertit: & omnino circa imagines, actiones, paſsiones, ſenſus inferioris uerſari ſolet: neq; pernitioſam inde ſuſcipit paſsionem, ſed affectu quodam erga illum paterno ſæpiſsimè tangitur. Hactenus communis quædam in totum librum argumenti ſit forma.

Diuiſio libri in partes treſdecim.

Diuidimus autem librum totum in capita, uel capitula treſdecim: ſed uſque ad ſeptimum inquirit tantùm: in ſeptimo quæſtiones incipit definire, ſed deinceps inueſtigat pariter & definit. In primo igitur capitulo ubi perturbationes ſint, primùm inſtituit indagandum. Secundo ubi actiones effectuſq; eas præcipuè comitantes. Tertio ubi cogitatio & opinio. Quarto ubi intelligentia. Quinto quid ſit hoc ipſum quod de his conſiderat. Sexto quod & primum eſſe nulit, ubi ſit ſenſus. Quærens autem ubi hæc & cuius ſint, interrogat, nunquid animæ ſimplicis, an animæ utentis corpore: an cuiuſdam ex utriſque commixti, an fortè miſturæ. Inquiſitio uerò hæc & ſequentes eò tendunt, ut quid homo ſit, quid animal, tandem inueniatur. Hoc igitur eſt libri propoſitum hic & ordo.

Idem eſt anima rationalis, atque ipſa natura rationalis animæ, quæ & ſi ſeparata eſt ſecundum eſſe à corpore, producit tamen uitam coniunctam corpori in uno animalis eſſe: Ideo Plotini opinio inter Alexandri & Auerois opinionem media eſt. Cap. II.

IN ſecundo libri capite ſic exorditur: Si anima ſit forma ſimplex in ſe conſiſtens, eam neque paſsiones ullas, neque ea quæ paſsiones uel antecedunt uel ſequuntur, ſuſcipere. Sin autem ſit uel quiddam ex materia formaq; compoſitum: uel forma quædam propria pars compoſiti, eam facilè talia ſuſcepturam. Vbi notabis quod ait: Si aliud anima ſit, aliud ipſum eſſe animæ: legi poſſe, non ſolùm ipſum eſſe animæ, ſed etiam ipſum eſſe animam. Atque idem prorſus apud Plotinum ſignificare. Anima quidem ſignificat animam hanc quodammodo demonſtratam, uel euentu compertam, quæ qualiſcunque ſit, alicubi uel aliquando præſens adeſt. At ipſum eſſe animæ, uel ipſum quod eſt eſſe animam, ſignificat ipſam animæ naturam (ut ita dixerim) ſpecialem. In qua quidem nec ulla ad integram animæ eſſentiam neceſſaria deſint, neque ſit aliquid ſuperuacuum. Vult autem eſſe idem. Quod in libro de Voluntate Dei declarat, dicens: Idem eſt anima, atque ipſum quod eſt eſſe animam. Siquidem anima eſt forma ſimplex, neque de alio dicitur. quaſi dicat: neq; circa compoſitum, neque circa formam compoſiti propriã, quę & ipſa quodammodo compoſitũ quiddam eſſe uidetur: dici debere, idem eſſe rem hanc, ipſumq; rei eſſe, uel ipſam rei huius eſſentiam. Aliud enim eſt hic homo, aliud ipſa humana natura: ipſi nanque naturæ neque quicquam deeſt perfectionis humanæ: neque ſuperuacuum aliquid accidit. ſed in hoc homine & ſunt quædam homini minimè neceſſaria, & (ut Platonicè loquar) quia inſunt quædam ab homine nimium aliena, iccirco hic homo ab ipſa idealis rationis integritate degenerat. Formæ autem à materia ſeparatæ, quæ & ſimplices ſunt, & in ſe ipſis exiſtunt, nihil idealis rationis amittunt, nihil ſubeunt alienum. talem eſſe rationalis animæ ſubſtantiam arbitratur. Quod in libro de Animæ immortalitate demonſtrat Et in libro de Beatitudine ſignificat dicẽs: Animã non eſſe compoſiti partem, teſtatur ipſa eius à corpore ſeparatio. Tu uerò ſeparationẽ intellige dupli-

duplicem. Vnam per moralem philoſophiam, qua ſe à perturbationibus corpori ſeruientibus ſegregat: Alteram per contemplatiuam, qua ſe à ſenſibus & imaginatione ſeiungit. Profectò anima quia non ſit pars compoſiti, ideo in ſeipſam primasq; cauſas conuerti poteſt, & compoſita quælibet uſque ad partes ſimplices, & illas iterum ad ſimplices formas in ſe ipſis iam exiſtentes, ritè reſoluere. Hanc Plotini ſententiam inter Alexandrum & Aueroem eſſe mediam eſt compertum. Alexander enim, intellectualem naturam eſſe poſſe uitam corporis propriam confitetur: Auerois autē neque uitam corporis eſſe concedit: neque ullam corpori uitam infundere: Plotinus denique intellectualem naturam eſſe quidem uitam corporis familiarem negat, concedit tamen, familiarē quandam ſua præſentia uitam in corpora propagare, ex qua & corpore non homo, ſed animal conficiatur humanum. Tu uerò quid homo, quid animal, non in hoc tantùm libro, ſed in libro etiam quomodo idearum extitit multitudo inueſtigare memento. Vbi dicit: ſenſus uel ſpeciem uel corpus impaſsibile percipit, utranque opinionem de ſenſu complectitur: Nam alij ſenſum accipere uolunt incorporeas duntaxat imagines: alij res quaſdam corporeas quidem, tales tamen, ut ubi ſuſcipiuntur à ſenſu, modò ſit rectè iudicaturus. neq; ipſæ interim patiantur, id eſt, ex eo quòd ſunt tranſmutentur à ſenſu, neq; ſenſus ab illis ſimiliter patiatur.

Anima rationalis & ſi in ſe ipſa conſiſtit, quodammodo tamen uergit ad corpus, quod intellectuali ſubſtantiæ minimè conuenit. Cap. III.

QVoniam uerò animam ſignificauerat in ſe ipſa conſiſtere, nequis putet propterea nihilo à mente differre, adiungit, animam, & ſi exiſtit in ſe, ſicut & mens, tamen ſouere corpus, & fouendo formare, atque uita replere: quod ſanè mens ipſa non efficit. Deinde animam ait, uiuificato iam corpore uti uelut inſtrumento quodam naturali, ſcilicet, & coniuncto. Poſt hæc inueſtigat, nunquid dum corpore utitur ut inſtrumento, idem ſenſus paſsiones q; ſuſcipiat, paulatimq; eò declinat, ut nō ſuſcipiat: quia uidelicet utatur corpore non tanquam inniteus corpori, ſed tanquam regens: Tum uerò ſignificat animam & natura eſſe à corpore ſeparabilem, & per philoſophiam id re ipſa potiſſimum comprobari: demum quærit, ſi quo modo coniuncta ſit corpori, quomodo coniungatur. Nanquid tanquam quędam corporis temperatio: an quia ipſamet per corpus totum ſeſe propaget: aut quia ſit forma in corpore iacens: aut ſpecies illi præſidens: aut partim quidem ſeparata, quatenus utentis uicem gerit, ut rationalis anima: partim coniuncta, quatenus eſt inſtrumentum uiuum utenti ſubiectum, id eſt, uita ratione carens, animalq; ex ipſa ſimul & corpore conſtitutum. Debet uerò philoſophus & inſtrumentum hoc ad utentem conuertere rationem, ut ei libentiſsimè pareat, & rationem ipſam etiam ab hoc uſu reuocare, quoad fieri poteſt, ad contemplandum.

Animam non commiſceri corpori ratio duplex oſtendit.
Caput IIII.

IN quarto libri capite hos modos exequitur, dicens: Si anima ſit miſtura quædam uel forma in corpore iacens, ſicut non ipſa erit propriè, ſed compoſitum ipſum erit: ita neque ſentiet, uel aget, uel patietur, ſed compoſitum: ipſa uerò, ut ita loquar compatietur. Sin autem ſit eſſentia ſuum in ſe eſſe poſsidens, non mixta, non iacens, ſed & ſua tantùm largitate explicans ſe per corpus, & præſentia ſola uiuificans nullas unquam corporis paſsiones admittet: fermè, ſicut neque lumē aeris paſsiones. Ii uerò non eſſe cōmixtam corpori, & ideo neque iacentē, duplici ratione demonſtrat. Prima: Si anima quæ eſt ipſum corporis uiuificādi principiū, corpori miſceretur, prorſus inficeretur tanquā deteriori permixta, caderetq; à uita eo ipſo tempore, quo uiuificatura foret: quamobrē non perfectè uiuificaret atque formaret. Vita ſane corpori iam uiuenti permixta, non tam uita quàm uiuificatio quædam eſt in eo per modum paſsionis accepta, per modum uerò actionis ad uitam ipſam pertinet ſeparabilem: Sicut forma quęlibet in materia formatio quædam eſt, paſsioq; materiæ ex efficaci quadam formæ ſeparatæ actione dependens: & lumen in aere potius illuminatio quædam eſt, quàm lumen: igitur perfectè uiuificare, formareq; corpus, neque eſt officium imperfectæ huius uitæ iacentis in corpore: neque puri inſuper intellectus. eſt igitur animæ intellectualis, rationalisq; officium. Secunda ratio: non commiſcētur in unum, niſi quæ & in communi materia inter ſe conueniunt, & genere congruunt: Anima uerò præſertim intellectualis, magis à corpore diſtat, quàm ab albedine linea. at hæc duo minimè commiſcentur: Ergo neque anima corpori permiſcetur.

Niſi cognoſcatur quomodo anima coniungitur corpori, non cognoſcetur quæ actiones uel paßiones ſint animæ propriæ, & quæ compoſitæ.
Caput V.

QVoniam opinionem Ariſtotelicam tetigit dicentem, paſsiones & affectus non tam eſſe animæ quàm animalis, curſim oſtendit eſſe difficile dictu, quomodo hæc coniuncti, uel communis, id-eſt totius ſint animalis. Siue enim dixeris per ſenſum hæc à corpore in animam, atque in totum progredi, nondum patuit quid cuiúsue ſit ſenſus: ſiue ab anima per opinionem uel iudicium quoddã in corpus totumq; deſcendere nondum conſtitit, quidnam cuiuſue opinio ſit. Item appetitus boni communis, ſcientiæq;, & gloriæ ſempiternæ animæ ſolius eſſe poteſt. Rurſus opinio mali non neceſſariò dolorem agit, ſcilicet in corpore tali, atque uiuente. Sic neque opinio uel contemptus, iram uel alicuius boni concupiſcentiam in tali corpore neceſſariò prouocat. Proinde ſi dicantur perturbationes eſſe ipſius concupiſcendi & iraſcendi potentiæ, hanc uerò uim in compoſito eſſe fundatam, atque ita perturbationes eſſe compoſiti: hoc inſuper Plotinus ſimiliter agitat.

Deniq; ſi afferant Peripatetici affectus eiuſmodi, tum ad uim concupiſcendi & iraſcendi, tum ad coniunctum, ſed aliter atque aliter pertinere: hoc ſimiliter adducit in dubium, ſignificans ambiguitatem eiuſmodi ex eo potiſsimum nobis accidere, quia nondum quomodo anima corpori coniungatur, & quomodo animal compoſitum fiat, compertum ſatis habemus.

Si dicatur animam rationalem eſſe compoſiti animalis partem, dubia non ſoluentur. Cap. VI.

IN ſexto capitulo ſolutionem ad præcedentia dubia Peripateticam adducit in medium. Aiũt enim, Cum in animali ipſum eſſe ſit non partis, ſed totius, meritò ad totũ actiones paſsionesq; propriè pertinere: ita uidelicet, ut anima quidem & animalis potentia id ſit, quo animal agit, animal autem ſit præcipuè quod agit & patitur. Plotinus id fortè manifeſtum in actionibus paſsionibusq; in externam materiam tranſeuntibus eſſe cõceder: at uerò circa ſenſum qui intrinſecus eſt, & circa uitam quæ eſt intima, dubitandũ ait, cur non anima ſentiat atque uiuat. Tota uerò eiuſmodi cõtrouerſia, ut dicebam, eò tendit, ut intelligamus ambigua declarari non poſſe, niſi conſtet prius, quomodo anima ſe habet ad corpus, corpusq; ad animam: quidue perſeueret ſimplex, quid autem & quomodo componatur. Hactenus ut in principio dixi, quæritur tantùm, nihil autem interea definitur.

Anima rationalis in ſe conſiſtit, actionesq; rationales proprias habet, & ſenſum quendam paßionis expertem: producit autem in corpore uitam irrationalem, cuius ſenſus circa corporis paßiones uerſatur.
Cap. VII.

IN ſeptimo capite paulatim incipit definire, ſententiamq; propriam affert: quam eſſe præcipuè ueram ex eo patere uult, quòd non aliter quàm hac poſita dubitationes de anima ſolui poſsint. Et profectò niſi quis ita diſtinguat, difficillimè aſsignare poterit rationes, partim diuinitatis noſtræ, partim eorum, quæ à diuinitate in nobis aliena uidentur. Neque Platonis tantùm & Pythagoræ hæc ſententia eſt, ut ex Timæo patet, atque Aegyptiorum, quod docet Iamblichus, uerùm etiam Ariſtotelem ita ſenſiſſe Themiſtius aſſerit. Hæc autem ſententia eſt: Duas in nobis eſſe uitas, quarum ſecunda ſit à prima, eiusque imago: ſed prima in ſe ſubſiſtens, ſecunda inhærens corpori: Prima ſit totum in ſe quiddam, ſecunda ſit pars compoſiti, ſcilicet animalis huius, quod primæ ſubeſt uitæ. Eſſe quandam inhærentem corpori uitam nemo dubitat: præeſſe uerò alteram huic in ſe ſubſiſtentem ratio probat, uitam aſſerens in alio iacentem, uelut imperfectam à perfecta uita pendere. Sic & intellectum in anima ſitum ab intellectu in ſe ipſo uigente, ac bonum in intellectu ab ipſo bono in ſe conſiſtente manare. Proinde intellectuale bonum ab ipſo ſimpliciter bono non tantùm fieri, ſed etiam conſeruari, neque inde ſecerni. Similiter intelligentiam infuſam animæ ab intellectu puro & fieri & ſeruari, neque inde diſiungi: Eadem ratione uitam ſiue animam corpori mancipatam produci, ſeruariq; à uita, id eſt anima ſemper in ſe manente, eiq; contiguam permanere: ac uelut ſolis radium inde quidem ſuo ſoli continuari, hinc uerò

rò contingere ſubiectum atque formare. Quamobrem uita prima, quaſi forma quædam eſt animalis: ſecunda uerò forma corporis naturalis inſtrumentis præditi ad animalis uſum accommodatis: quod & Ariſtoteles ait: & poſtquam animam appellauit formam ſiue actum, ſubiunxit, aliter eſſe actum intellectualem animam, aliter uerò aliam. Sed ut redeamus ad noſtra: hac Plotinus diſtinctione propoſita, ſenſum quidem cum paſſione tribuit animali: ſenſum uerò animæ accommodat paſſionis expertem, rurſus eidem animæ rationis diſcurſiones aſſignat, ſiue declinent ad ſenſum, ſiue ſurgant ad intellectum: reliqua uerò huius capituli per ſe diligenter conſideranti patebunt.

Anima rationalis copulatur per intellectum ſuum menti diuinæ, per illam Deo: ſic & irrationalis uita animæ rationali ſubnectitur. Intellectus autem & proprius eſt, & communis. Cap. VIII.

Octauum uerò caput inquirit quomodo anima ad omnia tum ſuperiora, tum inferiora ſe habeat: ſed primò quo pacto ad intellectum diuinum animarum rationalium patrem, qui ſic fermè præſidet animæ, ſicut hæc animali. Scito autem ipſum unum, ſiue ipſum bonum, quod & ſummus eſt Deus, nullum habere reſpectum: intellectum uerò boni filium apud Plotinum duos ſaltem reſpectus habere: primum prout eſt ab uno atque ita & ipſum eſſe unum: ſecundum prout exiſtit in ſe: itaque in multitudinem idearum deriuatur: quas tamen omnes actu unico ſimul habet & conſpicit. Animam deinde tres iam habere reſpectus. Ab intellectu enim cognoſcendi uim habet, ſed hæc ipſa uis ut proximè ex intellectu pendet, ipſa quoq; eſt intellectus, ſemperq; patri continua, ſub illius forma actuq; ſemper cuncta ſimul intelligit: ut autem pro natura animæ capitur, iam tempore quodam, & à potentia in actum ſucceſsione diſcurrit: ratioq; & cogitatio nuncupatur, ſicq; rerum ſpecies uidetur inter ſe diſiunctas habere: denique ut uergit ad animal, ex uniuerſalium ratione ad particularium imaginationem iam deſcendit. Sed hæc animalis uita quatuor reſpectus ſubire uidetur. Prout enim ab anima, uelut imago à ſubſtantia pendet, imaginationem habet: prout in ſe aliquid eſt, in ſenſuum multitudinem deriuatur. Quantum regit corpus, uitalem uim exercet, quantũ adhæret corpori, parsq; animalis euadit, paſſionibus obnoxia redditur. Vita igitur hæc eſt forma corporis: anima uerò potius animalis eſt forma: intellectus forma animæ: Deus quodammodo ipſius intellectus eſt forma, ſemperq; deinceps gradus inferior ſub actu ſuperioris gradus quaſi formæ cõſiſtit & agit. Proinde intellectus ipſe diuinus tum communis dicitur, quantum ipſe indiuiduus totusq; eſt ubique, tum proprius, quantum à ſingulis animabus, ſingulis quoque proprijsq; modis accipitur. Vnde & diuerſi apud alias animas modi ratiocinãdi ſequuntur: modi quoq; imaginãdi diuerſi. Intellectum uerò qui iã eſt forma quædã in anima non ſolũ præſidens, ſed & inſita, nemo dixerit eſſe cõmunem. Oculi ſanè multi multas referunt animas: multi præterea uiſuales radij oculis naturaliter inſiti uarios intellectus animabus naturaliter inſitos repræſentant: Vnũ uerò cõmune ſolis lumẽ ubiq; præſens intellectũ prçfert diuinũ animarũ intellectuumq; patrẽ. Lux tandẽ una Solis in ipſo Sole cõſiſtens, ipſum bonũ mẽtis patrẽ nobis oſtẽdit. Intellectus igitur animabus ingeniti & ſi non unus ſunt intellectus, ſunt tamen unum ſcilicet, unum ſecundum eſſe intellectuale, redditum actu intelligens ab uno mentis illius lumine: in quo uelut in communi forma obiectoq; ſunt unũ, quamuis etiam ſint pro animarum multitudine multi. Sicut etiam & uiſuales radij ſeu uiſus pro numero oculorum numerati ſunt, neque ſunt unus, ſunt tamen unum in uno lumine inuicem concurrentes: maximè uerò uiderentur unum, ſi in ſe ipſis extarẽt, ſic ab oculis expediti, ſicut intellectuales animæ reſtant à corporibus abſolutæ. Hanc Platonis & Plotini ſententiam Themiſtius Ariſtotelis & Theophraſto accommodare uidetur, & Auicenna, Algazeleſq; ſequuntur: Alexander autem in hoc conuenit cum Plotino, quòd præter unum intellectum multos quoque nobis attribuit: diſcrepat uerò quòd hos multos aſſerit eſſe mortales. At Auerois cum Plotino conſentit, intellectũ omnem aſſerens immortalem: diſſentit uerò, dum unicum nobis aſſignat. Tu uerò accipe ab Alexandro quidem numerum intellectus humani, ab Aueroe uerò immortale omnis intelligentiæ munus, integramq; habebis Plotini noſtri ſententiam. Proinde ſcito, de natura intellectus maximè omnium credendum eſſe Plotino, quem ſemper intellectu uixiſſe, uita eius & geſta ſcriptaq; teſtantur. Id uerò nunc admoniſſe uolo, ne te Alexander Aueroiſq; perturbet. Concludit tandem nos, id eſt, hominem eſſe propriè animam diſcurſu utentem rationali, ſiue per uniuerſalia diſcurrat, ſiue per ſingula: quæ uerò ſuperiora uel inferiora ſunt ratione, eſſe noſtra. Illa quidem, quia nos ſemper inde pendemus: hæc autem quia ex nobis ipſa dependent. Subdit Platonis more, naturam quidem intellectualem, tum præſidentem nobis, tum inſidentem indiuiduam

eſſe:uitam uerò ad corpus uſque diffuſam dici diuiduam. Quia quamuis una totaq; ſit in quolibet membro,tamen afficitur ad diuerſa,uariocq; modo uiuificat uaria: atque in multis ſiue membris, uehiculisue ſimul, ſiue corporibus ſucceſsione uiuificandis anima rationalis non conficit ex ſe & corpore unum,ſed ex corpore & uita quadam illi tributa quaſi quadam animæ ipſius imagine. Denique docet aliam animæ uim deinceps ab alia dependere.

Peccandi cauſa eſt in anima irrationali noſtroq; animali:In anima uerò cõſenſio.Item rationalis circuitus medius eſt inter quietem motumq;rectum. Rurſus quomodo intelligentia & ratio ſe habeant inuicem, atque ad imaginationem.Item allegoria de Adam & Eua

Cap. IX.

SVperiores uerò diſtinctiones nos in nono capitulo docent, principium quidem peccatorum eſſe in animali, medium uerò in ipſa imaginatione ſuperioris animæ: quoniam uidelicet animalis inciramentis obſequitur,antequam ratio utrum proſequendum ſit, an fugiendum perſpicue iudicauerit. Hinc homo interior de homine exteriore coqueritur: Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem. Sed & ipſa ratio cum etiam circa res agendas uerſetur, debuiſſet iandiu imaginationem ſuam ſic inſtituere, ut minus temere properaret,animalq; domare: ipſaq; ſe ipſam ad intellectum direxiſſe prius,ac formauiſſe: Qui ſane intellectus circa ſingula quæ aguntur, ſe minimè uerſat: ideoq; omnino eſt procul à culpa. Sed nos id eſt,per rationalem uim actionemq; definiti aliquando peruenimus ad intelligibiles idealesq; rationes,ſpeciesq; rerum, quæ prius in mente diuina ſunt:deinde ſunt & in noſtra,plurimum uerò ad eas minimè ſurgimus. Tunc autem in ratione noſtra tantùm potentia ſunt: ſed in utraque mente ſunt ſemper in actu. Dixit rationis diſcurſiones nobis,id eſt,animę eſſe maximè proprias: quoniam cum media ſit inter diuina quæ ſemper manent, atque naturalia, quæ lapſu quodam motuq; recto à ſe ipſis quaſi digrediuntur, meritò motum diſcurſionemq; circularem habet inter motum rectum ſtatumq; propriè medium. Intelligentia etiam animæ propria dicitur,non tam quòd ex natura ſua ſit,quàm quòd intelligat abſque corporis inſtrumento. Sic anima etiam ſine illo ratione diſcurrit. Sed hoc ſaltem intereſt quòd diſcurſio argumentatioq; & ſi non ſit per corporis inſtrumentum,imagines tamen ſenſibilium aliquas ferè ſemper ante oculos habet. Motus enim naturaliter ad talia labitur: Intelligentia uerò neque corporis utitur inſtrumentis,neque tales ſpectat imagines. Ratio quin etiam quando ad intellectum penitus ſe conuertit, uniuerſalia ſine particularium imaginibus intuetur. Sed de his in Theologia noſtra latius diſputamus. Dum uerò hic uerbis Ariſtotelis utitur,ſignificat, Ariſtotelem in his à Platone minimè diſsidere. Addit rationis diſcurſum,intellectũ imaginationemq; uerſari,neque corporis paſsiones attingere,ſed quaſdam imagines paſsionum ſuo quodam ſenſu,id eſt,prima imaginatione uerſari. Item rationem, ſiue cogitationem eſſe quendam intelligentiæ actum. Eſt enim cogitatio uera,intelligentia quædam latius explicata: & modò intellectum attingens uniuerſales ſpecies intuetur: modò ad imaginationem uergens, perq; ipſam ad animal uniuerſales ſpecies ad particulares uſque deriuat:modò has cum illis comparans, quo conſentiant,quoue diſſentiant, diſcernit & iudicat. Ac ſi exordiatur ab intellectu, atque inde diſcedat, tunc ab uniuerſalibus deſcendit ad ſingula componendo. Sin autem ab imaginatione ſumat occaſionem,altiusq; reſurgat,à ſingulis aſcendit ad uniuerſalia reſoluendo.Hunc denique ordinem obſeruabis in anima, ut eam habere memineris ſpecies in mente & uniuerſales & ſtabiles. At in ratione ſpecies quidem uniuerſales, ſed quodammodo mobiles: in imaginatione uerò particulares iam atque mutabiles. Concludit paſsiones perturbationesq; & cauſas peccatorum propriè in animali conſiſtere:in anima uerò horum animaduerſionem & quandam ſæpe conſenſionem. Tu autem in Plotini uerbis allegoriam animaduerte Moſaicam: perſonas uidelicet duas, id eſt hominem ipſum quaſi Adam:& humanum animal inde tractum atque degenerans quaſi Euam. Adde & tractum ex anima dormiente. Hæc enim tunc animal ex ſe propagat, quando ex priſtina penes Deum uigilia ad naturalia labens,diuinorumq; oblita iam dormit & ſomniat. Itaque tunc uitam corpoream generat quaſi Euam. Conſidera & hanc primo peccantem,illum deinde conſentientem: ſed intellectum illi quaſi angelum præſidentem & mox increpantem, & angelo deum. Ac denique duo in carne conſidera,id eſt,duas quaſi in eodem corpore animas. Sed ita Moyſen Plotinus Origenesq; & Ammonius intellexerint, pergamus ad reliqua.

Quo-

Quomodo animal in nobis ad animam ſe habeat, & utrum uita ulla pereat.
Caput X.

CAput libri decimum docet quæ animalis noſtri propria ſunt, ad nos quodammodo etiam pertinere. Item in anima rationali eſſe uirtutes ratione quæſitas: in animali uirtutes conſuetudine cõparatas. rurſus uitam ab anima rationali tributam corpori, diſſoluto corpore non extingui, ſed animam ſuam fermè ita ſequi, ſicut lumen ſuam uidetur ſequi candelam. Idem ſenſerat & Numenius.

Quomodo anima ſe ad intellectum habeat per quem, ſcilicet ſemper intelligit, quamuis rationi id non ſemper animaduertat. Item de pueris atq; brutis
Caput XI.

POſtquã in ſuperiorib. diſſeruit quomodo nos ad animal, quod infra nos eſt, habeamus: nũc in undecimo capite, quõ ad intellectũ nobis, id eſt, ratione ſuperiorẽ. Ait ergo, intellectũ quidẽ noſtrũ agere ſemper in ſe circa diuinũ, & intellectione perpetua intelligibilia ſemper omnia cõtueri: quod quidẽ Aegyptiorũ inuẽtũ fuiſſe Iamblichus aſſerit. Quamobrẽ in pueris etiã idẽ agere. Arbitror uerò Plotinum illud ſic accepiſſe: paruulorũ angeli ſemper uident cœleſtis patris faciem. Nam & Ammonius atque Origenes more Platonico ſacras litteras interpretari ſolebant. Inquit autem: in pueris animalis uires ob neceſſariam corporis augendi fabricam intentiſsimè operari: atque circa caſdẽ uires idemq; miniſterium ſuperioris etiam animæ imaginationem plurimum occupari: minimas autem rationis ſcintillas in hæc emicare, utpote quæ ad oppoſita conuertantur. Subdit, rationis actũ ab his uacantem circa intellectum interim operari: quippe cum uis adeo efficax omnino uacare nõ poſsit. Verumtamen neque actum intellectus circa intelligibilia, neque rationis actum circa intellectum tunc à nobis agnoſci: quoniam imaginatio ſuperioris animæ propria, cuius miniſterio fit in nobis animaduerſio, cum ſit controuerſa penitus ad oppoſitum, non ſuſcipit intelligentiarum ullas imagines, quas ad rationis oculos ſpeculi more reflectat. quibus ita reflexis ratio ſolet, idecq; et nos ſolemus actiones intelligentiq; atque rationis animaduertere. Appellant autem imaginationem *hanc in nobis* medium. Eſt enim inter rationalia noſtra, & irrationalia medium, & quaſi medium utrinque imagines accipit. Quandoque etiam rationem nuncupat medium: eſt enim animæ mediũ Imaginatio uerò eſt medium aggregati, quando ſcilicet, aliquid ex homine animaliq; fingimus cõgregatum. Per hæc autem duo media fieri animaduerſio ſolet. Imaginatio enim quaſi reflectit imagines: ratio uerò reflexionem ſagaciter apprehendit. Proinde poſt quæſtionem de pueris, meritò de brutis inquirit: quaſi de rebus quantum apparet propè ſimilibus. Vult ſanè ubicunque eſt uita ſic unita corpori, ut ex ea & corpore unum commune animalis eſſe reſultet: adeſſe inſuper opertere uitam in ſe ipſa manentem, cuius uirtute altera uita quaſi uiuificatio quædã ſuppeditetur, continucq; ſeruetur: ſicut motio à motore, lumenq; ſemper à luce ſubgeritur: qm̃ in unoquoq; genere imperfectũ continuè à perfecto dependet. In brutis igitur minus ſagacibus uirã ab ipſa ſphæræ anima, ſicut & plantis opinatur infundi: beſtijs uerò perfectioribus & nonnihil præferentibus rationis, non ab anima tantùm ſphærq; quamuis rationali, ſed & ab alia quadã etiam rationali magisq; propinqua uitã ſuppeditari. Quæ quidẽ anima cũ ab intelligibili mundo lõgius iã cogitatione affectuq; quaſi diſceſſerit, atq; ita deliquerit, multumq; rationis amiſerit, accõmodata iã diciturad uitam animali minus rationali ſubminiſtrãdam, ſed ipſa interim dicitur eſſe præſens neq; tamẽ adeſſe præſens quidẽ quantum præſtat uitam: adeſſe uerò nequaquam: quia non exequitur ibi conſuetum rationis officium, quamuis in ſupernis intelligentiam exequatur: atque ipſa animæ rationalis ſubſtantia in ſe conſiſtit, neque ſit pars compoſiti. Quod ultimum & Proculo placuit, & antè Porphyrio neganti rationalem hominis animam fieri propriam bruti animam, concedenti tamen ſagacium animalium animas nonnihil rationis habere, ſemperq; uiuere. Idem quoque tentauit & Origenes, nempe cum auduret, dæmones tum hominibus frequenter inſinuari, tum in porcos aliquando mitti, auſus eſt & animas hominum in animalia mittere fortè purgandas. Sed hæc ipſi uiderint. Animaduertendum uerò, *Plotinum* hic ſuum hac in re iudicium temperare, cùm dicit: *Si ſunt animæ noſtræ in brutis.* Item ubi dicit, ut fertur ſcilicet ab Aegyptijs. Rurſus dum addit, quæ peccauerunt: quaſi dicat, purgatorij loco. Denique cum negat, eam fieri propriam bruti formam, partemq; compoſiti. Sed opinionem hanc in ſequentibus emendabimus. Et omnino quomodo Platonica dicta purganda ſint in libris Theologiæ noſtræ præſertim ultimis declarauimus.

In anima rationali neq; propriè peccatum eſt, neque pœna: ſed in uita irrationali, quæ eſt imago animæ, quæ anima hinc abeunte quamuis non ſit ulterius imago, eſt tamen quidam uitalis actus animæ radicitus inſitus. Cap. XII.

CApitulum duodecimum circa dicta dubitationes mouet, ſoluitq; dicendo in ipſa animæ eſſentia propria, neque peccatum eſſe, neq; pœnam, quia ſit forma ſimplex in ſe ipſa conſiſtens, è proprio ſtatu minimè cadens: ſed in uita potius inde manante, & in animali proprie, quòd ex hac uita corporeq; cõponitur. Ait uerò alibi peccare animã, alibi nõ peccare: peccare quidẽ, id eſt, intentionem ad ſuperiora prius conuerſam aliquanto remittere: non peccare autem, id eſt, neque amittere naturalia, neque aliena intus admittere. Tum uerò declarat quomodo animalis generatio fiat, id eſt, quando in corpus certa conditione iam affectum uita quædam reſultat ab anima: idq; eſſe naturale aliquid, neque peccatum, neque ſic animam propriè cadere, ſed annuere atque fouere. Præterea uitam hanc quæ eſt & actus & imago quædam animæ, quando hinc abit anima non perit equantum eſt actus animæ, ſed deſinere ulterius imaginem eſſe: perinde ac ſi à uultu imago fiat in ſpeculo, atque diſcedente uultu reſtet quidem actus quidam in uultu, uigorq; emicans imaginis efficax, ſed nõ teſtet imago. Tunc uerò hic actus animæ deſinit eſſe imago, quando & deeſt præparatum corpus ad imaginem reſultandam, & anima ad intelligibile tota conuertitur: neque tamen actus eiuſmodi ceſſat quantum eſt uitæ uigor, ſicut & amputata manu non deſinit ipſe uiuificus actus, qui & manum iterum ſi inſtauretur eſt æquè recturus: ſicut in repullulantibus capillis apparet. Memẽto Numenium Plotinumq; putauiſſe, nihil uſquam uitæ perire: quia uita ſit quidam æternitatis, id eſt primæ intelligentiæ ſplendor, & indiſſolubile uinculum uniuerſi.

Anima rationalis per ſe ratiocinatur, non per corporis inſtrumentum. Intelligit quoque per intellectum proprium: Intelligit etiã per communem, qui quaſi forma quædam eſt proprij cuiuslibet intellectus. Cap. XIII.

CApitulum tertium decimum declarat quod ultimum penè fuerat in quæſtione propoſitum, ſcilicet, quidnam ſit quod de his conſiderat in præſentia. Aſſerit autem non compoſitum quiddam de his in præſenti conſiderare per animam quaſi partem, ſed animam ipſam in ſe exiſtentem talia meditari: ergo neque mutato corpore ſimiliter permutari, ſed motum eius eſſe ſuum eſſentialisq; uitæ actum, uel uitalem & perennem eſſentiæ actum. Subdit: ſicut conſideratio rationalis eſt noſtra, id eſt animæ propria, neque per corpus exacta, ſic intelligentiam eſſe animæ propriam: quoniam uidelicet anima intellectualis ſit, adeo ut intelligentia in anima ſit uita, uitæq; animæ ſummitas: quę quidem ipſa eſt pars noſtri, agitq; in nos, id eſt rationem nobis maximè propriam, ſicut communis intellectus agit in noſtrum. Hic nota uitam in rebus ubique mentis ſplendorem penè ultimum eſſe: ſummam uerò mentem eſſe gradum uitæ ſuppremum. Hinc prophericum illud: Intellectum da mihi, & uiuam. Addit animam tum per intellectum proprium intelligere, tum per communem atq; diuinum, rationemq; anniti ad intellectum noſtrum, noſtrum denique ad diuinum, & utrunq; quidem eſſe noſtri partem, ſed aliter atque aliter. Noſtrum quidem eſſe noſtri partem, quia quodammodo ſit apex animæ: diuinum uerò quodammodo uideri partem, quoniam intellectus noſter diuinus tanquam formæ uelut quædam materia ſubditur, perq; ipſum intelligit atque ipſum: per quam ſanè communem omnibus formam intellectus ſinguli, & ſi non unus, ſunt tamen aliquid unum. Atque ita ille pars noſtri eſſe uidetur tanquam forma, forma inquam noſtris intellectibus exhibẽs eſſe ipſum intellectuale, intelligensq; in actu: Huc tendit prophericum illud: Dominus pars hæreditatis meæ. Quæcunque in hoc commentario prætermiſimus, partim per ſe ipſa patere diligenter conſideranti poſſunt: partim in ſequentibus latius exponentur: partim in Theologia noſtra, & in argumentis in totum Platonem iam editis explanauimus. Tum uerò de intellectu quomodo noſter ſit, & utrum ſit pars noſtri nec ne, in libro tertio Enneados quintæ cognoſces.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS PRIMÆ LIBER PRIMVS QVID ANIMAL, QVID HOMO: A MARSILIO FICINO FLORENTINO TRANSLATVS.

CVM EIVSDEM SVMMIS IN SINGVLA CAPITA.

Quæri utrum perturbationes, ſenſus, opiniones, cogitatio, intelligentia, ſint animæ ſolius, an animæ utentis corpore, an compoſiti, an miſturæ. Cap. Primum.

A OLVPTATES, & dolores, timores item, atq; audaciæ, cupiditates, & fugæ, atque cruciatus, cuius nam ſunt? Nunquid ipſius animæ tantum? an animæ potius vtentis corpore? an tertij cuiuſdam ex vtriſq; compoſiti? Dupliciter autem & hoc accipi poteſt: Aut enim ipſum quod eſt miſtum, ſiue miſtura: aut aliud quiddam ex ipſa miſtione proueniens. Similiter & de illis quę ex his paſsionibus fiunt, & aguntur, atque putantur. Rurſus de cogitatione & opinione
B quærendum eſt, vtrum eorundem ſint, quorum & paſsiones: an alia quidem ſic, alia verò ſe aliter habeant? Præterea de intelligentia perſcrutandum eſt, cuius ſit, & qua ratione ſe habeat. Atqui & de hoc ipſo, quod conſiderat, præſtatq; circa hæc inquiſitionem, atque iudicium quid nam ſit. Et primùm quidem ſentire cuius ſit potiſsimum. Hinc enim videtur exordiẽdum: quandoquidem paſsiones ipſæ vel ſenſus quidam ſunt, vel ſaltem abſque ſenſu non fiunt.

Si anima non eſt forma ſimplex in ſe exiſtens, ſuſcipit paſsiones, ſi autem eſt talis forma, non ſuſcipit. Cap. II.

PRimùm autem de anima cogitandum eſt, vtrum aliud quidem ſit anima, aliud verò animæ eſſe. ſi enim aliud ſit, compoſitum quiddam eſt anima: neque abſurdum erit ipſam ſpeties iam, aliaq; ſuſcipere, & talia quædam paſsiones eius exiſtere, ſi modò ratio id permiſerit, & omnino habitus affectionesq; meliores atque peiores. ſi verò idem eſt anima & animæ eſſe, ſpeties vtiq; quædam erit anima actiones eiuſmodi non ſuſcipiens, quas ipſa alteri infert: in ſe ipſa verò actionem habens ſibi cognatam, quamcunque ratio demonſtrauerit.
C Sic enim verum erit dicere eam immortalem. Siquidem oportet, quod immortale & incorruptibile eſt impatibile quoque eſſe, alteri quidem ſui ipſius non nihil impertiens, ipſum verò ab alio nihil accipiens, niſi quantum à ſuperioribus acceperit quicquam, à quibus profectò præſtantioribus minimè ſegregatur. Quid igitur tale quiddam metuat, quippe cum exteriorum nihil accipiat? Illud certè metuat, quod & poteſt pati. Neque rurſus audebit. his enim adeſt audacia, quibus quæ ſibi forent metuenda, nondum accidunt. Cupiditates præterea quæ per corpus explentur, euacuato videlicet corpore, vel impleto, non huius eſſentiæ ſunt, ſed alterius, quod euacuari implericq; poſsit. Quo autem pacto appetet miſtionem. nonne quod eſſentiale eſt permanet ſemper immiſtum? Rurſus quonam modo introducere ſibi aliud affectabit? Sic enim nõ eſſe quod eſt, ſtuderet. Cruciatus quoque procul abeſt. Dolor verò atque triſtitia qua ratione & qua de re ibi eſſe poteſt? Sufficiens enim id quod ſimplex in eſſentia, quale eſt in ſua eſſentia permanens. Num delectatur nuper aliquo accedente? nullo profectò, neque etiã accedente bono. Quod enim eſt, eſt & ſemper. quin etiam neque ſentiet. Rurſus neque circa ipſum cogitatio erit neque opinio. Senſus enim vel ſpetiei, vel impatibilis corporis perceptio eſt. Cogita-

A tio autem & opinio ad ſenſum vergunt. De intelligentia verò conſiderandum quodammodo nunquid hanc ipſi concedere debeamus: ac de voluptate purarum circa ipſam quatenus permaneat ſola, contingat.

Anima, & inſe uiuit, & uiuificat corpus, eoq; utens ut inſtrumento, non ſubditur corporis paſsionibus. Cap. III.

VEruntamen in corpore ponere eam oportet cum ſit anima, ſiue ſuperhoc, ſiue in hoc eſſe dicatur, ex quo ſimul atque ex ipſa animal totum eſt appellatum. Vtens itaque corpore vt inſtrumento, non cogetur corporeas ſuſcipere paſsiones, ſicut neque artifices paſsiones inſtrumentorum: ſenſuum autē fortè neceſſariò. Siquidem inſtrumento oportet vti animam per ſenſum paſsiones illatas extrinſecus cognoſcentem: vti namque oculis videre eſt. Sed & offenſiones quæ circa viſionem fiunt, illi accident: igitur & moleſtiæ atque dolores, & omnino quodcunque accidit circa corpus, quapropter et cupiditates anima videlicet curante proprium inſtrumētum. Verùm quonam pacto à corpore in ipſam paſsiones ingredientur? corpus quidem alteri corpori tradere ſui aliquid poterit: at corpus animæ quomodo? Hoc enim perinde ſe haberet, ac ſi
B patiente alio aliud pateretur. Quatenus enim hoc quidem eſt vtens, illud verò quo vtitur, eſt vtrunque ſeorſum. Separat itaque ille qui vtentem tradiderit animam. At verò antequam per philoſophiam ſeparet ipſam, quomodo ſe habebat? An fortè miſcebatur? Quod ſi miſcebatur, vel permixtio & temperatio quædam erat, vel tanquam diffuſa & explicata per corpus, vel tanquam ſpecies minimè ſeparata, vel tanquam ſpecies attingens, vt gubernator, vel partim quidem ſeparatum, quod videlicet eſt vtens, partim verò miſtum quodcunque ipſum eſt in ordine eius quo illud vtitur: vt philoſophia, & hoc conuertat ad vtēs, & vtens abigat inde, niſi quantum ſumma cogat neceſsitas, adeo vt quo ad fieri poteſt, ita ſe habeat, ac ſi non ſemper vtatur.

Anima non miſcetur, neque ineſt corpori, ſed adeſt toti: ideo non ſuſcipit paſsiones: Atque etiam ſi miſceretur, uel ineſſet, non ipſa proprie ſentiret & pateretur, ſed compoſitum. Cap. IIII.

POnamus ergo animam eſſe miſtam. At ſi miſta fuerit, illud quidem quod deterius eſt, ideſt, corpus euadet melius: illud verò & melius, ſcilicet anima euadet deterius: et corpus fiet melius vitam participando: anima autem peior
C participando mortem, conditionemq; irrationalem. Quod autem quoquomodo orbatum eſt vita, quonam pacto interim pro additamento ſuſcipit ſenſum? Contrà verò ipſum corpus vitam nanciſcens, ſenſum eiuſq; paſsiones accipiet. Hoc ergo & appetet. hoc enim & his quæ appetit, potietur, ſibiq; metuet. Hoc etiam interdum non adipiſcetur iocunda, atque diſſoluetur. Quærendum verò de miſtionis modo, ne fortè id fieri nequeat: perinde ac ſiquis dixerit, miſceri albedini lineam, naturam diuerſam valde diuerſæ. Quòd ſi dicatur anima diffuſa & explicans ſe per corpus, non ex hoc eueniet, vt anima ſimul cum corpore patiatur. Sed poteſt quod diffuſum eſt per aliud, impatibile permanere. Atque fieri poteſt, vt anima corpori ſe inſinuans eius non ſuſcipiat paſsiones: ſicut & lumen, preſertim ſi ita ſit per totum quaſi ſe paſsim porrexerit atque protenderit. non igitur ex eo accipiet corporis paſsiones, quod diffunditur atq; explicatur in corpus. Sed nunquid ita eſt in corpore, vt forma eſt in materia? At verò vt forma ſeparata erit. Siquidem eſſentia eſt, atque potius erit velut vtens. Sin autē ſicut figura eſt in ſecuri, figura inquam in ferro, & vtrunque ſimul coniunctū, ideſt, ſecuris faciet quæcunque ſcilicet ferrum ſic figuratum per figurā tamen. Magis vtique corpori communes dabimus paſsiones, corpori inquam tali ſcilicet

A licet naturali instrumentis prædito, potentia vitam habenti. Etenim absurdum ait dicere, animam texere, sic & appetere, atq; dolere: sed animal potius hæc pati, vel agere dicendum putat.

Difficile dictu est, quomodo perturbationes ad compositum potius quàm ad partem alteram referantur: quia nondum quomodo compositum fiat est manifestum. *Cap. V*

ANimal autem dicendum est, vel corpus tale, vel cõmune, vel aliud quiddam tertium ex ambobus cõfectum. quomodocunq; verò se habeat, vel impassibilem oportet animam custodire, cum sit ipsa alteri causa passionis, vel ipsum quoque compatientem. ac si ita, aut eandem passionem, aut quandam, similem sustinere: veluti aliter animal quidem appetere, aliter verò concupiscẽdi naturam operari, vel pati. Corpus quidem tale in sequentibus videtur considerandum. Coniunctum verò quomodo accidit molestia affici? Nunquid corpore quidem sic affecto & vsque ad sensum passione progrediente, sensu verò in animam desinente? At nondum manifestum quomodo fiat sensus. Sed num quando dolor principium accipit ab opinione atque iudicio, quasi aliquod ma
B lum adsit, vel sibi vel suorum alicui? Deinde hîc permutatio molesta in corpus, & omnino in totum animal sese propagat. Veruntamen neque dum constat cuiusnam sit opinio, num animæ, an coniuncti? Item opinio circa malum non habet doloris necessariò passionem: fieri enim potest, vt præsente opinione mali non accidat dolor, neque ira, neque præsente opinione contemptus, neque appetitus ipsa boni, opinione præsente. Quo nã igitur modo hæc cõmunia sunt? Num quoniam concupiscentia est ipsius concupiscendi naturæ: et ira similiter irascendi: & omnino ipsius appetendi virtutis est omnis ad aliquid impetus? Sed neque adhùc ita cõmunia erunt, sed solius animæ, aut corporis potius: quia oporteat sanguinem, vel bilem inflammari: & corpus certa ratione affectum cõcupiscentiam incitare: vt in venereis accidit. Appetitio verò boni non est communis passio', sed animæ sit, sicut & alia, neque omnia esse ipsius communis permittit ratio. Sed quando quis cupit venerea, erit quidem homo appetens, erit & alio modo appetens etiam vis appetendi. Sed quomodo? nunquid homo quidem dabit principium appetendi, comitabitur verò concupiscendi potentia? Verùm quonam pacto appeteret homo, non excitata concupiscendi potentiam? Nunquid verò exordietur appetendi natura? Verùm quo modo incipiet, corpore non prius sic affecto?

C

In dubium trahitur: utrum uerum sit quod fertur, animam & uim animæ esse qua animal sentit, & agit, & patitur: animal uerò non animam, uel eius uim hoc ipsum esse, quod sentit, agitq; uel patitur. Cap. VI.

SEd fortè præstat dicere vniuersaliter, ex eo quod adsint potentiæ, illa quæ eas habent per ipsas agere, ipsas verò immobiles esse, possessoribusq; suis vim agendi præbere. At si ita est, patiente animali, necesse est causam viuendi coniuncto dantem viuere atque pati, impassibilem esse, cum passiones & actiones sint habentis. sed si ita, viuere quoque omnino non erit animæ, sed coniuncti: aut viuere coniuncti non erit animæ. Item neque sentiendi potentia, sed id quod eam possidet sentiet. Verùm si sensus qui motus est per corpus ad animam vsque peruenit, atque desinit, quomodo non sentiet anima? An virtute sensuali presente, ex eo quod adsit sentiet? Sed quid nam sentiet? num coniunctum? Sed si potentia non mouebitur, quomodo iam coniunctum: si neque anima neque vis animæ ad hoc ipsum connumeretur.

D *Anima rationalis in ſe exiſtens præſidet animali humano ab ipſa genito: in illa eſt ſenſus ſine paſsione atque ratio, in hoc autem ſenſus cum paſsione.* Cap. VII.

SEd ipſum coniunctum eſto ipſius animæ, ex eo videlicet quòd illic adeſt: ipſa anima cum ſit talis nõ tradente ſeipſam in coniunctum, vel in alteram eius partem, ſed conficiente ex corpore tali, atque quodam velut lumine ab ipſa tradito, animalis naturam aliud aliquid exiſtentem: cuius quidem ſit ſentire, & cæteræ animalis quas narrauimus paſsiones. Sed quomodo nos ſentimus? Fortè quoniam à tali viuente non ſegregamur. Et ſi alia præſtantiora ad totam hominis eſſentiam ex multis conſtitutam nobis adſunt: vim autem animæ ſenſualem, non ſenſibilia quidem, ſed eorum imagines per ſenſum animali impreſſas oportet percipere. intelligibiles enim quodammodo ſunt hæ ſpecies, quapropter ſenſus exterior huius ſenſus ſimulachrum eſt: hic verò in eſſentia verior eſt: quippe cum imaginum tãtùm ſit abſque paſsione perceptio. Ab his vtique ſpeciebus à quibus anima iam accipit ſola viuentis imperium, opiniones, & cogitationes, intelligentiæq; proueniunt. vbi maximè nos ſumus. quæ verò ante hæc, noſtra ſunt. nos autem ſumus quod eſt deinceps, animali deſuper præſidẽ-
E tes. Prohibebit tamen nihil vniuerſum hoc animal appellare. ſed quod inferius eſt, dicere miſtum. Quod reliquũ eſt, homo eſt verus. Quantũ verò inferius eſt partim leoninum, partim brutum, omnino multiplex nominatur. Concurrente enim homine vnà cum anima rationali, quando ratiocinamur, nos certè ratiocinamur, propterea quod rationis diſcurſus animæ ſunt actiones.

Anima rationalis per intellectum ſuum quaſi caput intellectui diuino coniungitur, per hunc deo. Item per imaginationem ſuam coniungitur animali ſuo, per hoc corpori. Verùm & ſi cunctæ animæ ad communem rediguntur mentem, quia tamen proprijs ſingulæ modis accipiunt, & illa uidetur propria fieri, & animæ alios ſibi proprios intellectus inde reportant. Cap. VIII.

AD intellectum verò quomodo nos habemus? Intellectum dico non habitum quendam, quem ab intellectu habeat anima, ſed intellectum ipſum. fortè & hunc ſuper nos habemus. Habemus autem aut communem, aut proprium. fortè & communem omnium atque proprium. communem quidem quoniam impartibilis & vnus & vbiq; idem. proprium verò quoniam vnuſquiſq; ipſum in anima prima totum habet. Habemus igitur & ſpecies duplici
F ratione: In anima quidem velut explicatas atq; ſegregatas, in intellectu verò ſimul omnes. At deum quomodo habemus? Fortè tanquam intelligibili naturæ veræq; eſſentiæ incubantem. nos autem inde tertios ex indiuidua (vt Plato inquit) natura ſuperna, & ex natura circa corpora diuiſibili: quam oportet intelligere ſic diuiſibilem circa corpora, quoniam dimenſionibus corporis ſeipſam tradit, quatenus vnumquodque ſit viuens. quando & in toto & vniuerſo vna exiſtit. quinetiam apparet adeſſe corporibus illuſtrans illa, viuentiaq; efficiens non ex ſeipſa inquam atque corpore, ſed manẽs quidem ipſa, ſui verò ſimulachra exhibens, ſicut in pluribus ſpeculis vultus imaginem. Primum verò ſimulachrum ſenſus eſt, qui in ipſo cõmuni viget: deinde ab hoc rurſus omnis alia ſpecies animæ dicitur alia ſemper ab alia, deſinitq; vſque ad generandi & augendi naturam, ac vſque ad alterius operis effectionem præter ipſam vim facientem, conuerſa videlicet vi faciente ad opus efficiendum.

Cauſa peccatorum eſt in animali, in anima uerò conſenſio: Cuius propria eſt intelligentia quædam, præcipuè cogitatio, quæ non agunt per corporis inſtrumentum. Cap. VIIII.

ERit igitur nobis natura illius animæ extra malorum cauſam, quotcunq; homo facit & patitur. Circa enim ipſum animal commune hæc ſunt. commu-

ne

A ne inquam vt eſt dictum. Verùm ſi opinio cogitatioq; ipſius animæ ſunt, quonã modo erit extra peccati culpam? Falſa. n. opinio ſæpe eſt, multaq; per ipſam aguntur mala. Forſitan aguntur à nobis mala, à deteriore noſtro videlicet ſuperatis. Multa. n. nos cupiditati, vel iræ, vel malo ſimulachro concedere conſueuimus Ipſa verò quæ falſorum cogitatio dicitur, quæ & phantaſia eſt, ſæpe deliberantis iudicium non expectat: ſed proſequimur peioribus obſequentes: ſicut ſenſui accidit, priuſquam conſiderandi virtute diſcernas, falſò videre, per communem videlicet ſenſum. Intellectus verò an attigit? forte non: qua propter innocens remanet. Fortè verò ſic dicendum, nos vel attigiſſe intelligibile ipſum, quod in intellectu eſt, aut non, vel id quod in nobis. Poſſibile enim eſt habere, neq; habere præcipuum atq; promptum. Diſtinximus vtiq; communia atq; propria, ex eo quòd alia quidem corporea ſunt, neq; ſine corpore fiunt: alia verò non indigent corpore ad agendum: ideoq; animæ propria iudicamus. Et cogitationem, quę diſcretionem iudiciumq; imaginum à ſenſu prouenientiũ agit, ſpecies iam ſpectare, & quodam quaſi ſenſu proſpicere, cogitationem inquam præcipuè ipſius veræ animæ propriam. Intellectionum. n. actus eſt cogitatio vera, ac ſæpe externorum ad interna ſimilitudo quædam atq; com
B munio. Nihilo igitur minus anima in ſeipſa ad ſeipſam inconcuſſa manebit. Per mutationes autem, perturbationeſq; in nobis fient ab his, quæ ſubiuncta ſunt, & ab his paſſionibus, quæ pertinent ad cõmune: quodcunq; id ſit, vt dictũ eſt.

Quæ animalis noſtri propria ſunt, quodammodo etiã ad nos pertinent: & uita animalis non extinguitur, ſed animam ſui cauſam comitatur. Item uirtutes intellectuales ſunt in anima, morales in animali. Cap. X.

VErùm ſi nos anima ipſa ſumus, hæc verò nos patimur, hæc certè anima patietur: & rurſus faciet, quæ nos facimus. Fortè & commune diximus eſſe noſtrum præſertim antequam ſeparemur: quoniam & quæ patitur corpus noſtrum, nos perpeti dicimus. Duobus ergo modis nos dicimur: vel bruto nobis annumerato, vel quod ſuper hoc extat. Brutum verò eſt viuificatum corpus. Verus autem homo eſt alius ab his purus, virtutes quæ ſunt in intelligentia poſſidens, quæ in ipſa anima ſeparata fundantur: ſeparata inquam & ſeparabili etiam quatenus hîc eſt. Siquidem & quando ipſa omnino abeſt, illa etiam quæ ab ipſa emicat, abit eam comitans. Virtutes autem quæ non prudentia, ſed conſuetudine quadam exercitationeq; prouenerunt, communis ipſius eſſe videntur. Huius. n. ſunt & vitia, quoniam & inuidiæ & æmulationes atq; miſericor-
C diæ. Amicitiæ autem cuiuſnam ſunt? Fortè partim ad id commune, partim ad interiorem hominem pertinent.

In pueris regnat animal & imaginatio animæ. Intellectus & ratio altius occupantur. Item uita brutorum propria ex anima pendet rationali, uel noſtra uel alia. Cap. XI.

QVandiu autem pueri ſumus, operantur quidem quæ in compoſito ſunt, pauca verò à ſuperioribus ad ipſum vſq; refulgent. quando autem ociantur quo ad nos, ad ſuperiora interim operantur. in nos ſanè agunt, quando ad medium vſque procedunt. Quid ergo? nónne id etiam quod ante hoc eſt, nos ſumus? Veruntamen aduerſionem oportet fieri. Non enim quæcunque habemus, his aſsiduè vtimur. Sed quando medium, vel ad ſuperiora, vel ad contraria vertimus: vel quodcunque à potentia vel habitu in actum producimus. Bruta verò quomodo animal habent? Fortè ſi in ipſis animę ſint humanę (vt fert) quę peccauerunt, non brutorum fit hoc, quantum ſeparabile eſt, ſed præſens illis nõ adeſt. ſed ſenſus ipſius cõmunio ſimulachrum animæ habet vna cum corpore.

D corpus inquam tale, veluti quale factum ipſius animæ ſimulachro. Sin autem anima hominis non eſt ingreſſa illuſtratione quadam, ab ipſa totius anima animal tale producitur.

In eſſentia animæ neque peccatum eſt, neque pœna, ſed in animali ab ea genito: generatur autem per uitalẽ actum animæ uergentis ad corpus: qui actus ſuam animam comitatur aſſiduè, tanquam uigor, etiam quando nulla eius imago appareat in corpore. Cap. XII.

SEd ſi anima non eſt peccatrix, quomodo iudicia atque pœnæ? At hic ſermo ab omni ſermone diſſentit dicẽte, ipſam peccare & purgari, pœnasq; apud inferos pendere, atque per corpora tranſmigrare. Adhærendum ergo vtri libet ſermoni. Fortè verò quiſpiam reperiat, quomodo inuicem non repugnẽt. Qui enim tradit, animam nõ peccare, vnum quiddam ſimplex omnino ponit, idem accipiens animam, atque animam eſſe. Qui verò eam peccare dicit, coniungit ipſi & conflat alteram inſuper animæ ſpeciem paſsiones graues habentem. Compoſitum igitur quiddam ex omnibus anima ipſa ſit, & patitur vtique ſecundum totum, peccatoq; compoſitum: atque id eſt quod pœnas dat ipſi, non
E illud. Hinc ait Plato: Videmus enim eam, quemadmodum qui marinum aſpiciunt Glaucum. Oportet autem ſiquis velit naturam eius inſpicere, adiunctam ſecernere, atq; philoſophiã eius cõſiderare, quæ attingat, & quibus cognata exiſtens id quod ipſa eſt, exiſtat. Alia ergo vita, & actiones aliæ, & quod punitur aliud. Seuocatio verò & ſeparatio non ſolùm ab hoc corpore, ſed ab omni adiuncto eſſe debet. Etenim in generatione fit adiunctio, vel omnino generatio alterius animæ ſpeciei eſſe videtur. Quod verò quæritur, quónam modo generatio fiat? Reſponſum fuerit, quòd videlicet anima deſcendente, atque tunc alio quodam ab anima facto, atque deueniente in ipſa animæ ad corpus inclinatione quaſi quodam nutu. Nunquid ergo dimittit ſimulachrum? Item ipſa inclinatio ſiue nutus quo pacto non eſt peccatum? Sed ſi annuere eſt illuſtrare id quod eſt inferius, certè non eſt peccatum, ſicut neq; vmbra. cauſa verò eius id eſt quod illuſtratur. niſi enim hoc eſſet, quomodo illuſtraret anima, non haberet. Deſcendere igitur & inclinari, ſiue annuere dicitur ex eo quòd illuminatum ab ea ipſi connectitur. Dimittit ergo ſimulachrum, niſi ſit proximum quod ſuſcipiat. Dimittit verò non ex eo quòd diſcindatur, ſed ex eo quòd hîc non ſit amplius. non amplius autem eſt hîc, ſi illuc ſurſum tota reſpiciat. Separare verò
F videtur poeta hoc in Hercule, demittens ſimulachrum eius ad inferos, ipſum verò inter deos annumerans. Vtrunque ergo verbis obſeruat, & quòd inter deos & quòd apud inferos diuerſetur. Diuiſit igitur. Fortè verò ſic ſermo probabilis erit. Quoniam virtutem actiuam habens Hercules, atque exiſtimatus propter probitatem eſſe deus.: quippe cum actiuus eſſet, non autem contemplatiuus: alioquin totus apud ſuperos eſſet nimirum, & apud ſuperos quidem eſt, & aliquid eius interim eſt apud inferos.

Non compoſitum, ſed anima ipſa ratiotinatur, atque intelligit, tum per intellectum proprium, tum etiam per communem. Cap. XIII.

QVòd verò de his conſiderat, nós ne ſumus an anima? Fortè nos, ſed per animam. Per animam verò quo pacto? Nunquid aliquis eam habendo conſiderauit: an anima ipſa potius. Non ergo mouebitur. vel motum concedere & oportet talem, qualis non eſt corporum, ſed eſt ipſius vita. Præterea intelligentia ſic eſt noſtra, quoniam intellectualis eſt anima: atque hæc ipſa intelligentia vita melior extat: tum quando anima intelligit, tum quando intellectus in nos agit. Pars enim & hic eſt noſtrum, ad ipſumq; aſcendimus.

AR-

A

ARGVMENTVM MARSIL. FIC. IN LIBRVM DE VIRTVTE

SVMMA TOTIVS LIBRI.

STVDENDVM EST HINC FVGIENDO, PER VIRTVTEM DEO SIMILEM FIERI.



IBRI Huius finis quidem eſt, animum deo fieri ſimilem. Materia uerò uirtus, per quam ſimilitudo eiuſmodi comparatur. Forma denique libri eſt diſtributio eius in ſeptem capita: & in primo exercitatio quædam ad uirtutem muniendam, in ſequentibus inuentio eius, & definitio atque diſtributio. Caput primum ab aurea Platonis noſtri ſententia exorditur in libro de ſcientia, ideſt, theeteto poſita: Vt deuitemus mala, hinc protinus fugiendum. Fugere uerò hinc, eſt deo, ſimilem fieri. Deo ſimilis animus fit uirtute. Sed nequis erret circa huius cognitionem, diſputat non ex eo animum deo per uirtutem fore ſimilem, quia uidelicet ſicut in anima fit in deo ſit uirtus, ſed quia deus eſt uirtutis principium & exemplar & ipſa uirtus. Deus inquam mens diuina, mundi artifex, ipſiq; mundo & eius animæ præſidens. Et quamuis inter principia diſputandi antiquat animum uirtute fieri ſimilem mundi animæ eiusq; menti, quod & uerum eſt, tamen progrediente diſputatione aſſerit finem ſimilitudinis huius altius ſe extendere, ad diuinũ ſcilicet intellectum. Atque adhunc finem uelut quartum gradum, ubi uirtutum ſunt exemplaria, tribus gradibus animum peruenire. Virtutibus primo ciuilibus, ſecundo purgatorijs, tertio animi iam purgati. Atque hæc libri totius eſt ſumma.

B

Quamuis animus per uirtutes deo fiat ſimilis, tamen deus non habet uirtutem, ſed eſt uirtutis exemplar: & quæ uirtus in anima eſt qualitas, penes deum eſt eſſentia: Item conformantur hic ideæ. *Cap. primum.*

IN primo capite primum quidem ait: Siqua ex humanis uirtutibus inſit deo, probabilius adfore prudentiam & iuſtitiam, quàm cæteras, quæ circa perturbationes uerſantur. Deinde nullas ineſſe humanas ait, atque ciuiles: earumq; interim definitiones à Platone in libris de Repu. poſitas, aſſert. interea tamen per illas nos diuinam quandam conſequi ſimilitudinem confitetur. Negat tamen conſequentiã illam, qua forte quiſpiam niteretur ſcilicet, animus per uirtutes deo ſit ſimilis: ergo Deus uirtutem habet. Negat quoque diſtinctionem illam, qua quis deum dicat uirtutes quidẽ habere, ſed in quadam ſuperioris ſpetie obicit enim: Si animus concedatur aſsimilari deo, & ſi non uirtutes ſimiles ſed longè diſſimiles in deo ſint: concedi etiã poſſe aſsimilari deo nullas habenti uirtutes. Profectò quamuis per præſentiam luminis, aer calorem ſuſcipiat, tamen ſol unde manat lumen, calorem nullum accipit nouum: neque ignis calefit propterea quod ex eo aliquid calefiat: & tamen hæc illis ſimilia fiunt: ſic animus à deo uirtutem habet, per quam deo ſit ſimilis: neq; tamen deus uirtutem habet. Neque obiciat quiſpiam: Sicut in aqua calor eſt aduentitius, in igne natiuus, ſic in anima peregrinam eſſe uirtutem, ſed in deo naturaliter inſitam, adeo ut uirtus quidem utrobi que ſit, ſed in deo præſtantior. Virtus enim neceſſariò & alicuius eſt, & in aliquo, in quo quaſi ſubiecto ipſa ſit quaſi forma. nihil autem eiuſmodi eſt in deo Sanè munus quod à deo animus accipit,

C nihil eiuſdem naturæ ſeruat in animo cuius eſt apud deum. ibi enim eſt ipſa dei eſſentia. hîc autem quædam quaſi qualitas in eſſentia illic igitur eſt exemplar atque principium: hîc effectus quidam imaginarius. Imago uerò & ſi repreſentandi officio fungitur, nihil tamen eiuſdem naturæ conſeruare uidetur. hic enim uirtus diſpoſitio & compoſitio quædam eſt; ibi nihil eſt tale: ſed certa quadã diſpoſitione animus refert ideam, ſicut domus intelligentiam architecti. Multorum ſanè philoſophorum ſententia eſt: quæ in ordine corporum alicubi ſunt accidentia, nuſquam in eodem ordine ſcilicet corporali eſſe poſſe ſubſtantias. Itaq; calorẽ & lumen quę in aqua ſunt accidentia, nõ eſſe uel in ſphera ignis, uel in cælo ſubſtantias: ſed hîc quidem qualitates mobiliter contingẽtes, illic autem qualitates (ut ita dicam) eſſentiales, penitusq; immobiles. Hinc argumentabuntur Platonici: Quæ ab imperfecto proficiunt, ad perfectius, tandem eadem uirtute perfici, qua profecerant, atq; ad perfectiſsimum peruenire: cuius uidelicet uirtute, quicquid non eſt perfectiſsimum quaſi indigens regatur, ac penitus abſoluatur Formarum ergo conditionem quæ à qualitate mobiliter contingente, ad immobilem qualitatem, proprietatemq; prorſus eſſentialem perducta eſt, tandem ad formas quæ iam eſſentiæ non in eſſentia ſint perduci. Eiuſmodi uerò in re incorporea imò rem incorpoream tantùm eſſe poſſe: nihilq; aliud quàm naturalium formarum ideas exiſtere. Vbi calor & lumen, & reliquæ formæ eſſentia ſint & eſſe ipſeq; actus eſſentiæ, ibidem animæ eſt idea, & animæ perfectæ idea perfecta. Igitur & idea uirtutum, quibus anima ipſa perficitur, uirtute uidelicet illinc, & natura hinc inſita & continuè conſeruata: quamuis & alio modo ibi ſint ideæ uirtutum: quemadmodum in ſequentibus apparebit. Eſt autem uirtutis quidem exemplar in deo, ipſe ſcilicet deus forma uerò

D quędam uirtutis in ipſa rationalis animæ ſubſtantia. Imago autē uirtutis in anima rationis experte. Præterea in anima noſtra uirtus eſt qualitas aduentitia: in animabus ſuperioribus ingenita qualitas & immobilis: in diuina mente uirtus eſt ipſa mentis eſſentia actuſq; eſſendi.

Quomodo animus per uirtutem Deo ſimilis ſit: Et quomodo uirtus ciuilis purgatoria, purgati animi. Exemplaria inter ſe diſtinguuntur: Ac de motibus animi primis, atq; ſecundis. Cap. II.

CAput libri ſecundum definitiones uirtutis, uirtutumq; aggreditur, ad eundem uidelicet finē quem dicebamus: ut rationem ſimilitudinis noſtræ ad Deum, cognoſcamus, & cogniram comparemus. Principiò modos præcipuè duos ſimilitudinis affert hunc in modum. Quando duo quædam ſub uno principio conſtituta qualitatem ab eo utraq; capiunt, ſpecie uel genere conuenientem: ut duo quædam alba uel ſaltem colorata, tunc ſicut hoc illi ſimile eſt, ita uiciſsim illud huic ſimile dicitur. At cùm duo diuerſa ſunt genere uel pluſquam genere, & hoc eſt ab illo atq; ſub illo, ſicut imago quædam à ſubſtantia, ceu ſiqua fiat in ſpeculo, tunc imago ſimilis quidē eſt exemplari abſq; ulla naturæ eiuſdem commmunione: neque tamen exemplar uiciſsim imagini ſimile dicitur. Hac utique conditione animus deo ſit ſimilis per uirtutem, quatenus accipit inde uirtutem, quæ eſt diuini exemplaris imago. Poſt hæc autem uirtutes definiendo diſtinguit. Tu uerò ad hæc intelligenda, qui motus in nobis primi ſint intellige, qui ue ſecundi: Primi namque motus ſunt ſubiti quidam impe-
E tus in animali noſtro ab externis impulſibus agitati per ſenſum animalis, & naturalem ſuæ imaginationis inſtinctum, prius quàm anima rationalis de his ratione conſultet, uel imaginatione forſan animaduertat, utrum proſequendum ſit, an potius fugiendum: ſiue terrores hi ſint, ſiue inciramenta quædam. Secundi uerò motus uel in proſequendo, uel in declinando poſiti ſequuntur uel ſuperioris imaginationis animaduerſionem, uel etiā conſi ium rationis, ſiue ſit temerarium ſiue maturū. Virtus igitur quæ ſecundos amputat motus circa ſenſibilia declinantes, ciuilis cognominatur: ſiue fortitudo, ſiue temperantia ſit, ſeu prudentia huc uſque conſultans, ſiue iuſtitia ita conuerſans. ſatis enim huc uſque factum à ciue putamus. Virtutes autem quæ ſecundos motus non ſolum amputāt, ſed extirpant, purgatoriæ nominantur. Deniq; uirtutes quæ ſecundas perturbationes iam domuerunt, atq; inſuper primos impetus uel eradicant, ſi modò fieri poſsit ab homine, uel ſaltem ratione aliqua & aſſuetudine moderantur, purgati iam animi ſunt. Harum ergo uirtutum quæ ſunt in genere triplici, in deo exemplaria ſunt: Virtutes uerò nequaquam. Non enim ibi ſunt motus atq; negotia, in quibus uirtutes noſtræ uerſantur. Per hos ergo tres gradus unà cum Paulo à claritate in claritatem à domini ſpiritu tracti in eandem imaginem transformamur, ideſt, uirtutes noſtras uelut imagines diuino exemplari illuc ita profecti adhibemus atq; reformamur. quod & Plotinus quaſi Paulum imitatus inſequentibus declarabit. In hoc autem ſecundo libri capite ciuilium tantùm uirtutum officium peragit, quas appellat moderationes quaſdam atq; menſuras: tum quantum ſpectat ad affectus, tum quantum ad opinionem rectam, pro prudentia loco ſcientiæ conſtitutam. Sub dit, materiam cum ſit ſuapte natura menſurę, moderationiſq; tertius expers, eſſe Deo omnium diſſi-
F millimam, ſimilem uerò eatenus apparere, quatenus inde menſuras & ſpecies accipit. Cumq; hæc à Deo naturaliter remotiſsima poſsit tamen hac conditione aliquantum Deo ſimilis apparere, multò magis animam Deo natura propinquiorem, uult, perciuiles etiam uirtutes eam uelut materiam determinantes atq; moderantes, diuinam quandam ſimilitudinem comparare. quamuis Deus neq; menſuram habeat neq; ſpeciem, Tu uerò quod dicitur, neq; ſpeciē, de ipſo patre intellige, ſuper ſpeciem atq; formas exiſtere. De intellectu uerò eius filio intellige, non habere ſpeciem ab eſſentia ſua diſtinctam, ſed ipſum eſſe ſpeciem ipſam, formarumq; omnium plenitudinem: de qua omnes accipimus, quatenus proficimus ad uirtutem inde nobis illuc conuerſis infuſam: per quam dedit nobis poteſtatem filios Dei fieri. A deo uerò ſic animus Deo ſit ſimilis, ut ſiquis animum ſic affectum penitus introſpexerit, opinaturus ſit, deum protinus ſe uidere. Tu uerò in hoc capitulo, quod legis meliori noſtro, ideſt, rationi: potes etiam legere, meliori quodam, ideſt, uel meliorem opinionē introducendo, uel uirtute ſuperioris ita proficiendo. Item ubi ait: Totum Dei hoc ſit, ideſt, talis animi cōſtitutio, uel ſit tota diuinitas atq; e cōuerſo, uel ad deum tota pertineat. Eadem ſæpe apud Plotinum oratio (quod Porphyrius confitetur) plures æquè ſenſus admittit.

Intelligere ſecundum analogiam quandam de intellectu diuino dicitur, atq; de animo. Item agitur & de ſermone, ſeu uerbo in uoce, in animo, in mente. Cap. III.

POſt ciuiles uirtutes in tertio libri capite maiores aggreditur, definitq; propriè quidē purgatorias, communiter autem unà cum his, uirtutes etiam animi iam purgati. Oſtendens interea ciuiles

A ulles dici potius debere diſpoſitiones ad uirtutẽ, quàm uirtutes: ſimiliterq; per illas ad ſimilitudinẽ nos diuinã diſponi potius & parari, quàm eſſici ſimiles. Præterea neq; has quidẽ eſſe uult in deo, quoniam affectiones & qualitates, ſiue reſtitutiones quædam animę ſint, qualia in deo eſſe non poſsint. Rurſus prudentiam à qua ducuntur, eſſe intelligentiã quandam in diſcurſione poſitam temporali, qualis apud deum intelligentia eſſe nequeat. Tum uerò tam deum quàm animam communi quadã appellatione intelligere dicimus, neq; id quidem appellatione duntaxat æquiuoca, uel fortuita, uel minimè competenti, neque rurſus uniuoca ratione, per quam eadem, uel ſpecie uel genere ſit utriuſq; intelligentię definitio, ſed ea uidelicet conditione, quoniam intelligentia hęc in animo uelut poſtenus aliquid & imago fit atque ſeruatur ab intelligentia dei uelut exemplari ſuperius admodum cõſtituto, ad quod etiam repręſentando refertur, quę ſanè conditio ſolet analogica nominari. Comparat deinde analogię modo hunc in modum: Sicut ſe habet ſermo in uoce ad ſermonem, ut ita dicam in animo, ſic & ſermo in animo qualiſcunque ſit ad ſermonem, ut ita loquar, in mente. Potes uerò tu ubi ſermonem dicimus, rationem quoque uerbumq; dicere. uerbum hoc in uoce imago eſt & interpres uerbi quod eſt in animo: uerbum animi mago & interpres uerbi ipſius in mente. mentem denique Plotinus alibi dicit, eſſe imaginem uerbumq; Dei, quem etiam appellat mentis & intelligentiæ patrem. Hic ſanè atque Origenes, & ut arbitror, utriuſque præceptor Ammonius intellectum diuinum, filiumq; ſic ſe habere ad patrem Deum, ideſt, ad ipſum bonum exiſtimabant, ſicut lumen ad lucem. Spiritũ quoque, ideſt, mundi uitam ſic ad intellectum: ſicut ſe habet calor ad lumen. Iam uerò & ſi inter hos tres eſſentialem quandam differentiam afferre uidentur, in cæteris tamen tantã in eis unitatem eſſe probant, ut nulla poſsit ſingularior cogitari. Hactenus philoſophorum, ea præ-
B ſertim tempeſtate, ingenia proceſſerunt. ſed horum iudicium ad ſanctorum deinde Patrum concilia referendum. Verùm ita iam capitulum concludamus. Sermo in uoce indiget aere, quo animi ſermo non indiget. Item in plures diuiditur partes, longioraq; tempora quàm animi ſermo: ipſe uerò ſermo animi tranſigitur tempore. Mentis autem ſermo, ſiue ratio, ſeu uerbum tempore nullo diſtrahitur. Item ratio hæc ſiue notio mentis ſæpe per unam formam actumq; unum implet: quod animi ſermo, ſiue ratiocinatio per formas actuſq; plures peragere cogitur. Deniq; ipſum bonum omnes iam formæ & intelligentiæ limites ſuperemittet: ex quibus apparet à multitudine atque indigentia gradatim ad unitatem ſufficientiamq; maiorem, deinceps maioremq; procedi.

Animæ neque eſt ipſum bonum, neque ipſum quod dicitur propriè boniforme. Item quibus gradibus participentur ideæ. Rurſus probatio idearum, & de diuinitate animæ. Et quomodo formæ rerum ſunt in mente diuina, quomodo in noſtra, quomodo in ratione atque imaginatione. Cap. IIII.

A Virtutibus quæ purgant adhuc, ad illas quæ in animo ſunt purgato, iam tranſiturus, ait ipſum puritatis effectum eſſe purgationis finem, hasq; uirtutes tanquam fines eſſe præſtantiores, ſummumq; gradum uirtutis humanæ ac præcipuum proximumq; diuinæ ſimilitudinis ſuſceptaculum. Neque enim puritas hæc per purgationis miniſterium reſtituta ipſum eſt animæ bonum, non enim ſe ipſo contentus eſt animus tanquam fine, cum habuerit aliunde principium. Nempe natura hæc quæ per purgationem eſt ab alienis & malis iam liberata, bonum ipſum eſſe non po-
C teſt alioquin non fuiſſet obnoxia malo. Quin etiam neque eſt ipſum, quod dicitur à Platonicis boniforme: illud enim eſt quod primò ſemper, æquè boni ipſius eſt particeps. natura uerò huiuſmodi purgationis egena non æquè ſemper, ideoq; nec primò eſt boni particeps. Ordo namque bonorũ ab eis quæ uel non ſemper, uel non æqualiter boni participant, ad illud quod ſemper æquè participat, ab hoc tandem ad ipſum ſimpliciter per ſe bonum nullius participatione bonum neceſſariò ſurgit. Sic igitur ab anima ad intellectum, ab hoc ad ipſum bonum fit aſcenſus: ſicut à formis caducis quæ ab elementali materia participantur inæqualiter, & aliquando ad formas quæ in cęleſti materia ſemper participãtur æqualiter, & ab illis denique ad formas aſcenditur, quæ in cælo intellectuali, non per participationẽ aliquam ſunt in alio, ſed ipſum iam ſunt intellectuale cælum, ſimplex, & uniforme, ac pariter omniforme. Prima tamen & æqua & ſempiterna participatione bonũ, quod & propriè dicitur boniforme, boniq; ipſius ſplendor æternus. Cum enim effectus à cauſa primò ſit melior, deinde paulatim prodeat diſſimilior, meritò ab ipſo bono ſimplici æternoq; prius dependet, quod ſemper eius æque eſt particeps, deinde quod inæqualiter aliquando particeps. Tum uerò ſignificat diuinitatẽ animæ: Vbi ait: Malum animæ eſt alienis, ideſt, caducis hærere: bonũ uerò ad hærere domeſticis atque cognatis. Cum igitur bonum, ideſt, uita libera paſſionibus, & integra ueritas, uigor ſolidus, plenum gaudium, tunc ſoli̇m contingat animo, quando diuinis adhæret: conſtat eum unde proximè natum. Hinc illud, mihi uerò adhærere deo bonum eſt. Iam uerò, cum animus

D ſola purgatione, ideſt, in naturam ſuam reſtitutione ſubitò conuertatur ad ipſum bonum, & ſola cõ uerſione ſubitò potiatur, patet naturam eius eſſe diuinam. Profectò & noſter animus uehementius ad bonum afficitur quàm ad uerum: Verum enim appetit tanquam bonum: et ipſum bonum potentius eſt quàm uerum: cùm & ipſa poteſtas ad bonum pertineat potius quàm ad uerum. Cùm igitur animus diſcuſsis quandoque errorum cauſis uerum ſubitò conſequatur, nimirum & purgatus à malis aſſequitur continuò bonum. Poſt hæc ait, Ipſam puri iam animi ad ipſum bonum conuerſionẽ, eſſe uirtutem animæ, ideſt, uirtutis gradum tertium animo purificato conuenientem. ſubdit, multò magis uirtutem eſſe quod animus ex cõuerſione conſequitur: uirtutem iam ſignificat exemplarem, ad quam animus per tres gradus iam dictos aſcendit iam inde formandus. Et profectò quemadmodum tres ſunt gradus, ita tria exemplarium uirtutum genera. Primum ubi animus imaginationem ſuam conuertit ad rationem ſuam melius ibi uel inde formandam. Secundum quando rationis formulas traducit ad formas intellectui proprio inſitas, ut melius ibi cognoſcat. Tertium ubi intellectum proprium diuinæ menti prorſus accõmodat, ideiſq; diuinę mentis propriam conformat intelligentiam. hoc autem contactu quodam efficit ſempiterno. Ex quo fit, ut poſsint in tempore & rationem intellectui ſuo, & imaginationem rationi proprie conformare. Eſſe primas omnium formas in uno ſcilicet intellectu omnium effectore, ſignificat formarum congregatio naturalium in una omnibus ſubiecta materia. Eſſe ibi quoquomodo diſtinctas, oſtendit formalis naturalium formarum interſe differentia: quæ neque ex materia eſt informi: neque caſu, cum ſemper ordinatiſsima ſit: neque ex una quadam inter has ſpecie formæ; quoniam ad unum omnibus communiſsimum ordinatur. Cum ergo formalis cunctarum diſtinctio formarum ex una forma omnium effectrice procedat, neceſſe eſt ibi rationem diſtinctionis ineſſe, per quam ibi ſint formæ quadam inter ſe ratione diſtinctæ. Eſt ergo intellectus ille & uniformis ſimul & omniformis. Sed ibi cum maxima quoque ſit unio, nimirum formarum una omnium eſt eſſentia, rationesq; diuerſæ. Sed in quolibet intellectu poſt illum formæ ſunt contactus quidam eſſentiales idearum ſempiterni ac penitus intimi. Ex quo quidem contactu deinceps in anima, ideſt, in facultate rationali, formulæ idearum quaſi ex coitu illo conceptæ inſitæ quidem ſemper, ſed ex habitu in actum atque uiciſsim tempore tranſeuntes: ſuntq; uniuerſales formulæ: et de unoquoque quid ſit, & propter quid deſignantes. Ex his præterea formulę in imaginationem aliæ profluunt, propius iam ad ſingula declinantes: quę de unaquaque re potius quale quàm quid oſtendũt, ac ſi quale quid, non tamen propter quid ſit, aperiunt. Tu uerò ubi Plotinus negat alibi figuras rerũ ab anima ſuſcipi, ne ſibi hoc in libro repugnet, intellige non imprimi figuras in anima à rebus inferioribus, & accedere nuper, iterumq; recedere, penitusq; deleri. Hæ namque formæ, quas ex fonte haurit intimo, ſunt quaſi ipſa natura animæ, ſiue ut animæ naturalis, neque aduentitium aliquid & appoſitum. Procedit enim & anima ab auctore naturæ ſuæ, & uis eius alia prodit ab alia naturali ſemper ſuo munere prædita. Memento, Plotinum hic agere proprie de intellectuali animæ bono, finemq; uirtutum putare, ut anima uniuerſus inde mundus intellectualis euadat. cuius mundi finis eſt ipſum ſimpliciter bonum. Sicut enim ſuper animam quaſi corpoream eſt ipſa ſimpliciter anima, ita & ſuper intelligentiam animalem eſt ipſe ſimpliciter intellectus: ac ſuper intellectuale bonum ipſum bonum ſimpliciter extat. In uerbis autem exponendis, ubi dicit, figuras, uel formas impreſſas accommodari oportere exemplaribus ſuis, in actum iam eductas & illuminanti ſubdere, intellige formulas imaginationis formis rationis rationiq; ſubdendas. Item formulas rationis, intellectui proprio formisq; ipſius, ſiue formationibus potius adhibendas. Hic enim ſemper eſt diuina mente formatus. Vbi ait, intellectum non eſſe animæ alienum, intellige, quia proprium habet ſibi inſitum, & eius proprius intellectus eſt ſemper diuino coniunctus, & proprio quodam ſibi modo coniunctus. Eſſe uerò formas animo naturaliter inſitas, & intellectum noſtrum ſemper conformari diuino, ſatis in Theologia probauimus.

E

F

In imaginatione animæ rationalis propria ſæpe incitantur imagines ſecundum primos motus imaginationis, quę eſt in animali priuſquam ratio conſultet uel animaduertat. Cap. V.

ANimi purgati uirtutes ordine ſatis manifeſto definit. Quod hîc phantaſiam appellat præfiguratam, intellige, ex primis incitamentis ſæpe in noſtra etiam imaginatione imagines aliquas incitari procliues ad ſenſus antequam ratio ſatis animaduertat.

Sapien

A *Sapientia in mente diuina eſt quaſi tactus, in noſtra mente quaſi contactus, in ratione quaſi figura uiſibilis*
Cap. VI.

CONfirmat finem animæ non eſſe innocentiam, ſed fieri deum. aitq; illum in quo ſoli iam primi reſtant motus Deum quendam eſſe ſimul & Dæmonem: Demones enim nonnullis tanguntaffectibus. at illum in quo etiam primi motus iam conſopiti uidentur eſſe duntaxat deum ideſt, intellectualem prorſus animum ex eorum numero, qui diuinam mentem proprie comitãtur. Subdit, animum quando ad ſe conuerſus eſt omnino purgatione uidelicet præcedente, eſſe talem, qualis ex diuina mente proceſſerat, ac ſubitò ibidem eſſe penitus reſtitutum: Nam & olim huc profectus, non omnino inde diſceſſit. Siquidem & ratio intellectui ſuo duciq; proprio pro arbitrio hæret & intellectus cum diuina mente naturaliter copulatur. Poſt hæc exemplares definit uirtutes, quatenus quodammodo nobis accomodantur. Nam quatenus ſunt in mente diuina, exemplaria quidem ſunt, ſed non uirtutes. Vbi uerò ait, ſapientiam in anima quidem eſſe inſpectionem eorum quæ poſsidet intellectus: intellectum uerò ſapientiam tactu quodam habere: intellectum hic ſub intellige duplicem, noſtrum uidelicet & diuinum, et ſapientiam in diuino tactum dici, ideſt, non imaginis cuiuſdam, ſed rei ipſius poſſeſsionem, ac potius exiſtentiam. In noſtro autem intellectu potius appellari cõtactum, ideſt, realem (ut ita dixerim) copulam, non imaginariam notionem. In natura enim rationali quæ proprie anima nũcupatur imaginaria magis poſſeſsio eſt: in intellectu autem (ut ita loquar) ſubſtantialis: ſed hæc poſſeſsio primò quidem eſt in mente diuina, deinde traducitur & in noſtram.

B *Intellectus diuinus primò eſt ipſa quæ habet: noſter intellectus ſecundò eſt ipſa quæ habet: ratio nõ ſimiliter eſt quæ habet. Item comparatio hic fit uirtutum, & præcepta nonnulla traduntur.* *Cap. VII.*

EXemplares uirtutes accommodatas animo ordine quodam correſpondente diuinis accommodat exemplaribus: & quid cuiuſq; uirtutis exemplar ſit in deo declarat: & quo pacto exẽplares uirtutes in animo diuinis uirtutum exemplaribus ritè reſpondeant. Atque ubi ait animam non ſimiliter atque intellectus hæc ipſa eſſe, quæ habet, animam intellige potentiam diſcurrentem: in qua aliud eſt eſſentia, aliud ſunt formæ uel imagines, aliud habitus, atq; actus. At in mente diuina eſſentia in actum eſt ab æterno redacta: ipſeq; eſſentialis actus implet omnia quæ per additamenta quædam in anima peraguntur. Quinetiam intellectus noſter quodammodo eſt, quæ habet, ut ex Plotini mente loquar. Eſt enim æterno intimoq; contactu redactus in actum idearum omnium: in quarum actum diuina mens prodijt ab æterno. Poſt hæc comparat quodammodo uirtutes inuicem, & quædam præcepta tradit, uel dubia ſoluit. Ait ergo: Quę conſumatam antecedunt animi puritatem, eſſe uias ad uirtutem, potius quàm uirtutem. Item neque etiam puritatem cenſeri uirtutẽ, niſi referatur ad deum, & imitandum & pro uiribus conſequendum. Rurſus in inferioribus uirtutũ gradibus non eſſe ſuperiores niſi per imaginem. In ſuperioribus autem inferiores per exemplar, uirtutemq; contineri. Item ubi mutantur principia, ſpecies quoq; mutari uirtutum. Principia inquam duo ſcilicet & finem uirtutis cuiuſq; proprium, & regulas ſuas atque leges, ad quas formatur: præ-
C ſertim ubi mutantur principia prudentiæ, quæ aliarum uirtutum regula iudicatur. Ex quo fit, ut in alia ſpecie ſit ciuilis temperantia, in alia purgatoria, in alia quoq; purgata, in alia exemplaris, cęteraq; ſimiliter. Concludit denique finem uirtutum omnium communem atque præcipuum non eſſe in rebus externis, nõ in uirtute, non in animo, ſed in deo. Qua quidem concluſione nihil ſanctius dici poteſt. Quæ & diuinam nobis teſtatur Plotini noſtri uirtutem.

D PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SE-
CVNDVS DE VIRTVTIBVS.

Anima per uirtutem quaſi per imaginem fit ſimilis deo exemplari uirtutum. Cap. I.

GVMMALA hîc ſint & circa hunc locum neceſſariò reuoluantur: velit autem anima fugere mala: hinc eſt proculdubio fugiendum. Quæ nam igitur fuga? Deo, inquit Plato, ſimilem fieri. Hoc autem fiet, ſi iuſti & ſancti cū prudentia efficiamur, & omnino cum uirtute uiuamus. Si itaq; uirtute aſsimilamur, num ergo uirtutem habenti? Atqui cuinam deo? Sed nunquid illi deo, qui magis uideatur hæc habere? Nempe animæ mundi & intimo ipſius duci, cui mirabilis ineſt prudentia. Sanè probabile eſt, nos hîc viuentes huic ſimiles fieri. Fortè verò primò ambiguum eſt, num huic omnes adſint, veluti temperatum atque fortem eſſe, cui nihil terribile eſt. Nihil enim ab externis accidit, neq; accedit iocundum quicquam: cuius cupiditas laceſſat abſente illo, ad hoc vt habeat vel apprehendat. ſi autem & ipſe intelligibilia ſic appetit, vt & animæ
E noſtræ: patet, nobis quoq; inde decus virtutesq; contingere. Numquid & ipſe has habet? Fortè non probabile eſt, virtutes ciuiles habere, videlicet prudentiā circa vim conſultandi: & fortitudinem circa iracundiæ impetum: temperantiā verò in conſenſione quadam & concordia naturæ concupiſcentis ad rationē: iuſtitiam præterea propriam vniuſcuiuſq; horum actionem, in eo quod eſt, ducere atque duci, conſentiētem. An fortè non ſecundum ciuiles aſsimilamur, ſed ſecundum maiores eodem nomine præditas? Verùm ſi ſecundum alias, nū ſecūdum ciuiles nullo modo? Vel fortè à ratione alienum eſt, nullo modo per has aſsimilari? Hos enim diuinos quoq; fama prædicat: & quodammodo aſsimilari dicendum: ſecundum verò maiores ſimilitudinem fieri: ſed vtroque modo contingere videtur, deum virtutes habere, & ſi non tales. Siquis ergo concedat quamuis non tales, tamen aſsimilari poſſe, aliter nobis ad alias nos habentibus, nihil prohibet nos virtutibus noſtris aſsimilari non habenti virtutem, ſimilitudine videlicet ad virtutes minimè pertinente. At quomodo? Ita, Siquid caloris præſentia calefit, an neceſſe eſt illud quoque vnde venit calor, calefieri? Et ſi quid ignis præſentia calidum eſt, nunquid neceſſe eſt, & ignem ipſum ignis preſentia incaleſcere? Sed ad primum quidem dicet aliquis, & in igne eſſe calorē,
F ſed innatum, ita vt ratio inde ducatur analogiam ſequens videlicet, virtutem eſſe animæ aduentitiam: illi verò vnde per imitationem habet, eſſe innatam. Ad rationem verò quæ ab igne ducebatur, reſpondebit aliquis, illi adeſſe virtutem, virtutem inquam virtute maiorem. ſed ſi illud cuius ſit particeps anima, eſſet idem illi à quo habet, ſic oportebat dicere: nunc autem alterum quidem illud, hoc verò eſt alterum. Neque enim ſenſibilis domus eadem eſt intelligibili, quāuis ſimilis: etenim ordinem ornatumq; domus ſenſibilis accipit: in ipſa verò ratione non eſt ordo, neq; ornatus, neq; commenſuratio. Sic igitur cum ornatum & ordinem & conſenſionem participemus inde, atque hæc apud nos ad virtutem attineant: quæ verò illic ſunt, conſenſione, ornatu, ordine nō indigeant: nimirum illic non erit virtute opus: ſed nihilominus ſimiles illis per virtutis præſentiam euademus. Hæc vtiq; ſic dicta ſint, ad id potiſsimum oſtendendum, quod non neceſſarium ſit, ibi quoque eſſe virtutem, ex eo quod virtute nos illis aſsimilemur. Oportet autem non cogere tantùm, verùm etiam ſuadere.

Anima

A *Anima per uirtutes ciuiles quasi mensuras, formasq; eius propius ad diuinam similitudinem accedit, quàm materia naturales formas accipiendo.* Cap. II.

PRimò igitur accipiendæ sunt virtutes, per quas fieri similitudinẽ dicimus: vt idem ipsum inueniamus: quod apud nos quidem imitatio existens virtus est, ibi verò velut exemplar extat, neque est virtus, significantes geminam esse similitudinem. Quarum vna quidem naturam eandem in rebus similibus exigit, quotcunque æqua mutuáue ratione ab eodem similes fiunt: In quibus autem hoc quidem assimilatur ad alterum: alterum verò est primum, neque ad ipsum conuertitur, neque simile ad ipsum dicitur. hîc similitudinem alio modo oportet accipere, non eandem speciem, sed alteram potius requirentes: siquidem secundum alteram rationem fit similitudo. Quidnam igitur est virtus & vniuersa simul, & quælibet? Manifestior verò sermo erit in qualibet. Sic enim & ipsum commune, secundum quod virtutes sunt omnes, facilius apparebit. Ciuiles sanè virtutes quas modò dicebamus, exornant quidem verè, ac nos meliores efficiunt, cupiditates & omnino perturbationes cæteras moderantes, opinionesq; falsas meliori modo auferentes, propterea quod definiunt, atque extra immoderata & indefinita animum collocant, modumq; ipsæ suscipiunt. For-
B tè verò mensuræ in anima quasi materia, mensuræ, quę illic est, similes fiunt, vestigiumq; optimi, quod illic est, obseruant. Quod enim omnino immoderatum est, cum sit ipsa materia, est omnino dissimile. Quatenus verò accipit speciem, eatenus illi speciem non habenti fit simile. Magis autem quæ sunt propinqua participãt. Anima verò propinquior, cognatiorq; est quàm corpus, ideoq; magis particeps illius euadit: adeo vt fallat, Deus apparens, suspitionemq; inducens, ne totum Dei hoc sit. Sic igitur hi similes fiunt.

Definitiones uirtutis purgatoriæ, animiq; iam purgati communes: & comparationes quædam intelligentiæ nostræ ad diuinam longè superiorem. Cap. III.

AT quoniam similitudinem aliam esse significat, quæ ad maiorem virtutẽ attineat, de illa dicendum. Qua in re manifestius erit, & quæ sit ciuilis virtutis essentia, & quæcunque sit per essentiam excellentior, atque omnino aliam præter ciuilem esse constabit. Plato itaq; cum dicat similitudinem ad deum esse quandam ab inferioribus fugam: præterea virtutibus quæ conueniunt ciuibus, non simpliciter virtutum, sed virtutum ciuilium nomen attribuat: Et alibi om-
C nes virtutes purificationes appellet: planè videtur duplices ponere, ipsamq; ad deum similitudinẽ non per ciuilem consummari virtutem. Quomodo igitur purificationes has appellamus? Item quomodo purificati prorsus assimilamur? Fortè quoniam mala quidem est anima, si cõmista sit corpori, simulq; cum ipso patiatur, & per omnia cum illo opinione consentiat: Erit vicissim bona, virtuteq; prædita, si neque ita consenserit, sed sola egerit, quod quidem intelligere est atque sapere: neque compatiens fuerit, quod est temperatum esse: neque secessum à corpore metuat, quod est esse fortem. Ducat autem ratio atque mens: cætera verò minimè reluctentur, quod quidem erit esse iustum. Hunc sanè animi statum in quo intelligit, & ita procul à perturbatione uiuit, siquis similitudinem ad deum dixerit, non aberrabit. Purum enim est diuinum: et actio talis, vt quod ipsum imitatur, sapientiam habeat. Quid ergo? Nonne & ipsum sic afficitur? Fortè verò nec afficitur quidem. Ad animam verò affectio, siue dispositio pertinet. atque anima aliter quàm deus intelligit. Eorum verò quæ ibi esse dicuntur, partim aliter quàm hîc sunt, partim nullo modo sunt ibi. Rursus igitur intelligere æquiuocum est nullo modo. sed illud quidem est primo: hoc

D autem ab illo procedens se aliter habet. Vt enim sermo qui est in voce, imitatio est eius, qui est in anima, ita qui in anima eius qui in superiori manet. Sicut ergo sermo in prolatione ad sermonem animæ comparatus diuisus est, sic qui in anima ad superiorem diuisus est ipsius interpres: Virtus autem animæ est, mentis verò nequaquam: neq; eius quod est mente superius.

Puritas quærenda est, ut purgatus animus conuertatur ad proprium intellectum, & ab hoc ad diuinum: ut inde uirtutibus exemplaribus reformetur. Cap. IIII.

QVærendum verò nunquid purificatio sit idem atque eiusmodi virtus: an præcedat quidem purificatio, virtus verò sequatur: Et num in purificando, an potius in purificatione iã consummata consistat virtus: Imperfectior est vtique virtus adhuc in purgando laborans: nam huius finis est illa, quæ iam purgauit. Verùm purificatum esse est alieni omnis ablatio. Bonum autem præter hoc ipsum aliud quiddam esse videtur. Fortè si ante puritatis iacturam bonum erat, purificatio ipsa sufficiat: sed sufficiet quidem purificatio: reliquum verò erit bonum, non ipsa purificatio. Tum verò quærendum est quid sit id re-
E liquum. Fortè enim natura residua non est bonum: alioquin nunquam fuisset in malo. Num ergo boniformem dicere licet: An potius nequaquam sufficientẽ in eo quod uerè bonum est permanere: Natura enim ad utrunq; uergit. Bonũ igitur ipsius est adhærere cognato: Malum verò contrarijs. Oportet ergo purgatam hærere: hærebit autem conuersa. Num igitur post purgationem conuertitur: vel post purgationem iam conuersa est: Hoc igitur eius est virtus: imò verò quod ex conuersione consequitur: Quid hoc igitur: Visio, figuraq; rei perspectæ impressa, & agens, quemadmodum circa visibile visus. Non ergo hæc habebat, neque reminiscitur: vel forsan habebat, non agentia tamen, sed iacentia potius & obscura: Vt autem illuminentur, animusq; tunc insita hæc agnoscat, admouere oportet illuminanti. habebat autem non ipsa, sed figuras. oportet ergo figuras veris rebus, quarum figuræ sunt, prorsus accommodare. Fortè verò sic insuper habere putatur: quoniam intellectus non est alienus, ac maximè non alienus, quando ad ipsum respicit: alioquin etiam præsens est alienus. quoniam & scientiæ, si nullo modo illis vtamur, sunt alienæ.

Animi purgati uirtutes definiuntur, earumq; traduntur officia. Cap. V.

F

CAeterùm quatenus procedat purgatio supereſt dicendum. Sic enim patebit, cui potissimum deo similis eademq; fiat. Hoc autem est maximè quærere quatenus possibile sit purgare iram, & cupiditatem, voluptatem, & dolorem, atque similia, & animum à corpore separare. A corpore quidem separare, id est fortè, animum quasi à locis seipsum diuersis colligere, omnino à perturbationibus segregatum, efficientemq; vt necessariæ voluptates sensus quidam sint duntaxat, & quædam quasi medelę, sedationesq; laborum siue languorum, vt interpellatio nulla contingat: dolores autem auferentem: ac si nequeat, moderatè ferentem: & quia non simul doleat, eos comminuentem: iram verò tollentem quo ad potest, è medio, ac si fieri possit, omnino: sin minus, saltem non simul irascentem. Dabit sanè operam, vt alterius sit irasci videlicet inconsultò atque subitò: inconsultum verò id, subitumq; etiam sit perpaucum, atque debi le: timorem præterea expellet omnino: nulla enim de re metuet: motum verò subitum expellet, nisi quatenus admonitionis loco sit. Cupiditatem verò turpiũ proculdubio non habebit. esculentorum quoque & poculorum ad remissionẽ doloris ipse animus non habebit: neque venereorum etiam: sin autem habuerit, naturalium duntaxat, vt arbitror, ita tamen vt neque inconsultum hæc habeant

A beant impetum. Quòd ſi habeant, quatenus cum phantaſia ſolùm, hac quoque præfigurata. Omnino autem ipſa ab his omnibus erit pura, voletq; etiam irrationale purum efficere: adeo vt ne commoueatur quidem, aut ſaltem quãminimè: commotionesq; illius ſtatim ipſa propinquitate ſedari queant: perinde ac ſiquis ſapiẽti propinquans, ipſa propinquitate aliquid ab ipſo percipiat: vel ſimilis illi factus, vel reueritus, vt nihil audeat facere eorum quæ bonus non auſit. Non ergo erit pugna. Sufficit enim ratio præſens: quam deterius illud verebitur: adeo vt ſibi ſuccenſeat, ſiquo pacto commotum, quietem domino preſente non egerit, ſuamq; inconſtantiam increpet.

Confirmat uirtutis finem eſſe Deo frui: Et exemplares definit uirtutes à nobis deniq; comparatas. Cap. VI.

EST igitur nullum talium peccatum, ſed correctio homini, eiusq; officium. Studium verò ipſum atq; votum non eſt extra peccatum eſſe, ſed eſſe deũ. Si ergo talium aliquid incolſultò tantùm fiat, Deus quidem erit talis, atque Dæmon, exiſtens geminus: imò potius alium ſecum habens virtute alia præditum: ſin verò nihil, Deus ſolùm. Deum inquam ex eorum numero, qui primum ſequuntur. Ipſe enim eſt qui proceſsit inde. Et ſi ſecundum ſeipſum fiat, qualis ve
B nit, ibi eſt: intellectui verò cohæret huc profectus: & hoc inſuper ipſi aſsimilabit pro eius potentia: adeo vt ſi fieri poſsit, vel non commoueatur, vel non agat quicquam ex his quæ domino minimè placent. Quæ nam igitur quælibet huic eſt virtus? Sapientia quidem inſpectio eſt eorum, quæ poſsidet intellectus. Intellectus autem tactu quodam habet. Duplex autem eſt utraque: Altera quidẽ in intellectu exiſtens, altera verò in anima. et ibi quidem non uirtus, in anima virtus. Ibi ergo quidnam eſt? Actio ipſius atq; quod eſt, hîc verò quod in alio, inde virtus. Neque enim ipſa iuſtitia & ipſa temperantia, atque quælibet ſimilis propriè virtus eſt, ſed velut exemplar. Quod verò ab ipſa in anima fit, iam eſt virtus. alicuius enim virtus eſt. Ipſum verò vnumquodque ſui ipſius eſt, non alicuius alterius. Iuſtitia verò ſiquidem proprij muneris actio eſt, num ergo ſemper in multitudine partium? imò in multitudine, quotiens multæ ſunt partes. Simpliciter autem proprij muneris actio eſt, etiam ſi vnius extiterit. Vera igitur ipſa iuſtitia vnius eſt ad ſe ipſum, in quo non aliud eſt atque aliud. quapropter & ipſi animæ iuſtitia maior eſt ſe ad intellectum agendo dirigere. Temperantia verò intima ad intellectum conuerſio. Fortitudo habitus paſsionis expers per ſimilitudinem eius ad quod ſuſpicit, extra paſsionem naturaliter cõſti
C tutum. Anima verò ex virtute ſuperat paſsionẽ, ne vnà cũ deteriori ſocio patiat

Exemplares uirtutes nobis accomodatas certo quodam ordine diuinis accommodat exemplaribus definiens exemplaria: deinde uirtutes inter ſe comparat: ſoluit dubia: diuinum uirtutis finem cõprobat. Cap. VII.

CONſequuntur igitur inuicem hæ virtutes in anima, quemadmodum & intellectu, quæ ante virtutem ſunt exemplaria. etenim intellectio ibi ſcientia eſt atque ſapientia: ad ſe ipſum verò conuerti, temperantia eſt. Proprium autem opus propriorum actio dicitur, atque iuſtitia. Fortitudinis denique loco ipſa à materia ſegregatio, puraq; in ſe ipſo permanſio. In anima ergo intuitus in intellectum ſapientia eſt, atque prudentia virtutes eius. Non enim anima ſimiliter atque intellectus hæc ipſa eſt quæ habet. Cæteræ item virtutes ratione ſimili conſequuntur, ſimiliter quoque purificatio. Neceſſe verò eſt, ſiquidem virtutes omnes purificationes quædam ſunt, in purificatione quadam completa cõſiſtere: alioquin nulla perfecta foret. Præterea quicunq; maiores habet, minores quoque potentia habeat neceſſe eſt: qui contrà, minores non neceſſariò &

D

maiores. Præcipua quidem hæc eſt viri virtute prædíti vita. Vtrum verò actu habeat minores, vel maiores, an alio modo ſigillatim cõſiderare decet, ceu prudentiã. Si enim alijs utatur principijs, quomodo amplius manet illa? ac etiam ſi minimè operetur? Item ſi hæc quidem natura hactenus procedat, illa verò eatenus. Et temperantia illa moderans, hæc verò penitus auferens. Idem quoque de alijs, omnino mota prudentia. Fortè verò videbit quantum ipſæ penes ſe habeant. Forſan & quandoque circunſtanti quadam conditione, vel ſorte per quaſdam illarum aget. In maiora verò aſcendens principia, aliaſq; per illa menſuras agens, per eiuſmodí regulas operabitur: veluti temperantiam, non in menſura illa ponens, ſed omnino ſe pro viribus ſeparans: prorſuſq; agens non boni hominis vitam, quam ciuilis probaret virtus, ſed hanc quidem dimittens, aliam verò ſcilicet diuinam eligens. Ad deos enim non ad homines nobis eſt ſimilitudo propoſita. Similitudo verò noſtra ad homines bonos eſt, perínde ac ſi imago aſſimiletur imagini, cum ab eodem vtraq; producatur. ſed illa ad aliud velut exemplar ſimilitudo perficitur.

E

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE TRIPLICI REDITV ANIMÆ AD DIVINVM PRÆLVDIVM: IN QVO DE TRINITATE PRODVCENTE, CONuertente, perficiente, & de nouenario in diuinis numero agitur.

QVI hunc librum de Dialectica inſcripſere, à præſtantiori eius parte nũcupandum iudicauerunt. Quanquam (ut arbitror) rectius admodum inſcripſiſſent, ſi de animorum reditu ad diuinum appellauiſſent. hoc enim eſt maximũ imò totum libri uotum. hoc primò proponitur perquirendum: hoc in omni diſputationis parte tractatur. Quoniam uerò Plotinus hùc ternario gaudet, triplici nos ad deum tramite ducens, iuuat quaſi præludio quodam per ternarium paulò liberius peruagari. Superiora uniuerſi principia producunt quæ ſequũtur: producta reducunt: reducta perficiunt: dum producunt largiuntur eſſe: dum conuertunt, eſſe conſeruant: ubi perficiunt, in melius eſſe reformant. Ab his autem affectibus quaſi concretis ternario numeratis ad abſolutam & trinam aſcendimus trinitatem ſcilicet productoriam, conuerſoriam, perfectoriam. In productoria trinitate primum eſt ipſum bonum: ſecundum intellectus boni filius: tertium anima, uiráque mundi, quaſi diuinæ intelligentiæ ſpiritus. Quomodo hi tres uno quodam omnia conſenſu producant, ſæpe alibi diſputabitur. Sequitur trinitas conuerſoria, ſiue ad ſupera reductoria: in qua primum Mercurius tenet gradum, animos per rationem ad ſublimia reuocãs: ſecundum Venus per uiſum alliciens ad ſuperna: tertium Phœbus idem efficiens per auditum. & ſi unuſquiſque trium ad omnia nos ſupera conuocat, Mercurius tamen ad ipſum præcipuè bonum: Venus ad intellectum in quo prima pulchritudo coruſcat: Phœbus ad animã ad quam potiſſimùm pertinet harmonia: ut in Timei compendio & in theologia latius pertractauimus. Singuli uerò planetæ tres, tum intellectu ſuo in noſtram rationem agunt, tum animali uirtute in imaginationem, tum corpore in corpus ad idem alliciendo: Cuncti deniq; tres ad Saturnum planetam primò ducunt intelligentiæ ducem: deinde ad Saturnum planetam ſuperiorem intelligentiæ patrem, intellectumq; primum: demum ad ipſum bonum patremq; Saturni. His autem ad idem officium Mercuriales, Venerei, Phœbei dæmones, & deniq; Saturnij dæmones ſimiliter ſubminiſtrãt. Reliqua eſt perfectoria trinitas in nouenarium ſimiliter diſtributa. Animus. n. ſiue ad ipſam mundi animam redigatur, ſiue altius ad mentem mundi reginam, ſiue excelſius ad ipſum bonum intelligentiæ patrẽ ipſum profectò patrem agnoſcit, ut principium omnium, & medium, atq; finem: quod in quarto legũm planius aperitur. Mentem quoq; diuinam ut eſſentiam, ut uitam, ut intellectum: Animam denique

A nique tanquam uitam, tanquam motum, ut rationem, eamq; deſcribit uitam, mobilem rationem. Singula rurſus quæ reperit in ſequentibus, ſingulis, quæ ſuperioribus inſunt, proportione quadam, qua poteſt, accommodat. Rationem igitur in anima ad intellectum refert in mente regnantem atque ad finem circa bonum conſideratum. Motum ſimiliter animę ad uitam mentis, mediumq; apud ipſum bonum: uitam denique animæ ad mentis eſſentiam, & ad ipſum uniuerſi principium. Sed miſſas iam trinitates, alias inpręſentia faciamus. In hoc.n. libro de trinitate potiſſimum agitur conuertente atque plurimum quo pacto ad diuinam mentem animus reuocetur: quatenus ut intellectus & intelligibile aliquid cogitatur. Inde namque ad bonum ipſum ſubitò peruenitur. In hoc autem intellectu comprehenduntur ideæ: quas etiam numeros quoſdam alibi Plotinus appellat. Ad has itaque animus aduocatus in unaquaque conſiderat trinitatem. Nam ut ueritatem, ut concordiam, ſiue commenſurationem, ut pulchritudinem contemplatur, quod in Philebo Plato diſſerit, ad ueritatem Mercurius, ad concordiam Apollo, ad pulchritudinem Venus adducit. In ueritate animus cognoſcit naturę perpetuam firmitatem, item puritatem aliena minimè capientem, rurſus integritatem nunquam propria dimittentem. Concordiam quoque numero ſimiliter ternario contemplatur, quatenus idea quęlibet, conuenit ipſa ſecum: conſentit ſuperioribus: necnon inferioribus congruit. Pulchritudinem quoque ternario. nam idea uera concors, pulchra nobis occurrens tanquam Venus tribus ſtipata Gratiis, aggreditur animum admiranda, ut amanda congreditur, ingreditur ut iocunda. Atque ita trinitatis idealis in nonarium ritè producitur. Similiter conuerſoria ad ideam trinitas in nonarium deriuatur. quoniam Mercurius non ſolùm propria ratione conuer-
B tit: ſed & in hoc officio conuenit partim cum Venere, partim etiam cum Apolline. Eadem ratione Venus & propriè reuocat, & conſentit aliter cum Mercurio, aliter cum Apolline. Apollo tandem & proprius eſt, & hinc quidem cum Mercurio, inde uerò cum Venere congruit.

Quòd finis animi ſit ultra naturam intellectualem ad ipſum bonum. Cap. 1.

DIuiditur uerò liber in capita tria: ſicut & tres ſunt ad diuinitatem uię. Tertium uerò caput tanquam potiſſimum in tria rurſus capita diſtribuitur. In primo capite mox finem quò tandem perueniendum eſt deſcribit: annuens animum non in bono quodam intellectuali, ſiue intelligibili, quod fermè eſt idem, ſed in ipſo ſimpliciter bono, ſummoq; principio deniq; conquieſcere. Eatenus enim procedit appetitio boni, quatenus appetẽdi boni procedit inuentio. Sed quemadmodũ ſagaciſſimi canes uirtute olfatus inueniunt quod non dum uident oculis, neque fortè uſuri ſint, ſic animus mirabili quadam naturæ intellectu ſuperioris ſagacitate bonum eſſe uaticinatur, omnes intelligentiæ oculos ſupereminẽs. Nempe ſicut ſenſu nihil ſupra ſenſibile reperimus, ita nec intellectu ſuper intelligibile quicquam. Sed quemadmodum intellectu ſenſibus ſuperiore intelligibile ſuper ſenſibile reperimus, ita uirtute quadam animæ intellectu ſuperiore, ipſum ſimpliciter bonum, ſuper intellectuale, uel intelligibile bonum auguramur pariter & optamus. Iam uerò cum ſemel bonum ipſum dixeris, addere mox intellectuale, ſiue intelligibile, nihil aliud eſt, quàm boni aliquid dicere, ſi
C ue quiddam bonum, uel in intellectu iacens, uel ſaltem ad ipſos intelligentię limites coarctatum, uel intellectuali quadam proprietate ſignatum. Super hoc autem uelut imperfectum & anguſtum, atq; dependens eſt ipſum ſimpliciter in ſe abſq; limite bonum: cuius quidem ampliſsima facultate ſit & bonum intellectuale, & non intellectuale bonum: ſit & bonum non ſenſibile, & ſenſibile bonum. Ad hæc enim uelut inter ſe oppoſita ipſum ſimpliciter abſolutumq; bonum undique ſe diffundit: quod tanquam ultimum deſiderat animus: quo fruitur non per quandam quaſi imaginariam intelligentiæ perceptionem, ſed per uerum quendam uirtutis intellectu ſuperioris ſubſtantialemq; contactum: ubi non uidet ſolùm, ſed guſtat etiam atque tangit quàm ſuauis ſit dominus. hanc Dauid (ut arbitror) magnam dulcedinis multitudinem penes Deum appellat intelligentiæ prorſus abſconditam. Quoniam uerò ipſum ſimpliciter bonum ſuper cognitionem eſt, ac ſuper cognoſcibile bonũ, idcirco affectus ipſe naturæ ad cognitionem quidem rapit, non tamen uelut ad ſummum: alioquin & accidens foret ſubſtantiæ finis, & nulla cognitio nos offenderet, & ſæpe imaginaria quædam boni figura cognitioni quomodocunq; ſe offerens ſatis naturæ deſiderio faceret. Affectat ergo natura cognitionem, non cognitionis duntaxat gratia, ſed ut per illam quærat, inueniat, apprehendat quomodocunq; bonum, cuius quidem boni non tam proprium eſt cognoſci, ſiue cognitio, quàm re uera congruere, conferre, ſuauiter recreare, iuuare. In quo ſanè ſtatu tanquam intellectu, & intelligibili longe præſtantiore, animus tanquam in fine omnium ultimo per naturam intellectu ſuperiorẽ denique conquieſcit. Affectum eiuſmodi Paulus apoſtolus amorem uocat ſenſus, intelligentiæq; limitibus altiorem. Satis hactenus de fine ſit dictum.

D *De mundo intelligibili & ſenſibili: & de triplici uia ingenioq; ad intelligibile.*

PErgamus iam ad uias, atque ad illos, qui per has uias ad hunc finem facilius uel progrediantur ipſi, uel perducantur. Duos Platonici præcipuè mundos ponunt: Primum, intelligibilem ſcilicet, diuinam mentem mudi huius principium & exemplar: Secundum, ſenſibilem, hunc ſcilicet ſenſibus manifeſtum diuini exemplaris imaginem. Animam Plotinus noſtram exiſtimat per intellectum quidem eſſe ſemper in illo: per uegetalem uerò naturam quodammodo eſſe ſemper in iſto: ſicut & radius ſolis hìc quidem terram, inde uerò ſolem ſimul attingit. per naturam uerò mediam in motu primo, ideoq; perpetuo, & ideo circulari poſitam perpetuas agere uices: & alio quidem ſeculo in mundo intelligibili, alio uiciſsim in ſenſibili uiuere: neque id propriè fieri mutatione locorum: ſed quando & imaginatio ad rationem, & ratio ad mentem tota conuertitur, tunc animum dici ad mundum intelligibilem aſcendiſſe. At cum & ratio ad imaginationem ſuam, & imaginatio hæc ad inferiorem ſcilicet animalis uel geniti, uel iam generandi imaginationem ſe ſe flectit, tunc lapſus in mundum ſenſibilem iudicatur. Animas ergo triplices eſſe tradit: Alias in ſuperiori mundo ſemper, quales ſunt ſpherarũ, ſtellarumq; & dæmonum ſuperiorum animæ: Alias in mundo inferiori tantùm: quales ſint uegetationi tantùm & ſenſui paſsionis addictæ: Medias autem, ideſt, rationales, ſiue noſtræ ſint, ſiue inferiorum dæmonum, ſempiternas hinc illuc atque contrà, peragere uices. Proinde animas noſtras in mundo ſuperiori alias attentiùs, alias remiſsius contemplari, uel afficeE quemadmodum & in hoc mundo alias ad hæc magis, alias minus uidemus affectas. Iam uerò quæ illic propenſius operantur, uel omnia ibi diuina, uel plurima contemplari. Tales igitur animos quãdo certis temporum curriculis iam peractis, paulatim ad ſenſibilia relabuntur, diutius adhuc ad diuinorum reminiſcentiam promptos perſeuerare: & qui inter promptos omnium prẽptiſsimi ſunt, philoſophico cenſeri ingenio præditos: qui ſecundo gradu ſunt prompti, ingenio potiſsimum amatorio: qui denique tertio, ad muſicam aptiores: qui enim per tactum, guſtum, & olfatum in quodammodo corporeos rebus admodum corporeis mancipati ſunt, ab illo prorſus in corporeo mundo remotiſsimi iudicantur: ut pote qui non nuper ex illo in hunc deſcendiſſe, ſed aliunde huc tranſmigraſſe potius uideantur. at uerò ingenium philoſophicum dum ratione rerum naturalium rationes indagat, quæ ab ideis potiſsimum deducuntur, diuinas auſpicatur ideas. Proinde uiſus atque auditus proximi rationis noſtræ miniſtri meritò iudicantur. Quia & minus corporei ſunt: & circa res minus quodammodo corporeas uerſari uidentur: & quæ oculis & auribus offeruntur, exactiſsimum quẽdam ordinem manifeſtius præferunt. Quamobrem facilius ex his duobus ſenſibus quã ex alijs ad intellectum, intellectualesq; rationes, unde omnis ordo diſponitur, prouocari ſolemus. Sic itaque dum ratio ad diuinorum properat ſapientiam, uiſus interea utcunque poteſt, inuentionẽ menti ſuppeditat, auditus ſuggerit diſciplinam. Quapropter & triplici ad diuinitatem calle procedimus, ratione, uiſu, auditu. & tres animorum naturæ illuc promptius euehuntur, tum philoſophica dedita rationi, tum oculis amatoria, tum auditui muſica. quod Plato in Phedro, ac Phedone teſtat.

F *De tribus contemplationibus in mundo intelligibili, & tribus deinde ingenijs.*

PRæterea in mundo diuino tria potiſsimum cogitantur, ſpecies, & numerus, atque modus. Nã & mens ipſa diuina prima ſpecies eſt, & quælibet idea ſpecies ſiue forma. Certus illic eſt numerus tum formarum, tum in unaquaque forma eorum quę ſunt propria formæ. Certus eſt & modus, ſiue menſura uirtutis & proportio quædam, tum formarum in ſe uel ad formas, tum ad numeros numerorum. Et ſi tria hæc ratione quadam inter ſe diſtinguũtur, in ipſa tamen ſpecie ſiue forma & numerus continetur & modus, ſed ratione formali. Item in numero tum forma eſt, tum modus, cõditione quadam præcipuè numeroſa. In modo rurſus, atque menſura ſimiliter tam forma eſt, quàm numerus, proportione, ut ita dixerim, menſurali. Quamobrem animi diuinorum contemplatores, quamuis ſinguli cuncta conſpiciant, atque ament, alij tamẽ tam cognitione quàm affectu, ad ſpeciem ipſam mox duo reliqua referũt: alij uerò ad numerum ſimili ratione: alij tandem ad ipſum modum atq; menſuram. Ex primis quidem ingenium prouenit philoſophicum, ex ſecundis uerò muſicum, ex tertijs neq; inferioribus amatorium. Tam & ſi tria hæc ingenia ſic fermè inter ſe coniugata ſunt, quemadmodum ſpecies, numerusq;, & modus inuicem connectuntur. Philoſophus igitur in excogitandis numeris atque menſuris ſpeciem ipſam, atque naturam potius admiratur. Muſicus autem in naturis, & modis, atque menſuris ad canoros numeros uehementer afficitur. Amator denicq; modum ardenter in omnibus menſuramq; ſectatur. Omnes ſummatim tres, Plotinus ait, ad ſublimem pulchritudinem eleuari, ideſt, ad diuinam mentem: quæ prima pulchritudo eſt, ipſius boni

ſplen-

A ſplendor æternus, in qua tum ſpecies, tum numerus, tum modus, quaſi Gratiæ tres ſe inuicem complectentes ad integram pulchritudinem plenamq; gratiam æquè conducunt. Item alium iquit aliter atque aliter excitari. Rurſus poſtquam ad diuinam mentem, qui & mundus intelligibilis eſt, ſurrexerint, ibi per omnia idearum genera ſuo quodam ordine progredi: tandem ex eo mundo egrdi ad ipſum bonum, quod mundi illius principium ſit & finis. Poſt hæc qua ratione ingenium muſicum illuc tum natura uergat, tũ arte feratur, explanat. natura enim ad pulchritudinem eſt propenſum, ità nidelicet, ut per pulchras uoces ad proportionis pulchritudinem numeroſam præcipuè concitetur. Hic ergo docendus eſt, id ipſum quod in uocum modulis admiratur, non eſſe uocalẽ, ſimilemue materiam, alioquin ubique omnesq; ſibi ſoni æquè placerent, ſed proportionalem potius numeroſamque rationem quaſi forma quædam eſt in uocis ſoniq; materia. Quamobrem ſiquo pacto inde ſegregari materia poſsit, taliſq; forma uel in ſe ipſa, uel in mente reſtare, forma tũc ſola placeret: placeretq; magis; quoniam perfectior ibi proportionis numeroſæ ratio foret & abſolutius unum: cuius gratia & proportio placet. Ducendus igitur à pulchra uoce ad pulchritudinem, quæ exiſtit in uoce: hinc rurſus ad ipſam, quę in quadam penes rationalem animam proportione conſiſtit: deinceps ab hac & illa proportione, quę ſunt aliquid pulchrum, uel pulchritudo quædam, ad ipſum huius ordinis pulchrum, ipſamq; pulchritudinem, ideſt, ideam: atque ad ideam primò pulchritudinis numeroſæ atque uocalis, deinde ad ſimplicem pulchritudinis rationem, demum ad ipſum bonum, ex quo pulchritudo, ideſt, ſplendor ipſius & gratia fermè ſic emicat: ſicut ex intima ſanitate externa formoſitas, atque extimum ex intima luce lumen.

B *Philoſophicum, Muſicum, Amatorium ingenium facilè concurrunt.* Cap. II.

IN ſecundo libri capite ait, muſicum ſæpe cum amatore, & utroſque cum philoſopho conſpirare. nec immeritò: Proximi enim &, ſitu, & motu horum adſpiratores ſunt, Sol, Mercurius, atque Venus. proximi rurſum auditus, & uiſus, & imaginatio ſeruiẽs rationi. Item qui pulchrum naturaliter amat qua ratione pulchrum, id amat ubiq;, ſiue in uera rei cuiuslibet ratione, ſicut philoſophus: ſiue in his quæ ſpectantur, ſicut amator: ſiue in his quæ audiuntur, ut muſicus. Reliqua huius capitis omnia in conuiuio de amore latiſsimè pertractamus.

Ingenium philoſophicum magis ſolutum eſt quàm alia ingenia, & ſolo indiget duce per mathematicam diſciplinam ad ſapientiam methaphiſicam. Cap. III.

TErtium libri caput philoſophantis ingenium, educationemq; deſcribit. Hoc utiq;, ſicut & amatoris, muſiciq; ingenium ad pulchritudinem eſt natura propenſum. ſed hoc intereſt, quòd muſicus & amator pulchritudinem uenantur incorpore: qui uerò natura philoſophus eſt, uidetur quodammodo ſolutus à corpore: quoniam & moderatiores habet affectus, & ſemper tum reſoluendo particularia in uniuerſales redigit notiones, tum argumẽtando ſeparatas cauſas inueſtigat. quamobrem non eo quidem indiget qui à materi ſoluat, ſed qui ſoluto iam uolantiq; ingenio demonſtret finem, uiasq; certiores oſtendat. De hoc autem ingenio, & quibus diſciplinarum gradibus ſit
C ad ſublimia perducendum, in quinto, ſexto, ſeptimò de Repu. ſatis agitur. quemadmodum ſcilicet moribus inſtituitur, & mathematicis inſtruitur diſciplinis quodammodo à materia ſeparatis, atq; ad methaphiſicam denique perducitur facultatem.

Methaphyſici officium eſt per omnia entia proficiſci diuidendo, componendo, definiendo, demonſtrando, ac denique ultra entia progredi: item quæ ſint entia, quæ infra entia, quid deniq; ſupra. Cap. IIII.

METhaphiſicæ apud pleroſque Peripateticos ſubiectum eſt ens ipſum qua ratione ens. ſub ipſa eius apud illos ampliſsima notione, in qua ſanè ad entia omnia eſt, tum à materia ſeparata, tum materiæ coniuncta, commune. Tam & ſi apud Platonicos metaphyſicæ ſubiectum latius eſſe uidetur ſcilicet, aut ens atque non ens, aut ens ſaltem ſibi competenti habitudine præditum, habitudine inquam tum ad id quod eſt ſuperius, tum ad id quòd inferius ente. Superius quidem eſt ipſum unum atque bonum, quod entis principium eſt & finis. Inferius autem forma quælibet in materia traſmutabilis ipſaq; materia: ſed forma hæc eſt entis imago: materia uerò ipſius entis eſt umbra. Entia quidem uera Platonici nominant ſubſtantias: in quibus uel non eſt, uel non regnat prodamas ad non eſſe, quod eſt entis oppoſitum: uel non eſt inquam ſicuti in ſubſtantijs à materia ſeparatis, uel etiam ſeparandis: uel non regnat inquam, ſicut in mundi ſphæris: in quibus perfectio

D formæ ſemper defectum materiæ ſuperat. Per hæc omnia facultas progreditur metaphyſica, quam Plato nominat dialecticam logica utentem, ut inſtrumento. Logica enim circa dictiones, cõceptus, propoſitiones, ſyllogiſmoſq; uerſatur. Metaphyſica uerò circa res ipſas logicis interea machinis utens. Metaphyſici uerò officium eſt reſoluere, diuidere, componere, definire, demonſtrare, idq; agendo per omnia entia progredi, præcipuè uerò ad incorporea, quoniam re uera ſint entia: deinde ad ipſum unum horum principium atque finem: poſt hæc proceſſum entium contueri à ſummo ad imum, iterum per omnes gradus entium redeundo: demum redire ad ſummum, ibiq; quieſcere. Inter hæc autem, quo pacto Platonica diuiſio fiat in tribus Plotini libris de generibus entis: Itẽ in Parmenide ſophiſta, Politico, Philebo cognoſcere potes.

Metaphyſicus habet principia innata quidem in intellectu. ſed in rationem edit in actum, & per regulas ueritatis redarguit ſophiſmata, ac regulas logicæ tenet. Cap. V.

QVintum libri caput docet, intellectum ipſum, qui ſemper exiſtit in actu, ſimiliterq; ſciẽtiarum omnium principia poſſidet, hæc rationi ad ipſum cõuerſæ aliquando tradere: per quę fit animus metaphyſicus, dum ratio intellectu formatur, & conſũmatur in ipſum. Præterea metaphyſicum per ipſam ueritatis regulam mendacia ſophiſtarumq; cauillationes deprehẽdere inquit, atque redarguere: minutas autem & quaſi literarias logicæ regulas haud attentè admodum meditari: ueruntamen quia & ipſos animorum motus, & rerum inter ſe conſenſionem diſſenſionemq; tenet, ideo propoſitionum uires, atq; affirmationum negationumq; congruitatem ritè diſcernere.

Omnes facultates à metaphyſica principia trahũt, ſine qua & ſcientiæ nõ ſunt, & mores ſunt imperfecti. Cap. VI.

AIt inſuper in capitulo ſexto cæteras facultes tum mathematicas, tum phyſicas, tum morales à metaphyſica principia ſumere: item metaphyſicam in materiales ordine uniuerſalesq; admodum morum leges habere: quas uelut Geometra prudentiæ, uelut architecto tradit: prudentia uerò uirtutibus aliis quaſi in ædificando miniſtris. Concludit, uirtutes alias eſſe ſine ſapientia imperfectas: atque uiciſſim. ſapientiam enim, reliquamq; uirtutem ſimul fermè pariter coaleſcere: naturaliaq; in animo uirtutum exordia, accedente ſapientia, in uirtutes perfectas euadere, ſiue ſapientia ante alias oriatur, ſiue contrà: nam undecunque inceperis, uirtus altera conducit ad alteram. Denique exordium naturale in natura rationali ad ſapientiam, uel prudentiam eſt oculus imperfectus: ſed ille quidem dexter, hic uerò ſiniſter. Naturale rurſus ad alias uirtutes exordium, mos quidam dicitur imperfectus: Vtriuſque uerò uirtutum generis principium ab his maximè trahitur, quæ in mente, uel ratione, uel etiam imaginatione naturaliter poſſidemus.

DE

A PLOTINI PHILOS. PLATONICI LIBER TERTIVS.

DE TRIPLICI AD MVNDVM INTELLIGIBILEM ASCENSV SCILICET, PER MVSICAM, PER AMATORIAM, PER PHILOSOPHIAM.

Ingenium Muſicum à proportione in uoce reducendum eſt ad proportionem, pulchritudinemq; in mente. Cap. Primum.

QVAE nam ars, vel introductio, vel ſtudium nos quò eundũ eſt reducit? Quod enim ad ipſum bonum primumq; principiũ perueniendum eſt, conceſſum ſit, ex multisq; demonſtratum. et profectò eiuſmodi demonſtratio reductio quædam extitit. Sed quém nam oportet eſſe hominem illuc reducendum? atqui eum qui omnia vel plutima vidit (vt ait Plato) qui in prima genitura in virum futurum philoſophum, muſicúmue, aut amatorem deſcendit. Profectò Philoſophus natura, & Muſicus, & Amatorius reducendi ſunt. Sed quis nam modus? Nunquid his omnibus vnus & idem, an potius proprius ſingulis adhibendus? Eſt vtique omnibus proceſsio duplex: altera quidem proficiſcentibus, altera verò ad ſupera iam profectis. Prima quidem ab inferioribus aſcendit: ſecunda verò illorum eſt, qui iam in loco intelligibili ſunt: ibique fixere veſtigia: oportetq; eos vltra progredi, donec ad ſummum vſque proceſſerint. Qui certè finis tunc itineris contingit, quando quis ad ſummum intelligibilis mundi peruenerit: ſed proceſsio quidem hæc in præſentia maneat. De aſcenſu & reductione prius conandum eſt dicere. Primò quidem diſtinguendũ eſt nobis inter hos viros, exordium à muſico facientibus, quis nam ſit natura. Ponendum ſanè ipſum facilè mobilem, & qui velut admirabundus propenſior ſit ad pulchrum, ſed non ſatis à ſeipſo moueri poſsit: facilè verò ab his quæ occurunt quaſi figuris incitari queat: et ſicut timidi ſtrepitu, ſic ille ſonis harmonicis concitetur, pronusq; ſit ad pulchrum: quod apparet in ſonis: & fugiat vbiq; diſſonantiam: quód ve vnum non eſt in cantibus atque numeris, numeroſum verò concinnumq; ſequatur. Quamobrem poſt ſenſibiles eiuſmodi ſonos, & numeros, & figuras, ſic ducere hunc oportet, videlicet ſeparando materiam in qua proportiones, earumq; comperationes ſunt, atq; ad pulchritudinem, quę in his eſt, reducendo. Præterea docendo illa, ad quæ velut admirabundus vehe
B menter afficitur, non hæc eſſe, ſed intelligibilem potius harmoniam, & quod in
C ipſa pulchrum, & omnino ipſum pulchrum, non aliquod pulchrum tantùm. Denique philoſophiæ rationes ad hæc adhibendo per quas ad fidem perducatur eorum, quæ ignorat, cum tamen habeat. Quæ verò rationes ſint, in ſequentibus declarabimus.

Ingenium amatorium reuocandum eſt à pulchritudine corporis ad pulchritudinem morum, deinde ſcientiarum, deinde mentis. Cap. II.

AMatorius autem in quem fortè Muſicus incidit, atq; incidens uel permanet ibi, vel præterit, memor eſt quodammodo pulchritudinis: ſed quia ſurſum eſt ab ipſa, non poteſt perdiſcere. Perculſus autem à pulchris, quæ aſpectui patent, circa ipſa vehementius cõcitatur. Docere itaque hunc oportet, ne circa corpus vnum quaſi cadens pronior reuoluatur, ſed ad omnia ratione perſuaſus ritè ſe conferat corpora: conſiderans quòd in cũctis eſt idem, & animad uertens ipſum à corporibus eſſe diuerſum: & aliunde procedere, aliſq; magis ineſſe: qualia ſunt pulchra ſtudia, legesq; pulchræ. Circa enim hæc amatoris ſtu

D dium ad res incorporeas amandas iam aſſueſcit. Oſtendendum præterea in artibus etiam & ſcientijs & virtutibus pulchritudinem eſſe, ac pulchritudinem in cunctis vnam, quóue modo aduenìat. Deniq; à virtutibus ad intellectum atq; ipſum ens perueniendum eſt, ibiq; iter ad ſublimia peragendum.

Ingenium philoſophicum natura ſolutum eſt à materia: ac ſolo indiget duce ad diuinam pulchritudinem per certos diſciplinarum gradus. Cap. III.

PHiloſophus autem natura promptus eſt, & velut alatus: neque indigens ſeparatione, quemadmodum hi quos paulò antè memorauimus: ad ſupera videlicet concitus, ambigens autem, ideoq; duntaxat indiget demonſtrante. Quamobrem operę pretium eſt demonſtrare in primis, ac ducere hominem, natura duci volentem, atque iamdiu ſolutum. Adhibenda ergo ſunt mathemati ca, quibus incorporea cogitare & credere cõſueſcat. Facilè namque percipiet: quippe cum diſcendi ſit auidus: & ingenium naturali virtute generoſum ad virtutum perfectionem oportet perducere: poſtq; mathematicas rationes, dialectícas tradere, ac dialecticum prorſus efficere.

E *Dialectica, ideſt metaphyſica totam entium latitudinem contemplatur, atq; ultra progreditur, & logica utitur ut inſtrumento.* C. p. IIII.

QVæ nam eſt dialectica, quam oportet etiam prioribus adhibere? Eſt vtique habitus, qui ratione de vnoquoq; poteſt dicere quid ſit vnumquodque: & quo ab alijs differat, quó ve conueniat. Præterea quomodo, & vbi ſit quodlibet: & ſi eſt, quid eſt: atq; entia quot ſint: & nõ entia rurſus, ſed ab entibus alia. Eadem hæc & de ipſo bono diſputat, & de non bono, & de his quæcunq; ſub bono, & quæ ſub boni contrario. Item quid ſempiternum: quid ve non ſemper. De omnibus inquam non opinione, ſed ſcientia tractans, ab errore, qui circa ſenſibile accidit vacans, intelligibili prorſus adhæret: circaq; ipſum diligenter agit, falſo poſthabito, nutriens animam in ipſo veritatis campo, freta videlicet diſtinctione Platonica ad diſcretionem idearum ſpetierumq;, & ad quodlibet definiendum, & ad prima genera, & quæ ex illis ſunt intellectuali texens, & complicans ratione, quouſque per intelligibile totum progrediatur: ac rurſus reſoluens in illud, ad quod proceſſerat ab initio. Tum demum quietem agens, vt pote quæ quatenus illuc peruenit, quietem aſſequitur: haud vlterius circa pluri
F ma ſatagens, ſed in vnum redacta proſpicit eam, quæ logica nominatur, circa propoſitiones, ſylogiſmósque occupatam, perinde ac ſiſcribendi notitiã alteri cuidam arti concedat, quorum quædam neceſſaria, & artem antecedentia cenſet: iudicat verò ipſa ſicut & cætera: & alia quidem eorum vtilia, alia ſuperflua putans, & ad facultatem appetentem hæc pertinentia.

Metaphyſicus accipit ab intellectu principia, & per regulas veritatis tum redarguit ſophiſmata, tum logicæ regulas comprehendit. Cap. V.

AT vnde principia hæc habet ſcientia? Intellectus fortè principia dat perſpicua, ſi qua anima poſsit accipere. Deinceps verò anima componit, copulatq;, & diuidit quouſq; ad perfectum peruenerit intellectum. Eſt enim hæc vt ille ait, puriſsimum intelligentiæ, atq; prudentiæ, ſiue ſapientiæ. Neceſſe eſt igitur cum ſit habitus præſtantiſsimus eorum, qui ſunt in nobis, circa ens, præſtantiſsimumq; verſari: prudentiam quidem ſiue ſapientiam circa ens: intellectum verò circa id quod ente ſuperius. Quid igitur philoſophia? Preſtantiſsimum proculdubio. Sed nunquid idem philoſophia atque dialectica? Profectò philoſophiæ pars præſtantiſsima dialectica eſſe videtur. Non enim exiſtimandum

A dum eſt hanc eſſe philoſophi inſtrumentum. Siquidem non nudas propoſitiones, reſpectuſq; continet, ſed circa res ipſas verſatur, & quaſi materiam habet entia. Via tamen ad ipſa progreditur, res ipſas vnà cum notionibus habens. Mẽdacium verò & ſophiſma accidenti quodam reſpectu cognoſcit: alio videlicet hoc inferente, ipſa iudicans vt alienum, cognoſcens mendacium per vera, quæ poſsidet, quoties quis illud obijcit quaſi ſit præter regulam veritatis. Quod ergo ad propoſitionem propriè ſpectat, ferè non nouit. Literæ enim ſunt. Cognoſcens autem verùm, cognouit ipſum quod propoſitionem vocant: communiterq; cognouit animæ motiones. Quod ponit, quod ve aufert, ac ſiue id aufert quod & ponit, ſiue aliud. Item vtrum alia, an potius eadem inter ſe afferantur, quaſi more ſenſus attingens: alteri verò facultati hæc plurimi facienti concedẽs exactam in ijs diligentiam.

Metaphyſica dat regulas cæteris facultatibus, tum ſpeculatiuis, tum moralibus: atq; ſine illa & ſcientiæ non ſunt, & mores ſunt imperfecti. Cap. VI.

PArs igitur hæc eſt honoranda. Habet.n. philoſophia alias inſuper facultates: nempe naturam etiam ſpeculatur, auxilium à dialectica ſumens, quem-
B admodum etiam arithmetica cæteræ artes vtuntur: ipſa verò principia propius trahit à dialectica. Facultas quoq; de moribus ſimiliter contemplatur quidem inde: adiungit verò habitus, exercitationeſq;, à quibus habitus ipſi proficiſcuntur. Rationales quoq; uirtutes habent habitus, & tanquam propria iam, quę inde ducũt. etenim cũ materia habent plurima. Et aliæ quidem virtutes ratiocinationes habent in paſſionibus propriis atq; inſuper actionibus. Prudentia verò eſt prȩcipua ratiocinatio quædam, & circa magis vniuerſale verſatur. cõſiderat etiam nũquid in prȩſentia cohibendum ſit abſtinendumq;: an in poſterum: an omnino melius aliud: & quæ viciſſim conſequãtur, quæ non animaduertit. Dialectica verò, & ſapientia etiam vniuerſali, immateriáliq; ratione omnia in vſum prudentiæ profert. At vtrum poſſint inferiora eſſe ſine dialectica, atq; ſapientia quęri poteſt fortè admodũ imperfectè: fieri verò poteſt, vt abſq; iis ita ſit ſapiẽs atq; dialecticus. Vel non vtiq; ſic contingit, ſed vel prius, vel ſimul coaleſcũt. Et fortè aliquis naturales virtutes habebit, ex quibus & perfectę fiunt, adhibita videlicet, ſapientia. Poſt naturales ergo ſapientia prouenit: deinde mores perficit, uel potius exiſtentibus naturalibus concreſcunt iam ambo, ſimulq; tãdem perficiuntur. Aut forſan anticipans altera alteram perficit. Omnino
C enim naturalis virtus imperfectum habet oculum, atq; morem: & principia plurimùm abiis quæ habemus vtriſq; contingunt.

D

ARGVMENTVM MARS. FIC. IN LIBRVM DE FELICITATE

SVMMA TOTIVS LIBRI

BEATVS EST QVI SOLA MENTE VIVIT.

IBRVM de felicitate ab ea ſententia in qua omnes conſentiunt, exorditur. Felicitatem ſanè omnes eſſe bene uiuere predicant. Quoniam uerò quid uita ſit,& quid bonum prorſus ignorant:ideo quoties definiunt bene uiuere, toties errare coguntur. Quorum errores Plotinus in primo,& ſecundo libri capite deprehendit:nos uidelicet admonens,ut ab ipſa diffinitione diſputationis initium faciamus. Itaque in tertio libri capite uitam, & bonum,felicitatemq; deſcribit. In quarto dubitationes obicit atque ſoluit:quærens utrum homini beata competat uita. Item qua ratione rurſus utrum impediri queat:interea ſignificans impediri non poſſe. In ſequentibus deinde capitibus ſimiles quæſtiones adducit,ac denique ſoluit: ex omnibus uidelicet comprobans eum duntaxat eſſe beatum,qui ſola mente uiuens totus iam ſit intellectus, nulla ex re alia pendens,quàm ex intellectu diuino,ipſoq; bono rerum omnium principio,atque fine. Hoc libri totius eſt inſtitutum.

E *Variæ opiniones, quid ſit bene uiuere.* *Cap. Primum.*

PRIMVM itaque caput per ambages uerſat eos,qui ignorãtes quid ipſa uita ſit,quid ipſum bonum,bene uiuere interim definire contendunt,dicẽtes uidelicet: Bene uiuere eſt uitam ſine impedimento tranſigere:item bene ſe habere:rurſus proprium opus perficere:præterea finem conſequi ab appetitu naturaliter exoptatum:de hinc tranquillè uiuere: denique ſecundum naturam uiuere. In his itaq; omnibus eò deducit ueræ definitionis ignaros,ut abiectiſſimis quibuſq; beſtiolis, imò etiam plantis diuinum beatitudinis donum concedere compellantur, & quibus minimum ineſt uitæ felicitatem, ideſt, ſummum uitæ tribuere.

Sicut in primo,ſic in ſecundo falſas opiniones agitat,& ex eis ueri aliquid eligit:in quo nota de ſenſu in animalibus atque plantis. *Cap. II.*

IN ſecundo libri capite dum idem fermè efficit quod in primo,tentat interea ex aliorum erratis, ſiue dubijs non nullas ad ueram beatitudinem inueniendam coniecturas paſsim aucupari. Dixerãt autem felicitatem eſſe affectiónem quandam naturæ,ſecundum quam aliquis bene ſe habere dicſolet. Poſt hæc, nonnulli inter eos negant ineſſe plantis felicitatem: quamuis animalibus cunctis attribuant. Hinc Plotinus ait:Qui negant felicitatem plantis, quia non ſentiant, uidentur etiam qui buſdã animalibus negaturi, ideſt, oſtreis & ſimilibus,quæ uix ſentire uidentur:ac fermè eodẽ modo
F ſentire perfectiores plantas Pythagorici putauerunt. Vt ſummus in plantis gradus cum animalium infimo congruat. Quin etiam in plantis eſt diſcretio ſexus:& propè ſitæ coniuges plantæ fœcundius pullulant:& neſcio quo ſenſu humorem uerſus uergunt atq; calorem & uiolentius amputatæ uel tractatæ ſiccantur. Senſum uerò duplicem eſſe putamus: Inferiorem quidem quo non naturæ rei uel qualitas ulla diſcernitur,ſed affectio quedam tantùm inde illata ſentitur:qui & ſtupidus ſenſus eſt,uelut in dormientibus, plantiſq; conueniens. Superiorem uerò qui & naturam qualitatemq; perſentit animalium ſolummodo proprius. Sed ut redeamus ad illos,qui affectionẽ quandam,ſiue habitum corporeæ præſertim naturæ conuenientem felicitatem eſſe dicebant:illi profectò non rectè adimebant felicitatem plantis,quia non haberent ſenſum: quoniam eiuſmodi habitus ſimiliter eſt etiam ante ſenſum. At ſi dicant ſummum bonum non in tali quodam habitu,ſed in ſenſu & cognitione conſiſtere,inde protinus refellentur:quoniam ſi ipſa propria boni ratio in ſenſu comprehendatur,certè quicquid & quomodocunque ſentiatur,bonum eſſe probabitur. Contrà uerò cõtingit: ſæpe.n.ſenſus actionem,& huiuſmodi cognitionem reſpuimus: quando uel eſſe animaduertimus, uel timemus nobis fore moleſtam. Proinde ſi rurſus addiderint miſtum ex habitu, eiuſq; perceptione ſummum bonum eſſe,iterum conuincentur:quia ſi indifferens aliquid ad ipſum bonum cum altero ad idem indifferente iungatur, non ex ambobus bonum ipſum conficietur. ſi ergo concedant utrumq; ad bonum ſe indifferenter habere, ſummum ex eis bonum minimè reſultabit. Fortè uerò dicent, certum quendam habitum eſſe ſummum bonum, ſed quando cognoſcitur eſſe præſens. Ad hæc ita Plotinus argumentatur: Bene uiuere alicui competit, non ex eo ſolùm quod tale quiddam

adeſſe

A adeſſe cognoſcat, ſed ex eo potiſſimũ quod uerè iudicet eſſe bonum. Sic enim dũtaxat uerè fruetur tanquã bono. Iudicare uerò de natura, & ratione boni, nõ ſenſus iam officium eſt, ſed rationis, atq; mentis. Nõ ergo uel habitus uoluptarius, uel ſenſus eiuſdem, ſed ratio, atq; mens cauſa eſt bene, beatéq; uiuendi. profectò affectio naturæ corporeæ conſentanea, ſiue uoluptas eiuſmodi aliquid eſt rationis expers. hoc autem ipſo, & ratio, & mens uelut iudex & auriga præſtantior eſt. ſi præſtantior eſt, ergo naturalis præcipuaq; ipſius actio ad præſtantiorem dirigitur finem. Quinetiam qui animalibus omnibus, uel etiam plantis attribuũt bene uiuere, hi certè dum addunt hæc bene uiuere, quando certo modo affecta perfectius uiuunt, uaticinari uidentur, ſenſualem, uegetalemq; uitam, non quatenus ſimpliciter talis eſt, ſed qua ratione aliquando melius uiuit, bene uiuere: quaſi ſuper talem uitam non ſemper perfectam, imò & ſemper imperfectam ſit alia quædam ſemper perfectiſſima uita. Qui ergo circa perfectius uiuens ſcilicet, rationale felicitatẽ ponunt, rectius iudicãt. Sed uirtus ipſa rationalis non ideo neceſſaria eſt ad beatos efficiendos, quia comparet quæ primis naturæ corporalis incitamentis neceſſaria ſunt: nam & ſine hac uel comparari, uel adeſſe poſſunt. Item ſic naturam rationalis ſeruiret tantùm inferiori naturæ, quod eſt abſurdum. oportet enim naturam ſuperiorem habere etiam ſuperius officium atq; proprium ad ſuperiorem finem propriè ſibi conducens. Et ſicut natura corporea, ſenſualiſq; ſuum quandoq; finem cõſequitur, ſic illam aſſequi ſuum, neq; perfectionem eius conſiſtere in eo quod circa imperfectiora uerſetur, ſed circa perfectiora inſuper quàm ipſa ratio ſit. Quicquid enim perficiendum eſt uirtute, & adeptione cuiuſdam ipſo perfectioris tantùm perfici poteſt. Deniq; cum natura rationalis rebus corpori conſentaneis impleri nunquam poſ-

B ſit, neq; unquam in talium poſſeſſione quieſcat, conſtat ipſam in alio, atq; præſtantiore ordine collocari, & aliunde ſcilicet, ex alto perfici fieriq; beatam.

Vna uita eſt ſumma ſcilicet, intellectus ſummus: aliæ per multos gradus inde dependent. Cap. III.

TErtium libri caput iam definit aſſerens, ſi in omnibus, quæ uiuere dicuntur eadem eſſet ratio, & æqua uitæ conditio, omnia æquè ad beatam uitam aliquando peruentura: ſed cum non ita res ſe habeat, imò uerò uita uera ſit intellectus, aliæ uerò imagines uitæ ſunt, in eo ſolùm uitam eſſe beatam: in aliis autem uideri quaſdam felicitatis imagines: rationem quoque eſſe intellectus imaginem. Ergo qui in ea felicitatem collocant, rectius quidem quàm cæteri ſentiunt: ſiquidem ratio eſt proxima menti, non tamen rectiſſimè iudicant. Cum enim ratio uerſetur in motu, non propriè ad eam pertinet finis ultimus, qui tanquam ſumma quies diuerſus admodum eſt à motu. Præterea uita beata eſt ipſa uita, & abſolutiſſima uita. Qui uerò dicunt felicitatem non eſſe ſimpliciter uitam, ſed quendam rationalis uitæ habitum, primò quidem negant uitam beatam eſſe ipſam uitam: deinde in accidentali quadam qualitate eam collocant: rurſus in diſcurſione, quæ dum ſemper uerſatur in motu, nunquam eſt uita penitus abſoluta. Concludit ergo Plotinus, beatam uitam circa aliam uitæ ſpeciem eſſe ponendam: aliam, inquã, à ſenſuali, aliam quoq; à rationali. ſed interim corrigit ſeipſum quòd dixerit ſpeciem; non enim uult, intellectum ipſum in eodem genere cum planta, uel ſenſu, uel ratione connumerari, & quaſi ſpeciẽ quandam unà cum his per differentias ſpeciales ex æquo diſtri-

C bui, ſed ipſum intellectum eſſe ipſam uitam, uiuentium omnium principium, & exemplar, cætera uerò uiuentia per diuerſos gradus inde manare, rationale primùm, deinde ſenſuale, deniq; uegetale, ea tamen connexione, ut in animali rationali ſit etiam non nihil intellectuale: rurſus in ſenſuali rationale non nihil: item in uegetali aliquid ſenſuale: deniq; in miſtis uitale aliquid, atq; uegetale: ſic enim & principij fœcunditas declaratur, & ſequẽtium ſeruatur conditio, & uniuerſum undique perfectè conſtitutur. Sed iam ad ipſam uitam mentemq;, uitam q; beatam diſpoſitis gradibus aſcendamus.

Idem eſt prima eſſentia, prima uita, primus intellectus.

In ipſo rerum ordine cernimus eſſentiam anniti ad uitam, quatenus quicquid eſt ad motum, genere rationemq; inclinatur. Motus uerò & generatio uitale aliquid præ ſeferunt. Item uitam ad cognitionem anniti, quatenus quod uiuit in ſe formas generat, qua in re cognoſcentem imitatur naturam quæ in ſe formas concipit cognoſcendo. Hinc patet uitam eſſe perfectionem eſſentiæ, cognitionem uerò uitæ perfectionem. quanquam totum hoc ſub ratione uitæ conſiderari poteſt. Videtur enim & eſſentia eſſe quædam uita naſcens, & cognitio, præſertim intellectualis eſſe uita prorſus adulta. Videmus præterea horum trium ueſtigia quædam per omnia quæ ſunt extendi. Vbique enim ſub ratione formæ eſſentiæ ueſtigium reperitur: ſiquidem unumquodque per formam eſſe uidetur. Itẽ ſub eadem ratione uitæ ueſtigium: ſiquidem per formam inclinatio fit & motus, atque generatio.

D Rurſus eadem ratione ueſtigium apparet intelligentiæ: quippe cum per formam ubique ſit ordo proprium intelligentiæ ſignum. Cum ergo per unum aliquid, ideſt, per formam, tria hæc per omnia porrigantur, neceſſe eſt unam eſſe primam omnium formam: quæ quidem ipſamet ſit eſſentia prima, & uita ſimiliter, & intelligentia prima. Nam iccirco per unum formæ munus tria hæc per omnia protenduntur: quia una ſuper omnia extat forma tria hæc in ſe ipſa complectens. Iam uerò quòd prima forma ſit eſſentia prima, ex eo patet, quòd per formam eſſentia paſſim, & eſſe producitur: atque ubi plus formæ, ibi maius eſt munus eſſendi. Item quòd eadem prima ſit & perfectiſſima uita, necnon perfectiſſimus intellectus, inde conijcimus, quòd & uita eſſentiæ, & intellectus uitæ perfectio eſt. Igitur cum ſumma perfectione eſſentiæ ſumma concurrit uitæ, intellectuſq; perfectio. Præſertim cum eſſentia perfectiſſima proprium actum habeat perfectiſſimũ: uita uerò ſit actus eſſentiæ. item abſolutiſſima uita perfectiſſimè moueatur. Id uerò nihil aliud ſit, quàm per intelligentiam in ſe reuolui. Proinde quemadmodum in mundo ſenſibili, qui mundi intelligibilis eſt imago, eſſentia quaſi materia per uitam formatur, & uita ſimiliter per intellectum, ſiue qualemcumq; cognitionem, quæ intelligentiam repreſentat: ſic in mundo intelligibili intellectus quidem eſt actus quidam uitæ: uita uerò eſt actus eſſentiæ. Quoniam uerò tria hæc apud nos formali quodam ordine interſe diſtinguuntur, iccirco ratione quadam diſtinguuntur: & ibi, ubi prima forma totius formalis ordinis principium eſt & exemplar, & finis. Diſtingui uerò hæc, & ibi quodammodo cõiecta mus, ex eo quòd apud nos, & ſi tria illorum ueſtigia ſunt ubique, in rebus tamen quæ plerique eſſe
E tantùm dicunt, expreſsius eſſentiæ, quàm uitæ, uel mentis apparet indicium. In his autem quæ ſolùm dicuntur uiuere, certius uitæ, quàm mentis ueſtigium nobis occurrit. Et quoniam eſſentia illic quoque uelut informe quiddam uidetur, ſi comparetur ad uitam, & uita ſimiliter ſi comparetur ad mentem: in forme uerò ſeipſum formare non poteſt. iccirco ſuper ens ipſum in quo tria hæc cogitantur, regnat ipſum unum atque bonum: cuius uirtute & eſſentia in melius proficit, dum prodit in uitam: & uita in melius, dum in mentem prorſus abſoluitur. Hæc itaq; mens eſt uita beata, ideſt, uita ipſius boni uigore ad ſummum ſuæ naturę, appetitionisq; perducta, reflexa in ſe, conuerſa in ipſum bonum, atque exuberante illinc bonitate repleta. Ipſum uerò bonum, ac ſimpliciter unum, non eſt eſſentia. Vita intellectus per modum formæ, ſed excellentius admodum, ideſt, per cauſæ rationẽ. Quòd autem proximè ſit ſub bono tria hæc eſt per formam. Anima deinceps tria hæc eſt participatione uera. Quod autem animæ rationali ſubijcitur, participatione quadam imaginaria tria hęc eſſe cenſetur: ſicut lux, lumen, ſplendor in cælo quidem inuiſibili ſunt per cauſæ rationem, in cælo uiſibili per modum formæ, in æthere participatione uera, ſubinde uerò, conditione prorſus imaginaria. Proculum uerò tria hæc uolentem tres eſſe ſubſtantias, & eſſentiam quidem uita ſuperiorem, uitam uerò mente præſtantiorem, non facilè comprobamus. Sic enim oporteret & horum ueſtigia ſimiliter ſe habere, ſcilicet quòd ſolum eſt, excellentius eſſe uiuente. rurſus quod eſt, uiuitq; duntaxat eſſe intelligente præſtantius. Nos ergo dicemus nobiliores huius ſubſtantiæ dotes paucioribus conuenire: minus uerò nobiles competere pluribus. Multa enim perfectaq; in rebus exigitur præparatio ad donum præſtantius capiendum.
F

Ipſe intellectus eſt ſummum uitæ.

VItam communi notione deſcribimus primum quendam eſſentiæ, eſſeq; ipſius exitum in actũ eius. atque ipſum primum eius actum, & quaſi motum intimum & perennem omnium principium motionum. quo efficitur, ut actus, motuſq; ubique ſit uitæ ueſtigium: ac perfectior motus & actus ſit expreſsius uitę perfectioris indicium. Cum uerò ſummus uitę gradus ille ſit, in quem ueluti finem motus omnis uniuerſi contendit, intellectum ipſum eſſe ſummam uitam ex eo conijcimus, quòd uniuerſus mundi motus in formam intellectualem denique deſinit: exordiens quidem generationem à formis elementorum, deinde admiſtorum formas, ſubinde plantarum, dehinc animalium, denique prouenies ad ipſam hominis formam intelligentiæ iam participem. Similiter in ipſa generatione hominis in matrice à forma miſti ad quandam plantæ formam, ab hac ad ſenſualẽ, ab hac ad intellectualem fit proceſſus. Mitto, quòd uniuerſus mundi motus, totaq; generatio ad cõmunem totius ordinem, & pulchritudinem proficiſcitur: quæ quidem certa in rebus eſt intellectus imago. Idem quoque artes imitari conantur, inchoantes quidem opus ab inſtrumẽtis, atq; materia, deſinentes denicq; in artificioſam formam intellectualis artis imaginem. Cum itaq; finis ultimus in ordine motionum quaſi uitarum appareat intellectus, quis non uideat ſummam uitam intelligentiam eſſe ſummam? Ipſamq; mentem eſſe efficiẽtem & exemplarem cauſam uniuerſi? Quippe cum mentis ipſius uirtute omnia, uelut ad finem, ad ipſam mentis ſimilitudinẽ pro uiribus rediguntur.

Hæc

A Hæc igitur ipſa uita eſt. Nulla uerò præter hanc, eſt uita ſimpliciter, ſed quædam potius participatio uitæ: cuius imago quædam eſt uita rationalis: uitæ uerò rationalis imago eſt uita, quę dicitur ſenſualis: huius autem uegetalis uita ſimilitudo uidetur: uegetalis denique uitæ ueſtigium eſt forma quælibet in materia, dum inclinatur, & inclinat ad motum, dum generat quaſi more uiuentis, dum rarefacit atque condenſat: in quibus augmenti apparet & decrementi conditio. Fit ergo deſcenſus à ſubſtantia uitæ ad imagines deinceps alias, atque alias, & ueſtigia uitę: perinde ac ſi artifex ipſe uiuens ſui ipſius ſtatuam ſimillimam fabricet, & hanc deinde referat in pictura, pictamq; imaginẽ ſpeculo rurſus obiciat, unde ultima quædam appareat ſpecularis imago. Solus hic artifex homo eſt: nulla uerò imaginum erit homo. Solus ſimiliter intellectus eſt uita: quæ uerò inde poſterius, deinceps, poſteriusq; fiunt, imagines quædam uitæ potius quàm uitæ cenſentur. Non ſolùm quia longo quodam interuallo ab ipſa uita degenerant, ſed quoniam nẽ nihil morti ſimile habere uidentur ad miſtum, dum & in aliquo uitæ gradu deficiunt, & priuationem quandam ſubeunt à potentia in actum, atque uiciſsim tempore tranſeuntes, & ignorantiam, obliuionemq; patiuntur. Proinde quò motus exterior eſt, eò iudicatur & uita iam facta debilior, quaſi ab ipſo ſuo fonte digrediens. Elemẽta quidem & miſta mouẽtur extra, & in ſeparata ſolùm materia generant. Plantæ uerò iam mouentur intrinſecus, & in coniuncta materia gignunt. Senſualis dehinc animalium uirtus præter eiuſmodi genituram, formas imaginando concipit in ſeipſa. Rationalis deinde uirtus non quemadmodum imaginatio ſuæ conceptionis initia mutuatur à ſenſibus, ſed ex ſemine iam intimo contrahit: conceptumq; ſuum animaduertendo complectitur. Ipſe denicq; intellectus ita iam gignit in ſe, ut ſe quo
B dammodo appareat genuiſſe. In quo enim eſſe, uiuere, intelligere, re ipſa ſunt unum, hic dum intelligit ſemetipſum, interim neſcio quid eſſentiale, atque uitale in ſeipſo gignere, uel expedire, uel conſeruare uidetur. Ex his omnibus colligere poſſumus, intimam maximè, perfectamq; motionem, generationemq; in mente uigere: ideoq; perfectiſsimam eſſe uitam. In mente inquam diuina, primò atque per ſe, in noſtra uerò proximè atque per ipſam. Beatam itaque uitam eſſe putamus, non uitã quidem talem aut talem, quaſi additamenti alicuius egenam, ſed uitam ipſam ſummo uiuendi gradu uigentem. Vitam inquam, ideſt, actum eſſentiæ primæ directum naturaliter in ipſum bonum, atque ita perfectum. Atque in hoc ipſo perfectionis gradu, ſimul & intellectum fieri cogitamus, uitamq; ipſam ipſo intellectu prorſus abſolui. In hoc autẽ intellectu idem eſt uiuere, intelligere, uelle, quamuis in natura rationali aliud ſit uiuere, aliud cogitare, aliudq; eligere. Sicut & in cæleſti lumine idem eſt lucere, micare, calere: quamuis noſtro hoc aeris lumine aliud ſit fulgere, aliud refulgere, aliudq; feruere. Quæ enim natura inferior per diuerſa facere cogitur, eadem per unum explet natura ſuperior. Quemadmodum quæ inſtrumentis quinque ſenſus exterior agit, eadem uno quodam imaginatio peragit. Et quæ pluribus, ſingulisq; formis imaginatio machinatur, ratio una quadam uniuerſali ſpecie colligit. Poſtremò quæ ratio percurrit actu multiplici, intellectus uno ſtabiliq; cõſequitur actu, imò actu perpetuo poſsidet: Huius itaque uiuere eſt intelligere: huius intelligere, uelle: uel ſiqua forſan in uoluntate diſtinctio ſit, eodem tamen naturæ ſuæ (ut ita loquar) inſtinctu, dum ad bonum nititur, naturaliter uelle dicitur: dum aſſequitur bonum, dicitur intelligere: rurſus dum bonum conſequutus amplectitur, uelle iterum iudicatur. Hæc uita prima, primaq; mens paterno ſemper bono perfruens, beata uita cenſetur. Hinc quoque mens quælibet perpetuò ſit beata menti
C primæ, ac per illam bono ſemper inhærens. Hinc & ratio totiens euadit felix, quotiens ſuæ menti, perq; ſuam diuinæ menti coniungitur.

Rationalis natura poteſt conſequi uitam beatam, quando ſcilicet intellectu formatur & agit. Cap. IIII

CVm igitur uita beata ſit perfecta uita, perfecta uerò uita ſit intellectus uerus, actuq; perfectus: Quæritur deinceps: Vtrũ homo, ideſt, anima rationalis ſua ipſa rationali potentia hãc mẽtẽ, hanc uitã cõſequi poſsit. Huic igit quæſtioni in quarto libri capite reſpõdetur, aliquando cõſequi poſſe. quod quidem in theologia, & in libro de mẽte latius aperimus. Vis hæc rationalis duos præcipuè habet actus: intuitum ſcilicet, atque argumentum. Intuitu quidem formas à materiæ conditionibus reſoluit & abſtrahit: atque à ſingulis imaginationis formis ad uniuerſales ſe recipit formas: rurſus ad uniuerſales magis, donec ad communiſsimas perueniat formas, ipſius iam intelligentię proprias: ubi finem facere uidetur in mente: à qua etiam argumenti uirtutem ducit, dum principales ſcientiarum, artiumq; regulas intellectui naturaliter inſitas ſibi ipſi præſcribit tanquam argumentandi *principia*. Sic itaque & intuendo finem ſiſtit in mente: & argumentando trahit à mente principium: *et meritò*, quoniam uelut poſterior naturaliter inde dependet. Finis itaq; rationis eſt *pro uiribus mente poturi*. Hinc ergo quotidie nititur, quantùm non impeditur, magis gradatim,

D magisq; mente formari. Cum uerò potentia hæc tanquam ſpeciei huic naturalis non ſit inanis, mẽtem quandoq; aſſequi poteſt: eandemq; uirtute deniq; perfici, qua & quotidie proficit. Cum uerò potentia rationalis ad ideales intelligentiæ formas, & regulas iam proceſſerit, tunc uelut materia quædam ipſa mente formabitur quaſi forma, & ſub mentis actu iam aget: Atq; ita demum illius uita uiuet, uiuetq; beata. Quod ſi hac in uita tanquam occupata diuerſis acquirere nequit, adipiſcetur in altera: & ille citius conſequetur, qui ſe ad id propenſius comparauerit. In Plotini uerbis notabis, intellectum quendam eſſe intimam, propriamq; ipſius animæ partem. Ac priuſquam ratio tota cõuertatur ad mentem, adhuc in anima eſſe intellectum, atque rationem, tanquam duas animæ partes. poſtquam uerò conuerſa fuerit, intellectum non amplius eſſe partem, ſed animum ipſum eſſe tunc intellectum: qui certè animus non prius eſt felix, niſi totus actu intellectus euadat. Fermè ſicut ſublimis aer ſub ſphera ignis eſt igneus, agitq; ut ignis: quinetiam neq; homo eſt, niſi intellectũ ſaltem habeat in potentia. Quod quidem propter animalia bruta dictum arbitror: in quorum imaginationibus ſiqua uis argumentatrix ineſt, nequit tamen mente formari. Cum enim propriæ mentis formæ ſtabiles omnino & communiſsimæ ſint, meritò imaginatio bruti per formas ſuas, & particulares tantùm, & mobiles nunquam poteſt mente formari. Ratio uerò per formas ſuas quamuis quodammodo mobiles, tamen uniuerſales poteſt ad intelligentiæ formas quandoq; produci. Poſt hæc diſputat eiuſmodi felicitatem propter curam animalis, eiusq; incommoda minimè pertur bari: quippe cum animus ſic affectus animal non eſſe ſui partem exiſtimet, ſed aliquid uel ex eo factum, uel ſuæ prouidentiæ commendatum. Affirmat autem inter hæc Plotinus animum ſic affectũ ſibimet bonum exiſtere ſcilicet per intellectualem formam, quam nuper rationalis animus eſt indutus: indutus inquam ſub intellectu proprio: quemadmodum & proprius intellectus ab initio diuinum induitur intellectum. Atque omnino per intellectum & proprium, & diuinum animus ipſo bono perfruitur. Quod quidem in ſe ſimpliciter bonũ eſt, in intellectu uerò eſſentiale, utile, intelle ctuale, intelligibile bonum.

Quæ Peripatetici obijciunt.

QVintum libri caput ſummatim enumerat quæ huic felicitatis definitioni ſit Peripateticus aliquis obiecturus, & quæ ad felicitatem neceſſaria uideantur, numeraturus. Inter hæc notabis magica ueneficia in corpus & animã poſſe nonnihil: quod & Porphyrius aſſerit: præſertim in animas quodãmodo debiles, ideſt, imaginationi addictas, nec intellectu uelut Palladis clypeo haſtaq; munitas. ſed de ueneficijs, faſcinationibusq; ſatis in theologia & cõuiuio de amore tractamus.

Finem ultimum eſſe bonum unum ſcilicet, ſummum intelligibile, uel pluſquam intelligibile. Cap. VI.

F AD hæc in capite libri ſexto reſpondet: Si felicitatem in rerum humanarum proſperitate & tranquillitate quadam eiuſmodi poneremus, ſequi quæ à Peripateticis obiecta ſunt ſcilicet non eſſe felicem cui aduerſa contingant. Cum uerò beatam uitam in ipſa primi, diuiniq; boni poſſeſsione ponamus: nec reliqua præterea quæ dicuntur bona huic cenſet annumeranda: neque horum contraria felicitatem putat nobis adimere: modò interim ab ipſa diuinitate minimè diſcedamus. Cui quidem quamdiu coniunctus eſt animus, æquè beatum dicit: & ſi corpus interea doloribus torqueatur. Id equidem Plotinum arbitror, non tam Stoicorum uerbis, quàm Chriſtianorum martyrum ſuo ſeculo frequentium opera didiciſſe. Tum uerò negat felicitatem in accumulatione quadam maiorum, minorumq; bonorum eſſe ponendam. quæ quidem ipſe minora, quæ dicuntur bona, potius neceſſaria nominat. Deus profectò naturæ auctor noſtrum animal, ideſt, corpus uiuens tanquam imperfectius aliquid ſubeſſe animæ uoluit. De hinc in anima imaginationem ſubdidit rationi, rationem menti, mentem deniq; ſibi. eadem ratione bonum, finemq; proprium animalis, fini bonoq; animæ ſeruire conſtituit. Atque in anima proprium imaginationis finem fini proprio rationis, item familiarem rationis finem fini mentis ſeruire præcepit. qui ſanè quemadmodum proprius eſt intelligentiæ finis, ſic & finis ſequentium eſt communis, finiumq; finis. Quamobrem rationalis animæ finis non ex diuerſis bonis componitur, ſed eſt ipſum intelligentiæ bonum: ad quod uelut ad finem bona ſequentia referuntur. Præſertim cum animus tunc ſolùm beatus exiſtimetur, quando non ulterius in plura diſtrahitur ſed demiſsis, uel certè remiſsis admodum cæteris uiribus & officijs, totus iam eſt translatus in mentem. Ideoq; totum animi bonum eſt unum ipſum intelligentiæ bonum. Tunc & reliqua, quæ bona dicuntur, ſi eligit, non propter ipſa, ſed quaſi quædam remedia eligit, ut omnia inde pro uiribus uitentur incommoda: quæ fortè animum ad inferiora curan-

A curanda diſtractum adducere uideantur, ut interim circa diuinum bonum remiſsius operetur. Ait præterea ultimum finem maximeq; omnium expetendum, oportere non ſolù eſſe maximum in ſe bonum, ſed animo etiam præ cæteris intimum. ſic enim bonum maximè prodeſt, ſi ſummopere ſit intrinſecum. atque ita maximum eſt animo bonum. Atque uiciſsim quod maximum in ſe bonum eſt, ſimodò id animus noſter auguretur, fit præ cæteris intimum: tum quia & ipſum efficaciſsimè rapit & penetrat, tum quoniam animus uehementiſsimè ad id afficitur. Tale uerò eſt ſolùm intelligibile, & pluſquam intelligibile bonum. cætera enim quę dicuntur bona, uel etiã extra animal noſtrũ ſunt, ceu diuitiæ, honores, imperia: uel in animali noſtro, ſicut ſenſuum uoluptates: uel, & ſi ſunt in anima, tamen externa proſpiciunt: ut imaginationis oblectamenta, ſpesq; rationis occupatæ rebus agendis: uel ſi non externa reſpiciunt, ſunt tamen (ut ita loquar) imaginaria, perpetuoq; uerſantur in motu, ut rationis ſpeculantis diſcurſiones, atq; conceptus: ſolùm uerò quod ſuper rationis motum extat bonum, & menti eſt penitus intimum, & (ut ita loquar) ſolidum ac ſtabile, ſimulq; totum. Id ergo & maximum in ſe bonum eſt, & maximum animo bonum.

Felix unicum bonum uult, cætera propter ipſum eligit. Cap. VII. & VIII.

IN capite libri ſeptimo confitetur felicem eligere commoda potius quàm oppoſita: Et commoda non propter ipſa, ſed ut deuitentur incommoda. At uerò incommoda procul abeſſe malle, non quia cùm accidunt eſſe felicem è medio tollant, ſed quia & eſſe potius auferant: quanquam hoc
B deinceps nihili pendit, & contemplationis ſtudium interpellare contendant. Concludit, beatum diuinitate plenum cætera omnia nihilipendere: ideoq; ex ipſis nullam in partem è ſuo ſtatu poſſe deflecti. Idem in octauo capite peragit.

Eſt in mente ſapientia æterna, ad quam cùm attingit ratio, animus eſt beatus. Cap. VIIII.

IN nono capite iterum dubitatur: Vtrum qui beatus iam definitus eſt, perſeueret beatus, ſiquò grauiſsimo morbo aut maleficio phreneſim patiatur? Reſpondetur: perſeuerare beatum: quaſi dormiat quidem, & ſomniet imaginatione: uigilet tamen & perfectè agat tum mente, ſicut & de omni anima dictum eſt, tum ui rationis ſuperiore, quæ & contemplatiua ratio dicitur, & quodammodo intelligentia quædam: quæ in beato iam mente formata eſt, & ut mens operatur. Idq; uidelicet ſecundum uniuerſales tum rerum ſpecies, tum rationis actus. nõ enim adeo perfectè formata eſt ſecundum ſingula: magis enim à mente diſtant. Quin etiam & reliqua rationis uirtus, quæ in agendo magis poſita eſt, & ſi in phreneſi diſtrahatur, aut uacet, tamen paratiſsima eſt, poſt phreneſis impetũ ad ſuperiorem rationis uim, mentemq; reflecti. Poſt hæc cognitionem æternam à temporali diſtinguit: quod nobis ſic uidetur altius repetendum. Cum in prima eſſentia uiuere quidem ſit intrinſecus agere, intelligere uerò agere in ſeipſam, ſuiq; notitia in ſe reflecti, qui ſanè actus nullo modo uergit ad corpus, meritò eouſq; naturam intellectualem extendi putamus, quouſq; cognitio ſui & quædam à materia ſegregatio. In natura ergo rationali quamuis aliquando imago quædam mẽtis ſolear appellari, tamen quodammodo natura intellectualis apparet. Ratio enim & ſeipſam animaduertit, & ſæpe formas à conditionibus materiæ ſeperat. Tres itaque intellectualis naturæ ſunt
C gradus: Intellectus ſcilicet, ipſe communis: Intellectus animæ propriùs: atq; ratio. Tres quoq; ſunt naturæ intellectualis imagines: prima ſenſus: ſecunda uis uegetalis: tertia forma corporis. Sed de imaginibus alibi. Iam uerò in intellectu primò intelligere eſt ipſum eſſe. In ſecundo intelligere eſt quaſi eſſe, & (ut ita loquar) exiſtere. eſt enim agere: agere inquam actu quodam eſſentiali, & intimo atque perpetuo, fermè ſicut in luce lucere, ſiue micare. In tertio denique intelligere eſt argumentari: id autem eſt mobiliter operari, fermè ſicut in lumine refulgere. Meritò inter intelligere, quod eſt eſſe ſimpliciter, nullaq; participatione, ſed penitus per eſſentiam, atque intelligere, quod eſt mobiliter agere, medium eſt intelligere, quod eſt agere penitus immobiliter. Et prima quidem intelligentia eſt per eſſentiam: ſecunda per participationem quidem, ſed prorſus immobilem: tertia denique participatione fit mobili, ſicut & ſphera ignis eſſentia calet: ſupremus aer feruet inde participatione perpetua: inferior aer calet participatione mutabili. Eſſe uerò proprium in anima intellectum ſtabiliter operantem, non ſolùm ratio hæc nobis oſtendit, ſed hinc inſuper confirmatur: quòd rationalis natura quaſi potentia quædam eſt quodammodo patiens, dum motu formatur, atque ex otio prodit in actum: quem plerique intellectum paſsibilem, uel formabilem nominabunt. Oportet ergo hunc intellectum, uelut ex ſe imperfectum ab alio quodam perfectiore, qui ſemper in actu ſit, ex potentia in actum uiciſsitudine perpetua duci. Neque intellectum communem tantùm oportet ſiC 3

D esſe ſemper in actu, ſed intellectum etiam animæ proprium. ne naturæ rationali deſit efficax intelligentiæ ſuæ & intimum ſufficiensq; principium: cum neq; uegetali naturæ deſit negationis ſuæ ratio ſeminalis: quæ quidem intimum eſt, & efficax, & continuum generandi principium. Sicut ergo uniuerſalis natura, ideſt, tota uniuerſi ſeminaria ratio præeſt particulari naturæ, ideſt, ſuæ cuiuſque uiuentis ſeminariæ rationi, hæc uerò perpetuo præſidet mobiliq; generationis officio: ſic intellectus communis, & agens intellectui proprio rurſus agenti: hic autem rationi quaſi iam patienti: ut inter agens commune, patiensq; proprium, ritè proprium agens medium ſortiatur. Hinc itaq; fit, ut animus ad ſummum quandoq; inſe reuocatus inueniat ſtatim nondum inuenta, & ſæpe uaticinetur, & opera omnibus miranda perficiat: quippe cum ſubitò in mentem propriam reuertatur, quæ diuina quadam uirtute pollet, cui omnia patent. Sed de his in Theologia latiſſimè diſputamus. Ad hunc utique intellectum, uelut ad tertium ſcilicet, intellectuale cælum ſuper cælum imaginale, atque rationale Plotinus forſan diceret, Paulum aſcendiſſe: & Moyſen in hunc montem: & eiuſmodi angelum prophetis plurima nuntiaſſe. Neque enim decere ad nos deſcendere numina: neque oportet animum diuina uiſurum loca mutare: ſatis enim eſſe ad mentem, & diuina conuerti. Sed hæc ille uiderit.

Confirmantur ſuperiora, quòd in omni mente ſapientia ſit æterna: et quomodo rationalis natura ad hanc aſcendat.

E ANimus ſæpe uel intuendo, uel argumentãdo multa conſideret, non ſolùm eſſe ſempiterna, ſed qua etiam ratione ſint ſempiterna: ipſiusq; (ut ita dicam) ſempiternitatis propriam cõcipit rationem. Maioris uerò ad ſempiternitatem momenti eſt ratio ipſa, quàm modus. Cum igitur tanta ſit uirtus in animo, ut res ſempiternas, ac ſempiternitatem ipſam ſempiterna cogitet ratione, multò magis ea eſt in animo uirtus, quę res ſẽpiternas modo quodã ſempiterno, ideſt, ſempiternè ſemperq; conſideret. Sic igitur ſuper imaginationis actum, qui eſt mobilis circa mobilia, extat rationis actus, qui eſt circa immobilia mobilis: ſuper hunc actus intelligentiæ circa immobilia prorſus immobilis: ut ſicut actus animæ in melius proficit, ſic perficiatur in optimum. Dic age: unde nam ratio noſtra uim habeat: ut dum à ſingulis formis ad uniuerſales ſeipſam recipit, ipſas interim formas ab hoc, uel illo loco, motu, tempore ſoluat: niſi inſita quadam & preſidente ſibi uirtute: cuius actus non à loco tantùm, ſed à motu etiam atque tempore ſit ſolutus. Alioquin ipſa duntaxat ratio dum mobiliter & temporaliter agit, nunquam formas poſſet actu ſuo à motu ac tempore ſoluere. Virtutem dixi inſitam: nam & ſiquis rationem obijciat, ſub intellectu communi hoc efficere, cogetur attamen confiteri, certum quendam actum non abſque certa quadam uirtute poſſe præberi: ſiquidem talis actio talem ſequitur facultatem: atque ideo uim quandam ſtabiliter operãtem ab intellectu communi præfici rationi, per quam & ſi mobiliter, ipſa tamen ad immobilia ſe conuertat. ipſam uerò uim ſtabilem nos intellectum proprium nominamus: cui neceſſarium eſt
F communiſſima, certiſſimaq; ſcientiarum artiumq; ineſſe principia, & ipſa quoque exemplaria rerũ, ut ratio ibi poſsit diſcurſiones argumentandi fundere: resq; & opiniones ueras, bonaſue ab oppoſitis ritè diſcernere: ac per uim intellectus illius omnia ſemper ſubitò contuentem, ipſa quoque nonnunquam aliquid ſubitò intueri. Cum dicimus intelligibilia ineſſe intellectui, ſic accipe: ut intellectus ſit ipſum intelligibile. Sic enim habet ordo. Senſus quidem nec eſt, nec habet ſenſibile, ſed uertit ſe foras ad illud. Cogitatio uerò & ſi non eſt cogitabile, habet tamen intrinſecus. Intellectus deniq; tanquam ratione præſtantior, non habet tantùm intelligibile, ſed exiſtit. Vbi uerò ait, Sapientiam ſelicis animæ ſtam eſſe in eſſentia quadam, imò potius in eſſentia, ſignificat actum ipſum intelligendi exiſtere ipſum eſſe, tum in proprio intellectu: qui eſt eſſentia quædam, tum in intellectu communi: qui eſt ipſa eſſentia. Addidit autem potius: quoniam actus intellecctus propriį ab actu communis ſit atque ſeruatur. Proinde ſicut in lumine idem eſt eſſe lumen, atque lucere, quamuis non ſit idem eſſe lumen, & reſplendere, atq; calere: ſic in anima intellectuali, idem eſt intellectualem eſſe atque intelligere, licet non idem ſit eſſe, & ratiocinari, atque imaginari. Sed memento, ex Plotini mente ponendam eſſe inter intellectum, imaginationemq; geminam ſpeciem rationis: Alteram quidem ſpeculatiuam ſurgentem ad intellectum: Alteram uerò actiuam ad imaginationem potius declinantem. Alioquin cum non poſsit per ipſum intellectum duntaxat eſſe alter beatior altero, omnibus per ipſum ſimiliter ſemper agentibus, non erit hic fælicior illo: niſi quia in hoc ſpeculatiua ratio naturaliter intellectui proxima, in mentem penitus eſt conuerſa. Quod tamen de actiua ſimiliter non licet dicere: quia & remotior eſt à mente & in labore poſita, & quodammodo ſeruit externis. Differre uerò rationes eiuſmodi ſpecie, patet, non ſolùm quia ſpeculatiua naturæ o-

pera

A pera propriæ, actiua hominum opera cogitat, ſed etiam quia raro admodum & forte nunquã con
curnit in eodem ingenio naturalis utriuſq; dexteritas.

*Neque omnes animaduertunt, mentem ſuam ſemper agere circa diuinam: neque beatus ſemper animaduer
tit rationem ſuam ſuperiorem agere circa mentem.* Cap. X.

ET ſi in beato ratio ſpeculatrix ſub forma iam actuq; mentis agit, non tamen ita ſe agere ſemper animaduertit: ſicut neque alij mentem noſtram agere circa diuinam mentem ſemper agnoſcunt. Sicut enim in animali noſtro ſecundum uim uegetalem uiuere ferme idem eſt, atque uegetare, ideſt, nutrire, augere, generare, ſeruare: neq; tamen agnoſcimus hanc uim hæc agere, & quo modo talia peragat: quia uidelicet nulla actionis huius imago ad imaginationem peruenit animalis, aut noſtram: ita & in noſtra mente idem uiuere eſt, atque intelligere, neque tamen actionem eius æternam animaduertimus: niſi quando quædam eius imago in noſtra imaginatione concipitur. Iam uerò neque beatus ſemper agnoſcit ſpeculatricem in ſe rationem unà cum intellectu ſuo circa diuinam mentem iam agere: quoniam actionis eiuſmodi non ſemper in imaginatione ſua imago formatur, per quam admoneri ſolet animus, quid potiſſimum uis eo uel inferior, uel ſuperior agat. Hic nota, pertinere ad intellectum noſtrũ cognoſcere ſemper actu: ad rationem uerò noſtram quodammodo recolere cognita, dum circa formas excogitandas ex habitu tranſit in actum, atque uiciſſim: ad imaginationem denique attinere quodammodo diſcere noua. Hæc enim ſi à ra-
B tione diuertens ad animal ſe cõuertit: quid uideat, quid ue audiat animal, ſtatim animaduertit: quid uerò ratio interim, uel intellectus agat, non agnoſcit. Atque uiciſſim ſi quando uacans ab animali ad rationem tota conuertitur, tunc per hanc ipſam imaginationem animus rationem aliquid agere iam perſentit. Quòd ſi ratio conuertatur in mentem, quod accidit in beato, tunc ſanè & rationem circa mentem noſtram, & noſtram mentem circa diuinam uigilare animus ſtatim animaduertit. Quoniam in noſtra imaginatione ab animali uacante, nihilq; illinc corporeum machinante imagines quædam uelut in ſpeculo ab ipſo mentis, rationiſq; actu prorſus apparent, per quas admonetur animus in ratione ſcilicet, uel ſpeculatrice, uel actiua, tum intellectum, tum rationem ſpeculatricem agere. Tu uerò memento: In ipſo intellectu ſicut idem eſt uiuere, atque cognoſcere, ſic idem eſſe cognoſcere penitus & agnoſcere, ideſt, quod ipſe cognoſcat animaduertere. Sed in ratione, quoniã non idem eſt omnino uiuere, atque cognoſcere: ſiquidem illud æternum eſt, hoc uerò perpetuò permutabile: meritò neque idem eſt cognoſcere, quod ue cognoſcat, uel agat agnoſcere. ex quo ſequitur, ut agnitio hìc cognitionem ſequatur tanquam poſterius aliquid, & ſorte quadam conſequens atque comitans, faciatq; ſæpe, ut diſtractione quadam animi prior actio ſit aliquanto remiſſior. Non igitur ab re Plotinus ait, agnitionem, animaduerſionemq; eiuſmodi per conſequentem poſterioremq; facultatem formamq; peragi. Facultatem uerò poſterius comitantem, imaginationem ipſam eſſe non dubitamus. Formam ſimiliter quæ priorem comitetur formam imaginem appellamus. Sint ergo naturales formæ in mente, uel ratione: quamuis ibi quidem æternæ, hìc uerò perpetuæ. Sint igitur aduentitiæ in imaginatione formæ formarum imagines naturalium, per quas
C uelut res nouas animus, uelut admirabundus attendat, animaduertatq; quid in ratione agatur & mente. Profectò ſicut oculus facie continetur, ſic ratio mente. atque ſicut oculus nec uidet faciem, neque motum eius aduertit, niſi quando in ſpeculum certo modo nobis oppoſitum lineares faciei radij diriguntur, atque inde per ſimiles angulos reflectuntur ad oculum, & ſpeculum ita oſtentat imaginem ſi quam modo habet imaginem: ſimili quodam pacto ratio uelut oculus, neque uidet mentem, neque agere illam animaduertit, quamuis ſemper agat, niſi actus eius agat non nihil in imaginationem aliunde diuerſam, illuc uerò conuerſam. Quo quidem actu ab imaginatione in rationem reſultet ſuperioris actionis imago. Hic notabis primò quidem ubi Plotinus ait, nos non eſſe uegetalis facultatis actum, ſed eſſe potius actum intelligentiæ, id potiſſimum in beato eſſe uerũ: uerum quoque in quolibet animo: quem intellectui coniunctiorem quàm animali Plotinus exiſtimat. Deinde ubi ait, actum intelligendi tunc eſſe abſque phantaſia, quando nulla inde in hac imago fit, atque reſultat: non intelligentiam puram à phantaſia, ſed phantaſiam ab intelligentia deperi dere: quamuis rationalis intelligentia, ideſt, cogitatio, ratióque mobilis à phantaſia ſæpius excitetur, præſertim actiua ratio: quam ſolam phantaſia ſemper egere Ariſtoteles ait: quemadmodum & Themiſtius, atque Simplicius prudenter interpretantur. Denique Plotinum ſcito annuere, dum quædam Ariſtotelis uerba recenſet, hanc illius de mente fuiſſe ſententiam: ubi in tertio de anima ſcribit, intellectum intelligere ſemper, & intelligentiam eius eſſe ſubſtantiam, uereq; immortalem exiſtere. Non enim adeo uera eſt in uirtutibus inferioribus immortalitas, nam & ſi quæ perpetuæ

D ſunt,tamẽ uerſantur in motu. Quòd autem reminiſci nos, ideſt,rationalem uim poſt obitum negat, Plotinus alibi diligenter examinabit. Deniq; memento,Auerroem & ſi non idem,tamen ſimile aliquid induxiſſe:ubi ait,intellectum noſtrum intelligentiam duplicem in ſe habere:alteram æternã, alteram tẽporalem:illam quidem per ſuum eſſe,hanc uerò per noſtras imagines exercere: ac nos illam nunquam animaduertere,quia nihil cum imaginatione noſtra communicet, hanc autem agnoſcere,quoniam illius formæ cum imaginationis noſtræ imaginibus congruant. Cumq; intellectum ponat in eadem ſubſtantia geminum ſcilicet formatorem ,atque formabilem, ait,formabilem hunc intellectum,quid agat ille formator,non prius per nos agnoſcere,quàm ipſe per nos ſit illo perfectè formatus. Tunc demum & ſimul cum illo in nobis fore felicem. Sed mittamus Auerroem: nam & Plotinum ipſum hac in parte Porphyrius,& Proculus obmiſerunt,non probantes intellectum animæ noſtræ ita ſemper agere,ut Plotinus ait:& nos in ſuperioribus non tam approbantes,quàm interpretantes expoſuimus. Saris uerò ſtabiliratis & excellentiæ eſſe in mente noſtra putandum eſt,ſi eſſentia & formæ rerum inſitæ, ſcientiarumq; principia maneant.

Huc uſque decem complentur libri capita: reliqua uerò ſex eiuſdem capita diligenter conſideranti patebunt. In ijs quæſtiones mouet & ſoluit: tacitis quoq; reſpondet obiectionibus:& ubique beatũ confirmat non aliunde quàm ex mente, deoq; pendere.

E

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVARTVS DE BEATITVDINE.

Variæ opiniones, quid ſit bene uiuere, quibus ue conueniat. *Cap. Primum.*

VM Bene uiuere,atque felicem eſſe in eodem conſtituamus, nunquid hoc cęteris quoque animantibus concedemus? Si enim datur ipſis,qua ratione nata ſunt ſine impedimẽto vitam tranſigere. Quid prohibet illa etiã bene,ideſt, feliciter uiuere? Etenim ſiue quis bene uiuere poſuerit in bene ſe habendo, ſiue in opere proprio perficiendo,ſecundum ambo cęteris quoque animalibus competet. nam & bene ſe habere poſsibile erit, & ipſum etiam opus naturale perficere:ueluti muſica animalia quotcunque & in cæteris bene ſe habent:& ſicut naturaliter apta ſunt,canunt:& hoc pacto fieri poſſe uidetur,
F ut uitam optabilem conſequantur. Quinetiam ſi finem quendam felicitatem eſſe ponamus,quod quidem extremum eſt in appetitu naturæ, hoc quoque pacto illa fore felicia confitebimur,videlicet,quando ad extremum peruenerint. quò cum proceſſerint, ſiſtit in ipſis natura motum: quæ totam vitam ipſis iam peregit,& à principio ad finem vſque prorſus impleuit. At ſiquis moleſtè ferat in beſtias transferri felicitatem,fore aſſerens,vt ita vel abiectiſsimis conueniat, & plantis inſuper,ipſis quoque viuentibus,vitamq; ad finem proprium perducentibus:abſurdus ille quidem videri poterit,dicens,non poſſe cærera animalia bene viuere:quoniam ipſi non multi pretij videantur eſſe cenſenda. Plantis atem concedere non cogetur quod cunctis dat animalibus, propterea quòd ſenſu careant. Neq; fortè deerit qui plantis quoq; tradat felicitatem, ſiquidem & viuere illis adeſt. Viuere autem partim quidem bene contingit, partim verò contrà:ſicut & plantis datum eſt,vt bene ſe habeant,ferantq; fructum,atq; non ferant. Proinde ſi voluptas eſt finis,& in hac viuere bene conſiſtit,abſurdus erit qui bene viuere brutis abſtulerit. Quòd ſi trãquillitas erit finis , ſimiliter accidet. Item ſi ſecundum naturam viuere,eſſe dicatur ipſum bene viuere, idem ſe qui videbitur.

Falſas

A *Falſas opiniones agitat, atq; ex eis ueri aliquid excutit, inquirendo, utrum bene uiuere conueniat rationali tantùm, an etiam bruto, an etiam plantis?* Cap. II.

QVicunq; verò plantis adeſſe negant felicitatem, quia non ſentiant, uíden tur etiam neq; cunctis eam animantibus tradituri. Si vtiq; ſentire hoc eſ ſe dicunt ſcilicet, affectionem non latere, oportet ipſum bonũ affectionẽ ipſam eſſe ante id ipſum quod dicitur non latere, veluti ſecundum naturam ſe habere, etiam ſi latuerit: & proprium eſſe, etiam ſi non dum proprium eſſe cognoſcas. Quinetiã eſſe dulce. Oportet enim dulce eſſe, ante quã dulce id eſſe percipias. Quapropter cum id ſit bonum, atq; adſit quod ipſum habet, iam bene ſe habet. Itaq; quid nam ſenſum oportet adiungere? niſi fortè non in preſente quadam affectione, vel conſtitutione bonum collocent, ſed cognitione potius atq; ſenſu. At verò ſic ſenſum ipſum, ſenſualiſq; uitæ actionẽ dicent eſſe bonum: ideoq; quodlibet percipientibus, bonum adeſſe confitebuntur. Sin autem ex ambobus bonum conſtitui dicant, velut certæ cuiuſdam rei, affectionísve perceptione: quónam pacto cum vtrunq; ſit indifferens, quod ex ambobus conſtat, bonum aſſerunt? At ſi bonum quidem affectionem, talemq; ſtatum eſſe bene viue re dicant, quando quis bonum preſens ſibi cognoſcit, interrogare eos expedit:

B Vtrum cognoſcens præſens hoc eſſe præſens, bene viuat? an noſſe oporteat *nõ ſolum eſſe dulce, ſed hoc ipſum eſſe bonum?* Verùm ſi noſſe oportet eſſe bo num, non ſenſus ipſius iam id opus erit, ſed virtutis cuiuſdam ſenſu præſtantio ris. Non ergo voluptate perfuſis bene uiuere competet, ſed ei qui cognoſcere valeat voluptatem eſſe bonum. Atq; ita bene viuendi cauſa non voluptas erit, imò quòd iudicare queat voluptatem eſſe bonum. Et id quidẽ quod iudicat, eſt affectione & paſſione præſtantius: eſt enim ratio, vel intellectus: voluptas verò paſſio. Nullo autem modo quod irrationale eſt, ratione eſt excellentius. Quo modo igitur ratio ſe ipſam dimittens aliud ponet in oppoſito quodam genere conſtitutum ſeipſa preſtãtius eſſe? Sed videntur quícunque plantis attribuunt, & quicunq; ſenſui tali bene ſe habere, latere ſeipſos dum bene viuere tanquam maius aliquid quærunt: ipſumq; quod melius dicitur, in vita integriore quodammodo collocant. Rurſus quotcunq; in vita rationali eſſe dicunt, nõ autem in vita ſimpliciter, neq; etiã ſi fuerit ſenſualis rectè forſan dicere poſſent. Quam verò ob cauſam ſic & circa rationale animal ſolùm felicitatem ponunt, interro gare eos oportet, nunquíd rationale adiungitis? quoniam ratio ſolertior, ſaga ciorq; ſit atq; facilius prima ſecundum naturam inueſtigare comparereq; poſſit

C Nunquid etiam ſi neq; ſagaciter inueſtiga reneq; aſſequi valeret? At uerò ſi pro pter ipſam duntaxat inueniendi potentiam magis id dicatur, aderit felicitas etiam ratione carentibus: ſi modo abſq; ratione prima ſecundum naturã natu raliter aſſequantur. Itaq; miniſtra erit ratio, nec vllo modo propter ſe eligenda, neq; rurſum perfectio eius, quam dicimus eſſe virtutem. Sin autem dicatis non habere dignitatem propter prima naturæ, ſed propter ſeipſam eſſe colendam: dicendum ſupereſt vobis, quídnam ſit aliud eius opus, & quæ natura, quídue ipſam perfectam efficiat. Perfectam ſanè euadere eam oportet non ob ipſam circa hęc inſpectionem, ſed in alio quodam perfectionẽ eius conſiſtere, aliamq; ipſi ineſſe naturam: neq; in numero eſſe horum ſecundum naturam primorum: neq; ex quibus prima huiuſmodi componuntur: neque omnino huius generis eſſe, ſed horum omnium præſtantiſſimam: alioquín quomodo ſit veneranda, il los aſſignare poſſe non arbitror. At verò hi quidem quouſque naturam his in ueniant meliorem, circa quæ nunc immorantur, permittendi ſunt ibi trahere moras vbicunque libuerit, ambigentes quídnam ſit bene viuere, quibus ineſſe poteſt, & quo pacto, & in quibus horum valeat reperiri.

D *Si eadem ratione graduſq; perfectione uiuerent omnia, ſimiliter poſſent omnia bene uiuere: ſed uita ipſa eſt ipſe intellectus. in aliis autem uiuere diſtat ab intellectu, ideſt, ab ipſa uita pluſquam genere.* Cap. III.

NOs verò ab initio reſumamus, quid nam felicitatem exiſtimemus. Profectò cum felicitatem in vita conſtituamus, ſi viuere vniuocum putaremus, omnibus animalibus felicitatis facultatem tribueremus. Bene autē viuere actu illa opinaremur, quibus vnum idemq; adeſſet: cuius animalia omnia naturaliter capacia eſſe valeant. Neq; ſic rē huiuſmodi partiremur, vt rationali quidem facultatem huius concederemus, irrationali verò nequaquam. Vita enim eſſet ipſum commune, quod quidem eiuſdem capax ad beatitudinem conſequendam eſſe deberet: ſiquidem in vita quadam beatitudo conſiſteret. Quapropter & qui in vita rationali beatitudinem fieri dicunt, non in communi vita ponentes, non ſatis, vt arbitror, aduertunt ſe felicitatem ponere non eſſe vitam. Qualitatem verò rationalem potentiam, circa quam felicitas conſiſtit dicere compellentur. at ſubiectum apud eos vita rationalis exiſtit: nam circa totum hoc felicitas ipſa verſatur: quamobrem circa aliam vitæ ſpeciem ponenda videtur. Di
E co autem non tanquam aliæ ſpecies aduerſus rationem diſtinguantur ex æquo, ſed quemadmodum dicere conſueuimus: hoc quidem prius, illud verò poſterius eſſe. Cum igitur multifariam vita dicatur, differentiaſq; habeat ſecundum prima atq; ſecunda, & deinceps: & viuere æquiuoca ratione dicatur aliter quidem de planta, aliter verò de bruto: & plenitudine atq; exiguitate differentiam habeat, certè proportione quadam analogica, tam bene viuere, quàm viuere de his omnibus dicitur. Atq; ſi alterum viuens viuentis alterius ſimulachrum eſt, ſimiliter & alter bene viuendi habitus, alteriùs bene viuendi ſimulachrum iudicari debet: ſin autem cuicunq; ſatis adeſt viuere, hoc autem eſt, quod nulla ex parte à vita deficit, felicitas competit, certè ſoli ſufficienter viuenti felicitas aderit. Huic enim adeſt & optimum: ſiquidem in ipſo entiū ordine optimum eſt quod verè eſt in vita, ipſaq; eſt vita perfecta. Sic enim neq; aduentitium erit ipſum bonum: neq; aliud quicquam aliunde aduenies efficiet, vt ſubiectum collocetur in bono. Quid enim perfectæ vitæ ad hoc vt optima ſit, eſt addendum? Siquis verò ipſam boni naturam dicat addendam, proprius quidem ſermo nobis erit: neq; tamen cauſam, ſed quod ineſt nobis inquirimus. Sæpe quidem dictum eſt, perfectam, veramq; vitam in illa intellectuali natura vigere:
F alias verò imperfectas eſſe, vitæq; imagines, neq; perfecte viuere neque purè: rurſus neq; vitas magis eſſe quàm non vitas. Et nunc ſummatim dictum fuerit, quatenus omnia viuentia ex vno principio viuunt, neque alia æquè viuunt, ne ceſſariò ſequi, ipſum viuendi principium primam vitam perfectionemq; eſſe.

Homo poteſt uitam beatam aſſequi, quatenus conſequitur intellectum ſcilicet, quòd actu totus animus fiat intellectus. Cap. IIII.

SI igitur homo poteſt vitam perfectam habere, certè homo hanc habens eſt beatus: alioquin diis tantùm felicitatem attribuemus, ſi ſolis eiuſmodi adeſt vita. Quoniam verò fatemur hominibus quoque poſſe ineſſe felicitatem: quonam pacto id ſit, nobis eſt cogitandum. Dico autem ita: Quòd homo perfectam vitam habeat, non quidem ſi habeat ſenſualem ſolam, ſed rationem quoque intellectumq; verum, ex alijs poteſt eſſe perſpicum. Sed nunquid ipſe tanquam alius exiſtens, id tanquam aliud habet? Aut certè omnino nō eſt homo, niſi hoc vel potentia habeat, vel actu, qualem dicimus eſſe felicem. Sed nūquid tanquā eius partem id in ipſo ponemus? dicemusq; perfectam vitæ ſpeciem eſſe? Aut certè alium quidem hominem, velut partem, id dicemus habere, potentia

A tia quadam habentem: illum verò felicem, qui iam id actu exiſtit, ad idq; peruenit, vt vnà cum hoc ſit idem. Circunſtare verò ipſum iam cætera: quæ quidē aliquis non tanquam partes ipſius aſſeuerabit, eo nolente videlicet, circunſtantia: ipſius verò iam eſſent, ſi vellet eſſe connexa. Huic ergo quidnam eſt bonū? Fortè ipſe ſibimet per id quod poſsidet. Quod autem ſuperius extat, cauſa eius eſt, quod viget in ipſo. Atque illud quidem aliter in ſe bonum eſt, alteri verò aliter adeſt. Teſtimonium verò hinc haberi poteſt, quòd qui ſic eſt affectus, nihil vltra deſiderat. Quid enim quærat? Deteriorum quidem nihil: optimo autem eſt coniunctus: Qui igitur ita viuit, vitam habet ſufficientem. Ac ſi virtute ſit præditus, ſufficiens ad felicitatem & ad boni poſſeſsionem erit. Nullum eſt enim bonum, quod non habeat. Quod autem quærit tanquam neceſſarium quærit, non quidem ſibi, ſed ſuorum alicui: corpori quidem annexo quærit. Et ſi corpori viuenti, certè quæ ad ipſum pertinent, non quæ interioris ſunt hominis propria. Profectò hæc planè cognoſcit, atq; ita dat quæ tribuit, vt nullo modo à vita ſua deſciſcat: quamobrem in fortunis aduerſis nihilominus beatus erit. permanet enim quemadmodum eiuſmodi vita. præterea in domeſticorum amicorumq; obitu, quid ſit mors non ignorat. Ipſi quoque qui talia patiuntur, ſi probi ſint, idem planè nouerunt. Familiares autem, atque neceſſarij id patien-
B tes ſiquam moleſtiam afferant, non ipſi inferunt, ſed ei potius quod in ipſo eſt mente captum, cuius quidem moleſtias proprias felix animus non accipiet.

Enumerat quæ Peripatetici huic definitioni felicitatis obijciant. Cap. V.

DOlores autem corporis, & morbi, & quæ omnino actiones impediunt, quidnam poterunt? Quinetiam ſi per hæc ſibi minimè conſtet, quid dicēdum? Id enim ex veneficijs, & morbis quibuſdam fieri poteſt. Quónam pacto in his omnibus bene viuere, felixq; eſſe poterit. Inopem quidem & abiectam fortunam miſſam in præſentia faciamus. Quamuis & ad hæc aſpiciens aliquis, nobis forſitan aduerſabitur, Priamiq; calamitates contrà adducet in medium. hæc enim & ſi ferat, ac facilè ferat, non tamen pro voto eius eueniunt. Oportet autem vitam felicem ad votum eſſe: Quandoquidem probum hominem non eſſe ſolum animam talem dicent, ſed hominis ipſius ſubſtantiæ corporis naturam annumerari. Facilè verò hoc diceret aliquis accipere, quouſque corporis paſsiones ad ipſum animum transferantur: rurſusq; corporis gratia hominem
C ſingula vel proſequi, vel declinare. Proinde cum vitæ felici voluptas neceſſaria ſit, quónam pacto anguſtijs & doloribus circumuentus felix erit? etiam ſi bonus ſit is, quem aduerſitas eiuſmodi preſſerit? Atqui diis quidem perfectus ipſe mentis ſolius habitus felix, atq; ſufficiens: Hominibus autem quorum animis deterius aliud eſt adiunctum circa totum compoſitum eſt quærenda felicitas, non autem circa alteram duntaxat partem, quamuis præſtantiorem: quæ quotiens altera male ſe habet, neceſſariò officia ſua exequi prohibetur. Alioquin corpus, vel corporis ſenſum oportet abijcere, atque ita ad felicitatem nobis ſufficientiam quærere.

Reſpondet obiectionibus, quòd finis ultimus ſit bonum ſimplex ſcilicet, intelligibile: cætera verò non finis, ſed ad finem. Cap. VI.

AT ſi felicitatem in non dolendo, & non ægrotando, & non periclitando, neque in magnas aduerſitates incidendo ratio collocaſſet, nemo felix cōtra ijs imminentibus eſſe poſſet. Sin autem in ipſa veri boni poſſeſsione id poſitum eſt. Quid nam oportet hoc prætereuntes, & quod præterea accedit pro-

D ſpiciẽtes iudicare felicem, alia inſuper quærere, quæ in felicitatem minimè numerantur? Si enim felicitas eſſet bonorum ſimul ac neceſſariorum accumulatio, ſiue bonorum maiorum, atque minorum, quæ non modò neceſſaria, ſed etiam bona dicantur, hæc inſuper oporteret adeſſe. At ſi finem eſſe vnũ aliquid, non autem multa oportet, alioquin non finem, ſed fines homo quæret, illud cõſequi oportet ſolùm, quod vltimum eſt, atque præſtantiſsimum, quód ve intimum ſibi fieri anima quærit. Inquiſitio verò hæc atque voluntas non eò tendit, vt in hoc minimè ſit. Incommodorum enim declinationem haud præcipuo naturæ voto eligit, ſed præſentia ſolùm fugit rationis diſcurſio, atq; propellit: aut etiam commoda quærit adiungere. Ipſa verò appetitio principalis ad id quod optimum eſt, dirigitur: quo præſente impletur & conquieſcit. Atque hæc vita eſt, quæ voluntate præcipua exoptatur. Neceſſariorum verò aliquid adeſſe, nõ voluntas erit, ſi propriè ac præcipuè, nec per abuſum nomines voluntatẽ: quãdoquidem & hæc adeſſe exiſtimamus oportere: quoniam videlicet à malis pro viribus declinamus: neque tamen hoc ipſum declinationis officium eſt principaliter exoptandum: optabilius enim eſt, declinatione hac nequaquam indiguiſſe: Teſtantur autem hoc eadem ipſa cum adſunt, velut ſanitas & indolen-
E tia. Quid enim horum mirificè animum ad ſe adducit? Præſens namque ſanitas & indolentia negligi conſueuit. Quæ verò præſentia nequaquam habent blandam ad ſe animi conuertendi virtutem, neque ad felicitatem nobis quicquam addunt. Abſentia verò propter contrariorum offendentium præſentiam requiruntur, rationi conſentaneum eſt, neceſſaria potius quàm bona cenſere. Neque igitur fini videntur annumeranda, ſed & abſentibus ipſis, eorumq; contrarijs imminentibus, finis integer eſt ſeruandus.

Felix bonum intelligibile ſolùm uult: ab alijs uel bonis, uel malis non dependet. Cap. VII.

QVam igitur ob cauſam felix appetit hæc adeſſe, & contraria reſpuit? Forte dicemus non quia ad beatum eſſe, ſed ad ipſum eſſe potius aliquid cõferant. Contraria verò horum vel ad non eſſe deducant, vel quoniam virum fine potitum occurentia interpellent, non auferentia finem. Sed quoniam qui optimo fruitur, ipſum ſolum optat habere, aliud verò quicquam vnà cum ipſo nequaquam. quinetiam ſi occurrerit aliud, non aufert quidem finem, qui vel hoc preſente non abeſt. Omnino autem non ſiquid accidat felici, quod nolit,
F propterea vlla ex parte à beatitudine decidit: alioquin quotidie permutabitur, à felicitateq; excidet: veluti ſi filium amittat, vel iacturam quandam ſuppellectilium patiatur. Profectò innumerabilia ſunt, quæ præter ſententiam accidentia nihil finis præſentiæ detrahant. At dicunt, magnas aduerſitates non quaslibet mutare felicitatem. Sed quidnam erit humanorum adeo magnum, quin ab eo deſpici queat, qui ad altiora his omnibus ſeſe contulit, neq; ab inferioribus vllis vltra dependet? Cum enim proſperitates quidem qualeſcunque adſint non magnas exiſtimet: ſicut regna, & ciuitatũ, gentiumq; imperia, conſtitutionesq; vrbium, vel ſi ab ipſo fiant: cúrnam dominationis, vel patriæ iacturam graue malum exiſtimabit? Sin autem malum ingens, aut omnino malum ciuſmodi quicquam eſſe cenſeat, ridiculus erit habendus: neq; amplius erit probus, ligna, & lapides, & per louem mortes mortalium magnũ quiddam dicens: quẽ cenſemus debere mortem prorſus exiſtimare eſſe vita corporea meliorem. Ipſe autem ſi immoletur, num putabit malum ſibi mortem, propterea quòd iuxta aras ſit iugulandus? Quòd niſi cõdatur, omnino tam ſuper, quàm ſub terrã corpus diſſoluetur. Nunquid etiam multifaciet quòd tenui ſumptu, ignobiliterq; ſepeliatur, altiori monumento dignus minimè iudicatus? Omnino verò puſilla

nimis

A nimis est talia multifacere. Præterea si captiuus ducatur, aderit soluendi facultas, si non detur ibi esse felicem. Sin autem domestici eius captiui ducantur, sicut tractæ neptes, & filiæ, num minus felix erit? Quid ergo dicemus, si decedat è vita nihil talium intuitus, nunquid è vita tali quadam opinione migrabit, perinde ac si hæc accidere nequeant? Sed ita putans foret absurdus. An non igitur opinabitur fieri posse, vt sui fortunis talibus opprimantur? Nunquid ergo ob hanc ipsam opinionem quasi sit euenturum, felix minimè sit futurus. Imò etiam opinatus ita, felix esse poterit. quapropter etiam si acciderit in præsentia, considerabit enim eam esse vniuersi naturam, vt talia ferat, atque sequi oportere. Multi quinetiam in captiuitatem ducti melius agent. Præterea in eorum arbitrio est qui vincti sunt se soluere. quòd si permaneant, vel quadam ratione manebunt. atque ita nihil admodum graue fuerit, vel absque ratione. tum verò non decet, vt ipsi sibimet perturbationis causa sint. Sanè vir probus neq; vnquam propter suorum insciitiam malo premetur, neque in aliorum fortunas siue aduersas, siue prosperas traducetur.

Beatus bonum intelligibile seruat integrum in quolibet ictu fortunæ. Cap. VIII.

B QVando verò dolores eius vehementes sunt, quatenus poterit ferre, feret: sin autem vehementer excesserint, efferent. Neque miserabilis erit positus in doloribus: sed ipsum suum lumen in suis penetralibus, velut facula quædam in pharo fulgebit assiduè, etiam dum extrinsecus venti perflant turbine, procellisq; frementes. At si minus sibimet ipse constet, vel si fortè protendatur dolor adeo vehemens, vt fermè iam enecet, quid dicemus? Profectò si protendatur, quid oporteat facere consultabit. nõ enim in his liberum auferetur arbitrium. Nosse verò oportet, non qualia cæteris singula, talia viris virtute præstantibus apparere: neque rursus singula vsque ad hominis intima peruenire: neque alia quidem, neque cruciatus, neque dolores: neque rursus quando alij angustijs optimuntur. Alioquin foret hæc quædam animæ nostræ debilitas. Quod quidem perspicue tunc apparet, quando operæ pretium, vt hæc nos lateant, fore censemus: similiter quoq; si quando præstare putemus, imminentem mortem nos latere. Præterea cùm aliena incommoda latere nos cupimus, non illis iam, sed nobis ipsi prospicimus, ne molestijs vllis afficiamur. Id verò totum nostræ imbecillitatis est vitium: quam propulsare procul oportet: neque imbecillitati cedentes formidare ne quid molestiæ accidat. Siquis autem obiecerit,
C nos ita natura institutos, vt domesticorum casibus doleamus: is intelligat primum quidem non omnes sic affectos esse: deinde virtutis officium esse, commune naturæ conditionem ad id quod melius est perducere: atque ad honestius aliquid præter vulgi sententiam: honestius autem est nequaquam his concedere, quæ communi naturæ grauia esse videntur. Non enim quasi rudem esse decet, sed tãquam strenuum certatorem fortunæ ictus viriliter propulsantẽ. Quippe cum cognoscat communi quidem naturæ talia displicere, suo autem ingenio perferenda nõ tanquam re vera grauia, sed velut pueris terribilia. Hæc igitur num voluisset? Fortè quidem nolebat: quando tamen accidunt, virtutem his opponit, per quam animus haud facilè permutetur, atque patiatur.

Beatus rationis suæ superiorem oculum æternæ iam affixit intelligentiæ, unde beatus est, etiam si inferior rationis oculus prospiciat alia. Cap. VIIII.

SEd quando sibi minimè constat vel morbis, vel magorum artibus obrutus, quidnam dicemus? At si concesserint ipsum eo in statu virtutem propriam

D retinere, ac veluti dormientem, quid prohibet esse felicem? Quoniam neque in somnis illi felicitatem adimunt, neq; momenti vllius tempus id æstimant, quò minus per omnem vitam felicem esse confiteantur. Sin autem probum esse negent, haud amplius de probato viro verba faciunt. Nos autem concedentes esse probum, vtrum semper sit felix quatenus probus est, quærimus. At sit virtute præditus, aiunt, neque tamen id sentiens, neque secundum virtutem agēs. Quo modo ergo felix erit? Verùm & si non sentiat se esse sanum, nihilominus sanus erit: rursus si non aduertat se esse pulchrum, non minus erit pulcher. Si autem sapientem se esse non sentiat, minùsne erit sapiens? Sed fortè quis dixerit, sapientiæ quidem oportere sui ipsius sensum, animaduersionemq; inesse: sapientiæ namque in actu suo positæ adesse felicitatem. Cæterùm si sapientia eiusq; actio aduentitia foret, eiusmodi sermo non nihil fortè conuinceret. Sin autem substātia sapientiæ in essentia quadam, imò potius in essentia sita est: neque perit hæc ipsa essentia in dormiente, vel in eo qui sibimet constare, vel conscium esse, negatur: Atque est ipse essentiæ actus in ipso: talisq; actus perpetuò vigilans, nimirum tunc etiam ipse probus, quà probus, vel si dormiens, infirmusq; sit,
E aget. Latebit autem actus eiusmodi non ipsum totum, sed partem potius aliquam: quemadmodum & vegetali actu vigente, non transmigrat in reliquum hominem talis actionis animaduersio per ipsam sentiēdi naturam. Quòd si idē penitus atque vegetalis nostra virtus essemus, proculdubio agente illa, nos agere remus. At verò id minimè sumus, sed ipse intelligentis ipsius actus scilicet, sumus: quapropter agente illo, nos agimus.

Quare lateat hominem intelligentiæ suæ actus æternus: & quomodo possit animaduerti. Cap. X.

LAtet verò forsitan propterea quòd non peruenit ad vim aliquam persentientem. Nam per sensum quendam quasi circa hæc medium agere quoq; ad hæc oportet: Ipse verò intellectus cur non agat? Rursusq; circa ipsum animæ sensum, animaduersionemq; præcedens. Oportet enim actionem aliquam ante animaduersionem esse. Siquidem idem est intelligere, atque esse. Videtur autem animaduersio esse, fieriq;, quando intelligentiæ actus reflectitur: & quando quod agit secundum animæ vitam, quasi iterum repercutitur, velut aliquid in speculo circa lene, nitidumq; quiescens. Vt enim in eiusmodi rebus quando
F adest speculum, fit simulachrū: quando verò non adest, vel non ritè se habet, actus quidē cuius erat simulachrū adest, simulachrū verò abest: sic & circa animā quādo quietē agit: quod tale est in nobis, vt in eo imaginationes, siue notæ quę dā cogitationis, intellectusq; refulgeant: tūc introspiciūtur imaginationes eiusmodi: & modo quasi sensibili iam agnoscitur, vnà cum cognitione priori intellectum cogitationemq; agere. Cùm verò id confunditur, propterea quòd perturbata sit corporis harmonia, tunc absque simulachro cogitatio, intellectusq; intelligit, ac sine phantasia tunc agitur intellectio. Quapropter eiusmodi quodam pacto considerari potest, cum phantasia intelligentiam fieri: cum tamen intelligentia phantasia minimè sit. Multas vtique reperiet quis etiam vigilantium speculationes, actionesq; honestas, in quibus constituti speculari nos, & agere non aduertimus. Non enim necesse est, legentem quod legat agnoscere, præsertim quando attentione maxima legit: neq; qui fortiter agit necessariò cognoscit se fortiter agere: aliaq; per multa similiter adeo, vt animaduersiones videantur actiones, quas comitantur, debiliores reddere. Ipsæ verò cum solæ sunt, tunc puræ sunt, plusq; actionis & vitæ habere vidētur. Iam verò cùm probi viri in eo statu viuunt, eos magis viuere constat: quippe cum vita eo in tempore non in sensum diffusa sit, sed in seipsam eodem tenore collecta.

Beatus

A *Beatus maximè omnium uiuit: quoniam uita eius est tota simul in eo, quod optimum est, unita: neque externa prospicit, ut optanda, uel metuenda.* Cap. XI.

AT siqui obiecerint, virum huiusmodi ne viuere quidem, profectò nos ipsum viuere affirmabimus. Latere autem illos huiusmodi felicitatem, sicut & vitam. At nisi crediderint, æquum censebimus, vt concedentes eum viuere, probumq; esse, hoc pacto vtrum beatus sit perquirant: ne fortè detrahentes ei vitam, vtrum bene viuat, inquirant. neque rursus hominem tollentes de medio, iam de hominis felicitate deliberent. demum neq; cum probum concesserint ad intima esse conuersum, mox eum in actionibus quærant externis, votumq; eius in extrinsecis esse positum arbitrentur: alioquin neq; substantia vlla felicitatis erit, si votum eius ad externa posueris, probumq; talia quędam dixeris affectare. Optat profectò omnes homines bene viuere, nullisq; malis quenquam affici. Veruntamen si hæc ad votum nõ succedant, nihilominus beatus erit. Siquis autem eum deceptum iri, & à ratione aberraturum dicat, si modo talia velit (quandoquidem impossibile sit non esse mala) is profectò concedet nobis voluntatem eius ad intima conuertentibus.

B *Beatus non eget uoluptate aliqua extra mentem: summus enim actus intelligentiæ est summa uoluptas.* Cap. XII.

AT si voluptatem in hoc viro requirant, certè intemperantium, neq; omnino corporis voluptates exquirent. Fieri enim non potest, vt hęc adsint, quin felicitatem cotaminent. Neq; rursus affluentior lætitiæ motus. Quã enim ob causam eiusmodi quædam exposcent? sed eas duntaxat voluptates, quæ ipsius boni præsentiam necessariò comitantur: neq; in motu sunt positæ, neque nuper adueniũt. Iam enim adsunt bona: adest & ipse sibi, permanetq; voluptas serenitasq; sua. Serenus autem semper est probus: statusq; eius quietus: affectioq; sufficiens: quam nullum omnino eorum quæ mala dicũtur, si modo probus ille sit, perturbat. Siquis autem aliam voluptatis speciem in ipsa probi vita requirit, non iam probam amplius exigit vitam.

Actus uel æternus mentis, uel perpetuus summæ rationis circa mentem in beato non impeditur externis. Cap. XIII.

Neque verò actiones eius ob fortunam prorsus impedientur, sed aliæ potius in fortunis alijs erunt. Omnes autem honestæ similiter, atq; tunc forC san illæ honestiores, quæ circunstantia ritè componunt. Actiones verò in contemplatione positæ, si quæ circa singula versantur, forsan tales erũt, quales cum ille iam quæsiuerit, & considerauerit, proferet. Sed maxima doctrina expedita semper est penes illum: idq; magis, etiã si in Phalaris tauro sit collocatus. Quod quidem stultè iocundum dicitur, bis terue pronũtiatum. Ibi enim quod ita pronuntiat, hoc ipsum est, quod in cruciatu est positum. Hic autem quod quidem dolet, aliud: hoc verò est aliud, quod secum habitans, quatenus ita secum necessario habitat, nunquam ab ipsa totius boni contemplatione deficiet.

Homo est solus rationalis animus. homo beatus est animus, qui iam intellectus euaserit. Ideo quæ ad sensum pertinent, beatus nihilipendit. Cap. XIIII.

HOminem verò pręsertim probum non esse quiddam ex anima, corporeq; compositum testatur etiam ipsa à corpore seperatio, contemptusq; eorũ quæ bona corporis appellantur. Ridiculum autem foret siquis dixerit felicitatem ad id quoq; quod in nobis est animal, pertinere. Quippe cum felicitas vita

D sit bona: quæ quidem in anima ipsa consistit: cum hæc scilicet vita bona actus sit, neque tamen totius animæ, non enim vegetalis, adeo vt & corpus attingat. nō enim felicitas in magnitudine, bonoq; corporis habitu collocaturne: q; rursus in perspicacia sensus: quādoquidē nimia corporis sensuumq; ꝓsperitas grauās animū, hominē ad se detorquet. Decet autē vicissim cōpensatione & diuersione quadam ad optimū potius conferente quodammodo corpus attenuare, vt appareat, hominem ipsum ab externis esse diuersum. Homo tamen ille ex eorum qui inter nos sunt numero, esto & formosus & magnus & diues, hominū quoq; omnium dominus, vtpote qui regionis huius ciuis habetur: neque illi ab his decepto est inuidendum. Circa verò sapientem ipsum talia quædam fortè neq; ab initio sunt: ac si adsint, comminuet ipse, si modò seipsum colat: luxumq; & dotes corporis per negligentiam atteret: deponet & principatus: præterea sanitatem corporis ita curabit, vt morborum haud omnino imperitus esse desideret, similiter quoque dolorum: imò & nisi acciderint iniuuentute volet discere: in senio verò neq; his, neq; etiam voluptatibus perturbari volet: neq; à re vlla corporea, siue iocunda, siue molesta, ne videlicet ad corpus declinare co-
E gatur. In doloribus verò positus, præsentem sibi sufficientemq; ad hæc virtutē his opponet: atq; ita se comparabit, vt neq; in voluptatibus, prosperaq; valitudine, & vacatione laborum beatiorem esse se censeat, neq; in eorum oppositis minus existimet se beatum. Cum enim priora illa felicitatem non augeant: certè neque eorum contraria minuunt.

Ei qui bonum intelligibile possidet, nihil addi potest boni bonorum aliorum præsentia, nihil demi boni oppositione malorum. Cap. XV.

QVòd si duo sapientes sint: quorum alter quidem habeat quæcunq; naturæ consentanea iudicantur, alter verò contraria: nunquid pariter dicemus fore beatos? Dicemus vtiq; si modo æquè sapientes sint. Nempe si aliter pulchro sit corpore, cæteraq; possideat omnia, quæ neque ad sapientiam, neq; omnino ad virtutem, neq; ad eius quod optimum est contemplationem, neq; ad vitam optimam conferant, nescio quid plus ob hæc momenti reportet: quādoquidem neque etiam qui talia possidet gloriabitur, quasi eo qui hęc non possidet sit beatior. Quinetiam neq; ad ipsum tibicinis finem horum copia con-
F ferret. At nos ex infirmate nostra felicem considerabamus, grauia, horribiliaq; iudicantes, quæ beatus ipse non iudicat. alioquin nō dum sapiens, nō dū beatus erit, nisi prius eiusmodi imaginationis fallacias omnes à se fugauerit: & quasi omnino iam factus alter sibi ipsi confidat, tanquam nihil mali passuro. Hoc enim pacto in omnibus viuet intrepidus. Siquid verò metuat, non dum est virtute perfectus, sed dimidium duntaxat habere videbitur. Iam verò improuisos & qui ante iudiciū accidunt metus, si quando alijs intentò acciderint, sapiens propulsare conabitur: atq; coniunctum sibi sensum quasi puerum dolore commotum, vel minis, vel ratione compescet, comminatione, inquam, non perturbante: perinde ac si puer maiorem quendam reueritus statim coerceatur. neq; tamen ob hæc vir talis ab amicitia erit & gratitudine alienus. talis enim est sibi ipsi atq; suis. Cum igitur quæ & sibi, eadem amicis attribuat, amicus erit præcipuè, simulq; mente viuet.

Vir sapiens, & qui beatus futurus sit, solùm se confert ad mentem: solùm pendet ex deo: cætera uel contēnit omnino, uel sine perturbatione gubernat. Cap. XVI.

SIquis autem probum virum in hac excelsa mente non constituerit, sed fortunæ ictibus subiugauerit, eiq; ab his timuerit, is certè non qualem nos esse opor-

A oportere cenſemus, probum virum adducet in medium, ſed mediocrem quen
dam atq; ex bono, maloq; permiſtum: mediam quoq; vitam agentem ex bono
ſimul & malo compoſitã. Qualem vtiq; neq; reperire facilè eſt: neq; ſi reperia-
tur, erit felicis nomine dignus: quippe cum nihil habeat magnum, vel ad ſapien
tiæ excellentiam, vel ad boni pertinẽs puritatem. Non eſt igitur felicitas in vi-
ta coniuncta. Rectè enim Plato petendum deſuper ſummum bonum iudicat:
ad ipſumq; ei reſpiciendum, qui ſapiens ſit, beatusq; futurus: ſtudendumq; ad
ſimilitudinem illius accedere, illiusq; vita viuere. Id ergo ſolùm ad finis ipſius
perfectionem eſt habendum. Cætera verò vir ſapiens quaſi quaſdam loci mu-
tationes exiſtimabit, nullum ex locis ad felicitatem ſuſcipiẽs incrementum:
ſed quaſi coniectans alia inſuper, quæ circunſtant: velut ſi vel hîc, & ita, vel ibi,
& aliter diſponantur: attribuens quidem huic quodcunq; neceſsitas poſtulat;
& facultas præſtat: ipſe verò viuens alius, non impeditus coniunctum ſibi di-
mittere: naturæ quoq; ſuo tempore conceſſurus, idq; facilè dimiſſurus: poteſt
quoq; de hoc pro arbitrio conſultare. Quamobrem huius officia partim qui-
dem ad felicitatem conducent: partim verò neq; finis, neq; omnino ſui ipſius
gratia ſuſcepta erunt, ſed eius duntaxat quod eſt adiunctum: quod quidem cu
rabit, quandiu poterit, atq; ſuſtinebit: quemadmodum ſi lyram muſicus quam
B diu vti valeat, curet: cum verò inutilis ſit, vel mutet, vel vſum omnino lyræ di-
mittat, actionibusq; circa lyram prorſus abſtineat, officium ipſe abſq; lyra aliud
habens: itaq; iacentem propè deſpiciat lyram, ipſe abſq; inſtrumenti mini
ſterio cantans. neq; tamen huic ab initio quidem inſtrumentum
fruſtra tributum fuit, quippe cum ſæpe iam ipſo fuerit vſus.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM, VTRVM FELICITAS AVGEA TVR TEMPORE.

C *Quid æternitas: quid beatitudo: quomodo mentes omnes æternitate fruuntur in æternum: rationales ue-
rò naturæ aliquando: & hæ quàm diu fruuntur, ſtabiliter agunt.* *Cap. primum.*

SVPER ipſum ens Platonici ipſum collocant eſſendi principium: nominantq;
ipſum unum, atque bonum. In ente autem primam eſſentiam, primam uitam,
mentemq; primam cogitant. Vitam uerò illam tum æternam, tum beatam, ſed
diuerſa ratione poſſumus nominare. Eſt enim uita primus, intimus, perpetuus
actus eſſentiæ. Quatenus ergo actus eiusmodi eſſentiæ ſuæ ſimul totus affigi-
tur, & eſſentia ipſi ſimul uni ſemper innititur, æterna uita, imò æternitas ipſa uo
catur. quatenus autem actus idem nuſquam à ſuo fonte digrediens ad interio-
ra reflectitur, ipſa mens appellatur: quæ ſic protinus coniuncta bono, uita beata imò beatitudo
meritò nuncupatur. Hac mente, hac æternitate, hac beatitudine, mentes omnes quia fruuntur pro-
ximè, ideo in æternum. Naturæ uerò rationales quoniam ſequenti potiuntur gradu, ideo æterni-
tate, beatitudineq; huiuſmodi potiuntur quidem, ſed (ut Platonicè, uel potius Plotinicè loquar)
non æternè fruuntur: Aliàs itaque beatæ ſunt, aliàs iterum non beatæ: Verumtamen dum beatæ
ſunt, non mobiliter amplius, ſed ſtabiliter agunt. Cùm enim prima æternitas, beatitudoq; re ipſa
ſint unum, rationales naturæ quatenus beatitudinem, eatenus æternitatem ſimiliter conſequuntur.
Cùm uerò æternitatis maximè proprium ſit ipſe ſtatus, nimirum quandiu tanquam felices potiun

D tur æternitate, immobiliter agunt, cunctaſq; ſimul actionis dotes unico uelut intuitu complectuntur: ut autem propria quandoque ſententia loquar: non poteſt animus æternitate frui, niſi fruatur æternè. Itaque cum primum attingit æternitatis ſtatum, illic poſitus extra tempus & motum adeo ſtabiliter agit, ut nulla ex parte inde amplius dimoueri queat. Hac ſententia noſtra ſemel poſita, interpretationem Plotinicam proſequamur.

Rationalis natura ſeculis admodum longioribus felix uiuit in ſpheris ſublimibus, quàm infelix circa terram. Cap. II

PRoinde animas hominum in terra, uel aere craſsiore uiuentes plurimùm non eſſe felices, ſed miſeras arbitrantur, in loco ſcilicet peccati, pœnæ purgatorij conſtitutas. Tunc uerò omnes fore beatas cùm hinc ad puras iam ſpheras aſcenderint cum corpore puro, uel ad ſublimiorem aerem uel ætherem, atque cælum. Tunc enim ob proſperitatem corporis atque loci, facilemq; corporis prouidentiam à diuina contemplatione minimè diſtrahi. Iam uerò quanto maior eſt in ſpheris ſublimioribus, quàm inferioribus uirtus & amplitudo: quantò & præſtantior uirtus animæ ibi, qui hîc uiuentis, tantò diuturniorem animas putant illic quàm hic uitam agere: ideoq; tantò diutius felices eſſe, quàm miſeras. quod in Phedone teſtatur Plato, ubi de longæuis agit: & Olympiodorus comprobat. Accedit ad hæc: quòd quantò mens, quæ ad ſublimia tollit, potentior eſt, quàm imaginatio animalis, quæ ad oppoſita uergit, tantò longior eſt uita rationalis animæ per mentem iam
E ad ſublimia eleuatæ, quàm uita eiuſdem per imaginationem ad inferiora deflexæ. Præterea mens ex identitate ſtatuq; ſolùm conſtat: ideo ſemper in eodem ſtabiliter agit. Imaginatio ex oppoſitis: iccirco ſemper uarias fingit imagines. Rationalis uerò facultas ex cunctis componitur: nam in ea idem cum diuerſo, ſtatus cum motu concurrit: quapropter & mobiliter & ſtabiliter operatur, & uaria uerſat, & rurſus recolit eadem. Quò uerò præſtantior eſt natura identitatis atque ſtatus, quàm natura diuerſitatis & motus, eò diutius animus in æternitate uiuit, cum ad ipſam conuerſus fuerit, quàm in tempore, in tempus quandoque prolapſus. Aſ quoniam in hac uita id minus impletur, neceſſariò compenſatur in altera. Profectò ſi purus intellectus nullo modo declinat ad corpus, uita uerò omnino expers intelligentiæ tota declinat, ſequi putant, ut intellectualis anima, qua parte intellectualis eſt, nunquam inclinetur ad corpus, qua uerò parte non eſt naturalis intelligentiæ compos, flectatur ad corpora. Item ſi rationalis anima uerum eſt inter æterna & temporalia medium & indiſſolubile uinculum uniuerſi, quod in Theologia ſæpe probamus: conſequens eſſe uolunt, ut nunquam uel hinc, uel inde tota diſcedat, ſed ſimul utraque tenens, ambo in ſe competenti proportione conciliet. Quamobrem per intellectum in æternitate uigilat ſemper: per uim uiuificam quoquomodò ſemper agit in tempore: per imaginationem naturæ uiuificæ proximam plurimùm uerſatur in tempore: per rationem tanquam menti propinquam uiuit in æternitate quàm plurimum: per imaginationem alteram mox ſubditam rationi pares inter utrunque uices alternat: & modò æternorum, modò temporalium nobis imagines offert. Verùm quàm diu ratio felicem uitam ducit, tã
F diu & imaginatio: & ſi temporalium interdum ſimulachra felices tamen imagines adducit in medium. Denique (ut ſummatim dicam) ſi ex uniuerſo mundi circuitu, quem triginta ſex millibus annorum compleri quidam putant: tercentum annis, diuerſo tamẽ tempore, animus tanquam exul hîc habitet, uiciſsim tribus ſaltem annorum millibus patrias ſedes colere putant: eoſq; animos & hic breuius adhuc, & illic longius habitare: qui uel ab initio præſtantioribus tum ſtellis accomodati, tum dæmonibus fuerint commendati: uel ipſi efficaciori uirtute muniti caduca cõtempſerint, æterna coluerint. Neque animos duntaxat humanos, ſed dæmonicos etiam multos, tum aereos, tum æthereos mutare corpora, graduſq; felicitatis exiſtimant: ſed illos uſque ad craſſum aerem tantùm, noſtros autem animos uſque ad terrenum corpus deſcendere, & utrosque animos in altioribus regionibus uitam feliciorem agere, & admodum longiorem. Sed de his aliàs:

Quomodo rationalis natura formatur propria mente: & quomodo mens propria mente communi. Cap. III

FIeri quoque poteſt, ut ratio hac in uita præ cæteris ſe à materia, imaginationeq; ſegregans infima, reuocansq; ad mentem quodammodo illam alterius uitæ deguſtet felicitatem: & profectò quatenus ea potitur, utpote quæ iam intellectu formata eſt, æterno quodam pacto, ideſt, ſtabili, totoq; ſimul actu ſua hac felicitate perfruitur. Id autem fieri quandoque poſſe, atque debere, ſic rem altius repetendo, probamus. Quòd duo quædam difficilè conflentur in unum, in cauſa ſunt uel dimenſiones utrinque ſolidæ nimium, uel dimenſiones etiam qualeſcunque, uel repugnantes inſu-

per

A per utriq; formæ. Ferrum conflatur in ignem, & ſi tam ſoliditas ferri, quàm frigiditas eius id impedire uidetur: atque ita conflatur. ut ferrum igne formatum iam agat ut ignis, potius quàm ut ferrum, ideſt, caleat, luceatq;, calefaciat, atque illuminet, facilius autem aer ignitur, ubi nec denſitas molis, nec tanta diuerſitas qualitatis amplius impedit. facilius idem aer ſub ſole fit lucidum cùm nulla in lumine dimenſio coitum utriusque retardet. facilius etiam atque arctius corpus naturaliter præparatum formatur ab anima, per eamq; iam agit, ut uiuens: facillimè tandem anima formatur ex mente arctiusq; coniungitur. Cùm enim formę propriũ ſit formare, perficereq;, & materiã ſibi propriam deuincire: Nimirum quò præſtantior forma eſt, eò facilius atque coniunctius ſubiectam ſibi accommodataq; materiam format, atque deuincit. Anima igitur abſolutius mente formatur quã corpus anima: quantò uidelicet & forma perfectior mens eſt, quàm anima, & ſubiectum perfectius anima eſt, quàm corpus. Cùm igitur diuina mens ubique ſit, atque animæ rationalis eſſentia perpetuò illinc in fluxu fiat, atq; ſeruetur, ideoque perpetuò eſſentiæ ipſius inſtinctu conuertatur ad mẽtem, nihil prohibet animam ita pendentem, & ita conuerſam ſemper inde formari. Quoniam uerò formatio hæc tum per eſſentialem animæ inſtinctum, tum per eſſentialem mentis actum efficitur, meritò eſſentialis undique formatio eſt: adeo ut quemadmodũ in mente idem eſt eſſentia, quod intellectus, idem rurſus eſſe, quod intelligere, ſic in anima idem fiat intellectus, quod eius eſſentia: idem quoque intelligere fiat, quod & eſſe: præſertim quoniam intellectus ipſe diuinus ipſo prorſus intelligentiæ actu format animam. Formari autem actu intelligendi nihil aliud eſt, quàm intelligere: ſicut & actu uidendi formari iam eſt uidere: uel ſaltem ſicut in aere ſimul eſt omnino fieri lucidum, atq; lucere: & in corpore ſub anima ſimul eſt uiuum fieri, atque uiuere, ſic in anima eſſentia
B *ſi ratione intellectualem* fieri ſimul eſt, atque intelligere. Nihil enim aliud eſt, animam intellectu *perfectè formari*, quàm ſub intellectus forma eſſe, ſub intellectus actu agere. In ipſo uerò intellectu forma ipſius idem eſt, & actus. Anima igitur cumprimum ſub forma intellectus exiſtit, etiã ſub intellectus actu iam agit, ac prorſus intelligit: Hinc illud Iamblici ex mente ægiptiorum dictũ: Animæ intellectualis eſſe eſt intelligere Deum atque diuina. Sicut enim temporario quodam actu percipimus temporalia, ſic æterna uereq; exiſtentia æterno ſimiliter eſſentialiq; actu aſsiduè contemplamur. Hæc ille. Sed de intellectu ſatis iam atque nimium.

Natura rationalis & poteſt, & debet formari quandoque mente: & tunc actu unico poßidet omnia. Cap. IIII

FAcultate quoque rationalem poſſe fermè ſimiliter intellectu quandoque formari cædem nobis indicant rationes præſertim cùm in eadem qua & intellectus eſſentia ſit: debere uerò oſtendimus alibi: ne naturalis appetitio ſit inanis: & cum in omni natura tationali ſit ſempiternus ad intelligentiam appetitus, omnem Platonici uolunt, quandoque ad felicem intelligentiam peruenire: ac ſi inde diſceſſerit, iterum poſſe reuerti: eoq; ſeculò quamdiu agit, ut mens, uiuitq; beata, æternam mentis intelligentiam imitari: ut ſimul actu cuncta conſpiciat ſiue id in hac uita deguſtet, ſiue potius ueſcatur in altera. Intellectum quidem ipſum ita ſimul uniuerſum rerum ambitum con-
C tueri, ſicut oculus ſpherulam quandam conſpicit ſimul totam. rationem uerò nondum conuerſam ad intellectum, ita res per partem, deinceps atque partem aggredi. Sicut cæci hominis tactus in digito eãdem ſpheram paulatim attrectando, iudicat eſſe ſpheram, quam oculus ſubitò iudicauit. Rationem denique iam conuerſam, ita cuncta vnà cum mente complecti omnino putamus, ſicut hominis uidentis manus ab oculo recta ſpherulam toto pugno complectens, ſubitò ſpheram eſſe perpendit. Iam uerò animus ſic affectus tantùm momento cognoſcit, & poſsidet, quantum longo tempore aiter. Huic ſimile prophcticum illud. Dies una in atrijs tuis Domine pluſquam mille alio tum anni.

Quis beatus ſit: & quomodo beatitudo conſiſtit in quadam præſentis boni poſſeßione: cui prorogatio temporis perſe nihil addit præteriti, aut futuri ratione, ſed tantùm ratione præſentis. Cap. V

FElicem ad ſummum putamus eum, qui cuncta iam uera conſpicit, cunctisq; potitur bonis: ſed uera ſimul omnia uidet in una forma ueri, ideſt, mente diuina cunctis ſimiliter bonis fruitur in uno fonte bonorum, ideſt, ipſo bono. Cum igitur per unam formam, per unũ fontem & uera conſpiciat, & hauriat bona: nimirum uno intuitu uera contuetur omnia: uno ſimiliter haustu combibit omnia bona. Quiſquis huc non dum peruenit, non dum eſt felix ad ſummum. Qui uerò peruenit hucuſq;, iam nequit ob ſolam temporis longitudinem fore felicior. Sed eſto in hoc qui

D dem animo eiuſmodi felicitas annua, in illo uerò diurna. Nunquid hic eſt beatior illo? Nõ certè eò ipſo die, quo eſt & ille beatus. Vterq; enim tunc pariter omnia poſsidet. Reliquis uerò diebus non eſt alter felicior altero: imò uerò alter quidem beatus eſt, alter non amplius eſt beatus. Comparemus deinde inter ſe felicitatem annuam, atq; diurnam. Nunquid annua maior, uel magis felicitas quàm diurna cenſetur? Diuturnior certè, uel longior tempore, nõ tamen ingentior gradibus: ſicut & calor quidam annuus eſſe poteſt. Neq; tamen gradu feruentior calore diurno. Sed nonne magis expetenda nobis eſt annua felicitas, quàm diurna? Eſt proculdubio. Sed diuturnitas illa temporis non propter ſeipſam magis expetenda eſt: alioquin diuturnam quoq; febrem potius, quàm breuem eligeremus. Imò propter ipſam felicitatem, neq; uiciſsim ipſum namq; bonum ad qualitatem potius, quàm ad quantitatem pertinere uidetur. Iam uerò animus quantitatem propter bonum expetit: ac ſi cum bono coniuncta ſit, quò maior quantitas eſt, eò magis appetit: ſi cum malo, quò maior, eò minus eligit. Cur nam igitur annuam cum felicitate uitam potius, quàm diurnam eligendam nobis exiſtimamus? Certè non propter temporalem ipſam ſucceſsionem, quæ longior ſit in anno: nã nec in diurna quidem felicitate propter ſimilem ſucceſsionem malumus diem integrum, quàm horam eſſe felices. Ipſum namque præſens in felicitate penitus exoptamus. Hoc enim eſt duntaxat, & nos eſſe quærimus, dum quærimus eſſe felices. optamus quidem in primis idem hoc præſens figi, prorſusq; manere, quod quidem æternitatis eſt proprium: cuius fruitione beati ſumus: quo & per intellectum aſsiduè fruimur, & quandoque per rationem intellectu formatam. Quòd ſi diffidamus ipſum præſens nobis idem firmiter poſſe conſiſtere, ſecundo iam gradu eligimus præſens aliud mo
E mentum, iterumq; aliud, aliudq; ſuccedere: ſemper ad ipſum præſens potius, quàm ad ſucceſsionem, affectum, & intuitum dirigentes. Siquidem in ipſa ſucceſsione ſemper priuationis & mali aliquid eſt admiſtum. Quod quidem nobis oſtendit, nos quandiu in hoc motu uiuimus, reuera beatos eſſe non poſſe: quamuis quatenus prope ad æternitatem accedimus, eatenus beatitudinis aliquid deguſtemus. Hoc Plotinus decem huius libri quæſtionibus agit.

Quæſtio Prima.

VTrum felicitas tempore augeatur? Concludit, felicitatem in quadam affectione ſiue diſpoſitione uitæ conſiſtere: per quam aliquis re ipſa bene ſe habeat: hanc uerò eſſe præſentem, cui præteriti recordatio nihil addit.

Quæſtio ſecunda.

CVm omnis homo ſemper uiuere appetat: Vtrum perſeuerantiam hanc perpetuam aſſequi ſit beatitudo præcipua? Concludit, felicitatem hac ſucceſsione perpetua non augeri. alioquin non uirtus, ſed tempus metietur felicitatem. Neque unquam felicitas uel apud deos erit abſoluta, quia ſemper ſic augebitur. Confirmatur idem: quoniam appetitus naturalis optat propriè quod & conſequi poteſt: ſolùm uerò quod præſens ſit aſſequitur, quandocunq; aſſequatur: ergo non appetit, quod non eſt, ſed quod eſt duntaxat. Præſens uerò ſolum exiſtit: ſed præteritum non
F eſt amplius: futurum nondum eſt. Solùm igitur appetit præſens: atq; mauult hoc ipſum præſens figi penitus, idemq; manere, quàm aliud huic ſuccedere.

Quæſtio Tertia.

VTrum qui diutius contemplatus eſt, ſit felicior? Concludit, ſi ſemper eadem æquè perſpicaciter uidit, nihil diuturnitate ad felicitatem profeciſſe: ſi deniq; plura meliusq; nouit, non antè, ſed tunc demum fuiſſe felicem.

Quæſtio Quarta.

VTrum diuturnior delectatio beatitudinem augeat. Concludit, ſi uoluptas hîc ſignificat motum quendam, ſiue actum ab ipſo intelligentiæ actu diſtinctum, non eſſe cum felicitate connumerandam: ſin autem ſignificat ipſummet intelligentiæ actum, ab omni impedimento liberum, ſicq; expeditum iam abſolutũ nobisq; gratum: tunc ſolum animum eſſe felicem, quando intelligentia talis eſt nihilq; per tempus ei maius afferri: præſertim cum iam ſit in æternitate potius quàm in tempore: Voluptatis quoque motum, ſolùm propter id quod in eo præſens eſt, optari.

Quæſtio Quinta.

VTrum qui per totam uitam eſt felix, ſit illo felicior, qui ſolùm in parte uitæ ſit felix. Concludit, ſi ſecundum eandem uitæ partem inter ſe comparentur, pariter eſſe felices: ſi ſecundum

alias

A alias, alterum eſſe beatum, alterum non beatum.

Queſtio Sexta.

CVm miſer longiore tempore miſerior fieri uideatur, cur non & felix ſimili ratione felicior? Concludit, malum ipſum, quia circa ſubiectũ natura paſsioni obnoxium & debile accidit, deo continue illud magis inficere. Quod quidem ſubiectum ſi ſemper permaneret idem, neq; detrimentum maius accideret, ſolùm in iudicio mali præſens ipſum perpenderetur: ſin autem ſic in angustia perſeueret ſubiectum, ut in eo malum augeatur, tunc miſeria grauior iudicatur, nõ tam quia longius ſit tempus, quàm quia ingentior mali gradus acceſſerit. Felicitas autem ſumma certum quendam poſsidet terminum, ideſt, gradum in bono ſummum. Item terminum ſemper habet eundem ſcilicet, ipſum ſummum, neque maiorem uidelicet, neq; minorem, quàm primum ſcilicet & quã diu eſt felicitas: alioquin non eſt ſumma felicitas. Denique mali habitus eſt in tempore temporario; ſubiecto, cui diuerſitas accidit: felicitas autem in æuo ſubiectoq; æterno, cui quidem ipſa (ut ita dixerim) identitas, ſtatusq; propriè conuenit. Conuenit etiam parti rationali iam factæ felici ſtatus illic æternus: alioquin nec facta felix fuerit, nec ſecura uiuet, ſi illinc ſe putauerit diceſſuram.

Quæſtio Septima.

CVm in tempore connumeremus præteritum & futurum unà cum præſenti: atque ita plus temporis ſpatium appellemus: cur non ita in felicitate facimus? Concludit, licere nobis in longitudine temporis non ens cum ente connumerare, ſiquidem ratio ipſa temporis in numero
B quodam fluxuq; uerſatur. Numerantur autem etiam quæ non amplius ſunt, ſed quæ iandiu præterierunt. Item in omni fluxu ens quaſi cum non ente coniungitur, ſiquidem momentũ præſens quod ens quodammodo dicitur, inter præteritum quod non eſt amplius, & futurum quod non dum eſt, medium incidit. Negat autem in ipſa felicitatis natura idem fieri. Siquidem ratio eius in uita præſenti & actu ſtabili æternitatis munus quodammodo iam conſecuto conſiſtit. Alioquin ſi adhuc quodam motu temporeq; diſcurrit, non dum eſt habitus abſolutus: non dum animus conſecutus eſt finem. Cum ergo felicitatis ratio præſens ipſum, ſtatumq; includat, nimirum computationem à ſe temporariam procul excludit. Iam uerò cum æternitas ſit primæ eſſentiæ, ipſiusq; entis uita, ſiue in prima mente ſit, ſiue iam alicui menti communicata, nullo modo aliquid non entis admittit. Temporalem itaque fluxum à ſe prorſus expellit. In uita igitur æterna actus eſt unus & ſtabilis, ſed in tẽpore ſiue penes animam, ſiue deinde in corpore actus & multi ſunt, & fluxu quodam ſibi inuicem ſuccedentes: ſicut in medio circulo punctum eſt unum, atque ſtabile, à quo diuerſa ad circumferentiam per longitudinem linearem producuntur puncta mobilia. Vbi uidetur & unum in plura diſperſum: & ſtatus iam progreſſus in motum. Summatim concludit, beatam uitam eſſe uitam optimam: hanc uerò eſſe uitam ipſius entis, ſiue (ut dixi) in communi mente per ſeipſam ſit, ſiue in ſua cuiuſque mente ſemper inde communicata, ſiue in facultate rationali inde rurſus communicata quandoq;: et ubique æternam ſeruare conditionem: præſertim cum optimus uitæ gradus qui & finis rationem habet, non in motu amplius, ſed ſtatu ſit poſitus: Denique ipſum præſens æternitatis
C non eſſe idem, quod & temporis præſens: nam in tempore multa præſentia, indiuidualq; momenta ſic ſe habent, ut aliud ſit extra aliud. In æternitate uerò præſens eſt unicum, omnia præſentia temporis ſimul includens: ſicut & ſigna in circumferentia multa interſe diſtantia. Vnicum uerò in medio ſignum cuncta linearum à circumferentia uenientium ſigna concludit.

QVAESTIONES TRES.

QVæſtiones reliquæ tres facilè tum per ſe, tum per ſuperiores intelliguntur, atque ſoluuntur. Ex omnibus tandem colligitur, uitam perfectè beatam eſſe uitam non actionibus exterioribus occupatam, ſed in ipſa mente collectam: non quidem ex multis intelligentiæ actibus, ſiue præteritis, ſiue præſentibus congregatam, ſed intentam prorſus in unum: præſentem, ſtabilem propriæ mentis actum: actũ inquam, mente diuina formatum, perq; diuinam mentem, ipſo ſuper mentem bono fruentem.

D

PLOTINI PHILOS. PLATONICI LIBER QVINTVS

VTRVM BEATITVDO TEMPORE SVSCIPIAT INCREMENTVM.

Quæstio prima

QVAERENDVM est, nunquid felicitas tempore suscipiat incrementum, cum beatum esse semper secundum præsens accipiatur? Profectò neq; felicitatis præteritæ recordatio momenti quicquam habet. Neq; in dicendo, sed in affectione quadã beatitudo consistit. Affectio verò in qualitate præsenti posita est, actio quoq; vitæ.

Quæstio Secunda.

ATsi quis ex eo quòd viuere, atque agere semper appetimus, id assequi, felicitatem potius esse dicat, sic est respondendum. Primò quidem, si ita sit, felicitas crastina maior erit, & quę deinceps semper antecedẽte maior: neq; felicitatem virtus ipsa vlterius metietur. deinde dij quoq; feliciores nunc erunt quàm consueuerint. neq; dum perfecta felicitas erit, neq; esse perfecta poterit
E vnquã. Præterea appetitus voto potius præsens aliquid est adeptus: semperq; ad ipsum præsens annititur: & quamdiu est, ita semper esse in felicitate requirit. Appetitio verò viuendi esse perquirens, præsens quiddam proculdubio quærit: siquidem esse in præsenti est positum. Quòd si futurum, & quod deinceps sequitur appetat, quod habet iam, quódue est, desiderat: non quod præterijt, neq; quod est futurum, imò quod iam est, id existere: non sempiternam protractionem, siue processionem quærens, sed quod iam præsens adest, id adesse.

Quæstio Tertia.

QVid ergo de illo dicemus, qui plurimũ tempus vixit felix? idemq; spectaculum diutissimè est intuitus? Profectò si longiori in tempore perspicacius vidit, plus aliquid ipsi longitudo temporis attulit: sin autem vniuerso in tẽpore vidit similiter, certè nihil, plicit, & qui semel est intuitus, æquè reportat.

Quæstio Quarta.

ATdixerit quispiã, alterũ esse diutius oblectatũ. sed hoc in felicitate connumerare nõ licet: nisi fortè quis voluptate nominet actionẽ intelligẽtiæ expeditã. Hic enim idẽ quod nos quærimus, dixerit. Proinde voluptas lõgior sẽ-
F per præsens habet solum: quod autẽ ex ea præteritũ dicitur, iã prorsus euanuit.

Quæstio Quinta.

CAeterùm quídnam dicemus? Si alius quidem ab initio ad finem vsq; beatè vixit? alius autem in posterum tantum? alius deniq; olim felix, iam felix esse desierit? Nunquid pariter esse felices? Profectò huiusmodi comparatio nõ inter eos qui omnes felices sint, efficitur. Sed in ipsa quidam non felices scilicet quando non sunt felices, cum felici aliquo conferuntur. Siquid ergo plus possidet, id certè possidet, quantum felix aduersus homines non felices: cui quidem id contigit, vt præsenti quodam alios superaret.

Quæstio Sexta.

QVid ergo? Miser nónne longiore tempore fit miserior? Et alia quotcũq; molesta nónne tempore longiore maiorẽ afferũt calamitatem: velut angustiæ, molestiæq; diuturnæ, ac cætera generis eiusdem? Quod si hæc ita tẽpore malum augent, cur non & oppositа augent quoq; felicitatem? Fortè verò circa molestias & angustias licet dicere, augmentum tempore fieri: vt in morbis. Morbus enim efficitur habitus: corpusq; ipsum tempore magis inficitur.

alio-

A alioquin ſi maneret idem, neq; maius accideret detrimẽtum: hîc quoq; præſens ipſum ſemper eſſet, quod moleſtum: niſi quis præteritum annumerarit: reſpiciens videlicet, in id quod actum eſt, atq; quod manet: adeo vt in habitu quoq; miſeri malum in tempus productius augeatur, adaucta videlicet prauitate in eo quod permanet, quatenus permanet. Quapropter miſeria maior non productiore tempore, imò verò maioris gradus adiunctione prouenire videtur. Plus autem ipſum ſimul forſitan non exiſtit. neque omnino plus eſt dicendum, dum quod non eſt, ei quod eſt, ſimul annumeratur. Ipſa verò felicitatis natura certum quendam ſemperq; eundem poſsidet terminum. Iam verò ſi & hic ex ipſa temporis longitudine profectus adueniat, adeo vt virtute proficiendo, felicitate quoque proficiatur, non diuturnam quaſi multos per annos dinumerantes probamus felicitatem, imò eam quæ magis tunc facta dicitur, quando magis exiſtit.

Quæſtio Septima.

CAeterùm cur nam ſi præſens ſolùm ſpectare oportet, neque connumerare, peracto non in tempore quoq; idem facimus? ſed præteritum præſenti connumerantes plus temporis ſpatium apellamus? Cur non igitur, quantum tempus eſt, tantam quoq; eſſe dicimus felicitatem? Fortè enim ſecundum tem-
B poris ipſius diuiſiones beatitudinem partiri licet. Nam ſi ſolo præſenti metiamur, indiuiduam faciemus. Forſan verò haud abſurdum fuerit numerare tempus etiam non dum exiſtens. Quippe cum eorum etiam quæ præteriere, neq; ſunt amplius, numerum computamus, ceu numerum defunctorum. Felicitatẽ verò iam præteritam nec amplius exiſtentem, ſiquis velut præſentem præſenti plurem dixerit, aberrabit: beatitudinem namq; contigiſſe cenſeret. Tempus autem longius vltra præſens nihil aliud quàm non dum eſſe dicendum eſt. Omnino autem temporis interuallum productum longius diſperſionem alicuius vnius, quod in præſenti eſt, quodammodo machinatur. Qua propter rectè dicitur æternitatis imago, diſperſione ſua id quod in æternitate permanens eſt, diſperdere cupiens. Ideoq; ſi ab æternitate permanens ipſum tollatur, fiatq; temporis, protinus euaneſcet, eatenus videlicet ſaluum, quatenus quodammodo in æternitate ſeruatur: euaneſcens verò, ſi totum fiat in tempore. Si ergo felicitas in vita bona conſiſtit: certè vita ipſa bona in vita exiſtentis, ſiue entis ipſius eſt collocanda. Hæc enim optima eſt. non ergo tempore numeranda eſt, ſed æternitate cenſenda. Id verò neq; plus eſt, neq; minus: neq; longitudine quadam cõ
C ſtat, ſed in eo quod & hoc ipſum, & indiſtãs, & prẽter tempus exiſtit. Quamobrem neq; exiſtens non exiſtenti in vnum decet coniungere, neq; æternitati tẽpus, neq; quod in tempore ſempiternum æternitati, neq; quod indiſtans in diuerſa protendere. imò id omne ſi quando acceperis, totum accipiendum. Quãdo inquam acceperis non indiuiduum quiddam temporis proprium, ſed æternitatis vitam non ex temporibus multis coaceruatam, ſed ab vniuerſo ſeculo ſimul totam.

Quæſtio Octaua.

SIquis autem dixerit, præteritorum memoriam in præſenti manentem aliquid plus afferre ei viro, qui plus temporis in beatitudine vixit: interrogandus erit, quidnam de memoria ipſa ſignificet? Vel enim ſapientiæ memoria iam præteritæ hîc ſignificatur: quapropter ſapientiorem hunc appellaret, neq; ſeruaret propoſitum, vel memoria voluptatis: perinde ac ſi oblectationibus multis beatus indigeat, neq; præſenti gaudio ſit contentus. Præterea quidnam iocunditatis affert voluptatis actæ memoria? ceu ſiquis ſe obſonium heri cum voluptate guſtaſſe meminerit: ac ſi ante decennium, magis adhuc deridendus erit. ſimiliter quoq; ſi anno præterito ſapientiam ſe habuiſſe meminerit,

D

Quæstio Nona.

SIn autem bonorũ honeſtorumúe ſit recordatio, cur non aliquid cõferat? At ſiſtud hominis eſt bonis, honeſtis úe in præſenti carentis: atq; ꝓpterea quòd nunc minimè habeat, quærentis eorum, quæ præteriere memoriam.

Quæſtio Decima.

AT enim longum tempus multis præclarisq; actionibus præbet occaſionem: qua quidem priuatus erit, qui felix breui tempore vixerit. Ad hæc vtiq; dicendum eſt omnino felicem non ob præclaras actiones, atq; multas. Alioquin quiſquis felicitatem ex multis tam temporibus, quàm actionibus dicat accumulandam, ex his quæ non amplius ſunt, ſed ex tranſactis, atq; vno quodã preſente felicitatem coaceruabit. Quamobrem in preſenti quodam beatitudinem collocauimus. Deinde queſiuimus num id quod magis dicitur in quodam pluri conſiſtat: atq; ita maior quoq; contingat felicitas? Hoc ergo quærendum: nunquid temporis multi felicitas in eo duntaxat excellat, quòd actionibus multis abundet? Primò quidem fieri poteſt, vt qui actionibus nullis incumbit, ſit beatus, neq; minus quidem, imò verò magis eo, qui actionibus fuerit occupatus: E deinde actiones non ex ſe ipſis bonum afferunt, ſed affectiones ipſę actiones efficiunt bonas. Iam verò ſapiens bono potitur etiam agens, non quia videlicet agat, neq; ex his quę accidunt, ſed ex eo quod poſsidet. Quandoquidem & ſalus patrię poteſt vel à prauo aliquo prouenire. Ipſa quinetiã in patria ſeruãda iocunditas etiam aliud agente percipi poteſt. Itaque non hoc eſt, quod felicis efficit voluptatem: imò verò habitus ipſe & voluptatem eiuſmodi parit, & preſtat felicitatem. Ac ſiquid contingit iocundum, per ſeipſam facit eiuſmodi. In actionibus autem externis felicitatem ponere, nihil aliud eſt quàm in his quę extra virtutem ſunt, & extra animam collocare. Ipſa enim propria animi actio conſiſtit in ſapientia: adeo vt in ſeipſo ſic agat: idq; eſt feliciter agere.

F

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE PVLCHRITVDINE.

A prima eſſentia, uita, mente emanant influxus per omnia tanquam radij, uoces, uerba per ſex gradus.

INFLVXVS quidam ab ipſo ente per omnia paſsim entia manant: ſed qua ratione in ipſo eſſentia eſt, præcipuè per modum ſolaris radij profluunt. Qua uerò illic eſt uita, per modum ſoni & uocis erumpunt: qua denique ibidẽ eſt intellectus, in modum ſignificantis uerbi feruntur: & qua uelut radij quidam ſunt, uiſum mouere uidentur: qua uel uoces, aut ſoni, pulſare aures: qua tanquam uerba, potiſsimum animos prouocare. Vbique uerò tanquam pulchra quædam, ſiue pulchritudines aliquæ nobis occurrunt: nam ab ipſa pulchritudinis ipſius forma proueniunt. Cum uerò ipſam pulchritudinem nominamus, per modum quidem formæ, ideſt, tanquam formalem pulchritudinem ipſum ens propriè intelligi uolumus: ſed per modum cauſæ, ideſt, tanquam pulchritudinis ipſius cauſam, bonum ipſum uolumus cogitari. Bonum namq; lucem ipſam ſiue fontem pulchritudiuis emicantis, & inde fluentis eſſe putamus. Pulchritudinem uerò ſplendorem ab ipſa boni luce manantem, ideſt, ipſum ens ab ipſo uno bonoq; dependens. Ab ipſo rurſus ente ſicut dicebam influxus per omnia uelut radios, uoces, uerba proficiſci non dubitamus. Influxus eiuſmodi primò quidem ſunt in ipſa diuinæ mentis idea: ſecundò in qualiber

A libet inde mente ſuſcipiuntur: per uniuerſalem uerò prouidentiam in ipſa mundanæ animæ mente: tertio in eiuſdem animæ ratione: quarto in eius imaginatione præcipua: quinto in imaginatione ſequente: ſexto in uegetali uirtute: quæ & uniuerſalis natura uocatur. Hactenus idealem quandam in ſe retinent rationem. Hactenus enim uiui ſunt & efficaces & fœcundi, atq; ſempiterni. Sunt enim in hoc ultimo diuinorum gradu ſeminariæ rerum omnium rationes: quibus ipſæ rerum ſpecies propagantur. Cum enim prima uita, primaq; omnium formalis ratio in ipſa prima eſſentia ſit eſſentiæ uniuſcuiuſq; principio: in quo principio & ratio, & uita erat. Meritò quatenus influxus inde manantes uitam ſimul rationemq; formalem in ſe puram & integram efficacemq; conſeruant, eatenus eſſentiales, ideales, diuini cognominantur. Tantum uerò munus etiam in natura, ideſt, uegetali animæ uirtute conſeruant: ideo in hoc ſexto die opera dei propria finem accipiunt: ſubinde uerò influxus illi materiam ſubiectam animæ pulſant. Sed cum neque ultra progredi ualeant, neque in ea inſuper uelut proxima nihilo, ipſam ueræ eſſentiæ uitæq; retinere naturam, ex formis in imagines iam euadunt. Imagines, inquam, ueriſimiles uerarum diuinarumq; formarum. Quę quidem ſub genitali animæ ipſius natura in materiam prorſus agente, reſultant ab ipſa materia patiente, & tanquam à ſpeculo per modum radij repercuſſæ, & tanquam à fornice reflexæ per modum uocis, & tanquã à planiori aliquo pariete per modum uerbi redditæ, uelut Echo. Huic autem infimo gradui formalis effluxus Luna fauere uidetur generationis ultimæ domina: rationibus autem ſeminarijs in natura uigentibus fouentibusq; materiam, Venus: eiſdem uerò in imaginatione inferiori properantibus ad motum, Mars: eiſdem rurſum in ſuperiori imaginatione regnantibus, Sol: ſed in ratione uigentibus

B Mercurius: at in mente animæ dominantibus, Iupiter: in mente denique diuina quieſcentibus, Saturnus. In quo quidem ſeptimo gradu tanquam Saturni die mundi opifex conquieſcit, ideſt, ipſa idea ſibi penitus intima. Non enim hanc ad alia quę inde fiunt, ſed alia ad hanc refert uelut exẽplar;

Ipſa pulchritudo formalis eſt ipſa mens: cuius illecebris admiſcetur admiratio, uis, diffuſio, uoluptas.

EXemplar hoc quoniam omniformis formarum omnium ratio eſt, ideo forma, ſpecieſq;, prima & uniuerſa cenſetur. Et iccirco prima eſt pulchritudo formalis: unde & pulchritudinem ubiq; tum formam, tum ſpeciem appellare ſolemus, pulchroſq; formoſos: cuius oppoſitum deformitatem dicimus & deforme. Ex quo patet materiam natura ſua prorſus informem, meritò deformitatem ipſam eſſe cenſendam. Sed de hac aliàs. Ipſa uerò pulchritudo formalis oritur quidem cum eſſentia prima: adoleſcit autẽ dum eſſentia prodit in uitam: adulta deniq; iudicatur, ubi uita completur in mentem. nam per ipſum mentis actum eſſentialis uitæ perfectè formatur, ac forma omniformis euadit. Quamobrem in ipſo rerum ordine ibi plurimum pulchritudinis eſt, ubi plurimum eſt & mentis: ſiue natura quædam mentis adſit, ſiue artificium eius proprium, ſiue ueſtigium, aut inditium. Atque id omne illic uehementius mouet, ubi uiuacius nobis occurrit. Vera enim pulchritudinis ipſius forma eſt ipſa uita per actum mentis penitus abſoluta. Proprium uerò pulchritudinis eſt allicere ſimul & rapere. Vnde græcè Calon, quaſi prouocans appellatur. Et quoniam pulchritudo intellectuale munus exiſtit, ideo ſolos allicit cognoſcentes: cognoſcentes, inquã, ſiue intellectuali aliqua ratione, ſiue uiſu, ſiue auditu miniſtris plurimum rationis. Miſcetur autem illecebris pul-

C chritudinis admiratio, & uis quædam acrior, deſiderantemq; diffundens. Tu ergo memento, quòd in theologia probamus, omnia quidem appetere bonum: non omnia pulchrum, ſed eos duntaxat, qui iudicium quoddam pulchritudinis habent: atque hos quidem ſemper appetere bonum, non tamen ſemper pulchritudinem affectare. Cum igitur appetitus tractusq; ad bonũ communiſſimus, perpetuuſq; ſit, conſequens eſt ipſum bonum eſſe communiſſimum omnium principium, atque potentiſſimum: pulchritudiniſq; ipſius formam eſſe bono quàm proximam. Et quoniam à pulchritudine & ad pulchritudinem prouocatio quaſi nouum quiddam eſt: quippe cum & quibuſdam tantum, & quandoque, & poſt naturam, cognitionemq; contingat, meritò admiratio quædam pulchritudinis illecebris admiſcetur. Item & uiolentia (ut ita dixerim) aliqua: quamuis enim appetitus boni, qui communis eſt atque perpetuus, naturæ ſit intimus, trahatq; ab intimis, tamen appetitio pulchri quaſi ab extrinſeco rapit, cognitionem neceſſariò ſequens. Idecq; cum minus ſit naturalis, non nihil uiolentum habere uidetur. denique quodammodo diffundit amantem. Nam cum ſemel hũc ſibimet ſurripuerit, non ſtatim reſtituit redintegratq; in unum, cum trahat extrinſecus, & cum per cognitionis modum qui in diſcretione uerſatur, rapiat, ideoq; diffundat. Denique amatorius affectus ſiue lenior ſit, ſiue acrior, ſemper cum uoluptate mouet: quemadmodum non ſolùm in dulci ſapore, grauiq; ſono, ſed etiam in ſapore quodam acri uocibuſq; acutis eſt oblectatio quædam. Voluptate animum affici compertum habemus, quando re quadam ſibi congrua tangitur, ducitur q; ad bo-

c

D num. Pulchritudo uerò ubicunque nobis occurrat, accedit ut congruens, & iccirco placet atque probatur, quoniam ideæ pulchritudinis nobis ingenitæ respondet: & undique conuenit. Rursus animum suapte natura semper ducit ad bonum. nam & participatio pulchritudinis apud nos ad intellectualem eiusdem aduocat formam, perq; ipsam ad ipsum denique bonum: sicut & splendor ad lumen, & lumen perducit ad lucem. Verùm satis sit hactenus pulcherrimum Plotini de pulchritudine librum liberioribus (ut ita dixerim) pedibus percurrisse. Deinceps nouem huius libri capita nobis ordine repetenda, & hæc quoque cursim: nam de his in conuiuio de amore latius disputamus.

Pulchritudo est gratia quædam, quæ magis est in his quæ uidentur, quàm quæ audiuntur, magis etiam quæ cogitantur, neq; est proportio. Cap. Primum.

PVlchritudinem esse gratiosum aliquid, siue gratiam quandam allicientem nos per uisum, uel auditum, uel rationem communi notione concipimus. Quæ profectò quantum in rebus quæ uidentur, audiũtur, cogitantur ineſt, pulchritudo uocatur, ac tres nobis Gratias repræsentat. Quantum uerò in uisu, auditu, ratione cõsistit, delectatio nominat atq; uoluptas: uoluptas, inquã, decora: rem enim decoram per se propriè sequitur & decora uoluptas. hanc sequitur appetitus quoque decorus, ipse scilicet amor. Perturbatio uerò turpis aliis fortè causis accidit. Primum itaque caput inquirit quidnam potissimum gratia hæc pulchritudoq; sit, quidue non sit assignat. Significat interea tum pulchritudinem magis etiam ad uisum pertinere, quàm auditum: quia uidelicet uisus & lumẽ
E similiora intelligentiæ sunt quàm auditus & sonus: tum habitus animi pulchriores esse quàm corpora, quæ formosa dicuntur: & uoces, quia & menti similiter cognatiores sunt: & ipsi habitus animi tam in moribus, quàm in doctrinis non solùm pulchri, sed etiam pulchritudines quædam ritè dici possunt. Sunt enim formæ: formę, inquam, menti propinquæ. Voces autem & corpora pulchritudines appellari non possunt. Pulchritudo enim quamuis non debeat nunc pulchra, nunc non pulchra uocari: corpus tamen idem hodie pulchrum, cras autem leui mutatione facta, non pulchrum. Similiter & uocis materia fermè eadem, mutata proportione, ex pulchra fit turpis. Veruntamen quamuis pulchritudo magis ad ea quæ spectantur, quàm quæ audiuntur: rursumq; magis ad illa quæ cogitantur attineat, inuestigandum tamen, utrum aliquid his omnibus sit commune, quidue id ipsum sit, quo hæc omnia pulchra uocantur. Sed primùm id in corporibus quę uidentur indagat, quasi manifestius ita futurum. Principiò communem de his opinionem confutat, dicentem corporis pulchritudinem esse proportionem quandam partium inter se & ad totum unà cum coloris concinnitate. Idq; quatuor confutat argumentis. Primo quidem si pulchritudo ipsa proportio siue commensuratio quædam est, certè res solùm composita est: nulla ergo res simplex, quamuis gratiosissima sit, pulchra dicetur. Secundo rursus si compositum duntaxat pulchrum est, nulla partium, præsertim simplicium, erit pulchra: imò uerò nulla partium. quippe cum in proportione duntaxat ad aliud cõmensurata pulchritudo ponatur. Ex quo sequetur, ut ex rebus non pulchris pulchrum efficiatur: compertum tamen habemus ex rebus omni carentibus gratia nihil unquam confici gratiosum. Tertio facies eadem, sæpe eadem figuræ proportione manente, modò pulchra no-
F bis occurrit, modò non pulchra. quasi aliud quidem commensuratio sit, aliud pulchritudo. Quarto necessarium est pulchritudinem in corporibus, pulchritudinem nobis referre superiorum. Oportet ergo pro uiribus hanc illi prorsus accomodare: ita tamen ut excellentiori admodum ratione illis insit quàm in corporibus. Quo autem pacto commensuratio quædam ibi sit, scilicet in animo uelut intellectu facilè assignari non potest. Et in animo quicquid quomodo mores & scientiæ sint commensurationes quædam siue proportiones, si Plotinum sequimur, intelligere non ualemus. Non enim coaceruari uult in animo ex figuris actibusq; complurimis habitus unquam aliquos, qui uel morũ uel scientiarum habitus appellentur, sed moralem quidem uirtutis actum simplicem elucere, cùm primum contingentium uitiorum nubes excutiuntur, formam quoq; scientiæ simplicem expulsis rãdem falsis opinionibus rutilare. Animam namq; quodammodo esse omnia: atque tunc potissimum rem ipsam scire, quando argumentationibus excitata iam actu res ipsa fit, quę erat & prius: sed potentia quadam uitę fœcunda. Sed de his oportunius alibi disputabitur.

Pulchritudo in corporibus est absoluta perfectio gratiaq; formæ præcipuè, quæ & materiæ, formisq; in ea allijs dominatur, & expeditam artis rationisq; diuinæ uictoriam super materiam refert, & ipsam perspicuè repræsentat ideam. Cap. II.

CAput secundum scrutatur, quid ipsa sit in corporibus pulchritudo. Asseritq; esse aliquid primo aspectu promptè se offerens. Cùm enim pulchritudo & in mundo intelligibili formarũ intel-

A intelligibilium forma ſit: & in corpore ſimiliter ſit forma formarum, meritò & illic intellectum, & hic uiſum primò & promptiſsimè mouet: quod Plato teſtatur in Phedro. Subdit Plotinus, animũ uehementer & reſpuere turpe, & aſciſcere pulchrum: nec iniuria: turpitudo enim eſt tetra quædam malifacies: pulchritudo uerò facies blanda boni. Præterea rationalis anima proximè pendet ex mẽte diuina, & pulchritudinis ideam ſibi illinc impreſſam ſeruat intus: cui quidem congruit, tanquam ſibi, patriq; cognatum libenter amplectitur. Congruit autem ea in corporibus forma, quæ ad ipſam ideæ normam ex amuſsim compoſita eſt: dum ratio ſeminalis, quæ in natura eſt corporum formatrice, materiæ plurimum dominatur: formamq; in ea reddit materialem quidem minimè, maximè uerò formalem. Profectò quemadmodum accipimus ex Timæo: Intellectus ipſe diuinus pater eſt formarum, materia mater. Sed ratio fomesq; formarum in natura uigens ritè paternum ſemen & efficax nominari poteſt. forma uerò inde genita proles. Formoſitas autem nihil aliud eſt, quàm ipſa prolis huius indoles expreſsius referens patris effigiem. Deformitas contrà, tum deficientis formæ diſsimilitudo quædam ad patris formam, tum ipſa materia defectus huius origo: præſertim quãdo caſu quodam impediente ſubiectum à ratione formante minimè ſuperatur, ideſt, formantis actũ uel non ſubſtinet, uel ineptiſsimè ſuſcipit. Proinde in quolibet elemento & ſi formæ accidentales ſunt multæ, una tamen eſt forma ſubſtantialis atq; præcipua. Similiter in rebus miſtis, ceu lapidibus atque metallis ſi plures formæ ſubſtantiales ſint uirtute, una tamen principalis actu eſt atque communis. Sic in plantis & animalibus: ſi multæ in ſingulis formæ ſubſtantiales ſint actu quodam, una tamen eſt actu præcipuo pluribus imperans. Vbique uerò formoſitas eſt abſoluta quædam perfectio, ſiue gratia, & quaſi flos quidam ipſius formæ præcipuè formis alijs dominantis. Eſt itaque di

B *uinũ & imperioſum aliquid: quia & imperium regnantis formę ſignificat: & artis, rationisq; diuinæ uictorium refert ſuper materiam: & ipſam perſpicuè repræſentat ideam.*

Pulchritudo in corporibus eſt expreßior ideæ ſimilitudo: ac ſi ſubſtrahatur materia eſt ipſa idea. Item pulchritudo cuiuslibet ſpeciei iudicatur ab animo per inſitam ſibi formulam ipſius ideæ, ad quam eſt ſpecies inſtituta Cap. III.

QVis nam pulcher homo? aut leo pulcher? aut pulcher equus? Certè qui præcipuè ita formatus, ita natus eſt, ut & diuina mens inſtituit per ipſius ideam, & natura inde uniuerſalis ſeminaria uirtute concepit. Iam uerò illius ideæ formulam anima noſtra in mente habet ingenitam: habet & in natura propria ſeminalem ſimiliter rationem. Igitur naturali quodam iudicio de homine, uel leone, uel equo, cæterisq; iudicare ſolet, hunc quidem pulchrum non eſſe, illum uerò pulchrum: quia uidelicet hic prorſus à formula & ratione diſſentit, ille uerò conſentit: atque inter pulchros, hunc illo pulchriorem eſſe: quia hic cum formula rationeq; magis quàm ille cõſentit. Et profectò cum naturale ſubitumq; de his iudicium nequeant commodius expediri, quàm per formulas, rationesq; nobis innatas, probabile eſt diuinã prouidentiã omnia quamoptimè diſponentem eiuſmodi nobis ab initio quaſi characteres impreſsiſſe. Dum uerò de pulchritudine iudicamus, id præ cæteris pulcherrimum approbamus, quod animatum eſt, atque rationale, atque ita formatum, ut & per animum ſatisfaciat formulæ pulchritudinis, quam habemus in mente: & per cor-

C pus rationi pulchritudinis ſeminali reſpondeat, quam in natura, ſecundaq; anima poſsidemus. Forma uerò in corpore formoſo ita ſuæ ſimilis eſt ideæ, ſicut & figura ædificij in materia ſimilis exemplari in architecti mente, & oratio in uoce orationi quæ eſt in animo ſimilis. itaque ſi homini materiam quidem detraxeris, formam uerò reliqueris, hæc ipſa quæ tibi reliqua eſt forma, illa ipſa eſt idea, ad quam eſt homo formatus. Sicut ſi uel ædificio materiam ſuam ſubſtuleris, interim figura relicta: uel ſi orationi aerem fractum dempſeris, ſignificatione ſeruata: certè & ibi figura reſtans nihil aliud eſt, quàm exemplar ipſum in architecto conſiſtens: & hîc conſeruata ſignificatio nihil aliud, quàm loquentis ipſius excogitatio. Vnde qui ſignificationem eiuſmodi colligit, mentem loquentis habere dicitur, atque commentari. Itaque & nos debemus in rebus pulchris materiam quidem poſt habere, formas uerò ſeligentes & ordinem, ideas in his rerum auſpicari, & artem, mentemq; commentari diuinam. Exiſtimat autem pulchritudinem corporis ex formis compoſiti in eo conſiſtere, ut & ſingulæ in eo formæ informitatem materiæ ſuperent, & forma communis omnino formas ſingulas antecellat: corporis uerò ſimplicis pulchritudinem in quo unica ſubſtantialis forma eſt actu, ut auri, uel argenti, ſimiliumq; in maxima luminis portione ſitam eſſe. Lumen profectò eſſe uult ignis, ideſt, cæli formã, quę ſit imago quędam uitę cęli, adeo, ut quod in cęleſti uita intellectuale ineſt, ſit in cęleſti corpore luminoſum. Item lumen ſub luna eſſe formę, ideſt, luminis cęleſtis actum & (ut ita loquar) imaginem. Vnde patet, quanta ſit cæli uirtus, cum formę ipſius imago res omnes

D apud nos efficiat & conseruet. Ignem quoque sub luna esse igneum, uel ignitum corpus, potius quã purum ignem existimat. Veruntamen quia cælo similius est existere lucidum, & quasi formam corporum aliorum, incorporeisq; propinquum, ideoq; pulcherrimum, eiusq; participatione cætera pulcherrima fieri: præsertim quæ lumen inde reportant. Talia uerò sunt, quæ uel minimum terræ habent, uel naturam maximè temperatam. Quod enim uel maximè terreum est, uel minimè temperatum, quasi à cælo longè diuersum ineptissimum est ad lumen, lucidumq; colorem, quasi cæleste aliquid capiendum. Quod autem in corporibus quæ pulchra uidentur dictum est, similiter se habet in his quæ audiuntur, ut pulchra, siue sit una uox, siue grata quędam compositio uocum. Et sicut formæ uisibilis pulchritudo ab ideali & seminaria ipsius ratione procedit, sic uocis concentusq; pulchritudo tum ab ipso spiritu, tum ab harmonica mentis cõceptione perficitur. Et ubique formositas est imperium formæ super subiectum: formaq; corporea à forma incorporea proficiscitur.

Pulchritudo quæ uidetur, mentis pulchritudinem repræsentat: pulchritudo quæ auditur, refert animæ pulchritudinẽ. Item nemo de mentis & animę pulchritudine loqui aut debet, aut potest, nisi eam ipse possideat Cap. IIII.

DVplex pulchritudo est: incorporea scilicet & corporea. Et qnemadmodum corporea rursum est duplex: altera quidem in his quæ uidentur, altera uerò in his quæ audiuntur, sic & incor-
E porea duplex: altera in intellectu, altera est in anima. Intellectualis lucis pulchritudo præcipuè ab ea, quæ uidetur in lumine uelut imagine nobis repræsentatur. Pulchritudo rursus animę in harmonia quodammodo constitutæ, ab illa, quæ auditur, harmonica pulchritudine tanquam imagine ritè refertur. Omnino uerò quemadmodum nemo de corporea pulchritudine loqui potest nisi eam sensu cognouerit, sic neq; de incorporea, nisi eam perceperit animo. Sed corpoream cogniturus extra se fertur: percepturus autem incorpoream, intra se referatur oportet: reuocatus autem ad se non percipiet eam, nisi possideat. Esto itaque pulcher & intellectu & anima prius quàm de incorporea pulchritudine audeas disputare. Memento, si delectaris sensibili pulchritudine, quæ insensibilis pulchritudinis est imago, multò maiorem percepturum te uoluptatem, quando ipsam animi mentisq; pulchritudinem cognoueris: imò quando possederis.

Materia deformitatem quidem habet naturalem, formositatem uerò peregrinam. sed anima turpitudinem quidem aduentitiam, pulchritudinem uerò natiuam. Item pulchritudo diuinæ mentis est ut lumen. Pulchritudo mentis humanæ scilicet in uirtute intellectuali est ut color aliquis lucidissimus. Pulchritudo animæ scilicet in uirtute morali est quasi figura. Cap. V.

CVm pulchritudo, idest, formositas sit flos ipse & uigor, & gratia formę, certè materia sicut est in formitas ipsa, sic est & ipsa deformitas. Huic ergo deformitas quidem est naturalis: pul-
F chritudo uerò sit peregrina, quatenus materia formam accipit aliunde. Sed animæ contrà, pulchritudo quidem natiua est: quoniam suapte natura est uera forma, idest, actus aliquis in se consistens. Nam reliquæ formæ sub anima formationes quædam potius sunt, quàm formæ, idest, actiones animæ in materiam: ac uicissim materiæ passiones. Animæ igitur formositas quidem est naturalis, deformitas aduentitia. Sicut enim materia dum formale non nihil mutuatur ab anima, fieri formosa uidetur, ita uicissim anima dum informe aliquid accipit à materia, fit deformis. Accipit autem quatenus & affectu corpori cedit, & cognitione concedit. Non ergo noui muneris comparatione quadam animus euadit pulcher, sed purgatione sola qua in pristinam restituatur naturam: in qua sua ipsum formauit idea, intellectusq; diuinus: cuius quidem pulchritudo est quasi lumen: intellectus uerò nostri pulchritudo inde manans intellectualis uirtus cognominata est quasi color aliquis lucidissimus: sed pulchritudo moralis hinc & inde profecta est quasi figura.

Virtus & pulchritudo in animo est naturalis: atque est ipsa sua puritas animo restituta: sic illico & pulchritudine diuinæ mentis effulgens, & ipso bono felicissimè fruens. Item prima forma, prima mens, primum ens est idem. Cap. VI.

ANtiquum oraculum & à Platone in Phedone, & à Plotino hîc adductum, tradit, uirtutem omnem tam intellectualem quàm moralem esse purificationem quandam atq; puritatem. quod de pulchritudine quoq; sub uirtutis nomine dictum puta: quasi uirtus pulchritudoq; animo sit natiua: turpitudo uerò & prauitas peregrina. Animus itaq; à corporeis sordibus expurgatus nõ solùm

A ſolùm pulcher ſit, ſed etiam pulchritudo, ideſt, forma per ſe exiſtens, idealisq; ratio quædam, & diuini uultus expreſsio: quando uidelicet, ex animo rationali intellectualis, & intellectus euadit. Prima namque formoſitas eſt ſecundum formam, ubi eſt prima forma. forma uerò prima eſt intellectus. Forma enim prima uniformis eſſe debet atq; omniformis & reliquarum origo formarum. Sicut materia prima eſt prorſus informis receptaculúmque formarum. Talis autem ſolùm intellectus primus eſſe poteſt: qui etiam eſt ens ipſum primum. Si enim ubiq; ſit eſſe per formam, certè ens primum cum prima forma conſpirat. Præterea ſicut in materia naturale malum cum naturali deformitate concurrit, ſic in primo ente, in prima mente natiuum bonum, ideſt, boniforme cum natiua formoſitate congreditur. At ſuper ens & mentem ipſum bonum ſi quando ipſa pulchritudo dicitur, tanquam fons pulchritudinis intelligitur: ex quo intellectus tanquam prima forma pulchritudinis effluit. Sed ab intellectu anima uelut prima pulchritudinis participatio naſcitur: cętera uerò ſub anima ſecundam pulchritudinis participationem, tertiamq; deinceps ab anima nanciſcuntur. Denique animam ipſam eſſe natura pulchrã, atque diuinam inde coniicimus, quòd in corporibus ibi prȩcipuè pulchritudo refulget, ubi ſeminaria uirtus animę ſiue in uniuerſa natura, ſiue in natura quã libet ſigillatim ſubiectum ſortitur obediens.

Quomodo Dij à dæmonibus diſtinguantur. Quomodo corpora deorum & dæmonum uideantur. Item ſex differentias eſſe inter aſpectum deorum, & ſpectacula dæmonum. Conclude, ſi optas diuinam pulchritudinem contemplari, eſto pulcher atq; diuinus. Cap. VII.

B CAeterùm nihil opus eſt prolixius Plotini mentem interpretari: quoniam quàm diuine loquitur: loquitur autem diuiniſsimè: tam etiam perſpicuè loquitur: Contendens ubiq; animum non tam ad pulchritudinem intuendam perducere, quàm poſsidendam. Quòd autem de deorum dæmonumq; aſpectu breuiter innuit, ſic intellige: Deos ſignificat ſublunares, dæmonesq; ſimiliter, & qui corpora inuiſibilia naturaliter habeant, ſintq; benefici: & nonnunquam ſuo quodam erga nos beneficio ſe noſtris oculis patefaciant: Deos hîc à dæmonibus ita diſtingue: In ipſo quidem deorum deo prouidentia eſt uniuerſalis omnino: nam & omnibus, & omnia prouidet, atque largitur. Vniuerſalis etiam quodammodo in mente diuina & anima mundi. In diis uerò ſequentibus ſiue inuiſibiles ſint, ſeu uiſibiles, prouidentia quodammodo etiam uniuerſalis eſt, ſed conditione quadam particulari. Aut enim rebus omnibus munera dant, ſed munera quædam, aut dant quidem omnia, ſed quibuſdam. In dæmonibus autẽ prouidentia & particularis eſt, & conditione rurſum particulari. Nam & certa quædam munera tantùm, & certis quibuſdam rerum generibus, regionibusq; diſtribuunt. Neq; ſicut dij ſunt ab omni paſsione, uel ſollicitudine, uel affectu penitus ſegregati: nam ad hæc ipſa quæ curant, quodammodo declinare uidentur. Adde prȩterea, quod unumquenq; deorum ſiue cæleſtium, ſiue ſubcæleſtium dæmones multi ſecuntur ut ducem. Sed quonam pacto qui natura inuiſibiles ſunt, uidentur? Non enim puto deum, aut dæmonem, ut à tuis oculis comprehendatur, tenue nimium rarumq; corpus ſuum neceſſariò in anguſtius aliquando cogere, ſicq; oculorum tuorũ radios ad te reflectere, aut ſaltem ita quodammodo terminare: non enim paſsione ſua interueniente à te perſpici uolunt: ſed forſan præpotenti quadam uirtute mouendi uiſuales oculi tui radios ad
C te repellere, uel in ſe terminare, atq; ita tibi ſe notos efficere. Sed de uiſu ex mente Plotini alibi diſputabimus. Potes & tu aliter eos cernere non extimo quidem uiſu, ſed intimo quodam atq; cæleſti: ſi quando ad hunc ipſum undiq; te collegeris. Quæ uerò differentiæ ſint inter deorum dæmonumq; formas, ſiue ætheręæ ſint utrąq;, ſiue igneæ ſint, uel aereæ: Iamblichus ex mente ægyptiorũ ſic breuiter aperit. Species quidem dei cuiuslibet ſimplex figura modoq; nobis offertur: Dæmonis uerò multiplex. Dei rurſus ſpecies mutabilis: Dæmonis autem cita uarietate mutabilis. Item Dei forma ueneranda ſimul atq; propitia, prorſuſq; benigna: Dæmonis non reuerenda ſolùm, ſed uerenda. Prȩterea diuinum ſpectaculum mũdum ſubitò totum implere uidetur: dæmonicum certo loco ſe monſtrat. Rurſus diuina (ut ita dixerim) coruſcatio ictu etiam intelligentiæ uelocior eſt, agitq; celerius: Dæmonica uelox quidem, ſed mentis uelocitatem non ſatis exuperat. Denique quanta, uel qualis, uel cuiuſmodi forma, pulchritudoq; dæmonis tibi occurrerit, quodammodo exprimere potes: Dei uerò nequaquam. Quàm uerò ueneranda, quàm gratioſa ſit utrąq;, Plotinus ipſe, quamuis non explicet, tamen quandoque etiam ipſo ſenſu percepit: quod quidem Porphyrius, qui fortè interfuit, in Plotini uita teſtatur.

Librum denique totum ita conclude: Sicut oculus ut ſolem uideat, debet eſſe, fieriq; ſolaris, ſic tu ut ipſam ſuſpicias pulchritudinem, quæ diuinus ipſe intellectus exiſtit. dimitte materiam, dimitte ſenſum, dimitte rurſus & rationem: Intellectualis eſto, atq; intellectus primò tuus, deinde diuinus.

D Tunc demum ſicut oculus aquilinus in cælum uolando ſublatus, ſplendorem ſolarem atque cæleſtem penes ſolis lucem intimam circunfuſum uelut unam cum ipſa luce ſimul pulchritudinem contuebitur, ſic & ipſe per intellectum tuum ad diuinum intellectum iam progreſſus mira prorſus idearum ſerie coruſcantem, atq; ex paterna boni ipſius luce manantem primo quidem aſpectu intellectualem ſplendorem paternæ luci continuum, uelut unum idemq; conſpicies. Mox uerò lucem quidem animaduertens eſſe penitus uniformem: ſplendorem uerò quodammodo multiformem: item lucem quidem effundere, ſplendorem uerò effundi: profectò diſcernes (ut Platonicè loquar) ipſam mentem, formam ipſam pulchritudinis eſſe, ipſum uerò bonum, mentisq; patrem eſſe pulchritudinis genitorem. Sic & in patre filium admiraberis, & patrem amabis in filio, mutuoq; utriuſq; amore gaudebis.

PLOTINI PHILOS. PLAT. LIBER SEXTVS DE PVLCHRITVDINE.

E

Pulchritudo eſt in his quæ uidentur, quæ audiuntur, quæ cogitantur, neq; eſt proportio. *Cap. Primum.*

PVLCHRITVDO eſt in aſpectu plurimùm. Eſt etiam in auditu ſecundum verborum compoſitiones, muſicam quoque omnem: nam cantus & numeroſi concentus pulchri ſunt. Præterea ſi à ſenſu ad id quod ſupra ſenſum eſt aſcendamus, inueniemus ſtudia quoq; & officia pulchra, & actiones, & habitus, atq; ſciẽtias, virtutumq; pulchritudinẽ. Vtrũ verò & ſuper hęc vlla ſit pulchritudo, res ipſa procedentibus declarabit. Quid igitur eſt quod efficit, vt corpora pulchra videantur, atque auditus voces approbet tanquam pulchras, & quæcunque deinceps ad animam attinent. Quónam igitur pacto pulchra hæc omnia fiunt? Nunquid vna quadam atq; eadem pulchritudinis ratione pulchra ſunt omnia? aut aliud quiddã eſt pulchritudo in corpore, in alio vero aliud? Rurſus quænam hęc ſunt, ſi duo ſunt? Quidue id exiſtit ſi eſt vnum? Quædam enim proculdubio non ex ipſa ſubiectorum natura ſunt pulchra: ve-
F lut corpora, ſed participatione potius aliqua. Quædam verò, pulchritudines quædam ipſa ſunt: vt virtutis ipſius natura. Corpora quidem eadem aliàs quidem pulchra, aliàs verò non pulchra videntur: quaſi aliud ſit eſſe corpus, aliud eſſe pulchrum. Quid ergo id eſt potiſſimum, quod pulchra corpora ſua preſentia facit? Inprimis enim id eſt nobis conſiderandum. Dic age: quid potiſſimum ſpectantium allicit oculos, conuertitq; ad ſeipſum atq; rapit, ſpectantemq; delectat? Si enim id inuenerimus, forſan quaſi ſcala ad cætera proſpicienda vti poterimus. Tradunt enim fermè omnes commenſurationem quandam partium & inuicem & ad totum vnà cum coloris gratia pulchritudinem pertinentem ad oculos procreare, atq; in eo pulchritudinem omnium eſſe ſitam, vt moderata commenſuratáque ſint. Sed apud eos qui id opinantur, nihil ſimplex, ſolùm verò compoſitum neceſſariò erit pulchrum: ipſumq; totum formoſum erit. Partes verò ſingulæ nullam habebunt propriam pulchritudinem: ſolùm verò quatenus ad totum cõferunt pulchra dicẽtur. Quamuis oporteat, ſi modò pulchrum eſt totum, partes quoque eſſe formoſas. non enim ex turpibus cõſtat pulchrũ. Oportet autem partes omnes pulchritudinem accepiſſe. Colores inſuper pulchri: ſicut & ipſum ſolis lumen, cum ſimplicia ſint, neque ex commenſuratione habeant pulchritudinem, apud illos excluſa à pulchritudine relinquentur. Au-

rum

A rum quoq; quónam pacto illis erit pulchrum? Coruſcatioq; nocturna, ſyderumq; ſpectaculum? Similiter in vocibus, quod ſimplex fuerit, id erit à pulchritudine alienum. Quamuis tonus quilibet in his cantibus qui ex toto pulchri ſunt, ſit ipſe pulcher. Proinde quando eadem proportione manente facies eadē aliàs quidem pulchra, aliàs verò non pulchra videtur. Nónne aliud in eo quod commenſuratum eſt, pulchritudinem oportet dicere, commenſurationem verò aliud? ipſumq; commenſuratum propter aliud eſſe pulchrum? Si autem illi ad ſtudia pulchra, pulchrosq; ſermones ſe transferentes menſuræ proportionē in his etiam in cauſa pulchritudinis aſsignauerint: quænam dicetur in ſtudijs pulchris, vel legibus, vel diſciplinis, ſcientijs uecommẽſurata proportio? Quinetiam ſpeculationes ipſæ quónam pacto inuicem commenſuratæ dicentur? Quòd ſiquis id ipſum aſsignet, quoniam videlicet concordes ſunt: dicemus vtique malorum quoque conſenſionem quandam eſſe atque concordiam. Duo namque hæc inter ſe conueniunt (vt fertur) videlicet, & temperantiam eſſe ſtoliditatem, atque iuſtitiam eſſe inſcitiam generoſam. Pulchritudo itaque animæ eſt virtus omnis: atque hæc ipſa ſpecies ſuperioribus eſt admodum verior. At quónam pacto hîc commenſuratio erit? neque enim qualis, ideſt, magnitudine neque qualis in numero. Atqui cum plures ſint animæ partes in qualinam ratione compoſitio, vel temperatio partium, vel ſpeculationum ſita erit? Deniq; B pulchritudo intellectus ipſius videlicet ſegregati, ſoliusq; ſecundum ſe quid nam erit?

Pulchritudo in corporibus eſt flos formæ materiam ſuperantis propter imperium idealis rationis ſuper materiam. *Cap. II.*

REpetamus iterum à principio quærentes quidnam ſit ipſa in corporibus pulchritudo? Principiò quidem eſt quiddam primo intuitu ſenſui ſe patefaciens: idq; animus apprehendens familiaritérque agnoſcens ſuſcipit, & quaſi accomodatiſsimum approbat, & amplectitur. at verò in turpe incidens ſe ſe recipit: & velut abhorrens ob diſcordiam reſpuit vt alienum. Exiſtens nimirum anima id quod naturaliter eſt, ac prope & ſecundum eſſentiam in rerum ordine præſtantiſsimam, quandocunque aſpexerit cognatū quiddam, cognatiq; veſtigium, congratulatur & ſtupet: refertq; in ſeipſam: ſuiq; recordatur atque ſuorum. Quænam igitur ſimilitudo his quæ apud nos pulchra videntur, ad illa quę ſuper nos ſunt pulchra? Etenim ſi qua ſimilitudo eſt, ſimilia quidem ſint. At C quónam pacto pulchra ſimul & hæc & illa? Participatione vtique ſpeciei noſtra hæc dicimus eſſe pulchra. Omne namque informe aptum natura ad formā, ac ſpeciem capiendam, quatenus rationis, & ſpeciei eſt expers, turpe eſt, atque à diuina ratione ſemotum. idq; omnino turpe eſt, quod omnino ſemotum. turpe quinetiam quod à forma, rationeq; minimè ſuperatur: materia videlicet formationem integram minimè ſuſtinente. Accedens itaque ſpecies, id quod ex multis partibus vnum eſt compoſitione futurum, ſimul ordinat conciliatq; inuicem atque ipſa conſenſione conficit vnum: quandoquidem & ipſa erat vnum: ideoq; vnum oportuit eſſe formatum, quatenus quod ex multis componitur, vnum effici poteſt. Fundatur ergo pulchritudo in ipſo quando in vnum fuerit iam redactum: atque ſeipſam partibus totisq; impertit. At quando ſpecies vnū quiddam ſimilibusq; partibus conſtitutum nanciſcitur, ſeipſam & idem tradit in totum. Aliquando enim exempli gratia toti ſe ædificio ſimul partibusq; cōmunicat, aliquando verò vnico lapidi: & tunc quidem id arte fit, aliàs verò fit natura. Hac itaque ratione formoſum corpus efficitur cōmunione videlicet rationis à diuinis de ſuper veniētis.

D *Animus per imutatam ſibi formulam pulchritudinis agnoſcit pulchritudinem in corporibus: quæ foret ipſa idea ſi auferretur materia: ac ſiue ſit in ſimplici, ſiue compoſito corpore, prouenit ex uictoria diuinæ artis in materiam.* Cap. III.

COgnoſcit autem ipſam vis quædam ad eam inſtituta, quàm nihil validius ad propria iudicanda, quando & alia anima in iudicando concurrit. Forſan verò & hæc ipſa dicit videlicet, ſpeciei quæ penes ipſam eſt accomodans, eaq; freta ad iudicandum quemadmodum ad recti iudicium regula vti ſolent. At quónam pacto quod in corpore eſt, ei quod ſuper corpus eſt congruit? Dic age: & quomodo extrinſecũ ędificiũ ædificij formę, quę in mẽte eſt architectus accõmodans pulchrum eſſe iudicat? forſan quia ſi lapides tollas è medio, ædificium quod erat extrinſecum nihil aliud eſt quàm intrinſeca forma, diuiſa quidẽ per externam materiæ molem: indiuidua verò exiſtens, & ſi apparet in multis. Quando igitur & ſenſus ſpeciem, quæ eſt in corporibus aſpicit, colligantem, ſuperantemq; contrariam naturam, quæ eſt in formis, atque formam decenter in formis alijs emicantem tunc congregans ſimul totam, quæ paſsim diſperſa videbatur, refert ad ſe, atque ad formam, quæ intus eſt, impertibilem introducit: reddítq; intimæ formæ conſonam, & congruam, & amicam. quemadmodum
E probo viro virtutis indoles apparens: in iuuenne iocunda cõtingit: propterea quod veræ virtuti, quæ intus eſt conſonat. Pulchritudo verò coloris ſimplex prouenit vbi formatur, ſuperaturq; quod eſt in materia tenebroſum, præſentia luminis: quod quidem incorporeum & ratio quædam eſt, & ſpecies. Qua propter & ignis ipſe præter cætera corpora pulcher, quoniam ſi cum elementis alijs conferatur, ſpeciei obtinet ordinem. nempe & cæteris eminentior eſt, & omnium ſubtiliſsimus, quaſi incorporeæ iam naturæ propinquus. Atqui ſolus ipſe non ſuſcipit alia, cum tamen ipſum alia capiant. Calefiunt namque alia: ipſe verò non ſuſcipit frigus. Præterea colorem ipſe primus habet: cætera verò ab hoc ſpeciem coloris accipiunt. emicat igitur atque fulget quaſi ſit ſpecies. Quãdo verò ſubiectum nõ ſuperatur, velut luminis exigui particeps, haud vltra prouenit pulchrum: vt pote quòd coloris ſpeciem non accipit totam. Proinde harmonias, quæ ſunt in vocibus, aliæ quæ latent in anima faciunt, & ad ſenſum vſq; producunt: atque ita faciunt, vt anima percipiat pulchri notitiam, idem in alio demonſtrantes. Competit verò harmonijs quæ ſentiuntur, vt numeris menſurentur non in omni ratione numeri, ſeu vocis, ſed in ea duntaxat, quæ ad effectionem ſpeciei, victoriamq; eius obtemperat. Sed hactenus de pulchris, quæ
F ſunt in ſenſu, ſit dictum: quæ tanquam imagines vmbræq; in materiam effluentes ipſam exornauerunt: admirationemq; ſui occurentes ſenſibus concitant.

Oportet animum fieri pulchrum, ſi intellectualem ſit pulchritudinem cogniturus: quæ tantò magis fruentẽ delectat, quàm corpora pulchritudo, quantò & forma illa hac perfectior eſt, & intellectus perſpicacior ſenſu, & poſſeſsio nobis interior. Cap. IIII.

AT verò pulchra quæ his ſuperiora ſunt, oculisq; minimè patent: ſed animus ipſe abſque inſtrumentis cernit atque pronuntiat, aſcenſu quodam contemplari debemus, ſenſum in infimo relinquentes. Quemadmodum verò pulchra quæ ſenſibus offeruntur verbis exprimere non potuiſſemus, niſi vidiſſemus aliquando, & tanquam pulchra percepiſſemus. quo quidem munere orbati ſunt, qui cęci naſcuntur: ſic neque de officiorum & ſcientiarũ, cęterorumq; eiuſdem generis pulchritudine poſſumus eloqui, niſi hæc ipſa poſsideamus. Similiter neque de fulgore virtutis: niſi quodammodo excogitauerimus, quàm pulcher ſit iuſtitiæ, & tẽperantiæ vultus: quá ve ratione neque heſperus, neque lucifer adeo ſpecioſus. Quinimo eo duntaxat hæc oportet videre: quo animus

A mus ipſe talia intuetur. Præterea videntes admodum oblectari, & affici vehementer, multoq; magis quàm corpoream pulchritudinẽ admirari: vt pote qui vera iam attingamus. Tales, inquam, affectus oportet circa pulchrum quodlibet excitari, admirationem videlicet ſtuporemq; ſuauem, deſiderium quoq;, atque amorem, concitationemq; iocundam. eiuſmodi quædam etiam circa ea, quæ non videntur, animæ patiuntur omnes quidem (vt ita dicam) magis autẽ quæ ſunt ad illorum amorem propenſiores: ſicut & circa corporis pulchritudinem accidit. omnes enim æquè vident, non tamen incitantur æquè, ſed maximè omnium amatores.

Pulchritudo in animo naturalis tunc nobis effulget, cùm primùm aduentitiam deformitatem, ideſt, affectus ad materiam ſeparauerimus. Cap. V.

CAeterùm circa amatorios affectus qui ſuper ſenſum aſſurgunt, ſciſcitari licet hunc in modum. Agite, quidnam patimini circa decora ſtudia, & officia, & modos honeſtos, temperatosq; mores, & omnino erga virtutis opera, affectionesq;, & habitus, & pulchritudinem animorũ? Quid, inquam, patimini, quando vos intus intuemini pulchros? Et quo pacto (vt ita dixerim) debaccha mini, atque concitamini? Affectatisq; vobiſcum congredi, vos ipſos ſeorſum à
B corporibus colligentes? Afficiuntur enim ſic amatores veri. At verò quidnam eſt id, erga quod ita prorſus afficiuntur? Non eſt figura, non color, non magnitudo, ſed erga animum ipſum coloris omnis expertem, ſimiliterq; temperantiã poſſidentem à colore ſemotam, reliquumq; virtutum ſplendorem: quotiẽs vel in vobiſmet intuemini, vel in alio contemplamini animi amplitudinem, & iuſtũ morem, puramq; temperantiam: præterea fortitudinem generoſo vultu verendam: pudicitiam denique, honeſtatemq; venerabilem habitu quodam intrepido, & tranquillo, ſerenoq; incedentem: atque hæc diuinam mentẽ deſuper colluſtrantem. Hæc igitur amantes quánam ratione pulchra eſſe dicimus? Sunt enim atque apparent: neque qui aſpicit vnquã aliud eſſe dicet, quàm verè exiſtẽtia hæc eſſe. Sed quidnam vere exiſtentia? Fortè pulchra. At enim adhuc deſiderat ratio ſcire, quidnam hæc exiſtentia, vt anima amabilis ſit, efficiunt? Quid in virtutibus cunctis decorum quaſi lumen? Vis ne contraria ſumens, quæ videlicet in anima turpia ſunt, contrà conferre? Fortè enim ſi cognouerimus quid, & qua de cauſa turpe ſit, ad id quod quærimus conferet. Eſto itaque turpis anima, quæ intemperãs eſt atque iniuſta, cupiditatibus multis abundans, & perturbatione quàmplurima, ob timiditatem vexata timoribus: ob animi ipſius angu-
C ſtiam, auaritiamq; laborans inuidia: nihil vnquam niſi mortale, abiectumq; cogitans, obliqua ſemper animo verſans, impuris voluptatibus mancipata, vitam agens ei propriam, quodcunque id ſit, quod ipſa per corpus patitur: turpitudinem per ipſum ſubiens quaſi iocundam. Atqui hanc ipſam turpitudinẽ nónne animæ ſub aduentitiæ pulchritudinis prætextu, tanquam aduentitium malum dicemus accidere? quæ quidem graui cum detrimento eam reddit impuram, multæq; prauitati permiſtam, neque vitæ vlterius, neq; ſenſus puritate prædictã ſed permiſtione mali vita exigua iam vtẽtem, plurima confectam morte, haud amplius quæ ſunt videnda videntem: neque permiſſam amplius habitare ſecũ: propterea quod ad externa ſemper & infima obſcuraq; rapiatur. Impura profectò ſic euadens, paſſimq; ab ijs raptata, quę ſenſibus incidunt, plena videlicet corporis labe: nempe cum materię plurimùm ſe dediderit, materialemq; naturam in ſe cõtraxerit, nimirum ob eiuſmodi commiſtionem in deterius prolabẽtem, iam fermè ſpetiem ſuam in ſpetiem alteram commutauit: perinde ac ſiquis limo cœnoq; prouolutus haud vlterius priorem præferat pulchritudinem: Id verò videatur eſſe, quod à limo in ſeipſum cœnoq; cõtraxit. Huic ſanè turpitu-

D do acceſsione quadam alienæ naturæ accidiſſe videtur. Quòd ſi priorem recipere cupiat pulchritudinem, operæ pretium erit infecta diluere: ipſaq; purgatione rurſum eſſe quod erat. Quamobrem ſi animam miſtione, confuſione, cõmercio cum corpore, atque materia turpẽ dicemus euadere, rectè (vt arbitror) aſſeremus. Eſt enim hæc animæ turpitudo ſcilicet, non eſſe puram, atque ſinceram. Quemadmodum & auro accidit turpitudo, ſi glebis terreis offundatur: quas ſiquis excuſſerit, purum ſubitò reſtat aurum: idq; iam pulchrum, cum ab alienis fuerit ſegregatum, ſua videlicet ad pulchritudinem puritate contentum. Eadem ratione animus ab his cupiditatibus ſegregatus, quas nimio corporis commercio in ſe concepit, à cæteriſq; perturbationibus liberatus: deletis iam maculis, quas corporea familiaritas prius inuſſerat: atque ita ſolus ſibi relictus proculdubio turpitudinẽ omnẽ ab aliena natura prorſus imbibitã expurgauit.

Anima tunc ſolùm uirtutem, pulchritudinemq; habere uidetur, cùm reſtituta eſt in propriam puritatem: tũc enim maximè fulget intellectuali lumine, quod eſt ei maximè proprium: tunc & maximè ſpecies eſt, & ipſa iam pulchritudo, deoq; perſimilis. Cap. VI.

E PRofectò, quemadmodũ oraculum tradit antiquũ, tẽpertantia, fortitudoq; & ipſa prudẽtia, & omnino virtus omnis eſt purificatio quædam. Qua propter ſacra myſteria rectè quamuis perobſcura vaticinantur, animum non purgatum apud inferos in cœno iacere. Impurum namq; ob prauitatem cœno eſt amicum: quemadmodum ſues corpore ſordidi ſordibus delectantur. Quidnã aliud vera temperantia eſt, quàm corporeis voluptatibus non indulgere? ſed eas tanquam quæ neque puræ, neque puri ſunt, procul effugere. Fortitudo verò non metuere mortem. Mors namque eſt quædam animæ à corpore ſeperatio. Id verò non metuit, qui ſolus eſſe deſiderat. præterea magnanimitas rerum mortalium eſt contemptus. Prudentia deniq; intelligentia eſt, inferiora declinans, animumq; erigens ad ſuperna. Anima igitur iam purgata ſpecies, ratioq; euadit, ac, penitus in corporea, intellectualisq;, ac tota diuina: vnde fons effluit pulchritudinis, cognataq; omnia talia. Quamobrem anima redacta in intellectum pulchritudine mirificè proficit. Intellectus autem & quicquid ab intellectu manat, non alienũ, ſed propriũ fit animæ decus. quippe cum tũc ſolùm verè ſit anima. Rectè itaq; dicitur bonũ, pulchrumq; animæ in eo conſiſtere, vt Deo ſit ſimilis: quoniam hinc decor animę prouenit, ſorsq; exiſtentium altera. Quin
F imo id quod & ens, & entia dicitur, ipſa eſt pulchritudo: Diuerſa verò natura eſt turpitudo, primumq; malum, ideoq; illud idem bonum atque pulchrum. Fortè verò & idem ipſum bonum, ipſaq; pulchritudo: Quamobrem ſimili quadam via quærendum eſt pulchrum atque bonum: ſimili quoque turpe atq; malum. Primoq; gradu ipſa pulchritudo collocanda eſt, eadem videlicet aque ipſum bonum: à quo manat proximè intellectus tanquam pulchrum. Anima verò intellectu pulchrum: ſed alia ab anima formante iam pulchra: ſiue in actionibus ſiue in ſtudijs officijsque verſentur. Iam verò corpora quæcunque pulchra dicuntur, talia efficiuntur ab anima, quæ quidem tanquam diuinum aliquid & ipſius portio pulchri quæcunque attigerit, ſuperaueritq;, reddit pro naturæ capacitate formoſa.

Animus affectibus ad materiam quaſi nubibus procul expulſis ad intellectualis pulchritudinis lucem extemplo conuertitur: atque ea ibi uoluptate perfunditur, quam exprimere nequeas. tum uerò in hac luce reperit ipſum bonum: eoq; illic impletur gaudio, quod etiam nequeas intelligere. Cap. VII.

AScendendum itaque rurſus ad ipſum bonum, quod anima omnis appetit. Siquis autem nouit ipſum, nouit quod dico, quo pacto ſit pulchrum.

Appeti-

A Appetibile quidem eſt tanquam bonum, ad idq; appetitio tendit. Sequuntur autem ipſum qui ad ſuperiora conſcendunt, cõuertunturq; ad ipſum quatenus exuunt, quæ induerant deſcendendo. Quemadmodum qui in ſancta ſacrorum penetrant, purgantur prius, exuuntq; veſtes, nudiq; procedunt, quouſque pro-
a grediens aliquis dimiſsis omnibus alienis à Deo, ſeipſo tantùm diuinum ipſum inſpiciat ſolum, ſincerum & ſimplex atque purum: à quo cuncta dependent: ad quod reſpiciunt, & ſunt, & viuunt, atque intelligunt. Cauſa enim eſt vitæ & mẽtis atque eſſendi. Id igitur quis quis videt quãto, proh Iupiter, ardet amore, quãto deſiderio flagrat in vnum congredi vehementer affectans: quàm mirabiliter voluptatem cum ſtupore commiſcet. Sic profectò natura comparatum eſt, vt qui nondum videt, ipſum appetat tanquam bonum. Qui verò iam videt, oblectetur velut pulchro, admirationeq; cum voluptate pariter impleatur: ſalutari quodã ſtupore pulſetur: vero ſummoq; afficiatur amore: acres affectus, alioſq; amores irrideat: quæ prius habebantur pulchra contennat. Quod quidem fermè his quoque contingit, qui cum obuias habuerint deorum, vel dæmonũ formas, ceterorum deinde corporum formas nihilipendunt. Quidnam igitur actu rum putamus eum, qui pulchrum ipſum fuerit contemplatus? Ipſum, inquam,
B in ſeipſo purum: neque carnibus, neque alio corpore prægrauatum: neq; terra, neque cælo comprehenſum: vt videlicet exiſtat purum. etenim aduentitia ſunt hæc omnia atque miſta, ideo q; nec prima, ſed ab ipſo procedunt. Siquis ergo illud, quod præbet quidem omnibus munera, manetq; interim in ſeipſo dum tradit, nec quicquam ab alio recipit, quandoque intueatur in eius intuitu permanens, adeoq; fruatur, vt ſimilis ipſi fiat, quò nam pulchro vlterius indigebit? Id namque cum præcipua primaq; ipſa ſit pulchritudo, amatores ſuos pulchros efficit, & amabiles. Vbi profectò maximum, extremumq; animabus propoſitum eſt certamen, cuius gratia prorſus elaborandum, ne fortè relinquamur optimæ contemplationis expertes, quam quiſquis aſſequitur, euadit felici viſione beatus: contrà verò qui non conſequitur, eſt infelix. Non enim miſer eſt, qui colores pulchros, & formoſa corpora non conſequitur: neque qui à potẽtia & principatu regnoq; excidit: ſed qui huius ſolius caret poſſeſsione, pro qua certè ſola regna, imperiaq; terræ totius, & maris, atque cœli oportet abijcere: ſi relictis his omnibus atque ſpretis, ad ipſum quis conuerſus intueatur.

Animi pater quidem eſt intellectus ipſe diuinus: patria uerò intellectus illius pulchritudo, miraq; ſeries idearum, ad quam redit, cum primùm uidet: uidet autem eam ſubitò, cum inferiora non uidet
C *amplius, uel externo, uel intimo ſenſu.* Cap. VIII.

QVis itaque modus? quæ machina? quæ ratio? qua quis inextimabilem pulchritudinem contempletur: pulchritudinem inquam in ſacris adytis conſtitutam, neque prodeuntem foras, nequis prophanus inſpiciat. Ingrediatur ergo, atque progrediatur quicunq; poteſt in intima, extra relinquens intuitum oculorũ: neque ſolita ſpectacula ſenſuum vlterius à tergo reſpicies. Oportet enim hanc intuentem nihil penitus corporeæ pulchritudinis vltra ſpectare, ſed cognoſcentem corporea hæc eſſe imagines, veſtigiaq; & vmbras, ad illud omnino cõfugere, cuius hæc ſimulachra ſunt. Siquis enim ad hæc protuat, quaſi vera capeſcens, quæ tamen velut formoſæ imagines apparent in aqua, idem proculdubio patietur, quod (vt fabula tradit) ille perpeſſus eſt, qui vmbrã captare contendens in aquam ſeſe merſit, atque diſperijt. Simili namque pacto qui formas corporum amplexatur, neque inde diſcedit, non tam corpore quàm animo in profundum tenebroſum, mentiq; horrendum præcipitatur: vbi & apud inferos cæcus & hîc manẽs, vtrobiq; verſabitur inter vmbras. Hic igitur verius

D admodum aliquis proclamabit: abeamus hinc amici in patriam dulcem confugientes. Quænam igitur fugiendi ratio? & qua via veneficia Circes, Calypſusq; deuitabimus? Quod quidem licet perobſcura Vlixis ſignificat fabula: quæ illū fingit manere nolentem: quamuis ſpectacula illi oculis iocunda occurrerent: & cætera quæ ſenſus oblectant, promitterentur. Patria verò noſtra ibi eſt, vnde venimus, ibidem quoque pater. Quæ nam igitur claſsis, & quæ fuga? Haud ſanè pedibus eſt fugiendum. Pedes enim ab alia paſsim in aliam ferunt terram. Neque rurſus equos ad vehendum: neque naues ad nauigandum huius gratia parare debemus. Imò verò hæc cūcta dimittere, neque proſpicere quidem, ſed viſu corporis clauſo alterum pro hoc viſum aſſumere, atque ſuſcitare. Quem habent quidem omnes: vtuntur verò perpauci.

Oculus animæ intimus eſt ratio contemplatrix: intellectus autem animæ proprius eſt huius oculi lumen: intellectus uerò diuinus eſt luminis huius lumen: ipſum deniq; bonum eſt lux paterq; luminum. Anima igitur cum oculum ab exterioribus prorſus auertit, ſubitò ad intima conuertit lumina, atque lucem, euaditq; non ſolùm luminoſa, ſed lumen. Cap. VIII.

E QVid nā igitur intimus ille oculus inſpicit? Profectò ſubitò expertectus haud valde lucida poteſt aſpicere. Aſſuefaciendus igitur animus primò quidem ſtudia pulchra conſiderare, deinde opera pulchra: opera, inquam, non quæ fiunt ab artibus, ſed quæ à viris probis aguntur: poſthæc eorum animum qui talia gerunt debes inſpicere. Quónam igitur pacto qualis ſit animi boni decus inſpicies? Age, te reuoca in teipſum, atque contemplare, ac ſi non dum te cognoſces pulchrum, ſtatuarium imitabere. Hic enim vbi ſtatuam optat pulchrā, partim quidem abſcindit, partim quoq; dirigit, & expoliturus abradit, partim leuigat & abſtergit, donec faciem in ſtatua exprimat ſpecioſam. Ita & tu tolle ſuperuacua: obliqua dirige: obſcura purgando colluſtra: neq; deſinas circa ſtatuam tuam elaborare, quouſque diuinus virtutis fulgor tibi ſubrutilet, quoad temperantiam cernas firmiter in maieſtate pura ſanctaq; ſedentem. Si hoc ipſum euaſeris, atq; ipſum ſimulq; teipſum inſpexeris, ac purus iam habitaueris ipſe tecum, nihil videlicet habens impedimēti, quò minus ſic vnus efficiaris: neq; rurſus habens aliud quicquam tecum intus admiſtum, ſed totus ipſe verum ſolumq; lumen: lumen, inquam, non magnitudine menſuratum, non coarctante figura aliqua circumſciptum, non mangnitudine tumidum licet immenſum, ſed immenſurabile paſsim, tanquam omni menſura maius, omni quantitate præſtā
F tius: ſi teipſum, inquam, idfactum videris, viſus ipſe iam factus, atque teipſo fretus, eoq; progreſſus, vt duce amplius indiceq; non egeas: fige iam prorſus intuitū: ſolus namq; hic oculus ingentem inſpicit pulchritudinem. At verò ſi fortè oculus vel ſordibus infectus, nec dum purgatus, vel ignauia debilis in ſpectaculum lucidiſsimum intēdatur, caligabit protinus, nihilq; diſcernet, vel ſi præſens quiſpiam ſpectaculum, quod alioquin cerni valeat, demonſtrauerit. Oportet enim viſurum videndo cognatum ſimilemq; prius efficere, quàm ad ſpectandū adhibeatur. Neq; verò oculus vnquam videret ſolem, niſi factus ſolaris eſſet. Neq; rurſus animus niſi factus ſit pulcher, ipſam pulchritudinem intuebitur. Efficiatur ergo diuinus, ſiue deiformis quilibet atq; pulcher, ſi modò deum ſit & pulchritudinem inſpecturus. Sic enim primùm aſcendet in mentem, ibiq; pulchras omnes ſpecies contemplabitur, atque affirmabit pulchritudinem illam ideas eſſe. Cuncta namq; his pulchra ſunt, genituris videlicet mentis eiusq; ſubſtantia. Quod autem his ſuperius eſt dicimus ipſius boni naturam pulchrum circa ſe effundentem: quapropter ratione quidem eloquutioneq; integra id primū occurrit, diciturq; pulchrum. At ſi intelligibilia ipſa diſtinxeris, pulchritudinem quidem intelligibilem eſſe dices, habitaculum idearum. Ipſum verò

bonum

A bonum quod ſuperius eſt, fontem principiúmque pulchri : vel forte in eodem ipſum bonum, primúmque pulchrum pones præter id quod ibi pulchrum.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE BONO PRIMO, ET ALIIS BONIS.

SVMMA.

Ipſum bonum eſt ſuper eſſentiam, uitam, intellectum.

B IN uniuerſo rerum ordine nulla eſſentia in ſe ipſa quieſcit, ſed omnis naturaliter atq; ſemper tota uirtute ſua nititur ad agendum. idq; naturale, propriúmq; munus eſſentiæ omnes non aliunde quàm à prima eſſentia ſortiuntur : quoniam uidelicet ipſa fermè ſimili quodam nixu prodit in actionem. Prodit autē eſſentia quælibet atque ipſa eſſentia in actionē, ut melius inde ſe habeat. Neq; hæc igitur quælibet, neque illa eſt ipſum bonum, cum & non quieſcant in ſeipſis, & in melius agendo proficiant. Melius enim ſe habet eſſentia, ſi agat, quàm ſi non egerit. Neq; rurſus ipſa eius actio eſt ipſum bonum, ſummusq; eſſentiæ finis: nam ab eſſentia uirtute dependet : eſſentia uerò actioq; ſimul pendet ex bono. cum ideo ſemper agat, ut melius agēdo ſe habebat : neque aliter ſe habebat melius, quàm ad bonum ſemper agendo : nam & bene ſe habebat primum, cùm & ipſa & eius actio procedit à bono: & rurſus bene, meliusq; cùm ad ipſum bonum ſe toto nixu conuertit. Iam uerò ex eo quòd eſſentia eiusq; actus, ideſt, uita, & intellectus ipſo bono tanquam fine perficiuntur, coniectare poſſumus ab ipſo bono tanquam principio effici. Vnde enim efficitur unumquodque, inde rurſus ibidemq; perficitur. Teſtatur hoc & humana natura; non enim eſſe atque uiuere per ſe ac ſimpliciter homines appetunt, ſed ut bene ſint, beneq; uiuant: quaſi hæc ipſius boni duntaxat gratia concupiſcant : ipſumq; boni munus tum eſſendi, tum uiuendi muneri naturali quodam iudicio præferant. Sicut enim eſſe uiuereq; nonnunquam reſpuunt, nō quidem ſimpliciter, ſed mali ipſius gratia ; ideſt, ne ſint, uiuantq; peſsimè, ſic eadem rurſus adſciſcunt gratia boni, ideſt, ut bene ſint, uiuantq; quamoptimè. Intima igitur eſſentiæ actio, ſiue uita, ſiue motio, ſiue cognitio nuncupetur, non per ſe quidem bonum eſt: nam ſi forſan uel ex malo pendeat, uel etiam caſu quodam, uel errore labatur ad malum, eſt proculdubio malum : per ſuperius igitur aliquid exiſtit, fitq; bonum : quantum ſcilicet & à bono naturaliter procedendo habet aliquid ipſi bono ſimile, & ad bonum idem rite ſe conuertendo, ſimile quiddam rurſus efficitur. Concludē igitur: ſicut eſſentiæ ſingulæ ad bonum ſuum ſingulatim ſeſe habent, ſic ipſam quoq; eſſentiā ad ipſum bonum ſe prorſus habere, atque omnino & bonum hoc huic eſſentiæ appetenti, & ipſum bonum
C ipſi eſſentiæ ſimiliter anteponi. Eſſe uerò ipſum bonum, ipſumq; unum penitus idem: Item ipſum unū eſſentia ſuperius eſſe, opportunius alibi diſputabitur. Sed hæc hactenus huius libri ſit ſumma. Agit uerò de bono curſim, & quaſi argumentum præparans libris ſuis, in quibus de bono diligentiſſimè diſputat. Huius itaque libri, uel argumenti tria ſunt capita. In primo probat ipſum bonum eſſe ad quod feruntur quidem omnia: ipſum uerò fertur ad nullum. In ſecundo quomodo ad ipſum alia ferantur, atque referantur. In tertio tres quæſtiones circa ſuperiora mouet, & ſoluit.

Bonum unicuiq; proprium eſt actio naturalis expeditè directa ad ipſum uniuerſi bonum, quod eſt principium omnium atq; finis. Cap. Primum.

IN primo capite tradit actionem unicuique bonum quiddam eſſe : actionem, inquam, non ſimpliciter, ſed duplici quadam conditione. Prima quidem eſt, ut ſit actio naturalis, ideſt, non uiolenta, non fortuita. Secunda ut nulla ex parte deficiat, ideſt, neque ſit debilis, neque ſit obliqua, ſed potenter & rectè feratur ad finem. Sed cur nam actio talis eſt bonum? Quia uidelicet iccirco naturalis eſt, quoniam ab ipſo bono inſerta eſt auctore naturæ. Item quia dum rite tendit in finem, neceſſariò fertur ad ipſum bonum. Hoc enim uelut omnis naturæ principium, omnē quoq; naturam uelut ad finem inſtituit ad ſeipſum. Inter hæc ſignificat quæ ſunt infra rationalem animam, propriè quidem

D ad propria quædam bona natura duci. Ad ipſum uerò primum, ſummumq; bonum nõ perduci quidem proprie, ſed in bonis proprijs conſequendis quandam ipſius ſimilitudinem reportare. At animam quæ per intellectum & rationem poteſt communem totius entis concipere notionem, ipſiuſq; boni fontem augurari, meritò & ad ipſum bonum primum, atque ſummum poſſe proprie, tum continuè proficiſci, tum denique peruenire. Sed ut quid ſit ipſum bonum intelligatur, duo potiſsimum prius intelligenda ſunt. Primum quidem: eſſe aliquod rerum principium, idq; unum exiſtere. Secundum uerò, ipſummet omnium eſſe finem. Sanè in theologia noſtra id totum multis argumẽtis aſſerimus: concludimusq;, niſi primum ſummumq; principium detur, ſed de alio in aliud deinceps abſque fine aliquo procedatur, quicquid reperias, ab alio dependere, ideoq; ſuapte natura mutabile eſſe atque uacillans: neque fore quicquam ſtabile rerum nutantium fundamentum fixumue cardinem mutabilium. Atque iccirco nullam in rebus ſtabilitatem fore, nullum ordinem, nullam unionẽ, nullamq; concordiam. Quoniam uerò res omnes ſtabilem quendam ordinem perpetuò ſeruant, atque in unam uniuerſi operis formam, & ad unum communemq; uniuerſi finem ubique conducũt, conſtat ſummum aliquod omnium eſſe principium, unicumq; exiſtere. Id uerò & omnium eſſe finẽ ex eo patet, quod principium ſummum cum à nullo dependeat, neque ad aliud aſpicit aut agit, neq; ad alium finem quàm ad ſeipſum cuncta conſtituit. Principium igitur uniuerſi atque finis eſt idem: Id autem nihil aliud eſt quàm ipſum bonum. Si enim ſummum eſt principium, ab eo certè fiunt, ſeruantur, perficiuntur, reſtituuntur omnia. ergo ſummum eſt omnium bonum. Item, Si eſt finis omnium ſummus & ultimus, ſequitur, ut ipſum ſit, cuius gratia ſingula ſemper agunt: omnia uerò bo
E ni ipſius gratia agunt quicquid agunt. Vtrinq; igitur ſatis conſtat ipſum omnium bonum eſſe idẽ, quod & omnium eſt principium atq; finis. Confirmatur idem ex eo quod nullum poteſt munus rebus melius exhiberi, quàm quod à ſummo principio traditur. Nullum rurſus donum melius, quàm quod ab ipſo bono præbetur. Vnde patet idem eſſe principium omnium atque bonum, patet idem eſſe finem. Omnia enim quam optimè afficiuntur in principio ſuo: omnia rurſus quamoptimè in fine exoptato ſe habent: denicq; cum ſingula unde proceſſerunt, illuc & appetendo pro uiribus conuertantur: omnia uerò ſic conuertantur ad bonum uelut ad finem, patet, à bono omnia tanquam à principio proceſsiſſe. Cætera quidem actione quadam bona cenſentur: actione inquam duplici, tũ qua fiunt ab ipſo bono, quæ quidem nihil aliud eſt, quàm illinc quidem ipſum bonum, hinc uerò ipſa rerum inde factarum eſſentia, actusq; uitalis, tum etiã qua feruntur ad bonum. Hæc autem eſt appetitio, inclinatio, motio, generatio. Ipſum uerò principium omnium atq; finis non actione prorſus ulla bonum eſt, ſed ipſa eius prima, ſimpliciq; natura. Sicut & prima lux ſiue caliditas, non alio quàm ſe ipſa lucens atq; calens. Non actione, inquam, ulla: quia neque extrinſeca. non enim uerſatur circa aliud, uel acquirit aliquid aliunde. Non rurſus intrinſeca: quia nullo uel eſſentiali, uel uitali, uel intellectuali actu bonum eſt. Primò quidem, quoniam ſi ſuper eſſentiã eſt, quod & probauimus, multò magis ſuper & ante omnes eiuſmodi actus eſt, qui ſecuntur eſſentiam. Secundò, quoniã alia eſt ipſa boni ratio, alia uerò eſſentiæ. Hæc enim propter aliud, ideſt, propter bonum expetitur: ipſum uerò bonum duntaxat propter ſeipſum. Rurſus alia boni ratio, alia uitæ, atque intellectus:
F nam ipſum bonum neceſsitate propria ſimpliciter exoptatur: uita uerò & intellectio ea duntaxat conditione eligenda cenſetur, ſi bona felixq; ſit, ſi bene uiuas, ſi bona intelligas, ſi ipſum intelligere ſit tibi bonum: alioquin aliquando reſpuentur: Ipſa uerò boni natura reſpui nequit ab ullo. Præterea boni ratio, munusq; per omnia propagantur. Ratio autem uitæ, intelligentiæq; natura per omnia protendi non poſſunt. Cum igitur natura boni tum alia, tum prior, ſuperiorq; ſit, quàm natura eſſentiæ, uitæ, intelligentiæ, certè nullo prorſus horum actu, ſed ſeipſa duntaxat eſt bonum. Quamobrem in capitis huius calce ipſum bonum centro ac ſoli, cætera uerò circumferentiæ, lineisq;, item lumini radiisq; comparat: quoniam illud quidem ſimplex, ſtabileq; permanens cuncta producit: reliqua uerò multiplicia, & quodammodo mobilia per naturalem appetitum circa ipſum continè reuoluuntur. Sed de hac comperatione, deq; ipſo lumine alibi diligentius.

Quæ ſunt infra animam non habent ueram unitatem, eſſentiam, ſpeciem: ideoq; nec bonitatem ueram: Anima uerò & ſuperiora habent illa tria uera, & hanc ueram. Cap. II.

IN ſecundo capite traditur, alia ad ipſum bonũ aliter atq; aliter appetẽdo conuerti. Quæ ſunt infra animam, uitam ab anima cupiunt: ac ſi qua ui diſiungantur à uita, uix quidem & cum dolore aliquo ſeiunguntur: et utcunq; poſſunt coniungi iterum anniruntur. Quod quidem in partibus plãtarum, animaliumq; manifeſtius perſpicere licet. Hæc ſanè dum uitam ab anima omni ſtudio capiunt, interea proficiſcuntur ad bonum: nam in melius proficiunt, dum animæ quæ ipſi bono propin-

A pinquior eſt, propinquant. At anima per intellectum pergit ad ipſum bonum: nam per id quod in ipſa ſummum eſt, rite ſurgit ad uniuerſi ſummum. & animæ rurſus inferiores per ſenſum quidem aliæ, per imaginationem aliæ: noſtræ tandem per rationem bonum ſibi proſpiciunt. Senſus uerò intelligentiæ ueſtigium eſt. Imaginatio rurſus intelligentiæ imago confuſa. Ratio tandem eiuſdem eſt imago diſtincta. Proinde omnibus boni aliquid eſt inſertum: nec iniuria, cum bonum ipſum omnium ſit principium. Tria uerò potiſsimum in rebus boni ipſius dona conſpiciuntur. Primum quidem eſt unitas: ſecundum uerò eſſentia: tertium deniq; ſpecies. Sed quare unitas primum? Quoniã ipſum bonum, ipſumq; unum eſt penitus idem. Nihil enim unitate ſimplicius cogitari poteſt: nihil rurſus & ipſa bonitate ſimplicius. Cum nihil ſit ipſa prius, quæ ſola omnium eſt principium. Mitto quòd ſicut diſperſione in multitudinem omnia pereunt, ſic unione ſeruantur, & ſeruata inde perficiuntur. Cum igitur omnia unitate ſeruentur, & proficiſcantur in melius, idque ipſum ſola bonitate fieri poſsit, conſequens eſt, idem eſſe unitatem primam, atque bonitatem. Sequitur donum boni ſecundum, ideſt, eſſentia: quæ neceſſariò eſt poſt unum. Ipſum namque unum nullam in ſe multitudinem, compoſitionem que admittit: eſſentia uerò & ens admittunt. Nam & ſi natura prohibet aliquid ſimul, & ipſam unitatem exiſtere, & multitudinem in ſe habere, nihil tamen prohibet ens aliquid eſſentiam que cenſeri: quamuis componatur ex pluribus. Cum igitur ipſum unum ſit ente, eſſentiaq; ſimplicius, neceſſariò eſt & prius, atque ſuperius. Et meritò quidem unitas ponitur primum ſummi principij munus, eſſentia uerò ſecundum. Latior enim eſt in rebus unitas quàm eſſentia. Eſſe namq; non re uera materiæ, priuationiq; conuenit. Quæ enim forma carent, in qua eſſe conſiſtit, eſſe meritò carent. poteſt tamen & una materia dici, licet informis.

B Dici poteſt & una priuatio cęcitas, ſicut & uiſus eſt habitus unus. Poteſt & materia dici quodammodo bonum, quatenus & ipſa bonum appetit, & proceſsit à bono. Neq; quicquã prohibet eam quodammodo iudicari bonum, licet hæc apud Plotinum ſit ipſum malum. Nam & ſi bonum ipſum in ſe nihil admittit mali, tamen ipſum malum (ſi modò de malo fas eſt, ipſum dicere) cogitur ſub immenſo boni ipſius imperio concupiſcere bonum, cognominariq; bonum. Tertium boni munus ſpecies eſt. Hæc enim eſt quædam determinatio, ſiue diſtinctio, ſiue actus eſſentiæ. Tu uerò hîc dum audis unius boniq; donum latius propagari, quàm entis & eſſentiæ munus, conclude, ipſum unum atque bonum ente ſuperius eſſe: cæterum, qualis eſt in rebus unitas, eſſentia, ſpecies, talis & participatio boni. Profectò in mente prima, in mentibus alijs, in animabus præditis ratione, uera eſt participatio boni: quia uera unitas, eſſentia, ſpecies. Vnitas enim in eis & ſi multitudinem quandam habet admiſtam, uerùm ibi tamen conficit unum, quia ſuperat multitudinem, unumq; inde indiſſolubile reddit. Eſt igitur ibidem & eſſentia uera, cum aliquando non eſſe non poſsit. Vera quoq; ſpecies cũ forma ibi nequeat in aliquid informe reſolui. In rebus autem inferioribus anima & unitas ſæpe à multitudine ſuperatur, ideoq; plurimùm diſſolui poſſunt: & in eſſentia priuatio quædam ineſt, & lapſus aliquis ad non eſſe: & forma cum ſubiecto miſcetur prorſus informi, in ipſumq; delabitur. Quamobrem non uerum in his eſt unum, non uera eſſentia, non uera ſpecies atque forma: nec igitur uera, ſed imaginaria quædam portio boni.

C *Sicut uita non eſt per ſe ſimpliciter bonum, imò ſi dirigatur ad ſummum principium eſt, bonum, ſin ad materiam, eſt malum: ſic mors non eſt per ſe ſimpliciterq; malum, imò ſi animam ſeparet à malo, ideſt, à materia, eſt bonum.* Cap. III.

TErtium caput tres adducit in medium quæſtiones. Prima quidem eſt eiuſmodi: Si uita bonum eſt, nunquid cuilibet & quomodolibet uiuenti uiuere bonum eſt? Non certè: quia uita ipſa non eſt per ſe primum ſimpliciterq; bonum: ſed quatenus potenter & directè ad ipſum primum cõ ſurgit bonum, eatenus quoq; euadit uita perfecta. At ſicubi claudicat & aberrat, dum ab ipſo cadit bono, ſimul à perfectione uitæ degenerat. Hinc illud Democratis: Viuere imprudenter, intemperanter, impiè, non tam malè uiuere eſt, quàm diu mori. Secunda quæſtio: Cum uita nobis quatenus cum mortali miſcetur, atq; inde turbatur, malum quiddam euadat animæ: quamuis ſit corpori bonum & uniuerſo, nonne mors eſt malum? Quandoquidem quod eſt mortale ſua propinquitate uitam efficit malam. Reſpondendo quærit, cui nam mors ſit malum? Certè malum cum uel ſit accidens, uel etiam accidente debilius, ideoq; in ſe conſiſtere nequeat, alicui neceſſariò accidit: Non autem accidit ei quod nullo modo ſubſiſtit, uel quod natura poſsit abſq; uita conſiſtere: Non accidit rurſus animæ ſi ſit immortalis: & quomodocunque aliter accidat, proderit animæ ſepiternè actiones proprias abſque impedimento corporis perfectius edituræ. Sin anima poſt obitum corporis nõ tam proprias peragit actiones, quàm communes, quaſi animæ mundi collega, multò minus illic

D cum uniuerſa uita iam uiuenti mali quicquam accidere poterit. Contrà uerò animæ uel hîc uel apud inferos grauiter perturbationibus ęgrotanti: mors quidem pōtius opranda eſt,& uita malum. Hîc ſoluitur illa quęſtio, utrum animæ ad ſummum miſeræ mori quàm uiuere malint. Idq; proculdubio natura docet: qua monente grauiter cruciati amittere ſenſum malunt, quàm duros ſentire dolores. Denique cum anima propriam habeat uitam, ſitq; per eſſentiam ſuam uita quædam in ſeipſa uiuens, neque aliunde mutuatur uitam, neque ſubit mortem. Siquis tamen uiuere quidem deſiniat coniungi corpori, mori uerò à corpore ſeparari, animæ hac ſignificatione continget utrunq; ſed neutrum eius ſubſtantiam propriè permutabit. Tertia quæſtio: Si bona uita eſt, cur nō & mors eſt malū? Reſpondet, mortem quidem non ſimpliciter eſſe malum: quoniam non ſimpliciter ſit uita bonum: uita enim motioni cuidam ſimilis iudicatur: motio uerò qualiſcunq; ſit, ab ipſo termino in quem propriè tendit, denominari debet. Itaque quatenus motio ipſa uitalis ad malum, ideſt, ad materiam fortè delabitur, catenus iudicatur & malum: quatenus autem ad ipſum bonum, ideſt, ad ſummum uniuerſi principium ſeſe dirigit, catenus bonum eſſe cenſetur.

E

PLOTINI PHILOS. PLATONICI LIBER SEPTIMVS DE PRIMO BONO ATQVE ALIIS BONIS.

Propriam unicuiq; bonam eſt appetendo, & agendo conuerti ad ipſum uniuerſi bonum: ipſum uerò bonum non actione illa, ſed ſe ipſo bonum eſt. Cap. Primum.

ANPOTEST quiſpiam aliud ſuum cuiq; bonum dicere pręter naturalem vitæ actionem? Ac ſiquid componatur ex multis, huic bonum eſſe, ipſam eius, quod eſt in eo melius, actionem propriam ſemper, naturæq; conſentaneam, & nulla ex parte deficientem. Animæ itaque actio ſecundum naturā ipſius eſt bonum. Quòd ſi ad optimum inſuper agat, ſiquidem ipſa ſit optima, non ſolùm quo ad ipſam ſpectat, id bonum eſt, verùm etiam ſimpliciter exiſtit bonum. Siquid igitur ad aliud quicquam minimè agat, quippe cum ipſum ſit omnium præſtantiſsimum, ſuperq; omnia, ad ipſum verò agant
F cætera, conſtat id ipſum eſſe bonum, cuius virtute cætera quoque boni particip pia ſunt. cætera verò duobus præcipuè modis ita bonum habent: tum quia illi ſimilia facta ſint, tum quia operentur ad ipſum. Proinde ſi appetitio, actioq; ad optimum eſt bonum, conſequens eſt, ipſum bonum ad aliud non aſpicere, nihilq; aliud exoptare: eſſe verò fontem, quietumq; omnino principium omniū ſecundum naturam exordium actionum: quod quidem cætera ad ſui ſimilitudinem efficit bona. efficit inquam, non actione aliqua circa, illa: illa enim circa ipſum agunt. Id itaq; conſtat, neque intelligentia, neque actione prorſus vlla, imò ſeipſo tantum bonum exiſtere. Etenim quia ſuper eſſentiam extat, rurſus ſuper actionem, & intellectum, intelligentiamq; exiſtit. Quinetiam id ipſum bonum oportet aſſerere, ad quod omnia referuntur, ipſum verò ad aliud non refertur. Sic enim illud quoq; verum eſſe conſtat, ipſum bonum eſſe, quod omnia appetunt. Oportet itaq; ipſum firmiter permanere, & ad ſeipſum cuncta conuertere: quemadmodum reuoluitur circulus circa centrum, à quo lineæ ſingulæ producuntur. Exemplo nobis ad id Sol eſſe poteſt, qui quaſi centrum eſt ad lumen, quod ab ipſo dependet, ſimul ad ipſumq; annectitur, ideoq; vna cum illo exiſtit vbique, nec ab illo alicubi ſeperatur: ac ſi ſeperatum volueris in partem alteram penes ſolem interea viget lumen.

A *In omnibus eſt aliquid ipſius boni, id eſt, unitas, eſſentia, ſpecies: & vbi hæc tria ſunt uera, ibi quoq; uerum bonum: vbi autem imaginaria, imaginarium.* Cap. II.

ALia verò omnia quonam pacto ad ipſum referuntur? profectò inanimata ad animam reducuntur: anima verò ad ipſum bonum per intellectum. Habet autem quodlibet ipſius aliquid, quatenus vnum quodammodo & ens eſt vnumquodq; ſpecieiq; particeps. Qua igitur ratione horum eſt particeps, eadem quoq; boni: quapropter eſt ſimulachri particeps. Ea enim quæ participat, ſimulachra entis vniuſq; cẽſentur: Species quoq; ſimiliter. At in anima prima intellectui proxima viuere eſt veritati propinquius, boniq; formam ſortitur per intellectum: ſortitur inquam ſi ipſum ſuſcipiat bonum: intellectus autẽ poſt ipſum bonum ſedem obtinet. Quamobrem vita illis, quibus viuere datum eſt, bonum eſt iudicanda: ſimiliter intellectus quibuſcunq; intelligentia conuenit. Itaque vbicunq; vita vnà cum intellectu viget, dupliciter adeſt bonum.

Tres quæſtiones mouet de uita & morte, eaſque ſoluit: quòd uidelicet neutrum ſit per ſe ſimpliciter bonũ aut malum, ſed potius conditione quadam. Cap. III.

B QVòd ſi vita bonum eſt, fortè id viuenti cuilibet competit: imò verò non competit: Prauo enim vita claudicat, non aliter quàm oculo non purè videnti: quippe cùm opus propriũ minimè peragat. Proinde ſi vita nobis quatenus miſta eſt, malum bonum eſt, cur non mors ſit malum? Sed cuinam malum? Malum namque alicui oportet accidere. Quod verò mortuum dicitur, non eſt amplius: aut ſi eſt, vita carens, neq; ſic lapidi malum: At ſi eſt vita, animaq; poſt mortem, iam vtiq; erit bonum: quantò magis actiones ſuas abſque corpore peragit. Quòd ſi totius animæ comes euadit, quidnam illic viuenti malum accidere poterit? Iam verò quemadmodum penes deos bonum eſt ſine admiſtione malorum, ita penes animam nihil omnino malum eſt, modò ſuam ſeruauerit puritatem: quam niſi ſeruauerit, non mors quidem illi, ſed vita malum. Præterea ſi apud inferos pœnæ luuntur, rurſus vita illic animæ malum: quoniam non vita ſolùm. Verùm ſi vita eſt animæ corporisq; copula, mors autem horum ſolutio, vtrunq; anima ſuſcipere poterit. At ſi bona vita eſt, cur & mors nõ erit malum? Sed certè bona quidem vita eſt, quibus adeſt bonum, non quidem ratione copulæ, ſed quoniam malum virtute propulſat: mors verò magis bonum.

Summatim verò dicendum, ipſam in corpore vitam ex ſe quidem eſſe malum: ſed animam per virtutem in bono conſtitui: nõ vt ſeruat, viuificatq; compoſitum: ſed iam ſeipſam à corporis commertio ſegregat.

C

D ARGVMENTVM MARSIL. FICINI FLOREN.
TINI IN LIBRVM, QVÆ SINT, & VNDE MALA.

SVMMA LIBRI.

Quæstiones quatuor de bono & malo. *Cap.* *Primum*

IBER in hoc totus uersari uidetur, ut mala pro uiribus deuitemus: consequa mur bona, ideſt, materiam fugiamus: ſequamur res diuinas à materia ſeparatas: cognoſcamus ipſum uniuerſi principium eſſe ipſum bonum, ſed uniuerſi poſtremum, ideſt, materiam eſſe ipſum malum. Et quomodo nobis malum, & qua ratione tandem deuitare poſsimus. Primum libri caput quæſtiones mouet: Quænam mala ſint, & unde proficiſcantur. Vt autem hoc inueniat, quæ bona ſint, inquirit: ut hoc rurſus, quid ipſum bonum ſit, quidue malum aggreditur indagandum. Quærit & quomodo cognoſcamus malum, cum propter infirmitatem ſit ab ipſa cognoſcentis animi forma penitus alienum. Ac docet informitatem mali per ipſam boni formam lucemq; diſcerni. Quærit denique quo pacto malum ſit bono contrarium. Vtrum uidelicet tanquã uniuerſi ultimum uniuerſi primo, ſummæq; copiæ penuria sũma. Quod autẽ inquit, uim cognituram eſſe rei cognoſcendæ perſimilem: intellige, tum ipſa natura, tum nouo quodam effectu ſimilem. Nul
E la enim ratio eſt, cur uiſus lumen potius quàm uocem appetat & cognoſcat, niſi quia cùm hoc potius naturaliter congruit quàm cum illa: & huic ſe potius quàm illi conformat. Quoniam uerò ſenſus in rebus percipiendis externa rerum tantùm uidetur attingere, intellectus autem etiam intima penetrare: conſtat, intellectum cum intelligibili magis atque diuino, quàm ſenſum cum ſenſibili & caduco congruere. Vnde certius argumentum nobis haberi poteſt, intellectum eſſe diuinum, quàm ſenſum eſſe caducum. Præterea quod ait, perfecta præcedere neceſſariò imperfecta, ac ſpeciem eſſe priuatione priorem, caue ne id intelligas in noſtro hoc generationis ordine, in quo res primùm incohatæ, imperfectæq; ſunt, deinde paulatim formam perfectiorem adipiſcuntur: ſed id accipe prorſus in ordine rerum, cauſarumq;, & gradibus uniuerſi: ubi quicquid imperfectum eſt, cum per ſeipſum eſſe ſeruariq; nequeat, à ſuperiori dependet atque perfectiori: quod quidem per ſe ipſum ſit atque ſeruetur. Quod ſanè cùm actus in ſe formaq; ſit & ſpecies, meritò informe ſubiectum, & impotens ſe formare, competentibus gradibus perducit ad formas. Quoniam uerò agens per ſuam agit naturam, ideoq; ſibi ſimilem reddit effectum, atq; ipſum ſubiectum ſub agentibus ſuperioribus ad formam, actumq; perducitur, coniectamus ſuperiores cauſas, formas in ſe actusq; exiſtere.

Vniuerſum habet principium & finem, idq; ipſum bonum eſt: item intellectus tam humanus quàm diuinus eſt ſemper in actu: quamuis ratio ex potentia progrediatur in actum. *Cap.* II.

F IN ſecundo capite ſignificat quid ſit ipſum bonum, & quouſque purè procedant bona deſignat. Bonum eſſe ait uniuerſi principium, atque finem: ubi bonum quidem dicit ex nullo pendere, ex ipſo autem omnia dependere: item eſſe menſuram omnium atque terminum. Tu uerò memento, ubicunque partes finem ſuum, ideſt, naturalem conſecuntur perfectionem, ibidem & totum cui partes ſeruiunt finem conſequi ſuum. Oculi cum perſpicuè uident, manus cum promptè quid apprehẽdunt, pedes cùm expeditiſsimè gradiuntur, ſine proprio potiuntur. Multo uerò magis & totum corpus quandoq; perfectione fruitur naturali. Quemadmodum uerò hæc ipſa in re partes corporis ſe habent ad corpus totum, ſic & uitæ humanæ partes ad totam. Partes uerò uitæ electiones, & facultates, artesq; omnes in præſentia dicimus. Electiones autem, artesq; ſingulæ extremum quiddam habent, quæ ritè perficiuntur, ultra quod nihil amplius exigunt. Sic medicinæ ſanitatem, ſic res militaris uictoriam habet extremum. Quemadmodum uerò uitæ partes fines proprios conſecuntur, ſic & multò magis tota denique uita ad ultimum quiddam ſpectat commune bonum, quo tandem perficiatur, ut tota uita partibus ſit perfectior. Similiter ut in homine, in cæteris quoque animalĩ rerumq; omnium ſpeciebus licet argumentari. Appetitus enim naturalis eſt neceſſaria quædam naturæ inclinatio ab indigentia quadam animans ad plenitudinem: Plenitudo uerò ac finis ultimus idem. Si nuſquam ultimus appetitioni præſcriptus eſt finis, ſed à fine in finem natura ſine fine progreditur, nunquam ſatis impleri poteſt, fruſtra igitur conatur impleri, imò neque conabitur quidẽ ullo modo. Nulla enim rerum ſpecies ad id quod penitus impoſsibile eſt mouetur. Si quidem naturaliter moueri eſt à naturali potentia in actum progredi paulatim. Quæ ſanè progreſsio naturalis qua facultate gradatim proficit, eadem quandoq; perficitur finem ultimum aſſecuta. Alioquin &

natura

A natura paſsim fruſtra contenderet, & auctor ipſe naturæ, temerè illam fruſtraq; moueret. Proinde ſi rerum ſpecies, quæ partes ſunt uniuerſi perfectione propria non fraudantur, multò minus ipſum uniuerſi conatum fortuna fruſtratur. Hoc enim & ad finem contendit communem, quando & partes ad ſines proprios fini ſeruientes communi aſſiduè ducit, & finem ultimum adipiſcitur, ne fortè rorum ſit partibus imperfectius: ſiue poſtremum eiuſmodi finem mundus aliquando ſit adepturus ſiue inprçſenti, ſemper habitu dicatur adeptus. Si autem nullus ſit finis optimus, ſed abſq; fine procedere fingatur in meliorem, certè cum infinitos gradus pertranſire non poſſit, ad optimum nunquam poterit peruenire. Quare, quod dictu nefas eſt, uniuerſum hoc optima proculdubio forma conſtructum ad finem optimum fruſtra contendet. Finis autem & habitus optimus uniuerſi in eo conſiſtit, ut principio & auctori ſuo undique conformetur. Quòd enim congeries hæc in mundo rerum tam diuerſarum, & inter ſe repugnantium, tum in una communi totius forma conueniat tum ad unum finem communeq; bonum ritè conducat, non ab ipſa diuerſorum natura procedit, ſed ab una potius ſuperioris fabri forma atque uoluntate. Mundus autem ſicut ſub auctoris ſui forma formatur uelut principio, ſic in eadem uelut fine reformatur ſemper, atque conformatur. Hunc omnium auctorem Plotinus nominat ipſum bonum: quoniam eodem uniuerſum hoc & affectum ſit & perfectum. Hunc menſuram omnium appellat & terminum: quemadmodum & Plato nominat in Philebo. Metitur omnia deus, ut principium: terminat idem omnia tanquam finis. Si deus omnium menſura eſt, certè rerum ordo non aſcendit à principio in principium abſque quodam omnium primo principio: quod quidem foret per principia temerè abſque ulla principij ratione uagari: Principij nanque ratio eſt, ut ſit primum. Per deum ſanè uelut menſuram perpendimus in-

B tellectum eſſe animam meliorem, & animam corpore: quoniam ille hac, & hæc iſto ſit deo tanquam ſummo bono propinquior. At uerò ſi nuſquam prima, ſummaq; conſiſteret bonitas, ſed per gradus procedere quis fingatur innumeros, nuſquam profectò erit ratio ulla menſuraq; & regula, per quam aliis alia præferantur: nec enim alia magis aliis menſuræ propinquabunt, & congruent. Sit ergo deus principium, ſit menſura: præterea ſit & terminus omnium, quia finis: terminus inquam, qui & terminet ſubiecta formis, & formarum motus ſuis denique finibus, ne fortè de fine in finem abſque fine natura pererret: quod quidem nihil aliud foret, quàm per fines ſine ulla finis ratione uagari. Ratio uerò præcipua finis eſt, ut ſit ultimum & extremum. Poſt hæc autem ſecundo gradu bonorum eſſentiam collocat, & in eſſentia mentem: tertio ſubinde gradu animam, & in anima uitam. Hæc omnia dicit eſſe bona, quia ſint ab ipſo bono, & quia circa bonũ agant uirtute boni. Vult & quarto bonorum loco cenſeri eas dunt taxat corporum formas: quæ nunquam deſciſcant ab anima, quæ & ipſa nunquam deſciſcat à deo. Talia uerò ſunt cæleſtia corpora, ſimilia ue cęleſtibus. Ad hæc differentiam ponit inter diuinum intellectum, atque rationalem: quòd uidelicet diuinus ipſe ſit omnium plenitudo: rationalis autem inde conetur impleri. Tu igitur dum hûc audis, intellectum noſtrum quaſi uacuum dici, ne ſimplicem intellectum noſtrum diuino ſemper impletum: ſed intellectum noſtrum rationalem, ideſt, animæ per uniuerſales ſpecies diſcurentem accipe. Quæ ſine uis quodammodo eſt potentia intellectus, intelligibileq; potentia, prodituq; in actum uirtute intellectus ſuperioris, qui ſemper exiſtit in actu: intellectus inquam, tum diuini, tum noſtri uirtute. Si-

C cut enim quod eſt omnia ſimpliciter in potentia, fit actu omnia per id quod eſt ſimpliciter actu omnia, ceu materia per diuinam mentem, ſic oportet & hanc nim, quæ humanus intellectus eſt in potentia, fieri humanum intellectum in actu, per intellectum quoque humanũ ſemper in actu uigentem. Quemadmodum & hic homo in actu uiuens genitus eſt non ſolùm ab uniuerſali natura, quæ rationes animalium omnium ſeminales haber in actu regnantes, uerùm etiam à natura propria, ideſt, humana, rationem hominis ſeminariam poſſidente iam actu uigentem. Id enim perfectorum generatio poſtulat. atque hęc eſt ubiq; Plotini ſententia. Subdit, intellectũ diuinum ſic omnia in ſe habere, ut ipſe ſit omnia. Quod quidem tu hoc exemplo ſic accipe: Si uaſa omnia figurarũ inter ſe diuerſarum mergantur in mare, aqua protinus implebit omnia, & implendo totidem ſimilesq; figuras aſſumet, quot implebit & uaſa. eiuſmodi uerò figuræ non aliud quàm aqua maris erunt, aliter ſe aliter q; accõmodans. Sic intellectus eſt omnes ſpecies, quas cogitatur habere: ac multò magis ipſe ſuæ ſpecies eſt, quàm maris aqua figurę: tum quia nulla ibi nouitas, nulla dimenſio, nulla diſtantia impedit unionẽ: tum quia nec ab alio, nec in alio ſicut aqua, ſed à ſeipſo, & in ſeipſo ſpecies induit, aut edit, aut prorſus exiſtit. Quo uerò modo in mente ſpecies inter ſe diſtinguantur, & tamẽ in unaquaq; ſint omnes, alibi ſæpe tractabimus. Subdit, quod ſit mẽtis diuinę particeps nõ omnes ſpecies habere ſimul actu uigentes: id tu uim intellige rationalem, quæ ſolet diuinæ mentis aliquando fieri particeps. Ipſa enim intellectualis natura etiam in nobis non fit aliquãdo particeps, ut uult Plotinus, ſed ſemper diuinæ mentis eſt compos. Præterea diuinam mentem appellat primum boni ipſius actum eſ-

D ſentiamq; primã. Non enim uult ullum eſſe actum in deo, per quem aliquid deus agat: alioquin eiuſmodi actum ab ipſa dei ſubſtantia ſaltem ratione quadam diſcreparurum: à prima tamen unitate omnem prorſus differentiam, omnem numerum abeſſe debere. Ipſum igitur dei actum eſſe exiſtimat extra deum: ſicut & lumen extra lucem: ac tantæ deum eſſe uirturis, ut actus eius non ſit uel motio ulla, uel accidens, ſed ſubſtantia & eſſentia prima: idemq; ibi ſit & actus, & actum, ideſt, ipſa ſit eſſentia rerum omnium fons pleniſsimus: ut dum unum à diuina unitate uidetur fieri, cuncta ſimul efficiantur in uno. Meritò namq; ab unitate quæ eſt ſuper omnia, & æquè omnia reſpicit proximè, fit hoc unum quod eſt pariter omnia. Actum deniq; ipſius eſſentiæ circa deum eſſe nullt uiram eius, uitæ uerò abſolutionem eſſe mentem. Subiungit, animam, ſcilicet, puram per mentem, tum ſuã quaſi oculum, tum diuinam quaſi lumen, ipſam inſpicere boni lucem: et hucuſq; mali nihil accidere. Quòd ſi uel anima, uel ipſa natura hîc deſcendendi fiſteret gradum, nihil mali futurum: ueruntamẽ ipſa naturæ fœcũditas efficit, ut multi præterea ſub ipſa anima, ipſaq; natura ſint rerũ gradus. Quoniam uerò gradatim deſcendendo paulatim portio boni minuitur (effectus enim cauſas æquare nõ poſſunt) tandem ex minori bono deuenitur in malum. Quòd autem cuncta circa deum eſſe dicit, ideſt, à deo pariter & ad deum. Item primos præcipuè rerum ordines, ideſt, ideas circa deum, à quo in mẽtem ueniunt, & in quem reflectuntur à mente. Secundos uerò, ideſt, notiones rationales, circa ſecundum, ideſt, intellectum, à quo in animam effluunt refluuntq; ſimiliter. Præterea tertios, ideſt, ſeminarias rationes circa tertium, ideſt, animam à qua profluunt in naturam, à qua refluunt rurſus in
E animam: Deniq; quartos intelligi uult circa quartum, ideſt, naturales formas circa naturam, à qua labuntur in materiã, & in quam pro uiribus relabuntur. Totum hoc, inquam, alibi plenius & dixi mus & dicemus.

Quid ſuper ens: quid ens uerum: quid non uerum ens: quid uerum non ens: quouſq; bonus: ubi primum mala: et quot modis mala dicantur: et rationes multæ, quòd ſit materia. Cap. III.

CAput tertiũ diſputat, quid malum: quot mala: ubi ſint mala. Malum eſſe negat in eo quod entia ſupereminet. id enim eſt ipſum bonũ: quod quidem hinc eſſe cognoſcitur ſuper entia: quòd ipſa appetendi natura, electioq; non ſolùm eſſe deſiderat plurima, ſed multa etiam optat non eſſe, non fuiſſe, non fore: eligit autem ſemper ſub ratione boni. Ex quo patet appetibilis, ideſt, boni ſortem non ad eſſe ſolùm, ſed ad non eſſe etiam pertinere. idoq; ipſum bonum ente communius ſuperiusq; exiſtere. Quoniam uerò eſſentia primum boni ſuſceptaculum eſt, ideoq; per ipſam bonum deriuatur in alia, ſequitur, ut quouſq; uera eſſentiæ participatio ſe extendit, eouſque uera quoq; boni portio protendatur, neq; hactenus mala ſint: ſicut quatenus uerus uiget calor, inde frigiditas abeſt. At uera eſſentiæ portio uſque ad ipſas ſpherarum mundi ſubſtantias ſe extendit, in quarum eſſentijs priuatio nulla deprehenditur. In his ergo mala eſſe non poſſunt. Quicquid uerò inter compoſita quandoque diſſoluitur, non uerè ens appellatur: quoniam & ipſum eius eſſe anteceſsit diu-
F turna priuatio, ſimiliſq; ſuccedit, & ipſius eſſe ductus, dum motu temporeq; tranſigitur, quantum ad eſſe propriè ſpectat, indiuiduum habet, præſens, quantum ad non eſſe pertinet, longum præteritum patitur & futurum Eiuſmodi ergo compoſitum, cui priuatio multa eſſendi miſcetur, ita dicitur non uerè ens, ſicut non uerè calidum, in quo ad minimum caloris, plurimum frigoris adhibetur His igitur malum accidit, quoniam non uerè ens, dum ab eſſentia prima nimium decidit: ideoq; ab ipſa boni ſorte delabitur, interea præcipitatur in malum. Ipſum uerò malum eſt quod longiſsimè diſtat à bono, ideſt, informis ipſa mũdi materia. Secundo loco malum, forma, uel qualitas patitur in materia iacens, quæ & quædam materiæ paſsio, uel affectio exterius agitatq; uocatur. Tertio loco malum admittit anima, quatenus affectu quodam acriori ad materiam inclinatur: ſed hoc intereſt, quod materia quidem dici quodammodo poteſt ſubſtantia mali: compoſita uerò, ex materia, formaq; caduca pati in ſubſtantia malum: animam deniq; non in ſubſtantia, ſed in qualitate quadam & accidente malum accipere. Inter hæc Plotinus ipſum quod non ens appellatur tribus accipit modis. Primò quidem omnino nõ ens, ideſt, nihilum. Secundo, uerè non ens, ideſt, materiam mundi primam. Tertio non uerè ens, ideſt, formam materiæ inhærentem, compoſitumq; caducum. item proprietates huius & accidentia. Atque ubi uniuerſum ſenſibile appellat ens non uerum, intelligit præcipuè omne ſub luna compoſitum: quod omnino ſenſibile, ideſt, omnibus ſenſibus perceptibile dicitur: entis quidem imaginem uult eſſe formam ab idea pendentem, camq; referentem: umbram uerò entis, materiam, quæ non ab idea quantum idea eſt dependet, ſed quantum eſſentia formabilis per ideas. item non repreſentat ideam. Nullus enim materiam introſpiciens propriam alicuius ideæ faciem ſuſpicabitur. Ait materiam non ens iudicandam: non quidem ſicut nihilum, ſed ſicut non

nihil

A nihil à primò ente maximè diſtans. Ait & formam, compoſitumq́; non eo ſolùm ſpatio ab ente primo diſtare, quo ſtatus ille atque motus, qui in primo ente ponuntur, ſed multò maiore. Quo uerò modo in ipſo ente ſint illa quinque eſſentia motus, ſtatus, idem, alterum, alibi diſputabimus. Et prò-fectò illic neq; motus eſt ipſum ens: alioquin nullus erit ſtatus in rebus. Neque ſtatus rurſum eſt ipſum ens: alioquin nihil uſquam mouebitur: ſed differentes entis proprietates & actus. Sed miſſa in præſentia facit entis ipſius propria: accedit autem ad quædam non entis, ideſt, materiæ propria: quę quidem opponuntur illis, quæ ipſius boni propria numerauit: ideoq; hanc tanquam à bono longiſſimè diſcrepantem, malum ipſum iudicat nominandam. Ipſum quidem bonum menſura eſt: materia uerò (ut huius uerbis utar) immenſuratio dicitur: item bonum terminus: materia infinitum. Præterea hoc informe, illud uerò formator: hoc egenum, illud contra ſufficiens: & quæ ſequũtur. Atqui quemadmodum illa boni propria quatenus ſunt intra bonũ, idem inter ſe ſunt, ipſumq; ſunt bonũ: quatenus autem ad ſequentia referuntur, inter ſe differre uidentur: ſic & materię propria qua quidem ratione in materia ſunt, unum ſunt, ipſaq; materia: qua uerò ad ſuperiora ſpectant, & comparantur, diuerſa cenſentur: perinde atque lineārum ſigna, quæ in centro ſunt unum, ſunt in circumferentia multa. Tum uerò in rebus inter deum, materiamq; compoſitis eſt infinitudo quædam & terminus, eſt informitas & formoſitas. Neq; idem eſt res ipſa compoſita quod & alterutrum horum oppoſitorum: alioquin aut res ipſa non haberet utrumq;, aut ſaltem alterutrũ eſſet utrunq;. Si enim hæc ipſe terminus ſit, nẽ habebit infinitatem: ſin infinitas fuerit, terminũ nõ habebit. Si deniq; res hęc per ſe & hoc & illud fuerit, certè idem utrunq; reſtabit. Quòd uerò terminus & forma ſit infinitas informitasq; oppoſita, rerum natura non patitur. Sed quoniam miſta omnia ex oppoſitis tanquã
B non integerrimè talia, reducenda ſunt ad ſimplicia, taliaq; quammaximè: ideo ſuper formam & terminum quæ ſunt in alio miſtaq; ſunt oppoſitis aſcendendum eſt ad formam & terminum, quæ ſunt in ſeipſis atq; puriſſima. Rurſus præter informitatem, infinitudinemq; quæ ſunt in alio oppoſitisq; coniuncta, ad ipſam informitatem infinitatemq; deſcendendum in ſeipſa ſimpliciter ſubſidentem. Proinde ubi Plotinus ait: Quod accidit alijs prius aliquid ipſum eſſe debere quàm accidat: nõ dixit prius ipſum in ſe, uel per ſe extare quàm accidat, ne forte accidens crederes eſſe ſubſtantiam. Tu uerò hinc memento, calorem, qui aliquando contingit aquæ, quoniam & in alio eſt, & ex accidenti competit, reduci ad calorem ignis: qui quamuis ſit in alio, non tamen ex contingenti adeſſe dicitur, ſed natura. Hunc deniq; calorem redigi ad ipſam caloris ideam, quæ & per ſe iam & ſeipſa conſiſtit. Sic itaq; ſicut quod per accidens eſt, ad illud quod ſecundum naturam ineſt refertur, ita quod in alio iacet, ad illud quod in ſeipſo conſiſtit. Deniq; memento, mala rerum formis accidere: neque caſu dũtaxat: continuè namq; perpetuaq; ſerie ueniunt: neq; ex ipſa natura formæ, quæ tandem prouenit à prima forma, ideſt, à mente diuina, ea uidelicet ratione qua mens conuerſa eſt in bonum. Quamobrem & ab extrinſeco ſcito confluere mala, & illo quidem principio quodam determinato: non certè principio uelut forma, ſiue formali quodam: igitur à materia. Primum igitur materia malum: ſicut & bona à principio rerũ primo. illud igitur ipſum bonũ. Superiora ſic iterum confirmant: Videmus in rerũ ordine ſingula ex potentia quadam, actuq; cõponi, ideſt, ex natura formabili actuq; formali cõſtitui: et quæ media rerũ tenent ex utrisq; oppoſitis æqua portione rite cõmixta: ſed ſu-
C pra mediũ ordinis uniuerſi, formabilẽ potẽtiã ab actu formali magis gradatim magisq; excedi: in medio uicissim actũ quidem decreſcere: creſcere rurſus potentiam patiendi, deformemq; naturã. Quamobrẽ & augumentũ ipſius actus per gradus ordinatiſſimũ ad actum deniq; ſummũ peruenit atq; purum, & decrementum eius, ad minimum paulatim actum fermè deſcendit. Cui mox ſuccedit ſumma quædam informitas, & infinitas, patiensq; omnino natura formis deſuper ueniẽtibus quaſi menſuris & terminis ſemper expoſita. Sed hìc interim animaduerte: Sicut ordinis huius deſcenſio ultra minimam formam deuenit in materiam, ſic aſcenſionem ultra ſummam formam, ideſt, eſſentiam, mentemq; primam ad ipſum progredi bonũ: Viciſsimq; ſicut ſuper ens exiſtit aliquid, ideſt, ipſum bonum, ita ſubeunte ſubſidere non nihil, ideſt, ipſum malum, medium inter ens & nihil bono prorſus oppoſitum. Medium namq; inter ens & nihil, ſiue non ens materiam Platonici ponũt, quæ & non ens dicitur, & non nihil. Quæ quidem uelut communis potentia origine quadam & generationis ordine uniuerſum antecedit mundi actum, ſicut & potentiæ paſsim propriæ actus proprios ſimiliter antecedunt. Cum uerò ob extremum uirtutis defectum materia ſemper egeat ſubſtentaculo, neq; fundamento uſquam inferiori poſsit inniti (nihil enim eſt inferius illa) nacta eſt tantum deſuper ſubſtentaculum ex quo pendeat, ideſt, naturam: ſicut & natura ſimiliter animam. Materia quidem ab eſſentia naturæ dependet, & ab ipſa mentis eſſentia: Formæ uerò in materia genitæ ab ipſis naturæ ſeminibus ac mentis ideis: materia uidelicet ſicut umbra tũ intellectualis eſſentiæ, tum naturæ: formæ autem ut imagines ipſius mentis & ſeminum. Subſtineri uerò uidetur

D materia deſuper fermè in ſuſpendiculi modum, ſicut ferrum à ſuperiori magnete ſuſpenſum.

Gradus malorum tres: quomodo in anima malum: quomodo materia nihil habet boni. Cap. IIII.

IN quarto capite malorum gradus proſequitur, in primo gradu materiam ponens, in ſecundo corpoream materiæ formam: quam non eſſe formam ueram & hîc Plotinus breuiter indicat, & nos in theologia latius demoſtramus. In tertio uerò ſtatuit animæ malum: dicens, animam ipſam non eſſe per ſe malam: alioquin & omnis anima foret mala, & ab initio mala foret, & ſemper. Exiſtimat ſecundam animam, id eſt, uitam ab anima prima quandoque accomodatam corpori, ſtatim in ipſo accommodationis initio fieri prauam. Cùm enim ſic alligetur corpori, ut ex ea & corpore unum animal componatur, meritò à materia mox inficitur: adeo ut & paſſionibus fiat obnoxia, & motus immoderatos more corporis ſubeat in exceſſum atque defectum. Talem uerò fieri omnem eiuſmodi uitam Platonici putant, poſſe tamen & hanc uix tandem aliquando temperari: ſed ante moderationis effectum, & paſſiones illas eſſe inuoluntarias arbitrantur, quia uidelicet naturales: & ſuperiorem quoque animam, quia ſcilicet libenter cum inferiore conſentiat: falſas inde opiniones accipere, quibus parum conſideratè iudicet, re uera bona ſibi quoque fore uel mala: quæcunque inferior anima naturali quodam impetu proſequitur, aut fugit. Sicut igitur inferior anima impetu naturali mala fit, ſic ſuperior amore, conſenſione, opinione fit mala. Sed inter inferiorem hanc uitam,
E atque formam corpoream hoc intereſt, quòd forma hæc paſſio quædam eſt materiæ, uita uerò actio potius eſt, uel actus animæ. Ideo formæ quidem malum inſanabile eſt, uitæ uerò ſanabile. Vbi uerò materiam, ait, boni nihil habere, intellige, nihil formalis, intrinſeci, abſoluti boni. Cùm enim primus boni ipſius effectus ſit formale aliquid, id eſt, diuina mens, forma formarum, meritò ubi deeſt natura formalis, deeſt intrinſeca natura boni. Sed materia quia primum ſubiectum eſt, æquè ad omnes formas expoſitum, nullam ſibi propriam uendicat formam, nihilq; formale. Huic ergo nihil formalis intrinſeci, abſoluti boni proprium eſt. Neq; tamen huic deeſt appetitio boni. Eſt enim materia indigentia ſumma ad formalem copiam capiendam naturaliter paratiſsima: igitur hanc naturaliter appetit: igitur affectat bonum. Appetitio hæc bonum quodammodo dici poteſt: nō quidem abſolutè, ſed quoniam ſpectat & conducit ad bonum: ad bonum, inquam, extrinſecum. Quod enim accipitur, nunquam euadit materiæ proprium. Proinde principium efficax, unde appetitus, motuſq; materię ad bonum efficitur, non eſt in ipſa materia (nulla enim efficacia eſt, ubi nulla forma.) ſed in natura tanquam inſtrumento dei. Neque tamen appetitus, motuſque eiuſmodi dicitur uiolentus. Nam ad hunc tractum materia nedum reſiſtat, ſed & paratiſſima eſt, & quàm libentiſsimè patitur, facillimeq; formatur. Denique ipſa materia quoniam eſt in formis, eſt mala: imò quia eſt informitas, eſt ipſum malum: dici tamen quodammodo bona poteſt, quatenus formabilis eſt à bono. Quoniam uerò ſæpe formam nominat terminum, & menſuram, ſcito terminum appellare: quia naturā materiæ ad ſpeciem quamlibet æquè indifferentem certis quibuſdam ſpeciei limitibus terminat: ut per hominis quidem formam ſpeciem hominis ſortiatur: per equi uerò formam ad equi ſpeciem
F contrahatur. Menſuram rurſus nominat: quia materia ſuapte natura nullam habet propriam magnitudinem, uel figuram, ſed certa quadam forma dum ad certam ſpeciē eam terminat, propriam quandam magnitudinem, figuramq; requirit. Sicut autem corporea forma menſura eſt, terminuſq; materiæ, ſic intellectualis forma menſura eſt ac terminus animæ. ipſum uerò bonum menſura eſt, terminuſq; mentis & omnium. Anima denique quæ per omnes ſui uires in mentem conuerſa, eius menſura terminoq; componitur, nihil mali accipit aut proſpicit: quæ uero à mente digreſſa materiam uerſus inclinatione progreditur, iam malum proſpicit, & quaſi quodam intuitu faſcinatur. At poſtquam ſeminariam naturæ ſuæ uirtutem quaſi animę ſuperioris imaginem materię prorſus infundit, malum iam dicitur attigiſſe. Vbi tandem habitum iam concepit, per quem materiali corpore patiente compatiatur, atque conſentiat, iam tactu uenefico languere uidetur.

In quo defectu conſiſtat malū: quomodo materia ſit ipſum malum: quomodo fiat malum in anima. Cap. V.

CAput quintum quæſtiones duas inducit, & ſoluit. Prima quæſtio eſt eiuſmodi: Dictum eſt uim rationalem imperfectiorem mente, eiusq; imaginem eſſe: Similiter uim naturalem rationali imperfectiorem, eiuſque imaginem. Nunquid ergo defectus eiuſmodi uel ibi uel hîc eſt malum? Nequaquam. Nempe non in quouis defectu boni conſiſtit malum: quando ſcilicet aliquid ab alieno ſuperioriq; bono ſuperari deprehenditur, eiq; cedere. Nam hi ſunt certi bonorum gradus prouidentia diuina diſpoſiti. Sed malum in proprio quodam defectu uerſatur: quando aliquid

bono

A bono aliquo ſpeciei ſuæ,uel ſingulari munere uideretur orbatum. Summum uerò malum iſt uniuerſo defectu perpenditur,quod quidem omnis ſpecici bono ſuapte natura caret, omn.q; intus formali dono priuatur: qualem dicit eſſe materiam,quæ nullam boni habeat portionẽ,ſcilicet intus & propriam. Cum enim ipſum ens primò bonum intus accipiat, tanquam ipſi bono quàmproximum meritò intrinſecum rebus bonum per munera ipſius entis,ſcilicet per eſſentiam & eſſe tribuitur: materia uerò neque proprium habet eſſe,cum non ſit forma, uel propriam habeat formam. eſt ergo per eſſe ſubſtantialis formæ,ſicut accidentalis forma eſt per eſſe ſubſtantiæ,neque rurſus habet eſſentiam. Cum enim prima eſſentia ſit aliquid in ſe formale,præſertim ſi ad alias eſſentias comparetur iure materia quæ nihil eſt formale,non etiam eſt eſſentia,ueruntamen eſt aliquid eſſentiæ quodammodo ſimile: quamuis ipſius eſſe ſimile nihil habeat. Proinde in quo eſt defectus aliquis qualiſcũq; ſit,id non eſt ipſum bonum: ubi defectus à proprio quodam bono cadens,ibi iam malum aliquod: ubi defectus omnis,ibi malum ipſum,id autem eſt materia. Defectus autem à proprio bono degenerans,in quo eſt potentia & procliuitas in malum aliquando cadens, deterior defectus eſt quàm ſimplex alicuius boni defectus. In hoc enim conſiſtit minus bonum,in illo uerò malum: nam procliuitas illa præſertim iam inclinans uergit ad ipſum malum, quod quidem ante procliuitatem iam eſt malum: & ipſa procliuitas in animo pronior quandoq; facta,iam eſt mala, antequam præcipitandi habitus confirmetur. Iam uerò primum animæ malum non eſt uitioſus hic habitus, aut ille, ſed ipſa procliuitas propenſior ad materiam: ipſaq; materia circa quam uerſatur: uel eam quibuſdã ſui partibus attingendo ſcilicet natura,uiribusq; naturæ miniſtris: uel eam aſpiciendo ſcilicet quo-

B dam tum conſilio rationalis materiam eligente,tum imaginationis ſuperioris imperio: uel in materiam corruendo,ſcilicet imaginationis inferioris affectu: uel denicq; patiendo ſcilicet infimo ſenſu. Profectò cum omnia ſecundum aliquid talia,iudicentur talia,quatenus ad ipſum tale ſimpliciter referuntur,meritò Plotinus omnia per relationem aliquam ad materiam,quæ ipſum malum eſt,mala perpendit, tum in anima,qnod iam dictum eſt,tum in corpore, atq; fortunis,quod deinceps oſtendit,ubi ſecundam quæſtionem mouet & ſoluit. Concludit ex his,animam non eſſe mali principiũ: quia uidelicet non ſit ipſa natura mala,cum intellectualis natura ſit: atq; ipſe intellectus ſit ipſi bono quàmproximus: quippe cum ad ipſum bonum & intellectus proximè,& per intellectum anima conuertatur. Hic minuit,animas non tam certo propoſito quaſi rebelles à deo deficere, quàm ex quadam potius conſequentia contingenti: quatenus ſcilicet ad materiam & materiale quiddam afficiuntur. ex quo latenter animus auertatur à deo, dum libenter conuertitur ad oppoſitum. Nempe ſi in hoc noſtro malignitatis loco animus non diſcedit à maiori bono in malum præcipuo quodam propoſito, ſed ſub ſpecie boni,multò minus extra id corpus uiuens manifeſtum malum bono manifeſto præponit. Initium itaq; mali animæ uult eſſe per accidens,quatenus ad aliquid minus bonum, ideſt,ad ipſum generationis miniſterium propenſius inclinatur: ſed clam interea malum ſubrepit, quod & aliquando nolentem detinet animam: tum quia incuitabili mox impetu fati pulſatur, & diutius interdum carcere clauditur,tum quia neſcit ab initio quid, quamtumue damni ſequatur ex affectu & habitu circa corpus. Solos autem Plotinus eos exiſtimat animos mala quodammodo uitaturos, qui antequã corporeus habitus confirmetur,diſcrimine cognito in mentẽ ſe omnino recepernt. Quoniam uerò non omnes praui ſunt: & praui quidam emendari aliquando poſſunt: patet

C prauitatem tum non ineſſe natura,tum non eſſe ipſum malum exiſtimandam. Concludit denicq; animum deuitare,uel repellere,ſuperarecq; prauitatem ex materia pullulantem,uel ad materiam proruentem,ea tantum natura,quæ ineſt animo à materia ſegregata,ideoq; diuina: & quamuis diuina ſit,quia tamen eſt proxima naturalibus,ſenſim admittit malum. Non autem ſicut corporea forma, quæ ideo cadit à proprio bono,quia tum materiæ inhæret,tum contrariæ formæ miſcetur, idecq; malum eius ſequitur & interitus. Sed ideo animus à proprio quodam bono degenerare,malumq; uidetur admittere,quia nimium init cum natura inferiori commercium. Ex huiuſmodi uerò contubernio ſollicitudo potius & impedimentum melioris officij ſequitur,quàm pernities.

Quomodo aliquid bono ſit contrarium, ideſt, materia: quomodo formæ à materia ſeparatæ ſint contrariæ. Cap. VI.

SExtum caput exponit quid ſibi Plato uelit,ubi ait in libro de ſcientia,mala omnino deleri non poſſe. Eſſe namq; neceſſariò aliquid ſub contrarium bono. Ipſaq; mala in mortali natura uerſantiater hæc intellige,non eſſe quicquam propriè ipſi bono contrarium: quaſi id in eodem genere contra bonum ex oppoſito diuidatur. Principium namque rerum cum nullo poteſt in eodem genere conuenire,& à nullo per differentias ſibi additas diſcrepare. Sed dicitur aliquid ſub contrarium

D bono, ideſt, ſub boni imperio collocari aliquid ab eo maxime diſtans, ac penitus diſsimillimũ, ideſt infimam mundi materiam. Præterea docet, in cæteris quidem contrarijs non eſſe neceſſarium, ut ſi unum extat, mox extet & alterum. at uerò ſi ipſum bonum eſt, neceſſariò eius ſubcontrarium prouenire, ideſt, ſi primum eſt uniuerſi principium, neceſſariò datur gradus quidam infimus uniuerſi. Inter hæc contrarietatem accipit aliter, quàm pleriq; eam definientes repugnantiam quandam duarum in eodem genere qualitatum. Vnde ſequeretur ſubſtantias ſibi inuicem non eſſe cõtrarias: & quæ contraria ſunt in eodem genere collocari. Hìc enim contrarietatem eſſe uult diſtantiam rerũ undiq; maximam oppoſita facientem, ferentemq; oppoſita. Sic itaque materia erit ſubcõtraria deo. Hæc enim non eſt eſſentia, ille uerò eſſendi principium. Hæc malorum origo, ille bonorum. Hæc rurſus informitas, deformitatisq; cauſa, ille principium eſt formarum. Multoq; magis hæc duo inter ſe contraria ſunt, quàm calor, atque frigus, & ſimilia. Hæc enm in nullo conueniunt. Cætera uerò in genere & materia congruunt. Subdit, ignem & aquam ſi ſpeciem forte ſuam ſeruarent illis ſub ducta materia, inter ſe adhuc contraria fore, ſcilicet eſſentiam aquæ ignis eſſentiæ: tunc enim in his calor, & frigus non modò proprietates quædam eſſentiales, ſed etiam quodammodo eſſentiæ forent, ſiue actus eſſentiæ, maximeq; inter ſe diſtantes contrariorumq; cauſæ uniuerſo. Item nulla tunc alterius portio propria foret in altero, cum communis ſit illis materia defutura. Rurſus duo hæc ſe totis inter ſe diſcrepabunt, & ipſa (ut ita loquar) alteritate diſtabunt.

E *Quomodo ſi bonum eſt, neceſſarium ſit eſſe malum: & quomodo uniuerſum ex materia conſtet & forma ex mente atque neceſsitate.* Cap. VII.

POſt hæc in ſeptimo capite monſtrat: cur neceſſarium ſit, ſi bonum eſt, forè malum. Profectò mundanum opus ab ipſo deo factum, nunquam præſenti effectu, actuq; factum eſſet, niſi fieri potuiſſet. Duo igitur cogitantur tum potentia, tum actus eſſendi. Quæ quidem inter ſe contraria, ideſt, oppoſita ſunt: nam & qua ratione actu iam exiſtit, nequit ulterius effici: & qua ratione fieri poterat, nondum erat in actu. Item potentia quidem eiuſmodi terminus eſt à quo: actus autem terminus eſt in quem effectio mundi progreditur. Actus quidem exiſtit iam in potentia mundi, potentia uerò non in actu quidẽ, ſed potius eſt ſub actu: atq; ita hæc hunc ordine quodam antecedit, rationisq; diſcurſu, ſicut in qualibet rerum apud nos genitura, potentia hæc aut illa naſcendi actum proprium & præcedit tempore, & in actum procedit in tempore. Si quæras de prima naſciturj mox mundi potentia quidnam fuerit reſpondebo neque prorſus aliquid extitiſſe: iam enim fuiſſet in actu: neque rurſus omnino nihil. non enim aliquid fundatur in nihilo. Dicam ergo, fuiſſe nonnihil ipſam inquam, exiſtendi potentiam atque materiam, non, inquam, in deo fundatam: deo enim nihil accidit. non fundatam rurſus in nihilo, ſed ipſum potius fundamentum: non quidem in ipſa diuini architecti intentione primum, ſed potius ultimum. Primum nanque, ideſt, præcipuum in ipſa dei ſententia eſt forma mundi, poſterius uerò materia ſub mundi forma ſe occultens. Viciſſim uerò in operis expeditione primum eſt materia, ſubſequẽs uerò forma. Conſtat igitur uniuerſum, ut Pla
F to inquit, ex mente, ideſt, actu formali, qui ſanè eſt in diuinæ mentis uoto præcipuum, mentisq; imago item ex neceſsitate, ideſt, materia, quæ non tam intentione propria, quàm neceſſaria quadam cõditione ad hoc opus accipitur. Si igitur eſt ipſum bonum efficaciſsimum omnium, neceſſario Plotinus uult, opus inde ſequi mundanum. Si mundus eſt, neceſſariò eſt materia, quæ malum eſt. Si ergo bonum eſt, ſequitur neceſſariò malum. Præterea bonum ipſum cum inextimabilem habeat efficaciam, uim ſuam, effectumq; longiſsimè, latiſsimeq; diffundit. Si longiſsimè porrigit, certè graduum deinceps innumerabilium ſeries efficit, ut gradus ultimus uelut maximè diſtans ſit primo, ideſt, bono contrarius, ideſt, omnino diuerſus, atque diſsimillimus. Erit itaq; malum: malum, inquam, ſimpliciter, atque commune. Item ſi latiſsimè uim diffundit, plurimi per latitudinẽ rerum gradus efficiũt ut aliquis ſit ab aliquo diuerſiſsimus, ſæpeq; reuera contrarius. atque malum nõ quidem ſimpliciter malum, ſed potius inuicem. Si ergo bonum eſt, conſequenter tum in longum deniq; iurrepit ipſum malum, tum in latus quædam inter ſe mala contingunt. Inextimabilem ipſius boni fœcunditatem neceſſariò bonũ ſequitur iterum fœcundiſsimũ. Et huius deinceps fœcunditatem fœcundum aliud rurſus & aliud. Cum uerò ſemper effectus in bonitate cauſę cedat, continuè magis ſuboritur cõminutio boni: hanc uerò ſubſequitur denique malum. Effectus itaque boni & bonus eſt, quoniam eſt ex bono, & minus bonus, quoniam extra, & infra bonum: & denique malum patitur poſt boni longiſsimũ detrimentũ. Quoniam uerò materia eſt ipſum malum, atque ex hac totus mundus compoſitus eſt, ideo in qualibet mundi particula latet malũ, quãuis in ſphęris mundi ſublimioribus ſoluti effectus mali non accidant: quippe cum ibi defectus materiæ, perfectione formæ nimium ſuperetur:

non

A non nihil tamen mali ſimile præſe ferre uidetur continua quædam priuatio, quam ſecum affert perpetuus mundi motus in præteritum, ac futurum. Materia quoque cæli ob potentiam eius ad formas omnes indifferentem, ſubſtantiales formas aliquando commutaret, niſi mira quadam præſentis formæ uirtute, tanquam fræno quodam cohiberetur: cui quidem fræno iam manſuefacta cedit: fortè non tam quia ſimpliciter materia eſt, quàm quia talis formæ materia. Hanc ob cauſam Plato in Timæo ſpheras mundi, ſtellaſq; inquit diſſolui poſſe ſcilicet ex natura materiæ: niſi uirtute diuina, ideſt, mira bonitate formæ connecterentur. Formæ itaque ſeparatæ diſſolui non poſſunt: nam & ſi hæ quoque benefico ipſius boni munere conſeruantur, tamen hoc ipſum boni munus forma eſt: qua quidem dum ſeruatur forma quælibet à materia ſegregata, uidetur interim ſe ipſa ſeruari, cum ipſa reuera ſit forma. Siquis autem ambigat cur corpus humanum forma ſua, ideſt, anima quę diuina eſt, non ſeruetur indiſſolutum, audiat Moyſen docentem, cõtineri quoque id corpus indiſſolubile poſſe, ſi modò & anima ſuam ſeruet diuinitatem: quod & Perſarum Magi ſecuti, promittunt perpetuam corporis ſanitatem animo priſtinam ſanitatem ſuam recipienti.

Quomodo materia ſit cauſa mali, primò quidem formis ſuis, deinde animo: item quod omnia bona ad unum bonum: omnia mala ad unum malum denique referantur. Cap. VIII.

DVbitat autem in octauo libri capite, utrum materia ſit cauſa in animo, tum inſcitiæ, tum prauitatis: an potius forma quædam, complexioq; formarum? Reſpondet mox: Si forma corporea qualiſcunque dicatur, ſit mali in animo cauſa, propterea cauſam eſſe mali, quoniam forma hæc materiæ addicta eſt: ac prorſus materialis effecta, nec uera ſit forma, ſed imago quædam formæ, paſſioq; materiæ. Cum regionem ſub cælo mobilem inſtabiliter quaſi per ſe uacillantem neceſſe ſit regi, duciq; à regione cæleſti, mobili quidem, ſed ſtabiliter mobili, ideſt, perpetuo eodemq; ſemper tenore uolubili. Rurſus cæleſtem regionem motui ſubiectam, quaſi nondum perfectam à ſuperiori prorſus immobili gubernari, meritò inferiores in hac noſtra materia formas, ad formas quæ ſunt in cælo reducimus, & cæleſtes iterum formas, ad illas quæ ſunt in ipſo cæli fabro, ducemq; referimus: neque aliud ibi ſunt hæ formæ quàm ipſa fabri, ducisq; intelligentia: ideoq; in ſe ipſis exiſtere iudicantur. Formæ quidem ſub cęlo à cæleſtibus longè degenerant: illinc enim purę ſunt, & integræ, efficaces, paſſionis expertes, neque pugnaces: hìc autem commiſtione aliqua inquinatæ mancæ, inefficaces, innumeris ſubditæ paſſionibus, & ſiquid agunt ad pernitiem inter ſe pugnantes. Veruntamen hæ cum cæleſtibus tum in ipſo corporeo genere, tum in materia, motuq; congruunt. Hæ igitur à formis penitus incorporeis & procul à materia, omniq; motu in ſe conſiſtentibus multò magis degenerant, quàm à cæleſtibus: uſque adeo, ut ſi ſublimes illæ ſunt formæ, hæ iam deformes quædam notæ ſint, uel exigua ualdè incertaq; formarum ueſtigia in materia prorſus informi: materia, inquam, iam ita ſuperanti formas, ſicut & in cælo formæ ſuperant coniunctam ſibi materiam, & ſuper cælum formæ materiam omnem à ſe procul eliminant. Age rurſus lucem in ſe ipſa conſidera, & in cauies omnes, graduſq; colorum: qui tamen in ipſa luce nihil aliud ſint quàm ipſa. Animaduerte ſubinde colores in herbas traductos, cognoſces ſubitò, quàm longè colores quibus materijs inſunt, ab illis decidant, qui in luce imò in ſe ipſis exiſtunt. Mitto, quod hi colores obumbrati iam ſunt, & contraria tum luci, tum ſibi inuicem natura polluti. Nonne uides eos inefficaces ſic euaſiſſe, ut abeunte luce nihil agant, fortèq; ſint nihil: adeo, ut dum præſente luce uidentur exiſtere, hoc ipſum eſſe ipſius fortè ſit lucis: certè hoc ipſum agere, oculoſque mouere, ſit lucis in eis agentis. Talem uerò formarum noſtrarum ad diuinas comparationem eſſe memento. Materia enim formas omnes in ipſa iacentes multò magis inficit informitate ſua, quàm ſubiectum frigidum, calorem debilem accedentem. Maior namque diuerſitas eſt inter formam, atque informe omnino ſubiectum, quàm inter formam quamlibet, & ſubiectum quomodolibet iam formatum. Si ergo nõ eſt calor uerus qui miſtus eſt frigido, certè non eſt uera forma, quæ immerſa eſt ſubiecto prorſus informi: ſine (ut uerius loquar) informitati. Accipe colores quatuor, album, croceum, uiridem, & rubentem: miſce cuilibet horum quemlibet, non tantum quemuis inficies mutua miſtione, quantum ſi quemlibet horum nigro miſceueris: nigredo uerò ad reliquos comparata colores, materiam tibi refert ad formas ſimiliter comparatam. Memento, præterea, formas in materia, quia factæ materiales ſunt, egenas euadere, ac periculis ſubiacere, ideoq; inuicem ad pernitiem concertare, ut alieno uidelicet detrimento utcunque poſſunt alantur, & tutiores ſint extincto contrario: ſeparatas uerò à materia formas quamuis, admodum inter ſe diuerſas, tamen inter ſe nullo modo pugnare: generant tamen in uniuerſo contraria, idea quidem ignis. ignem: Idea rurſus aquæ generat aquam. Quòd enim inter differentes ideas eſt inconfuſa uniuſcuiuſq; proprietas, hic repugnantia ſit hoſtilis. Concludit tandem formas in materia penitus obumbratas fieri uſque adeo languidas, ut materiæ ue-

D neficio ægrotantes ueneficæ quodammodo ſint, & animo nimium propinquanti. Qua uerò ratione pro humorum diuerſitate diuerſa hominum ſint ingenia, diuerſiq; mores: & utrum, & quomodo ſuperari hæc incommoda temperarí ue poſsint in theologia ſæpius diſputamus: ubi etiam non ueras eſſe in materia formas frequenter aſſerimus. Vt autem quæ Plotinus de bono, maloq;, & boni maliq; gradibus, & in ſuperioribus & hîc adducit, ſummatim teneas, ita conſidera. Diuerſa bona in quocunq; rerum genere ſint, communi uocamus appellatione boni: neq; id quidem caſu, ſed certa quadam conditione adhoc adducti. Vnam itaq; in cunctis communem ſortem uaticinamur, non unam ſpecie, aut genere: nam in omnibus generibus quamuis diuerſis, bonum conſpicimus atq; nominamus: Vna igitur eſt hæc appellatio ob quandam ad idem ordinis unionem ſcilicet, quoniã ab eodẽ principio ſunt, eiuſq; aliquid habent, & ad idẽ uelut finẽ feruntur & cõferũt. Similiter per omnia genera malum aliquod reperimus: cunctaq; mala eodem mali nomine non caſu, ſed certa ratione notamus. Neq; id uerius fieri poteſt, quàm ſi ad unũ ſummopere malũ omnia referamus ſcilicet quia uel inde contingant, uel illius aliquid habeant ſiue ſimilitudinis, ſiue inclinationis, ſiue naturæ: uel quia illuc ferantur & ferãt. Ipſum quid bonũẽ ſummus eſt uniuerſi gradus: Ipſum ergo malũ gradus ſit ultimus omniũ. Neq; uerò decet mala diiudicare ſolùm per diſceſſum ab ipſo bono, atque diſtantiam: imò multò rectius per acceſſum ad ipſum malum. Non enim quicquid ſtatim à primo diſtat, mox iudicamus malum, ſed longo pòſt interuallo mala deprehendimus, quæ per acceſſum ad
E ultimum deformia iam pernitioſaq; ſunt. Valde enim probabile eſt quæ propinquiora ſunt ipſi bono, quàm ipſi malo, bona cenſeri: quæ uicißim propinquiora malo, mala putari. Sin autem abſq; fine aliquo deſcendatur, nuſquam erit infimum, & ab ipſo bono maximè diſtans. Quo poſito, liceat aliquid huic propinquius exiſtimare quàm bono, aliudq; alio propinquius huic ulla ratione perpendere. Referre autem malorum iudicium ſolùm ad quamdam à bono diſtantiam, perinde ſe haberet, ac ſiquis ad ipſam à malo diſtantiam bonorum omne iudicium referat.

Quomodo quod eſt informe cognoſci poſsit ab anima, quæ eſt forma, & per formas ſolet cognoſcere. Cap. VIIII.

QVærit in capite IX, quomodo quod informe eſt cognoſcatur, cum & uirtus cognoſcendi ſit forma, & ipſa per formam actura ſit, & obiectum per formam uirtuti ſit occurſurum. Reſpondet per lumen cognoſci tenebras, ideſt, fingendo quidem rorum lumen abeſſe extremas tenebras cogitari: fingendo uerò deeſſe hîc luminis partem, quàm alibi uidemus, agnoſci aliquid tenebroſum. Similiter omnem formam auferendo, animum uaticinari materiam: ſed formas auferendo nonnullas, aliquid cogitari deforme. Sed mirum hîc aliquid accidit. Sicut enim neq; ſine luce uidemus quicquam, neq; in luce tenebras: ita neque ſine forma quicquam intelligimus, neque per formam, uel in forma materiam. Animus deniq; ſicut ipſum bonum ſupra lumen intellectuale cognoſcit, ſic materiam infra lumen eiuſmodi fingit. Cognitio autem utraque uaticinium potius quàm ratio nuncupanda uidetur.
F

Quòd materia ſit mala, non quia qualis ſit, ſed quia non qualis: ſic deus eſt ſine qualitate bonum. Item materiam eſſe prorſus informem, et quid ſit forma. Cap. X.

POſt hæc autem in reliquis libri capitulis quæſtiones mouet, & ſoluit. Quæſtio prima in capitulo X. Vtrum materia ſi non ſit qualis, poſsit eſſe mala. Solet enim ad qualitatis genus uirtus, & uitium, bonitas & malignitas pertinere. Reſpondet. Quæ miſta ſunt ex ſubiecto quodam, atque forma, ita ſolere uel bona, uel mala cenſeri, At uerò quæ ſimpliciſsima ſunt, non ita, ſed aliter iudicari. Sic ipſum rerum principium quando, uel dicitur bonitas, non eſt qualitas: uel quando dicitur bonum, non eſt quale. Ipſum enim eſt ipſa bonitas, non qualitate ſolùm, ſed ſubſtantia, eſſentiaq; ſuperior: ſic rerum ultimum, ideſt, materia, ubi malignitas appellatur, non eſt qualitas. alioquin & in ſubiecto alio foret, neq; ſic foret ultimum, & per naturam formalem non nihil boni formalis haberet. Item ubi denominatur mala, non ita cognominatur, quia ipſa ſit aliquid ex ſubiecto & qualitate compoſitum: alioquin neq; eſſet ultimum, poſſet enim in ſimpliciora reſolui atque ſubiectum: & ipſa eius qualitas neque cum quibuſdam alijs potiſsimum congrueret qualitatibus, alioquin materia non foret ad quaslibet capiendas æqnè parata: neq; etiam eſſet qualitas pariter ad omnes qualitates indifferens: nam ſic quidem & ipſa iam ad naturam ſortemq; materiæ traheretur: & ſiquid ſortè formale iudicaretur, ſaltem id inſuper ſequeretur, ut quod omnium ſubiectũ dicitur, ſit adhuc ex forma & ſubiecto compoſitum. Oportet tamen ne in infinitum ſit proceſſus, ad ſubiectum ſimplex & informe penitus deuenire. Materia igitur non quia qualitatem habeat, ſed quia non habeat

ma-

A malum exiſtimatur. Si ergo qualitas quandoq; bona dicitur, non quia ſit qualis, ſed quia qualitas: ſic materia mala, non quia qualis, ſed quia materia, nullam in ſe poſsidens qualitatem. Qualitas enim, & forma in ſubiecto nihil aliud eſt, quàm menſura, determinatioq; ſubiecti, & expreſsio quædam ab ipſo bono per formam primam, ideſt, per mentem quaſi per ſigillum ſuum impreſſa, referens ipſum bonum. Materiam uerò fingere poſſumus non nihil ab ipſo bono etiam pendens, per quendam proceſsiones potius, quàm cõuerſionis modum, nec dum ab ipſo bono reſpectum, nec ſigillo quaſi peculiare aliquid obſignatum. Sic ab ipſa cõmuni cæleſtis naturæ uirtute regitur quicquid ſequitur, uſque ad centrum terræ inde dependens. Sed communis ipſa cæli natura per lumen uelut ſigillum ſibi ſimile, propriumq; nihil ultra terræ ſuperficiem exprimit, nihil ſibi ſimile format. Quod ergo ſubſequitur eſt informi materiæ ſimile: quod autem ſuperius extat, eſt ſimile formis, atque formoſo. Et ipſum quidem lumen intellectum tibi diuinum referat: ipſa uerò ſimplex, priorq; cæli natura referat ipſum bonum.

Vtrum malum ſit priuatio ſumma: & utrum eſſe per ſe, & in ſe poſsit. Reſpondetur diſtinguendo. Cap. XI.

QVæſtio ſecunda in XI. capite ita quærit: Cum priuatio ob defectum in ſe eſſe non poſsit, ſequitur, ut extrema priuatio ob extremum defectum minimè omnium per ſe, & in ſe poſsit exiſtere. Qónam igitur modo, aut ipſum malum ſumma priuatio eſt, aut ſi eſt eiuſmodi, quónam pacto per ſe, uel in ſe conſiſtit? Reſpondemus ad hæc, priuationem ſummam, ideſt, formarum omnium puram uacuitatem, neq; in alio eſſe poſſe, alioquin non foret illic extrema uacuitas: neque re
B uera in ſe, quia uidelicet à nullo dependeat, ſed quoniam à nullo tanquam ſubiecto quodam ſubſtineatur. Itaq; nemo dicat uel animam, uel *in anima* eſſe primum ipſumq; malum: alioquin non foret *in anima* intellectus, non uita, non eſſentia, nec anima ipſa foret amplius anima.

Vtrum ipſum malum non ſit purum malum, ſitq; in anima. Reſpondetur eſſe purum, neq; in anima Cap. XII.

QVæſtio tertia in capite XII. tentat, utrum liceat ipſum, primumq; malum iudicare non purũ undique malum, atque ita in anima collocare. Reſpondeo: primum, ſummumq; malum apud Plotinum intelligi extremum formarum uacuitatem, quæ quantum ad formas pertinet, ſit & pura uacuitas, primaq; materia. quæ quidem ſiquid formale haberet intrinſecus, non eſſet materia uera, ſicut neque uera forma eſt, quæ materiale aliquid in ſe admittit. Rurſus: ſi non eſt uera materia, ſi qua intrinſecus formalis euaſerit ita neque uera forma, quæcunq; materialis euadit: præſertim quia ſi materia dum fingitur in melius, ideſt, formalem traduci ſortem, deſinit eſſe uera: multò magis forma uera ceſſat exiſtere forma, dum in deterius, ideſt, in materiam iam transfertur. Vt igitur à non uerò perueniamus ad uerum, oportet tum ad formas ſupra materiam puras aſcendere, tũ ad puram infra formas materiam deuenire. Quamobrem materia ſemper eſt pura uacuitas: nam & dum formas omnes uidetur habere, nullas habet: tum quia non uerè ſunt eiuſmodi formæ; tũ quia neque ullam ſibi propriam contrahit, neque ſeruat inde ueſtigium: & forſan ſpeculi more quæ non habet, oſtentat habere.

C *Vtrum ipſum malum ſit impedimentum in anima. Reſpondetur, extra animam eſſe primum malum, & primum bonum: & animam per quatuor gradus deſcendere in malum, ſcilicet materiam.* Cap. XIII.

QVæſtio quarta in capite XIII. Vtrum primum malum ſit ita ponendum in anima, ut malum hoc non tam priuatio ſit, quàm impedimentum adbonum proprium conſequendum. Negat impedimentum eiuſmodi, ſcilicet, uitium eſſe primum malum: tum quia propterea dicitur malum quod impediendo bonum deducit ad malum. non eſt igitur primum malum. Item ſicut uirtus non eſt ſummum bonum, ita neque prauitas ſummum malum. Virtutem uerò non eſſe in bonitate primõ, ſummumq;, patet, tum quia & in labore uerſatur, & appetitum naturæ non implet: tum quia à potentia quadam ociоſa prouenit in effectum, curſuq; temporis à minori pergit in maius: tum quia compoſitionẽ in ſe aliquam admittere poteſt. Hæc autẽ in ipſum ſimpliciter bonũ cadere nequeunt. Sicut ergo ipſum bonum eſt uirtute præſtantius, ſic ipſum malum eſt inferius uitio, longeq; deterius. Profectò animæ malum eſt ad materiam ſe deflectere, quam plato in Theætheto nominat diſſimilitudinis regionem, ſcilicet diuinitati undique diſſimillimam. Delabitur autẽ in lethicũ hoc profundum per gradus quatuor quaſi flumina quatuor. Primo quidem gradu hanc corporis fabricam imaginatur attentius: ſecundo, affectat ardentius: Tertio iam coniuncta fabricat: quarto cõtus eiuſmodi uoluptatem ducit in habitũ. Hactenus per flumina quatuor ad inferos animus præcipitari uidetur. Ita præcipitatus rurſus ibidem per quatuor quoque reuolui: quando uidelicet

D iudicium imaginatione penitus obcæcatur. Item affectus ex humano fit ferinus. Hinc coitus eiuſmodi, cum corpore corpoream reddit animam. Deniq; habitus animum corporis commertio detinens ſit penitus indelebilis, niſi fortè diuinitus deleatur. In quo quidem gradu animus à Platone dicitur poſtquam delapſus ad inferos fuerit, dormitare.

Quomodo malum in animo ſit debilitas, & qualis debilitas, & quomodo à materia: quomodo anima corpori coniuncta ſit: quomodo ſeparata: quomodo materia dependet ab anima: & quomodo etiam deſuper. Cap. X.IIII.

QVinta quæſtio in capite quarto decimo inueſtigat utrum malum quod ſit in anima, ideſt, uitium, ſit imbecillitas. Idq; concedit dicens, ſimilem quodammodo in animo, atq; in corpore debilitatẽ fieri, ſed non eandem. Horum enim utrumq; tunc debile dicitur, quando & facilè patitur aliunde, & ſua difficilè peragit. Sed debilitas in corpore quidem ſit duplex: aut cũ amittit ſuũ, aut cum alieno grauatur. In anima uerò ſolùm ex alieno quaſi pondere debilitas accidit. Accipere autẽ dicitur alienũ, quatenus materiã ſibi quaſi extrinſecus ubiq; præſentẽ aliquãdo intromittit. præſentẽ dico, quoniã ubicunq; anima eſt, ibidẽ eſt materia, extrinſecus, inquã: quoniã & materia quaſi extra pendet ab anima, & anima nullo modo reſidet in materia, ſed in ſeipſa, dum pendet inde materia. Hęc ipſa materia, tum quia inde extat, tum quia prorſus egena, tũ quia inde ſicut ferrũ à magne
E te quodammodo trahitur, affectare uidetur in animã penetrare, ibi uidelicet formis perficienda: perinde ac ſi nubes aliqua proprio quodã flatu, ſiue tracta lumine ſe lumini ſubigat, atq; inde ruborẽ accipiat, uelut formã. tunc ſanè lumen non tam in nube, quàm in ſe uidetur exiſtere, ſed rubor in nube: neq; diuiditur ibi lumen, ut pars quidem una in ſe ſit, alia ſit in nube. ſed lumen in ſe totum prorſus exiſtit. Vis autem, actuſq; eius in nube ſit rubor: qui quoniam pro inferiori nubis natura ſuſcipitur, debilior admodum eſt quàm lumen, ipſumq; donum luminis quantum ad noſtrum ſpectat intuitum, obfuſcare uidetur. Nubes eiuſmodi materia ſit: lumen uerò ſit anima: rubor autem ſit uita quædam, uel forma iam infuſa materiæ. Que quidem uita quia non pro ipſa animæ amplitudine, ſed pro anguſta potius materiæ capacitate ſuſcipitur, exigua quædam euadit, debiliſq; uita, ac tum ineffica ad agendum, tum obnoxia paſſionibus: quamuis interea intellectus in anima fulgeat deſuper, ſicut & lumen ſplendet deſuper, dum & rubor eius in nube ab ipſo ſplendore degenerat, & nubes ſpectaculõ ipſum nobis ueri luminis aufert. Memẽto, Plotinum & hic & alibi nobis innuere materiam à natura, ideſt, ab infima uirtute animæ generari. ab anima, inquam, ſiue patiente, quemadmodum alicubi legitur, ſiue præſente, quod rectius legi puto. Anima enim nihil non dum nata materia patitur. niſi fortè pati quis intelligat animam, quodammodo etiam qua parte afficitur ad aliquid generandum. Cũ igitur naturalia diuinis ſubijciantur, probabile eſt ab ultimo diuinorũ, ideſt, natura naturalium genitrice, generationis ipſius ſubiectum, ideſt, materiam dependere. Et ſicut propriq; naturæ quælibet ſubiecta propria operum, ideſt, certo modo diſpoſita faciunt, ſic & naturam
F communem commune ſubiectum: ut architectus idem qui conſtruit ædificium, etiam iaciat fundamentum. Quòd ſi materiam ſuperius etiam quam à natura prouenire conuiceris, concedemus: ſed hac duntaxat conditione, ut ſubiectum hoc formis omnibus communiſſimum dependeat quidem proximè à natura, quantum hæc ipſa natura nondum formata cogitatur, ſed rationibus formandè ſubijcitur: deinceps ab ipſa mẽtis eſſentia ueniat, quantum eſſentia illa formabilis eſt ideis: deniq; à ſummo rerum principio deducatur, non propriè qua ratione illud bonum ipſum eſt, ideſt, ſeſe abũdè communicans, ſed potius qua illud eſt ipſum unum, ideſt, ab omnibus mirabiliter ſegregatum. Sic ergo materia egena penitus & informis euadit, ab omnibus omnino muneribus ſegregata. Sic rurſus materia unum aliquid potius quàm bonum denominatur, & unitatem quidem habet intrinſecam, bonitatem uerò extrinſecus apparentem. Omnino uerò cum effectus omnes principiij ſummi tum ab ipſo ſint, tum extra, infraq; ipſum exiſtere compellantur, certè quantum ab ipſo ſunt, formas inde actuſq; reportant. Quantum uerò extra ipſum, inferioresq; ſunt, materiale m (ut ita dicã) in ſe ſortem quandam patiuntur admiſtam, bonitq; minoris conditionem: ac denique in materiam extremum omnium infimumq; ſubiectum deſinunt, originemq; malorum. Iam uerò anima cum materiam generat, nondum mala eſt, ſed bona, nec dum debilis, ſed fœcunda, ideoq; generare poteſt. Verùm cum factam iam materiam nimis amplectitur, hinc quaſi onere debilior euadit, atque deterior: ut autem materiam amplectatur, tum egeſtas, appetitioq; materiæ, tum animæ fœcunditas efficit. Igitur hæc ipſa cõplexio quantũ ex animq; fœcunditate contingit, bona eſt quodãmodo, bonaq; producit, uitã ſcilicet aliquam, atq; formas: quantũ uerò ex quadã materiæ procacitate conflatur, mala eſt, paritq; mala, ideſt, uitæ debilitatem: cognitionis impedimenta, innumeras animi paſſiones.

Probatur

A *Probatur materiam eſſe ſcilicet prorſus informem: item eſſe in mundo malum, eſſe bonum: Quomodo malum fiat in anima. Quomodo materia intus mala ſed extra eſt adoperta bono. Cap. XV.*

QVæſtio ſexta in cap. XV. dubitat, utrum in hoc ſummi boni regno tam bono, tamq; formoſo eſſe queat materia prorſus informis, ac malum omnino deforme. Oportere uerò materiam eſſe, nos in ſuperioribus, & in theologia probamus, & alibi cum Plotino iterum comprobabimus: atq; ſic in præſentia breuiter confirmamus. Operum ſingulorum formæ ſiue arte, ſiue natura fiant, in materias ubiq; proprias reſoluuntur. quæ quidem materiæ quantum ad formas poſtea comparandas pertinet, ſunt informes: quamuis formam habere aliam poſsint. Vniuerſi igitur mundani operis forma, quæ forma eſt uniuerſa, in materiam redigitur prorſus informem. ac ſi fingatur materia hæc de qua fit uniuerſum, aliquam adhuc præter mundanam habere formam. Forma ſaltem eiuſmodi in materiam per ſe omni forma carentem deniq; deducetur: niſi quis forte ſub forma hac aliam, rurſusq; aliam abſq; fine ſubeſſe confingat: quod quidem fieri nequit: tum quia cum forma quælibet ſubſequens loco materiæ, alia ſit forma deterior, certè proceſsio hæc paulatim deficiens in deterius, in infinitum perdurare non poteſt: tum quia ſi nuſquam prima forma, nec uſquã materia prima daretur, nuſquam operi daretur exordium: imò materiarum, formarumq; turba innumerabilis operis conſtruendi principio, fini, ordini, unioni prorſus aduerſaretur: tum quia materia cum ob defectum proprium ſeipſam formare non poſsit, ideoq; formetur ab alio, terminum utriq; formarum, tum primum, tum ultimum à ſuperiori quodam formatore ſortitur: tum deniq;
B cum ad principium uniuerſi primum, finemq; ultimum ueniatur, meritò non licet per materias atq; formas, quæ ab efficiente principio ad finem certum perduci ſolent, abſque ex ordio terminoq; procedere. Itaque uniuerſo formarum ordini ſubeſt materia per ſe prorſus informis: ſubeſt itaque malum bonis, quod quidem neceſſariò ſequitur boni defectum. Boni uerò defectus minorem boni gradum neceſsitate conſequitur. Bonum deniq; minus, boni ipſius effectum proculdubio comitatur. Sicut igitur ex ipſo bono malum tandem neceſſariò ſequitur neceſsitate naturæ, ſic uicißim ſi malũ tollas, neceſſariò ſcilicet neceſsitate conſequentiæ, tolles & bonum. Si nihil uſquam tanquam bonum, aut malum nobis occurrat, ſed omnia indifferentia ſint, ut quidam ſomniãt, nunquam uel proſequendo, uel fugiendo mouebitur appetitus, Ceſſabit & ſenſus qui huius miniſterij gratia eſt à natura tributus: ceſſabit & intellectus. Sicut enim bono ſenſibili ſeruit ſenſus, ſic intellectus intelligibili ſeruit bono. Ex quo etiam patet, ipſum ſimpliciter bonum eſſe intellectu præſtantius: quandoquidem bonum quoq; intelligibile quodammodo eſt intellectu ſuperius. Cùm igitur in ipſo rerum ordine uideamus plurima, partim bona, partim mala, quæ hinc quidem probes, inde non probes: item alia meliora, alia rurſum deteriora: neceſſarium eſt, compoſita hæc ad ſimplex, primumq; bonum, ad ſimplex, primumq; malum rite reſoluere. Poſt hæc autem confirmat iterum animæ malum aliunde contingere, atque id uidelicet ex materia. Quippe cum corporis gratia ſolum animus patiatur, corpori metuit, corpori concupiſcit, corporis cauſa dolet, impulſu corporis imaginatione turbatur, dum turbatur imaginando, falſas combibit opiniones. Denique malum animæ ſic accedit
C extrinſecus, ſicut extrinſecus accidit materiæ bonum. Rurſus animæ bonum intrinſecus oritur ex intellectuali animæ forma: ſicut & materiæ malum latet intrinſecus, ex ipſa intellectualis formæ imaginisq; uacuitate proueniens.

D PLOTINI PHILOS. PLAT. LIBER OCTAVVS
QVÆ ET VNDE SINT MALA.

Quæſtiones quatuor. Prima, quæ & unde mala. Secunda, quæ bona, quid bonũ ipſum: quid malum. Tertia, quomodo cognoſcamus malum. Quarta, quo pacto malum bono contrarium. Cap. Primum.

QVICVNQVE perquirunt, vnde malà ſiue circa res, ſiue circa aliquod rerum genus inciderint, conueniens inueſtigationis exordium facient, ſi prius quídnam ſit malum, & naturam mali proponant. Sic enim vnde venerit, vbi fundetur, cui accidat malũ apparebit: atq; omnino ſicubi eſt in rerũ natura conſtabit. Cæterum, dubium eſt: quá nam potiſſimum ex viribus quæ nobis inſunt mali naturam percipiamus? Quippe cum cognitio ſingulorum per ſimilitudinem quãdam perficiatur? Intellectus namq;, & anima cum ſpecies quędam ſint, ſpecies quoq; cognoſcunt, ſpecieſq; naturaliter appetunt.
E At verò malum nemo ſub ſpeciei ratione poteſt effingere, cum in quadam boni totius abſentia cogitetur. Quòd ſi quia contrariorum eadem ſcientia eſt, & bono contrarium eſt malum, ideo eadem boni, maliq; notitia erit: profectò neceſſarium eſt cognituros mala, diſcernere bonum: quandoquídem præſtantiora ritè deteriora præcedunt: ac ſpecies antecedunt ea, quæ non ſpecies, ſed priuationes potius iudicãtur. Queſtione rurſus dignum eſt, quonam modo bonum ſit malo contrarium. Fortè enim quoniam illud quidem primum eſt, hoc uerò poſtremum: aut certè illud uelut ſpecies, hoc ceu priuatio. Sed de his opportunius in ſequentibus.

Deſcriptio boni: & quouſq; bona ſint pura: & quomodo intellectus proximè fruatur bono, anima uerò per intellectum. Cap. II.

IN præſentia verò nobis dicendum eſt, quæ ſit boni natura, quantum præſens diſputatio poſtulat. Eſt autem hoc à quo omnia pendent, quòd ve omnia appetunt, accipientia ab ipſo principium, ciuſq; penitus indiga: ipſum verò nullius egenum: ipſum ſibi ſufficiens, nihil penitus appetẽs: menſura omnium atq;
F terminus: ex ſeipſo producens intellectum, eſſentiam, animam, vitam: rurſus actionem circa intellectum. Hucuſq; pulchra ſunt omnia, ipſum verò ſuper pulchrum, & ſuper ea quæ ſunt optima: in mundo regnans intelligibili: qui ſanè intellectus eſt: intellectus, inquã, non qualem quis fortè putaret, exiſtimans ſimilem eſſe horũ, qui apud nos intellectus eſſe dicuntur: qui ex ꝓpoſitione imperi ſolẽt: & quæ ratiocinãdo, colligũtur percipere poſſunt: itẽ ratiocinãtur, quid ve ex quoq; ſequatur: excogitant, & res per conſequentiã ſpeculantur: vt pote qui antea non habuerint, ſed antequam diſcerent vacui fuerint, quamuis tunc etiam intellectus extiterint. Intellectus ille, inquam, non eſt talis, ſed habet omnia, eſt omnia, ſecum habitat, ſibi prorſus vnitus, habet cuncta, non habẽs: non enim ea poſſidet tanquam alia, nec ipſe exiſtit alius, neq; quæ ſunt in eo, ſingula ſegregantur à ſingulis: imò verò quodlibet eſt vniuerſum, & vbiq; totum, neque tamen confunduntur cuncta, ſed rurſus ſingula diſcernuntur. Quod ergo huius ſit particeps, nõ ſimul omnia, ſed quod poteſt participat. Eſt item primus actus illius, primaq; eſſentia, illo videlicet in ſe ipſo manente. Agit ſanè circa illum, tanquam circa illum viuens. Proinde anima extrinſecus circa hunc ſe verſans ipſum circunſpicit. quinetiã intima eius inſpiciẽs, per ipſum videt & Deũ: atque hæc eſt illæſa, felixq; deorum vita, à malis omnino ſemota. Quòd ſi hîc ſiſteret natura gradum, nuſquam foret malum. At verò ſunt prima bona, ſunt &
ſecunda:

A ſecunda, ſunt quoque tertia: cunctáque circa regem vniuerſorum: Ipſéque rex bonorum omnium cauſa eſt, & illius gratia omnia. Deniq; circa ſecundum ſecunda ſunt, & tertia circa tertium.

Malum non eſt in his quæ uerè ſunt, ſed in his quæ aut non uerè ſunt, aut ad illa quæ non uerè ſunt, inclinantur. Item deſcriptio mali, id eſt, materiæ per oppoſita bono, id eſt primo rerum principio. Cap. III.

SI hæc entia ſunt, atque hoc eſt quod ſuper entia malum, certè in entibus nuſquam erit: multòque minus in eo, quod entia ſupereminet. Bona enim hæc omnia ſunt. Reliquum eſt igitur: ſi cubi malum eſt, in his quæ nõ ſunt reperiri, quaſi quandam non entis ſpeciem: & circa aliquid eorum, quę non enti miſcentur, vel quomodocunque habeant cum non ente commertium. Non ens, inquam, haud quaquam omnino non ens, ſed tantùm ab ente diuerſum. Non ſic verò non ens, vt motus atque ſtatus, quæ circa ens eſſe dicuntur, ſed tanquam entis imaginem, aut etiam ab ente remotius. Id autem eſt ſenſibile vniuerſum, & quotcunque ſunt circa ſenſibile paſſiones, vel aliquid ijs poſterius, & quaſi ijs accidens, vel horum principium, vel eorum aliquid, quæ id ipſum complent,
B tale quidem, quale iam dicam. Licet enim id cogitare quaſi quandam immoderationem ſi ad menſuram referatur, infinitum quoque ad terminum informe rurſus ad formatorem, item ſemper egenum ad ſufficiens, ſemper indeterminatum, nuſquam omnino quieſcens, omnia vndique patiens, inſatiabile, extremam prorſus inopiam. Neque talia huic accidunt, ſed tanquam ipſius eſſentia eſſe videntur. quinetiam quancũque ipſius videris portionem, inuenies in qualibet hæc cuncta ſummatim: cætera verò quæcunque id participant, eique aſſimilantur, mala quidem fieri, neque tamen ipſum eſſe malum. Itaque cuidam fundamento hæc inſunt, non alia quædam ab ipſo, ſed ipſum. Etenim ſi alteri malum accidit, oportet aliquid prius ipſum eſſe, etiã ſi nulla id eſſentia ſit. Vt enim bonum alterum quidem ipſum exiſtit bonum, alterum verò quod alijs accidit, ſic & malum: hoc quidem ipſum malum eſt, illud autem ſecundum hoc accidit alteri. Quęnam igitur immoderatio dicet aliquis, niſi in eo quod immoderatum? Quæ rurſus menſura, niſi in re menſuræ particeps? At quemadmodum menſura quędam eſt in nulla re menſurata, ſic & immoderatio extra ſubiectum immoderatum. Si enim ſit in alio, aut erit in eo quod immoderatum eſt, ſed non eget hoc immoderatione, cum ſit ipſum immoderatum, aut erit in re mo-
C derata. Verùm nequit quod moderatum eſt, quatenus moderatum, immoderationem ſubire. Profectò oportet eſſe aliquid ſecundum ſe infinitum, atque informe ſuapte natura, taleq; per ſingula, qualia in ſuperioribus commemorauimus deſcribentia mali naturam. Præterea ſiquid præter illud eſt tale, vel ipſum habet admiſtum, vel ſaltem quoniam ad id ſpectat, euadit tale: aut quoniam cuiuſdam talis eſt cauſa. Quamobrem naturam figuris, ſpeciebus, formis, menſuris, terminis ſubditam, ornamentoq; præditam alieno, nihil præterea boni ex ſe poſſidentem: ſimulacrum rurſus, ſi cum entibus conferatur, quinetiam mali ipſius eſſentiam, ſi qua modò eſſe poteſt eſſentia mali, hãc, inquam, ratio primum eſſe malum, & per ſe malum rite conuincit.

Gradus malorum tres: quomodo in anima malum: quomodo materia nihil habet boni. Cap. IIII.

NAtura corporum quantum eſt materiæ particeps, malum quidem eſt, & ſi non primum: habet enim ſpeciem quandam, quamuis non ueram: priuatur & vita: corruptionem infert inter corpora mutuam, cocuſſionemq; ex ipſis inordinatam: impedimenta quinetiam animæ ad actionem propriam affert:

D præterea perpetuo fluxu aufugit eſſentiam: ideoq; ſecundum obtinet mali grādum. Anima verò ſecundum ſe mala non eſt: neq; omnis anima praua. Sed quænam praua? illa videlicet, vt inquit Plato, quæ ſeruit illi, cui prauitas animæ naturaliter ineſſe poteſt: quaſi irrationalis animæ ſpecies malum ſubeat, immoderationem, & exceſſum, atq; defectum: ex quibus intemperātia & timiditas, aliaq; animæ prauitas, velut paſsiones inuoluntariæ oriuntur: exquibus & opiniones falſę, per quas bona, vel mala quis putet, quę proſequitur aut fugit. Verùm quid nam prauitatem hanc adducit? Et quomodo in principium illud, cauſamq; redigere poteris? Primò quidem dicetur, animam eiuſmodi non eſſe extra materiā, neq; ſecundum ſeipſam talem eſſe: itaq; immoderationi miſcetur, ſpecieiq; ornantis, & moderantis expers euadit: corpori namq; materiam habenti immergitur. Præterea ſi uis rationalis offenditur, diſcernere prohibetur perturbationibus offuſcata, & materiæ tenebris obruta, vt pote quæ annuendo prolabitur in materiam: & omnino non ad eſſentiam, ſed ad generationem ſpectat. cuius origo eſt natura materiæ, vſq; adeò mala, vt illud etiam quod nondum eſt in ea, ſo
E lùm verò eam proſpicit, ſuo impleat malo. Cum enim boni omnino ſit expers, bonique priuatio ſit, puruſq; defectus, nimirum quicquid quomodocunq; attingit eam, ſibi ſimile reddit. Perfecta igitur anima, vergensq; ad mentem, ſemper pura eſt, procul á ſe materiam eliminans, & omne interminatum, immoderatū, malum, neq; his propinquat, neque proſpicit quidem: quamobrem pura permanet, intellectu prorſus determinata. Quæ verò munus id non ſuſtinet. ſed ex ſeipſa progreditur in gradu quodam exiſtens neq; perfecto, neq; primo, velut illius imago, ob ipſum defectum, quatenus deficit, indeterminata ſorte repletur, tenebrasq; proſpectat. Iamq; habet materiam, in illud aſpiciens quod non cernit: et vt dici ſolet, tenebras aſpicit.

In quo defectu conſiſtat malum: quomodo materia ſit ipſum malum: quomodo fiat malum in anima. Cap. V.

CAeterùm ſi boni defectus cauſa eſt, vt anima videat tenebras eisq; mergatur, malum animæ erit in defectu tenebriſue ſitum, idq; malum erit primū. Secundum verò ſit tenebroſitas ipſa maliq; natura, non in materia primùm, ſed
F etiam ante materiam: aut certè non in quouis defectu, ſed in defectu vniuerſo conſiſtit malum. Quod igitur parum à bono deficit, non dum eſt malum: poteſt enim pro natura ſua eſſe perfectum: imò quod penitus deficit, qualis eſt materia, id re vera malum eſt, nullam boni poſsidens portionem. Materia ſanè neque eſſe habet, cuius munere bonum habere potuerit: ſed eſſe de ipſa æquiuocè dicitur. Defectus igitur ſortitur, vt non ſit bonum: defectus autem vniuerſus ſortitur, vt ſit ipſum malum: defectus verò medius eſt poſſe in malum cadere, quod iā eſt malum. Vnde oportet malum excogitare, non hoc quidem malum, velut iniuſtitiam, vel aliam quandam prauitatem, ſed illud, quod nondum horū quicquā eſt: ſed hæc quaſi illius ſpecies ſunt additamentis quibuſdam diſtinctę: velut in anima quidem prauitas: rurſusq; huius ſpecies vel ſecundum materiam circa quā eſt, vel ſecundum quaſdam animæ partes, vel ex eo, quod partim quidem aſpicit, partim verò appetendo incitatur, partim deniq; patitur. Siquis autem extra animam quoque mala poſuerit, quærendum eſt, quomodo ad naturam illam mali reducat ceu morbum, deformitatem, paupertatem? Fortè verò morbum dicent eſſe defectum, aut exceſſum in corporibus compoſitis ex materia, ordinem & menſuram non ſuſtinentibus: Deformitatē verò eſſe materiā forma minimè ſuperatā: paupertatem deniq; egeſtatem, priuationemq; eorum quibus egemus ob materiam cui coniungimur, ſic natura inſtitutam, vt ipſa ſit indi-

A indigentia. Proinde ſi hæc rectè dicuntur, non eſt dicendum, nos malorum eſſe principium, quaſi ex natura propria mali ſimus, ſed ante nos hæc eſſe. Quę verò vitia homines occupant, detineri his ipſos nolentes: attamen præſtari malorum animi fugam, animis uidelicet id potentibus, non omnes autem poſſe. Poſitio verò materiæ corporum naturæ præſentis malum eſt: neque enim ipſum malũ eſt prauitas hominum, quandoquidem non omnibus ineſt hominibus (datur enim eius ſuperandæ facultas) præſtantiores certè ſunt, quibus id quoq; non accidit. Superant deniq; eo quod in ipſis eſt á materia ſegregatum.

Quomodo aliquid bono contrarium ſit, ideſt, materia. quomodo formæ à materia ſeperatæ ſint contrariæ. Cap. VI.

OPeræpretium eſt intelligere, qua ratione potiſsimum à Platone dictum ſit, mala omnino deleri non poſſe, ſed ex neceſsitate venire. Neque apud deos eſſe, ſed apud mortalem naturam, inferioremq; hunc locum aſsiduè circumuolui. Nunquid igitur ita dictum eſt, quoniam cælum quidem ſemper liberum ſit à malis? Quippe cum ordine perpetuo moueatur, & ornamento feratur, neq; iniuſtitia, neq; iniquitas alia ibi ſit, neq; cæleſtia ſibi inuicem iniuriã inferant ornata moderatione perducta: in terra verò iniuſtitia, ordinisq; expers
B ſit iniquitas. hęc enim eſt natura mortalis, locusq; inferior. Verùm quod inquit, hinc aufugiendum eſſe, nequaquam de terrenis locis eſt dictum. Fuga enim eſt inquit, non à terra diſcedere, ſed hominẽ etiam in terra viuẽtẽ iuſtum & ſanctũ vnà cũ prudẽtia fieri: perinde ac ſi dicatur, aufugiendã prauitatẽ eſſe, quaſi mala homini ſint tũ prauitas, tũquę ex prauitate naſcũtur: tũverò cũ Theodorus diceret poſſe mala de medio tolli, ſi modo quæ dicat, hominibus perſuaſerit. Socrates fieri id poſſe negauit: mala enim ait neceſſariò euenire: quippe cũ neceſſariũ ſit, aliquid bono ſubcontrariũ eſſe. At verò qua ratione fieri poteſt, vt humanũ malum, ideſt, prauitas, ipſi bono contrariũ ſit? nempe contrariũ hoc eſt virtuti. Virtus autem non ipſum bonũ eſt, ſed quoddam bonum, quod quidem efficit, vt materiæ dominemur. Ipſi autem bono quomodo aliquid contrariũ erit? non enim eſt quale. Præterea quidnam cogit vbiq;, ſi alterũ contrariorum extat, alterum rurſus extare? Verùm eſſe quidem poſsit, atq; ſit contrarium quandoquidem & contrarium eius exiſtat: velut exiſtente ſanitate, poteſt & morbus eſſe, neq; tamen neceſſariò proueuit. Fortè non putat Plato, in quolibet contrariorũ ordine eiuſmodi neceſsitatẽ eſſe veram, ſed in ipſo boni contrario. At ſi ipſum bonũ eſſentia eſt, vel potius ſuper eſſentiam, quidnam poteſt ei eſſe contrariũ?
C Quod igitur nihil eſſentiæ ſit contrariũ, id in ſingulis eſſentijs per inductionem ſatis eſt manifeſtum. Vtrum verò ipſi ſimpliciter eſſentiæ contrariũ aliquid ſit, nondum eſt demonſtratum. Sed quidnam ipſi vniuerſali eſſentiæ contrariũ eſſe poterit, atq; omnino primis vniuerſi principijs? Fortè verò ipſi quidem eſſentiæ erit contrariũ non eſſentia: boni verò naturæ cõtrariũ, ſiqua eſt mali natura atq; principiũ. Principia enim vtraq; ſunt, id quidem bonorũ illud verò malorũ: atq; omnia quæ in alterutra natura ſunt, inter ſe contraria ſunt. quo circa & ipſa tota contraria, magisq; contraria ſunt quàm cętera. Alia namq; contraria, vel in eadem ſpecie, vel in eodem genere collocantur, & in quibuſcunq; ſunt, cõmuni quodam conuenſunt: quæ verò ſunt ſeorſum, atq; ita ſe habent, vt quę naturã implent alterius, contraria ſint eorũ, quæ naturã alterius implent. quid nam prohibet maximè inter ſe eſſe contraria? ſi modo contraria ſunt, quę interuallo á ſe inuicẽ longiſsimo diſtant. Termino ſanè, atq; menſuræ & cæteris quę diuinę naturæ ſunt propria, cõtraria ſunt infinitudo, immoderatioq;, & reliqua quotcũq; in natura mali eſſe dicuntur. quapropter vniuerſum eſt vniuerſo contrariũ. Alterum profectò eſſe fallaciſsimũ habet, ac primò vereq; falſum atq; mendaciũ: alte

D rius autem esse est verè esse: itaq; illius falsitas huius veritati repugnat. Rursus quod secũdum illius essentiã est, ei quod secundũ huius essentiã est opponitur. Quas ob res satis constat, nõ vbiq; videri verũ, nihil essentiæ cõtrariũ esse: quoniã ignẽ & aquã confiteremur esse contraria, etiã si nõ subesset illis cõmunis materia: in quibus calor, frigus, humor, siccitas accidentia sunt. Si autẽ in seipsis essent sola, essentiã ipsorũ absq; cũmuni subiecto complentia, tunc quoq; contraria forent, essentia videlicet essentiæ. Quę igitur segregata inter se sunt omnino, cõmuneq; nihil habent, ac interuallum habent quãplurimũ, in ipsa sui natura cõtraria sunt: quandoquidẽ contrarietas non fit qua ratione quale quiddam sint, neq; omnino secundum quoduis rerũ genus: sed qua plurimũ inter se distant. item qua ex oppositis constituuntur, & contraria faciunt.

Quomodo si bonum est, necessarium sit esse malum: & quomodo uniuersum ex materia constet, & forma, ex mente atq; necessitate.

E Caeterùm cur si bonum est, necessarium sit esse malum? Nunquid propterea quod necessaria est vniuerso materia? Ex contrarijs enim vniuersum hoc necessariò constat: alioquin non foret, non existente materia. Mista est igitur huius mundi natura ex necessitate, simul atq; mente. Sanè quæcunq; in hũc mundum à Deo proueniunt, bona sunt: mala verò ex antiqua natura inquit Plato, significans videlicet subiectam materiam non dum exornatam, si modò eo in gradu prospiceretur. Sed quomodo naturam dicit mortalem? Quòd enim dixit circa hunc locum mala reuolui, designare cõcedatur vniuersum: num fortè per illud confirmatur, quod in Timeo inquit: Sed quoniam estis geniti, immortales quidem non estis: neq; tamen vnquam soluemini, mea virtute seruati. Quod si ita sit, rectè diceretur mala deleri non posse. Qua igitur via quis mala vitabit? Non loco fugientem ait deuitaturum, sed virtutem potius comparantem, seq; ipsum à corpore semouentem. sic enim se à materia segregabit: quippe cum hærens corpori, hæreat & materiæ. Separare verò vel non separare quo modo se habeat, ipse aperit. Esse præterea penes deos significat in mundo intelligibili esse. Illic enim sunt immortales. Licet hac insuper ratione necessitatem mali considerare. Nempe cum bonum non maneat solum, nimirum necesse est digressione quadam ab ipso procul tandem accidere malum. Vel siquis ita ma-
F lit dicere, videlicet perpetua quadam subiectione, atq; distantia vltimum prouenire, vltra quod aliud quicquam fieri nequeat, idq; ipsum esse malum: necessitate verò esse aliquid post ipsum primum: ideoq; & vltimum. Hoc autem materia est, nihil amplius habens primi. Atq; hæc est mali necessitas.

Quomodo materia sit causa mali: primò quidem formis suis: deinde animo. Item quod omnia bona ad unum bonum, omnia mala ad unum malum deniq; referantur. Cap. VIII.

OBijciet fortè quispiam, non propter materiam nos fieri malos: neq; enim ignorantiam, neq; prauas cupiditates ob materiam proficisci. Atqui si ob prauam corporis affectionem quis aberret, non materiam, sed formam affectus cuiuslibet esse principium: velut calorem, frigiditatem, amarum, salsum, reliquasq; humorum species: præterea repletiones, vacuitatesq;. Repletiones inquam, non quaslibet, sed talium quorundam repletiones, & omnino tale quiddam esse, quod differentiam facit concupiscendi: ac si vis opinionum quoq; fallentiũ discrepantiam: quò appareat formam potius, quàm materiam esse malum. Verùm hoc quoq; pacto nihilominus compelletur, malum esse materiam confiteri. Nempe quæcunque facit qualitas in materia iacens, haud quaquam seorsum existens

A existens efficit: quemmadmodũ neq; figura securis absq; ferro secat. Præterea formæ quæ in materia sunt, non eædẽ sunt, quę essent, si in seipsis existerent: sed rationes quædam materiales sunt in materia iã corruptæ, naturæq; materialis plenæ: neque enim ignis ipse scilicet separatus vrit: neque aliud quicquam eorum quæ in seipsis existunt, talia facit, qualia formæ iam in materia factæ dicuntur efficere. Materia siquidem cum eius quod apparet in ea sit domina, depraua ipsum atque dissoluit, suam videlicet naturam adhibens illi contrariam: Non inquam calido frigus admouens, sed speciei caloris suam speciei obijciens orbitatem, & formæ informitatem: excessum quoq; atq; defectum opponens moderatæ naturæ, quousq; tandem efficiat, vt forma non amplius sui iuris, sed materię prorsus euadat. Quemadmodum in animalibus nutriendis quod intus assumitur, haud vlterius quale influxerat permanet: sed in cane fit canis sanguis, & omnino caninum: humoresq; omnes pro natura accipientis euadunt. Quãobrem si corpus causa est malorum, hac quoq; ratione materia malorum causa iudicatur. Dixerit fortè aliquis, oportere talia superare: verùm haud purum est quòd superare queat, nisi fugiat. Iam verò vehementiores cupiditates certa quadam corporum complexione proueniunt: alię quoq; aliorum cupiditates, adeo vt non facilè quilibet superare possit. Quid verò quòd alij quidem obtu-
B siores sunt, ad iudicium q; inepti: vt pote qui natura sint frigida, ad motumq; inepta: alij verò contrà effrænata quadam leuitate feruntur. Testantur hæc nostri habitus pro temporum diuersitate diuersi: Pleni enim cum sumus, aliter cupimus, atque cogitamus: vacui verò aliter. quinetiam aliter quidem repleti, aliter affici consueuimus. Deniq; vt summatim dicam, primò quidem malum sit quod omnino mensuræ est expers: quod autem in natura mensuræ prorsus experte fit, aut existit, vel similitudine, vel participatione, secundo loco sit malum, propterea quod ipsi acciderit. Rursus primò quidem malum sit tenebrositas, sequenti autem gradu similiter sit tenebrosum: tum verò prauitas cum sit insciția, immoderatioq; in anima, secundum obtineat mali locum, neq; sit ipsum malum: quippe cum neq; virtus sit primum bonum, sed quatenus vel similis, vel particeps boni ipsius euadit, bona censetur.

Quomodo quod est informe cognosci possit ab animâ, quæ est forma, & per formas solet cognoscere. Cap. VIIII.

QVò nam igitur hæc nouimus? Ac primò quidem quónam nouimus prauitatem? Virtutem quidem mente; atq; prudentia se namq; cognoscit: at
C verò quomodo prauitatẽ? Nunquid quemadmodum regula quadam rectũ discernimus à non recto, sic & vitium tanquam virtuti non congruens? Sed nunquid vitiũ cognoscimus ipsum aspicientes? profectò integrum vitiũ nequaquã aspicientes animaduertimus: nã est infinitũ. Itaq; ablatione quadam, dum videlicet dicimus, virtutis omnino nihil habere: vitiũ verò non integrũ, ex hoc pensitamus, quòd deficit à virtute. Partem ergo videntes, parteq; præsenti, quod abest reliquũ suspicantes, quod quidem in tota specie cõtinetur: hinc verò abest, hac ratione vitiũ iudicamus in ipso indeterminato, quod est priuatũ derelinquẽtes. Atqui in ipsa materia quasi deformem faciẽ intuentes, quippe cum ratio ibi non dominetur, neq; possit materiæ turpitudinẽ operire, nimirum deformitatẽ ex quodam speciei defectu excogitamus. At verò quod nulla ex parte nactum est speciem, quo pacto cognoscimus? Fortè omnino speciẽ adimẽtes, totum id quod residuũ est, cui non insunt species asserimus esse materiã, ipsiq; interim informitatẽ quandam intra nos admittimus, dum vniuersam speciẽ auferimus, si modò simus materiã inspecturi. Quapropter hîc intellectus fit alius, ac fermè non intellectus: dum quæ sua non sunt audet inspicere: quemadmodum oculus

D diuertens à lumine, vt videat tenebras, & non videat: propterea quod vt tenebras videat relinquit lumen: neq; enim vná cum lumine tenebras videre poteſt: neq; rurſus abſq; lumine videre poteſt quicquã, quo videlicet illi contingat, vt quoad poteſt fieri, videat. Similiter intellectus in penetralibus ſuis propriũ lumen occulens, & quaſi extra ſe progrediens, in illa quæ ab ipſo aliena ſunt, abit: nec interea proprium lumen admouet: ideoq; contrariã naturæ ſuæ ſubit conditionem, vt quod ſibi contrarium eſt inſpiciat.

Quòd materia ſit, mala non quia qualis ſit, ſed quia non qualis: ſic deus eſt ſine qualitate bonum. item materiam eſſe prorſus informem: & quid ſit forma. Cap. X.

HActenus de his ſatis fuerit dictum. Cum verò materia omnino qualitatis ſit expers, quánam conditione dicitur eſſe mala? Forſan qualitate vacua dicitur, quoniam nullã ex ſeipſa poſsideat qualitatũ quas ſuſceptura eſt, in ipſa velut in ſubiecto futuras: neq; tamen ita dicitur eſſe non qualis, quaſi naturã habeat nullam. Quòd ſiquam naturã habet, quidnam prohibet, quò minus naturam hanc malam eſſe dicamus? Neq; ſic inquam malam, quaſi quadam præditã
E qualitate: quandoquidem id ipſum quale eſt, cuius preſentia aliud quoq; quale denominatur. Quale igitur accidens eſt, iacetq; in alio: materia verò non eſt in alio, ſed eſt ſubiectũ circa quod accidens omne verſatur. Cum itaq; quod quale dicitur, naturam habeat accidentis, nimirum materia, id nequaquã ſortita, dicitur eſſe non qualis. Quinetiam ſi qualitas ipſa eſt non qualis: quónam pacto materia non ſortita qualitatem poterit dici qualis? Rectè ergo dicetur & non qualis, ſimul & mala. Non enim eo quod qualitatem habeat, mala cenſetur, imò ex eo potius quod nullam habeat qualitatem: ne ſi foret ſpecies, fortè quodammodo quidem mala foret, non tamen contraria ſpeciei natura.

Vtrum malum ſit priuatio ſumma: & vtrum eſſe per ſe & in ſe poſsit: Reſpondetur diſtinguendo. Cap. XI.

VErùm contraria ſpeciei vniuerſæ natura priuatio eſt: priuatio autẽ ſemper in alio, in ſeipſa verò non eſt ſubſtantia. Malum igitur ſi eſt in priuatione ſitum, certè in eo quod ſpecie priuatum eſt, erit malum. Itaq; per ſeipſum eſſe nõ poterit. Si ergo in anima erit malum, priuatio in ea malũ & prauitas erit, nihilq; extrinſecus oportebit accipere, vnde in ea ſit malum: quoniam & aliæ rationes
F materiam penitus auferunt: hæ verò neq; ipſam quidem cum ſit putant eſſe malam. Nihil igitur eſt aliunde quærendum quaſi malum: ſed qui malum in anima collocat, ita collocet, vt ſit abſentia boni. At ſi priuatio ſpeciei cuiuſdam eſt ſpectantis ad eſſe: atq; boni priuatio eſt in anima: quæ quidem prauitatem in ea ſua quadam efficit ratione, conſequens eſt, vt anima nihil habeat boni. Iam igitur neq; habebit vitam, etiam dum eſt anima. Quòd ſi vita caruerit, anima erit inanimis: itaq; etiam dum anima erit, non erit anima. habet igitur ſua ratione vitã. Quamobrem priuationem boni ex ſeipſa non habet. Eſt igitur boniformis, vt pote quæ bonum aliquod habeat veſtigium intellectus. neq; ex ſeipſa malum. neq; igitur primò malum eſt. neq; rurſus quod eſt primò malum, eſt animæ accidens, quippe cum ab ea non abſit omne bonum.

Vtrum ipſum malum non ſit purum malum, ſitq; in anima. Reſpondetur, eſſe purum: neq; in anima. Cap. XII.

QVid ergo ſiquis non vniuerſam priuationẽ boni, prauitatẽ, malũq; in anima, ſed quãdam boni priuationẽ eſſe dixerit? Profectò ſi itaſe res habeat partim quidẽ habens, partim verò carẽs miſtum habebit ſenſum, neq; purũ malum

A lum,atq; ita nondum primũ,purumq; malũ nobis erit inuetũ. Et bonũ quidem animæ in ipſa ſui erit eſſentia: malum verò accidens quoddam eſſe cenſebitur.

Vtrum ipſum malum ſit impedimentum in anima. Reſpondetur extra animam eſſe primum malum, & primum bonum: & animam per quatuor gradus deſcendere in malum ſcilicet materiam. Cap. XIII.

NIſi fortè malum huic impedimentum eſſe dicatur, quemadmodum oculo ad videndum. Quod ſi ita ſit, certè malum eius cauſa erit mali, atq; ita cauſa, quaſi aliud quiddam ſit ipſum malum. Si igitur vitium impedimẽtum animæ ſit, certè vitium non malum ipſum erit, ſed cauſa mali. etenim virtus non eſt bonum, ſed velut conferens. Quòd ſi virtus non eſt bonum, neq; vitium, ergo malum. proinde virtus neq; eſt ipſum pulchrum, neq; ipſum bonum: ſimiliter ergo neque vitium eſt ipſum turpe, aut ipſum malum. Diximus verò virtutem nõ eſſe ipſum pulchrum, neque bonum ipſum: quoniam ante eam, & ſuper eam extat ipſum pulchrũ, ipſumq; bonum. Iccirco participatione quadam virtus bonum, pulchrumq; cenſetur. Quemmadmodum igitur animo à virtute ſuperius aſcendenti ipſum pulchrum, bonumq; occurrit: ſic & à prauitate inferius deſcẽ-
B denti malum ipſum ſit obuium, dum videlicet à prauitate facit exordium, atque inde iam intuetur malum, ſi quis modò eſſe poteſt mali ipſius intuitus. Deniq; cum iam deſcenderit, ſubit malum: proruit verò penitus in ipſam diſſimilitudinis regionem, vbi merſus in eam iam in cœnum tenebroſum dicitur corruiſſe. quandoquidem ſi anima in vniuerſam omnino corruat prauitatem, non amplius prauitatem habebit, ſed naturam aliam ſubibit deteriorem. Prauitas enim adhuc humanum quiddam eſt, cuidam permiſta contrario. Moritur ergo vitioſus homo ea videlicet conditione, qua mori poteſt anima. Mors autem animæ eſt, & dum corpore mergitur, in materiam labi ipſaq; repleri, et poſtquam depoſuit corpus, eodem luto reuolui, donec tandem ad ſuperiora reccurrat, atque à cœno ſurſum tollat aſpectum: alioquin hoc ipſum fuerit, quod dicitur, animam delapſam ad inferos dormitare.

Quomodo malum in anima ſit debilitas, & qualis debilitas, & quomodo à materia. Quomodo anima corpori coniuncta ſit, quomodo ſeparata. Quomodo materia dependet ab anima, & quomodo etiam deſuper. Cap. XIIII.

C DIxerit fortè quiſpiam prauitatem eſſe debilitatem animæ: Malam namque animam facilè admodum & à quolibet pati atque moueri, & in malum omne transferri, ad libidines pronam, præcipitem ad iras atque inducias, leuiſsimis imaginationis indicijs inconſideratè cedentem, non aliter quàm quæ vel natura, vel arte facta ſunt debiliſsima. Hæc enim à ventis, turbinibusq; facilè corrumpuntur. Operæpretium verò eſt ab eo qui ita dixerit ſciſcitari, quænam & vnde animæ ſit imbecillitas. Neque enim qualis in corporibus, talis omnino eſt in anima imbecillitas, ſed quemadmodũ ibi debilitas eſt, non valere opus proprium exequi, ac etiam facillimè pati: ita fermè & hîc ſimilitudo quædam proportionis appellationem debilitatis induxit, niſi fortè materia eadem cauſa debilitatis ſit utriusque. Verùm ratione propius accedendum, perſcrutandumq́ue, quænam huius cauſa ſit, quòd in anima infirmitatis nomen accepit. Neque enim natura quædam vel denſa, vel rara, vel extenuata, vel pinguis, vel morbus aliquis, velut febris infirmam reddit animam. Præterea neceſſe eſt eiuſmodi debilitatem animæ vel in animabus à materia penitus ſegregatis, vel in coniunctis eſſe vel in vtriſque. At ſi in ſegre-

D gatis non eſt debilitas, puræ namq; ſunt omnes, & (vt dicitur) alatæ atque perfectæ, actionemq; ſuam peragunt expeditam. Reliquum eſt in animabus, quæ ceciderunt eſſe debilitatem: ſiquidem nec puræ ſunt, nec expiatæ. Harum verò debilitas non eſt alicuius ablatio, ſed alieni præſentia: velut pituitæ, aut bilis in corpore. Proinde ſi cauſam, ob quam anima cadit planè rectèque comprehendamus, compertum iam nobis erit quod quærimus. quæ videlicet ſit debilitas animæ. Eſt ſanè in ordine rerum materia, eſt & anima: ac veluti vtriusque locus vnus. Non enim ſeorſum eſt materiæ locus, ſeorſum inſuper locus animæ: perinde ac ſi materiæ locus ſit in terra, animæ autem in aere. Sed locus animæ qui dicitur à materia ſeparatus, ſignificat non eſſe animam in materia. Hoc autem indicat eam materiæ non vniri. Id rurſus oſtendit non fieri vnum quiddam ex anima ſimul, atque materia. Hoc denique innuit, non eſſe animam in materi quaſi ſubiecto: atque id ipſum eſt, qnod dicitur animam eſſe à materia ſeparatam. Vires autem animæ multæ ſunt: Habet enim principium anima in ſe, mediaq; iterum, & poſtrema. Materia verò præſens affectat, & quaſi procax effligitat, intro cupiens penetrare: at locus totus eſt ſacer: nihilque eſt expers animæ. Illuſtratur ergo materia ſeſe illi ſubijciens: neque tamen id à quo illuſtratur comprehẽdere valet. Illud enim eam quamuis preſentem minimè ſuſtinet: quo-
1 niam neque etiam videt ob prauitatem. Illuſtrationem verò, lumenque inde proueniens materia obſcurat permiſtione, redditq; debile: quippe cum ipſa generationem adhibeat, occaſionemq;, vt in ipſam fiat introitus. Nunquam enim accederet anima, niſi præſente materia. Atque id eſt animæ caſus, in materiam ita labi, debilemque euadere. Quoniam non omnes animæ vires ad agendum adſunt, cum materia adeſſe prohibeat: propterea quod locum quem continet ipſa, comprehendit, & quaſi contrahi eam efficit. Quod autẽ inde ſurripit quaſi furto, reddit malum, donec illinc valeat aufugere. Materia igitur & debilitatis, & prauitatis animæ cauſa eſt. Quare ipſa prius eſt mala, primumque malum. Etenim ſi anima ipſa materiam genuit patiens, ſiue præſens, ac ſi communicauit cum ipſa, euaſitque mala, certè materia in cauſa eſt præſentia ſua: neque enim anima acceſsiſſet ad eam niſi generationem eius præſentia adſumpſiſſet.

Probatur materiam eſſe, ſcilicet prorſus informem. Item eſſe in mundo malum, eſſe bonum: quomodo malum fiat in anima: quomodo materia intus mala: ſed extra eſt adoperta bono. Cap. XV.

E SI quis autem materiam eſſe negauerit, monſtrandum erit illi ex diſputationibus de materia tractantibus, quàm neceſſariũ ſit eſſe materiam. multa enim illic in hanc ſententiam adducũtur. Præterea ſiquis malum in ordine rerum eſſe omnno negauerit, bonum quoq; tollere compelletur: & quicquid uſquam eſt appetẽdum, ipſumque appetitum, item declinationem, atque rurſus intelligentiam. Appetitus enim boni eſt: declinatio verò mali. Intelligentia denique & prudentia boni ſimul eſt, atque mali: ipſaque in bonorum numero collocatur. Oportet igitur eſſe bonum: rurſusque bonum purum: necnon miſtum ex bono atq; malo. Item quod plus mali participat, ad id iam declinare, quod eſt totum malum: quod verò minus habet mali, hoc ipſum quod minus habet, ad bonum ſpectare. Iam verò quidnam animæ malum erit: & cui nam animæ, niſi naturã attingat deteriorẽ: Alioquin neq; cupiditates, neq; dolores, neq; irę, neq; timores exorirentur. Etenim timentes compoſito metuunt, ne ſoluatur. Rurſusque dolores, & cruciatus vbi compoſitum diſſoluitur, oriuntur. Præterea concupiſcentiæ inholeſcunt, ubi aliquid compoſitionem ipſam diſturbat: vel ne quid perturbet, inſurgunt, quaſi remedio conſulentes. Phantaſia verò impulſio que-

A dam eſt viuentis irrationalis ab externis illata: ſuſcipit autem impulſionem per ipſum quod non eſt impartibile. Opiniones denique falſæ animæ extra ipſum verum poſitæ accidunt. Extra verò ponitur, eo quòd non eſt pura. At verò inſtinctus ad intellectum vergens aliud quiddam eſt. Oportet enim intellectui duntaxat hærere, atque animam in eo locatam firmiter permanere, neque ad id vnquam quod eſt deterius declinare. Malum verò non ſolùm malum eſt, ob ipſam boni potentiam, atque naturam: quoniam ocurrit ex neceſsitate pulchris quibusdam vinculis comprehenſum atque opertum, inſtar eorum qui catenis aureis vinciuntur: ne palam in conſpectum deorum prodeat, neve homines nudũ malum ſemper antè oculos habeant: etſi quando quoquomodo videant, tunc pulchris ipſius boni ſimulachris in boni memoriam reuocentur.

B

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM ENNEADIS PRIMÆ NONVM.

TRVM quandoq; liceat animã ui à corpore ſoluere nec ne: quidam inter ſe Platonici litigant: & utrinque pro cauſa ſua patronos adducunt Platonem atque Plotinum. præcipuè uerò duo, Olympiodorus atque Macrobius diſſidere uidentur. Macrobij quidem parti fauent argumentationes quædam Socratis in Phedone: pluresq; Plotini. Argumentatio Socratis auctoritate potiſſimum Orphica nititur. Orpheus ſub uniuerſali prouidentia Iouis: ideſt, animæ mundanæ Dionisij collocat prouidentiam, ideſt, naturam: cui Titanes, ideſt, Dæmones ſubminiſtrent: qui perſuaſi à Iunone, ideſt, proceſsionis generationisq; cura laniare Dionyſium finguntur: quia commue illius in cunctis æquè gignendis & mouendis officium differentes, inter ſe partiuntur in ſortes, rerumq; ſpecies ad ſingula generando deducunt. Fingit præterea Orpheus Titanas quia laniatum Dionyſium deuorauerint, fulminatos: ideſt, à Ioue ad alta conuerſos, atque
C homines ex illorum incendio genitos: ideſt, eorum diuino myniſterio procreatos. Et quia homines geniti ſint ex Titanibus, qui Dionysij corpore nutriti fuerant: ideo eos nominat Dionyſiacos, quaſi quædam Dionysij membra ſint ex Titanibus germinantibus inde repululantia: adeo ut & corpus humanum ſit pars Dionyſiaci. ideſt, mundani corporis: & humana natura uitaq; ſit portio quædam naturæ, uitæq; illius. Et ſiquid in nobis propriæ formæ ineſt, muneriſq; proprij, quod & prorſus exiſtur, debeat obtemperare communi. Quamobrem Dionysij, ideſt uniuerſalis naturæ prouidẽtia cuſtoditi, debemus in hac cuſtodia permanere: neque antequam Deus iubeat hinc abire: item ſeruare, quod accepimus inde, quatenus accepimus conſeruandum: neque diſſoluere, quod Deus ipſe ligauit: neque uim ipſi Dei membris inferre. Hanc Orphicam ſententiam Socrates in Phedone primò quidem adducit, deinde Philolai pythagorici auctoritate confirmat. ait enim Philolaus: Ne diuidas in uia lignum, ideſt, ne diuidas corpus ab anima in ipſo uitæ ſpatio uiam adhuc ad finem habente. Rurſum cùm in ſacrum perueneris, ne ſpectes à tergo: ideſt, uitam ſummum contemplationis iam adeptam ne iterum ad inferiora deflectas. In primo quidem præcepto iubet, ut quemadmodũ natura corpus animæ alligauit, ita permittas naturæ ſoluendũ corpus ab anima. In ſecundo uerò præcipit: ut ſicut uoluntas noſtra ligauit intentionem animæ corpori, ita intentionem hanc uoluntas ſoluat à corpore, & ſoluãt ſemel non permittat ulterius alligari: Hæc autem Pythagorica, Platonicaq; myſteria Plotinus ſequitur, primam clauſulam texens carmine Zoroaſtris, atque ita confirmat: Anima tanquã diuina debet diuinorum more dignitatem quidem propriam retinere: atq;

D interea nulla inuidia,uel perturbatione alia prohibere,quo minus quod ei ſubeſt, ideſt,corpus nõ nihil ab ipſa muneris,ideſt,uitæ aliquid utcunque poteſt, accipiat. Anima igitur in ſe ipſa permaneat,nec ulla unquam perturbatione ſocium ſuum corpus à ſe diſiungat. nam eadem perturbatione mox uel circa corpus idem,uel circa ſimile quiddam reuolueretur. quoniam & motus ipſe trahit ad corpora, & perturbatus motus ad corpora inferiora præcipitat. At ſi anima ſecum pro uiribus habitet, nec interea inuideat qualemcunque corpori uitam, expectetq; donec ipſum corpus defectu duntaxat proprio uitam amplius acceptam conſeruare non poſsit,ipſa profectò nullo in ſe diſtracta motu,nulloq; inferius impetu rapta in ſe ipſa penitus extra corpus exabit, non amplius de corpore hoc in illud oberrans, ſed de animali in intellectualem iam translata naturam. Interrogat poſt hæc Plotinus,qnomodo corpus deſciſcat ab anima? Reſpondet hunc in modum: Quando corpus certam quandam amittit proportionem, per quam ſub anima uitam ſibi conciliabat, tunc ab anima deficit:ſicut lignum aliquod ſolidum,uirideq; cui ex ſpeculo concauo ad ſolis radios flamma quædam per oleum adhibita fuerat: interdũ oleo iam conſumpto,mox amittit & flãmam: lumen uerò ſolis ſicut anima remanet in ſe ipſo. Vniuerſalis profectò natura in ſeminalem hominis generandi materiam uniuerſalis cauſæ more magis prius diutius agit, quàm particularis hæc humana natura. Natura enim hæc propria ſcilicet uirtus humana agit in ipſa communis naturæ uirtute. Ac natura uiciſsim uniuerſalis ad humani corporis huius proprietatem à propria hominis natura dirigitur. In fœtu igitur huius hominis naſcituri natura uniuerſalis per propriam parentum directa naturam agitat materiam ſeminalem,atque format. Proportione quadam humorum,& qualiE tatum uitaliq; ui afficiens:per quam uelut eſcam fœtus uitam quandã ab anima rationali iam præſente ſibi conciliat: per quæ uim eandem retinet,& eandem. Retinere autem poſſe ad certum ſpatium fermè eſt ab initio datum:quatenus uidelicet uis illa conciliatrix uiget in corpore. Quæ quidem iccirco ab uniuerſali natura inſerta eſt, ut ad hunc temporis curſum congruum uniuerſo,uita illic hominis prorogetur. Si quis interea uirtute hac per ſe ulterius regnatura, ſeruaturaq; adhuc in corpore uitam, uinculum hoc uiolenter abrumpit,quantum in ſe eſt, conſilium uniuerſalis naturæ fruſtratur dum medium naturæ intercipit curſum,certo quodam ordine ulterius percurſuræ. Peccat igitur in Dionyſium Deum,ideſt,in ipſum uniuerſi naturam: & in Iouem mundi animam communem ſcilicet communis naturæ rectorem: peccat & in Saturnum,ideſt,diuinam mentem, quæ animum noſtrum iubet eſſe tranquillum. hic uerò contrà perturbatione aliqua concitus ſæuit in corpus: uel ſaltem dum circa miniſterium eiuſmodi occupatur,à ſimplici & excelſa contemplatione dẽ ſtrahitur: peccat rurſus in Cælium Saturni patrem, ideſt, in ipſum bonum: dum corpori ſibi commendato corporeum inuidet bonum: peccat denique in ſe ipſum, tum quoniam animal hoc anima fabricauerat, ac ſubinde hanc ſuam fabricam diruit, nondum proprio uitio ruituram: tum quia longo nobis tempore opus eſt ad expurgandas ab animo uitiorum maculas à teneris annis in uſtas,ut purus decedat à corpore, purumq; ſic deinde uitæ ſtatum adipiſcatur. Nemo itaque debet ſpatium ſibimet adimere:quo purgare animum,& probare magis, magisq; poſsit,moraliq; uirture & diſciplina proficere. Tradunt enim antiqui Theologi in arcanis de animæ reditu,animos in F hac uita peccantes eorum eſſe perſimiles, qui ſuper ſolum æquale ceciderint: quibus denuo abſque difficultate præſto datur ſurgendi facultas: animos autem qui ex hac uita delictorum ſordibus grauati receſſerint, his potius comparandos,qui in abruptum ex alto, præcipitiq; delapſi, facultate careant reſurgendi. Monent itaque conceſsis uitæ ſpatijs uti, ne deſit perfectæ purgationis occaſio. His ergo Platonis, Plotiniq; rationibus Macrobius perſuaſus,ſic utriusque mentem interpretatur, ut nulla conditione cuiquam conceſſuri ſint ſibimet manus inferre: idem Porphyrius in lib. de Abſtinentia ſentire uidetur: eaſdem Olympiodorus rationes intelligit atque comprobat: ſed ex eorundem uerbis & hic & alibi uult id aliquando poſſe permitti. Ad id uerò conuincendum adducit in medium uerba quædam Socratis in Phedone. Primùm quidem quod inquit: Philoſophus uim ſibi fortè non inferet. ubi hoc ipſum fortè dixit,ſuſpicionem reliquiſſe uidetur. id quandoque licere. Deinde quod ſubiunxit hunc in modum: Philoſophi non debent ſibi mortem conſciſcere, niſi Deus ingentem neceſsitatem inuexerit qualem mihi in præſentia intulit. Quaſi dicat: Philoſophus in ſimili quadam conſtitutus neceſsitate iure ſe inde obitu poteſt eximere. Adducit rurſus Platonis teſtimonium in Repub. ubi permittere uidetur hominẽ diuturno incurabiliq; morbo prorſus oppreſſo ſe hinc abſoluere: propterea quòd ſit inutilis ciuitati. Oportere enim ciues ait, non ſibi, ſed ciuitati uiuere. Item ſubiungit Platonis in Legibus teſtimonium dicentis: hominem inſanabili ſcelere comprehenſum,uelut libidine in matrem, uel concupiſcentia ſacrilegij, uel impetu ſimili,quem uideat cohibere non poſſe,decere ſe ipſum hinc è medio tollere. Similiter nonnulla Plotini uerba Olympiodorus accepiſſe uidetur: Primùm quidem ubi ait Plotinus: Si quis inſaniam perſenſerit imminentẽ

elige

A eliget tunc hoc ipſum non tanquã per ſe expetendum, ſed hac conditione neceſſaria eligendum. Hoc ipſum Olympiodorus accepiſſe uidetur, quaſi dicat, animum hinc abigere potius, quàm cum in ſania uiuere: qua quidem perſeuerante, neque uiuat homo, ſed brutum: neque ulla proficiendi detur occaſio. Confirmabit hæc inſuper aliquis per id quod Plotinus ait in libro de Beatitudine hunc in modum: Si uir felix captiuus fortè ducatur, parata uia eſt ad exitum: ſi non, datur ibi felicem uiuere. Poterit ad hæc ita Macrobius reſpondere: principiò quidem Platonem ea dictione fortè (ut ſolet) modeſtiæ gratia uſum: deinde quod ait niſi neceſsitatem deus inuexerit: tunc dicet licere Philopho non necare ſe ipſum, ſed è pluribus cædis conditionibus in ſua optione poſitis, quam malit eligere. Prȩterea Platonis uerba in Republica & Legibus ſic exponet: ut Plato non tam ſui cuipiã cædem permittere uelit, quàm & ad ingentem charitatem patriæ prouocare, & ab impio ſcelere acriter reuocare. Plotini quoque uerba ſic accipiet, ut in libro de Beatitudine ſoluat felicem hominem è compedibus, mentem potius à ſenſibus ſeuocando, quàm à corpore uitam. Denique quod hoc in libro ait, tanquam neceſſarium eligendum, exponet aliquis ſcilicet inſaniam perpeti, tanquam rem neceſſariò perferendam, potius quàm uim inferre naturæ. Confirmabitur hæc ſententia rurſus Plotini uerbis in fine diſputationis contra Gnoſticos: ubi prohibet, ante naturale tempus hinc exire. Afferet contra hæc rurſum Olympiodorus extorqueri ſic nimium Platonis, Plotiniq; uerba: imo uerò decere pro ſalute patriæ, pro honeſtate, pro ueritate ſeruanda certam ſubire mortem, uel propria manu. Item inedia quandoque animam à corpore ſegregare potius, quàm permittere ut per inſaniam diuturnam, morbumq; penitus inſanabilem inutiliter, imò cum detrimento ſui, cæterorũq; & procul ab omni rationis officio uiuat. Sic enim quamuis aliquis inferioris naturæ ordinem non ſequatur, ſuperioris tamen ordinem ſecuturum, ſemper autem imperfectiori perfectius: & id quidem non impetu, ſed conſilio præferendum. Hæc illi ultro citroq; afferunt, & adhuc ſub iudice lis eſt.

B

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER NONVS DE EDVCTIONE ANIMÆ A CORPORE.

C NEMO extrudat per uim è corpore animam: ne fortè exeat in locum ſimilem migratura; alioquin exibit corpori nõnihil deferens, quo per ſimilia emigrabit. Emigrare enim eſt à loco in locum alium pertranſire. ſed expectare debet quoad corpus totum ab anima ipſa deficiat. Quando tranſmigratione non indiget anima, ſed extra eſt omnino, quo igitur pacto corpus ab anima deficit? quando uidelicet, nulla uis animæ amplius in ipſo ligatur. quippe cum corpus iam ipſam ligare non poſsit, perdita uidelicet harmonia, quam olim habens, habebat & animam. Quid ergo, ſi quis det operam, ut corpus diſſoluatur ab anima? uerùm ſic uim inferret: neque corpus tunc dimitteret animam, ſed ipſum anima deſtitueret. Accedit ad hæc quod quando quis diſſoluit corpus, non eſt à paſsione liber, ſed vel anguſtia, vel dolore, vel ira compellitur. Nihil verò eiuſmodi eſt agendum. At ſi inſania quis perſenſerit imminentem, quidnam aget? Fortè verò id probo non accidet. quod ſi acciderit, reponendũ erit in eorum genere, quæ neceſſaria nuncupantur: atque ob ea quæ circunſtãt, non autem ſimpliciter eligenda. Etenim venenorum excogitatio ad exitum animæ compellentium, fortè non expedit animæ. Atqui & ſi fatale tempus uni-

D cuique datum eſt, ante ipſum haud feliciter id fiet, niſi (vt dixímus) id tanquam neceſſarium habeatur. Si denique qualis quisque exit, talem ibi quoque retinet ordinem, non eſt è corpore animus extrahendus, cùm adhuc proficiendi eſſe poſsit acceſſus.

ARGVMENTVM MARSIL. FICINI IN LIBRVM DE CÆLO.

SVMMA TOTIVS LIBRI.

E DISPVTATIO Plotini de cælo octo habet capita. In primo quidem & ſecundo dubitationes nonnullas mouet, & interim adducit quædam ſoluendis quæſtionibus conferentia. In tertio dubitationes reſumens, dubia paulatim incipit enodare, ſimiliterq; in cæteris, ſummatimqúe concludit ex omnibus cælum eſſe ignem, & hunc quidem purum atque ſolum: cuius forma ſenſibilis ſit. Primò quidem lumen, deinde uerò calor innoxius & uitalis: ſed geminam hanc formam uult ab inſenſibili proficiſci eiusdem cæli formam: calorẽ quidem à uita, lumen ab intellectu eſſe huius ſubſtantiam ſempiternam, motumq; perpetuum. Immortalitatis huius cauſam eſſe uult uitam illam intellectualem, ideſt, animam eius à diuinitate nũquam digredientem. Ipſam uerò corpoream cæli naturam, quamuis non ſit immortalitatis propriè cauſa, tamen accõmodatione quadam ad perſeuerantiam conferre perpetuam, dum conſeruãti ſemper cauſæ, aptè, oportunè, libenter obtemperat. Hæc hactenus totius libri ſit ſumma.

Mundus quoniam eſt corporeus, neque ex ſe eſt, neque per ſe ſempiternus, ſed per cauſam penitus incorpoream

PRincipio igitur mirari uidetur, quo pacto mundus cùm ſit corpus eſſe ualeat ſempiternus: quæ admodum ſapientes plurimi conſenſerunt. Neque enim poteſt uniuerſum corpus hoc per ſe eſſe perpetuum, quandoquidem neque per ſe eſſe poteſt: quod ſatis in Theologia probamus. Neq; facilè conuincitur, quomodo per aliam ſit cauſam ſempiternum: præſertim ſub eiusdem ſingularitate ſubſtantiæ, quod dimenſione motioneqúe ſua ulterí poteſt diuiſionem denique, mutationemqúe ſubſtantiæ ſubiturum. Vna præterea totius mundi materia eſt. Vnius enim opificis eſt opus F unum. Vnum inquam per unam materiam atque formam, & undique ſibi conſentiens, atque compatiens. Quam quidem agendi, patiendiqúe omnium inter ſe communionem unitas ipſa formæ ac materiæ conficit. Denique cum ipſa natura materiæ ſit prorſus informis, atque per formas diſtinctio fieri ſoleat, nulla uidetur ratio cum à materia uſquam materia diſtinguatur. Materia uerò quoniam infimum omnium eſt ſubiectum, omnino informæ, formarum omnium etiam inter ſe repugnantium pariter auidum, eſt perpetuò permutabilis. Quamobrem ſicut ſub luna, ſic & in cælo potentia quædam ad mutationem formæ ſemper in materia latet, cum eadem ſit ubiq; materia. Quod quidem ita conijcimus: Cum motus qui uiget in anima ſit motus primus, ideoq; ibi ſit actio: motus autem in corpore ſit ſecundus, ideoq; paſsio: nimirum paſsio hæc corpori minatur interitum præſertim quia motus in anima tanquam in re indiuidua non tendit ad diſſoluendum: in corpore uerò uelut diuiduo quodammodo tendit. Neque licet alicui more Auerrois dimenſiones in cælo ſine materia ponere. Nam ſi formæ omnium primæ, ideſt, ideales, quaſi materiale non nihil habent adiunctum, formabilem inquam mentis eſſentiam, multò magis formæ omnium infimæ, ideſt, dimenſiones materiale aliquid, imò prorſus materiale ubique ſecum habent. Ac ſi formæ ſubſtantiales in ſubiecto ponuntur, multò magis indiget ſubiecto dimenſio: quæ potius accidentalis eſt ac prorſus inefficax. Iam uerò neq; forma quælibet corporalis eſt aliud, quàm materiæ paſsio, dum materia hæc afficitur aliunde. neque dimenſio rurſus aliud, quàm materiæ ipſius extenſio, dum ab eodem extenditur, à quo formatur, ut diſtinctius, uberiusq; formari queat. Eſt igitur fundamentũ mundi materia ſimul, atque dimenſio: à materia quidem mutabile, à dimenſione diuiduum, ab utroque inefficax & paſsuum, neceſſariòq; aliunde dependens. Mundus igitur non eſt facultate ſui corporis

A poris propria ſempiternus,ſed tum ab anima velut à cauſa immortalitatis intrinſeca, tum à uolun
tate diuina uelut ab extrinſeco principio atque fine.Si in Deo conſideratur natura eius in actu ſem
per eodē exiſtens,ac penitus immutabilis,mundus uidetur inde fuiſſe ſemper & fore. Hinc Mercu-
rius,& Plotinus quia diuinorum eſſe ſit idem,atque agere,& actionem illam ſtatim ſequatur effe-
ctus,mundum omnino iudicant ſempiternum.Sin autem conſideratur libera in Deo uoluntas,at-
que hæc mundi principium iudicatur,quod Mercurius, Plato, Plotinus exiſtimant, videtur mun-
dus à Deo nouus ſine nouitate diuinæ naturæ,ſine uoluntate noua fieri poſſe. Sic ergo Plutarchus,
& Seuerus,& Atticus nouum mundum exiſtimant,hoc ſenſu Timæi Locri dictum accipientes. vbi
ait: Deus animam mundi creauit,ſuo corpore priorem tum poteſtate,tum tempore: Vnde Plato e-
tiã in Timæo dicit: animam mundi, corpore ſuo priorem,tum uirtute tum,generatione creatam.
Quanquam hæc Timæi Platonisq; uerba Plotinus, & Porphyrius, Proculusq;, & alij ſic exponunt:
vt tempus,& generatio quibus anima præcedit corpus non ſit extrinſecum interuallum:ſed ut ſuc
ceſsio quædam in anima in ipſa formarum diſcurſione antecedat origine mundi motum: vt hic ſit
motus ab illo,atque ille ſit ſeculum ſeculorum. Mitto nunc opinionem Heracliti, quodlibet mun-
di corpus etiam ſpherarum, ſtellarumq; effluere ſemper atque refluere:ideoq; uel deſinere,uel perpe
tuò renouari: quod & Plato tetigit, vbi mundum ait,fieri quidem ſemper,eſſe nunquam:& Ploti
nus hic,& Proculus in Timæo:quod & Plethon non negat eſſe probabile,nosq; idem in theologia
fieri poſſe probamus. Quod ſi ita uniuerſum mundi corpus fluat ſemper,& refluat,animæ uerò ſub
ſtantia maneat,non imeritò ſic quoque anima tempore,generationeq; prior erit nouo quolibet
B mundi corpore, ſi mundus ſemper fiat ex uetere nouus. Hinc fortè Propheta, & Euangeliſta dicit:
Vidi cælum nouum,& terram nouam. Item Euangeliſta:mundus quidem tranſit. Sed redeamus iã
ad *Plotinum*. Cum eadem ſit in cælo quæ & ſub cælo materia,quærit Plotinus utrum cæleſtia ſi-
cut & alia permutentur,ac ſpecies quidem ſpheræ,ſtellæq; cuiuslibet ſemper maneat,dum ſingula
ris cuiusque natura permutetur paulatim,& quodammodo renouetur, quaſi ſicut accidit infra lu-
nam? Adhæc ſi quis reſpondeat,uniuerſum ob id eſſe perpetuum, quod neque ex eo quicquam ef-
fluere,neque influere poſſit,cùm omnia complectatur:is quare ſpheræ quælibet,& ſtellæ ſempiter-
næ ſint nondum ſatis inuenerit:non enim ſphera, & ſtella quælibet omnia continet:ſed neque etiam
ſufficientem æternitatem toti mundo tradiderit. Poterit enim forſan adhuc mundus,& ſi non ex-
tra, tamen intra ſe adeò commutari,vt quaſi animalium noſtrorum more,ſingularem ſæpe ſubſtã-
tiam mutet:dum tamen ſpeciei ſuæ naturam retineat ſempiternam. Denique dubitatio reſtat: vtrũ
uel totum hoc,uel ſaltem cæleſte aliquid ſit ſempiternum:& quã ob cauſam: & cur in cælo ſpecies
ſimul,& individuum,ſub cælo autem duntaxat ſpecies ipſa maneat,dum ſingula permutantur.

Anima quidem cauſa eſt,ut cælum ſit immortale:cælum uerò ad hoc animæ non repugnat. Cap. II

IN ſecundo itaque capite dubitat idem innuens ubique mundanum nihil ſuapte natura perpe-
tuum poſſe manere:ut memineris omnia hæc aliunde fieri,atque ſeruari. Quod autẽ Peripate-
tici dicunt,ſempiternum eſſe cœlum,quia ſit quintum corpus præter quatuor elementa, hic præte-
C rit negligenter. Eo enim ipſo quod corpus eſt,cùm neque per ſeipſum ſimpliciter ſit,certè neque eſt
per ſeipſum ſemper:præſertim cum ſua ſit natura diuiduum,atque mutabile. Denique ſignificat im
mortalis uitæ cauſam eſſe cælo animam ipſam,quæ & ſimpliciter eſt uitæ cauſa: ſed ad immorta-
lem uitam & ſi non efficiendam, ſaltem ſuſcipiendam cæleſte corpus & uniuerſum eſſe natura aliter
præparatum: aut ſaltem quò minus accipiat minimè repugnare.

Cauſæ quibus mundus ſit ſempiternus: atque alementorum quatuor diſtributio Cap. III

SEd in tertio quærit,quomodo corpus hoc conducat ad ſtatum,quod naturaliter inclinatur ad
motum? Reſpondet autẽ:quia non extra pxofluit,ſed refluit intro. Iccirco perpetuæ in cluſmo
di motu perſeuerantiæ non repugnare quidem,imò conducere. Quòd ſi quodlibet animal quam-
diu uiuit,dicitur eſſe idem,propterea quod ſub eadem anima fermè ſimilis natura & figura ſerua-
tur,quamuis inde quotidie fiat effluxus, multò magis & mundus permanere idem in ſubſtantia di
u poteſt, quamdiu ſub eadem anima figura eadem perſeuerat, cum nihil profluat extra: etiam ſi-
quis fingat in qualibet mundi parte effluxu uicisim,atque refluxu ſubſtantiam propriam commu-
tandum uidelicet neque quicquam extra totum fluit,neque influit aliunde. ſic ergo totum mundi
corpus ad ſempiternam perſeuerantiam conferre uidetur. Videntur ad eandem partes quoque con
ducere. Nam ipſe etiam elementorum ſphæræ mole ſua ſaltem permanent & figura. Conducunt ad

D idem quatuor ipſæ elementorum ſedes ſingulæ ſeorſum in mundo diſpoſitæ, ad quas natura duce diffugiunt: adeo ut elementa, quamuis contraria, tamen ita ſecreta nunquam inuicem ſe diſperdãt, atque confundant. Eſſe uerò quatuor elementa mundi: & ignem purum eſſe cælum, & qualis ibi ſit ignis, in compẽdio Timæi, & in Theologia libro quarto, & iterum quartodecimo abundè tractamus. Cum igitur ignis plurimis à terra qualitatibus diſtet, meritò ab eadem diſtat loco quamplurimùm. Sicut igitur in ſphera mundi, terra in medium cogitur, ſic in ambitum totius extimũ ignis extenditur. Ac ſi terra eſt ſemper ſtabilis, ille profectò maximè diſtans ſemper eſt mobilis: nullus autem in rectum motus ſempiternus eſt. Ignis ergo natura ſua mobilis eſt ſemper in orbem: denique ſi igni propria ſunt maxima à terra diſtantia, & perpetuus circuitus atque lumen eſt proculd ubio cælum. Proinde ſicut ipſa mundi natura, uirtusq; ſub cauſa quadam ſuperiore terminata eſt, ſic & amplitudo eius, atque figura: quæ ab inuiſibili mentis, & animę circulo coacta ſimiliter eſt in circulum. Sic & figura ſibimet æqualior, & ſimilior eſt, item capacior, aptiorq; ad motum. Ignis igitur dum uidetur aſcendere, imò dum ſeipſum undique à medio porrigit, cogitur alicubi ſurſùm, ideſt, per ambitum ſiſtere gradum, ibiq; in circum protendi, atque reuolui: ut figura, motuque referat cauſæ ſuæ circuitum. Figura quidem circuitum in eſſentia cauſæ conſiſtentem: motu uerò circuitum in cauſę actione peractum. Conducit autem ignis ad mundi ambitus faciendos propter naturam eius amplificabilem: facultate uerò amplificabilem ſibi uendicat uis ignis admodum efficax, naturaliter rara, lucida, mobilis à reſiſtente, & cohibente ſolidirate admodum aliena. Soliditas uerò maxi-
E ma, quæ terræ propria eſt, amplificationi obſtat quammaximè. Vnde terra confert ad mudi mediũ faciendum: aer uerò, & aqua tanquam per naturam media medium compleuerunt. Nemo uerò diffidat, ignẽ, quia maximè cedat, ideoque pati facillimè uideatur, conficere cælum paſsionibus nullis obnoxium. Quod enim agilitate mirabili cedere uidetur ad ſummum, dum diuidi uidetur, penetrat, atque diuidit: & omnem ictum protinus aufugit. Memento denique, diuinam mentem formas in opere ſuo plurimas uoluiſſe: tum quia & ipſa eſt omniformis, tum uerò ut ex multis, non materijs dico, ſed formis opus unum maximè formale ſummatim conficeretur: uoluiſſe in hæc formas longè inter ſe natura diſtantes, ut ex earum conflatione uarij admodum formalesq; rerum gradus in longo ſpatio coaleſcerent. Cogita igitur hæc, tum raritate, tum qualitate inter ſe diuerſa ſimul ab initio facta. Hæc ergo repentè ſe fugant inuicem, atque fugiunt. Tunc ſubtiliſsima quæque prius, citiusq; effugiunt: tum quia ad motum, penetrationemq; agiliora ſunt, tum quia liquidiora ſuper ſolidiora commodius poſſunt enatare, quam contrà. Sic rerum protinus eſt facta diſtinctio, conſilio uidelicet auctoris obediente materia. Sed interim ſpiritalis ſubtiliorum portio intra denſiſsima quæque eſt ubique ſeruata, non tam denſitudine cohercente, quàm ipſa totius anima ſuum ubique ſpiritum continente, animabusq; cæteris ad idem ſpirationis officium conſpirantibus.

Cælum eſt ſpiritus, & flatus, & uerbum animæ mundanæ: atque eſt ubique quamuis occultum.

F LAtius hic nos ſpiritus eiuſmodi prouehit. Principiò cæleſtis anima nõ coniungitur cælo quaſi iam facto, ſed ipſa potius fœcunditate ſua, quæ & ſuperior eſt, & proxima cælo adhuc inde futuro, parit ubiq; cælum, dum ipſa tanquam maximè uiuens ſpirat ubique. Sed quidnam ſpirat? Vitalem ſcilicet flatum, atque ſenſualem: non qui neceſſariò ſentiatur ab alijs, ſed quo ipſa tum uiuificet, tum ſentiat alia. Flatus eiuſmodi quoniam prodit ex anima, imitatur & uirtutem animæ penetrantem, quatenus ipſe penetrans uniuerſum, omnibus eſt infuſus. Hinc illud: Spiritus intus alit. Imitatur rurſus & uirtutem animæ continentem, quatenus ipſe ſuo quodam (ut ita loquar) uiſco, uelut oleum ſuper alia natat & ambit. Huc forſã tendit & illud: Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, uel incumbabat aquis, fouens uidelicet materias per ſe frigidas, quæ ipſo uitaliter quamuis occultè calent: atque hinc calefaciendi uim ſortiuntur quamuis occultam. Hoc flatu, hoc animæ primæ uerbo (quantum Platonicè loqui licet) factum eſt cælum, imò eiuſmodi ſpiritus eſt ipſum cælum. Spiritus, ideſt, ignis, tantò ſaltem noſtro hoc igne ſubtilior, atque efficacior, quantò noſter ignis acutior & ualentior aere: Spiritus hic quaſi uiſus quidam eſt, tactusq; naturæ, nullam habens ad uiſum, tactumq; noſtrum proportionem. Eſt & ipſius animæ uerbum iam extra prolatum. Primum enim animæ uerbum eſt in mente, ſimplex omnino: ſecundum in ratione, iam ibi diſtinctum: tertium in imaginatione, naturaq;, motum iam affectumq; accipiens: quartum in prolatione, ideſt, cælum admittens iam unà cum motu dimenſionem. Magnitudo ſiquidem uirtutis in anima in utribus eius inter ſe longè diſtantibus magnitudinem dimenſionis facit in cælo. Motio animæ facit in cælo motum. Affectus efficaciam ad effectum. Virtus quidem rationalis alias gignit formas in cælo: intellectualis autẽ claritas præſtat lumen. Eſt ergo cælum quaſi ſpiritus efflatus ex ore diuinioris animæ: ideoq; omnia uiuificans, atque nutriens. Eſt iterum quaſi oculus quidam, uiſusq; animæ, quo ſæpe

affectus

A actus animæ nobis & conſilium indicatur: cuius radijs & intuitu omnia coaleſcunt. Lumen in cælo quantum eſt in perſpicuo, intellectum animæ repræſentat, quantum in motu, lętitiam. Solum quidem lumen eſt intelligentię ipſius imago: cæteræ uerò formæ ſiue in cælo ſint, ſiue in alijs ſint per cælum, alias ideas referunt in ipſo intellectu conceptas, quæ ita per intelligentiam illic concipiuntur, & diſcernuntur, ſicut per lumen hic cæterę qualitates. Et ſicut per totum mundũ intelligibilem eſt idem actus intelligentiæ, ita per hunc totum perſpicuus quidam, lucidusq; ſpiritus illius imago, formas paſsim efficiens, atque diſcernens ſicut ille. Hinc Iulianus Platonicus ait, ex theologia Phœnicum diffuſam eſſe per uniuerſum, & omnibus inſitam uaturam quandam tralucidam, atque lucentẽ in ſe ipſa, quaſi ex diaphano & lumine temperatam, neque mixtioni unquam alienę, neque paſsionibus ullis obnoxiam: quæ ſanè ſit actus quidam puræ intelligentiæ, purus quidem, ſed quodammodo extra procedens, habeatq; inuiſibile lumen & incorporeum luminis huius uiſibilis quidem ſed incorporei cauſam. Hæc ille. Eiuſmodi fermè lumen anima mundi ſub actu mentis primæ propria mente conceptum parit in natura ſua, ibiq; cum motu copulat & affectu: atque inde quaſi ſpiritum foras efflat, & iam dimenſione protendit, neque diſpergit tamen, ſed ſuo quodam circuitu in orbem penes ſe cohibet: & quatenus ipſa ſe fundit, eatenus circunfundit, atque promit origine prima continuum quaſi ſpiritum unum ſpirantis unius. Sed aliæ animam hanc ſubinde comitantes animæ, ſua quęque ſimiliter ſpiritali uirtute ſpirantes in ſpiritum hunc iam ubique uigentem, ſingulæ ad intimi proprijq; circuitus formam redigunt & figuram. Quamobrem aliæ deinceps alibi inter ſe diſtinguntur ſpheræ: ſic fermè diſpoſitæ ſitu, ſicut ſpirantes animæ diſpoſitæ ſunt
B natura. Sed cunctæ ſemper animæ in communi perpetuaq; primæ animæ ſpiratione conſpirant: eiuſmodi uerò ſpiritales orbes, propè mundi medium anguſtia ſitus denſiores euadunt, & denſiora rurſus circa ſe generant. Et qui denſiſsimus eſt, orbi terræ reſtat infuſus. At ſi comparetur ad terram, tenuis admodum iudicabitur, & ad motum agilis, ac denſa uiuificans. Ne quæras igitur quam ob cauſam ad medium denſa deſcendant. Hæc enim ideo denſa ſunt, quoniam ab initio ſortita ſunt mediũ. Rurſus quantum rarefactio, & condenſatio in gignendis inuicem ualeat elementis conſidera, ne fortè neges, pro uaria primi ſpiritus denſitate, uaria præter ipſum elementa cõtingere. Sed interim memento, raritatem & denſitatem in rebus generandis idearum actionibus, formationibusq; ſeruire. Conclude, animalem quendam ſpiritum ſemper ab anima mundi quaſi interioris uitæ propaginẽ pullulare, ignemq; hunc eſſe, & quaſi animale lumen ipſum in dimenſiones iam porrectum, ſpiritũ actu lucidum, potentia calidum, generationis omnium ubique fomitem: cælum, inquam, non circunfuſum ſolùm, ſed etiam cunctis infuſum, cælumq; cælorum. Flatum diuinioris animæ ſub forma quadam animæ proxima, ideſt cæleſti, ideſt, ignea: hoc eſt tralucida, lucida, calida protinus euolantem, mox in aerem aliquanto diſſimiliorem animæ tumeſcentem, ſubinde in aquam terramq; compactum. His autem tribus, cæleſtem ſpiritum paſsim ineſſe effectorem omnium, atque ſeruatorem: proximum quidem flamen, & uelamen animæ, & omnium alimentum. Vbicunque igitur alia ſunt, ibidem cæleſtem ſubeſſe ſpiritum: non tamen ubicunque hic eſt, alia ſtatim adeſſe. Sic itaque cælo proximè reguntur omnia, ipſa inquam cæli ſubſtantia non ſolùm uirtute cæleſti, quæ ſuam ubique ſubſtantiam neceſſariò poſtulat. Sic etiam ſub terra quædam quaſi cæleſtia generantur. Sic ſolo calore
C uiuunt omnia, & occulto quodam calore uiuunt, quæ manifeſtus calor deſtituiſſe uidetur. Sic ubi extremum apparet frigus, ignis accenditur: & in frigidorum colliſione mutua procreatur, cælo uidelicet procreante. Similiter in quolibet animali anima continuè profert ſpiritum membris quidem cunctis infuſum, ſed alicubi etiam ſolum, alicubi uerò humoribus, alibi membris inſuper inuolutũ. Sed animæ particulares ſpiritum hunc qui uapor ſanguinis eſt, quo regunt corpus, ex ſanguine calefacto producunt: ſpiritum uerò cæleſtem rationales animæ, quo quaſi proximè ſe inuoluunt, ab ipſa cæli ſubſtantia ubique præſente ſuſcipiunt: quem Plotinus alibi confitetur accipi etiam ab anima terræ: quo & hic noſtras inuolui Ariſtotelem etiam putauiſſe teſtis eſt Plutarchus, Ioannes Grammaticus, & Proculus, atque Plethon. Ex quo patet ubique cælum eſſe, ut & totum ſingulaq; perfectè, continuataq; ſerie ac mira facilitate regantur à cælo: & animæ rationales ubicunque cæleſte corpus accipiunt, aut poſsident, in loco cæleſtibus naturali habeant, atque poſsideant. Verùm cæleſtis hic ignis, de quo ille inquit: *Igneus eſt ollis uigor, & cæleſtis origo:* quamuis cunctis infuſus, nullis tamen eſt mixtus: quando neque uiſibile lumen inde procedens alicubi commiſcetur: neque manifeſtus ignis facilè patitur mixtionem. Eſt autem cæleſtis ignis, ſolus purusq; ignis, neq; uim patiens, neque inferens: mirificè lucens, ſed ſuper aſpectum ſuauiſsimè calens ſi quo modo tangatur. Manifeſtus autem ignis, atque comburens, non ignis eſt purus, ſed ignitum potius elementum. qui ſanè quod facilius quàm alia generetur, generetq; & amplificet ſemetipſum, & longiſsimè luceat, & adhuc omnia tralucat, & naſcatur ubique, totum habet à cælo, quod uiget ubique. Hinc Theophraſtus

D integro libro ignis potentiam admiratur. Hinc forſan eſt ille ſpiritus quem Aegiptij rebus infuſum omnibus appellant naturalium genitorem. Maximè uerò qualis ſit hic ſpiritus apparebit, ſi quis finxerit, quod & fortè licet, non multas eſſe cœlorum ſpheras, ſed unicam, tum implentem omnia, tum etiam circunfuſam, quæ motum illum habeat, quem primi mobilis eſſe uolunt. Stellæ uerò omnes tum huius motu ducantur, tum etiam propria progreſsione percurrant, cedente ubique ſine ulla offenſione cœlo, ſi modo ceſsione ſit opus. Sic potiſsimum ſtellæ habere uitas proprias uidebuntur, ſi animalium more progrediantur, non plantarum modo figantur. Sic & præter illarũ animas unica erit ſpheræ totius anima. Ego uerò hæc fortè defenderem ut probabilia, niſi me magnorum uirorum auctoritas contineret

Cælum eſt imago animæ, & ſingula quæ ſunt in cœlo ſingula referunt quæ ſunt in anima.

SEd rem omnem ab alio rurſus principio repetamus. Si cœlum quod totum implet mundũ in forma ſua motuq; procul ab extenſa materia cogitaueris, ipsũ proculdubio mundi animã cogitabis: cuius cœlũ quidem imago eſt, reliquum duntaxat eſt umbra. Illa igitur cælũ eſt indiuiduum: cœlum uerò eſt anima iam extenſa. Redde itaque tanquam ab imagine ad exemplar ſingula ſingulis. Illa quidem eſt forma ſimplex, hoc ſimiliter corpus eſt ſimplex. Illa non habet partes: hoc nunquam ſeparatur in partes. Illa unico actu, ideſt, animaduerſione ſui præcipuum complet officium: hoc perpetua in ſe ipſum conuerſione omnia peragit. Anima rurſus immutabilis eſt eſſen
E tia, quamuis mutabilis quodammodo ſit quadam diſcurſionis ſphericæ mutatione formali. Cœlũ ſimiliter ſubſtantia non mutatur, dum actione reuoluitur. Anima ſemper ſimiliter agit: atque in ipſa etiam formarum ſuarum diſsimilitudine reuolutionum uices reſtituit ſimiles. Cælum quoque mouetur immutabiliter, ac dum configurationes quaſdam & extrinſecos habitus commutare uiderur, interea centrum circunferentiamq; conſeruat, eiſdemq; curriculis temporum & repetit eadẽ & ſimilia recreat. In anima prius eſt intelligentiq lumen: deinde quaſi calor eſt uoluntatis affectus in cœlo lumen præcedit ubique calorem. Et quemadmodum ibi uoluntas quaſi eſt ipſemet terminus intellectus, & intelligere uelle: ita & hic calor quaſi quidam lucis eſt terminus, & lucere, calere ſed quàm purè lucet & latè, tam calet innoxiè. Hinc itaque fit, ut in materijs cœlo ſimilibus, ideſt, diaphanis & tralucidis, calefactionem præcedat illuminatio, in opacis uerò uiciſsim. Has enim calefieri oportet prius, & calore purgari, & quaſi tralucidas effici, quàm lucidæ fiant. Ignis autem huius cœleſtis occulti ubique uigentis, & actus quidam manifeſti ſunt ſtellarum radij, & imago quædam eſt æther, ideſt, ſublimis ille lunæ proximus aere, igneus inquam aer. Solum namq; cælum ſolus eſt ignis: reliqua dicuntur ignita, Sed cælum & aer, præſertim ille ſublimis ubi uel nihil, uel minimum quidem eſt ſolidi reſiſtentis, latitudinis uerò plurimum lucet purius, caletq; ſuauius. Aqua uerò & terra, terreſtriaq; calefacta quidem uiolenter, calefaciunt uiolenter. Quoniam uerò ignis apud nos accenſus cælo ſimilius adhuc eſt quàm reliqua, iccirco luminis quod incorporeum quiddã eſt, factus eſt particeps & omnium potentiſsimus, & quaſi ſit uiuens motu perpetuus: diuidens omnia, non diuiſus, omnia in ſe prorſus aſſumens, alienam fugiens mixtionem: & ſubitò cum expeditur, in cæleſtem refugiens ignem ubique latentem. Hinc fortè ueteres adducti ignẽ uerebantur extinguere ne naturæ cœlitus uiuq; uim uiderẽtur inferre. Proinde ſicut ignitæ materiæ in ipſum ignis actum, formamq; ſubitò conuertuntur, ita & hic ignis hinc refugit in cœli formam, & forma cœli in formam actumq; uitæ ſemper conuerſa cenſetur. materia uerò cœli conuerſa uidetur in formã. Profectò quemadmodum in uapore quodam ardente ceu cometa, ipſa uaporis materia adeo redacta eſt ad propriũ ignis actum, ut nulla iã appareat ibi conditio uel actio, niſi ignea: ſic forma cœleſtis uſq; adeo materiam ſuã ſuperat & abſorbet, ut nulla materiæ manifeſta conditio uideatur. Id itaque plærique uolunt quando cœlum aiunt carere materia, ideſt, manifeſtis paſsionibus, conditionibusq; materiæ. Similiter qui aiunt, cæleſtæ animæ noſtræ uehiculum expers eſſe materiæ. Quod Iamblichus & Proculus arbitrantur. Iam uerò cùm natura formæ denique ſit potentior quàm materia, meritò ſicut formarum infima, ideſt quantitas, ſic in materiam abſorbetur, ut ipſa uideatur eſſe materia, agatq; nihil, & infinitam patiatur diuiſionem: imò nihil aliud ſit quàm paſsiua quædam materiæ ipſius extenſio: ſic forma formarum corporalium præſtantiſsima ideſt, cæleſtis, materiam ſuam occupat penitus atque occulit, totumq; ibi reſultat ut forma: forma inquam corporea, ſed ita corporea, ut ſit quaſi nõ corpus, & incorporeæ uitæ, occultioriſq; uirtutis quaſi coruſcatio quædam foras emicans, præſertim per cæli oculos, ideſt, ſtellas. Non igitur iniuria Iamblichus ait cæleſte corpus ſic in uitam eſſe redactum, ut ipſa ſit uita, & natura iam quodammodo incorporea, hoc tantum corporis habens, quòd partes à partibus diſtare putantur. Sanè ſicut in nobis corpus hoc tractabile multum ab anima diſcrepat, ſed ſpiritus ipſe quem multi uaporem ſanguinis ſubti-

A lsimum nominant, eſt quaſi anima quædã, ita ut Epicurei, & alij quidam uicinitate decepti hunc eſſe animam iudicarent: ſic reliquũ mundi corpus ab ipſa mundi anima diſcrepat manifeſtius, ſed natura cæleſtis ubiq; uigens, quidam ſcilicet omnia fouens ſpiritus almus: ſic Stoicos, & Stratonẽ propinquitate fefellit, ut diuinam animam Deumq; eſſe putarent. Rectius admodum Platonicus ille Maro iudicauiſſe uidetur. Cum enim dixiſſet: Omnia ſpiritus intus alit: ut ſpiritus per ſe diſſipabilis & fortuitus à natura ſtabili ordinatriceq́ue regeretur, adiunxit: Totamq́ue infuſa per artus mẽs agitat molem. Et cùm nominauit artus, & membra, mundum eſſe animal unum ſignificauit, uno quodam ubique ſpiritu uiuens, unà ſimiliter intelligentia rectum. Rectum inquam facillimè atq; ſemper. nam & ſpiritus ille quantò per puritatem eſt uicinior animæ, tantò facilius, diutiusq; animæ ad perſeuerantiam ordinemq; obtemperat. Et reliquum corpus ſpiritu facilè penetratum inde fulcitur: atque ipſum naturali loco digredi neſcit, dum anima longè præpotens ſuis quæq; locis digerit atque continet: motuq; ſuo motus omnes anticipat, & ad reuolutionis ſuæ normam certis ſingula locis, temporibusq́ue reuoluit.

Mundus & ſi perſeuerantia dicitur infinitus, non tamen uirtute, magnitudine, numero eſt infinitus.

VNiuerſum igitur per tempus permanet infinitum, quamuis ipſum magnitudine non ſit infinitum. Si enim ipſa mundi anima æternitati, ideſt diuinæ menti quàmproxima eſt, ideoq; æterna eſt, atque eſſentiali uita uiuificat, certè & ipſa uitam ſuggerit ſemper, & corpus inde ſuum uitam continuè haurit ſempiternam. Præterea ſi anima ſemper conformat hoc ipſis diuinæ mentis ideis, certè ſicut ſpecies rerum omnes conſeruat idearum inſtar immobiles, ſingulis continuè com-
B mutatis, ita & totum hoc opus exemplaris totius inſtar indiſſolubile continet Sicut enim quælibet *in uniuerſo* rerum ſpecies ad ſuas referuntur ideas, ſic totum hoc ad totum refertur exemplar. Mutãtur uerò hic ſub ſpecie ſingula ob uiciſſitudinem quandam ſeminalium rationum, quę in natura & imaginatione quadam coniuncta naturæ penes animam mundi peragitur, motu interim cęleſti ad idem aſſiduè conferente. Conſeruatur tamen eadem ubiq; ſpecies, ob æternam perſeuerantiam idearum in mente, formarumq; ſimilium in anima quoque uigentium, adiuuante ad idem ſimili ſemper reſtitutione cęleſti. Mundum uerò quamuis tempore infinitum, non tamen uel numero, uel magnitudine infinitum, ſic breuiter coniectamus. Quadruplicem cogitamus infinitatem. Primam uirtutis ſimul atq; perſeuerantiæ in Deo præcipuè ſummo: Secundam perſeuerantiæ ſaltem in diuinis operibus inde perpetuò permanentibus: Tertiam numeri: Quartam denique molis. Infinitas quidẽ numeri perpetua quadãrerum ſingularũ ſucceſsione paulatim prouenire uidetur, nunquã tamen actu ſimul exiſtere. Nam & ipſa ſpeciei unitate tanquam termino definitur, & multitudo innumerabilis actu nullum ſuſcipit ordinem. Omnia tamen ſub primo tum cõmuni omnium, tum proprio aliquorum principio ordine quodam definiuntur. Quod ſi non eſt turba ordinis expers in rebus infimis, multò minus reperitur in ſummis, ubi ſummus eſt ordo. Quamobrem neq; ſunt innumerabiles mundi: neque mundi partes unius innumeræ. Tum uerò infinita moles longius diſtat à mente diuina quàm numerus infinitus. Cùm igitur diuina mens innumerabilem numerum minimè uelit multò minus molem patietur immenſam. alioquin nullum hæc ordinem à Deo terminumq; acceperit Neque uerò fingere licet molem corpoream ex ſeipſa prorſus exiſtere: uel ex cauſis pluribus in
C ter ſe omnino diuerſis. Quod in theologia ſæpius confutamus. Neque ſub una omnium cauſa opus eſſe non unum: neq; mundos plures, aliũ diſiunctum ab alio. Id enim refellimus in Timæo Neq; rurſus unius mundi molem prorſus immenſam. alioquin uel in plura mẽbra diuideretur, uel unica paſſim moles exiſteret. Si in plura innumerabiliter ſecaretur, nulla foret uſquam molis infinitudo ſed numeri: neque foret opus unum uel ordinatum, ſed diſgregatum prorſus atque fortuitum. Sin unica foret immenſaq; moles, uarietas omnino rerum nulla reſtaret: & hæc ipſa moles ordinem non acciperet, uel figuram. Ac ſi fingatur eiuſmodi machina per immenſum undique ambitum uerſus excreſcere ſaltem uerſus medium: ſi quod fingi medium poſsit, paulatim redigitur in anguſtum. Igitur ſi moueatur, circuli in ea mole ſignati innumerabiles ita ſe habebunt, ut circa medium ſemper alius alio tardius reuoluatur: uerſus ambitum uerò uiciſsim alius alio continuè uelocius agitetur. Itaque inde quidem in tarditatem infinitam, hinc in uelocitatem ſimiliter infinitam motio peruagabitur. Hanc ergo immenſæ molis circuitus momento complebitur. Inde ne mouebitur quidem: imò nullus erit motus. Nam infinita tum uelocitas, tum tarditas concurrere demum uidetur in ſtatum: Obiiciet & alius aliter: Immenſum fore undique ſpatium tum totius, tum partium ad partes, quæ per lineas à medio productas in longum, continuè latiores & diſtantiores euadunt. Itaque neque peragi unquam ſpatium uel partium, uel totius. Ideoq; fruſtra moueri, imò neque moueri. Quid plura? Mundanã molem hebere in ſe membrorum diſtinctionẽ ipſa palàm formarum differentia,

D repugnantia qualitatum, motionum oppoſitio manifeſta declarat. Non eſſe machinam hanc immenſam oſtendit tum uniuſcuiuſq; reuolutionis terminus, tum definitus ordo totius. Eſſe in ſummo ſphericam interiores eius ſpheræ demonſtrant, ampliſsimam uidelicet imitantes. Cunctas ab una cauſa interſe connecti, mira diſcordium rerum concordia probat. Vna denique uita uiuere ſpirituq́ue afflari diſcimus ex mutua quadam agendi, patiendique communione, per quam & inferiora facilè à ſuperioribus dona ubique ſuſcipiunt, & ſuperiora uidentur inferiorum preces audire, uotiſq́ue proſpicere: & à qualibet mundi parte quamuis longè diſtante in quamlibet ritè paratam ſæpe motio reſultare.

Cnofirmatur cælum eſſe ſempiternum, primùm animæ, deinde quodam corporis beneficio Cap. IIII.

IN quarto libri capite dubia reijciens in ſequentia immortalitatem cæli tum ratione animæ, tum ratione corporis comprobat. Nempè ordinis corporei ſummitas, ideſt, cælum, cùm incorporea natura diuinorum ultima, ideſt, anima, ita conſpirat, ut diſſolui non poſsit: ſicut & ſummus aer tangens ignem eſt ſemper ignitus: ipſáque animæ uita cùm proximè ab æternitate pendeat, neque inde diſcedat, eſt æterna. Atq; cum ipſa ob naturalem propinquitatem ſit uinculum temporalium, quod in theologia monſtramus, meritò, quæ mox deuincit, æternè conglutinat. Item cùm iam tot ſeculis in hac mole regenda, mouendáque defatigata non fuerit, quod oſtendit idem tenor agendi nunquam defatigabitur: præſertim cùm neque ipſa per uiolentiam agitet corpus, naturaliter ad
E motum ita libratum, neque huc aliúnde uiolentiam poſsit inferri, neque partes mundi conterantur, ſed inuicem commutentur. Denique ſi anima per æternam ipſius uitam, cuius natura eſt ſemper uiuificare, mundo ſemper præſtitit uitam, præſtabit & ſemper. Neque penitebit unquam animam diuiniſsimam benefeciſſe mundo: quaſi uel peccauerit cùm incepit benefacere, uel ſit peccatura cùm deſinet. quod in libro contra Gnoſticos hæreticos confutauit. Quod autem de igne partim Ariſtotelica, partim propria ſententia dicit, ſic accipito. Ignis hic noſter edacitate quadam omnem ſubitò materiam deuorat, mox inde luxurians euomit flammam, quaſi feruorem: qua etiam longius conſumit obiecta. Cùm enim ignis ob naturam tenuem, amplificabilem, mobilem, inter aliena poſitus atque permixtus facilè diſpergatur, ne mox intereat, natura ſibi tributum eſt, ut facilè propinquantia deuoret. Rurſus ne tanquam potentiſsimus omnia perdat, datum eſt uiciſsim ut citius extinguantur. At uerò ne deſit mundo natura tam nobilis, factum eſt, ut paſsim omnium facillimè recreetur: citoq; ex minimis excreſcat in amplum. Ignis uerò cœleſtis conſumit nihil: quia nec ipſe conſumitur: quia minimè diſsipatur: quoniã neq; locum aliquando ſuum mutat: neq; unquam à uita deſeritur.

Cur cæleſtia tum ſecundum ſpeciem, tum ſecundum individuum maneant ſempiterna. Compoſita uerò ſolum ſecundum ſpeciem. Item de geminis animabus. Cap. V.

F CAput uerò quintum ſignificat pro ipſo mundi partiumúe eius opifice non modò iudicandũ eſſe intellectum primum, ſed etiam mundi animam: animaſq́ue ſpherarum quatenus & intellectuales ſunt omnino, & proximè ſemperq́ue uelut collegæ ad opus hoc unà cum intellectu primo conſentiunt. Significat rurſus, ſi corpora compoſita proximè ab ipſa cuiuslibet cœleſtis animæ ſubſtantia fierent, indiſſolubilia fore: Ibi enim & ſubſtantia & actio, ideſt, intelligentia manet. à cauſa uerò penitus ſtabili, ſtabilis fit effectus. Quoniam uerò talis quælibet anima aliam ex ſe uitam quaſi animam, imaginemq́ue ſui foras effundit, inſinuatq́ue materiæ, unde iam eiuſmodi uita fit debilis: iccireo uita hæc cœleſtia quidem & ſimplicia corpora ſemper indiſſoluta conſeruat, utpote quæ conciliationi perſeuerantiæq́ue repugnare minimè uideantur, compoſita uerò aduerſus repugnantium impetus cohercere non poteſt. Hic notabis ſpheras quidem cœleſtes tum toto permanere tum partibus: ſpheras autem alias ſimplices non omnibus iam undique partibus, ſed toto manere: compoſita denique neque toto, neque partibus permanere debere. Neque obijciat aliquis in animalibus præſertim rationalibus reſtante poſt obitum anima, primaq́ue materia, partes animalis apud Plotinicos reſtaturas. Nam & anima hæc non tam pars quàm cauſa eſt animalis, & materia prima ſubiectum eſt potius in quo fit animal. Fit inquam propriè ex propria quadam materia ad propriam formam iam prorſus accommodata. Vbi uerò dicit quæ ſunt infra cælum, non eſſe cæli partes: intellige, infra, non tam loco quàm ordine. Cælum enim, & ſi ubique ugiet, nuſquam tamen à ſeipſo ſeiungitur. Vbi ait, cælum uſque ad lunam protendi, intelligè, uſque ad lunarem conditionem. Sors namque lunaris eſt in cæleſtis dignitatis gradibus ultima. Regionem enim ſuper lunam antiqui totam ſolarem nominant,

A ſequentem uerò lunarem. Declarat denique in fœtu hominum in matrice iam figurato infundi uitam ab animabus ſpherarum, animaq; totius ad idem ſcilicet, ipſa matris anima ſimul cum uirtute paterna interim cõferente, per quam uitam uelut eſcam rationalis anima trahatur ad corpus, ipſamq; ad ſe uitã quoddammodo contrahat, ſubq; actu conſtruet ducatq́ue ſuo, ſiquando deſinat iterum genitura. Ibi quidem eſſe ſimpliciter animal per modum formæ dat inferior anima: Eſſe uerò rationale animal, ſuperior ipſa largitur parum admodum modoformæ ad eſſe conducens. Et ad quidem ex rationali potentia ſiue actu, quoniã non ad ipſum ſimpliciter eſſe ratione formæ, ſed ad eſſe tale conferre uidetur. Atque eatenus ad eſſe tale, quatenus ad eſſe ſimpliciter altera confert. Dici uerò fortaſſe poteſt per modum efficientis adeſſe conferre.

Singula elementa in ſeipſis pura ſunt. Cælum eſt ſolus ignis. Item de metallis atque dæmonibus.

Cap. VI

SExtum caput dubitationes iterum duas adducit: Vtrum ſolus in cælo ſit ignis: & utrum inde defluat aliquid. Primam quidem ſoluit in hoc ſexto ſimul & ſeptimo, alteram in octauo. Eſſe in eo ignem, ſimulq; non terram dico, imò ſoliditatem quandam, uel reſiſtentiam, ſiue conſiſtentiam quaſi terream Timæus exiſtimat, ut per igneam quidem claritatem uideri, per ſoliditatem uerò quaſi terream tangi poſſit: ſed à quónam ita ſentiri? non ab aliis præcipuè. Non enim totus mundus eſt partium particulariumq; gratia conſtitutus cũ ſit horum omnium perfectiſſimus atq; finis, ſed ut primum poſſet à ſeipſo ſentiri. Cùm enim animæ mundanæ prius quodammodo natæ
B corpus ſubiungeretur quaſi propago, probabile fuit tale fore, ut cognatiſſimum animæ foret atq; notiſſimum. Cognoſci uerò corpus propriè cognateq; & ſub ipſa corporis conditione, nihil eſt aliud quàm ſentiri. Corpus itaque cœli tum ex igne lucem eſt adeptum, ut ab anima ſua per modũ intelligentiæ ſentiretur, quod eſt uideri: habuit quoque ex ſoliditate, uel conſiſtentia quaſi terrea reſiſtentiam quandam, ut per modum eſſentialis uitæ iterum ſentiretur: quod eſt tangi ſcilicet à ſeipſo primùm, conſequenter ab alijs: quinetiam neque uideri poſſet per lumen, niſi ſoliditas quoque ſubeſſet, uiſuales quodammodo radios repercutiens: neque tangi per ſoliditatem, niſi igne rurſus uiuificaret. Significat inter hæc Plotinus, ſi cælum tangatur, uel à ſeipſo, uel ab alio blandum ſentiri calorem: ſoliditatem uerò quaſi terrenam adeſſe ratione potius coniectari: ipſam denique terræ naturam, quæ & opaca eſt, ideoq; oppoſita luci, & denſiſſima: atque iccirco ad motum præcipuè talẽ, omnium ineptiſſima, nullo modo ineſſe uult cælo lucidiſſimo prorſus atque celerrimo. item neq; aquam, quæ ob frigiditatem eſt contraria cælo, quod eſt primum calidum. rurſum neque aerem. Nihil enim facilius quàm aer in aliud permutatur. Itaque ſi propinquet cælo tam ualido in cæli formã ſubitò permutabitur. Inter hæc dum conuincere ſtudet, nihil eſſe in cælo aliud præter ignem, in dubitationem adducit illam Timæi ſententiam: Duo ſcilicet ſolida, & extrema duobus ſemper mediis indigere. Fortè enim id in numeris & dimenſionibus mathematicorum ſolidis manifeſtius eſt, quod in argumento in Timæum iam explanauimus. In elementis autem non adeo manifeſtum, niſi forſan in ipſa totius mundi compoſitione diſpoſita, locisq́ue diſtincta. Significat tamen Plotinus, poſſe & ignem, nel aerem penetrare terram ſine aqua, & aquam penetrare terram, inq; eam illabi ſine ignis & aeris beneficio. Quòd ſiquis conuincat tum terrę tum aquę
C reliqua duo ſemper ineſſe, reſpondet Plotinus, non tamen duo hæc ad conciliandum neceſſaria fore. Sed dum ita Plotinus hic quaſi ludit, meminiſſe debemus aquam procul ab aeris ignisq; fomento conuerſcere gelu, fieriq; criſtallum: itaq; non poſſe abſq; illis terram facilè penetrare. Sed hæc ad Plotinum nihil: cuius conſilium eſt confutare quod fertur, ita quodlibet in quolibet eſſe, quaſi ex Anaxagoræ mente, ut nuſquam ſit purum aliquid in ſeipſo, neq; ipſa rei cuiuſque eſſentia in ſe ſine alterius eſſentia conſtitui, uel conſiſtere poſſit: ceu ſiquis dixerit, non eſſe terram, niſi intra ſeipſam aquæ humore conglutinata ſit: non eſſe aquã, niſi liquida ſit per aerem: nõ eſſe aerem, niſi per ignẽ intus ſit rarus & leuis: atq; uiciſſim nuſquã uiuere ignem, niſi alatur humore: non conſiſtere rurſus humorem, niſi intus terra cohibitum. Sed profectò uidetur ipſa formalis uniuſcuiuſq; ratio idq; ipſum quod aliquid eſt, abſque alienæ naturæ additamento poſſe conſiſtere. Quandoquidem & ſine hoc rite poteſt ac debet intelligi. alioquin ſi res non ſint aliquid in ſeipſis, conſequenter nec aliquid in alijs erunt: nec erit quicquam ex rebus pluribus conſtitutum. Præterea cum imperfecta, quoniam per ſe non ſunt, à perfectis quæ per ſe ſunt, dependeant: ſit autem forma totius perfectior quàm formæ partium, meritò ſuper elementa, quæ ſunt, ut partes in miſtis, ſunt elementa in ſeipſis ut tota ſorſumq; diſpoſita: ſunt, inquã, ut tota elementa, quamuis non ut totum corpus. Ibi ergo rurſum forma tenus corporis tanquam perfectior antecedit, ac ſi minus præcedit in opere, in opifice ſaltem: in quo ſanè communius ipſa formæ totius intentio intentionem partium ad illam conſequentium

D antecedit: ſicut conſtat in arte. Denique ſicut in exemplari mundi forma uniuſcuiuſq; ſpeciei ratio diſtincta eſt ab alia, ſic inter ſe res in opere diſtinguũtur: diſtinguũtur, inquam, ratione & exiſtentia ſimul, præſertim cum maior ſit hic qàm ibi diuerſitas. Quod quidem ſenſibus quoq; patet, cum ſe in uicem contraria fugiant, quatenus ut contraria uigent. Corpora ergo compoſita ſicut ſimplicibus elementis intrinſecus componuntur, ita ſimplicibus reguntur extrinſecus. Multa quoq; ſimplicia, ideſt, æther, aer, aqua, terra, uno, ideſt, igne cæleſti reguntur omnium ſimpliciſsimo: Vnum hoc proximè regitur anima: perq; hoc quaſi ſpiritum reliqua corpora ſiue ſimplicia primùm, ſiue ſubindecõ poſita reguntur ab anima. Oportet enim ab una mundi anima corpora multa, & hæc quidẽ diſsimiliora animæ, per corpus unum, idq; ſimilius, inſpirari prorſus atque moueri. Sed ut redeamus ad inſtitutum: oportet elementum quodlibet etiam ſine alterius miſtione intus ſaltem in ſe aliquid eſſe. Aut enim datur aliqua ſaltem portiuncula terræ quæ propriè ſit id ipſum quod terra, aut nulla. Si datur aliqua, licet terram ſine aqua conſiſtere: Si nulla, tunc terra erit nuſquam, atq; aqua terrã quæ nuſquam reperitur colligare non poterit. Item alia eſt aeris, alia terræ natura, imò etiam natura ualde diuerſa. Siquis ergo dicat terram, ut terra ſit aere intrinſecus indigere, dicet frigus ſiccitatem, denſitudinem grauitatem, ut ſint id quod ſunt, egere contrarijs. Rurſus aer prius in ſe aliquid eſt, quàm infundatur in terram: terra ſimiliter prius aliquid eſt in ſe, quàm hauriat aerem. Tum uerò aer in raritate propria prius exiſtit, quàm condenſetur in terram: ac terra prius in ſe conſiſtit, quàm condenſet aerem: qui ſi condenſetur ab alio, ſcilicet aqua, tranſibit in aquam. Quamobrem Timæus non
E dixit terram, ut terra ſit egere igne: ne frigus & grauitas, ut frigus grauitasq; ſint, calore leuitateq; ridiculè dicantur egere, imò dixit ut ſit uiſibilis. Per lumẽ enim & oculi uident, & res ipſæ uidentur, quæ ſunt etiam participatione quadam luminis coloratæ. Lumen uerò ignis eſt proprium. Cum enim terra naturaliter opaca neq; per ſe luceat, neq; lumẽ intus accipiat: aqua uerò & aer tanquã diaphana, ideſt, tralucida & lumini peruia, non habeant quidem ipſa lucem, ſed ſubitò capiant, ſequitur, ignem mox per ſe lucem habere: præſertim cum manifeſtè ab hoc alia lumen habeant. atq; ipſe lumẽ ipſum quaſi proprium dum abit, relinquat in nullo, quamuis calorem relinquat ad tempus. Vnde conſtat ignem eſſe cælum. Cum uerò ignis prius & citius longiusq; lumen quaſi præcipuum proiiciat quàm calorem, poteſt nimirum actum hunc ſuum, ideſt, lumen, & paſsionem ex hoc effectam, ideſt, colorem præcipuè clarum cæteris adhibere per quæ uideantur, quamuis ſeipſum non admiſceat illis. Præſtat quidem humidioribus magis lumen atq; nitorem, tanquam cælo ſimilioribus: ſiccioribus uerò calorem, & hunc quidem iam edacem, talem ſiccitate, anguſtia, uiolentia factũ. Hactenus terram eſſe hoc ipſum quòd eſt, abſque intima ignis, aeris, aquæ comiſtione monſtrauimus. Aquam rurſus ſine participatione terræ poſſe aquam eſſe per ſimilia patet. Aqua ſanè cum ad terrenam cogitur denſitatem, deſinit eſſe iam aqua, fitq; chriſtallum: poſtquàm uidelicet nouam acceperit ſubſtantialemq; formam: nam antè fit glacies. Terra igitur non efficit eam eſſe aquam, ſed potius eſſe non aquam. Aerem rurſus non eſſe terræ participem deprehendet quiſquis conſiderauerit nihil eſſe mollius, cedentius, pen: trabilius aere: nihil uerò ad hæc ineptius eſſe quàm terram. Nõ igitur ut aer ipſe ſit aer, terra facit: cum proprietatem habeat repugnantem. Quòd ſi inferiora ſeorſum ab alijs ipſa per ſe ſunt aliquid, multò magis ignis miſtionis inpatiens, & omnium præſtantiſsimus, id eſt, cælum. Neq; indiget terra ut dimenſiones inde continuitatemq; acquirat: nam ob naturam ſuam in materia efficaciſsimam, materiam ipſe ſuam mirum in modum in dimenſiones amplificat. Item quum miſtionem minimè patiatur, continuitatem ſuam ipſe ſibi conſeruat: reſiſtentiam uerò quandam, & conſiſtentiam, quam ſoliditatem ita eo uocant, neq; propter terram, neq; ob trinam dimenſionem ſimpliciter habet: ſed per quandam ſibi propriam alicubi denſitatem, qua non ſolùm repercutiat radios oculorum, ſed etiam ſuperiorũ uires inferioribus magis cognatius q; accõmodet: nihil uerò terrenum cæleſtibus ſubeſſe luminibus patet: quia nuſquam in cælo uidetur eiuſmodi rubor, qualis in colore nubium, quæ terrenum aliquid habent: ſed talis potius, qualem uel flamma frequentior, uel congregatus croci pallor reddere ſolet. Soliditatẽ ſanè quocunq; modo reſiſtentem Plotinus aliter eſſe uult in terra, in alijs aliter. In terra quidem una cum aſpera quadam ficcaq; duritia propria terræ, quatenus maximè diſtat à cælo leniſsimo quidem omnium & agillimo: Alibi rurſus proprio quodam pacto, in igne nimirum eſſe ſuam ſoliditatem nõ per terram, ſed per ſolam alicubi ſibi propriam denſitatem: ſicut in aqua ſæpe non per terram, ſed per propriam cohærentiam coitumq; criſtallum fiat, atq; metallum, ſcilicet aurum. Quod hic exiſtimare uidetur non eſſe terræ particeps, ſed ex aqua tantùm fieri more criſtalli, ſed arctius in ſe coacta, in qua ſit uiſcus aliquis oleo ſimilis: unde contingat ut aurum tum propter arctiſsimam concretionem indiſſolubile ſit: tum propter uiſcoſum humorem fundatur ad ignem atq; liqueſcat: tum quia non eſt terræ particeps, rubiginem non obducat: fulgorem uerò ſortitur à ſpecie ideaq; ſolari. Argentum fermè ſimiliter

A liter ſe habere, niſi quòd Lunã potius ſequitur. Soli enim aurum attribuunt auctores alchimiæ: argentum uerò Lunæ: Saturno plumbum: ſtannum Ioui: Marti ferrum: æs Veneri: Mercurio argentũ, quod nominant uiuum. Hanc uerò diſtributionem in præſenti magis approbo quàm illam quam in compendio Critiæ ſum ſecutus. Videtur uerò Plotinus hanc de metallis opinionem ex Timæo potiſſimum accepiſſe, ubi metalla nominantur concretæ fuſilesq; aquæ: & aurum ex aqua inter adamantinas uenas compacta, uelut florem emergere dicitur. Additur æs, quia ſit terræ particeps in rubiginem uetuſtate conteri dum terra ſecernitur. Plato igitur etſi uidetur terræ nihil in auro ſimiliter & in argento ponere, poteſt tamen probabiliter ex aliorum ſententia ſic intelligi, ut quod terrenum eſt in auro, ſit adeò cum elementis alijs temperatum, & exactè commixtum, ut ſecerni ab alijs nunquam poſsit. Dicatur autem & aurum & omne metallum aqua ab humore quodam glutinoſo, ex quo uelut ex matre metalla omnia fiunt, quod & primum occultumq; argentum uiuum nominant, quod à ſulphure quaſi metallorum patre coqui formariq; putant: atq; inde metalla omnia fieri, eaq; diuerſa, quatenus in eiuſmodi coitu plus eſt alterius uel alterius: & prout hoc duorum aut illud eſt ibi purius uel impurius, ac prout minor maiór ue ſit coctio. Duo igitur hæc in auro eſſe puriſſima; æqualiſſima, contemperata, commiſta ſummopere, fermè ſimiliter in argento: in cæteris hæc longè aliter ſe habere. Metalla quidem ad ignem omnia liquefieri: quoniam mater eorum ſit humor multus, & oleoſus, atq; uiſcoſus. Saxa uerò nõ liqueſcere, quoniam terræ plurimum habeant, humorem tamen non habeant adeò pinguem, nec inſtar olei glutinoſum: ſic exponere Platonem poſſumus. Et ubi Plotinus ait: Aurum quum ſit aqua cogi in ſe ſine terra, ſic accipi poteſt: id eſt, quum ad ignem
B funditur uelut aqua, iterum ab igne remotum in ſe ſine adiunctione terræ concreſcit. Sed hæc utcunque quis uult accipiat. Ad inſtitutum deniq; reuertamur. Si condenſatio ſola in humore uel conficit criſtalli, uel reficit metalli formam, cur non anima quaſi gluten continuet ignem, ſibiq; cõnectat, & ſub uitæ forma contineat? Iam uerò ſunt & ignea dæmonũ corpora, non per terram, non per concretionem quaſi gelu coacta, ſed per uirtutem animæ connectentem in propriam cohibita formam, & ſphæricam redacta figuram. Sunt enim ſupra nos dæmones in ſua quiq; ſphera quaſi ſtellæ, quamuis plurimum nobis occultæ, figuramq; naturaliter orbicularem per interiorem mentis orbem conferente ad idem affectu, locoq; in ſuis corporibus exprimunt. Quamuis quaſcunq; libet figuras ſæpe nobis oſtendant, dum nel materiam ſui corporis agilem modis facilè uarijs transfigurãt, & mox in priorem formam facillimè refigurant: uel per imaginationis affectusq; uchementiam, prægnantium inſtar, in teneriori corpore quaslibet formas effingunt. Mitto, quòd ſæpe non tam propriũ corpus mutant, quàm imagines in noſtra imaginatione uarias ſuſcitãt. Quamuis autem dæmones propriè animalia ſint aeria, tamen & igneos & aqueos ſæpe cognominant. Tres enim propriè ſunt ordines dæmonum tribus plagis aeris aſsignati: Primi ſublimem colunt aerem Lunæ proximum, cæli calore motuq; & luce calentem atq; lucentem, quem ignem ætheremq; appellant: Secundi mediũ: Tertij tertiũ. Summus aer nominatur igneus: medius aer aerius: infimus aer eſt aqueus: dæmonesq; ſimiliter. Aeri rurſus ita diſtributo præeſt (ut aiunt) aeria quædam aſtrorum triplicitas. Summo quidem aeri Gemini: medio Libra, Aquarius infimo. ſimiliterq; dæmonibus. Hos antiqui nonnunquam appellant deos: non quidem ſimpliciter, ſed diuinos dæmones. Sicut & animalia ſimilia in cælo quidam appellant dæmones, non ſimpliciter, ſed dæmonicos deos. Arbitror equidem cæleſtes dæmones
C non eſſe in ſtellarum fixarum, ſed planetarum regione, quaſi comites planetarum ſtellas: ac proportione ſeruata, ſequi ſtellarum planetarumq; motus: ſimiliterq; dæmones in aere puro cæleſtem choream competenti progreſsione complere. Fortè enim ſicut dæmones ſic, ſtellas planetaſq; proprijs per cælum motibus more animalium gradi quis putabit

Cælum eſt ſolus ignis. Item quodlibet elementum eſt alicubi in ſe purum, quamuis in quolibet ſint qualitates quædam etiam aliorum. Item cælum eſt ubique. Item qualis ſit Hieruſalem illa cæleſtis. Cap. VII.

SEptimum caput reſponſionem ad dubium ſuperiorem confirmat auctoritate Platonica: cælũ ſcilicet eſſe purum ignem: & quodlibet elementum alicubi eſſe purum ſcilicet id ipſum quod eſt etiam ſine alijs eſſe. quamuis inuicem ſuas dotes quaſi ab extrinſeco mutuentur & mutuent. Itẽ in quolibet elemento eſſe non dico ipſam aliorum naturam, alioquin confuſa prorſus omnia forent, ſed qualitatem quandam aliorum elementorum qualitatibus quodammodo ſimilem. Cum enim mundus ſit animal unum, uua ubique primum anima uiuens, unaq; materia factum, neceſſariò membrum quodlibet ob eiuſmodi unionem habet aliquid commune cum alijs, & aliorum qualitatis eſt particeps: Sicut in corpore humano apud medicos eſt compertum. Sic cæleſtis ignis, non

D terram, non aerem, non aquam, ſed conſiſtentiam, uel aliquam reſiſtentiam habet terræ quodammodo ſimilem: item facilem liquiditatem ſiue agilitatem aeri congruam: deniq; lenem blandamq; & lubricam æqualitatem aquæ perſimilem, cæteraq; ſimiliter reliquorum aliquid poſsidere: neq; tamen ea miſtionis ratione confundi, in qua ipſum totum ſoleat cum toto miſceri: nec qualitates tantũ quædam, ſed ipſæ quoq; naturæ materiaq; conflari. Sic Plato ubi ait in Timæo: Accendit Deus lumen circa ſecundam à terra ſperam, declarauit eſſe in cæleſtibus ſolum ignem, & ex ignis qualitatibus ſolum lumen. Lumen inquam ſolum, ideſt, primum atq; præcipuum. Sub hoc enim ibi ſunt cæteræ, quæcunq; ibi ſunt qualitates, ſcilicet calor uitalis & blandus, in quo actio motrix omnium & formatrix. Ac dum Plato dicit lumen, corpus ipſum ſolis intelligit, per ſe lucens, lumine ſcilicet manifeſto: per lucem uidelicet intimam, quæ alterius generis eſt à lumine, quod inde uelut imago ſolis per omnia manat. Sed & lux eius intima rurſus ab incorporea luce proximè micat: alioquin nec ipſa incorporea foret, nec lumen inde manans incorporeum eſſe poſſet. Quod enim incorporeum eſt incorpore, ſiue circa corpus quale lumen exiſtit, ab incorporeo fit, quod in ſeipſo conſiſtit. Lumen uerò non eſſe corporeum patet, quia totum ſubitò prorſus illuminat, & ſine offenſione totũ implet: pluraq; in unum ſtatim abſq; reſiſtentia lumina cocunt, nec ſordibus inquinantur. Item ſolis lumen nullius ſubiecti fit proprium: in nullo enim reſtat ad tempus, nec propriam elementi qualitatem in ſubiecto requirit ut adſit, ſed puritatem cælo animæq; perſimilem. Idemq; lumen abſq; colliſione, condenſatione, rarefactione, mora, tam facilè per ſpatium ſe fundit ampliſsimum, quàm refundit ſe protinus in anguſtum. Sic ergo à carbone ad flammam aſcenditur, iam à craſsiore materia diſcedentẽ:
E à flamma rurſus peruenitur ad lumen, quod tenuem quoq; reliquit materiam. non enim iam infunditur in materiam ſed funditur potius per materiam. Demum ab hoc lumine quod uiderur, procèditur ad cæleſtis animæ lumen: cuius uigore motuq;, & materia dimenſione protenditur, & per dimenſiones eius lumen effunditur, perinde ac ſi à ſcintillæ cuiuſdam rotatu, orbis ſtatim lucidus emicet. Sed de hoc in theologia ſatis. Quod autem ſolis globum proximè collocat ſuper lunam, non ſolùm Platonis opinio eſt, ſed Ariſtotelis, Aegyptiorumq; & multorum inſuper tum antiquorum, tum etiam poſteriorum philoſophorum. Magnam eſſe diſtantiam inter Saturnũ & Iouem, & inter Iouem atq; Martem patet, ex eo quòd Saturnus circulum ſuum peragit annis XXX. Iupiter. XII Mars uerò duobus. Magnum quoque interuallum eſſe à Marte ad planetas qui anno percurrunt, ſimiliter eſt manifeſtum. Magnum deniq; inter hos atque Lunam, quæ menſe curſum implet, planè compertum habemus. Cùm igitur Sol & Mercurius atq; Venus annuo tempore reuoluãtur, ideoq; inter ſe ſint proximi, quæritur quis horum trium ſit Lunæ propinquior. Probabile quidem eſt, illũ eſſe propinquiorem, in cuius ſphera longior eſt diameter, unde maxima diſtantia ſit ad Lunam: Longiorem uerò eſſe in ſphera Solis ueriſimile eſt, ut grandiori planetæ magis accommodetur. Verùm quid de his mathematica ratio uelit, ſatis alij pertractarunt. Phyſica certè ratio poſtulare uiderur, ut fons caloris & fons humoris ſcilicet uitalis, ideſt, Sol & Luna proximè coniungantur ſuper hanc mundi plagam generationi dicatam, quæ in primis humorem uelut materiam & calorem exigit quaſi fomentum. Præterea Sol & Luna contigua poſsident domicilia: Luna Cancrum, Sol uerò
F Leonem. Exaltationes quoque contiguas: Luna Taurum, Sol Arietem. Iure igitur ſperas quoque contiguas habent. Hoc denique ordine Mercurius inter planetas quaſi ſapiens medium obtinebit: & meritò, cum debeat in omnes æquè conuerti, & facilè conformari, ut celerius omnium actiones expediat. Siquid inſuper oculis credendum foret, dicerem ſolem ac lunam propterea quod nobis utrique ſint proximi maximos apparere. Vſus uerò declarare uiderur propinquitatem: propterea quod manifeſtè in nos agant quàmplurimum: adeo, ut reliqua ad hæc comparata ferè nihil agere uideantur. Denique Luna quæ tauquam ſtellarum infima ſola lucem non poſsidet manifeſtam, meritò ſola eſt, ſub ſole, ac proxima ſoli, ut à lucidiſsimo manifeſtum lumen commodius mutuetur. Mutuatur autem ſpeculi more, ſimiliterq; reddit lucis imaginem. Appellant autem cæleſte corpus album, ideſt, luminoſum: ac dum album dicunt, ſignificant nitidiſsimum Quod enim eſt inter colores albedo, id planè eſt ibi nitor. Per hæc innuit formam palloris aut ruboris non eſſe quidem in ſtellis, ſed ob uapores quoſdam nobis ita uideri. Scimus enim ignis lumen quo purius eſt, eò eſſe nitidius. Contrà uerò rubet in materia craſſa: pallet in media: ſed in tenuiſsima nitet. Subdit urentem flammam nec in cæleſtibus eſſe, nec ad cælum uſque percurrere: ſed uel extingui uento, uel ſi ſit in materia ſicciore atque tenaci, in fulgure reflecti deorſum: uel ſi altius inſuper euolauerit, creare cometas: ſin autem diutius ibi flamma reſtiterit, amplificari per æthierem, mitioremq; euadere, lumenq; à cælo ſortiri. Poſt hæc totum cælum dicit eſſe lumen, quamuis ob tenuitatem noſtris oculis inuiſibile, in quo tamen ſtellarum lumina propter denſitatem aliquam apparere: Lumen profectò purum prorſus uideri non poteſt, ſed miſtum: uel ſub cælo materijs alienis, uel in cælo ſoliditati

cuidam

A quidam & resistentiæ quasi terrenæ, non dico soliditatem in cælo more quorundam, quæ tangenti resistat (hæc enim reuera est propria terræ) sed quæ radios uel congreget, uel reflectat. Protenditur uerò lumen hoc etiam inuisibile, ut in X de Repu. traditur, per mundum undique uniuersum quasi mundanæ animæ uisus, quo suum id totum cernat, & tangat, & foueat. Putant Platonici speramquoque Solis esse suæ animæ uisum, & alias item speras globosq́, uisus aliarum cælestium animarum. Vnde uidemus in omniũ oculis nihil aliud uisum esse quàm radium, & oculorum figuras qualitatesq́ esse cælo simillimas, quód ue uidetur esse lumen, uel luminis apprimè particeps, ideſt, colores. Sed stellæ planetæq́ oculi sunt non uisuales tantùm, sed uisibiles: quibus & animalia uideant, atque inde regantur: nam per radios densiores uirtutes eorum nobis magis accomodantur. Speræ uerò reliquæ oculi sunt inuisibiles, oculis dico terrenis: nam æthereis oculis, ideſt, sensu, qui in nostro uiget æthereo corpore, perspici possunt. Esse uerò lumen hoc occultũ, siue ignem spiritumq́ uitalem diffusum per uniuersum, Plato comprobat in Timæo. Vniuersæ inquit naturæ circuitus, cum circulari ambitu suo reliqua rerum genera sit complexus, secumq́ ipso congredi studeat, constringit omnia, locumq́ uacuum relinqui nusquam patitur. Quocirca ignis per omnia maximè penetrauit: deinde aer, ut pote qui igni tenuitate sit proximus: & alia simili ratione deinceps. Hic existimare uidetur primam ipsam ignis occulti naturam à spiratione quadam mundanæ animæ prodijsse, atque ab intimo circuitu animæ in circulum prosiliſſe, cuius uirtute elementa reliqua coaluerint: quæ mox ignis ipsius ambitu comprehensa, & quasi colubira uacui, nihil intra se reliquerint. Item cùm ignis ille amplificatus in orbem cuperet, tum intus ubique secum ipso congre-

B di, rum nihil usquam relinquere uacuum, penitus omnia penetrasse minimè penetratum: subit. de aerem penetrauisse similiter aquam, aquam denique terram: adeo ut si à centro gradatim medios per orbes ascendas, ubi terra est, sis tria reliqua reperturus præsentia sibi inuicem prius quàm confusa. Deinde ubi aqua, ibi cætera duo: ubi aer, illic & ignem. sic quatuor elementorum orbes inter se cõparantur, ut angustissimus orbis sit terrenus: latior aqueus, tum implens intrinsecus terram, tum terræ superficiem supereminens. Aerius quoque terra similiter & aqua sit latior: igneus denique ratione simili omnium sit latissimus, cuncta tum extra fouens, tum intrinsecus alens. Hunc ignem spiritum & uitalem Arnaldus & Raimundus putantes rebus omnibus insitum, & quintam appellantes essentiam, diligentissimè perscrutantur, quibus machinis ab aliena materia seperent, & segregatum qua potissimum custodia sibi conseruent ad usus, ut sperant, omnium saluberrimos. Mitto quòd sperant si hunc ex uino tanquam ualde cælesti diligenter acceperint, eum se adhibituros auro cæleſti quàmmaximè: quem mox aurum combibat ut cognatissimum, semperq́ retineat, fiatq́ potabile. Sed hæc illi uiderint: Equidem certò scio, nisi spiritus eiusmodi rebus omnibus insit, non posse multos præstare quæ pollicentur: neque uerum esse Platonicum illud, posse scilicet mundi umbilicum esse ignem. Probabile quidem est centrum cardinemq́ uniuersi non fecem esse terrenam, sed potius ignem. Quod rursus scribitur in Phedone, ubi de montibus nubes superantibus agitur, scilicet terram puram in puro iacere cælo, in quo sunt astra, uerum esse non potest: nisi uel cælum illic aeri puro sit infusum, uel solum ibi sit cælum, quasi unicus sit orbis super nubes. Sed orbis unitatem in præsentia dimittamus. Forsan uerò summus ille Theologus ubi ciuitatem inquit cæleſtem

C habere duodecim fundamenta, ciuitatem intelligit uitalem hunc spiritum ubique regnantem: fundamenta uerò duodecim, speras mundi duodecim: octo scilicet cælos super ætherem: rursusque cælos quatuor per ætherem scilicet aerem, aquam, terramq́ suffusos. Describit & portas duodecim: tres ab Oriente, tres item ab Occidente, tres à Meridie, tres rursum ab Aquilone, ut quatuor signorum ostendat triplicitates: quarum una sit Orientalis, ideſt, ignea: Arietem, Leonem, Sagittarium cõtinens. Alia rursum Occidentalis, ideſt, aeria comprehendens Libram, & Geminos & Aquarium. Alia item Meridionalis terrea: Taurum, & Virginem habens & Capricornum. Alia demum septemtrionalis, Pisces, & Cancrum, Scorpiumq́ complectens. Proinde ubi totam ciuitatem ait factam ex auro puro, fulgorem hunc igneum per omnia uult esse diffusum. Addit hoc aurum esse similе uitro puro atque perlucido, ideſt, diaphano simul atque lucenti. Si enim aut uitri perspicuitati peruiæ lucem quasi propriam adhibueris, aut auri naturali fulgori perspicuitatem adiunxeris uelut propriam, habebis iam cæli substantiam: quæ quidem est, ubiq́ tralucida simul & lucida: & si nobis non apparet ubique. Vbi uerò theologus addit lapidum pretiosorum, uarietatem stellarum significat lumina, uel apparentium nobis, uel non apparentium. In qualibet enim supra nos spera mundi suæ quædam stellæ sunt magnitudine potentiaq́ mirabili, quamuis non ubique conspicuæ. Totum uerò in seipso lucere necessarium est, si cælum est ubique, si lux est propria cælo, si lux est quidam præstantissima reliquarũ orgio formarum. Quod autem diuersis in stellis aliter aliterq́ fulgeat, non alia quidem, & alia mistione contingit, sicut in coloribus nostris accidere solet: sed

D propriis quibuſdam raritatis, denſitatis, diſtantiæ gradibus. Sic & croci color congregatus quidem rubet, diffuſus uerò pallet, diffuſiſimus denique nitet. Mitto quantum in his è longinquo & per media diuerſa nos fallat aſpectus. Sed præter lumina, cæleſtibus adde uirtutes quoque diuerſas, ex quibus & colores ibi uarij, & actiones inde proueniant: non quales ab elementis, ſed proprietate quadam occultiori, ſcilicet ſpeciali fermè, quali ferrum trahitur à magnete. Nam quæ apud nos ſic agunt, agere dicuntur uirtute cæleſti.

Confirmatur cælum eſſe tum ex anima, tum ex corpore ſempiternum: & quamuis ſit ignis, tamen in orbem natura moueri. Cap. VIII.

OCtauum caput dubitationi reſpondet quærenti, Vtrum cælo quicquam defluat aut influat? reſpondet effluere nihil. Nam & anima ſuum ubique continere ſpiritum poteſt, & ſpiritus libenter obtemperat animæ: neque in hoc uelut potentiſsimum inferri aliunde uiolentia poteſt: omniaq; prius eſt in ſe conuerſurum, quàm ipſum conuertatur in aliud. Cùm igitur nihil defluat inde, meritò nihil oportet affluere, quo ſeruetur. Neque licet fingere celum eſſe aliud præter ignem, ut circuitus ei ſit naturalis. Circuitus enim naturalis eſt omni corpori ſperico in ſuo loco poſito quotiens moueatur: rectus uerò motus, aut uiolenta quædam è naturali loco deturbatio eſt, aut ſubitus in locum reditus naturalem. Inter hæc ubi ait potiſsimam ignis actionem calefactionem eſſe, intellige
E ignis elementalis commiſtiq; actionem. Nam præcipua cæleſtis ignis actio ea eſt, quæ præcipuã actionem cæleſtis animæ refert, ideſt, intelligentiam. eiuſmodi uerò illuminatio eſt. Poſtremò in fine libri notabis, naturam in rebus ſub luna compoſitis quaſi, uel debiliorem, uel in loco debiliori, uel inter debiliora non conſeruare perpetuam in ſingulari compoſito uitam: imitari tamen per continuam generationis ſucceſsionem, qua ſeruat ſpeciem quoad poteſt cæleſtem uirtutem: quæ ſpeciem ſimul indiuiduaq; conſeruat: Conſeruat inquam procul à ſubſtantiali motu, neque tamen ſeorſum à motu locali. Sola enim intellectualis natura omnem à ſe motum procul expellit.

LIBRORVM SECVNDAE ENNEADIS PLOTINI PHILOSOPHI SERIES.

MARSILIO FICINO FLORENTINO. INTERPRETE.

F

Primus de cælo.
Secundus de motu cæli.
Tertius vtrum ſtellæ aliquid agant.
Quartus de materia.
Quintus de eo quod in potentia, & eo quod in actu.
Sextus de eſſentia & qualitate.
Septimus de mixtione per omnia.
Octauus de viſu, & quare quæ procul ſunt parua videantur.
Nonus contra Gnoſticos hæreticos.

PLO-

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER PRIMVS DE CAELO.

Quærit utrum cælum ſit ſempiternum tam in qualibet ſingulari eius ſubſtantiâ, quàm in ſpecie. Cap. Primum.

VM Mundum corpus habentem fuiſſe ſemper ac fore dicamus, ſi perpetuitatis huius cauſam diuinæ voluntati attribuamus, primò quidem verum fortè dicemus, nihil tamen perſpicuum afferemus: deinde cùm elementorum mutua commutatio animaliumq; terrenorũ interitus, ſempiternã interim retineat ſpeciem, ambiguum erit, num fortè ſimiliter fiat in vniuerſo: quaſi diuina voluntas id poſsit videlicet ſubterfugiente ſemper fluitanteq; corpore, ſpeciem alias alijs eandem imprimere: adeo vt non numero, ſed ſpecie vnum perpetuò maneat. Nec iniuria dubitatur quam ob cauſam alia quidem in mundo ſolam ſpeciem habeant ſempiternã: quæ verò in cælo ſunt, ipſumq; cælum perſingula quoque ſemper manere dicantur. Si autem ex eo quod mundus in ſe omnia complectatur, neq; ſuperſit quicquam in quod aliquando valeat permutari, neque rurſus in hunc externum aliquid quo diſperdatur incidere queat, perpetuitatis eius cauſam adducamus, toti quidem & omni cauſam ſalutis æternæ congruam aſsignabimus. Sol autem ſtellarumq; reliquarum ſubſtãtia cum ſingula partes quædam ſint, non autẽ totum & omne, nondum ab eiuſmodi ratione certam reportabit fidem: quod in omne tempus valeat perdurare: ſed quemmadmodum igni cæterisq; talibus conuenit ſecundum ſpeciẽ tantum perſeuerare, ſic & ijs conuenire videbitur, imò verò etiã vniuerſo. Nihil enim prohibet, & ſi ab extrinſeco non lędatur, partibus tamen ſe mutuo deſtruẽtibus interitum perpeti ſempiternum, & interea eandem ſibi ſpeciem conſeruare: atq; fluente ſemper natura ſubiecti ab alio quodam ſuſcipere ſpeciẽ, fieriq; idem in vniuerſo hoc animali, quòd & in homine & equo cæterisq; efficitur. Semper enim homo eſt, & equus quamuis non idem. Non igitur aliud qnidem in mundo ſempiternũ perſeuerabit ſcilicet cælum, aliud autem videlicet terrenorum genus interitum patietur: ſed ſimiliter omnia ſe habebunt, ſolo autẽ ſpatio temporis diſcrepabunt: ſunt enim diuturniora cæleſtia. Si igitur hac conditione ſempiternum tam in vniuerſo quàm in partibus eius acciperemus, minor opinionem hanc ambiguitas ſequeretur: imò verò omnis procul aberit dubitatio, ſi diuinam voluntatem ſufficientem eſſe demonſtrauerimus, & ſi ita taliq; pacto ad vniuerſum perpetuò continendum. At ſi quid in mundo perpetuitatem in ſubſtantia inſuper propria poſsidere dicamus, reliquũ erit, vt demonſtremus nunquid diuina voluntas id poſsit efficere. Perſeuerabit etiam dubitatio, cur nam alia quidem ſpecie ſimul & numero, alia verò ſpecie tantùm ſempiterna permaneant: quinetiam partes quæ in cælo ſunt, qua ratione eædem perpetuò ſint: quandoquidem ſic & omnia futura ſint eadem.

B

C

Similiter dubitat & tentat uiam ad reſpondendum. Cap. II.

SI opinionem hanc admiſerimus, dixerimusq; cælum quidem & cæleſtia omnia ſecundum ſingularẽ cuiuſq; ſubſtantiã ſempiternam habere perſeuerantiã: quæ verò ſub luna ſunt id ipſum duntaxat ſecundum ſpeciẽ poſsidere, demonſtrandum erit, quomodo poſsit, quod habet corpus, eandem ſemper ſub ſingulari proprietate ſeruare naturam, cùm ipſius corporis natura continuè per *fluat*. Vetus enim hæc ſententia eſt, cùm aliorũ qui de natura diſputauerunt, tũ

D Platonis ipſius non ſolùm circa alia, verùm etiã circa cæleſtia corpora fluxũ eſſe perpetuum. Ait enim: quónam pacto cum corpora ſint atque viſibilia, naturam immutabilem, ſemperq; eandem conſeruare valebunt? vnà cum Heraclito hac in re conſentiens, dicente ipſum quoq; ſolem aſsiduè fieri. Apud Ariſtotelem quidem haud admodum id difficile fuerit, ſiquis ſuppoſitiones eius de quinto corpore iam conceſſerit. Apud illos autem qui id minimè ponunt, quá nam ratione cæleſte corpus ſub ſingulari proprietate ſubſtantiæ eſſe poterit ſempiternum? cum tamen penes illos ex eiſdem elementis cælum conſtituatur, ex quibus etiam illa quæ hîc ſunt animalia. Præterea multò etiam magis dubitandum id erit de ſole & cæteris quæ in cælo ſunt partibus. Profectò cum omne animal ex anima naturaq; corporis cõponatur, neceſſe eſt cælũ ſiquidẽ ſemper idẽ numero fuerit, vel ſecundũ vtrũq;, vel ſecũdũ alterutrũ eorũ quæ in ipſo ſunt ſcilicet, vel per corpus, vel per animã id ipſum habere. Quicunq; igitur quod ſit incorruptibile attribuit corpori, nihilo ad id anima indigebit, niſi fortè ad hoc vnũ, vt ſemper anima ſit cũ corpore ad animal ipſum cõſtituendum. Ei verò qui corpus quidem ex ſe ipſo poſuerit corruptibile, animæ autem ęternę ſalutis cauſam attribuerit, conandum erit oſtendere, ipſam quoq; naturam corporis eiuſ-
E modi conſtitutioni perſeuerantiæq; minimè repugnare. Quippe cum in his quæ natura conſtituuntur nihil ſit diſſonum: ſed ipſam quoq; materiam ad effectus ipſius intentionem eſſe oporteat prorſus accomodatam.

Reſpondet cælum eſſe ſempiternum, tum animæ tum corporis beneficio. Cap. III.

QVo igitur modo materia corpusq; vniuerſi ad immortalitatem mundi conducet, cum perpetuò fluat? An fortè ob id conferre dicemus, quòd non effluat extrà? Si igitur in ſeipſo, non autẽ àſe ipſo fluit, nimirũ permanẽs idẽ nec augetur, neq; minuitur: neque igitur conſeneſcit. Operæprecium eſt contemplari terram in eadem ſemper figura moleq; permanentem, aerem quoq; nunquam deficientẽ, aquamq; ſimiliter. Atqui quod cõmutatur in ipſis totius viuentis naturam non permutat. Nam & in nobis dum partes aſsiduè permutãtur, effluuntq; foras, diu quilibet interea viuit: vbi verò extra nihil exhalat, natura corporis non diſſentit ab anima, quo minus vnum ex vtriſq; conficiatur animal ſemperq; permaneat. Conducit ad hoc ipſum ignis, acutus quidem & velox, quatenus non quieſcit in terra: quemadmodum & terra, quatenus nõ quieſcit in alto. Poſtquam verò ignis ad alta conſcendit, vbi ſiſtere tranſitum opor-
F tet, nimirum torpere non debet. Neque enim exiſtimandum eſt, ſic cum ſe habere in ſede propria collocatum, vt ipſe minus quàm alia amplificationem ſuã vndiq; quærat. Ad ſuperiora quidem nequit aſcendere (nihil enim ſuperius extat) ad inferiora verò ferri natura non patitur. Quamobrem reliquum eſt, vt ductu facilis ſit in amplum, tractuq; naturali ab anima perducatur ad vitã, ideoq; in pulchra admodum regione, in ipſa videlicet anima moueatur. Siquis autem forſan metuat ne ruat ignis: is etiam inueniet, vnde confidat, ſi modo conſidera uerit quemadmodum illic circuitus animæ inclinationem omnem prȩuenit, circunducens fortiter atq; ſuſtinens. Sin autem nihil penitus ad deſcenſum naturaliter habet momenti, certè quo minus ibi maneat, non repugnat. Partes quidem quæ ſunt in nobis in noſtram compoſitæ formã, cum conſtitutionem ſuã continere non poſsint, appetunt partes inſuper ab alijs mutuari, quibus in ſuo habitu conſeruentur. At ſi è cęlo nihil defluit, nullo prorſus opus eſt nutrimẽto: ſin autem defluit, inde aliquid & extinguitur: ignem oportet viciſsim alterum illic accendi. Quòd ſiquid habet ab alio, quod decidat inde, oportet & aliud eius vice ſuppleri. Verùm ob id non manebit idem animal vniuerſum, ſi & ita res ipſa ſe habeat.

Verum

A *Iterum ratione animæ atque corporis mundum oſtendit eſſe perpetuum. Cap. IIII.*

VEruntamen hoc ipſum iam non tam quoad quæſitum, quàm quoad ſeipſum ſpectat, videtur ſeorſum conſiderandum, An aliquid exhalet inde: ideoq; cęleſtia nutritione quadam, & ſi non proprie dicta, videantur egere? An forte quo ordine illic ſemel diſpoſita ſunt naturaliter conquieſcant, neque defluxum aliquem patiantur? Item numquid ibi ſit ſolus ignis, vel potius ignis quidē ſit quamplurimus: cætera verò illic elementa ab igne penitus ſuperante & attollantur in altum, & per ſublimia transferantur. Siquis enim adiunxerit potiſsimā cauſam ſcilicet animam vnà cum corporibus adeo puris omninoq; melioribus: quandoquidem & in cæteris animalibus natura pro membris principalibus elegit meliora: is certè ſolidam de immortalitate cæli ſententiam in mediū adduxiſſe videbitur. Rectè enim & Ariſtoteles ait, flammam eſſe feruorē quendam, & ignem velut ob ſatietatem iniurioſum atq; luxurians. Ignis autem cæleſtis æqualis eſt atq; quietus, naturæq; aſtrorum accomodatus. Quod verò maximum eſt cum anima optimis proxima, mirabili potentia prædita ſit, quanā via quicquā eorum quæ in ea ſemel poſita ſunt, hanc ipſam verſus interitū ſubterfugere poterit? Siquis autem animam ex deo manantē non iudicauerit omni vinculo fortiorem, is profectò cauſam omnia continentem ignorare videbitur. Abſurdum B certè eſt opinari animā quę ad tempus cęlum continere poteſt, non etiā id ſemper efficere: perinde ac ſi per violentiā cōtinuerit, quód ve naturæ cōſentaneū eſt, aliud quicquam præter hoc ipſum, quod in vniuerſi natura ſitum eſt, atq; in his quæ pulcherrimè diſpoſita ſunt conſiſtit. Item quaſi quicquam poſsit vi quadam illata conſtitutionem mundi diſſoluere, ac veluti regnum & principatum animæ naturam labefactare. Proinde hoc ipſum quod nunquam mundus inceperit (alioquin abſurdū fuerit) de futura eius perſeuerantia facit fidem. Quid enim in cauſa eſſe poteſt, vt mundus aliquando deſinat? non enim elementa mūdi inſtar lignorum reliquorumq; talium conteruntur. Cùm igitur ſemper maneant, nimirum manet vniuerſum. Manet quinetiam ſi continuè commutātur, nihilominus permanet vniuerſum: quippe cùm mutationis cauſa perſeueret. Mutationem verò mundi futuram aliquando ob quandam animæ pœnitentiā opinari, vanū eſſe alibi demonſtrauimus: præſertim cum gubernatio mudi procul ab omni labore, & detrimento ſit poſita. Quinetiam ſi quando corpus totū diſperdi queat: nihil tamen ex hoc animæ accidet alienum.

C *Soluit dubium, cur cæleſtia maneant potius quàm ſubcæleſtia. Cap. V.*

AT cur nam partes in cælo conſiſtunt? elementa verò apud nos, & animalia minimè? Forſan vt inquit Plato: propterea quod illa quidem ab ipſo deo ſunt facta: ſed hæc apud nos animalia à dijs deo genitis ſunt effecta. facta verò ab ipſo deo nefas eſt interire. Id autē idem eſt, ac ſi dicatur, proximam poſt mundi architectum animam eſſe cæleſtem, noſtrasq; ſimiliter: ab ipſa verò cæleſti imaginem quandam produci, ac velut à ſuperis defluentem terrena animalia facere. Cum igitur imaginaria hæc anima ſuperiorem pro viribus imitetur, neq; tamē omnino id aſſequi poſsit, propterea quod deterioribus ad opus ſuū vtatur corporibus, locoq; rurſus deteriori, eaq; in vnum conciliare contendat quæ vix congrediuntur, & congreſſa in vnum inuita manent, nimirum animalia hæc non ſemper viuere poſſunt. Et corpora hæc haud ſimiliter valida poteſtate tenentur: quippe cùm alia his anima proximè dominetur. Proinde ſi totū cælum perſeuerare debet, eius quoq; partes ſcilicet ſtellas oportet perſeuerare: alioquin quonam pacto maneret, niſi illę ſimiliter perdurarent? Quæ enim ſunt

D infra cælum,non amplius ſunt cæli partes:alioquin non vſq; ad lunam duntaxat cælum protenderetur.Nos autem formati ab anima quæ à diſs cæleſtibus tradita eſt,ipſoq; cælo ſecundum illam corporibus cohæremus. Alia namq; anima per quam ipſi ſumus,non ipſius eſſe, ſed bene eſſe cauſa eſt.Accedit enim facto iam corpore,parum ratione ſimul adeſſe conducens.

Solum in cælo eſſe ignem,& quodlibet in ſe purum eſſe:ſed in quolibet eſſe qualitates quaſdam etiam aliorum. Cap. VI.

DEinceps conſiderandum reſtat,vtrũ ſolus in cælo ſit ignis, & nunquid inde defluat aliquid,unde indigeat nutrimẽto? Cùm igitur Timęus mundi corpus ex igne primùm terraq; componat,vt per ignem quidem videri, per terram verò ſolidum eſſe tangiq; valeat: conſentaneum eſſe videtur,vt & aſtra nõ totum quidem, ſed plurimum habeant igneum: quandoquidem aſtra ſolidatẽ habere videntur.Forſan verò rectè ſe id habebit:quippe cùm Plato ſententiam hanc probabili & apparenti ratione confirmet.Nempe ab ipſo ſenſu tum per aſpectum, tũ per tactũ plurimum,vel totum igneum apparet habere: per ipſam
E verò rationẽ conſiderantibus,terrã inſuper habere putabitur, ſiquidem ſolidũ abſq; terra eſſe nõ poſsit.Sed cur nam aqua & aere indiget? Abſurdum enim videri poteſt in igne tanto eſſe aquam. Aer autem ſi illic inſit,in naturam ignis ſubitò permutabitur. Verùm ſi ſolida duo rationem habentia extremorum, duobus indigent medijs,ambiget fortè quiſpiam, nunquid in rebus etiam naturalibus res ita ſe habeat:quandoquidem terram quis aquæ permiſceat,nullo ad hęc conciliandam medio indigens? Quòd ſi dixerimus terræ & aquæ ineſſe iam reliqua, non nihil forſan afferre videbimur: ſed obijciet alius reliqua illa ad duo concilianda minimè conſpirare. Veruntamen dicemus iam inuicem colligari: quoniam vtrunq; poſsideat omnia. Cæterum conſiderandum eſt,an abſq; igne terra videri non poſsit:& rurſus ſine terra ignis ſolidus eſſe non valeat. Si enim ita natura ſit inſtitutum,forſan nihil in ſeipſo ſuam habebit eſſentiam: ſed erunt cuncta confuſa. Appellabitur autem quodlibet ex eo quod prævalebit in ipſo: ſiquidem aiunt terram abſque humore ſibimet cohærere non poſſe. aquę nãq; humorem terræ glutinum eſſe. Verùm ſi & ita id conceſserimus,attamen abſurdum fuerit,dicere quidem quodlibet aliquid eſſe,neq; tamen in ſeipſo conſti-
F tutionem ſibi ipſi ſuppeditare:ſed duntaxat vnà cum cæteris, vbi videlicet nullum in ſe aliquid ſit futurum. Quo enim pacto terræ natura erit, atq; ipſa eſſentia terræ, cum nulla terræ portio ſit id ipſum quod terra eſt,niſi & aqua inſit ibi pro glutino? Præterea quid nam ibi conglutinabit,vbi nulla ſit magnitudo,quã ad proximam partem continuatione connectat? Si enim quantalibet terræ ipſius fuerit magnitudo, licebit terrà ſuapte natura ſine aqua conſiſtere:alioquin nihil amplius erit quod ab aqua conglutinetur. Item terræ moles quidnã ad hoc vt ſit,aere indigebit, aere adhuc manente antequã tranſmutetur? Igne verò terram ad hoc,vt terra ſit,egere non eſt dictum:ſed ad hoc ipſum vt & hæc & alia ſpectari poſsint,igne indigere conceſſum. Rationi namq; conſentaneũ eſt concedere aſpectum à lumine fieri. Neq; enim videri tenebras,ſed non videri dicẽdum,quemadmodum ſilentium non audiri. At verò ignem ineſſe terræ nequaquam neceſſarium eſt. ſufficit enim lumen. Siquidem nix & frigidiſsima multa abſq; igne ſunt lucida:quamuis dixerit aliquis affuiſſe illic ignẽ, & illa antequã diſcederet coloraſſe. De aqua inſuper eſt ambigendum,an nequeat eſſe aqua, niſi terræ ſit particeps? Aer item quá nam ratione terræ particeps appellabitur, cùm ſit molliſsimus:& penetrãtibius quàm facillimè cedat? De igne autem dubitatur,num ipſi opus ſit terra,quaſi videlicet continuitatẽ ex ſe ipſo nõ habeat:

neq;

A neq; trinam dimenſionem, quatenus corpus eſt naturale: ſoliditas verò in ipſo non per trinam dimenſionẽ, ſed per quandam repercuſsionem fortè ponetur. Durities autem aſpera tantùm conuenit terræ: quandoquidem denſitudo auro, quod aqua eſt, competit, non ob terram quidem, ſed propter denſitudinem glutinumq; concretum. Proinde ipſe quidem in ſeipſo ignis cur non præſente anima ſe cum ipſo ad animæ potentiam connectatur? Sunt enim & ignea dæmonum animalia. At ita immutabimus id quòd dicitur vniuerum animal ex vniuerſis eſſe compoſitum. Fortè verò quis animalia terrena compoſita ſic eſſe conceſſerit: terram verò in cælum attollere, contra naturam eſſe dicet, contrariumq; his quæ in naturæ ordine diſponũtur. Iam verò nulla ratione videri probabile, vt celerrimus cæleſtium curſus terrena in ſe corpora perferat. Deniq; terram nitori ſplendoriq; cæleſtis ignis impedimento futuram.

Confirmat idem auctoritate Platonica. Cap. VII.

FOrtè operæpretium eſt audire Platonem dicentem, oportere in vniuerſo eſſe tale quiddam ſolidum, quod videlicet ſit reſiſtens, vt terra in medio collocata fundamentum ſit omnibus per eam incedentibus ſtabiliſsimũ: animaliaq;
B terrena neceſſariò talem quandam habeant ſoliditatem: Terra verò hoc ipſum quod continua ſit, ex ſeipſa poſsideat: illuſtretur autẽ ab igne, particeps quoq; ſit, aquæ ad ariditatem nimiam deuitandam: habeat inſuper facultatem, qua nõ prohibeantur partes eius cum partibus conſpirare: aer deniq; terræ molem quadam leuitate ſuffulciat. Meminiſſe verò oportet terram non ita miſceri igni ſublimi, vt in ipſa ſtellarum compoſitione connumeretur: ſed cùm in vno mundi corpore ſingula collocentur, nimirũ & ignem aliquid habere terreni: quemadmodũ & terra ignei aliquid habet. Ac ſummatim ſingula habere aliquid ſingulorum non adeo quidem, vt quod dicitur alia poſsidere, ex vtriſque conſtituatur, videlicet ex ſeipſo atq; ex eo cuius eſt particeps: imò in ipſa mundi comunione rite ſitum, non tam alterum quàm alterius non nihil accipiat: Velut non ipſum aerem, ſed aeris ipſius liquiditatem: ſic & terra non tam ignem, quàm igneam claritatem. Mixtio autem ipſa adhibet omnia, & vtrunq; conflat in vnũ non terram quidem tantùm, atq; naturam ignis, vel ignem tantùm, atque terræ naturam, videlicet ſoliditatem quandam denſitatemq; eiuſmodi. Teſtimonium his Plato ipſe perhibet dicens: Accendit Deus lumen circa ſecundam à terra
C ſphæram: ſolem certè ſignificans, quem alibi nuncupat ſplendidiſsimum, eundemq; nitidiſsimum. Quibus in verbis omnem á nobis opinionem abigit ſuſpicantem aliquid illic eſſe aliud præter ignẽ. Significat quoq; nullam adeſſe ignis aliam qualitatem præter lumen, quod quidem eſſe ait à flamma diuerſum: calorem verò lenem tantùm atq; ſuauem. Item lumen hoc eſſe corpus: emicare autẽ ab ipſo lumen æquiuocum, quod eſſe dicimus incorporeum: quod quidem ab illo lumine pendet, ex illo micans quaſi flos eius atq; nitor, quod vtique verè dicitur corpus album exiſtere. Nos autem quod terrenum dicitur in deterius accipere conſueuimus: quippe cùm Plato terrã pro ſoliditate quadam accipiat: nos verò vnum aliquid tantùm terram appellare ſolemus, cùm tamen ille differentes in terra conſideret qualitates. Cum igitur talis ignis puriſsimum præbeat lumen, ipſeq; in ſede ſublimi reſideat, ibiq; naturaliter habitet, non eſt putandum noſtram hanc flammam ſuperioribus eſſe permiſtam: ſed ad certum ſpatium percurrentem prorſus extinqui, aere quamplurimo videlicet occurrente: procedentem verò ſæpe cum terra deorſum præcipitari: quippe cum ſuperius tranſcendere nequeat, ſed ſubſideat infra lunam, vbi aerem extenuat proximum: ac ſi maneat ibi flamma, certè facta ſubtilior, euadit, & mitior: ſplendo-

D remq; habet, non quo ad feruorem ſpectat, ſed quatenus à ſuperiori lumine per luſtratur. Lumen verò cæleſte, partim quidem varia ratione diſtributum eſt in ſtellis, in quibus tam colorum quàm magnitudinũ differentia diſcrepat: partim verò in reliquo præter ſtellas cælo ſimili ratione viget. Et ſi oculis non apparet propter corporis tenuitatem perſpicuitatemq; aſpectui minimè reſiſtentem, quemmadmodum in aere quoque puro contingit: accedit ad hæc interualli etiam longitudo.

Quod cælo nihil effluat, nihil influat. Cap. VIII.

CVm itaq; tale lumen vigeat in excelſo, vbi eſt naturaliter conſtitutum, purum videlicet in ſede puriſsima, quánam via poteſt defluxus inde vllus accidere? neque enim natura talis tamq; ſublimis ſua ſponte defluit: neq; rurſus eſt ibi quicquam, quo impellente deorſum præcipitetur. Adde quod omne corpus longè ſe aliter habet, quando animæ coniunctum eſt, quàm ſi eſſet ab anima ſeperatum: corpus verò cæleſte nullo modo eſt ab anima deſtitutum. Item quicquid propinquat cælo, aut aer eſt, aut ignis. Primò quidem ſi aer eſt, non vi
E deo quo pacto agat in cælum: Deinde ſi eſt ignis, nequaquam ad id congruit, tangitq; cælum, vt agat in ipſum. Accedit quod repentè ad cæleſtem permutatur naturam, priusquàm cælum patiatur ab ipſo. Item & magnitudine admodũ minor eſt, & robore longiſsimè cedit. Præterea ignis actio potiſsima eſt calefactio. Oportet autem quod calefaciendum eſt, non eſſe calidum ex ſeipſo. Siquid verò diſſoluatur ab igne, calefieri omnino prius oportet: atq; in ipſa calefactione ex naturali eius habitu dimoueri. Quamobrem nullo prorſus alio corpore ad id opus eſt cælo, vt ſuam ſeruet naturam. Neq; rurſus vt circuitus eius ſit naturalis, quamuis nondum de hoc ſit demonſtratum. Neq; in rectũ vergit cæli motio naturalis: nempe vel quieſcere, vel reuolui natura propria cæleſtia iubet: reliqui verò motus ad violentiam pertinerent. neq; igitur alimonia cæleſtia indigent. Proinde non decet ex noſtrarum rerum conditione ſublimia iudicare: quippe cum neq; animam prorſus eandem habeant continentem, neq; ſimilem regionem, neq; illic ea ſit cauſa, ob quam inferiora compoſita continuè profluentia nutrimento indigere coguntur. Abſit ergo permutatio ab illis ea quæ in his corporibus dominans ex habitu naturæ deturbat: quippe cum alia quædam his natura præſideat, quæ propter debilitatem in ipſo ſuo eſſe contiF nere non poteſt: imitatur tamen in eo quod generari eſt atque generare naturam quoad poteſt ſuperiorem: de qua dictum eſt alibi, non poſſe & ipſam eodem prorſus modo, quo intelligibilia ſe ſemper habere.

ARGV-

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM ENNEADIS SECVNDAE II.

SVMMA LIBRI.

Cælum mouetur ab anima propria, rationali, intellectuali, & in orbem agitur: quoniam anima & intellectus in ſeipſis circuitus agunt.

MOVERI cælum non à natura quadam tanquam elementali uel ſimili, ſed à uita: non à uita quidem externa, ſed interna: per quam cælum uiuat, uita inquàm rationali, imò etiam intellectuali. Item cur moueatur in orbem, atque quo pacto, & Plotinus in præſentia diſputat, & nos in theologia latius pertractamus. ſatis igitur nũc fueritbreuiter attigiſſe. Cælũ uiuere demonſtrat materia formaq; illius uiuentiũ omnium prȩſtantiſsima: motus maximè ſibi naturalis & intimus, nunquam deſerens ſemetipſum: actio perpetua naturaliter cuncta uiuificans: Item rationali uita cælum uiuere, ordo in motibus rebusq; omnibus inde genitis mirabilis indicat: Rurſus intellectuali uirtute uigere declarat conſtantia in rebus motibusq; tam diuerſis efficiendis ſemper immobilis. Neque igitur uel temerario quodam caſu opus tam miranda perpetuaq; ratione diſpoſitum agi moueriq; putabis: uel fortè ratione quidem agi regiq;, ſed quaſi cæca quadam tantùm nudaq; ratione naturæ, quemadmodum à uegetali uirtute per ſeminarias rationes tum in animali membra, tum partes in planta formantur. Eiuſmodi enim ratio naturalis duntaxat, irrationalis ut ita dixerim eſt & cęca, cum nullam ſui ipſius habeat rationem, neque ſeipſam aliquando ſe animaduertendo poſsideat: Tanquã igitur imperfecta regitur à ratione quadam perfectiore, quæ in uirtute animæ uiget ſi opus ſit rationaliter diſcurrente. atque hæc rurſus uelut mobilis à perfectiſsima regitur, quæ in mente regnat immobilis. Illa tandem ratio eſt, uerbũq; Dei, quo tanquam primo quodam cardine cælum agitatum ſimul eſt atque firmatum. Sed iam redeamus ad animam. Anima mundi mater, ex intellectu diuino mundi parte per intellectum prægnans, mundum per rationem concipit in natura. Ex naturali denique fœtu dum ad partum confert imaginatio quædam affectusq; ſimul, mundus naſcitur, imago mentis, rationis expreſsio, uitæ propago neceſſariò uiuens. Hinc Orpheus Iouem mundi fabrum & maſculum appellat & fœminã. Plato etiam mundi architectum alicubi mentem intelligit ſimul & animam, tanquam patrem ſimul matremq; mũdi. Animam eſſe quinque rerum generibus conſtitutam, & qua ratione, in Theologia Timæoq; diximus, & dicemus: eſſentia uidelicet & eodem & diuerſo ſtatuq; & motu. Eſſentiam igitur animæ mundi eſſentia refert: ipſum quoque animæ idem, eadem in mundo materia cõmunis & forma. Rurſus diuerſum animæ repræſentat hic materiæ huius extenſio diſtinctioq; formarum. Motum animæ ſimiliter mundi motus: animæ quoque ſtatum mundi ſtatus in motu. Cùm enim mundi motus ſic ſtare debeat, ut neque ſubſtantiam muter, neq; naturalem relinquat locum, mentò reuoluitur circa idẽ: ita prorſus etiam dum mouetur, minimè diſcedit à ſtatu, & reuolutionẽ animæ repræſentat. Anima enim exordiens à bono ſimul atque intellectu, ad idem rurſus per intellectum uoluntatemq; reuoluitur, ac ſi ratione diſcurrat, ad eaſdem formas unde diſcurrere cœpit, per eaſdem denique redit. Genitalis quoque natura imaginatioq; naturæ comes, ſic ex potentia in actũ in ſe rerum motionumq; generandarum ſemina promit, ut & ordinatiſsima perpetuaq; ſucceſſio fiat, & tandem ad eadem uel ſimilia certis temporum curriculis redeatur. Hanc reuolutionem tã facilè ſaltem mundi reuoluio ſequitur, quàm facilèmorio formatioq; in ſpiritu noſtro, ſequitur efficacem naturæ præpotentis inſtinctum, ſimilisq; imginationis affectum. Hæc autem libri totius eſt ſumma.

Cælum dum mouetur in circum, quantum poteſt in qualibet ſui parte fit totum, atque ita ubiq; totam aſſequitur animam. Manet autem per indiuiſibile centrum ſicut anima manet per intellectum atque ſubſtantiam. Cap. Primum

TRadit uerò Plotinus in capite libri primo ex Platonis noſtri ſententia, cælum moueri per orbem, quoniam intelligentiam imitetur: proximè quidem intelligentiam cæleſtis animæ, altius inſuper diuinæ mentis intelligentiam. Hæc enim primus circuitus eſt tum à bono retortus in bonũ per ipſam boni lucem, tũ ex intellectu in eundẽ intellectum per formas proprias reuolutus. Circuitus ergo & in anima fit uirtute mentis, & in cælo mentis imitatione peragitur. Sed in mente quidẽ & quauis intelligentia momento fit æterno: in diſcurſione uerò animæ propria ſaltem particulari

D fit tempore: in cęlo tandem non corpore tantùm, ſed loco etiam cogitur indigere, qualiscunque ſit locus. Quęritur autẽ quidnam edat eiuſmodi motum? Non corpus ipſum cęli, corpus enim qua ratione corpus nihil agit, anima igitur motum ex ſe producit in corpus: neque tamen generis eiuſdẽ eſt motus in anima ſimul & corpore. Nam & in corpore noſtro ſpirituqúe per uoluptatem quidẽ ſit dilatatio, contractio per dolorem ad quendam animi motum, qui neque dilatatio, neque contractio in animo tanquam in diuiduo eſſe poteſt. Eſt autem anima ſcilicet ſecunda ex qua ſit proximé motus, ita quaſi continua corpori, ut ex ea & corpore animal unum, ſcilicet cælum efficiatur. Ac dum ipſa quodam motu formali, ideſt, ab actu quodam formæ in alium formæ actum affectũq; uoluitur, iterumqúe reuoluitur, interim cælum motu quaſi locali aliter & aliter figuratur. Si ergo ſtaret anima, ſtaret & corpus: quamuis ad motum animæ corpus aliter moueatur. Iam uerò corpus qua corpus eſt, quatenus per diuerſas dimenſionis partes extenditur, id nactum eſt, ut per diuerſas quoque partes temporis perducatur. Haberet etiam ut traheretur in rectum, atque ita forſan diſſiparetur, niſi in figuram ſphericam fuiſſet ab anima intellectuali redactum. unde factũ eſt ad circuitum natura propenſum. Itaque corpus cæli cogita quaſi ſpiritum ab expirante anima proſilire uelut in rectu, mdiſperſioni ſic prorſus obnoxium, ſed uiciſsim anima reſpirante protinus cohiberi: atque cum flante anima quieſcere neqeat, in orbem circa animam, imò intra animam neceſſariò retorqueri. Huius ergo motum non omnino localem eſſe memento: Locum enim quem nactum eſt ab initio, nunquam mutat: neque totum hunc illuc aliquando tranſit, ſed partibus
E quodammodo tranſeuntibus totum interea conquieſcit. Motus ergo circularis cæli localis eſt per accidens, ideſt, ſecundum ſui partes pertranſit loci partes per accidens, ideſt, non ex propoſito animæ principali. Quidnam eſt principale propoſitum animæ ſimul, & præcipuus corporis huius inſtinctus? Motus certé in anima eſt tranſitus quidam de alio ſemper in aliud. Quum enim pars eius inferior non ſit adeò potens, ut ſicut ſuperior cuncta ſimul in ſe promat in actum, uelit autem in actum ſua omnia promere, ſucceſsione perpetua facit quod ſemel conſequi nequit: quum uerò terminatæ ſint ſpecies actuum, omnes poſtremò conſumat, ſed cunctas adhuc ſimiliter appetens, uiciſsim replicat omnes: idqúe quamcelerrimé peragit, ut ipſa reſumendi celeritate uideatur quaſi non dum amiſiſſe. Eadem ratione atque ſimilitudine cælum configurationes omnes perpetua ſucceſsione uiciſsitudineqúe commutat. In hoc itaque tum animæ, tum cæli nixu præcipuum uotum non eſt tranſire, ſed ſemel quoad fieri poſsit actu cuncta complecti: ac ſi pertranſeant quamprimùm tranſacta reſumere, actumqúe cunctorum continuare. Eſt igitur animæ motio uitalis, ſentiens, excogitans: ſed ita ſimul, ut affectet omnes uiuendi, ſentiendi, cogitandi actus, & formas ſimul habere, & abſolutè omnes animaduertere. Item ſimiliter per totam ſe conuiuere ſimul undique ſua mutuò omnia perſentire: ſimul quoque cognoſcere: ut ubique totius ſit uita, ſenſus, conſcientia ſui, non extra, ſed intra procedens. Similis huic ſit motio cæli. Finge ſpatium quoddam æquale cælo, in quo rotetur, ſiue ſpatium hoc ſit aliud præter cælum, ſiue potius id ipſa ſit cœli natura: idque ſpatium ſicut & cælum in centum diuide portiones, à circunferentia ſcilicet ad medium productas In longum, lineis undique deſignatas, ab amplo uide-
F licet in anguſtum paulatim ordine deſinentes. Hoc itaque tanquam fundamentum naturamqúe ſuam cælum ſe toto, totum appetit poſsidere: ſe toto inquam, ideſt, cunctis undique partibus ſuis unamquamque partem eius attingere. Nequit autem contingere ſimul: id enim ſpatij protenſio prohibet: properat itaque celeriter ſuccedendo per omnes ſui partes, mox partes eius attingere ſingulas, ut totum ubique toto naturali ſpatio, imò tota ſui natura pariter perfruatur. Atque hoc eſt quaſi communis & mutua ubique conſpiratio uitæ, & quaſi quædam intimi ſenſus cognitionisqúe communio. Iam uerò & ita uidetur animam quæ per hoc ipſum ſpatium tota eſt ſimul ubique pro uiribus imitari, dum ipſum quoque quamcelerrimé ubique fit, totum totamqúe ubique ſic aſſequitur animam, motu ſcilicet quodam animam quæ mouetur: mouetur inquam anima non ſolùm formali intimoqúe ſicut dixi motu: ſed quodammodo etiam motione locali, quatenus ipſa non reſidet in anguſto, ſed per totum undique ſpatium ſe diffundit. Non enim poſſet corpus & extenſum & mobile aliter uita formare, quàm ſui quadam diffuſione motúque. Eſt enim uita corporis, motio quædam: nam & corpus ſolidum uiuit eatenus, quatenus per ipſum ſpiritus ſe diffundit & agit: & ſpiritus ipſe uiuit, quatenus per ipſum ſimiliter anima ſe propagat. Quod igitur in animali ſiue particulari ſiue mundano præcipuum eſt, ideſt, anima, connectit reliqua ideſt, ſpiritum ſuum proximé, ideſt, cælum: connectit inquam tum ſibimet animæ, tum ſibi ipſi cælum: per cælum quoque uelut ſpiritum connectit ſimiliter reliqua inſuper elementa ſimul & mixta. Vult autem Plotinus circuitum igni ex prouidentia natura neceſsitate competere. Mẽs enim diuina prænidens ignem fore corpus, & corpus quia per ſubſtantiã in partes extenditur extra

partes

A partes ideo per actionem in momenta ſecundum prius atque poſterius proceſſurum, quod quidem eſt moueri, & id quidem ex prima corporis natura, rectè moueri: & iccirco igneum corpus diſſipabile fore cognoſcens, meritò ut caueret interitum, primæ corporis naturæ, ideſt, dimenſioni naturaliter mobili, mox quaſi ſecundam adiunxit naturam, ideſt, ſphericam dimenſioni figuram. Tota igitur igni natura à prouidentia tributa eſt per primam, ſiquando extra naturalem locum fuerit conſtitutus, recto uelut breuiori tramite ſedem propriam repetit per ſecundam ſimul & primam. poſtquam in ſedem propriam ſe recipit, libentiſsimè conquieſcit. Cùm uerò dum in loco proprio permanet, permaneat etiam in natura, quæ quidem eſt moueri, meritò illic quieſcit in motu. Quod ſanè nihil eſt aliud, quàm circa idem centrum ambitumqúe reuolui, conferente uidelicet ad hoc tum hac ipſa natura quæ eſt moueri, & in loco proprio in motu quieſcere, tum etiam circulari figura. Ad idem præterea confert ipſa neceſsitas naturam & prouidentiam ſequens: nempè quum ibi quoque moueri appetat naturaliter, uel etiam ſi forte uelit in rectum ex natura uidelicet prima, neque tamen poſsit in rectum, per eadem neceſsitate relabitur. In rectum inquam non poſſe, neq; enim datur eiuſmodi ſpatium infinitum. Nam in eiuſmodi ſpatio in rectum ſparſo per partes extra partes naturalis paulatim ſpatij uirtus debilitata per immenſum uigere non poteſt. Neque putandum eſt per certum quoddam ſpatium in longum rectè productum corpus cæleſte uices hinc inde repetere. Oppoſiti enim motus illi inter ſe forent, ideoqúe inter illos undique media quies interueniret. Primus itaque motus non uniformis perpetuusqúe foret, ſed diſformis ſtatim & interruptus

Ignis ergo cæleſtis in loco proprio poſitus perfecto ſemper perpetuoqúe orbe rotatur: præſertim quoniam moueri huic in loco non eſt aliud, quàm in ſe ipſo moueri. Partes enim uniuerſi corporis

B *in alio præter ſeipſas loco ſunt. Vniuerſum uerò corpus præcipuè per extimum eius ambitum locus eſt uniuerſus:* quemadmodum ſinguli quidem motus in temporibus certis aguntur: primus autem uniuerſuſq; motus, idem fermè iſt atq; tempus: ſicut & ſtatus primus æternitas. Proinde quòd in hoc orbe perfecto continuoqúe & perfectè moto per orbem aliquid ipſius maneat, inde patet, quia neque quicquam rectè motionis habet, neque totum ipſum alicunde mutat locum. Item non poſſe aliquam huius orbicularis & ſolidæ dimenſionis partem, quæ dimenſionem habeat permanere dum tota mouetur, conſtat ex eo, quòd motu non frangitur, ſed ubique permanet integra ſimul atque continua. Hoc ipſum ergo quod manet in orbe, dum agitatur eſt indiuiduum. & id quidem orbis eſt medium. Nam quum medium uerſus creſcat tarditas paulatim, conſtat ipſum medium penitus conquieſcere. Ac ſi fingas dimenſionem aliquam in medio poſitam eſſe centrum: certè hæc quum comprehendatur in ſphera, ſphericè figurabitur. Tum uerò quæram: utrum ſpherula hęc tota maneat nec ne? Si totam dixeris permanere, uniuerſus iam fractus eſt orbis: ſin per circunferentiam quidem uolui, per centrum uerò quieſcere, de centro rurſus interrogabo. Si diuiſibile dixeris, redibit quæſtio prior: atque infinitè cogeris errare, neque medium inuenies unquam. ſin indiuiduum confiteberis, fatearis oportet, ſolum indiuiſibile aliquid in ſphera continua quietem agere. Idqúe non tam ſignum eſſe aliquod atque punctum, quàm ipſum ſpheræ cor, animæqúe uirtutem, aut ipſam potius animam. Quum uerò ad hoc indiuiduum, quaſi uiuificum fundamentum totus orbis naturali deſiderio properet, neque ad indiuiduum cogi uelit, ne naturalem perdat

C figuram meritò circunuoluitur. Sic enim per omne punctum lineamqúe in ſphera ſignatam tota ſphera ſe inſerit paulatim, ut ſic ſaltem quaſi uideatur indiuidua fieri, & tota ubique ſicut & anima, atque undique tota totam animam contueri. Iam uerò non negabis, ut arbitror totum hoc uiuere, dum conſiderabis in huius aluo, huiuſque uirtute minima quæque uiuere. Si autem totum uiuit, uiuit maximè cælum, quod pars totius maxima eſt, & totum. Quod ſi cælum uitæ diuinioris dixeris inſtrumentum ad uiuentia generanda, confiteberis adhuc naturale hoc & proximum uitæ diuinioris quaſi genitale, ut ita dixerim, inſtrumentum, uita iam propria uiuere, cuius fomento, in cuius utero in uitam omnia coaleſcunt. Siquidem non aliter quàm per hoc iam factum inde uiuum, in reliqua beneficium uiuendi traducitur. Vita hæc cælo propria, eſt ipſa cæli & uniuerſi natura, per quam cæli motus uelut primus & naturalium motionum ductor, eſt maximè naturalis & intimus, uoluntariuſqúe quam maximè, ut tam libenter cælum ita moueri uelit, quàm ſtudioſè uel uita ſuperior, uel propria cæli uita cum ſuperiore conſentiens mouere decernit. Hinc fit, ut motio hæc facillima ſit atque perpetua: tum quia in ſphera eiuſque motu quodcunque ſignaueris quaſi finem, erit ſimiliter ut principium: tum quia uirtus actuſqúe mouendi in anima, eſt ipſamet naturalis animæ uita. Hac itaque uita, hac anima quæ ubique tota eſt, & quaſi moueatur, reddit totam ſe ubique præſentem, ſicut in momento lumen: cælum quoque utcunque poteſt reuolutione duntaxat ubique ubique fit totum, perqúe motum fruitur anima mobili, neque aſſequuturum eſt quam ſequitur animam, aliquando aliter quàm momento quolibet aſſequatur.

D Itaq; ad animam imò etiam intra animam ſuo quodam pacto perpetuò reuoluram, cœlum ſuo quo que modo ſempiternè conuoluitur. Sic & totus orbis per quaſlibet ſui partes quibuſlibet fruitur ſui ſpatij naturæq́ue partibus, & quælibet ſphiera minor per totum undique conuexum toto ſuperioris concauo aſsiduè fruitur, dum reuolutione perpetua cunctas ſui partes ad partes amplioris ſingulas adhibet: idq́ue ſemper agit amore. Sic & ampliores orbes per omnes ſui plagas quaſlibet inferiorum plagas aſpiciunt atque fouent. Sic tandem nariatis ſuperne motu figuris, apud nos uariantur & formæ, multiplicanturq́ue ſingula, & per ſimiles reuolutionum reditus ſimilibus apud nos redeuntibus, cuncta rerum ſpecies conſeruantur.

Anima rationalis libero motu mouetur, irrationalis ſequitur uniuerſum. Item in uniuerſo circunferentia deſiderat centrum, eoq; fruitur per circitum. Item ex circuitu animæ mentiſq; circa deum prouenit in cælo circiutus. Cap. II.

IN Secundo capite quæſtiones circa ſuperiora mouet & ſoluit. In prima quæſtione notabis cælum quidem per omnia eſſe diffuſum, corporáque omnia uel proprias cæli partes eſſe, uel partibus eius annexa, ideoque cæli tractu moueri. In quæſtione ſecunda conſiderabis omnem rationalem animam exiſtere aliquid in ſe totum, nec eſſe uniuerſæ animæ partem. Quod quidem præcipuè patet ex tribus: Primò quia nulla pars toti continua motu proprio reflectitur in ſeipſam:
E nulla rurſus toti æquare ſe poteſt: nulla denique toti repugnat. Anima uerò rationalis in ſeipſam ſui ipſius animaduerſione conuertitur: ordinem uniuerſi metitur, ipſumq́ue tranſcendit ad cauſam uniuerſi procedens: ſeipſam aliter ſæpe ducit quàm trahat natura totius: ſiue ſurgat in melius, ſiue labatur in peius. Quod autem apud nos eſt, ſiue corpus, ſiue uita propria corporis, pars quædam eſt mundani corporis mundanæq́ue uitæ: ideoque plurimum tractum ſequitur uniuerſi. In tertia quæſtione tractatur, mundi corpus ideirco perpetuò peruagari, ut pro uiribus ubique ſit totum ſicut ubique tota ſimul eſt anima, & ubique ſimiliter anima perfruatur. Hinc concluſiones quædam in medium adducuntur: Prima eiuſmodi: Quum poteſtas animæ ſcilicet uitalis in centro mundi uelut in animalis corde maximè uigeat, atque inde per totum undique ſe diffundat, meritò corpus hoc mundanum uitæ cupidum circa medium ſeſe uerſat: ad idem uidelicet ab anima ductum. Sic enim ad quaſlibet lineas à circunferentia deductas ad centrum ſeſe totum conferens, per eaſdem centrum undique uidetur attingere. Neque uerò iniuria à centro fit tum molis extenſio, tum propagatio uitæ. Hoc enim eſt neceſſariò primùm, quoniam indiuiduum eſt ac prorſus immobile. Vnumquodque uerò prius in ſe hoc ipſum quod eſt cogitatur eſſe, quàm extendatur. atque quod eſt indiuiduum atque ſtabile diuidua omnia mobiliáque præcedit. Secunda concluſio: ſicut in corpore mundi medium eſt, à quo cætera pendent, ſic in anima medium eſt intellectualis ipſa ſubſtantia: à qua tum reliqua uirtus omnis, tum uita ſecunda procedit. Atque ſicut in anima quod reliquum eſt, circa præcipuum eius uelut medium retorquetur: ſic tota machina circa centrum. Vbi notabis ipſam cæli ſubſtantiam non minus, imò magis in centro ac penes ipſum, quàm in circunferentia
F eſſe ponendam. Concluſio tertia: Sicut corpus circa animam, ſic anima uoluitur circa Deum: uoluitur inquam tũ perpetuo quodam naturali; inſtinctu, quamuis nobis occulto, tum meditationis ſtudio & amore, tum uerò & ſi non aſsiduè quælibet anima permanet penes Deum, quælibet tamen certo circuitu quandoque redit ad Deum. Item ſiqua non poſsit unico uel intuitu contueri, uel tactu tangere Deum, ſaltem intuitu tactúque multiplici uiciſsim ſe uerſat in Deum. Poſt hæc quæritur: utrum idem rationales animæ omnes efficiant? Reſpondet ſtatim, omnes ſemper efficere: omnes enim perpetuo quodam intelligentiæ actu, quamuis nobis occulto diuina mente deóque fruuntur. Omnes rationali quadam diſcurſione idem uel agunt, uel agere moliuntur. Hic autem animaduertes omnem actum ab alio termino in alium procedentem, etiam ſi fiat ſubitò ac ſine medio, motum poſſe uocari: ſic intelligentiam ex mente diuina procedentem in ipſum Deum, motum & circuitum quodammodo nominabis. Actum uerò ab alio in aliud ſubitò quidem, ſed per medium procedentem, motum nomine magis proprio poteris appellare: hoc inquam motu intellectus animæ per diuinum intellectum quaſi medium uertitur circa Deum. Actum denique ab alio in aliud tum per medium tum tempore tranſeuntem, nomine maximè proprio motum rite uocabis. Hoc rationalis natura circuitu, tum in ſe uoluitur circa formas, tum ex ſe ad intellectum ſuum, perq́ue hunc ad diuinum, perq́ue diuinum ſe uertit ad Deum. Quæritur deinde utrum corpora noſtra ſic ad reuolutionem animæ noſtræ, ſicut mundi corpus ad animæ ſuæ ambitum reuoluantur? Reſpondetur: corpus quidem ſolidum & compoſitum id minimè facere, quia potius moueatur in rectum, tum quoniam quæ in eo ſunt, extra locum ſunt poſita naturalem: tum quo-

niam

A tiam ob indigentiam trahitur ad externa. Corpus uerò cæleſte quod eſt in nobis occultum, orbicularem ſui figuram ad figuram terreni corporis cui inſinuatum eſt ab initio redegiſſe, quum hinc exiret eam ſubitò recepturum: Interea uerò orbicularem motum quodammodo impediri: poſſe quinetiam tentari pro uiribus atque agi, quatenus fert corporis terreni figura: At quum primùm anima terrenum exit corpus, quolibet animæ nutu corpus illud agillimum ſimiliter agitari. Eſt enim quaſi quidam animæ oculus, ſed facilius animæ nutu rotatur, quàm oculus noſter uiſualis uiuentis aſpectu. Subdit Deum cunctis ineſſe uelut centrum, ſuáque uelut eſca mentes & animas ad ſe prorſus allicere: atque has quidem non tam notitia, quàm affectu ſe uertere circa Deum, eodemque affectu pro uiribus ad idem conuertere corpus. Non enim notitia, ſed affectus eſt mouendi principium. Illa enim quaſi imaginaria, hic autem ſubſtantialis potius eſſe uidetur: illa rurſus in ſe potius requieſcit, hic uerò trasfertur ad aliud. Inter hæc ſi de motu ſtellarum quæſieris, Plotinus cum Platone reſpondet: eas non tantùm à ſphera moueri, uerùm etiam proprio circa ſuum centrum motu uerſari. Quoniam quæ quaſi ſeiunctæ propriam ſubſtantiam uitamque poſsident, motum quoque proprium habeant. Moueri quidem ſtellæ globum ad animæ motum: ita ut quemadmodum anima circuit erica Deum, ſic & globus circa ſuam animam reuoluatur. Vbi dicit animam Deo fruentem gaudio protinus exultare, ſignificat globum ibi cæleſtem non tam animæ cupiditate, quàm gaudio uolui: ſicut & animi noſtri gaudio ſpiritus dilatantur, membráque geſtiunt. Quòd autem dicit circuitum ibi fieri non conſilio, ſed neceſsitate naturæ, intellige tum ipſum bonum neceſſario quodam tractu rapere animas intuentes: quoniam ipſum bonum quod omne bo-
B num eſt, in quo omnis uolendi ratio continetur nolle non poſsit: tum quoniam animę id intuentes, non conſultent. Deinde utrum eligant nec ne, & utrum ſic corpus aliterue moueant ſed primo ſubitóque inſtinctu appetant, gaudeantque, & moueantur, & moueant: præſertim quoniam in qualibet mente idem eſt eſſe naturale ſuum atque intelligere: idem fermè intelligere quod & uelle. Similiter in uegetali natura quæ ibi mentem ſequitur, idem eſt uiuere, uiuificare, mouere. Triáque hæc, tria illa neceſſariò comitantur.

Quòd uires ſunt in anima mundi, & quomodo ad orbem ſuperiorum inferiores orbe mouentur, atque ad circuitum infimè cælum denique circuit. Cap. III.

TErtium libri caput hunc in modum ſuperiora confirmat: Anima prima in mundo tanquam animali ſuo regnans, uitalem quidem uirtutem à centro uelut corde per totum propagare uidetur, ſenſualem uerò motricemque à ſpheris ſuperioribus uelut à capite incohans cæteris inde communicare, rationem exercere in ſe, mentem in mente diuina. Quod quidem miſterium ab Orphęo uidetur acceptum. Iam uerò quemadmodum ſpheram uidemus ſuperiorem continere inferiorem atque mouere: ſic animæ mundanæ ſubſtantia uitam corpori ſuo communicatam complectitur atque circunducit. Similiter uires in ipſa ſubſtantia, uires in hac uita conuoluunt. Eſt in ipſa ſubſtantia intellectus, ratio, imaginatio prima, quæ ſenſus primus eſt & communis & omnis: quæ rationi coniuncta ſæpe nominatur opinio: ſicut & ratio imaginationi coniuncta uiciſsim opinio
C nuncupatur. Hæc ratio, hæc imaginatio ſuapte natura tales ſunt, ut officia ſua diſcurrendo tempore tranſigant, niſi mente corroboratę regantur: ſuos tamen quamuis momento circuitus agunt, ſicut & radius uiſualis, & quiliber momento fermè eodem foras emicat atque reflectitur. Ab hac igitur animæ mundanæ ſubſtantia, quæ natura ſua dignitate naturæ ſeparata eſt à corpore, non aliter mundanum corpus alitur atque ducitur, quàm per uitam (ut diximus) inde corpori prorſus addictam: quæ quidem uita à ſuperiori ſubſtantia quantum ſubſtantia eſt, habet ut alat, moueatque alendo: Quantum uerò illa ſubſtantia eſt cognoſcens, habet rurſus ut imaginando cognoſcat. In hac itaque uita officium genituræ ita cum imaginatione concurrit, ut ſeſe mutuò moueant. Sicut ad genituram parata eſt, ſic prorſus imaginatur: ſicut uiciſsim imaginatur, ita ſit promptior ad gignendum. In nobis quidem uirtus eiuſmodi neque patet ſuperiori uirtuti noſtræ, eamque latet agendo, ſi quidem non tam inde quàm à mundi natura dependet: tum quia cùm anima noſtra primùm deſcendit in corpus, corpus iam alia uita uiuit: tum quia hæc uita corporis etiam ſi ab anima noſtra dependeat, quum tamen euadat propria corpori: corpus uerò noſtrum ſit pars corporis uniuerſi, meritò & ipſa uitam ſequitur uniuerſi. At uerò in mundi uita & natura comitatur imaginationem ſibi coniunctam, atque uiciſsim, & uita hæc cum uirtute ſimul utraque ex animæ ſubſtantia prodit, & micat ex animæ uiribus, atq; inde mouetur. Sed quoniã uita hæc ſingula genitura eſt, imaginatur & ſingula: atque ut ipſum uniuerſi ordine ritè queat imaginari, ducitur ab imaginatione priori rationaliter ſingula cogitante, utpote quæ proximè ſit rationi coniuncta.

D Ratio uerò uniuerſa uiciſsim contuetur & ſingula: intellectus denique in uniuerſis ſingula com prehendit. Quamobrē cæli motus in orbē ſequitur ſuę uitę motū, quatenus eiuſmodi uita à ſuperiori uirtute ſubſtantiáque uelut orbe comprehenditur & retorquetur in orbem. Si quidem in qualibet ſphęra corporea, quæcunque pars toti continua moueatur, ſecum trahit & totam, dum partes quidemanteriores motu propellit, & poſteriores interea trahit. Itaque & ſphæra nimirum ſuperior motu ſuo uibrat inferiorem. Denique ſicut dum animus noſter lætatur, ſuóque modo mouetur opinione boni ſubito corpus præſertim, ſpiritus ſuo etiam modo, quamuis alio ſcilicet locali mouetur ſic & genitalis in mundo uita per imaginationem ſuam ab imaginatione rectam ſuperiore bono fruens, atque geſtiens, & exultans corpus ſubitò ſuum concitat ducitque tripudio. Imaginatio quoque ſuperior tum à ratione directa in bonam, tum ipſa bono iam reperto congratulans exultatione mouetur: quúmque circa bonum ſe uerſare deſideret, ipſúmque bonum ſit ubique, nimirum choream agit ubique. Similiter agit & ratio ad bonum intellectu directa: ſimiliter intellectus bono proximè concitus. Sed quoniam bono proximus eſt, neque dum agit ad ipſum formali quopiam indiget medio, multóque minus medio temporali, iccirco dum mouetur, ideſt agit circa bonum, dicitur & patitur conquieſcere. In quo certè primus eſſe ſtatus exiſtimatur, per quem conſiſtit in primo: & iccirco quæcunq; dum mouentur, ſtare ſimul dicuntur in motu, quod eſt orbe moueri, id muneris ab intellectu nacta cenſentur. Sed argumentum iam hac animaduerſione conclude, ut memineris ſubſtãtiam & uirtutem animæ ſuperiorem ſi cum inferiore uita uirtuteq; comparetur, tum

E centrum, tum circunferentiam iudicari. Centrum quidem quantum ſuperior hæc ſtabilior eſt atq; ſimplicior ab hac reliqua prodit, ad hanc appetitu reuertitur. Circunferentia uerò quantum ſuperior, proculdubio multis inferiorem gradibus uirtutis excedit. Quo quidem uirtutis exceſſu uelut ambitu quopiam ampliore, inferiorem illam, uelut angu ſtiorem ſupereminet, & complectitur atq; conſeruat, & ducit pariter atque reducit.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI

LIBER SECVNDVS.

DE MOTV CÆLI.

Motus cæli ſit ab anima intellectuali, & ſit in circulum: tum quia & anima & intellectus circuitum quendam in ſe ipſis faciunt: tum quia ad circuitum confert circularis figura cæli Cap. Primum

F

QVARE Cælum mouetur circulo? quia mentem imitatur. Sed cuiuſnám eſt ille motus? animæ ne an corporis? Quid ergo? núm quoniam anima in ſphæra eſt, atque hæc circa ipſam procedere properat? Item numquid eſt in ea quaſi non continua an potius ſta ut ipſa mota commoueat? At forſitan oportebat animam commouentem haud ultra mouere, ſed iam moueriſſe. Id autem eſt efficere potius vt permaneat, neque agitare ſemper in gyrum. Fortè enim & ipſa ſtabit, aut ſi moueatur non tamen loco mutabitur. Quo igitur modo mouet loco, quum ipſa modo quodam alio moueatur? Forſitan circularis motus non uideatur alicui eſſe localis. Quòd ſi ſecundum accidens ſit motus eiuſmodi, qualiſnam igitur per ſe eſt hic motus? Profectò conſpiratio quædam in ſeipſam conſentiens, ſuorúmque conſcia atque uitalis, nec extra ullo modo uel uſquam nec aliò uergens, in qua oportet cuncta comprehendi. Quod enim in animali principale eſt, comprehendit in ſe cuncta, & conflat in vnum. Non complectetur autem vitaliter ſi quieſcat: neque quum habeat corpus interiora ſeruabit. etenim uita corporis eſt motio quædam. Quòd ſi motus

A tus eiuſmodi etiam ſit localis, vtcunque poterit agitabitur: Neque tanquam anima ſolùm, ſed tanquam corpus animatum atque viuens: adeo vt agitatio talis ex motione corporea ſimul & animali ſit mixta: quippe quum corpus quidem ſuapte natura feratur in rectum, anima verò contineat: atque ita ex vtriſque conficiatur motio quædam, in qua ferri ſimul ſit atque manere. Si autem circuitus motio corporis eſſe dicatur, quónam modo ritè dicetur, quum omne corpus vel ipſe ignis recta motione feratur? Fortè verò dicendum eſt via recta procedere, donec eò perueniat, vbi eſſe eſt naturaliter inſtitutum. Vt enim ordine inſtitutum eſt, ita videtur & manere ſecundum naturam, & ferri in quod eſt ordinatum. Cúrnam igitur non quieſcit ignis, poſtquam fuerit ſedem propriam conſequutus? Numquid quoniam ipſa natura ignis eſt in motu verſari? Itaque niſi voluatur, nimirum diſtractus in rectum protinus diſſipabitur. reſtat igitur vt agitetur in orbem. At verò id iam eſt prouidentiæ munus. Eſto id quidem: nam & ipſe ignis in ſeipſo eſt ab ipſa prouidentia poſitus. Quapropter ſi ibi fiat, ex ſe circulariter reuoluetur. aut forſan ſi rectum cupit motum, vbi non habeat vltra locum ad quem feratur, neceſſariò quaſi circunlabens, quibus in locis poteſt, iam reuoluitur. Nullus enim huic vltra ſeipſum patet locus. Hic
B namque eſt locus extremus. Itaque circucurrit ea in ſede quam poſsidet: imò ipſe ſui ipſius eſt locus ſic naturaliter inſtitutus, non quidem vt maneat, ſed feratur. Proinde in circulo centrum quidem natura quieſcit: exterior verò circunferentia ſi quieſcat, centrum erit ingens. Potius igitur aderit circa centrum, corpori videlicet viuenti, atque naturaliter ſe habenti. Sic enim ad ipſum medium nutu continuo conſpirabit, non videlicet conſidendo, alioquin orbem perderet, ſed quando id non valet, ſaltem circumuagando. Hac enim ratione duntaxat appetitum prorſus explebit. Quòd ſi anima circumuoluat, nunquam defatigatur: neque enim vel ipſa trahit, vel corpus præter naturam agitur. Id namque ipſum natura eſt, quod ab anima vniuerſi eſt ordinatum. Præterea mũdi anima vbique exiſtens non diuiſa per partes, ſed vbique tota, dat & cælo, vt & ipſum quoad poteſt ſit ubique. Poteſt autem duntaxat ex eo quod pertranſeat progrediatúrque per omnia. Quieſceret ſanè ipſum, ſicubi quieſceret anima, quum tandem ad animam peruenisſet. Nunc verò quum anima ipſa quam appetit totam ſe per totum fundat, nimirum ipſum quoque paſsim ſequitur animam. Quid igitur, án nunquam animam aſſequetur? Forſan uerò ſic eam ſemper aſſequitur, imò ipſa potius cælum ad ſe ſemper agens, ſemper agendo, mouet, & ſemper. Non alio quidem mouens, ſed ad ſeipſam & in eodem, non quiC dem in rectum, ſed circulo ducens, ideóque tradit illi, vt quocunque peruenerit, ubi reperiat ipſam. Quòd ſi quieuerit anima, tanquam hac duntaxat illic manente, vbi quodlibet requieſcit, conquieſcet & cælum. Si ergo non alicubi tantùm eſt anima, ſed vbique, nimirum per omnia mouetur cælum. Quúmque non feratur extra, meritò retorquetur in orbem.

Soluuntur quæſtiones: quomodo moueatur anima, & corpus hominis. Rurſus quomodo cælum in circulum. Cap. 11.

Cætera verò quánam ratione mouentur? Profectò non quòd quodlibet eſt totum, ſed pars vnumquodque & proprio loco contentum: cælum verò totum eſt ac veluti locus, neque quicquam prohibet: ipſum enim eſt vniuerſum. Quo igitur modo mouentur homines? Fortè qua ratione à toto depẽdent, pars eſt vnuſquiſq; qua verò ipſi nos ſumus, quilibet totum eſt propriũ Item ſi vbicunq; ſit corpus, reperit animam, quidnam cogitur peruagari? Fortè quia neq; ſolũ alicubi viget anima, neq; ſolũ alicubi eã aſſequi corpus affectat.

D Si autem poteſtas animæ circa medium viget, hac etiam ratione fit motus in circulum. Medium verò non eadē ratione in anima, qua & in corpore eſt ponendum: ſed in anima quidē medium eſt á quo alia dependet vita, in corpore verò medium eſt conditione locali. Quamobrē proportione quadam medium hîc eſſe oportet: vt enim ibi, ita & hîc medium eſſe debet: quod quidem duntaxat medium eſt corporis atq; huius quidē ſphærici: nam ſicut illud, ita & hoc circa ſeipſum. Quod ſi ita eſt, anima rurſus reuoluitur circa deū affectatq; complecti & vtcunq; poteſt circa ipſum ſeſe habet, cuncta enim à deo dependēt. Quoniā verò non pērmanet penes ipſum, ſaltē ſe verſat circa ipſum: cúrnam igitur non omnes id efficiunt? Imò verò quelibet vbicunq; eſt id agit. Sed cúrnā corpora quoq; noſtra idem minimè faciunt? Quoniam videlicet, adiunctum eſt quod recta motione progreditur, & impetus inſuper ad alia uergunt. Quod rurſus ſphæricum eſt in nobis, in orbem facilè retorqueri nequit: terrenum namq; iā euaſit: ibi uerò conſequitur quod tenue eſt & facilè mobile. Qua enim ratione quieſcat non ſatis uideo, quocunq; motu anima moueatur. Fortè in nobis etiā ſpiritale corpus quod circa animam eſt diffuſum, efficit idem. Si enim eſt deus in cunctis, oportet animam cum illo congredi cupientē, ſeſe fundere circa ipsū
E Non enim eſt duntaxat alicubi. Proinde Plato ſtellis non ſolùm attribuit motū vnà cū toto orbicularem, verumetiam ſingulis motionem circa centrū propriū reuolutam. Quilibet enim globus vbicunque eſt deum quodammodo circunplectens prorſus exultat, non vtique conſilio quodam, ſed naturali quadam neceſſitate commotus.

Confirmantur ſuperiorà, quoniam anima mundi per ſuperiorem eius uim in orbem retorquet inferiorem: rurſuſq; per inferiorem rotat cælum. Cap. III.

IDem hac inſuper ratione conſideretur. Poſtrema quidem vis animæ à terra exordiens, ſeſe fundit per uniuerſum: vis autem animæ ſenſualis, & quæ opinantem poſsidet rationem, penes ſuepriora viget in ſpheris, incubans inferiori potentiæ, atque ex ſeipſa vim huic porrigens vitalem magis atque viuificam. Agitatur igitur hæc ab illa circulariter complectente totiq; inſidente, quantū ipſius recurrit in ſphæras. Itaque cum illa hanc circulo comprehendat, meritò hęc conniuens reflectitur in ſeipſam. Huius verò reflexio corpus unà cui eſt infuſa, contorquet. In ſphæra enim quantacunque pars moueatur, ſi modò per-
F manens moueatur, ſpheram in qua eſt, neceſſariò concutit, vnde motus ſpheræ procedit. In noſtris enim corporibus quando mouetur animus, & ſi lōgé aliter moueatur, velut lætitia geſtiens opinione boni, motus inde corporis etiam localis efficitur. Illinc igitur anima euadens bono proxima, effectaq; ſenſu ſagacior mouetur circa bonum, corpuſq; pro natura ſua ſecundum localem concitat motionem. Senſualis virtus à ſuperiori rurſus concita, ipſaq; ſuum percipiēs bonum, ſecumq; congratulans id proſequitur: cumque id vbique ſit, meritò ſe per omnia confert. Intellectus autem quidnam agit?

Sic certè mouetur. Manet enim ſimul atque mouetur.
nam reflectitur in ſe ipſum. Ratione itaque ſimili
vniuerſum circulo mouetur ſimul
& permanet.

ARGV-

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM ENNEADIS SECVNDÆ III.

SVMMA LIBRI.

Species & ſingula in ſpeciebus generari præcipuè à uirtutibus ſeminalibus in ſpeciebus & ſingulis: cæleſtia uerò materiam aliter, aliterúe diſponere.

PORPHYRIVS in uita Plotini ſcribit: eum cùm diligentem operam aſtrologiæ dediſſet, deprehendiſſe aſtrologorum iudicijs non eſſe credendum: eaq; tũ ſermone, tum literis ſæpe confutauiſſe. Quod quidem in lib. de fato, atq; in libris de Prouidentia fecit. Sed in hoc deniq; libro, Vtrum ſtellæ aliquid agant, diligentius effeciſſe uidetur. In quo ſanè Plotini conſilium eſt, in primis aſſerere, quæcũque natura gignuntur, atque mouentur, præcipuè fieri atque duci, tum à ſeminarijs rationibus uniuerſæ naturæ, tum à rationibus plurimũ ſeminibusq; pro prijs uniuerſæ naturæ minimè diſſonantibus: ideoq; diſputat, neque ſtellarum influxus naturasque duntaxat, tanquam nimis uniuerſales: neq; præſentes cæleſtium inter ſe habitudines, uelut mobiliſſimas, rurſuſq; communes ſingula hæc propriè facere: ſed interdum fortè ſignificare. & id quidem ita, ut ex indicijs ualdè communibus atq; confuſis coniectura ſit fallax, & iuditium contingat incertũ. Oporet profectò tum communia diſtingui per propria, tum mobilia regi duciq; per firma, aut ſaltẽ per firmiora quædam, ne paſſim res caſu contingant. Fatetur autem per quotidianum concurſum cæleſtium inferiorumq; cauſarum, res dum ſunt qualitate mutari non ſpecie: ſimiliter quoq; per artẽ
B atq; uſum. Rerum uerò noſtraũ cauſas partim in ſuperiora, partim in ea quæ circa nos ſunt, partim *in conſiliũ & uſum occaſionemq; refert.* Exiſtimat præterea, ſicut corpus ab anima regitur, ſic animã *ab intellectu regi*, poſſeq; hanc intelligentiæ munere à cõmunibus fati fortunæq; impulſibus liberari.

Natura planetarum non eſt malefica, neq; mutabilis mutatione loci, neq; ex eorum radijs & motibus naturalia præcipuè generantur, ſed ex propriſs ubique naturis & cõmuni natura. Cap. I.

IN primo igitur capite narrat quemadmodum aſtrologi, non omnes inquam, ſed multi putant à uiribus motibusque ſtellarum & ſignificari & fieri ſingula: tum ad externa, tum ad corpus, tum ad animum actionesq; animi pertinentia: ſiue bona honeſtaq; ſint, ſiue mala rurſus & turpia. Tu uerò memento non auctores quidem ipſos aſtrologiæ præcipuos hæc tradere, ſed plebeos quosdam aſtrologos aſtronomiæ prorſus ignaros, talia diuulgare. Animaduerte præterea Plotinum ſtatim à principio forſan gratia diſputandi concedere, ſignificari quædã motu cæleſti non omnia: fieri quoq; inde multa, non omnia, & quæ ſignificantur uix poſſe diſcerni. Inter hæc dũ narrat, in duobus deridet aſtrologos. Primò quidem quod aiunt, ſtellas pro mutatione locorum & aſpectuum mutare naturas. Qualis certè mutatio nec in rebus quidem terrenis quæ mutabiliſſimæ ſunt ex ſola mox mutatione locorum atq; intuendi diuerſitate ſolet accidere. Secundò quòd aiunt ſtellas & quæ optimæ ſunt effici malas, & quę benefico funguntur prouidẽtiæ munere hominibus innocentibus ſæpe nocere. Deteſtatur in primis, quòd cũ ſtellæ omnes animatæ ſint, & intelligentia præditæ, deoq; obſequãtur ad nutũ, quod Ptolomęus ipſe fatetur: alias tamen bonas, alias uerò malas appellare nõ dubitẽt.
C Item quod planetas etiã quos appellant malos, tamẽ aſſerant ſæpe bona largiri: ceu Saturnũ quidẽ: & nõnunquã ſtabilire bona, quę tribuuntur ab alijs, & ipſum in æde uel exaltatione ſua poſitũ prodeſſe Saturnijs: & Martẽ animi magnitudinem fortitudenẽq; præſtare, & cum alijs noceat, parcere ſuis. Deridet iterũ quòd planetas quos appellãt bonos nocere aliquando fateantur, ſcilicet & Venerem Mercurio mixtã obeſſe prudẽtię, & Iouem Marti coniunctum tyrannidẽ conſtituere. Tum uerò planetas ſic aiunt uel ſe uicißim aſpiciendo, uel nõ aſpiciẽdo mutari, ut mirũ ſit res ęternas uſqadeo ex actu tã exiguo permutari. Sic opinantur, Lunã ſi Mercurium aſpicit, appetitũ præbere rationis legibus obſequentẽ: ſi non aſpexerit concupiſcentiã effrenatã: præſerim ſi Venerẽ aſpiciat interim aut Martem. Deridet quòd Mercurium dicant dũ aſpicit Saturnum aut Martẽ, Martium Saturniumq; cuadere: mox aſpiciẽdo Iouẽ effici Iouialẽ: quaſi Cameleontis inſtar nihil habeat propriq; conſtãtiſq; naturæ: cũ tamen res apud nos nulla adeo ſit incerta prorſuſq; mutabilis. Miratur præterea quo pacto uerũ ſit quod tradunt, intuitũ quoq; inter ſe planetarũ adeo inſtabilẽ eſſe, ut quoties alia ſe figura cõſpiciũt, intuitus ille cogatur mutare naturã: Quãta certè mutatio ne in noſtro quidẽ intuitu prouenit dũ nos mutuò nũc ex alio, mox ex alio ſitu cõſpicimus. Conceſſurus tamẽ uidetur propter uanos aſpectus ſiderũ, & ſi minus in illis, tamen in rebus naturalẽ aliquã uarietatẽ poſſe contingere: quod inquirimus in lib. de Vita. Deniq; quòd uolũt ex cunctorũ cęleſtiũ radiorum confuſione formam utrutemq; in radijs ipſis ſimul iunctis effici nouam, eamque aliter & aliter differentem pro *diuerſitate* temporum & locorum: quemadmodum ex diuerſis ſimul liqueribus forma fit una.

D Id Plotiuus iccirco damnare uidetur, quòd radij neque corpora ſunt ſicut liquores, neque qualitates in corporibus ſicut naturæ liquorum: ſed actus quidam ſtellarum uitales atque ſenſuales, ceu uiſuales quidam radij ex ſtellis, uelut ex Argi cæleſtis oculis emicantes, & conſpicientes mirabiliter omnia, qui in nullo foris ſubiecto qualitatum more ſuſcipiuntur: ideoque neque inficiuntur inde neque è priori habitu permutantur, neque igitur in communem cunctis formam aliam commutantur: ſicut neque & radij uiſuales animalium multorum nocte uidentium, uel ſubiecto alicui reddūtur proprij, uel multi in unam formam inuicem confunduntur. Sed quamuis Plotinus aſtrologos hucuſque non probet, probabit tamen fortè ſi dixerint ex radijs paſsim diffuſis, & ſi nulli uſquā ſubiecto proprijs, qualitates tamen iam proprias procreari, ſicut ex lumine calor, eaſq; in unā in ſubiecto redigi formam: atq; ſicut in commixtione liquorum tantò citius noua fit forma, quantò potētior eſt cauſa quæ commiſcet: ita ſubitò ex communi radiorum concurſu ſubiectis tribui qualitates, eaſque in unum conciliari: quia & cauſæ ingentes ſunt atque potentes, & motus efficaciſsimus atque celerrimus. Concedet quidem Plotinus qualitates in formam unam eiuſmodi cō currentes ab una quadam cauſa ſtabili prorſus & ubique uigente perduci, uirtute uidelicet ſeminaria quę uiget in mundi uita, ne uel fortuitò, uel inſtabiliter perueniatur ad unum. Radios autem aliter uel aliter confluentes, aut materiam aliter aliterue afficere, aut agentem cauſam, ideſt, ſeminariam rationem ad effectum proprium prouocare. Neque poſſe tamen ex radiorum confluxu, qui alio momento ſemper eſt alius, nouam formam ex pluribus effici, quæ certò indiget tempore, ed
E forſitan inchoari, talemq; perfici, non qualis duntaxat eſt ille confluxus, ſed qualis etiam præcedens materiæ diſpoſitio: ac denique qualem pro eiuſmodi conditione decernit ratio ſeminalis, tum propriæ tum uniuerſæ naturæ. Denique quomodocunque ſe res habeat, de futuris difficilè admodum iudicabitur. Nam ſi nobis occultum eſt quid noui ex commixtione naturalium oriatur, quæ quotidie pertractamus multò nimirum occultius erit, quid nouæ communionis & formæ radiorum iactu confletur. Profectò cùm fateantur ex duorum cæleſtium radiorum coitu aliud quàm ex unius tantùm radij iactu confici, fatentur & proculdubio ex quadam planetarum omnium copula aliud effici, quàm è duobus. Itaq; & aliud longè diuerſum ex omnium ſtellarum confluxu contingere. Sed quanto plures ad agendū cauſæ confluunt, tantò iudicium difficilius: quia neq; cauſæ omnes cōprehenduntur, neq; ſi cōprehendantur, ſtatim perpenditur quid noui præterea conficiatur ex cunctis: præſertim cū adiudicandum non tantùm cæleſtium, ſed etiam elemētalium cauſarum, rerumq; contingentium confluentiam oporteat circunſpicere, quod etiam Ptolomæus fatetur & præcipit.

Quomodo cæleſtia ſignificent etiam quæ non faciunt. cæleſtia ſunt animata. Multa ſunt quæ non poſſunt cæleſtibus corporibus motibuſq; fieri. Cap. II.

IN Secundo capite tractat à cæleſtibus non omnia fieri, ſiue enim in animata ſunt non facere quę ad animam propriè pertinent, ſiue ſint animata, diuina uidelicet anima, non facere mala. Eſſe quidem animata cæleſtia auctores nobis aſtronomiæ concedunt: præſertim Ptolomæus & Abumaſar atque Zaeles. Quod & Hali confirmat deridens illos ex ſententia Ptolomæi, qui diffidunt cæleſtia ui
F uere, propterea quòd non more animalium noſtrorum uagabunda pererrent. Ait enim unà cū Ptolomęo: animalia cęleſtia optimū tenorem motus ſemel electum perpetuò conſeruare. Similiter Aratus atque Mallius arbitrantur. Intelligebant arbitror illa ſi modò in animam agant, non poſſe in illam agere niſi per animam, & eam ſanè ſuperiorem. Rurſus ſi per illa nobis ſignificentur aliqua quę ad cauſam corpoream referri non poſſunt, non aliter id fieri poſſe, niſi in cæleſtibus animis deſcripta ſit rerum ſeries futurarum: quam nobis quandoque ſtellarum quaſi oculorum nutibus explicent. Quam Plotinus explicationem, ſiquando fiat, in multis etiam fieri opinatur: quorum non ſtellæ, ſed nos noſtriq; cauſa futuri ſumus. Neque uerò ubi ſigna ſunt, continuò ſunt & cauſæ: ſicut neque propitius paterni oculi nutus in filium, beneficij cauſa eſt futuri, ſed ſignum. Sic ergo quando per Mercurium certo modo poſitum aſtrologi natum ſapientem fore prædicunt, corpus ipſum planetæ non eſt cauſa ſapientię. Quod enim non facit animum, neq; rurſus ſapientiam efficit animi propriam: ſed & uelut in cauſa ſimul atque ſignum nobis indicat corpus naſcentis fore ad obſequium ſapientiæ temperatum. Et tanquam ſignum portendit animum (ut Platonicè loquar) in corpus eo tempore deſcendentem, familiarem eſſe Mercurialis animi atq; numinis, & Mercuriali quodam uel ſimili dæmone gubernari. Porphirius quidē ait: Qualem quis dæmonem nactus fuerit, cognituru. ſi figurā ſuæ generationis agnouerit, & quis in ea dominator extiterit. Qui uerò præcipuus ſit dominus in figura, & ſi nōnulli cognituros ſe profitentur: Porphyrius tamē in quæſtionibus ad Anebonē Cheremonis aſtronomorūq; aliorum teſtimonio eſſe dicit incertū. Siqui uerò negent corpora cæleſtia uiuere: fateri cogētur corporeas eorū naturas non aliter aliquid apud nos efficere, quā elementa

lium

A lium corporum miniſterio. Ideóque ſolas corporum qualitates afferre, ultra uerò nequaquam. Sed neque etiam omnes corporum qualitates: Sicut enim in arte forma operis artificioſa: & ſi fieri uidetur per inſtrumentum, efficitur tamen artificioſæ intelligentiæ forma, quam ſolam & imitatur: ſic & formæ rerum naturalium plſquam artificioſa ratione diſpoſitæ, non tam cæleſtium corporum uel moles uel qualitates, quàm animorum cæleſtium notiones imitantur atque ſequuntur. Iam uerò nec calor in animali cibum redigit in uitæ formã, quantum calor eſt, cuius officium eſt diſſoluere, ſed quantum ductus à uita: neq; calor humorq; in mundo uel alia qualitas certo quodã ordine opus ad finem peragunt electiſsimum, quatenus uel ſuapte natura uel cæleſtis molis trahuntur impulſu, ſed quatenus ab ipſa motorum cæleſtiũ ratione in ſe & inter ſe temperantur, & ad præſcriptum finem commodè diriguntur. Quamobrem Plotinus ait: ſingulorum cæleſtium defluxum eundem eſſe ſcilicet, & qua ratione corpora ſunt eſſe ubique corporeum: & qua ignea calore fouentem: quamuis aliæ præterea ſtellæ cum calore adducant humorem, aliæ raritatem, aliæ aliquam denſitatem, aliæ celeritatem, aliæ firmitatem, cæteraq; ſimiliter. Hinc ergo & communi conditione ſtellæ omnes quodammodo calefaciunt, & ratione propria quæ humefacit, & quæ rare facit, humefacit ſemper uel rarefacit, quamuis quicquid inde uel cõmuni uel propria fit ratione, magis minusúe alibi fiat & alibi: Non alia igitur inde uarietas prouenit quàm in quibuſdam materiæ qualitatibus accidentibusq; duntaxat & gradibus accidentium. Varietas autem figurarum ſpecialiumq; formarum atque uirtutum, non erit præcipuè ex naturali intentione cęleſtium, ſed quantum ad illa pertinet caſu continget, aut ſaltem dabitur aliunde. Quod enim artificioſa fit ratione, ſolùm ab arte fit & ratione uiuente: præſertim ſi uiuat & ipſum. Neque uerò concedemus aſtrologis ſiqui dicant: ſtellarum quidem fixarum corpora ſpeciales rerum tradere differentias: planetarum uerò quotidianas conſtitutiones afferre differentias ſingulares, etiamſi animam cæleſtia nullã habeant. Stellarum namque fixarum corpora largiri quidem poſſunt, alias paſsim corporum qualitates, ſic uniformes quemadmodum & ipſa ſunt uniformia. Figuras uerò proprias ſpeciebus ordinemq; ad finem ita demum tribuere poſſunt, ſi animam habeant atque mentem. præſertim quia in multis herbarum lapillorumq; ſpeciebus precioſorum ures quædam ſingulares inſunt: quibus mirabiliter agant in ſpiritum, perq́ue ſpiritum dotes quoque animo miras uideantur afferre. Tantum uerò muneris nequeunt corpora hæc à corporibus duntaxat cæleſtibus, ſed ab eorum animis accepiſſe. Iam uerò ipſa ſtellarum corpora multò minus eas nobis differentias inferre poſſunt, quæ ad artes & fortunas, & neceſſarios pertinent. Sicut enim nulla tui corporis natura ſit, ſic & cæleſtis corporis nulla natura: ut Theologus ſis potius quàm orator: & certò tempore Prætor inſcius deſigneris, & patrem talem habeas aut fratrem: ſed horum cauſas alibi prorſus inueſtigare compellimur. Denique ſtellæ omnes & à rebus infimis longè ſegregatæ ſunt, & inter ſe ualdè diuerſæ: & quicquid inde hucuſque diffunditur, accidens eſſe uidetur. Quoniam uerò ad generandam apud nos ſubſtantiam, ſubſtantiali opus eſt cauſa: & ad perfectè generandam cauſa proxima, & ad uiuam omnino uiuente. Item ad concilianda in unum agentia inter ſe diuerſa duce communi nimirum exiſtimamus uitam unam ubique regnare, præcipuè facientem omnia, atque ad id cæleſtibus & terrenis inſtrumentis utentem.

B

Planetæ non mutant naturam loco, neque mali fiunt. Item confutantur quæ aſtrologi dicunt de angulis, domicilijs, proprietatibus planetarum. Item tractatur quomodo ſignificatio fiat, iudiciumq; fallatur Cap. III.

C

CAput tertium eadẽ ita proſequitur: Admittent forſan aſtrologi planetas quidem uiuere, neq; malos eſſe natura, ſed ex quodã ſignorum gradu, & quadã inter ſe conſpiciẽdi figura maleficos efici, atq; unà cum loco mutare naturam. Id autem quinq; de cauſis improbatur. Prima: quoniã gradus ille ſignorum ſaltem, & ille iterum qui ſic aſpicitur foret natura malus: ſi planeta uel in eo gradu poſitus, uel planetam illum aſpiciens malus euaderet. Hunc tamen fatentur nullum cæleſtiũ naturaliter eſſe malum. Secunda: ſi gradus figuraq; eiuſmodi malum natura in ſe haberet, planetæ omnes in eo gradu eaq; figura conſtituti mali ſimiliter redderentur. Quod tamen aſtrologi non cõcedent. Tertia nempe quærendum eſt, quopacto poſsit planeta hic aut ille in diuerſis gradibus diuerſus euadere: adeoq; diuerſus, ut ſit maleficus. Primò quidem planeta nullus eſt in gradu zodiaci, ſed longiſsimè diſtat: ut etiam ſi fortè noxius foret ille gradus, planeta non adeò illinc infici poſsit. Deinde ubicunque ſit, eſt in cælo. Cęlum corpus eſt optimum, diuinitati quamproximum: Itaque pars unaquæque cæli optima eſt prorſus atque diuina. Quarta: cùm cælum ſit plurimùm uniformæ, motusq́ue localis, non neceſſariò terrenum mobile ſoleat natura mutare: ridiculum eſt planetam in alia, rurſuſq; alia cæli plaga, aliam ſubire naturam: præſertim & ſubitò cum ſit ſub-

D ſtantia potens atque ſempiterna:& in malum cùm ubicunque ſit,neceſſariò ſit in patria uiuente diuinitus. Quiuta:abſurdum quoque dictu eſt:quòd aiunt planetam cùm eſt in angulo, aliam habere naturam:aliam cùm declinat ab angulo. Eodem namque tempore planeta idem nobis eſt angularis,longinquis uerò nationibus eſt declinans, atque è conuerſo . diuerſas igitur eodem tempore naturas haberet. Quatuor aſtrologi fingunt angulos in figura cæleſti,in Oriente, in Occidente, in medio ſurſum cœlo, atque deorſum. Atque angularem planetam dicunt, quando ad quinque uel ſaltem ad tres utrinq; ſigni gradus tenet angulum:utputa ipſum Orientis punctum, uel Occidentis,uel medij utrinque cæli: ipſum inquam punctum, aut certum ſpatium propè punctum. Mox uerò cum inde progreditur,cadere ab angulo dicunt.Martem præ cæteris horrent in angulis, præſertim in Occidente. Saturnum quoque non eligunt angularem. Cùm enim noxios opinentur,ne potentiores ſint, non cenſent in angulis collocandos, niſi forte Saturnus in aſcendente Aquario ſit domicilio ſuo,uel Libra exaltatione ſua,præſertim in natiuitate diurna. Saturnum igitur in duodecima figuræ domo: Martẽ uerò in ſexta conſtituunt. Nominant uerò duodecimam cæli plagam, quæ partem antecedit orientalem,ipſamq; duodecimam uolunt eſſe cadentem, cùm tamen reuera ſurgat in altum. Sextã uerò nominant quæ uidetur ab Occidentis angulo cadere. Mitto nunc alia, ſed quòd Saturnum quidem in duodecima, Martem uerò in ſexta conſtituunt, ſibimet repugnare uidentur. Sic enim eos inter ſe oppoſitos faciunt, quorum oppoſitionem ſolent acriter deteſtari. Adde quòd ita ſextam domum qua morbi ſignificantur, tum oppoſitione Saturni,tum præſentia
E Martis infeſtant,ut morbi omnes ſint incurabiles. Omnino uerò cum à fortiſsimo ad debiliſsimum abſq; medio tranſire ratio non permittat,nemo dicere audeat, planetam ſi in angulo ſit fortiſsimus mox fore poſt angulum debiliſsimum. præterea cùm ſidus quò diutius agit in nos,eò & abſolutius agat.Signum uerò quod duodecimum nominant diutiorem ſuper nos moram, quàm aſcendens angularis particula traxerit:fateri cogentur magis in nos agere,quàm aſcendẽs, ſcilicet angularis. quod tamen fateri non ſolent. Rurſus cũ planetam uel ſignum in medio cœlo Ptolomæus dicere ſoleat potentiſsimum. quónam pacto Zaelis illud uerum erit , ſcilicet aſcendens eſſe fortiſsimum: quod procul diſtat à medio? Quinimò duodecima cœli plaga ſimul atque undecima,quæ inter aſcendens mediumq; cælũ mediæ ſunt,uidebuntur fortè potentiores,quo propinquiores ſunt medio. ſi modò medium ſit fortiſsimum.Præterea cùm lumina dicant in duodecima & octaua terræ ſimul & aquæ uaporibus obfuſcari,& iccirco debilitari:ita enim octaua fermè eſt Occidenti,ſicut duodecima Orienti propinqua. Dicerè etiã compelluntur multò magis in angulis Orientis & Occidentis obtenebrari: magisq; terrenis paſsim obſtaculis impediri. Sed neque unquam aſsignare rationem poterunt cur angulum quemlibet plurimi faciant qui & fugaciſsimi ſunt: & uix ad nos pertinere uidentur: cæteræ uerò partes ad nos diutius attinent . triginta enim gradus quælibet occupat. Quid uerò? quod cùm angulos admirentur, planetas interim quos putant eſſe beneficos,alibi quã in angulis gaudere confirmant? Solem in nona: Lunam in tertia: Iouem in undecima: In quinta denique Venerem. Nonam uocant quæ cæli medium ad nos ſuper terram propè præcedit aliquantum uerſus occaſum: Vndecimam,quæ medium mox ſequitur uerſus ortum: Tertiam,quæ cæli medium
F ad nos ſub terram ad ortum propè præcedit: Quintam, quæ medium è ueſtigio ſequitur,& occaſui propinquior eſt quàm medium. Nonam quidem magnæ religionis ædem. Tertiam uerò minoris appellant,& deum atque deam: neque tamen ſunt angulares : Vndecimam ſpei & amicitiæ fundamentum: Quintam gaudij ſedem atque filiorum. Mitto quòd dum ſolem quidem in nona: Lunam uerò in tertia gaudere uolunt, interim oppoſitos faciunt: oppoſitionem uerò formidare conſueuerunt. Mitto quòd cùm Mercurium dicant gaudere ortu potius quàm occaſu: Venerem uerò uiciſſim occaſu potius quàm ortu lætari, gaudere ſimul eos ac merere pariter fatebuntur. Nam planeta dum alijs hominibus oritur,alijs occidit,atque è conuerſo: cum Orientis angulum eſſe uitę incipientis angulum arbitrentur: uitæq; mors ſit oppoſita: cur nõ angulum Occidentis Orienti oppoſitum morti deſignant? Huic enim aſsignant octauam ſedem occidenti propinquam: eamq; Saturno committunt. Sed cur etiam primam domum, uitæq; originem Saturno commendant? quaſi in manu eius ſit mors pariter atque uita. Sed uideo quo confugient. Saturno planetarum primo primam attribuent domum: Ioui planetarum ſecundo ſecundam, aſcendenti in oriente ſigno è ueſtigio ſuccedentem: Marti tertiam: Quartam Soli: Veneri quintam: Mercurio ſextam: Septimam denique Lunæ, ideſt ſignum in Occidente locatũ. Rurſum igitur à Saturno exordium planetarum repetent in octaua ſed cum iterum poſt Saturnum nonam Ioui tribuerint,Marti decimam,Soli undecimã , Veneri duodecimam,nihil iam erit reliqui, quod Mercurio Lunæq; ſucceſsione ſimili dedicent: quorum tamen duorum effectus manifeſtiſsimè omnium poſt Solem apud nos apparent: niſi forſan aſcendẽs iterum ſicut Saturno, ſic Mercurio, Lunæq; accomodent, quod fingentis erit potius, quàm docentis.

Prom-

A Proinde cur ærarcs hominis iam nati non eodem tenore deſignant? Nempe ordine conuerſo, primam Lunæ, ſecundam Mercurio deſtinant, ſimiliterq; deinceps. Verumenimuero hæc omnia perbella ſunt, ac penitus arbitraria, nullis omnino rationibus confirmata. Similiter arbitrarium eſt, quòd Mercurium quem facilè ad malum ſicut ad bonum conuerti putant, in loco uitæ exordientis uelut in gaudio collocant: cur non Solem potius, aut Venerem, aut Iouem? Cur item Mercurium & rationis auctorem ſimul & ad malum adeo lubricum arbitrantur? Sed fruſtra ab ijs rationem diu tius hac in re uel illa requiro, qui nulla unquam ratione, ſæpiſſimè uerò ſimilitudine quadam imaginaria & inani comparatione nituntur. Quis non uideat eos ineptè nimium comparare? quum Saturnum, quia ſit altiſſimus planetarum, ſignificetq; tenebras & abſentiam, ſigno accõmodent aſcendenti: nam & propter altitudinem conuenit ei medium cælum potius quàm aſcendens, & propter tenebras & abſentiam, cum Saturno cõgruunt potius ſigna ſub terra, quàm è terris aſcendens. Iam uerò puerile nimium eſt, Saturnum iccirco portendere nobis rei alicuius abſentiam, quia ipſe ſit diſtans: perinde ac ſi Luna ſtultitia ſimili referat rem præſentẽ, quia propinqua, mediiq; planetæ gradu ſimili medias. Neq; minus inſanum eſt tenebras aſſignare Saturno, qui innumeris ingentibusq; ſtellis quàm proximus, mira neceſſariò cunctarum luce coruſcat: potius uerò fatendum eſt, oculum in eius lumine iudicando decipi, quàm minus lucere Saturnum. Summatim uerò in omnibus (ut dicebam) ad inanem mox ſimilitudinem confugiunt, nulla cauſarum habita ratione. Cur nam aſcendens ab Oriente ſidus principiũ uitæ ſignificat? Quia ſimul & è tenebris terræ ſidus ẽmergit, & è tenebris alui natus egreditur. O uanum prorſus machinamentum. Similiter dicet aliquis: Pater nunc egrediens cuitate, filium ſignificat domo ſimul egredientem, atq; inſuper filio conducit egredienti,
B Verùm ſiquid ita ſignificandum ſit, ſidus illud potius quod tunc aſcendit, quũ primùm uiuere incipit fœtus in aluo, ſignificet uitam, uitæq; principium: quod neq; obſeruant, neq; obſeruare ulla ratione poſſunt. Cur item media cæli regio portendit naſcentibus dignitatem: num quoniam altiſſima ſedes dignitatis ſignificat altitudinem? Sic & domicilium quartum, quia ſit angulus ſubterraneus, ſomniat theſauros ſub terra latentes ſignificare. Si adeo hac ficta ſimilitudine delectantur, coniugium quoq; per coniunctum aſcendenti ſignum deſcribere debuerunt. Quod tamen per ſeptimũ prænunciant longè ab aſcendente remotũ: ſed quid nam Occidenti cum Oriente coniugij? Quoniã inquiunt, è regione utriq; radij cõiunguntur. Sit ita ſanè. Verùm cur etiam per ſeptimam hanc domum inimicos ſignificat manifeſtos? Planetas, aiunt, aſcendenti propinquiores iuuenilem ætatem regere, remotiores uerò ſenilem. Sanè nimium pueriliter: quaſi localis hic tranſitus uelut corea ludentium repentè per actus efficiat, ut hi quidem dominentur prius, illi uerò differant, & tunc demum agant, quando iam ſunt à priori habitu remotiſſimi. Dicant præterea quandoquidem ſimilitudini ſtudent, cur nam duodecima plaga in quam ad lucem peruenit aſcendẽs, ſignificet carcerem & occulta potius quàm ſecunda, ex qua uelut è tenebris eſt emergendum? In omnibus deniq; ſimiliter ita delirant, coguntq; cæteros uel credentes illis, uel cum eis diutius diſputantes, fermè ſimiliter delirare, quod Abumaſar uel inuitus oſtendit: ubi enim cauſas, cur ita duodecim domus unà cum officijs ſuis diſtribuantur, aſsignare contendit: ait inter ſe aſtrologos diſsidere, & alios longè aliter deſignare: tum uerò in rationibus aſſignandis, quibus talia ſigna talium planetarũ domicilia ſint,
C inter ſe longè diſſentiunt: aliter enim antiqui, aliter Ptolemæus, aliter Aimon, aliter Hermes aſſignant: quia uidelicet figmẽta ſunt potius quàm rationes. Abumaſar Iouem tradit ſignificare diuitias, Mercurium ſapientiam. Quoniam uerò harum rerum cupiditates oppoſitæ ſunt, ideo ambas Iouis Mercurijq; domus oppoſitas eſſe, ſcilicet Virgini Piſces, Geminis Sagittarium. O Abumaſar, ſi ita diſtribuere placet, cur non etiam Veneris domos atq; Mercurij inter ſe opponis? quum libido Venerea Mercurialisq; contemplatio multò magis opponantur, quàm quæ diximus: ſed inuicem conſonantes eſſe fateris, Libram Geminis, Virgini Taurum. Item cùm Iouialis æquitas & uiolentia Martialis maximè inuicem aduerſentur: cur non & horũ ſedes pugnare concedis? ſed omnino congruere Arietem Sagittario, Piſcibus Scorpionẽ? Proinde ubi alias terræ plagas alijs ſignis aſcribũt, incerta opinione feruntur. Non enim ita diſtribuunt, quia ſignum ad perpendiculum ſuper talem tranſeat regionem: quia ſi ita ſit, Cancer nihil in Europa ſignificabit: quippe cùm tota exiſtat ultra Cancrum, uergens ad Aquilonem, neq; etiam ob aliquam concordem proprietatem. Virgo enim ſignum eſſe frigidum aiunt, præeſſe tamen Hiſpaniæ iudicãt calidæ regioni. Simili quadam temeritate membris ſigna præficiunt: nam & calida frigidis ſæpè præponunt, & frigida calidis. Coniungunt quoq; planetis eiſdem ſignificata inter ſe nimium repugnantia. Saturnum unius Dei cultum & uoracitatem ſignificare uolunt: Iouem pietatem & coitus intemperantiã: Mercurium ſapientiam & oracula propheratũ, atq; inſuper oblectamenta ſuperflua. Mitto quãplurima temeritate ſimili diuulgata: utputa Saturnũ pluuiam deſignare, quẽ tamen ſiccum eſſe fatentur. Item maſculinũ cognominant, quẽ

D aiũt eſſe frigidum. Deniq; portendere tarditatẽ, uidelicet, quoniã ipſe ſit tardus, qui certè eſt pro longitudine ſpatij uelociſsimus. Quid uerò quod caput Draconis ſomniãt atq; caudã? Hæc enim ſolùm imaginaria ſunt. Caput quidẽ cogitatur linea quædã imaginaria in animo noſtro relicta ex motu Lunæ à Meridie in Aquilonẽ quod: quidẽ fingi poteſt in quolibet Zodiaci gradu. Et ubi nunc caput fingitur, ibi aliquando fingẽtur & cauda. Quidnã imaginaria illa poterit linea? Cũ inde Luna diſceſſerit, cur cauda mala potius eſt quàm caput? Cur cauda eſt frigida atq; fœminina, cum aquilonaris plaga ſit meridiana frigidior? Atq; ita caput in quo Luna declinat ad Aquilonẽ, frigidũ potius debeat eſſe quàm calidũ: cauda uerò cõtrà. Appellant planetã retrogradũ, quãdo in inferiori ſui æpicicli parte ad occidentẽ uergit: directũ uerò, quãdo in ſuperiori æpicicli parte pergit ad Orientẽ. Ex hac ſimilitudine ſomniant retardari negocia hominũ, atq; rurſus accelerari, quaſi nõ æquè naturalis ſit motus utergq; planetis. Proinde dicere ſolent: quia Taurus aut Leo tales in ſe uires habent, ideo qui ſub his naſcũtur ſideribus, naturã ſimilem ſortiuntur. Tametſi hæc animalia falſo fingũtur in cælo: neq; ibi eiuſmodi figura uel natura ſimilis eſt atq; in noſtris Tauris & Leonibus. Taurũ antiqui inter ſidera collocarũt in Iouis honorẽ: quia in bouẽ ſit fabulosè conuerſus. Leonẽ Herculesoccidit ingentẽ: eum (ut fertur) inter ſigna cõſtituerũt. Arietẽ ſignorũ caput deſignauerũt propter Iouẽ Ammonẽ cuius in capite Arietis cornua priſci fingebãt. Poſt Arietẽ mox Taurũ effinxiſſe ferũt, quia tũc terra arabilis eſſet, aptaq; culturæ. Geminos quia tunc germinando omnia germinantur. Cancrum nominauiſſe: quia inde Sol Cancri more regreditur. Leonem uerò, quia Sol ibi uehementiſsimè ca-
E lefacit. Virginem, quia terra tunc exuſta Solis ardoribus nihil pariat. Libram, quia Sol tunc noctes diebus adæquat. Scorpium, quoniam tũc aer primo frigore pungit. Sagiptarium propter uehemẽtioris iam frigoris uentorumq; aculeos, cæteraq; ſimiliter. Quid ergo ſtultius quàm certas animalium naturas propriosq; euentus hominibus ſub hoc ſigno, uel illo naſcentibus aut agentibus attribuere? cum nihil eiuſmodi ſit in cælo, ſed longè diuerſa ratione confictum? Non dabis igitur medicinam aſcendente Tauro uel Capricorno: quoniam cum hæc animalia ruminent, potio uomitum concitabit. Quaſi uerò capra ruminans ſit in cælo, ac non potius Capricornus ibi ſit fictus: quia Sol inde in morem Capræ incipiat rurſus aſcendere. Et poſt hæc Aquarius atq; Piſces, quia tunc uberiores pluuiæ profunduntur, & tunc Piſces maximè generantur. Fabricabit ergo quiſpiam Piſcis imaginem in argento cum fuerit Luna ſub Piſcibus aſcendentibus, capturus Piſces ad uorum, confiſus uidelicet falſa figura Piſcium in cælo fictaq; natura. Sed ut ad Plotinum tandem regrediamur: cæleſtia quidem corpora uult anima duci, animam uerò uiuere prorſus intellectu diuino, neq; affectũ ad inferiora ullum habere: quandoquidem neq; corpora quidem illa rebus inferioribus, uel indigẽt, uel turbãtur. neque igitur, uel dolore, uel noua unquam lætitia tangi, neq; odio malefacere cuiquã, neq; ſimpliciter malefacere, neq; electione ſignificare nobis, ſiqua ſignificẽt: ſed fortè ad illorũ coreã ſe ipſa contentam ſignificationem nobis aliquando conſequi. Si enim aues nobis natura locoq; propinquiores nulla nobis electione ſignificant, ſi fortẽ aliquid eſt in augurio ueri: ſed ad earum uolatũ atq; garritum agentem ſua, interim ſignificatio noſtra contingit: multò minus aſtra portendere noſtra deliberant. Profectò ni fruſtra augurium uani docuere parentes cultu duntaxat dæmonũ au-
F ſpicia, auguria, aruſpicia, exta conſtabant. Dæmones enim aeris caliginoſi rectores, quondam cultores ſuos hac, uel diuinatione, uel fallacia potius detinebant. Verùm ſi qua ad ſiderum motus futurorum coniectura contingit, ubi nam ſunt præſcripta futura, ad quorũ præſcriptionem talis, aut talis conſequatur, uel comitetur conſtitutio cæli? Profectò præſcripta ſunt in cæleſtibus animis, cæleſtẽ, ideſt, ſuam mouentibus faciem, uultibusq; ſuis aliter atq; aliter indicantibus cogitata: ſed in eorum mentibus notæ ſunt æternæ, non eorum tantùm, quæ ipſi uel per ſe, uel per cæleſtia facturi ſunt: ſed eorum etiam, quæ cauſæ quoq; elementales conſequentur facturæ ſunt ſuapte natura: atq; eorũ inſuper, quæ rationales animæ animorũ germanæ cæleſtiũ cõmuni, uel natura, uel ſorte, uel cõſilio ſunt acturæ. Cõmuni inquã: quia non ſunt hæc in illis pro inferiorũ conditione deſignata per ſingula & uſq; ad minimũ diſtributa: ſed pro cõmuni illorum prouidentia diſpoſita ſummatim per capita rerũ, quæ deinceps per proprias inferiorũ naturas, affectus, occaſiones, conſilia, diuidũtur ulterius: & in qualitatẽ quodãmodo aliam deducũtur. Quamobrẽ ſingula prorſus inde pro cõperto ſciri nõ poſſunt: ſed plurimũ cõmunia quædam. quod & aſſerit Ptolomæus. Proprias uerò ſigulorũ cõditiones in ſingulorũ naturis imaginationibusq; oportet inſpicere: Itaq; & inde ſimul & hunc indies eiuſmodi aucupari prælagia (ut Origeni Porphyrioq; credamus) non hominũ eſt ſed dæmonũ: dæmonũ inquã ſagaciorum. Nam pleroſq; circa hæc dæmones cõiectura ſæpe falli putant, nobisq; mentiri. Quibus ergo de rebus è cælo nobis ſignificatio fiat, aſtrologi ueteres dubitarunt. Itaque Abumaſar ubi de iudicijs agit, nonnullos inquit aſtrologos arbitrari, planetas de rebus tantùm uniuerſalibus ſigna præbere, ſcilicet de elementis rerumq; naturaliũ ſpeciebus. At uerò de ſingulis

& ſingu

A & ſingulorum partibus atq; actibus ſcilicet moueri, quieſcere, ſimiliaq; nihil penitus demonſtrare: Alios autem putare ſtellas oſtendere tantùm, quæ neceſſaria ſunt ſcilicet, ignem quidem calidum eſſe, aquam uerò frigidam, non tamen quæ ſint contingentia, ſcilicet homo loquitur aut tacet: Alios deniq; opinari planetas portendere tantùm mutationes temporum, & quatenus per eas corporibus accidat. Addit Abumaſar omnes poſteriores aſtrologos ſequi ueteres: nec ulla ueterum dicta intentioni huic ſcilicet iudicandi conducere: quoniam dicerent impoſsibile fore ſapientibus etiam aſtronomis quicquam de iudiciorum ſcientia inuenire. In his Abumaſar fatetur iudiciorum cauſas regulasq; nondum inuentas, qui & Ptolemęo fuit longè poſterior, & in iudicijs ipſe nullam aſſert in medium rationem, ſed pueriles tantùm ſimilitudines. Ptolemęus quoq; in libro de Iudicijs exiguum quid ueritatis eſſe in iudicijs innuit dicens: Et ſi contingat prædictionem maiori ex parte nos fallere, tamen operæpretium fuerit hæc ſubtiliter indagare, propterea quod ueri aliquid ineſt.

De quinq; aſpectibus planetarum, & quomodo in his errant aſtrologi, & in cæleſtium qualitatibus actionibusq; falluntur. Cap. IIII.

POſt hæc deſcendit ad amores, & odia planetarũ, & aſpectus quodammodo & effectus. Prolixum foret, nimisq; abſurdum narrare amores inter ſe, & odia planetarum, & quod turpius eſt, recẽſere quemadmodum hic quidem amat illum, ille uerò non redamat hunc, ſed potius odit. Quaſi uerò non omnes cognati ſint, & optimi tanquam in regione uniformi, diuinaq; collocati. Nempe, cùm ſimilitudo in rebus noſtris mutua amorem æqua utrinq; ratione procreet mutuũ, multò magis charitatem mutuam procreat in cæleſtibus, ubi arctior ſimilitudo uiget & copula. Vt autem quæ de aſpectibus loquitur planius cognoſcamus, meminiſſe oportet aſtrologos aſpectus quinq; ſic afferre, ut coniunctio quidem ſit quando planeta ad perpendicularem fermè lineam planetam ſubit, oppoſitio uerò quando maximè diſtant: ceu ſi alter in Ariete ſit, alter uerò in Libra ſeptimo ab Ariete ſigno. Sextilis autem aſpectus quando ſexta inter hunc & illum duodecim ſignorum portio cadit, ideſt, duorum menſura ſignorum: Vt ſi Sol in medio Ariete, Luna in medijs Geminis uideatur, uel ille in Arietis principio, illa in principio ſit Geminorum. Cadit enim inter hunc & illam Taurus quidem totus, & pars inſuper Arietis atq; Geminorum. Aſpectus deinde quartus, ubi quarta Zodiaci pars inter hunc cadit & illum, ideſt, ſigna tria: ceu quando Sol in medio Ariete, Luna in medio Cancro, uelut diximus. Nam tria inter Solem Lunamq; ſigna uidentur: Taurus integer, atq; Gemini, partesq; inſuper Arietis, & Cancri. Tria uerò ſigna quartam duodecim ſignorũ poſsident portionem. Trinus aſpectus quando ſimiliter quatuor interſunt ſigna, quæ pars eſt Zodiaci tertia, ceu ſi Sol ſub Ariete ſit, Luna ſimiliter ſub Leone. Ptolemæus cauſam cur tot ſolùm ſint aſpectus hanc eſſe dicit: quia ex duodecim ſignis fieri figura poteſt ſex angulos habens, ut in quolibet latere ſigna ſint duo: ubi aſpectus anguli unius ad alterum ſextilis erit, ſextam continens figuræ partem. Poteſt etiam deſcribi figura quadrangularis: item triangularis. In illa quadratus: in hac trinus ſurget aſpectus. Non poteſt autem figura quinq; angulos habens ex integris ſignis duodecim fieri. Verùm aliter præterea fieri aſpectus poſſe uidentur. Nam tercentum & ſexaginta gradus ſunt
B in Zodiaco, qui in partes quinq; diuiſi figuram conficient quinq; angulos poſsidentem: eodemq; modo angulus aſpiciet angulum, quo in trigono aſpectu fit atq; tetragono. igitur pentagonus ibi poteſt aſpectus conſiderari. Rurſus ex gradibus Zodiaci cunctis fieri figura poteſt octo angulorũ, aut nouem, aut decem: atq; ita erit illic aſpectus octauus, & nonus, & decimus Quamobrem aſpectus quinq; ſolos afferre, fingentis eſt potius quàm uerè dinumerantis. Continuus profectò eſt orbis ipſe Zodiaci, ubiq; ſtellæ, & ſigna inuicem ſignis inſerta: ut non ſolùm per ſigna duodecim quaſi ſint inter ſe ſecreta facere poſsimus aſpectus, ſed per gradus ubiq; Zodiaci. Proinde ſi uerè loquimur non dicimus ſidus hoc illud aſpicere, uel planeta planetam, ob aliam rationem, niſi quia hoc radios iacit in illud. Quælibet autem ſtella radios iacit in quamlibet: quelibet igitur ubicunq; ſit quamlibet intuetur. Atque ex huiuſmodi radiorum intuitu attingit magis, aſpicitq; proximam, quàm remotam: quod quidem in candelis patet accenſis. Nemo itaq; dicat ſignum hoc non aſpici proximum: ſed ſpatio certo remotum: & ſtellam non proximam aſpicit, ſed remotam. Hæc enim opinio, imò hic error inde contingit, quod cæleſtia quidam metiuntur, imò mentiuntur ex noſtris. Solet enim homo in chorea propinquum ſibi ad latus hominem difficilius intueri, quàm ſeparatum: quoniam caput non undique habet oculos, quibus æqua facilitate conſpiciat undique. At in cæliſti facie quæ cunq; ſunt, ſunt oculi, & oculus quilibet totus eſt oculus, totus undique uiſus. Aiunt aſpectum quidem ſextilem eſſe mediocris amoris. trinũ uerò perfecti. aſpectum rurſus quadratum odij mediocris, oppoſitum uerò ſummi. coniunctionem cum bonis bonam, malam uerò cum malis. Atqui

D cauſam ob quam aſpectus alius ab aſpectu in bono differat aut malo, ſolùm ex figura uel numero aſſignare non poſſunt. Bonum enim malúm uc non ad quantitatem pertinet, ſed qualitatem. Præterea non ad figuram uel numerum actio pertinet aut paſſio, ſed ad formas & qualitates. Has uerò figuræ quædam uel numeri, uel conſequuntur, uel comitantur. Neq; rurſus licet dicere, Arietem eſſe qualitate quadam Cancro contrarium, ideoq; quadratum ex hoc & illo contuitum planetarum eſſe contrarium & hoſtilem. Nulla enim ſunt in cælo contraria, ubi non pugna, non tranſgreſſio, non interitus. Imò uerò ſi figuræ quæ ſunt in opere, quodammodo inter ſe repugnantes, in artificis animo non repugnant: ſi formæ naturales inter ſe pugnaces in contemplatoris mente non diſſi dent: ſi membra inter ſe aduerſa non aduerſantur in ſemine, certè in cælo non diſſident inter ſe uirtutes harum efficaces formarum, quæ certant in uiliori materia, non potente uidelicet conciliare quę capit. Iam uerò non ſolùm non diſſonat Cancer ab Ariete, ſed conſonat: partes enim utræq; ſunt corporis plurimùm uniformis, & ſuapte natura quæ apud nos diſſonant harmonicè temperantis: neq; minus in cælo quàm in muſico cantu inter ſe omnia conſonant. Sic & nobis forſitan excogitare licebit humanam muſicam ex harmonia cæleſti: cælum nanq; Pythagorici, Dei lyram appellauerunt. Coitum igitur planetarum apud nos octauæ uocis conſonantia referat: hæc enim cum prima coire uidetur: oppoſitionem uerò cæleſtium quæ fit in ſeptimo, uox quoq; apud nos ſeptima ſimiliter omnium diſſonantiſſima repræſentat ſextilem aſpectum: qui fit in tertio ſigno uox tertia: quadratum quarta: trinum qui in quinto fit, quinta. Sicut ergo in conſonantia noſtra inde pendente
E quarta uox, uel interdum ſeptima quæ per ſe diſſonarent, tamen unà cum cæteris ad gratiam conſonantiæ conferunt: ſic & multò magis in harmonia cæleſti aſpectus omnes ad abſolutam concordiam neceſſarij iudicantur. Hinc fit ut ſapientiores aſtronomi quartum aſpectum adiunctũ uel ſextili uel trino, non ſolùm non horreant, ſed exoptent: fit etiam ut per ſeptẽnarios uel dierum in morbis, uel annorum in uita, quibus quadraturæ uel Lunæ uel Saturni mox ueniunt, mutationes in nobis non ſemper in peius, ſed in melius quãdoq; contingant. Interea ridere iuuat aſtrologos, qui cùm Cancrum dicant magis quàm Libram Arieti qualitate contrarium, aſpectum tamen oppoſitum, qualis ex libra reſultat ad Arietem, magis quàm quadratum deteſtari conſueuerunt. Sed quid Cancrum garriunt frigidum atq; humidum, in quo ſol conſtitutus calorem nobis exauget? Quid calidum Sagittarium? ſub quo ſol terras à frigore uel imbribus non tuetur? Ex quo patet ex acceſſu ſolis potius atq; diſceſſu, quàm ex ſiderum qualitate, calorem & frigus intendi uiciſſim atque remitti. Neque nobis obijciant Lunam, uel Mercurium in alio atq; alio ſigno aerem qualitate mutare, quia uidelicet ibi alia ſit & alia qualitas: nam primo quidem non ubique id efficiunt, neq; enim uel æſtus inde Scythis oritur unquam, uel frigiditas & humiditas Indis. Deinde & ſi fortè mutent, non ſtatim conuincitur, eſſe illic eiuſmodi qualitates inter ſe æquè pugnantes: alia enim uirtute longeq; à noſtris diuerſa hæc inde proueniunt. Nónne tum ex uarijs affectibus animæ, tum ex contractione & dilatatione quadam ſpiritus, contrariæ ſtatim oriuntur in corpore qualitates, quæ non ſunt in animo ſpirituq; uel contrariæ uel qualitates? Ex lumine nimium repercuſſo fit æſtus, qui non exiſtit
F in lumine: Ex lumine liquor in cera ſimul, ſiccitasq; in luto: neq; tamen in lumine ficca eſt uel liquida paſſio. Item certa ſtellarum poſitione, ſiue impulſione in terris eleuantur uapores & uenti, neq; tamen illic aut uenti perflant, aut uapores obnubilant. Quòd autem uirtutes in cælo ualdè ab his quæ pugnant in elementis alienæ ſint, coniectamus ex eo, quòd omnibus in rebus quæ ex elementorum qualitatibus cõmiſcentur, inſunt mirificæ quædam uires, & præter & ſuper naturas elementorum, quas ſpeciales proprietates appellant, ſpeciebus his cælitus attributas. Mitto cætera: innumerabilia enim ſunt. Sic magnes polum ſuum ſequitur Arcticum, ferrum uerò magnetem: ſic paleæ ſuccinum. Hoc uerò polum fortaſsis Antarcticũ. Per tales ergo uirtutes quales hæ ſunt, & quales in ſcamonea purgant bilem, & in elleboro atram bilem, Abumaſar probat præcipuas cæleſtium actiones expleri: ſiue fixæ uirtutes eiuſmodi ſint in ſtellis, ſiue quotidianis earum aſpectibus ab eis ſibi inuicem comparentur, atq; inde ad inferiora mittantur. Meritò igitur Abumaſar & Albius Ptolemæum ubique reprehendunt, quòd qualitates ſtellis elementales & inter ſe repugnantes ſæpè tribuerit, probantq; non eſſe tales in cælo naturas. Mitto nunc quòd non ſolùm ij quos dixi, à Ptolemæo diſident atq; alijs, ſed Ptolemæus ipſe diſſentit ab alijs, ubi de terminis loquitur planetarum, narratq; alios etiam inter ſe diſſidere. Aegyptios enim à dominis domorum maximè ſolitos accipere terminos: Chaldæos autem à dominis triplicitatũ, idq; latiſſimè confutat. Mitto quòd in aſpectibus exaltationibusq; diſſentiunt. Ptolemæus enim à ſigno ſimpliciter ad ſignum: alij quidam à gradu metiuntur ad gradum. Exaltationes quoque planetarum Ptolemæus in toto quodam ſigno putat accipiendas: alij uerò nonnulli à certo quodam ſpatio ſigni. Similiter de ſignificatore uitæ, & de annorum datore diſſentiunt. Redeo parumper ad qualitates. Cùm Martem eſſe igneum arbitrentur,

A bitrentur, cur nõ in Piſcibus cadere tradunt potius quàm in Libra? An quia Libra maximè diſtat ab Ariete domicilio Martis. Sed profectò maior eſt diſtantia naturæ quàm ſitus: magis itaque diſcrepant ab Ariete piſces, ut aiunt, aquei, quàm aeria Libra. Cur nam in Libra uolunt exaltari Saturnum, quem terreum eſſe putant? Prolixum foret eiuſdem generis cætera recenſere. Redeamus iam ad Plotini concluſionem. Refert quidem primùm: aſtrologos arbitrari unamquamq; per ſe ſtellam ſuum aliquid agere: ex cunctis uerò inuicem conſpirantibus nouum aliquid præterea confici. Ex quo patet, ex his quid potiſsimum proueniat iudicare neminem perſpicuè poſſe. Deinde ſignificat aſtrologos non habere modum, quo planetæ agant, quæcunq; dicuntur efficere. Neq; enim uel proprio quiſq;, uel communi cuncti conſilio indigent ad agendum: ſiquidem naturales infra lunam cauſæ natura ſua ſufficiunt ad agendum, neq; conſilium exigunt ullum ultra naturam. Neq; rurſus cũ ſtellæ faciant hæc more naturæ, aliter, uel alia faciunt, quàm fieri poſsit tenore naturæ, quamuis præſtantius atq; præſtantiora faciant, uidelicet præſtantiore natura. Non ergo prophetas efficiunt, non miracula quæ fieri debent diuinitate: non theologos: non geometras qui mente fiunt, & arte: non diuites: non reges: nõ his oppoſitos qui prudentia, occaſione, fauore fiunt, uel impediũtur oppoſitis

Errata aſtrologorum de Saturno, & Marte, & Luna. Cap. V.

IN capite libri quinto errores aſtrologorum proſequitur latius, & inſequitur. Saturnum tradunt quia ſit frigidus, obeſſe naturæ, ideoq; ſeparãt ab aſcendente (ut aiunt) uitæ principio. Atq; ut in-
B de maximè ſeparent, ſtultè nimium in duodecima collocant. Quę quidem ſedes, & ſi quodam illorũ *computandi more* uidetur à prima omnium remotiſsima, reuera tamen eſt proxima. Eſt enim *Orienti continua* ſurſum, quòd ue aſcendit fidus mox properat in duodecimam: itaq; Saturnum in ſeptima tanquam omnium diſtantiſsima probabilius collocaſſent. Sed ne id quidem uolunt, ne naſcẽtibus opponatur: ſed in utroq; ſibimet repugnare uidentur: nam Saturno & aſcendens alia ratione ſolent accommodare, & primi conceptus exordium. Præterea dicunt Saturnum Martemq; tum cõiunctos, tum oppoſitos inter ſe nobis obeſſe. Rectius fortè dixiſſent, ita maximè Saturni frigiditatem calore Martis, huiusq; feruorem illius frigore temperari. Adiungunt Saturnum quidem ſi die naſcentibus ſit ſuper terram, aut prope Orientem, diurno calore temperatum, tunc propitium nobis euadere. Atq; etiam ſi ſic aſcendat: præcipuè *in Aquario* non obeſſe naturæ. Martem uerò tanquã igneum eſſe in nocte ponendum, ſiue ſub terras, ne calore ſolis ferueat uehementius. atqui in hoc ſi militer ut ſæpe, delirant. Cum enim umbra terræ unde nox prouenit uix ad lunam uſq; perueniat, omnia omnium ſupra lunam ſtellarum lumina continuè ſe nullo interueniente contingunt: ſimiliterq; ſemper in die ſunt, nunquam uerò ſub nocte. Maximè uerò omnium ab umbra & frigiditate, quæ duo terræ propria ſunt, Saturnus ſeperatus exiſtit: ut nihil abſurdius uideatur, quàm hunc obſcurum frigidumq; uocare. Præterea concurſum Lunæ cum Saturno, uel Marte uituperare ſolent. Quanquam ſi, uel plena lumine Saturnum ſubeat, uel uacua Martem, damnare non audent. Nam ſi plena coeat cum Saturno, tum hanc illum ſuo fouere lumine, tum illum non frigefacere plenam.
Contrà uerò ſi plena Marti ſe ſubdat, aduri inde ſimul atq; comburere: Si uacua, temperari uiciſsim
C atque temperare. Hic quoque ut alibi audentius errant. Primò quidem, neq; ſe cæleſtia tanquam concordia ſemper, comburunt unquam, uel frigefaciunt: deinde ſi id forſitan concedatur, contra foret agendum. Luna enim cum ſemicirculo ad nos ſpectante plena eſt, interim eſt altero uacua atq; uiciſsim, ideo ut incommodum illud deuitaretur, ſubijcere hãc potius Saturno debebãt. Quando nobis eſt uacua, tunc enim offert illi ſe plenam, Marti uerò quando nobis eſt plena. nam tunc oſtendit illi ſe uacuam. Inter hæc expedit admonere multas in codice græco clauſulas uideri tranſpoſitas: uerbaq; ſæpius permutata: hęc equidem diligenter pro uiribus emendaui, uatis (ut ita dixerim) potius quàm interpretis officio fretus. Quæ igitur mox in textu ſequuntur, ſenſum duplicem admitere poſſunt. Aut enim ſignificant Saturnum non admodum opitulari nobis interdum, quia ſit procul: ideoq; Lunam ſaltem eſſe tunc oportere erga nos plenam, ut ſaltem illa nos adiuuet. aut potius ſignificant Saturnum non opitulari Lunæ, quia ſit procul à Luna, neq; illam illi uiciſsim ſiquando uacua ſit ad illum: ideoq; oportere hanc illi ſe porrigere plenam: ſatisq; nobis tunc illam facere ſuo erga nos orbe dimidio, quãuis erga nos uacuo. item quamuis Saturnus ſit procul à nobis.

Primus quidem ſenſus uerba manifeſtius ſequi uidetur: quæ uereor eſſe peruerſa.
Neq; enim antecedentibus neque ſequentibus Plotini dictis ſententijsq;
conuenire, ſed potius repugnare uidetur.

D *Quod in cælo ſit tantùm lumen, & calor, & humor: frigus autem & ſiccitas circa centrum: nec aliquid cæleſtium per ſe frigus afferat, uel ſiccitatem, uel aliquid uitæ noxium.* Cap. VI.

CVm cælum ipſi uitæ ſit proximum, ideoq; quammaximè uiuens, maximeq; uiuificum: putandum eſt per ſe primoq; calefacere, atq; humectare. Duo enim hæc propriè conducunt ad uitam: nunquam uerò per ſe frigefacere uel exſiccare, quæ ſuapte natura ſunt contraria uitæ. Atq; ſi conferant, ex accidenti quodammodo conferunt: frigus quidem ne nimium calor excreſcens repentè diſſoluat humorem: ſiccitas autem, ne nimium diffluat humor. Hæc autem duo ſatis nobis ſuppeditantur à terra. Id autem inde inſuper confirmabitur, ſi uerùm fuerit quod pleriq; putãt. Sicut mors nihil aliud eſt quàm priuatio uitæ: ita frigus & ſiccum mortiferas qualitates non aliud eſſe, quàm caloris, & humoris priuationes. quod alibi Plotinus ipſe ſignificat. Probabile quoq; eſt: ſicut tenebræ in longiſsima à cælo diſtantia luminis tantùm priuatione contingunt: ita frigus & ſiccitatem ex nimia à cælo diſtantia propter caloris humoriſq; abſentiam fortè contingere. Totum uerò cælum eſſe calidum, patet, quia totum eſt ignis: totum iterum eſſe ignem, oſtendit ſublimitas, mobilitas, lumen, calor uel occultus omnia fouens. Calor autem ampliſsimus ſpatio nullam patiens uiolentiam ſamil[illegible]rem habet humorem. Profectò in anima cæli tria potiſsima ſunt, uita, & intellectus, & motus. Eſt enim anima uita quædam & intellectualis & mobilis, totumq; hoc eſt unum. Quod igitur eſt in anima uita, in cælo calor exiſtit. Quod rurſum illic intellectus, hic eſt lumen. Quod randem illic motus uitalis eſt, hic uitalis eſt humor. itaq; non aliud humor eſt quàm agilitas (ut ita loE quar) ad motum. Ignis ergo cæleſtis non ſolùm calidus dici poteſt, ſed inſuper humidus, ideſt, liquidus, fluidus, agilis, atq; lubricus, & lenis, & blandus: ſiquidem in ſiccitate rigiditatem aſperam intelligimus: qualem etiam frigiditas uehementior infert. Quamobrem nihil aliud eſt in cælo noſtris ullo modo qualitatibus ſimile, niſi calor, humor, lumen. Lumen inquam illic eſt intelligentiæ loco: calor illic efficacia uitæ: humor uitæ motus, & pabulum. Nec aliter ibi calor ille ſentitur, quàm tanquam fauor, fomentum, recreatio, uigor: nec aliter humor, quàm ut augmentum, & amplificatio, agilitasq; ſuauis. Inde hæc & ſimilia quædam apud nos ſunt. Illi rurſus calori humido humoriq; temperatè calenti, ſimilis eſt quodammodo ſpiritus & calor humoriq; uitalis, uel manifeſtus in animalibus uel occultus in plantis paſsim à cælo inſitus: à cælo inquam omnibus inſito. Siccitas autem atq; frigus rebus noſtris hinc certè non inde contingit: ſiccitas quidem ob ipſam loci huius anguſtiam, denſamq; naturam, aſperam, reſiſtentem, percutientem, formationi motuiq; ineptam: frigus autem ob diſtantiam tum per naturam à toto cælo, tum per ſitum à ſtellis quammaximam. Quantum igitur ad frigus pertinet, Auerroem ualde probamus dicentem: cæleſtia nulla frigus inferunt, ſed calorem omnia: quæ uerò dicuntur afferre frigus, ea ſunt quæ calefaciunt minus. Hæc ille in libro de Cælo ex ſua Ariſtotelisq; ſententia. Abraham Auenazara appellat Saturnũ frigidum, qui calorem affert noſtro remiſsiorem. Cælum itaq; totum eſt calor lucidus, humens: ideſt, uita quædam efficax cum fauore amplificabilis, agilis atq; formabilis. Formabilis inquam facilè per humorem, tralucidum ab archetypo: rurſus per calorem lucidum inferiora facilè formans. Sed alicubi eſt in cælo plus caloris
F aliquantulum, quàm humoris: alicubi uerò uiciſsim, alicubi portio eſt æqualis utriuſq; luminiſq; ſimiliter. Atq; horum trium diuerſa inter ſe proportione, ſunt ibi diuerſa, quemmadmodum hic ex uaria caloris humoriſq; miſtione paſsim ſub cæli radijs uaria coaleſcunt: ſiccitate interim atq; frigore magis minusue forſan impediente, uel etiam adiuuante nonnihil. Meminiſſe uerò oportet calorẽ humoremq; celeſtem eſſe à noſtris genere longè diuerſum: multò etiam magis quàm, uel calor naturalis in uiuo ab ardore fornacis, uel ab hac ipſa flamma ipſe Solis repor in amplo. Ex quo tamen in cõcauum quandoq; coacto in materia dura, in materiam ſiccam flamma prorſus accenditur. Deniq; humor eſt in cæleſtibus non diſtillans, calor quoq; non edax. Humor ab humore aerio ſaltem tantũ differens, quantum aerius humor ab aqueo. Temerè igitur in cælo fingitur frigus & ſiccum, ſiue dura ſoliditas. Quippe cum dum à terra ſurſum aſcenditur, ſiccitas fugiatur, & frigus omniſq; duritia: ac perueniatur mox in humorem & lenitatem, ſimulq; in auſpicium blandi caloris ex lumine. Frigidum igitur atq; ſiccum ſimul & durũ ex naturali & extrema ad cælum diſtantia prouenit: & interea quæ media ſunt ad cæli ſimilitudinẽ humida ſunt atq; tralucida, facileq; mobilia. In cælo autẽ maximè mobili nihil eſt frigoris atq; ſiccitatis: nihil duri motum impedientis, & lumen. Siquid uerò fingi ſub cælo poteſt ſimile ſubſtantiæ cæli, tractabile manibus, oculisq; conſpicuum, id argentum uiuum eſſe uidetur: in quo calor uegetus cum humore multo quidem, ſed tenaci, motum procreat inquietũ. Si rurſum ſubtiliorem & tralucidam huic adhibueris lucidamq; naturam, habebis & cælum. Quod quidem non eſſe durum ex eo confirmari uidetur, quòd inter phyſicos & aſtronomos in eo duritiam aſſerentes, ubi de circulis, centris, diſtantijs, motibus diſputãt, multiplex & inſolubilis oritur contro-

uerſia.

A uerſia. Phyſici quidē aſtronomos criminātur, quòd impoſsibilia fingant: aſtronomi phyſicos, quòd rationes de his nequeant aſsignare. Mitto quomodo Theologi corpora glorioſa cælis inſerant, niſi ceſſerint. Mitto uehicula apud ueteres animarum. Facilitatem uerò cedendi ſubito coniunctam reditu, ubi nulla naturalis ſubſtantiæ, uel qualitatis, uel ordinis inde permutatio ſequitur, malam appellare non decet. Sed ad alias cæleſtium qualitates iam redeamus. Et ſi nihil eſt, ibi frigidum aut ſic cum, ſtellam tamen quæ calefacit minus, frigidam appellamus: forſan & quia dum illa meatus noſtros radijs tepentibus aperit facilius ingreditur terrena frigiditas. Siccam quoq; ſtellam quæ humefacit minus, poſſumus nuncupare: forte & quoniam humectando parum, ſæpe pabulum ſuggerit igni, inde materiam feruentius ſiccaturo. Calefaciunt autem omnes ubiq; ſtellæ, non motu tantùm, ſed etiam ipſa natura, natura præcipuè luminis. Quod probat & Auicenna dicens: Vbi plus eſt luminis, etiam plus eſſe caloris. Hinc Hippocrates ait: Aerem nocturnum ſtellarum luminibus ſubtiliorē fieri, & calidum aliquantum, generationiq; & uitæ accomodatum. Ariſtoteles etiam ubi de partibus animalium diſputat, ait: noctes in plenilunio eſſe calidiores propter lunæ lumen. Luna quidem minimè calida eſt, humidia multum. Quæ ſi ideo dūraxat dicatur non calefacere, quia tardius quàm Sol moueatur, deberet forſan tarditatem motus cum propinquitate ad nos quodammodo compenſare, ideoq; quodammodo ſicut Sol, calefacere motu. Item ſi ſtellæ fixæ quamuis uelociſsimè moueantur, tamen dicantur non calefacere motu, quia maximè diſtent, deberent forſan diſtantiam cum motu celerrimo compenſare, & ideirco ſimiliter calefacere. Verùm ſi motus ipſe ſimpliciter cauſam ſit caloris, nec motus ullus calorem extinguet & flammam, ac ſaltem uelocior quidem uehementioris: tardior uerò tepidioris erit origo. Rurſum ſi non motus ipſe ſimpliciter calorem gignit, ſed cer-

B ta uelocitas, primò quidem reuera non uideo, quid nam diſtantia ualeat uel propinquitas, dummodo motus ipſe ſit uelox: deinde hic ſatis patet caloris effectum in aliam præter motum cauſam referendum: & meritò, quoniam motus ſiue ſit uoluntatis, exigit ante ſe imaginationis formam atq; naturæ: ſiue ſit naturalis inclinationis, naturæ formam exigit præcedentem. Non ergo motus ipſe calorē aliamue generat formā: ſed forma quandoq; per motū, taliſq; forma talem: quāuis forma prior ſit natura præſtantior. Deniq; quis nam aſſerat localem motum, qui & omni forma deterior eſt, atq; pertinet ad externa, ſuapte natura generare calorem? Profectò uel excutit calorem ſæpe latentem, uel ex durorum colliſione corporum medium confringit aerem ſolumq; rarefacit: ſic extenuatus aer ad competentem ignis conditionem, ab idea ſeminaliq; ignis ratione, quaſi fomite formam ignis induitur. Luna igitur calefacit minus quàm Sol, quia calida minus. Superiores ſtellæ minus quoque quàm Sol, quia uel calidæ minus, uel minores Sole, uel longè diſtantiores, uel inter ſe admodū ſeparatæ. Videtur autem Sol ſecundum accidens exſiccare: nō quia in eo ſit, uel ſicca natura, uel uis aliequa deſiccandi, alioquin nec omnia naturaliter augeret, imò ignis more minueret: ſed quoniā radij Solis, uel in concauis nimiū duris nimiū coarctentur, uel ex directo percutientes fortius ad nos reflectantur: tunc enim uis per eiuſmodi uiolentiam noua cōtingit. Omnino uerò quia radij tanquam immateriales, liquidiſsimi, immaculati, neque collidunt, neq; confringunt propriè, neq; confringū tur, ſed uel congregantur, uel è regione redduntur, apparet calorem illis ineſſe naturā, qui congregatione propria intendatur, ac uehementius agat. Luna quoque frigus ex accidenti uidetur afferre quia & meatus lumen eius noſtros aperiat, & nocturnum interim frigus extenuet. quo fit ut frigus

C inde ſubtilius per patefactos aditus liberius intret. Frigoris quidem natura eſt interimere atq; comprimere: lumen uerò Lunæ gignit prorſus & auget: utpote quod habet cum humore calorem. Similiter ſolis lumen ex accidenti cauſa frigoris eſt nonnunquam: ſiue naturalem corporis noſtri calorem foras prouocet: ſiue poſt calorem ſolis mox calori uentoq; corpus exponas. Saturnum præterea nefas eſt frigidum ullo modo, & propterea mortiferum appellare. Nihil enim in igne tanto tanq; uitali, uel ullo modo frigidum, uel lætiferum eſſe poteſt: Satis eſto, apud Saturnum ab humore uinci calorem. Cumq; talis ſit, & à nobis inſuper remotiſsimus, parum admodum caloris afferre, humoris quoq; non multum: quia præter hæc duo uis eſt in eo naturaliter contrahendi, ſiſtendi, continendi, cogendi. Vnde quamuis exſiccet nunquam, ſicut neq; Luna, uidetur tāmen quodammodo deſiccare, dum in ſeipſum cogit humorem: ſicut & Luna dum decreſcit lumine, uel deſcendit. Difficile uerò Saturnum eſſe humidum negare poſſunt, ubi aiunt illum ſæpe pluuias augere, & fluxum alui citare: peſtiferum uerò huuc appellare non licet: quippe cum prouidentia cuncta diſponens ſphæram tam ampla hunc honorauerit, proximumq; uitalibus ſtellarum innumerabilium radijs eſſe uoluerit. Mitto quòd Theologi ueteres mentem ipſam attribuere Saturno, ipſiq; menti uitā primā æterni tatemq; dicauerunt. Nonne cum hoc Aſtrologi aſcendens cōputant uitæ principiū? Non ne primū conceptionis menſem Saturno cōmendāt? nūquid à mortifero uitam auſpicari decebat? Quid ergo? Primum ei menſem ideirco committunt, ut ſicco frigore ſuo cogat ſemen, ſiſtatq; ne diffluat. Siſtit

D profectò, cogitq; nõ frigida poteſtate uel ſicca, alioquin exordium uitæ peteretur à contrario uitæ ſed mira quadam contrahendi, & colligendi, & continendi uirtute. Multa enim ſunt quæ lac aliosq; liquores alia cogunt uirtute quàm frigida. Itaque Saturnus non frigiditate uel ſiccitate cõglutinat, alioquin ſtatim ab initio ſemẽ redderet generationi uitæq; prorſus ineptũ: ſed uirtute potius à circũferentia ad centrũ omnia redigente: nec modò frigoris, ſed more manus, & pugni: uel natura coagu li arctius comprimente: ſicut & Mars uiciſſim ad circunferentiam à centro protendit. Quod autem natus octauo menſe non uiuat, ſi modò ita ſemper accidat (accidit enim aliter in Aegypto, & alicu bi apud Græcos) cauſa erit non frigiditas, ſiccitásue Saturni, ſed uiolentia quædam aliunde tunc il lata, quæ naſci eo tempore compellit eum, quo adhuc Saturnus in uiſceribus detinebat. Non enim dum hic retinet, naſcitur aliquis, niſi uiolenta nimium cauſa expulſus ex aluo. Nam & Peripatetici mediciq; aliunde quàm à Saturno rationes aſſignant: & aſtrologi tradunt in regionibus Indiæ Saturno ſubiectis uitas eſſe longiſſimas. Sed nonne ex accidenti ſaltem à Saturno ſiccam frigidamue naturam nonnunquam euenire dicemus? Tunc ita fortè uideri ſi quando Saturni radius in frigida & ſicca materia capiatur: eam enim & per ſe paulùm calefacere poteſt uel humefacere, & ſiſtit nimium, unde cogitur materia gelu. Sed tum in humidiore, tum uel maximè in calidiore quamplurimum conferre uidetur. Nam & humore ſuo temperat caloris exceſſum, & ipſa conglutinandi uirtu te cohibet humoris effluxum. Mars uerò contrà, in materia frigidiore uel humidiore moderatur effectum: calidiorem uerò præcipitat, nõ tam in caloris exceſſu, quàm uigore mouendi. Sed quoniam
E de ſeminali nunc materia fecimus mentionem, operæpretium eſt admonere uim in fœtu Solis & Lu næ uniuerſalem eſſe in calorem humoremq; uitalem. Vim Saturni eſſe, ſeminalem materiam colligere penitus atque firmare: Iouis officium mouere deinceps, intusq; fouere: Martis actio ad externa mouere: Mercurij munus figurare ad ſenſum ſpiritus atq; membra: Veneris miniſterium ad affectum & propaginem omnia conformare. Hæ uerò ſunt dotes præcipuæ pertinentes ad corpus, ex planetarum ſignorumq; corporibus. Ex eorum iterum animabus in noſtris animis à Saturno contemplatio cautioq; & conſeruatio diligens augetur: ab Ioue ciuilis & prudens potiſſimum gubernatio: à Marte magnanimitas malorum iniuriarumq; expultrix: à Mercurio inquiſitio quælibet & expreſſio: à Venere charitas & humanitas: à Sole honeſtatis cura pudorq; & gloriæ ſtudium uerioris: à Luna denique rerum uitæ neceſſariarum cura & prouidentia diligens. Sed nequis nos fortè damnet planetas ſic ordine platonico diſponentes: memento diuinam prouidentiam ſtatuiſſe ſolem per latitudinem zodiaci minimè peruagari: tota enim huius euagatio ſub unius portionis æſtimationem uenit. Quoniam uerò Sol planetas ſibi nimium & altitudine & latitudine propinquantes fortè confunderet, & uirtutis excellentia penitus occuparet, ideo decretum eſt Lunam atque Venerem, quarũ medius Sol incedit, latius euagari: nam ad duodecim ferè portiones peruagari ueteres uoluerunt. Mercurius tanquam remotior à Sole quàm Venus, anguſtiori ſe peruagatione defendit: nam ferè ad portiones octo percurrit, Mars & Iupiter ad quinque. Saturnus utpote remotiſſimus ad tres in latum portiones excurrit. Sic eorum opinio confirmatur, qui Veneri Mercurium anteponunt: quanquam & qui contrà faciunt, ordine ſignorum ſe defendunt. Sicut enim domus proce-
F dunt, ita planetas diſponi uolunt. Cancer ergo primam ponit Lunam: Leo ſolem ſecundum: Virgo Mercurium tertium: Libra Venerem quartam: Scorpius quintum Martem: Sagittarius ſextum Iouem: Capricornus Saturnum ſeptimum. Deinde uerſa uice ponuntur. ſed hæc illi uiderint.

Compoſitiones in naturis planetarum, ac diuerſæ uires & actiones, & ex eiuſdem mira cæli contemperatio.

SEd redeo ad Plotinum. Cùm aſſerat omnia in cælo calere, frigere nihil, & tamen in quibuſdam magis minúsue temperari calorem, uidetur humorem illic cum calore coniungere: cuius cõmixtione temperatio fiat. Non enim illic calor frigiditate reprimitur, neque ſeipſo inſuper refrænatur, neq; merus ibi regnat atque ſolus: alioquin non alibi magis, quàm alibi dominabitur. Humor igitur illic, ideſt, lenis, & agilis teneritudo quædam, & uelut uncta liquiditas, & alma fœcunditas: humor inquam, huiuſmodi ibi tum calorem alit ut nectar, ſicut calor alit lumen uelut ambroſia: tum cohercet incendium, ne uel ex incendio calor inſuper ipſe perdatur, tum colliſionem ſphæ-rarum mutuam prohibet, alioquin ex rapidiſſimo motu futuram, ſphæras q; & alia protinus exuſturam: tum deniq; motus radiosq; lenit & mulcet, quo blandius inferiora cõtingant. Hæc omnia perficit humor: humor inquam familiari calori ſuo adeo neceſſarius, ut nunquam deſtillet inde uel diffluat, uel calorem ipſum obtundat & ſuffocet. Profectò ſicut in anima uitalis motus ab animali uita, hæc autem ab intellectu dependet, & ſeruatur atq; uiciſſim: ſic in cælo liquiditas à calore, caloriq; à lumine

A à lumine. Ita igitur uel exempli cauſa compone cæleſtia: in Saturno calorem ualdè ſuperat humor: In Marte longè calor humorem: Iupiter horum medius calorem quaſi pariter cum humore contemperat: Marti deinceps ut more Platonico digeram ſuccedit Mercurius referens Saturni naturã: Huic Venus quaſi miſtionẽ Iouiam repræſentans: Dico autem quaſi, propter eorum opinionem, qui putant Iouem quidem declinare aliquantulum ad calorem, Venerem uerò potius ad humorem, ſed ex ambobus temperiem confici perfectiſsimam. Sol deinde ſicut & Mars calore ualde uincit humorẽ: Luna tandem quemadmodum Saturnus atq; Mercurius, plus admodum humoris poſsidet, quàm caloris Sed horum trium humor ita ſe inuicem habere uidetur: Saturni quidem humor ſemper recurrit ad centrum: Lunæ uerò ad circumferentiam potius lumine creſcente dilatat: Mercurij deniq; mediocriter facit utrunq;. Sed ut Lunam reperam, hanc cum decreſcit lumine aſtrologi doctiores aiũt, non minuere quidem humoris ſubſtantiam, ſed ad centrum potius cohibere ſicut creſcendo dilatat quod apparet in mari, cuius dilatatur etiam amplitudo, dum Luna medium cælum petit ab Oriente: dum uerò à medio ad Occaſum tendit, refluit in anguſtum. Neq; interim ueriſimile eſt tam facilè, tam ſubitò per ſubſtantiam augeri, uel minui. Præterea calor Solis, & Martis differenti conditione mouentur & mouent: Martis quidem, uelut in pyramidem: Solis in orbem. In duobus igitur, ideſt, Ioue ſimul, & Venere quaſi par eſt humoris portio atq; caloris: ſed enim cum in duobus uiciſsim, ideſt Sole Marteq; longè calor exſuperet, cur nam tria ſunt Saturnus ſcilicet, & Mercurius atq; Luna, in quibus humor excedit? Quia & calor efficacior eſt quàm humor, & Solis Martisq; ſimul moles eſt ingens. Ideo iure coniuncti duo, è regione trium opera temperantur. Tanta quinetiam caloris eſt, efficacia in humorem, ut faber ipſe mundi uoluerit in ipſis ſphærarum molibus quæ ſtellas continent, humorem librata portione ſuperare calorem: ut portione ſaltem quaſi pondere, naturam humor ſuam ad efficaciam caloris adęquet Hac itaque ratione ſpheræ omnes ſupra terram aquæ uocantur, atq; ſicut mare ad terram aqua eſt & liquor, ſic aer eſt humor ad mare, ſic Lunæ circus eſt liquor ad aerem: ſic ſuperiores ad hunc & ad ſe deinceps habere uidentur, ut ſuperiora ſemper inferiora foueant & fœliciter alant. Sunt igitur aquæ ſub firmamento: ſunt & in firmamento, tum in ipſa firmamenti temperie, tum in ſtellis firmamento nitentibus, eaq; inuicem qua planetæ proportione compoſitis: ſunt & aquæ ſuper ipſum etiam firmamentum quas & aſtronomi poſuerunt, ut motus omnino ſimplex duplicem & oppoſitũ firmamenti motũ regat & ducat. Super has item aquas ignẽ Theologi poſuerũt, ideſt, empyreũ cælũ amplius chriſtallino. Atq; hoc fortaſsis eſt lumen, quod apud Moyſen Deus ante Solem, & Lunam, & ſtellas accendit. Cælum hoc ea ratione chriſtallinum præcedere iudicatur, qua & ſtatus motum, & calor humorem. Sed nunquid in empyreo calorem comitatur & humor? Comitatur quidem, ſed abſortus in ipſum. Nunquid rurſus in chriſtallino calor comitatur humorem? Comitatur ſanè, ſed tractus ad ipſum. Atq; ita deinceps paulatim creſcit humor in ſphæris, donec ſub media tandem aeris regione humor, & uelut ſuperfluus, & tanquam à calore iam alienus diffluat & ſpargatur. Superius autem uſqueadeo eſt alter alteri neceſſarius atq; domeſticus, ut & humor calorem nutriat atq; moderetur, & calor humorẽ foueat atq; conſeruet. utroque uerò cuſtoditur & lumen. Sed ubi plus eſt caloris, ibi lumen eſt efficacius, & oculis admodum manifeſtius. ubi uerò humor abundat, lumen & minus eſt efficax, & albedinis inſtar quaſi ſpargens

B

C intuitum minus ſeſe oculis offert. Interea meminiſſe te uolo, lumen & calorem in ſtellis humidioribus, & ſi quantum ad ſtellam ſolam pertinet, nos minus afficiat, tamen paulatim deinceps afficere plurimum atque diutius, niſi fortè aliunde ſuperuacuus affluat humor ab initio, ſiue frigus: tũ quia non fiat in materia reſolutio cita: tum maximè quia cum hæc ſtella eiuſdem fermè temperationis ſit, atq; ſpera qua regitur, nimirum unà cum propria ſui dote contrahit ad nos abundantius ſphærę totius influxum. Atq; ita quantùm cæteræ propria ſunt uirtute potentes, tantùm hæ præpotentes uirtute communi: maximæ uerò ſtellæ quæ in ſperis ſunt amplioribus. Semper enim circus amplior tãquam continens & ducens præſtantior eſt, uirtutemq; ſuæ ſtellæ mirabilem inſerit, ſed occultam. Sed ut ad Plotinum regrediamur: Mars quidem non nocet caloris acumine, ſed humidiorem materiam temperat: Neq; etiam Saturnus eſt noxius, ſed quoniam remotiſsimus eſt, iccirco influxus eius quaſi peregrinus nobis cum non facilè congruit, præſertim iuuenibus: niſi uel cæteris luminibus rite commiſceatur, uel ipſe inſidere ſedens humano, in quo uel habeat domicilium, uel exaltetur, quodammodo ſit operis auctor: Neq; Mercurius ſit aliquando malus, ſed cum ſit medius omniũ, facilè omnibus ſit perſimilis. Deniq; ſicut in animali ſingula membra quamuis qualitate diuerſa, & inuicem, & toti conducunt ad bonum: ſic in cælo, quod communi etiam uita uiuit, Sol quaſi cordis obtinet locum: Mars uerò fellis: Iupiter iecoris: Venus & Luna membrorũ (ut ita dixerim) genitalium: Mercurius linguæ uultusq;: Saturnus capitis atq; ſplenis, & ſtomachi: Stellæ fixæ uicem referunt oculorum, & quæ diuerſa uidentur conferunt ad temperiem. Dixi equidem uniuerſum uita quadam communi uigere, per quam omnia mundi membra uiciſsim paſsione communicant, ideſt, ab alio in

D aliud facilè transfertur influxus, & occultus paſsim excitatur ſenſus, & inciratur affectus. Quando uerò communem dico uitam,unà cum Plotino irrationalem intelligo uitam,ab anima mundi uniuerſo tributam: in cuius cõmunione in omnibus quædam actionis & paſsionis conſenſio naſcitur. Sed huic uitæ non confuſas,ſed coniunctas eſſe uolumus,ſimiles quoq; ſtellarum,& dæmonum,hominumq; uitas:quaſi uarias membrorũ uitas cum cõmuni totius animalis uita penitus conſpirãtes: ut non mirum ſit hæc inuicem per proportionẽ quandam fieri ſigna,ideſt, ex alijs mundani animalis membris ſimili proportione qua in nobis indicia nonnulla præberi ad aliorũ iudicãdos effectus.

Indicia quinq; , quòd ſtellæ non omnia faciant. Cap. VI.

CAput ſextum indicijs quinq confirmat, ſtellas non omnia facere. Primũ conſtat ſanè tum dignitate naturæ,tum ſublimitate loci, tum amplitudine poteſtatis quamlibet ſtellarum uel minimè bonam,uiro uel optimo meliorem prorſus exiſtimandam. Quamobrem ſcelera quæ uir optimus non patraret,ſtellæ minimè perpetrãt: præſertim quia cæleſtia omnia uiua diuini artificis ſunt inſtrumenta. Quod & aſſerit Ptolemæus, & ratio docet:tum quia per illa hic ſingula tam artificioſa ratione formantur,ut ars quidem omnis hæc pro uiribus imitetur,ſed nulla unquam aſſequi poſsit: tum quia cæleſtia quamuis tanta poteſtate prædita ſint, nunquam tamen liberius peruagari uidentur,ſed inſtrumentorũ conditione certo quodam tractu ac limite ad præſcriptum directa finem ducuntur per eadem ſemper,& ſimiliter reducuntur. Quicquid igitur per cæleſtia diuini artificis inſtru
E menta peragitur, ab ipſo Deo præcipuè prouenit: cùm uerò à ſummo bono malum ab ordine cadens fieri nequeat,certè quod aſtrologi quidam garriunt,per Martem Venereḿq; in Ariete uel Tauro coeuntes, nunquam apud nos adulteria committuntur. Indicium ſecundum: Cùm diuina quidem cælo ſuperiora neque natura,neque modo mutentur: quæ uerò inferiora ſunt cælo mutentur utriſque,conſequens fore uidetur, cæleſtia tanquam media, & ſi modo quodam ſemper mutari uidentur,nunquam tamen natura mutari. Delirat ergo,quidicit planetas hac hora ,ex hoc ipſo conſpectu talem ſortiri naturam: hora uerò ſequenti,naturam rurſus aliam ex alio conſpectu ſubire:ſi militerq; deinceps: neq; terminum, uel naturæ ſuæ proprium uel ad alios in tempore certum prorſus ullum habere,ſed more Camelcontis ſemper ad obiecta mutari. Tertiũ:ſtellæ ſunt à noſtris admodum ſeparatæ, ſunt communiſsimæ cauſæ, ſunt natura & numero terminatæ: influxus quoque ſtellarum quacunq ad nos cæleſtium motionum conſtitutione mixtantur, cõmuniores ad noſtra uenium atque definiti. Incerta igitur effectuum multitudo,& infinita diuerſitas nequit ex illis ſine medio peragi, ſed inter cæleſtia inferioresq; effectus oportet cauſas occaſionesq; cadere medias, tum magis natura diuerſas, tum ſorte quotidie uarias,quibus ad minimos quoſq; & innumerabiles deſcendatur effectus. Stellæ igitur neq; conſilio terrenis minima quæq; diſponunt, alioquin tanta forent ſolicitudine miſeræ: neque naturali conditione, mox ex cõmuniſsima ipſarum natura ad diſtinctiſsima quæque deſcendunt. Quartum:ſolent aſtrologi dicere planetam in certo ſigni termino poſitum,nonnulla promittere, quæ non antea præſtet,quàm uel ad eundem terminum reuertatur,uel
F totidem anni prætereãt,per quot gradus aſcenderit. Item quod promiſit non prius abſoluere,quàm ſignum idem in natali reuolutione nobis rurſum aſcenderit: & quot ab initio gradibus nobis aſcenderat,annis totidem in natali reuolutione aſcendere rurſus. Præterea planetas ſingulos,aliasq; ſtellas prout alibi uel alibi naſcentibus imminent,effectũ magis minúsue differre. Totum quidem hoc hominis eſt pro arbitrio numerantis, ac fingentis potius quàm docentis. Et ſi planetam probabilius fingere licet,quando redit ad idem facere ſimiliter idem,tamen quod facere primò non potuit, efficere ſecundò non poterit: neq; planè perſpicio,cúr nam ex prima poſitione non faciat,quæ fortior admodum in nobis eſt ſecunda. Quod item de dilatione ſimpliciter dicitur, ad agendum penitus eſt confectum: nam ſi cauſa ipſa dum præſens eſt, non efficit, multò minus peragit abſens. Afferent fortè certam huius cauſæ uim eò uſque ſeruari: ego uerò ubi ſeruetur exquirã. Aut enim in cauſis nobis propinquioribus,aut in materia,aut utrobiq; ſeruatur. Eſto igitur,ita ſeruetur. Ita certè ſeruata,pro eorum quæ ſeruant conditione ſeruatur, atq; ad ipſorum naturam trahitur paulatim, & pro eorũ diſtinctione diſtinguitur Quod ergo deniq; fiet,ſub proprietate noſtra potius quàm communi continget. Quintum:quemadmodum in theologia probauimus,ac rurſus alibi repetemus:omnis cauſarum turba ex una primaq; dependet cauſa , adeo ut inde ſit,& ſeruetur,atq; ducatur,alioquin diuerſitas cauſarum non conducet ad unum, niſi & deducatur ab uno. Quæcunq igitur fiunt deſuper,tanquam à ſumo bono pendentia,& ordinatiſsimè fiunt,& optima ueniunt. Nemo igitur ſtellas uel ſolas omnia,uel mala etiam facere audeat confiteri.

Indicia

A *Indicia quinq́, quòd ſtellæ ſignificant potius noſtra, quàm agant.* Cap. VII.

PLotinus & Origenes condiſcipuli, ſub Ammonio Alexandrino, ac ſemper amici hac in re ſicut in pleriſq́ conſentiunt: ſtellas neque omnia facere, neq́ ubi agunt, omnino peragere. Item multa ſignificare quæ ipſæ non faciant: non omnia, inquã facere, ne ſi mala fecerint, uel Deus non prouideat, uel ſit iniuſtus, ſtellæq́ ſimul iniuſtæ. Neq́ rurſus omnino, ne ſi ad exactiſsimum ipſæ ſingula peragant, naturalium rerum actio uacet, & liberum ceſſet arbitrium. Simili quoq́ conſenſu frequentem ſtellis ſignificationem uel ubi non agant, libenter iccirco concedunt: quoniam ex hoc diuina prouidentia maximè confirmatur: neq́ enim poſſent in præſenti hac uniuerſi facie præferri indicia præteritorum atq́ futurorũ, niſi res paſsim rebus, tempora temporibus certo quodam & conſequenti ordine necterentur. Ex quo perſpicuè patet, non incerto quidem caſu cuncta uagari, ſed ratione quadam & prouidentia regi. Si perpetua conſideres ſtellarum lumina, & acceſſus ad nos atq́ receſſus, concedent Plotinus & Origenes ex his tantùm apud nos effici, quantum ordine naturali procedit, & ad corporum ſpectat affectiones, & id quidem conditione communi, quæ per propinqua nobis ualeat permutari. Si ſpectes iterum ſitus ſtellarum quotidianos mutuoſq́ aſpectus, ſcito ex his apud hos philoſophos, noſtra potius ſignificari, quàm agi. Quod quidem Origenes in Geneſis commentarijs, ubi dicitur, ſtellas fuiſſe factas in ſigna: & Plotinus hîc ſimul & in libro de Fato, quinq́ potiſsimum argumentantur indicijs. Primum: Non poteſt quod poſterius eſt, efficiens cauſa præcedentis exiſtere. Aſtrologi uerò ex natiuitatis hora nõ ſolùm quæ euentura ſunt nato, ſed quæ iam euenerunt, iudicare promittunt: utrum maſculus ſit an fœmina: utrum mancus an integer.

B Imò uerò & altius in hodierna ſtellarum poſitione multa nobis aperire præterita profitentur, quæ non natiuitatem ſolùm, ſed nati conceptionem etiam anteceſſerint: parentum & auorum naturas atque fortunas, fratrum quoque maiorum atque reliquorum nobis neceſsitudine coniunctorum. Adhæc autem quaſi priora non poteſt cauſa eſſe cæli figura poſterior, ſed eſto ſignum, ſiquid modò declarat. Quòd ſiquis concedat præterita quidem ex his tantùm repræſentari, futura uerò inſuper effici: is cogetur nobis oſtendere differentiam, & diſcriminis huius cauſam aſsignare: Cùr nam ſi ad præterita figura præſens cauſa non eſt, ad futura ſit cauſa? Ac ſi poſitio Martis in quarta demonſtrat, & parentes citò mori, & natum patrimonium diſsipare: ſicut neque poſitura hæc parentes necat, ita neque dilapidat patrimonium. Iam uerò & futura quædam per hanc aſtrologi prædicere pollicentur, quorum figura hæc cauſa eſſe non poteſt: ſcilicet uxoris, & fratrum, & amicorum ſortes: quæ ſuas non in hac figura, ſed alibi cauſas habent. Denique per præſentem cæleſtium habitudinem, quæ poſt annos triginta contingent, ſi modò portendi poſſunt, perfici certè non poſſunt. Meritò igitur plerunque dicunt, natus hic ipſe ſibimet cauſa erit incommodorum ſuorum, alius commodorum. Secũdum indicium: Si patibulo moriturum aliquem dixerint, non à natiuitate ſua id ſolũmodo, uerumetiam parentum, fratrum, filiorum, aliorumq́ neceſſariorum: imò uerò etiam ex natiuitate necantium intelligi poſſe putant. Siqua uerò patibuli huius cauſa eſt, uel una eſt, uel ſi plures certè coniunctæ ſunt, & in ipſo: ubi uerò in diuerſis hæc diſperſa ſunt, non cauſæ, ſed ſigna uidentur. Denique ſi per cæli in natiuitate figuram fatum pueri iam pridem facti prædicitur, hæc ipſa figura fatum non efficit, ſed declarat: ſicut & puer non tunc efficitur, ſed declaratur eſſe ętus. Sed &

C ante conceptionem fatum Platonici dicent fuiſſe conceptum, quando uidelicet anima corpus elegit. Indicium tertium: Cùm multæ præuidendi rationes eſſe putentur oraculum, augurium, aruſpicium, interpretatio ſomniorum, medicorum agricolarumq́ præſagia, omen, phyſonomia: in quibus omnibus ſigna perpenduntur, non cauſæ futurorum: cur nam in ſola figuræ cæleſtis inſpectione non indicium tantùm putant eſſe, ſed cauſam? An uidelicet nobis eſt illa figura ſuperior? Sed auium quoque uolatus, & tonitrus ſuperiores ſunt, neq́ tamen per hæc ut per cauſas, ſed tanquam per indicia ſolent aucupari futura. Deniq́ quid & quomodo efficientis ad hæc cauſæ ſit in cælo, iam conſtitit. Nónne & Deus mentesq́ diuinæ ſuperiores ſunt? Oracula tamen & prophetarum uerba diuino afflatu pronũciata uel ſcripta, futurorũ prodigia non cauſæ iudicantur. Similiter poterit & cæli facies eſſe liber, in quo figuræ ſcriptæ diuinitus præferant uentura, non agant: præſertim ſi conſideratione cæleſtium corporũ prænoſcantur ea quæ fieri nequeunt corporalis illius naturæ tenore, ſcilicet certę certis temporibus hominũ dignitates atq́ depreſsiones, inuentiones theſaurorum, cogitata conſiliorum, mutationes fortunæq́ propriæ atq́ noſtrorum. Indicium quartũ: Si per præſentem ſtellarũ conſtitutionẽ uel immania ſcelera, uel opera diuinitatis propria portendũtur, probabilius ualdè dicetur, ſtellas utraq́ potius declarare, q̃ uel cũ optimæ ſint peſsima perpetrare, uel cũ ſint corpora, incorporea facere: & quæ uel cõtrà uel ſupra naturam corporeã ſunt efficere. Indicium quintũ: Interrogationes quæ quotidie apud aſtrologos fiunt, ſiue de præteritis, nunquid talia

D facta ſint? uel de futuris, nunquid fient? uel de præſentibus, utrum fiant? de rebus & alienis à nobis, & longè diſtantibus, confirmant quicquid ex præſenti interrogationis hora reſpondetur, non per cauſam reſponderi, ſed ſignum. Superiora hinc iterum confirmantur, quòd omnium quæ nobis accidunt fiuntúe à nobis, manifeſtas ſufficientesq; apud nos cauſas reperimus, in propria generis noſtri natura, in conſuetudine, affectu, conſilio, actione, occaſione, concurſu circunſtantium cauſarum, neq; unquam ſine his cauſis è cælo fit aliquid: ut nil opus ſit horum in cælo cauſas perſcrutari, quæ ſæpe in terra patent, neq; tamen inueniuntur in cælo. Atqui ſi præſentes ſemper in horas cæli figuras aliquid in nobis facere concedamus, ad affectiones corporum primosq; impetus tantùm pertinere dicemus. atq; id quidem parui eſſe momenti: ſiquidem per cauſam agitur momentaneam: Rurſusq; pro natura propria ſuſcipi, & ad noſtra quaſi firmiora mutari. Ex eo autẽ quòd cõſtitutio fiderum non quæcunq; ſignificat, efficit, propria diuinitatis, & naturæ, & artis actio confirmatur. Siue igitur Iouis & Saturni coniunctio nouam portendit religionem, poteſt nihilominus uel uera inter rim religio à deo perfici, uel ab homine falſa confingi: ſiue per cæleſtes motus quæ infra Lunam natura contingunt aliquando deſignentur, nihilominus natura talia facit, & efficit tenore naturæ: ſiue pereoſdem motus portendantur actiones humanæ, conſilio tamen humano & pro arbitrio noſtro procedunt, ſignaque interdum uana fiunt, quando efficiens cauſa in ſe cauſam permutat ſignificantem. Proinde quòd Plotinus, & Origenes aiunt futurorum quaſi literas in cælo, uel ſcriptas eſſe ab initio, paulatimq; explicari, uel perpetuò ſcribi, intelligunt ſtellas, figurasq; tum confectas ex ſtellis,
E tum imaginarias: Item ſignorum gradus partesq; minutas: deniq; planetarum aſpectus & motus, & quæ conſequuntur hæc ubilibet, uel comitantur. Tu uerò cælum hic intellige uniuerſum. Eſt enim ubiq; cælum: & Timæus cælum nominat uniuerſum. Supra Lunam quidem ſicut rerum inferiorũ cauſæ ſunt communes, ita & communia ſigna: infra Lunam uerò ſunt cauſæ propriæ, quibus cognitis communia in propria deriuantur indicia, totumq; hoc quaſi animalis unius corpus exiſtit. Oportet igitur in mundano hoc animali tum ſupra Lunam, tum infra circumſpicere cuncta, atq; inuicem penſitare. Sicut enim diuerſa inter ſe agentia ſunt, tum ſupra, tum infra, tum ſuperiora ad inferiora nonunquam: ſic & ſigna paſsim inter ſe ſunt ſæpe diuerſa: quemadmodum in quolibet animali tum naturæ inter ſe contrariæ ſunt, tum membra diuerſa, tum in alijs ad alia repugnantia ſigna. Iubet itaq; Raſis phyſonomum non uni credere ſigno, ſed cuncta comprehendere, inuicemq; librare: atq; ubi contraria ſunt, ſequi plura ſimul atq; certiora. Idem obſeruare debet in mundo diuinaturus ex mundo: quem in iudicando cautum eſſe debere Ariſtoteles in libro de Somno & uigilia his admonet uerbis: Sæpe ſunt in corporibus ſigna etiam cælitus uelut imbrium & uentorum, neq; tamen euenit ſignificatus euentus, cùm motus hoc alius uehementior accidit. Quamobrem diuinationem eiuſmodi Origenes atq; Porphyrius hominibus abſtulerunt, conceſſere dæmonibus, quibus pareat cæleſtis liber ille legendus. Non dæmonibus inquam æquè omnibus: nam Porphyrius in libro de Oraculis poſtquam probauit quæcunq; dij oraculis fatalia nunciant, ſtellarum obſeruatione prædicere, ſubiũgit, deos quoq; ſæpe mentiri, atq; exquiſitam futurorum cognitionem non hominibus ſolùm, ſed
F multis etiam deorum eſſe prorſus incertam: & quibus deorum innoteſcere poteſt, non qualibet hora ad plenum eſſe perſpectam. Sic itaq; dæmones, quantum ſpectat ad præſens, diſponere libet. Aetherei dæmones aerem colentes ſublimiorem, cæleſtia magis quàm terrena contẽplantur oſtenta: aquei uerò dæmones aerem, ſcilicet infimum habitantes, ex noſtris magis quàm ex cæleſtibus rerum argumenta uenantur: Medij deniq; commodius utrobiq; ſigna conſpiciunt: ideo uaticinio apud nos ſunt admodum aptiores. Ab his utiq; Origenes ait homines non nunquã accepiſſe præſagia: ueruntamẽ ſiue ab his acceperint, ſiue obſeruatione didicerint, cõfuſa proſpicere, & caligine quadã hallucinari.

Multis de cauſis iudicium de futuris eſt difficillimum.

QVòd autem nec homo nec dæmon ſola inſpectione cæleſtium minutiſsima quæque apud nos perſpicere ualeat, hunc in modum argumentamur: Sicut quælibet natura cæleſtis terrena qualibet natura communior eſt: ita quilibet cæli motus terreno quolibet eſt motu cõmunior. Non poſſunt igitur è cælo ad terram ad minutiſsimum quodq; reddi ſingula ſingulis: neq; igitur poſſunt hic minima quæq; perſpicuè inde diſcerni. Semper enim cæleſtis motio quaſi cõmunior, ad plures hic eſt motiones indifferens: ut niſi præter cælum inſuper hæc noſtra conſpexeris, perpendere nequeas qua potiſsimum conditione hic cæleſtis motio capiatur, & utram potius in partem definiatur. Suſpice ſi placet in tua geneſi cæli figuram: definitas quaſdam & numero paucas in ea notas inſpicies, quibus communes quoſdam, & paucos in te notare inde queas effectus. Motus itaq; tuos omnes, qui non in tota ſolùm uita, ſed anno quolibet atq; menſe innumerabiles ſunt, nunquam potes inde

A tes inde perſpicere. nec etiam ſi quolibet anno reuolutionem tuæ natiuitatis euoluas: neq; rurſum ſi quotidie diligenter obſerues. Mitto in præſentia quid dæmones poſsint, homines certè nõ poſſunt. Sapiens nemo negabit, ſtellas omnes quæ nobis innumerabiles ſunt ad effectum quemlibet conferre nonnihil, ex earumq; confluxu commune aliquid, & id quidem pro natura loci & materiæ confici: aſtrologi uerò ſtellas tantũ mille uiginti quinq; & duas, uel ad ſummũ, ſuper mille quatercentũ ſeptuaginta ſex duntaxat obſeruant. Quo fit ut cum minorem cauſarum numerum teneãt, atq; eas nondum perfectiſsimè calleant, abſoluram effectus conditionem iudicare non poſsint: præſertim cum ſuper planetas ſtellæ ſint quamplurimq;, tum magnitudine, tum ſplendore mirabiles. Sint etiã innumerabiles in orbe lacteo oculis omnino noſtris occultæ: planetas uerò ad ſtellarum aſpectus aliter atq; aliter affici, negare ex eorum doctrina nõ poterunt. Mitto quòd Phauorinus philoſophus non ſolùm alias ſtellas præter notas exiſtere, uerùm etiam planetas alios diſputat eſſe poſſe, ignotos uel propter ſplendoris copiam, uel propter exuperantiam altitudinis: ſine quorum obſeruatione haberi forſan perfecta rerum notitia nequeat. Ad hæc ſiquis obijciat ſtellas quidem emiſperij noſtri agere in hominem ſub hoc ipſo orizonte naſcentem, in alios alias: Reſpondemus: ſtellas ubicunque ſint, omnes in ſeſe inuicem conijcere radios, terræ umbra hoc nunquam impediente, eosq; undiq; ad nos uſq; traijcere: item paucas admodum emiſperij ſtellas hominibus eſſe notatas. imò etiam ſi ſtellarum numerus ad minimum computatus eſſet, uirtus certè non omnis adhuc eſt nota: imò nec deprehenſæ adhuc ſingulæ motiones, nec oculo, nec inſtrumento, nec ætate ad omnes ſufficiente. Quid? quod difficillimũ creditu eſt: Mercurij magnitudinẽ, altitudinem, motionem, ad unguem eſſe perſpectã: ſiquidẽ & rariſsimè uidetur, & tunc obſcurè ſe obijcit, ac ferè momento, neq; diligentiã ſu
B ſpicientis expectat. Cùm ergo quid ſit, quid fiat in cælo nondũ perſpectum ſit: nimirũ neq; etiã quid fiat è cælo. Præterea non ratione aſtrologi, ſed experientia & uſu nitũtur, experiẽtia uerò, niſi cuncta quæ utrobiq; circunſtant ſimilia ſint, ſæpiſsimè fallit. An uerò quia naſcente Romulo Mars in Ariete angulũ Oriẽtis habebat, talia geſsit? Stellis uidelicet humano notis ingenio fermè ſic eo tempore cõcurrentibus: Quoniam igitur talis ſub tali quondam cælo Romulus extitit, nunquid & Annibal, cui Mars quoq; aſcendit in Ariete, eundem omnino conſequetur euentum? Nequaquam. Quoniam & ſi fingas planetas inſuper omnes ſimiliter in utroq; diſpoſitos, aliæ tamen ſtellæ firmamẽtiq; partes non eodem quo olim habitu ſeſe habent. Signa enim oculis quodammodo manifeſta à Romulo ad Annibalem ſitum ad ortum iam mutauerunt, dum ſub ſignis occultis ſtabilioribuſq; currẽtia gradum annis centum unum peragunt: quo quidem in tempore ſignorũ poſitio permutatur ſiduſq; niſibile ad occulta ſigna aliter aliterq; ſe habens, nimirum alia quoq; facit & alia. Nam & aſtronomi confitentur ad inuiſibile ſignum omnia referenda: Forſan enim Aries manifeſtus, qui tunc cum Ariete concurrebat occulto, nunc cum Tauro congruit, aut ſaltem cum alio Arietis illius gradu ſiue minuto: Sic & cætera ſigna ſignis aliter ordine conſequenti reſpondent. Vnde ſi ſigna uires per ſigna permutant, planetæ quoq; per ſigna commutant. Quamdiu uerò mundus cucurrerit, & quo habitu ſigna hæc comparentur ad illa, ne ſuſpicari quidem homini licet. Quantum uerò diuerſitas circa octauam ſperam ualeat, ex eo perſpicimus, quòd multis iam annorum millibus planetæ frequentius inter ſe reuertuntur ad idem: neq; dum tamen ſimiles omnino reuertuntur effectus: nondũ priſtina mundi facies renouatur: non redeunt imperia eadem & ibidem: non leges ſimiles atq; mo-
C res. Diuerſitatem autem octauæ ſphæræ dicimus, non ſolùm quæ fit ab occaſu ad ortum, ſed etiam acceſſum eius atq; receſſum, per quem imagines alijs ſeculis ad ſeptentrionem accedunt, alijs ad meridiem. Non poſſunt igitur Aſtrologi certas pro experientia cõfirmanda regulas poſuiſſe, dum de hominibus tempore diuerſo naſcentibus, ſimilemq; tamen quodammodo quarundam ſtellarum habentibus poſituram, ſimiles opinarentur effectus. Non prius enim eadem prorſus uniuerſi facies reuerteretur, quàm annorum triginta ſex millia conſumentur. Accedit ad hæc quòd quemadmodum regulæ medicorum aliter alibi ſunt obſeruandæ, ſi modò futuræ ſint ſalutares: ſic & Aſtrologorum regulæ mutationem ſub regionibus diuerſis admittunt. Non enim poteſt obſeruationis Calcẽorum ratio conſiſtere, ſiquis ſub diuerſis cæli regionibus uti eadem ratione uoluerit. Eædem namq; ſtellæ ſicut non ubique pruinas cient, ſimiliter uel calores, uentósque & pluuias, ſed mutant & uariant, tempeſtatésque eodem tempore alibi placidas mouent, alibi uiolentas, alibi nullas: cur non euenta quoque humanarum rerum alia Caldæis, alia Getulis, & Scythis efficiunt? Profectò ſicut ſub alio curuamine cæli alius eſt corporis habitus: ita in cæteris omnino rebus humanis non idem prorſus conijcere potes, ſi ſtellas ex quacunq; terra conſpexeris. Sed eſto: obſeruent in ſingulis aſtrologi regionibus quid potiſsimum certis ſæculis fieri è cælo conueniat, quod ad hunc uſq; diem ritè nullus obſeruat, figuram certè cæleſtem quam deſtinare fatalem unicuiq; ſolent, ad ſummum explorare non poſſunt. Primò quidem cum naſcentis fatum non à figura propria tantùm, ſed parentum

D atque uorum figura ſimul & proauorum, & ab ipſo nuptiarum tempore dependere concedant: neq; tot configurationes explorare licet, neq; fatales nati cauſas tam latè diſperſas & ſigna diſtracta colligere datur, neq; ſicubi ſibimet aduerſentur momenta rerum grauiora perpendere: ac ſiquis iſta comprehendat, non tamen ex his duntaxat omnem in nato uidebit euentum. Veniunt enim, aiũt, ſæpe uniuerſales cauſæ tam potentes, ut propria cuiuſq; permutent in deterius uidelicet, aut melius. Sed redeamus ad figuras quodãmodo pertinentes ad natum. Ptolemæus in quadripartito inquit: Breue tempus maximam in re ipſa mutationem facere, ideoq; difficile admodum eſſe iudiciũ. Hinc & Abumaſar in libro de Iudicijs, Neceſſarium, inquit, eſt ad iudicium, qualibet hora optimè callere planetarum curſus, & gradus atq; minuta ſignorum tenere certiſsimè. Profectò ſigna ſex à Cancro exordientia quia rectà procedunt, horas duas, uel paulo plus occupant aſcendendo: ſex reliqua quæ à Capricorno incipiunt, quoniam exoriuntur obliqua, citra duas horas aſcendunt. Diuidenda igitur hora eſt utrobiq;, partesq; horæ partibus ſigni diſtribuendę. In rectis quidem gradus quiſque ſignorum quintadecimam fermè exigit horæ partem, in obliquis fermè uigeſimam. Verùm ſicut in ſignis triginta ſunt gradus, & in quolibet gradu ſexaginta minuta, & in quolibet minuto ſexaginta ſecunda: ita partem horæ utrobiq;, uel quintãdecimam, uel uigeſimam, neceſſe eſt in partes ſexaginta, & iterum ſexaginta ſimiliter diſtribuere, & ſingula ſingulis prorſus accomodare. Cum igitur aſſerant, ut & Origenes inquit, aſtrologi, non ſolùm gradus, ſed & minuta minutorumq; minuta neceſſariò cognoſci debere, in quibus planetæ ſint, & quæ aſcendant, ſiue deſcendant (Nam in mi-
E nimo maximum eſſe diſcrimen: quod & Nigidius in uoluenda figuli rota monſtrauit) quis nam minutias eiuſmodi deprehendere poteſt? Iam uerò cum ut plurimum media ſigni pars unam aſcendendo occupet horam, quó nam pacto minutum aſcendentis inuenies, cum tam minutam diuiſionem temporis nequeas obſeruare? Scire namq; expedit non ſolùm quota hora, ſed etiam quotis minutis horæ minutorumq; minutis ex utero ſit puer effuſus. In Piſcibus uerò atque Ariete propter obliquã horum aſcenſionem, hora enim & tertia horæ parte aſcendere penè uidentur, minimam temporis partem magnam mutationem afferre non dubitant, ut uel uigeſima horæ unius pars gradum aſcendentis immutet. Quoniam igitur aſſerunt tempus, uel exiguum quod cadit inter natiuitatem, uel geminorum, uel duorum quorumlibet hominum, ex diuerſis quidem parentibus, ſed eadem penè temporis parte naſcentium, diuerſitatem afferre, quæ inter illos effectu deprehenditur: Ideo ſic eos Auguſtinus interrogat: Aut illud exiguum interuallum exiguam inter illos diſcrepantiam affert, aut magnam. Si exiguam dixerint, obijcemus Iacob & Heſau geminos ſine interuallo temporis editos in magnis fuiſſe diſſimiles. Si magnam, cum illæ minutiæ nullo poſſint inſtrumento deprehendi ſcilicet ſecunda, tertia, quarta. certè iudicare non poſſunt. Magnam uerò afferre, in meis neceſſarijs ſum expertus: Natæ ſunt in familia noſtra geminæ ſine interuallo ſorores: altera poſt ebdomadas ſeptem proprius interemit morbus: altera poſt ſeptem menſes nutrix inſcia ſuffocauit. Nati ſunt & gemini ſimiliter: alterum intra paucos dies ignis occidit, alterum aqua poſt annos quatuordecim ſuffocauit. Nati ſunt & in uicinia mea ſine intermiſsione gemini qui adulti iam ſunt, & corporib. in
F genijs, caſibus diuerſiſsimi. Mitto, quàm diuerſa ſit ſors brutorum una naſcentium plurimorum, præſertim ubi ſimul fouentur in ouis. Profectò ſi tam paruum atq; rapidum eſt momentum temporis in quo naſcens homo accipit fatum, ut in eodem illo puncto ſub eodem penitus circulo cæli plures ſimul uix ad eandem competentiam naſci queant: ac ſi iccirco gemini quoq; non eadem uitæ ſorte ſunt, quoniam non eodem momento ſunt orti, reſpondeant quæſo, ut cum Phauorino interrogem: curſum illum temporis tranſuolantis qui uix cogitatione animi comprehendi poteſt, quó nam pacto deprehendant, cum in tam præcipiti cæli uertigine minima quæq; momenta ingentes dicant mutationes afferre. Iam uerò maior mora eſt natiuitatis in uno, quàm inter geminos mox ſibi ſuccedentes in partu. Si igitur in ictu quodam oculi cæleſtis conſtitutio permutatur & fatum, neceſſe iã erit, ut totidem fata dicant, quot ſunt & naſcentia membra. Hìc quoq; peroportunè quæritur, utrum fatiſeries explicetur, quo primùm momẽto incipit egredi puer ex aluo? an potius quo iam medius exit? an forte cum totus? nam & in hoc inter ſe diſſentiunt. Verùm altius ab exordio fœtus repetenda res eſſe uidetur: Et ſi nonnulli ipſam tunc cæli figuram inuenturos ſe profitentur, atq; id quidem ex figura natiuitatis, tamen cum hanc incertam habeant, nimirum & illam multò magis incertam. Sed condonemus eis, ut hanc compertam habeant, quibus tandem regulis ex hac illam aucupari poterũt? Dicent fortè nonnulli, gradum Lunæ in natiuitate aſcendentis gradum in conceptu fuiſſe, ac uiciſsim gradum aſcendentis in ortu gradum extitiſſe Lunæ, cùm fœtus cõciperetur in utero: ſed neq; hoc compertum firmiter eſſe poteſt, imò uerò arbitrarium eſt omnino. Iam uerò & alij aliunde quærũt, atq; ut refert Iamblichus, alij quinq; ad id legibus uti ſolent, alij paucioribus, alij uerò pluribus. Prophyrius autem id aſtronomis etiam concedentibus ait, eſſe prorſus incertum. Sed eſto reperiat

fortè

A forte quiſpiam primordia fœtus: quærimus utrum prima illa temperatio cæli, quando primùm in
coluabatur opus humanũ, ſolùm conducat ad opus, an & reliquæ deinceps harmoniæ cæleſtes, quæ
ſicut & prima momentanea fuit, momentis ſingulis uariantur? Si prima ſolùm dicatur efficere, mi-
rum eſt momentaneam cæli figuram diuturnum opus abſoluere. Et cum iam amplius non eſt, con
tinuè facere. Sed afferent ex prima figura uim quandam in fœtu relictam quaſi ſuperſtitem & agen
tem. Si ita ſanè, quamuis etiam ſit adeo mirum, at certè quæ continuò deinceps figuræ ſequuntur,
num agunt in fœtu nihil? imò & agunt hæ quoque, & ſuas notas inurunt. Et quanquam
pro natura prioris excipiantur, influunt tamen etiam pro natura ſua, ac paulatim priora per-
mutant, confundunt indicia, iudicia fallunt. Maxima uerò & antecedentium permutatio fit,
& ſequentium incohatio, cùm primùm corpuſculo fœtus iam ad animam præparato influit a-
nima. quod ſanè momentum, uel dæmonibus eſt incertum. Iamblichus ex mente Platonis probat
ſortem ducemq; uitæ dæmonem animæ tribui etiam ante conceptionem ab uniuerſali totius mun-
di diſpoſitione: prout anima cùm primùm appetit corpus ſe habet ad uniuerſum, atque econuerſo.
Id ergo tempus primò ſcire oporteret atq; perpendere, quod ſola inſpiratione diuina putat poſſe cõ
prehendi. Præter hæc inſuper in iudicandis hominum effectibus ſiqua tempora obſeruanda ſunt,
quinq; obſeruanda uidentur. Primò quidem ſerendi tempus, quando ſemen iacitur in matricem:
huius iactus conditio ſequitur uoluntarium parentum morum, & ipſam præſentem utriusq; natu-
ram, imaginationemq; comitantem potius, quàm præſentem conſtitutionem cæli. Principiũ enim
motus fuit utriuſq; uoluntas: ſors uerò in eiuſmodi motu potiſſimum pro eorum natura & ima-
ginatione contingit, interea non nihil fauente cælo. Quantum imaginatio poſsit, apparet in auidi-
B tate prægnantium, & in animalibus quæ alba naſcuntur ex genitoribus imaginantibus alba, ſicut
de pauonibus fertur. Secundò, tempus, quo ceſſante iam motu prædicto ſemen in matrice colle-
ctũ firmumq;, iam ex eo quod erat incipit permutari, & forſan primò conglutinari. Exordium &
ſors conglutinationis actionisq; eiuſmodi ſequitur conditionem ſeminis & parentum magis quàm
cæli, quia admodum materiale eſt quod efficitur, & id quidem erat, fitq; pars parentum. Pars uerò
propinquum propriumq; ſuum ſequitur totum. Vnde uidemus ex tali ſpecie indiuiduoq; talem ſpe
ciem & indiuiduum eiuſmodi ſemenq; coaleſcere. confert tamen interea cælum. Tertiò: tempus
quo primum fœtus formatur in uitam. Idq; fieri aiunt ſecundo menſe, quo potiſſimum Iupiter agit.
Verùm incertum eſt, utrum adſit uita, cùm primùm ſui menſis impleuerit medium, an aliquot poſt
dies, cùm ad quadrageſimũ nonum à conceptione diem peruenerit: quia natura frequenter in rebus
noſtris ſeptemnario gaudeat. et omnino an fiat aliter eſt obſcurum. Forte enim ſicut in nono menſe
quẽ Ioui rurſus attribuũt, non ſimiliter in lucẽ omnis æditur infans, ita neq; pariter in ſecundo uitã
quilibet accipit: nam & fœminas non ſimiliter atq; mares accipere compertum eſſe ferunt: ſic & ma
res inter ſe & fœminas probabile eſt non eiſdem interuallis accipere. Quid? quòd rationalem ani-
mam deſcendere alij forte dicent: non menſe Iouis, in quo uim uegetalem tribui dicent: non menſe
Martis, in quo uim potius ſenſualem: ſed menſe Solis, aut forte Mercurij. Sed opinionibus
his obmiſsis conſideremus ſimpliciter propriæ uitæ principium. Auſpicium uitæ ab hoc die
& hora maximè ducitur: Nam à conceptione auſpicium potius eſſentiæ fuit & molis hacte-
C nus non alia uita uixit quàm parentum, parsq; alterius extitit: nunc uerò propriam ſibi uendi-
cat uitam, fitq́ue iam totum, motuq; mox proprio utitur. Eiuſmodi ergo uita uitam iam ex-
teriorem, ideſt, uniuerſi ſecuta uidetur mentemque diuinam. Sors quoq; uitæ in corpore inquã, ſequi
tur maximè præſentem cæli conſtitutionem. Deinde etiam corporis habitũ: præſentem dico habitũ:
alius enim iã eſt quàm in conceptione fuerit. Et meritò ſicut quod erat materiale magis, materialẽ
magis cauſam ſequebatur: ita quòd maximè eſt, fitq; formale, cauſam in primis formalẽ, ideſt, cæle-
ſtem & ſupercæleſtem præcipuè ſequitur. Quartò: tempus quo adultus infans in utero ſe à mater-
nis uinculis abſoluere toto impetu nititur. Solutionis eiuſmodi ſors ſequitur, primò quidem præſen
tem uirtutem pueri ac matris conditionem: deinde cæli habitum magis minusue ad id conferentem.

Quinto: tempus quo ſolutus omnino puer erumpit ex aluo. Erumpentis quidem conditio præce
dentẽ conditionem ſequitur annitentis. Qualis autem futura ſit huius conditio, qui ex aluo iam pro
diit, ſi modò iudicatur ex conſtitutione cæleſti qua prodiit, non tanquam ex cauſa, ſed uelut ex ſigno
perpenditur: probabile enim eſſe dicent, præcedentẽ cæli proſperitatem ad conſequentem cæli per-
duxiſſe proſperitatem. Sed memento, ſortem omnino perpendi non poſſe, tum quia ignorantur tẽ
pora, tum quia ignorantur & cauſæ quot qualesue ſint, tum quia neſcitur quid potiſſimum ex om-
nium concurſu confletur. Concurſu inquam tum præſentium inter ſe, tum conſequentium cum pre
cedentibus cauſarum. Aliud enim ſtellarum agmen fuit, quo primũ tempore conciperetur homo:
aliud poſtea cùm infunderetur anima, aliud cùm ederetur in lucẽ. Quòd ſi alius atq; alius ſtellarũ ſi-

D tus & ductus differentes promittit fortunas, quis nam ſortem in iudicando ex his potiſsimùm eliget? Quis nã in quauis temperatione cæli perſpiciet quantũ boni, uel mali hinc aut inde ex diuerſorũ cõparatione afferatur, auferatur, augeatur, minuatur? Quid deniq; noui ex omniũ miſtione cõfletur, in qua uim maximã eſſe nõ dubitant? Nã & aſpectus qui forſan per ſe diſſonare putantur, cõiuncti tamen cũ conſonantibus cõcentũ conficiunt gratiorẽ. Cũ uerò ex omniũ miſtione dico, nõ lumina tã tũ cęleſtia, ſed etiã inferiorũ uires materiamq; & locũ ad miſturã talem arbitror cõferre quãplurimũ. Quæ quidẽ omnia certè cõplecti, diuinitatis eſt propriũ. Hinc Heſaias ait: Dicite mihi uẽtura, atq; ego uos deos dicam. Hinc Plato deo quidem ſcientiã tribuit, nobis opinionẽ. Hinc Ptolemęus iudicia de futuris inter neceſſariũ & contingens ait, media cadere, neq; pro certo aliquid propriéq; cõperto affirmari debere. Hinc Auicenna in metaphyſicis negat, aſtrologis eſſe credendum, quia neq; cuncta cæleſtia teneant, neq; naturas inferiorũ ad iudiciũ neceſſarias, neq; nitantur demonſtratione, ſed experientia quadam, uel uaticinio probationibusq; oratorijs atq; poeticis. Humanũ namq; ingeniũ tum cauſarũ numerus & qualitas latet, tum experientia fallit, tum ſigna decipiunt. Sanè cum multæ ſæpe ad idem concurrere cauſæ poſſint: uix diſcernitur à qua potiſsimum cauſa effectus talis, talisúe prouenerit. Præterea experimentum nõ eſt ſimile, niſi in materijs temporibusq; omnino ſimilibus. Auget quoq; in iudicando fallaciam, quòd frequenter eiuſdem effectus ob cauſas differentes multa ſunt & diſsimilia ſigna: atq; uiciſsim diſsimilis nonnunquam euentus quodammodo ſigna ſimilia: in diuerſis poſtremo temporibus rerum uariantur indicia. Sic aſtrologus ſaltem quolibet anno re-
E uolutionem cogitur obſeruare: ſic medicus quauis hora ægrotantis accidentia circumſpicere, futurum prædicturus euentum: Similiter auſpex & aruſpex ſiquid in hoc eſt ueri, oſtenta paſsim & omnia ſingulis aucupari momentis. Similiter & phyſionomus, ſiquid modò in hoc eſt ueritatis, ſingulis ætatis humanæ ſeptenarijs argumenta ualitudinis morumq; perſpicere. Sicut enim ſeptimo quoque die in ægrotantibus noua potiſsimum captantur indicia: ita ſeptimo quoq; anno noua quædam accidentia & lineamenta nouæ figuræ, noui colores, & geſtus uel ſuboriuntur nobis, uel ſaltem apertius demonſtrantur. Sed memento quocunque modo, uel ritu circa futura, uel quomodocunque abſtruſa hominibus uera dicantur, id ſæpe caſu contingere, apud eos præſertim qui plurima dicunt: ſæpe etiam quòd & huic ſimile eſt id euenire, quia multa ſunt in uita omnibus fermè communia, multisq; undiq; modis quotidie contingentia: nonnunquam quod uel caſu, uel arte uidetur eſſe perſpectum, inſtinctu potius naturali, ſiue dæmonico, ſiue diuino fuiſſe prolatum. Naturali inquam inſtinctu, quando natura in nobis ſic temperata eſt, ut ab uniuerſali natura facilè moueatur. Dæmonico, quando imaginatio ſic affecta, ut opportunè pulſetur à dæmone. Diuino, quando ratio uel intelligentia ita ſe habet, ut accomodatiſsimè tunc diuinæ menti ſubdatur, etiam ſi id nos lateat. Quinque ſunt igitur prædicendi modi: arte, caſu natura, dæmone, deo. Hinc efficitur, ut pleriq; uel inertes, uel minus in artibus eruditi præſagio doctiores excellant. Hinc Porphyrius antequam narraret Plotinũ uaticinio Socratis inſtar mirabiliter polluiſſe, ait, eum aliquid ipſa natura mirabile præter cæteros homines habuiſſe, nec ſolùm dæmonem, ſed & deum habuiſſe magiſtrum. Hinc aſtrologicum illud iudicium ex ſtellis non ſolùm fit per earum inſpectionem, ſed etiam ex ipſius natura qui
F iudicat. Hinc Ptolemæus: Iudicia huius ambigua ſunt ei, qui rerum naturas ſtellaſq; conſiderat: illi uerò qui ex meliori parte futura cognoſcunt, propinquiores ſunt ueritati propter uim animæ in eis dominantem, quamuis non multam huius artis peritiam habeant. Concludè tandem ſi agricultores ac medici in re certiore ſæpius prædicẽdo fallũtur, cæteros prædictores ſæpiſsimè falli. Quã fallaciam doctiſsimi quique aſtronomi deprehendentes, iudicia neglexerunt. Mitto cæteros mihi etiã notos. Paulus Florentinus aſtronomus ſingularis, hæc ridere ſolebat, qui & annos uitæ quinq; ſuper octoginta impleuit ſuam tamen geneſim diligentiſsimè contemplatus, nihil ad ætatem conferens longam potuit inuenire.

Quanta ſit rerum in uniuerſo cõmunio: & quomodo in rebus ſint latentium indicia quædam.

QVamuis autem futurorum atq; latentiũ iudicium ſit fallaciſsimũ: & ſi quando ueridicum eſt, ſæpius naturali, dæmonico, diuino quodã inſtinctu, quàm arte procedat: tamen inſita rebus ſunt quædam indicia rerum, quibus admonitus natura ſagacior animus ſua iam, uel altiori explicat facultate, quod indicia leuiter admonent. Eſſe uerò ſigna uiciſsim ad res indita rebus Plotinus ab ipſa uult cunctorũ cõmunione naturæ: ex qua tũ res alia euentũ ſignificat aliũ, tũ res altera mutuò ſignificat alteri, ſimiliter in mũdo, ſimiliter & in nobis. Profectò ſi in rebus perfectè miſtis, quod elementum eſt in quolibet: multò magis in animali, quod ita fermè compoſitum eſt ex membris:

ſicut

A ſicut ex elementis conflatur & miſtum, in quolibet membro ſunt cuncta. Compoſitũ enim quod natura melius eſt, nimirũ eſt & meliori ratione compactum. Compoſitũ uerò nullum natura eſt perfectè connexum, niſi ſicut in toto ſunt partes, ita uiciſsim in partibus ſit & totum. Non eſt autẽ totũ in partibus, ſi per aliquã, uel aliquas duntaxat partes partibus alijs inſit: imò ſi per cunctas omnino partes in parte ſit qualibet: ideſt, ſi in quauis partes ſint omnes. Accedit ad hæc, quod in genitali animę facultate, ita ſimul totus eſt homo, ut in quolibet mẽbro ſit totus. Similiter in uirtute ſeminis for matrice ubicunq; mẽbrũ aliquod cogitatur, ſimul & reliqua conſequuntur: hactenus nulla eſt inter membra loci diſtinctio, ſed rationis. Cùm igitur animal oculis manifeſtum ſub hac unionis conditione, tum ex anima tum ex ſemine pullulet, conſequens eſt unionem quodammodo ſimilem inde ſuſcipiat. Quamobrem & ſi alibi caput eſſe uidetur, alibi rurſum manus & pedes, communi tamen participatione quadam fortè ſunt in omnibus omnia: ſic in cerebro aliquid eſt cordis & iecoris: ſic in corde iecoris nonnihil & capitis: ſic in iecore fit uiciſsim: in uultu, manus & pedes: in manibus forſan & uultus & pedes: in pedibus forſitã uultusq; manusq;. In quolibet itaq; membro, ſicut aliquid naturaliter eſt aliorum, ſic præter indicia propria, aliorum quoq; nonnunquam indicia latent. Tu ergo poſtquam frontem in primis & oculos præcipuè fueris contemplatus, omnia paſsim circunſpice ſigna. Quod enim alicubi uel te latet, uel propter impedimentum minimè prodijt, forſan inuenies alibi. Animal ſimili ratione mundanum ex anima quondam ſua, ex ſuo ſemine pullulauit, ea uidelicet ratione, ut in quolibet eius membro ſit totũ: ſic in qualibet ſphæra ſuo quodam pacto ſphęræ ſunt omnes. Stellæ in quauis ſtella ſunt cunctæ, in animãtibus animantes, mixta in mixtis omnia latent: adeò ut facilè tum ex omnibus in omnia fiat influxus, tum fermè in ſingulis præter propria ſi
B gna, indicia quædam ad reliqua lateant. Mitto quòd in Saturno non ſolùm natura quædam eſt Mercurij atq; Lunæ, ſed etiam reliquorũ. In Ioue non modò natura Veneris, ſed inſuper aliorum. In Sole Martis atque cunctorum. Mitto quod ſimiliter in nobis ad caput pulmones referuntur & ſtomachus, reliquáue deinceps: Ad cor ſpiritus atq; bilis, & reliqua: Ad iecur ſanguis & genitalia membra, & cætera conſequenter. Colligе tandem ſicut in corpore noſtro partes partibus obſecundant ad officium prorſus, & forſan ad argumentum: ita totum mundum, cuius pars eſt corpus humanum, ſuis paſsim indicijs ad noſtra conducere. Sicut enim in nobis omnia membra uirtutem unam ſequuntur genitalem atq; formatricem, quæ in ipſis etiam conſeruatur: ſic omnia corpora unà cum eiuſmodi uirtutibus ipſum uniuerſi corpus ſimilemq; uirtutem eius pariter comitantur, ut nihil fortaſſe ſit mirum, ex uniuerſo ſigna nobis accõmodata percipi poſſe. Sed ea quidem ut inde præſtantur, communiora uidentur: in nobis autem ad humanam accedũt proprietatem. Inde enim ad omnia quodam modo pertinent apud nos trahuntur ad hominem. Verùm ſicut in cælo deſignata non ſemper eueniunt, obſtantè nonnunquam uel diuerſa cauſa, uel aduerſa materia: ita ſigna nobis indita fraudantur euentu, cauſis uidelicet alijs uel palàm, uel clàm repugnantibus impedita. Quamuis enim cauſæ indicationesq; in nobis homini magis propriæ ſint, plerunq; tamen incertiſsimæ ſunt, tum quia multiplices nimium iam euaſerunt, ac propria turba & oppoſitione confuſæ: tum quia noſtra materia non ſolùm quamplurimis eſt ſubiecta, ſed inſtabilis & impedita ſæpius atq; fallax: tum quoniã noſtrorum ſimilitudines imaginationesq; reliqua ſæpe confundunt: tum deniq; quoniam animæ uirtus tam naturalis quàm acquiſita ſæpe multa permutat. Sed quoniam ad animam peroportunè
C peruenimus, ideſt, noſtrã, notare in uerbis Plotini debemus, nõ una tantũ anima omnia uiuere. Siquidem ait: Si membra noſtra uires & actiones ſingula proprietas habent, cùm tamen nõ tota quædam ſint ſed patres, multò magis eas habere animalia quæ in mundo rationalia ſunt: quoniam & maiora ſunt, & non partes ſolùm, ſed inſuper unt & tota. Vnde patet præter commune fatum his munera quædam uel in diſpenſatione fatali, uel præter fatum propria conuenire. Confirmat deniq; in uniuerſo non fortuitam congeriem peruagationemq;, ſed perpetuam rerum motionumq; ſeriem eſſe naturali & diuina quadam arte diſpoſitam: propterea quod ad certum finem ſingula dirigantur, & cuncta conferant ad communem, & conſequens ubique ſucceſsionis ordo ſemper agatur ſimiliter, atque repetatur.

Quæ ſint principia rerum, & quomodo anima noſtra etiam habeat principij rationem: ſuperet fatum, cedat fato, puniatur lege diuina. Item quomodo poſsit mirabilia facere, & corpus etiam à fato quodammodo liberare.
Cap. VIII.

TRia ſunt potiſsima mundi principia: bonum, & intellectus, & anima. Mundus itaq; ſub bono inſtitutus ad bonum, intellectuali animaliq; ad id prouidentia ducitur. Animæ rurſus omnes,

D quæ per intelligentiã & rationem tum in ſeipſis efficiunt orbes, tum animæ mundanæ orbes & imitantur & aſſequuntur, ipſæ quoq; principij rationem habere putantur: præſertim quia uelut collegæ ad ipſam diſpenſationem mundi recipiuntur, quamuis officium ipſum, quod anima mundi reuolutione unica peragit, reliquæ rationales animæ multis quoad poſſunt reuolutionibus impleãt. Rationalis igitur anima non ſolùm in mundi chorea ducitur, ſed & ducit. Eorditur enim opus proprium uelut agens, quando ex ſeipſa tum ad intelligibile contemplandum, tum ad ſenſibile gubernandum rite procedit: Rite inquam progreditur ad ſenſibile, quando ad hoc ita ſegerit, ut huius gratia intelligibile minimè prætermittat. hoc autem eſt rectà procedere. ſic enim ad finem illum propriè tendit, quorſum prouidentia, prorſus intendit: per obliqua uerò præuaricatur quoties ſenſibile bonum intelligibili nimium anteponit. Videtur autem hic Plotinus more Platonis per nomen recti atq; obliqui tangere uim rectitudinis in menſuris. Recta quidem columna grandia ſubſtinet ponderatque non recta uerò frangitur aut cadit. Radij perpendiculo recti dũ uidentur repercuti, non per diuerſa labuntur, ſed redeunt ad ſeipſos. et cum ex aere facili in difficultatem aquæ merguntur, non franguntur quidem, ſed recta procedunt, neq; à tenore detorquentur incepto. Obliqui uerò, & in ſolidis à ſe diſcedunt, ubi reflecti coguntur, & in liquidis deſcendentes ex aere uel è conuerſo franguntur. Hæc tu ſingula ad animi rectitudinem, uel obliquitatem rite ad modum transferre potes. Ego iam redeo ad inceptum: Nempe interim prouidentiæ diuinæ iudiciũ animam deteriori ſe conformantem, in deterius iure transformat: ad quem ſanè in ordine gradum prouidentia, & ſi non primò, tamen conſequenter intenderat: ut quiſquis ex primò digreditur, in ſe
E cundum iure progrediatur. Et anima quæ libera quodammodo fuerat hactenus, deinceps quaſi ſerua infælixq; ſequatur illa quæ ardentius adamauit, quoad ab amoris ardore ſe ſoluat. Iudicium uerò diuinum nuſquam, uel abeſt, uel effugitur unquam. Eiuſdem namq; præpotentis prouidentiæ lege, qua ſua cuiq; naturalibus ubiq; rebus accomodantur, animabus quoq; conſentanea, & ſua quibuſque redduntur. Huic autem prouidentiæ legi ad tria potiſſimum ſtellæ ſeruire uidentur. Primò quidem uniuerſum hoc ita fermè pulchrum efficiunt, ſicut ſtellis diuina mens idealibus pulchrum prius excogitauit. Secundò ad effectus conferunt naturales, quos ſtellarum radijs manifeſtè foueri uidemus. Tertiò dæmonibus hominibusq; dæmonicis ſigna futurorum, latentiumq; indicia præſtant. Quæ ſi dicantur portendere cuncta quæ in mundo ſenſibili oriuntur, cuncta intellige notione communi, cuncta præcipuè quæ ſic ſenſibili ratione procedunt. Cuncta denique dæmonibus potiusquã hominibus: illis enim cæleſte uolumen deus legendum propoſuiſſe uideretur. Quod ſiquid inde ad nos uel per inſtinctũ, uel per argumentũ & oſtenta transfertur, patet id quoq; factum inſtitutione diuina. Ac ſi non fruſtra inde ſumus admoniti, conſtat nos tum mala plerunq; uitare, tum bona quę præmonſtrãtur, noſtra etiam induſtria conſequi poſſe. Hinc Abumaſar contra illos qui dicunt inutilem eſſe ſcientiam futurorum, ſic ait: Poterit ſibi forſitan præcauere mutando locum in quo futura eſt peſtis, poterit etiam aliquando totum à ſe repellere, ac præuidens futuram infirmitatem, uel inuaſionem hoſtium & ſimilia deuitare. Hinc etiam Ptolomæus ait: Sapiens dominabitur aſtris, quatenus admonitus poteſt imminens declinare diſcrimen. Item ſapiens adiuuabit opus aſtrorum, ſicut
P agricola prudens naturalem terræ uirtutem, quatenus bona nonnunquam cæleſtis indicata ipſe ſua induſtria peragit. Sicut enim ſe habet agricola prudens ad terram atq; cælum, ſic ad utrumque medicus atq; prudens. Sicut ergo & quæ natura inchoauit agricola perficit: & quæ uiciſſim exorditur agricola, cælum prorſus abſoluit. Item mutat agricola multa præter cæli Solisq; naturam: & quędã tum ariditate ſæpius irrigando, tum à frigore protegendo, tum à caſu fulciendo defendit: ita medicus atq; prudens ſigillatim erga cælum corpusq; noſtrum ſe gerere poteſt. Quantum uerò ad hæc medicinæ diligentia ualeat, compertum habeo, & ſæpe aliâs, & in puero: qui natus octauo conceptionis menſe nocte ſub Saturno ſtationario ſtatione prima in Sagiptario aſcẽdẽre, ſemianimis profectò & uix ut uidebatur uicturus ad triduum, tamen diligentiſsimè curatus à nobis paulatim recepit uires, & iam plures annos impleuit. Mitto quot modis fouerim nato cor, cerebrum, & iecur, & ſtomachum, rebus tum ipſi, tum nutrici & extra & intus adhibitis: obſeruans interea fęliciores in adhibendo dies & horas. Exiſtimat uerò Plotinus rationalem animam non artibus eiuſmodi tantũ corpus ſuũ & ſibi cõmendata frequenter à cõmuni ſorte defendere: uerùm etiã inſtar cæleſtiũ animarum, imperium exercere poſſe nonnunquam in inferiores mundi materias: utpote quæ germana ſit cæleſtium animarum atq; ita cuncta faciat tãquam habens quandam principij rationem. Quando uerò id poſsit, & quomodo poſsit, in Theologia latius diſputamus. Mitto quid per magiam ualeat aſtronomicam ſimul & phyſicam: quomodo uires aſtrorum mirificas certis imaginibus hauriat, & quemadmodum in ſpeculo ſæpe concauo ſolis radios congregat: unde in lignum è regione poſitũ reflectit atq; comburit, & nõnunquã excęcat intuentes: ſic in materijs quibuſdam tũ natura, tũ arte paratis ad ſtellas, certos ſtellarum radios concipiat & influxus, quos & ſeruare ſibi & contorquere

poſsit

A poſsit in alios, quod Olympum Alexandrinum Porphyrius narrat efficere ſolitum: ubi & Plotini animam tanta inquit uirtute pollere, ut ſtellarum aculeos in ſe coniectos aliorſum detorquere ualeret. Poſſe uerò fatalem ſæpe ſortem cælitus imminentem frangi, Iudæi per ſapientiam Kabaliſticã, & intimum ſacrarũ literarum ſpiritum confitentur: Iamblichus per efficacem deorum ſublimium cultum: Prophyrius per magicam ſapiõtiam Apollinis oraculo teſte. Ait enim in libro de Oraculis: Cũ quæreret aliquis cur ineptus ad rem quampiã fuiſſet ab Apolline iudicatus, quidue faciendum foret, ut quaſi aptus ſuſciperetur: Reſpondit oraculũ: eum fatorũ ui impediri, quã magicis artibus effugere poterat. Vnde apertè patet, magicã hominibus artẽ diuinitus eſſe conceſſam, ut aliquo modo fatũ repellerent. Hæc Porphyrius. Poſſe uerò per magiam ualitudinẽ animi corporisq; curari, & immmortalitatẽ denique cõparari in Charmide Plato ſignificat, tẽperantia, præſertim per uirtutem ſapientiæ comparata: nam ab animæ ſanitate ſanitatem corporis proficiſci, magorum teſtimonio comprobat. Sed audiamus Zoroaſtrem diuinè canẽtem: Si ardentem ad pietatis officia mentẽ prorſus intenderis, labile quoq; corpus ſeruabis. Hinc traditum eſt, Pythagoricos ſacris conſueuiſſe carminibus morbos animorum corporumq; expellere. Si tantam habet animus poteſtatem, quid mirum naturaliter eſſe liberum à ſeruitute fatali, donec ipſemet corpus ultra prouidẽtiæ modum amore nimio complectatur? Nam deinceps & animus obſequitur corpori, & corpus ſeruit legi fatali, quoad animus interum amorem à corpore conuertat ad mentem. Vnde primò quidem ſeipſum à fato eximit fugiendo: deinde & corpus, utpote qui iam corroboratur ex mente à fato plerunq; defendit, tum occulta quadam uirtute germana cæleſtibus, tum arte nonnunquam diuinitus patefacta: Conclude capitulum: ſtellas plurima ſignificare, non facere. Non ergo diuitias facere, uel inopiam,
B quæ nobis ex diuerſarum apud nos cauſarũ concurſu & occaſione contingunt: non uirtutes, quæ in ſenſu fiunt à ratione, in ratione perficiuntur ex mente: non uitia, quorum nulla proprie cauſa eſt efficiens, ſed fortè deficiens: quatenus uidelicet & ſenſualis uita à ratione deficit, & ratio à mente degenerat. Contingere quidem ex ſtellis defectu quodam materiæ poteſt incorpore uiuo incitamentũ aliquod uitiorũ: utiq; uerò hinc concipiendi occaſionem præſtat animæ ſuperioris amor ad animal. Quæ quidem anima alioquin eatenus libera uiuit à fato, quatenus menti dedita, per mentem ſuam cum prima diuinæ mentis lege cõſentit. Hinc propheticum illud: Anima mea in manibus meis ſemper, quando legem tua non ſum oblitus.

Quomodo anima rationalis non ſubeſt fato, irrationalis uerò ſubeſt: quomodo uita corporis noſtri propria dependet à uita cæleſtium & ab anima noſtra. Item in omnibus cæleſtibus animas eſſe geminas Item de dæmonibus, & unde mala contingant. Cap. VIIII.

SVperioribus uerò quibus aſſeritur ſtellas non omnia nobis efficere, quamuis multa ſignificare poſsint, obijceret fortè quiſpiam uerba Platonis in Repu. præſertim atq; Timæo. Ait enim in Repu. Sub fatalibus Neceſsitatis deæ filiarumq; eius Parcarũ reuolutionibus animas in corpora proficiſci. Ait & in Timæo. Vitam nobis corpoream à ſtellis infundi: quibus in uerbis uidetur nos cælo ſubijcere. Reſpondetur ad prima: animas quẽdam uitam hanc uiuendiq; formam elegiſſe ſponte,
C priuſquam in corpus uenirent ſub reuolutione fatali: ideoq; priſtinam uirtutem ſuiq; rectricẽ auctoritatem non tam amiſiſſe, quàm ad tempus intermiſiſſe: quàm denique cum partim ipſæ decreuerint, partim fuerint admitæ diuinitus, partim admonitæ legibus recipere poſsint. Reſpondetur etiam ad ſecunda: ſicut in Timæo, Vita nobis corporea datur à ſtellis, ex qua perturbationes exoriuntur: ſic ab intellectu diuino intellectualem animum procreari huius uitæ rectorem, qui ſicut dum nimium uitam hanc amat in hoc mundo, ſeipſum una cum hac perdit in fato: Sic eandem amando quammimè, interim ſuper fatum in æternitate ſe recipit. Poſſe uerò animã rationalẽ fato ſe mancipare atq; uicißim emancipare, docet Zoroaſtris ſententia ita præcipiens: Ne tu augeas fatũ. Vbi Plotinus ait: nos, ideſt, ipſum hominem, eſſe animã ipſum rationalem, qui naturali iure præſideat animali, ſubiũxit: cauendũ eſſe, ne fortè nos efficiamur hoc animal. Exiſtimat enim per cõſummatũ imaginationis affectuſq; cõſenſum fieri poſſe uiuens unũ ex animo ſimul & animali: quando uidelicet utrunq; imaginatur idem atq; ſimiliter, atq; ad idem ſimiliterq; afficitur, fermè quemadmodũ ex igne ac ligno fit unum communione luminis & ardoris. Subiungit rurſus in animali, ideſt animato corpore naturam corporis præualere. Ibi enim corpus eſt uerũ corpus, quia formale quãmaximè, & ad ſummum corporalis formæ perductũ, uita uerò eius propria, nõ eſt anima uera, nõ uera uita, quia corporea multũ, quæ fermè ultimũ tenet in ordine uitæ. Sicut ergo uita hæc agit in corpus naturaliter id formãdo, uel potius agitur in corpore dum hoc ea formatur ex alto, ſic & corpus quodammodo agit in uitam dum hanc ipſam ſibi corformat. Quamobrem ſicut in corpore quatuor potiſsimum alterationes eſſe uidẽtur per calorẽ & frigus, per humorẽ & ſiccitatẽ: ſic in uita corporea perturbationes

D præcipuè quatuor oriuntur. Item quod eſt in corpore dilatatio uiciſsim atq; contractio, id in uita corporis uoluptas & dolor. Verùm quemadmodum rationalis animus per imaginationẽ affectũq; cum animali coniunctus, huius paſsionibus tangitur, & fatali ſorte pulſatur, ſic cum demũ ſibi animal hoc rationis legibus ſubiugauerit, primùm quidem ſeipſum à perturbationibus fatoq; reſoluit, dum aliud quidem ſe, aliud animal eſſe cognoſcit, ideoq; fatum ad aliud pertinere: deinde animal hoc ſibi naturaliter commendatum ab atrociſsimis nonnunquam uulneribus fati, uel fortunæ defendit. Vbi uerò Plotinus ait è geminis hominum animabus ſuperiorem quid mutri ab intellectu diuino, inferiorem uerò à dijs qui perferuntur infundi: intellige hic deos eſſe animas ſphęrarum ſtellarumq; cum anima mundi conſentientes. Omnes enim moueri dicuntur ſiue locali quodam motu, ſiue formali ferantur. Sed quónam pacto ex omnium conſpiratione uita redundat in corpus? Nũ ſicut ex pluribus concinentibus concentus unus ſub concauo reboat? Rurſumq; ſicut è lampadibus multis comunis quidam ſit ſplendor in aula? Non ſic omnino. Hic enim & concentus & ſplendor coitu quodam unum potius eſt quàm forma: anima uerò quæcunq; ſit, ſimpliciter ſubſtantia eſt, formaq; animalis unius unaxet ſi ad præſtantiorem animam comparata, quaſi accidens iudicatur. Quo igitur pacto? Forte quemmadmodum ex pluribus intra nos uocalibus inſtrumentis ab imaginatione una, uox una prodit ſignificatione diſtincta, rurſumq; ſicut ex uno ſole lumen unum per uitra uarijs infecta coloribus penetrãs, non in multa ſubinde lumina deſinit, ſed in unum, quamuis uariorũ colorum uirtute formatum: ita fermè una quædam uitæ forma uirtute multiplex reſultat in corpo
E re, una uidelicet ex una mundi uita: uirtute quoq; multiplex ex multarum præter hanc animarum ad ſpirandam uitam communione. Character uerò animali maximè proprius plurimum in ſpiritu ab anima generantis imprimitur: cuius quidem proprietate uel cunctorum ſpiraculum ad familiarem redigitur animã, uel corpus ſaltem tali quadam potiſsimũ anima ſit animabile. Vitam quidem infundi nobis poſſe ab anima animabusq; cõmunibus abſq; animæ propriæ beneficio coniectare forſan poſſet aliquis ex animantibus quæ ſponte naſcuntur, & quæ ex ouis abſque animalis ſui fomento. Contrà uerò oportere animam noſtram uidelicet ſuperiorem unà cum ſuperioribus ad ſpirandam animam conſpirare, ratio dictare uidetur, tum quia humanum animal eſt perfectiſsimum, paretq; rationi: tum quia ſicut plurimum naturæ communes per proprias definiuntur naturas ad effectus in natura proprios abſoluendos: ſic ad propriam uitam, ſi modò perfecta pro uiribus diſtincta q; futura ſit, præter communes animas, officio propriè quidem, quamuis ſuperioris animæ opus eſſe uidetur. Ergo dicere quis fortè poterit, alicubi præter communem influxum accedere propriũ, alicubi uerò nequaquam. Et ibi quidem humanum animal eſſe perfectius, & rationi magis obtemperans, hic uerò minus: ubi uidelicet rationalis anima corpus aliunde iam reperit uiuũ. Mitto quòd ſi fortè ad corpus ita uiuens rationalis anima non accedat, brutum animal ſub hominis figura naſcetur, eritq; anima monſtrum, ſicut quandoq; corpore monſtra naſcuntur. Quod ergo Plotinus alibi ſecundam inquit uitam à prima noſtráque manare, alibi aliunde, potes ut diximus intelligere. Memento uerò quæ Plotinus de geminis differit animabus cõfirmari ab Iamblicho ex mente Mercurij ubi addit ſuperiorem in nobis animam quoniam à ſummo intelligibili fiat, habere in mundana uim.
F opificiam, ac uim qua mundum tranſgrediatur, & à fato ſe ſoluat, & ſua, præſertim dijs adiutam. atque hanc ſolutionem quatenus fatalem ordinem uidetur tranſgredi, eatenus in ordine prouidentiæ contineri. Proinde ubi Plotinus animam alteram diſtinguit ab altera, inquit: Quæcunq; ſunt inferioris animæ miniſteria eſſe corporea: quoniam omnes huius affectiones & motiones incitantur à corpore, corpori ſeruiunt, motionem corporis comitantur, atq; uiciſsim: officium uerò animæ alterius, quæ extrinſecus extat, eſſe ſeipſam altius eleuare. Hoc tu in loco animaduerte Plotinum legitimo ſenſu Ariſtotelicum illud interpretari: Intellectus uenit forinſecus: Intellectus, ideſt, ſuperior anima, non intellectus interpretatione Aucrois unicus, ſed unaquæq; intellectualis anima. Forinſecus item, ideſt, non à ſeminali ſpiritu, uel calore, non à uita hac intima mundi: ſed à mente diuina, quæ quaſi exterior, ideſt, non coniuncta uelut forma, omnibus dominatur. Hinc efficitur, ut intellectualis anima tam cogitatione, tum etiam uoluntate poſsit quæ ſuper corpus, & naturam, & corpoream uitam ſunt, pro arbitrio petere, atq; corpus, naturam, fatum quotiens omnino decreuerit ſuperare. Quatenus enim à temporancis ſegregatur, eatenus æternis coniuncta, unà cum his quodammodo temporancis dominatur. Vtrumq; uerò ſit tum cogitatione, tum maximè uoluntate. Sicut enim tẽporalibus, ſic & ęternis nõ tam illa conſiderando, quàm amando coniũgimur: & meritò: quoniam conſideratio potius manet intus, amor autem in amatum conuertit amantem: ſic & materia quæuis ad ignis naturam peruenit, calorem potius ſubeundo quàm lumen. Ex eo itaq; maximè fit anima tum æternorum compos, tum unà cum illis aduerſum temporalia dominatrix: quod illa & amat ardenter, & amando pro uiribus imitatur in uita, & imitata uiuendo conſequitur, & conſecu

ta

A ra rurſum auctoritate operis imitatur. Hinc tandem ſtupenda in corpus opera præter conſuetũ fati tenorẽ quandoq; proueniunt. Quo in ſtatu anima in fato cõputatur ut agens, neq; tã fatalem frangit ſeriem, quàm ſibi uendicat: nã & hoc quoq; in prouidẽtiæ legibus, unde dependet fatũ, inueniat deſignatũ. Ergo ſi artificioſq; intelligentiæ beneficio per artẽ, ſcilicet imaginũ atq; medicinæ animus in fatali cohorte nonnunquã, uelut collega actorq; recipitur, multò magis id, uel diuinoris intelligẽtiæ, uel potiſsimũ uoluntatis ardore conſequi poteſt. Voluntatis enim actus efficacior eſt quã cognitio, atq; liberior: & actionis principiũ, mediumq; & finis: ideo mera quidem cogitatione fit nihil: mero autẽ affectu, uel occulto & naturali plurima fiunt. Eſt autẽ appetitio naturalis quæ uoluntatẽ utcunq; poteſt, emulari uiderur aſsidua & imaginatione prior & naturalior, ſubſtantiaq; propinquior: efficaciã uerò artis in fato in ſuperioribus quidem tetigimus, ſed alibi demonſtrabimus. Verũ ut ad ſuperiora iam redeã: animus quidem in quo animal ratione formatur, ratio uerò mẽte, mẽs deniq; deo uiuit in prouidentia ſuper fatũ. In quo uerò uiciſsim formatio fit, ſub prouidẽtiæ iudicio uiuit in fato, neq; ut agens, ſed uelut patiens in fatalium numero cõputatur. Siquid ergo huic portẽ datur ex ſtellis nimirũ, ex eiſdem effici poteſt ſimpliciter ut portenditur, nihil ad hæc animo reſiſtente. Ac ſi mala fiant, non ex alto mala mittuntur, ſed in infimo mala reſultant. Ait uerò Plotinus animam in nobis inferiorem, eſſe partem quodammodo uniuerſi, quoniam & ab uniuerſa dependet anima, & communem ſequitur eius inſtinctum: fermè ſicut & noſtrum corpus membrum eſt quodammodo corporis uniuerſi. Animal itaq; noſtrũ mundano connectitur animali, & inde conficitur. Veruntamen ſuperior in nobis anima plurimũ unà cũ mundana cæteriſq; mundanis ad inferiorẽ in
B nobis uitam concurrit efficiendam: quæ quidem neq; ſit à matrit anima: Sicut enim maternum ſemen naſcituri corpus nequit efficere, ita nec materna ſimiliter anima poteſt animam procreare. Neq; rurſum anima naſcituri, uel ſit ab anima patris tunc procul abſentis, uel ab ipſa ſeminis uirtute procedit: quæ & inferior eſt, & accidens. Reliquum eſt igitur, ut à mundi anima procreetur concurrentibus uidelicet cæleſtibus animabus: concurrente & plurimum ſuperiore naſcituri hominis anima, ſiquidem fœtui unificando iam adſit. Sicubi uerò Plotinus ait, animam rationalem ad ipſum animalis eſſe non conferre, uel minimum: nõ efficientis quidem, ſed formæ modum negat. Quamuis enim erga animal ſit in cauſa uitæ, non tamen eſt propria forma corporis: et ſi forma quandoq; dicitur animalis ad bene eſſe conferens animali. Qualis præterea in nobis ex animabus geminis & corpore cõſpiratio eſt, talem in ipſo mundo, in ſphæris, in ſtellis eſſe iudicat: Vbiq; enim intellectualis anima regit corpus per propinquiorẽ corpori uitã ex anima profluentẽ. Nam quantũ intellectualis eſt, ſeparata, & ſuperiora petens, nimiũ diſtat à corpore: corpori uerò per aliquid appropinquat, quod in ipſa, uel ex ipſa iam ab intellectu degenerat. Ex ipſa dico: quoniã ſi natura elementalis, uelut ignis ſubiecto propinquãs, non ſolũ ſubſtantiã illi ſuam admouet, ſed aliquã ſibi ſimilem inſerit qualitatẽ, multò magis anima tanquã natura potentior, uitalis ſubſtantiæ ſuæ præſentia uitalem quandam infundit corpori facultatẽ. Sint ergo in mũdo, in ſphęris, in ſtellis animæ paſsim geminæ: Primq; angelorũ ubiq; bonorũ locũ teneant atq; deorũ: ſequẽtes uerò, angelorũ qui ceciderunt in corpora, dæmonumq; uicẽ gerere iudicentur: Angeli oẽs eiuſmodi primũ, id eſt, animę mũdanæ angelũ comitãtur deo ſemper hærentẽ. Dæmones ſimiliter oẽs eiuſmodi primũ, ideſt, mũdanę animæ dæmonẽ à Deo
C longius diſcedentẽ, cõporiq; penitus incumbentẽ ubiq; ſectantur. Angeli rurſum ad incorporea, dæmones ad corporea uergũt plurimũ, animasq; alliciunt. Ideoq; angeli à fato ſoluũt animas: dæmones autẽ eas fato deuinciũt. In dæmonibus poſitũ eſt propinquũ corporei mundi huius imperiũ. Vnde fit, ut ſi hinc ad angelos comparatio fiat, mundus hic iure dicatur poſitus in maligno. Hinc & facilè Manicheorum eſt error exortus. Proinde ſicut intellectum noſtrũ aſſerit diuinis ſemper incũbere, quãuis ratio interim occupetur humanis: ita rationẽ totamq; ſuperiorẽ in cæleſtibus animã affirmat diuinorũ contẽplatione perpetua perfrui, dum inferiores celeſtiũ animę corpora regunt, imaginãtur & corpora. In his ergo affectus eſſe dæmonicos arbitratur. Affectus quidẽ diuini ſunt in primis: humani ſunt in noſtris, ac ſæpe ferini: at uerò illic dæmonici quales ſunt? Finge ſapientẽ aſsiduè diuinis contẽplationibus occupatũ: ſed in eo interim in negetali natura uigere affectũ ad corporis alimoniã, ſubrepere nonnunquã pruritum famis in ſtomacho, naturalem generandi libidinem titilla re: ſed ſapientis animi rationẽ ſeparatis interea deditã, affectus eiuſmodi nequaquã animaduertere: imaginationẽ quoq; uix ſtupidèq; ſentire: fermè ſicut in eo ſolet accidere, apud quẽ in ſomno hæc ferè abſq; inſomniis incitantur. tales itaq; ſint affectus ad hæc in cælo dæmonici. Nihil ergo ex prioribus animabus mali prouenit, aut uilis: ex ſequentibus autem nõ mala quidem reuera, ſed uilia quæ dãminusq; bona ſequãtur: quatenus ex illis tũ in corporibus minus interdum ordinatè mutationes eueniũt tũ in animabus natura corpori mancipatis incitamẽta frequenter ſuboriũtur, per quę & ſi animæ nõ iniquæ neceſſariò fiant, licẽtius tamẽ corporis incitamentis indulgeant, aut ſaltẽ corpus

D & propenſius foueant,& accuratius quotidie curent. Ait autem ſuperiores ſtellarũ animas non eſſe huius uniuerſi partes: Cùm enim ad intellectualem mundum omnino conuerſæ ſint, illius potius dici partes poſſe uidentur. Inferiores uerò ſtellarum animas uniuerſi huius partes appellat, quoniam mancipatæ ſunt mundi corporibus, quæ cùm ex eadem inter ſe materia ſint,& ſub eadem communi totius forma, uniuerſi partes eſſe putantur. In hac ergo communi mundi materia ſimul & forma, animæ omnes eiuſmodi in unum opus tum inter ſe, tum cum anima mundi ubiq; conſpirant: communiq; inter ſe ſenſu quamuis occulto, & latenti quadam compaſsione communicant. Tum uerò quæcunq; ab ijs opera fiunt, ſigillatim mundi partes exiſtunt, uel ad partes attinent atq; totum. Nihil uerò ab ijs alicubi prouenit à naturali mundi huius cõditione ſecretum: faciunt autem quicquid agunt, fermè ſic animali natura, ſicut natura elementali elementa,& uegetali plantæ animaliaq;, nulla prorſus electione. Cùm enim aliud electio ſit quàm uita, ſitq; uita poſterior, ſi inferiorũ uita per ſe ſine electionis officio ſua peragit, multò magis uita ſuperiorum per ſe ſua prorſus abſoluit. Siqua uerò illic intellectualis & rationalis electio eſt, non miniſterium quidem hoc, ſed officium ſuperius eligit. Atqui & ante electionem illam forſan aliquid intus ex uita priori abſque electione procedit: omnino uerò abſq; ulla neceſsitate conſilij etiam ſi quædam opus imaginatio comitetur, & ab anima illic prima ſecunda procedit,& à ſecunda ſimiliter uirtus ſingularis in corpore,& à corpore lumen,& in lumine uirtus inferiora generans atq; gubernans. Multis itaq; gradibus à mundo intelligibili diſtant, quæ hoc in mundo quotidie generantur & accidunt, ut mirum uideri non debeat, no-
E ſtra hæc non ad ſummum ordinatiſsima non feliciſsima prouenire. Talia nanq; ſuccederent, ſi ab intellectu diuino, aut ſaltem ab intellectualibus animabus proximè fierẽt: nunc uerò ex corporib. irrationali uiuentib. anima, perq; uires à corporib. emanãtes aguntur. Siquid igitur occurrit in mundo quod moleſtũ ſit, quod laborioſum, quod non probes, memento, id totũ à fœmina nobis accidere, id eſt, ab anima corpori mancipata, à materia corporis, à contrarietate rurſus elementaliũ qualitatũ.

Quæ à ſtellis fiant, quæ non, & quomodo ſignificatio fiat. Quo inſtinctu anima corpus ingrediatur, quo fato, & quomodo ante fatum corpus amet. Cap. X.

DEcimum libri caput mundo & ſphæris & ſtellis ita cõpoſitis, proſequitur ſignificandi agendiq; ſortem, docens à ſtellis earumq; motibus, quatenus in eis corporea uita duntaxat conſideratur & corpus, fieri quæ naturaliter generantur. Neq; propriè fieri hæc à primis ſtellarum animis omnino ad ſeparata tendentibus: neq; hic à ſtellis omnia fieri. Non enim quæ corporeã uitam ſuperant, effici poſſe à ſtellarum corpore, uitaq; corporea: non rurſus quæ conſilio,& arte, uel occaſione fortuita nobis aguntur illinc peragi, unde quicquid agitur per corporeas agitur qualitates, ducituq; tenore naturæ: non deniq; quicquã re uera malum per diuinorum inſtrumenta committi. Faciant ergo ſtellæ non omnia, ſed ſolùm quæ mundani corporis ſunt paſsiones & motus, & quæ ex his neceſſariò generantur: Faciant autem hæc conditione communi: conditio nanq; propria ad
F cauſas rerum proprias pertinere uidetur: ſignificent quoq; multa, neq; tamen pariter omnia. Probabile enim eſt, ſi plurima ſtellarum efficientiam ſuperant, uel effugiunt, nonnulla quinetiam earum ſignificantiam ſuperare. Probabile rurſus,& quæ per communes cauſas portenduntur, cõmuni tantùm conditione portendi. Animã uerò ad corpus hoc accedere Plotinus exiſtimat, non certa quadam ſiderum conſtitutione coactam: ſiquidem ante quãlibet nouam cæli figuram in antiqua ipſius animæ natura eſt animare corpus, eſt & ſupergredi corporeum temporaleq; fatum. Omnis enim anima quæ rationis ſibi naturalis officio, poteſt totam naturam corpoream in eſſentiam incorpoream, totumq; tempus in æternitatem reſoluere tanquam in principium atque finem: nimirum & ante & poſt quodlibet corpus & tempus corporeãq; & temporalem quamlibet motionem exiſtere poteſt. Non igitur poſitio ſiderũ animam impellit ad corpus: ſed primùm quidem ad hoc adducit naturalis quædã ad hoc animę cura: deinde affectio quædam ex antecedentib. actionibus acquiſita. poſtremò rationis electio cum natura tandem & affectione conſentiens. Natura quidem & affectio tunc potiſsimùm uergit ad corpus, cùm oportunius conſonat uniuerſæ naturæ, neq; tamen ui cogitur conſonare: ſicut & ſaltãtes in tripudio cum cantu conſonãt atq; ſono, neq; tamen neceſsitate ſunt ſed uoluntate concordes. Talem uerò potius aut talem uitæ formã accipere, in ipſa animæ electione conſiſtit: ſed utcunq; id fiat paſsio uel affectus ingens quo anima inclinatur ad corpus, non à ſiderib. irritatur, ſed exorditur ab anima. Quo uerò tempore nouũ corpus ingreditur, ex præſente ſiderũ poſitura fortunã hãc aut illã ſortiri putatur, electæ tã uitæ utcunq; poteſt aliter & aliter accidentem. Tunc ergo præſens ſiderum harmonia in nobis efficit aliquid, ſuo uidelicet miniſterio conferens ad eam uitæ ſortem implendam, quæ maximè congruit uniuerſo. Quælibet enim indies configuratio cæli

pars

A pars eſt harmoniæ totius, & ut pars obſecũdat uniuerſi naturæ, cum qua ſimul congruit unaquæq; natura, & corporea ſimul & animalis. Quãobrem ab ipſa mundi natura ſimul cum propria uniuſcuiuſque natura res ſingulæ peraguntur: à motu uerò & figura cæleſtium aliter & aliter quodammodo diſponuntur, atq; ex quadam ad naturam concordia portenduntur. Quoniã uerò ad quemuis effectum naturæ propriæ unà cum uniuerſa natura concurrunt, iccirco de euentus proprietate obſcurè admodum per indicia iudicatur.

Quæ hîc mala contingunt, non mittuntur è cælo mala. Cap. XI.

CAput undecimũ dignitatem cæli tuetur in omnibus quæ inde fieri uel ſignificari dicuntur, ex eo quòd quæ hîc inde fiunt, nec talia ibi ſunt, nec talia in ſe ueniunt, qualia hic ſubinde reſultant. Ignem hunc noſtrum dices ab igne cæleſti quodammodo procreari. Hic tamen ab illo adeo diuerſus eſt, ut nihil perſeuerantius illo: nihil uiciſsim hoc inſtabilius, qui uix momentũ ſine alieno pabulo permanet. Nihil ſalubrius illo: nihil peſtilentius iſto, qui omnia rapaciſsimè deuorat. Mitto quòd ille ferè totus eſt lumen: hic ferè totus eſt fumus. Profectò quantum ad ignis appellationem pertinet, poteris forſitã intelligere quicquid ex igne cæleſti datur eſſe in ſe aliquid igneum, ſed apud nos degenerans exile reſultare. Potes & aliter Plotini uerba cõtexere, ut ignea intra nos natura degenerans à cæleſti ſimul cum hac noſtra affectione ad diligendũ, etiam à cæleſti beneuolentiæ ratione longè deficiente, citet ſæpe libidinem minus honeſtam, & hoc quantum ad naturam ſpectat concupiſcendi. Mox adducit exemplum ad naturam iracundiæ pertinens: deinde ad rationem in actio-
B ne poſitam: deniq; ad rationem quodammodo contemplantem, ut oſtendat ubiq; aliter in nobis accipi, quod à cælo aliter eſt tributum. Sic Venus neceſſariam uel ſuppeditans, uel augens charitatem ſæpius incuſatur, quaſi libidinoſos effecerit, cùm tamen per eam oblata charitas in libidinem apud nos euadat laſciuiorem. Sic Mars, quòd uel indomitus ferociores effecerit, uel manſuefactus timidiores: ita Sol & Iupiter, quòd ambitioſos & uanos: ita Mercurius, quòd aſtutos nimium atq; ſeductores: ita Saturnus, quòd ſegregatiores atq; tardiores: cùm tamen & Mars magnanimitatem, & Iupiter atq; Sol ſtudium honeſtatis, Mercurius induſtriam, Saturnus contemplationem & grauitatẽ præſtare uoluerint: nos autẽ hæc uel natura, uel cõſuetudine deprauata cõtaminauerimus. Inter hæc autem animi dotes nõ à motibus uel corporibus planetarũ, ſed ab eorũ animis uel dari, uel augeri, uel foueri memento. Mala uerò neq; ab animis, neq; à corporibus cæleſtium nobis inferri. Nefas enim dictu eſt, ſtellas ullas reguli ſerpentis more nobis aſpectu nocere: pium uerò credere, ſtellas naturaliter omnes Struthi more radiorum intuitu cuncta fouere, perinde atq; in animali ipſa totius membrorumq; principalium uita membra omnia fouet & adiuuat. Sic Solis lumen ſuapte natura confert ad uiram atq; ſenſum, quamuis interdum ob ſubiecti debilitatem humoriſue defectum uideatur obeſſe. Sicut & calor iecoris ſtomachum naturaliter adiuuat: ſedeum in quo uel parum ſit humoris, uel liquidi nutrimenti quamminimum, nonnunquam fortè debilitat. Videtur itaq; falsò uel Mars furorem, uel contrà ſtuporem, ſiue pauorem adduxiſſe Saturnus. Deme nimium bilis exceſſum, tolle copiam atræ bilis, neq; Martis aſpectus, neq; Saturni furibundum facit, aut ſtupidum, atq; pauidum.
C Ea rurſus in Martem atq; Saturnum calumnia, quòd infortunatos faciant, contingit ex eo, quòd Saturnij cùm uel cõtemplatores ſint, externa negligant, uel ad expeditionem ſint tardiores: præſertim ſi in frigidiore materia illius influxũ acceperint: quo fit ut opportunè nihil aggrediantur. Martij cõtrà ſi in calidiore materia ſuſceperint Martis inſtinctum, præcipiti omnia motu perturbant. Fortè etiam Saturnij dæmones tanquam contemplatores, ſi eis commendati ſimus, noſtra negligentius agunt: Martij uerò dæmones ſuorum animos importunius urgent. Proinde quantũ natura differt inferior à ſuperiori natura, tantùm diſcrepat ſuſcipiendi conditio. Sic ergo uirtutem Saturni continentem atque ſiſtentem materia ſæpè inferior quando calere deſeritur, conditione quadam excipit compacta nimium, gelũ ue concreta. Sic uim Martis motricẽ, ſubiectum aliquanto calidius per inflammationis concitationisq; ſuſcipit impetum. Quid plura? Quis non intelligat & blandum cali calorem euadere apud nos edacem, & humorem cælitus almum apud nos fieri ſuffocantem ac protinus diluentem? Vt ergo ſummatim dicam: Sicut ſe habet cælum nobis conſpicuum ad intellectuale cælum, ſic tractabilis hæc noſtra regio ad uiſibile cælum. Formæ rerum in cælo intelligibili à materia, dimenſione, motu ſunt liberæ: in cælo autem uiſibili tria hæc neceſſariò ſubeunt. Sed ibi materia quidem eſt procul à paſsione: dimenſio quoq; ſine diuiſione: motus ſimiliter ſeorſum à transgreſſione ordinis & tranſmutatione ſubſtantiæ: in regione deniq; noſtra res tria hæc naturaliter patiuntur. Ergo quod in primo cælo eſt integra participatione undiq; bonum, in cælo ſecundo fit minus bonum, in noſtra regione iam malum. Nemo igitur malum cæleſtibus imputet. Sicut enim quod lo

D quaris, quòd eas, habes ab anima & uirtute motrice: quòd autem ineptè loquaris & eas, à uitio linguæ uel pedis: ſic quicquid ex anima corporeq; cęleſti ad te demittitur, ordine recto procedit, ſed in te ſæpe claudicare compellitur. Id uerò totum unà cum Plotino & Iamblicho ita cõcludimus: Quin que de cauſis munera cælitus attributa degenerant. Prima: quia quod prodit ex cauſa præſertim ſuperiore, eo ipſo quod exit, etiam deficit inde. Secunda: quoniam dum id accipitur in uiliore materia, pro uilitate materiæ capitur. Tertia: cùm acipientis natura longè diuerſa ſit, iure quod accipit non deterius tantùm reddit, ſed nimium ratione diuerſum. Quarta: dum ſubiectum præter cęleſte munus uaria inſuper capiat aliunde, tum inter ſe repugnantia, tum à cælo diuerſa meritò non ſolùm inficit cæleſte donum, ſed ualdè confundit, redditq; ſecum paſsionibus frequenter obnoxium. Quinta: quo niam ex omnibus inter ſe confuſis reſultat nouum aliquid priori origini diſsimillimum, omninò ue rò inferioris naturæ debilitas obnoxia paſsioni ſæpe bonum cæleſte non ſubſtinet, & competenti ad illud proportione carens ægrè patitur, ſub eo etiam quod ſalubriter agit.

Quæ hîc generantur, naturam propriam magis habent ex cauſis proprijs, quàm ex cæleſtibus. Cap. XII.

DVodecimum caput oſtendit uarios è cælo uenientes influxus in unum apud nos confluere, quamuis aliter alibi: & ex eo confluxu quicquid ſub illo gignitur aliquid reportare. Profectò quod naſcitur, ex communi quidem cæli fauore communiter adiuuatur ad ortum: ut autem oriatur homo uel equus, nec ex cõmuni influxu nanciſcitur qui omnibus æquè fauet, neq; ex hoc aut illo ſortitur influxu. Sub quolibet enim homines pariter naſcuntur & equi. Homo igitur prouenit, quia ex homine naſcitur, & equus quoniã fit ex equo: ut autem homo ſit talis ceu ſanguineus uel colericus, magis minúsue pulcher, procerus, uel breuis, & reliqua: partim quidem habere uidetur è cælo, ex parentibus certè quãplurimum: quod Ptolemæus confitetur effectu compulſus. Vnde prohibet ex ſolo cælęſtium intuitu iudicare de nato: iubet autem parentũ eius & nutrimenti & loci naturam, & conſuetudinem diligenter conſiderare. Mitto in præſentia quantũ uarietatis imaginatio generantium filijs afferat. Certè ad ipſam ſubſtantiæ naturalis q; qualitatis proprietatem natura tum ſpeciei tum indiuidui generantis multò plus ualet, quàm cæleſtis influxus: quod manifeſta in omnibus experientia docet, ex ipſa præſertim ſimilitudine, qua naſcens generãtis ſpeciem refert ſimul atque perſonam. Communes itaq; cæleſtes q; cauſæ plurimam circa cõmuniſsimas conditiones auctoritatem habent: propinquæ uerò propriæq; cauſæ circa proprias plus admodum proculdubio poſſunt: præſertim quoniam quæ à ſuperioribus cauſis afferuntur pro natura ſubiecti loci q;, & pro determinatione cauſarum propinquiorũ accipiantur, & in formam aliam tranſinutentur. Hinc Ptolemæus air, teſte etiam Ariſtotele, cæleſtes effectus ob materiam naturamq; inferiorũ poſſe mutari, neq; ineuitabiliter euenire. Homo igitur uelut à cauſa fit ex ſeminaria hominis ratione, quæ quidem eſt in anima naturaq; propria, regiturq; ſub ideali hominis ratione, quę in natura animaq; communi uigens regitur tandem ab ipſa diuinæ mentis idea. Dum uerò ex ipſa uirtute ſeminis concipitur homo: interea poteſt uel è cælo, uel ex propinqua ſiue circũſtanti materia, uel impedimentũ aliquod afferri, uel adiumentum, quo naſciturus aut deteriorem inde, aut abſolutiorem accipiat qualitatem. Prodit tamen plurimùm ſimilis generanti, ſpecie ſemper, & perſona frequenter. Cùm uerò impedimentũ uel ex cælo uel ex materia contingere poſsit, maius admodum eſt quod accidit ex materia: nam manca quædam ſæpe producit. Maximum uerò quod imaginatione contingit: hæc enim monſtra proferre ſolet. Si ergo maius impedimentum ex materia, & loco, & cauſis prope nos circunſtantibus aduenit, nimirùm & hinc potiſsimùm prouenit adiumentum: & omnino nullus cæleſtis influxus, ſed ratio ſeminalis auctoritatem poſsidet generandi: nam & ubi ſponte ſub ſole pariter & humore animantes exoriri uidentur, neceſſariò ex ſeminali uirtute quam uita mundi poſsidet, oriuntur: quod in theologia latius declaramus.

Ex uita mundi communi eiuſq; rationibus ſeminalibus ſimul & à rationibus cuiuſq; proprijs omnia generantur. Item præter actionem animæ mundi cõmunem ſunt in pleriſq; propriæ actiones: influxus uerò cæleſtium motionum quaſi extrinſecus uidentur accedere. Cap. XIII.

QVoniam ad rerum cauſas tum communes tum proprias iam deſcenderat, iccirco in tertiodecimo libri capite principia rerum ritè proſequitur. Sicut igitur in omni uiuente, ſic in mundo tanquã animali quãmaxumo à ſeminali ratione, quę eſt in uegetali uirtute animæ, naturaliq; ſpiritu & uitali formatur totũ corpus ſub forma totius. formantur & membra proprijs membrorũ formis:

A formis, conformantur & ſingula, tum mutua inter ſe communione, tum ad totius formam & finem relatione. Cùm igitur in ipſa totius forma contineantur formaliter omnia, in formis uerò ſingulorum non comprehendantur formaliter alia, quamuis participatione quadam uideantur adeſſe, meritò quicquid agitur uel agit, patitúrue in mundo tanquam familiare proprium{que} ipſius ipſi cõducit ad bonum. Non tamen quicquid ex parte accedit ad partem uenit æquè domeſticum. Quod enim à patre mundi uenit ad partem longè uel ſitu uel natura diſtantem, tanquam alienus uidetur offendere: quod uenit aliter adiuuare. Cuncta uerò quicquid in ſe inuicem agant, ſemper præter id quod in ſe conſiſtunt, quódue agunt propria facultate, proculdubio ad communem totius uitæ ſpiritum ubique conſpirant. Quamobrem de agentibus ita diſtingue: Quæ in uiuente hoc mundi corpore, præter exiguum quoddam communis uitæ ueſtigium, nihil uitæ propriè poſsident: non propriè quidem agentia ſunt, ſed agentium inſtrumenta, ipſius ſcilicet mundi principaliumq; partium mundanarum. Neque id quidem iniuria: Naturalis enim actio pendet ex motu: principium uerò motionis eſt uita. Vita nanque ſicut eſt primus intimus perpetuus eſſentiæ motus, ſic eſt principiũ cuiuſlibet motionis, ſic eſt & naturalis actionis origo. Quibus ergo propria uita deeſt, nimirum & motio abeſt & actio propria: ubi ergo agere uidentur, aguntur. Sic grauia leuiaq; & calefacientia & ſimilia trahuntur ad motiones & actiones, ab ipſa mundi uita, non aliter quàm à magnete ferrũ & calor uel humor in animali à uitali uirtute ducitur atque trahitur. Quæ uerò ultra communem mundi uitam nacta ſunt aliquod uitæ propriè donum, hæc motionis actionisq; quaſi propriæ non nihil habere uidentur: Sed uiuentia hæc ita diſtingue: Cum uiuentibus omnibus principium motus
B inſit, ad motiones inquam inter ſe differentes indifferens, aut ad certam motus conditionem determinatur ab alio, aut potius ex ſeipſo. Ab alio quidem plantæ ſcilicet ab uniuerſa natura & à quotidiana quadam indigentia, oportunitate, occaſione, concurſu circunſtantium cauſarum. Ab alio rurſum bruta ſcilicet ab eorum occurſu quæ ſentiuntur, dum imaginationem huc uel illuc impellunt, neceſsitati naturæ præterea ſeruientem. Animal uerò rationale intimum motionis ſuæ principium ſæpe ad certos motus ſua quadam per ſe concepta notione & electione definit: & quo magis incedit intelligentia, eò magis in agentium ordine computatur, & à patientibus ſegregatur. Vtraq; uerò animalia ſcilicet & rationem habentia, & carentia ratione, tanquam partes quædam mundi ad decus mundi conducunt. Animalia rurſus ita diſtingue: Animalia quidem cæleſtia atque ætheria ſimpliciter agere potius quàm pati dicuntur: Bruta uerò minimum actionis habent, plurimum paſsionis. At aerij dæmones homines{que} medium fermè inter actionem obtinent atque paſsionem. Ex tribus his generibus animalium animalis mundani decus officium{que} expletur. Et ſummum quidem genus ita ſe habet in mundo, ſicut in nobis intelligentia: medium uerò quemadmodum ratio ſiue uniuerſalis, ſiue particularis in nobis: infimum denique, ſicut quod infimum in nobis exiſtit. Vbique autem in uniuerſo ſuperiores ſphærarum ſtellarum{que} animæ uniuerſo præſtantiora præbent, quàm animæ earundem inferiores: dicuntur{que} à Platone Iouis, ideſt, intelligentiæ mundanæ collegæ. Omnino uerò quicquid uſquam eſt in mundo, quodammodo uiuit, ſeu uita propria, ſiue communi, non minus quàm quicquid eſt in quolibet animali. Viuunt inquam, & uiuentia fiunt omnia ſecundum uitam dico corpoream: principaliter quodam mundanæ animæ beneficio: in cuius ſeminaria ratio-
C nes rationes omnes uiuẽtium continentur: Et ubique ratio ſeminalis in anima uigens, tum in anima communi, tum in propria quauis præcipuum eſt motionis & generationis formationis{que} principium. Quod enim in rebus ſpeciales quædam uirtutes inſint, quæ ad cauſas elementales referri non poſſunt, non euenit ſimpliciter ex confluxu multorum: alioquin uel caſu contingerent, uel firmæ non forent, prouenit igitur ex animali ſeminaria{que} ratione. Sic Peonia ſuſpenſa collo caducis opitulatur: Polipodium atram bilem purgat: Corallus timorem pellit: Laurus pellit fulgur: Torpedo piſcis ſtupefacit hominem etiam uirga tangentem: Echinus piſciculus ſiſtit nauem: iam uerò ſpeciales eiuſmodi uires illinc exiſtunt, unde ſunt ſpecies. Referuntur autem uariæ ſpecies naturaliũ non ſolùm ad differentes dæmones atque ſtellas, ſed etiam ad ipſarum ſeminarias rationes in ipſa mundi uita, ubique regnantes. Circa enim quamlibet ſpeciem ad ipſius effectum agentia paſsim multa concurrunt, quæ nunquam communi firmo{que} ordine ad unum ritè cõducerent, niſi uno quodam duce regerentur ubique præſente. Profectò ſicut ſpecies complurimæ rerum ad genera quędã & hæc tandem ad unum ubique genus: ſic agentia multa gradatim ad unum ubique agens neceſſariò rediguntur. Agentia inquam ſiue tanquam inſtrumenta, ut corpora inferiora ad ſuperiora, illa fortaſsis ad Solem beneficio luminis ubique præſentem: ſiue tanquam agentia principalia, uelut animæ rationales inferioris ordinis, ad rationales ſuperioris ordinis animas, & illę tandem ad unam ubique pariter dominantem. Tantam uerò in animali natura eius{que} rationibus ſeminarijs eſſe uoluit poteſtatem, ut nullam uel ingentem mundi partem & motionem poſſe, puret eas ex ordine ſuo pe-

D nitus deturbare, quominus ex ſpecialibus rationibus certæ rerum ſpecies proprietatesq; ita proue niant, quemadmodum & totius naturæ animalis ordo præſcribit, & natura quælibet illius pediſſequa ritè proſequitur. Quid ergo ſtellæ? quid earum quotidianus motus efficiet? Certè nec faciet ſpecies, neque mutabit, neq; earum euentus detorquebit à ſpecie: ſed qualitatibus fortè quibuſdam in deterius meliuſue afficiet, ſiue ſecundum corpus, ſiue ſecundum animam corpori prorſus immerſã, ſiue ſecundum actiones quaſdam: quibus explendis ſuperior anima indiget inſtrumentis. Id uerò totum cæleſtis influxus ex accidenti quodam dicitur agere: quia tum ex oportunitate quam nanciſcitur ex inferiorum concurſibus agit, tum non agit proprio tenore deformia, tum non mouet animã, niſi forſan moto per cælum corpore anima uel per accidens moueatur, uel motioni conſentiat. Siquis autem propter monſtruoſos interdum fœtus dubitet uel rationes ſeminarias, uel ſpecies permutari, animaduertat ſemper in eis partem præcipuam & radicem ſpeciei propriæ conſeruari, quã uis uel adiunctum ſit aliquid uel ademptum. Adiunctum inquam, uel ademptum, nõ tam influxu cæleſti, quàm uel materiæ locíq; imaginationisúe uitio, uel concurſu quodam fortuito diuerſorum: Conſeruatur autem principale ſemper, aut certè quamplurimum, quia principale continuúmque illic agens eſt ratio ſeminalis: qua quidem ſublata res caſu potius quàm natura contingerent. Quã eſſe neceſſariam etiam in his quæ ſponte naſci uidentur in theologia probamus. Cùm enim hæc ſic artificioſè formentur, ſic uita ſenſúque donentur, ſicut illa quæ propagatione gignuntur, certè hæc ſicut & illa à uiua occulti ſeminis ratione formantur. Quæ ubique in uita mundi regnans, materiã
E paſsim opportunè paratam, & artificioſiſsimè ſimul & citiſsimè format: utpote quæ poteſtatem habet excellentiſsimam atque diuinam per quam ex uiliſsimis agit momento pulcherrima, dum & agentia inter ſe diuerſa, ad unum dirigit finem, & generales influxus ad ſpeciales & proprios pro affectione materiæ diſtinguit effectus.

In ſingulis quæ hominibus accidunt ſufficientes apud nos præter cæleſtes motus cauſas reperimus. Cap. XIIII.

HActenus cæleſtes influxus in rebus quæ ad corpus & animam pertinent, non multum auctoritatis habere diſſeruit: deinceps parum inſuper ualere declarat ad illa quæ nominantur externa. In omnibus uerò ſummatim cauſas ſub cælo ſufficientes manifeſtasq; adducit in medium: ſiue determinatæ rerum cauſæ ſint, ſiue occaſiones quædam ex multorum concurſibus contingentes, ſiue artes & electiones humanæ. Inter hæc nota generantium naturam & qualitatem loci atq; nutrimenti plus admodum ualere ad corporis ualetudinem, quàm communes, & remotas, & momentaneas cæleſtium motiones: per has igitur ſignificari potius interdum illa quàm effici, quæ ex cauſis propinquis ſufficienter aguntur. Ait præterea, mutuam conſequentiam rebus ineſſe, per quam mutua præſtare indicia poſsint: præſtare inquam, quantum ad ipſam pertinet uniuerſi connexionem, & apud illum duntaxat certè ſignificare, qui omnia circunſpiciens, omnium conſpiciat conſequentiam: tum uerò in homine generando rationem uirturemq; ſeminalem eſſe dicit cauſam principalẽ imò uerò totam cauſam ex propinquo. Quod enim certè ſpecies ex certis ſeminibus modisq; pro-
F prijs oriantur, neq; confuſio fiat inuicem, neque tranſgreſsio, totum in ſeminalibus conſiſtit naturis declaratq; totam eas auctoritatem generationis habere: ubi ſi nihil impedit, fœtus ad rationis ſeminariæ normam ritè formatur. Impedire uerò dicitur, quod non abſolutam exprimi finit ſeminarię uirturis imaginem. Id autem impedimentum non tam ex motibus propriè planetarum tanquam remotis & momentaneis, quàm uel ex uitio matris, uel ex aeris qualitate conceptui diſſonante procedere iudicat.

De fato, & fatis: & quomodo anima priuſquam fato tangatur, tangitur amore corporis. De dæmone uitæ duce. De liberatione à fato. De principijs entium. Quomodo anima noſtra etiam habeat principij rationem. Cap. XV.

POſtquam quid fati pars, ideſt, ipſa tantùm in dies reuolutio cæli ualeat, explicauit, iam quid totum fatum ualeat, explicat. Eſt autem fatum uniuerſum tota mobilium omnium ſeries cauſarum, ſiue animales cauſæ ſint, ſiue corporeę, ſeu ſuperiores, ſiue inferiores. Cùm igitur conſequens deinceps mobilium cauſarum connexio fatum ſit, nimirum rationalis anima, quatenus ab intellectuali ſtabilitate digrediens latius explicatur in motum, eatenus fati laqueis implicatur. Contrà uerò dum totus animus ſtabili prorſus intelligentia uiuit, nullis fati retibus irretitur. Cogita igitur rationalem in anima facultatem, poſtquam diu quondam uixit in mente, tandem nouo quodam motu uergere ad naturam ſub ſe uegetalem, imaginationemq; quodammodo naturæ coniunctam, quando uidelicet in natura imaginationeq; eiuſmodi affectus ad corpoream mobilemqúe uitam

A acrius inualeſcit. Tunc animus nouo quodam ſui motu propenſius ad mobilia uergens, atque ita mobilem uitam eligens in fatum inde prolabitur, quodammodo etiam antequàm terrenum corpus ingrediatur,& priuſquàm id corpus concipiatur in utero. Fortè enim ſubitò corpus ſubit aerium,ea potiſsimum ſorte fatali, quam & ipſe paulòantè partim elegerat, & partim harmonia totius & tunc ita,& nunc potius ita ſonans accommodauit. Dæmonem uerò uitæ ducem tunc primũ ſortitur, cumprimùm eiuſmodi uitam affectauit ſimúlque elegit. Similiter quando deinceps terrenum corpus affectat & eligit, tunc uitæ formam partim pro electione, partim pro harmonia cæli dum eligit ac dum ingreditur regnante ſortiri putatur,ſimiliterq́ in his à dæmone duci. Dæmonem uerò dari nobis Aegiptij uolunt, ab ipſo dęmonum præſide Deo ad electæ iam uitæ normam, atq; ad conſonantiam uniuerſi electionis tempori concinnentem: non ab aſtro quodam, non à planeta ut putat Porphyrius,qui in ipſa generationis figura plus poſsit:ideóque propriè dæmonem, quoniam ad concentum mundi tribuitur,fato animam(ut ita loquar)accommodare. Quia uerò datur à Deo & ad animæ ipſius electionem: datúrque diuinus à fato rurſus quodammodo animam liberare,animam inquam in dæmonem,pérque dęmonem in Deum quandoque conuerſam. Iccirco Pythagoricus ille cantus orat Iouem,ut uel ipſe nos ab his malis abſoluat,uel ſaltem quo dæmone utamur oſtendat. Reſpondet denique ſolutionem ſperandam eſſe per diuinitatem quandam nobis infiram,nobisqúe malorum remedia ſubgeſturam. In primis autem memoriæ commendabis: primò quidem uitæ ſortem formamq́ uiuendi non à fato, ſed ab affectione & electione animæ exordiri, pérque acceptum mox dæmonem quodammodo expediri. Secundò,ſortem formámque ut dixi uiuendi accipi ſiue peragi uel compleri quodammodo etiam â tota diſpoſitione mundana, quæ con-
B *currit undique*,tum quando anima corpus affectat & eligit, tum quando corpus ingreditur. Tertiò,*diſpoſitionem* uitæ non talem duntaxat fore,qualem ſola cæleſtia fortè decernerent:ſed qualem potius inferioris materiæ præparatio,& locus,& natura parentum,imaginatióque, & cætera quæ circunſtant unà cum cæleſtibus coniuncta cõficiunt. Quartò,ex his omnibus ſequi, ut multi ſub eadem omnino cæli diſpoſitione naſcentes diſsimilem ſortiantur euentum:quoniam & altius ante natiuitatem,uel etiam ante conceptionem trahuntur fati primordia, & pro inferiorum concurſu exple tur fati conditio. Quintò, neminem poſſe uel ſuperiora ſuſpicere, uel hæc omnia intueri, uel hæc unà cum *illis* ritè complecti, uel quid ex eorum complexione uelut ex cauſa ſequatur, perfectè cognoſcere. Sextò,iuditium per ſigna prorſus inde confundi, quòd ex diuerſis ſortis noſtræ primordijs cauſisq́ inter ſe oppoſitis rebusqúe contrarijs complurima inter ſe diſcrepantia trahuntur indicia: imo & ex alijs quaſi ueſtigijs alia confunduntur,ut uerè iudicare de ſorte,ſit ſortis cuiuſdam potius quàm ſcientiæ. Poſt hæc autem Lacheſis quidem nomine ſortes formásque uiuendi dicit ſignificari:nomine Cloto conuolutionem earum euolutionemqúe oſtendi per uniuerſum:Atropos denique neceſſarium huius explicationis effectum:neceſſarium inquam,quatenus conſiſtit in natura fati & quantum huic anima cedit. In fato inquam, quia fatorum regnum Plato propriè ponit in cælo: ideóque ibidem inter ipſa cæleſtia euentus ſemper eſt neceſſarius. Ac ſi cæleſtium concentui, inferiorum quoq; interſe confluentia penitus conſonaret:neceſſariò proueniret & hic fati decretum: ſed fortaſſe non conſonat. Fortè enim accidit inferiora & ita intra ſe confluere, & ita rurſum congredi cũ
C cæleſtibus. Hic ergo quiſpiam fortunam cum fato miſcebit. Præterea ſi quando & cæleſtia & inferiora corpora ad eundem conſpirent euentum: ideóque euentus quantum eſt in hac corporum omnium conſpiratione ineuitabilis uideatur,& fortuna iam fatis ſeruiente fatalis:tamen ubi ius habet animus in quo motus eſt primus ac liber,non neceſſariò prouenit homini quod mundo neceſsitas deſtinabat. Nam ſicut in cælo fati regnũ duntaxat,ſub cælo autẽ fortunæ inſuper poteſtatũ plerique collocant:ſic in ratione æquè per oppoſita diſcurrente conſilij & electionis arbitrium collocabunt. Sic Plato uirtutem animi uel in fato ſemper liberam confitetur. Fatetur & Ptolemæus fortunæ conſilijqúe occurſu cæleſte decretum poſſe mutari. De neceſsitate quidem tribúsque parcis in commentario decimi de Repub. ſatis diximus: nunc cenſemus conſiderandum quod mox Plotinus adducit: alios quidem homines fieri tales ſcilicet uel natura, uel uſu, uel utroque,ut trahantur illecebris uniuerſi:alios uerò tales, ut inde quandoque ſe retrahant. Fiunt uerò natura tales, tum animo per *priorem* electionem atque uitam,tum corpore per cauſas naturales: fiunt quoque tales ex uſu. Quod autem ait, pleroſque à mundo more quodam magico faſcinari, declarat, animam non alio hamo,quàm amore uel naturali uel nouo, atque eſca uoluptatis illaqueari. Declarat,& ipſam uniuerſi naturam quaſi magam corporibus omnibus non ſolùm pulchram formam, ſed uitam etiã quandam inſeruiſſe. Qua forma tanquam ideæ ſimili,qua uita ipſi animæ quaſi cognata, anima uelut eſca quadam alliciatur,inferioribusq́ pellecta prouideat. Significat interim animos ob intellectualem naturam corpore toto corporeaq́ uita ſuperiorem poſſe quandoq; ſe contemptis mundi

D huius illecebris à fato reſoluere, quo non aliter quàm illecebris detinetur. Hinc uerò ſe ſoluit quatenus mundum amat ſuperiorem, quem amando in priſtinam præcipuamq; naturam animus ſuam reuertitur. in mentem dico uel in rationem mente formatam. Profectò cùm omnia etiam naturalia propriam habeant in ſe naturam & actionem, præter conditiones quotidie acceptas extrinſecus, multò magis id muneris poſsidet anima, quæ habet principij rationem. Principij dico rerum naturalium atque mobilium: ab anima enim natura motusq; dependet: ab anima dico intellectuali. principium enim ſub bono rerum efficiens eſt intellectus, ſub quo intellectualis anima principium eſt efficiens, & quaſi iam formans. Anima quidem uniuerſi naturalium omnium principium eſt ſummatim: aliæ quodammodo ſigillatim. Illa rurſus omnium in uniuerſi forma: aliq; omnium in formis partium uniuerſi. Omnis ergo rationalis anima, prout habet principij rationem, ſicut format hoc corpus, ita quodammodo poteſt ſaltem aliter alia. Tum uerò quemadmodum ut principium formet ducitq; id corpus & tantùm, ſic non alia ſolùm, ſed & maiora poteſt, dummodo ſimiliter aſſociatur ad illa: ceu anima cubitale corpus uiuificans, poteſt ſimiliter & tricubitũ. Sed hęc in theologia latius explicamus. Quantũ uerò ad principiũ ſpectat animaduertendũ eſt, ipſam entis naturã cõſiderari, uel prout eſt in actu primo per formã, uel prout in actu ſecũdo per motũ. Vbi uerò nõ reperitur propriè motus pro actu ſecundo, qui & actio eſt, ibi ipſum eſſe formæ locũ obtinet actionis, ac motus quodãmodo dicitur. Sed conſideremus ens aut in actu per formã ſimpliciter, aut in actu per motũ. Primo quidẽ modo entium principium eſt intellectus: ſecundo autẽ modo eorundẽ principiũ
E anima iudicatur. Intellectus igitur entis principium eſt, qua ratione ens eſt actuale, ut ita dixerim aliquid & formale: anima uerò entis principium eſt, qua mobile. Ac ſi principiũ eſt formarum, earũ præcipuè origo eſt quæ motu proueniunt: aliarum uerò ſi eſt principium, non tam ut animalis eſt id habet, quàm ut intellectualis exiſtit. Ipſum autem unum bonumq; intellectu ſuperius, principiũ eſt entium atq; finis, quomodocunq; ens ipſum accipiatur, ſiue in potentia quadã, ſiue in actu: ſeu in actu primo, ſiue ſecundo, ſiue nondum mobile, ſiue iam mobile. Præcipuè uerò principuum eſt entis & finis, qua ens unum eſt & bonum. Potiſsimè quoque principium entis, ut & ipſum & ens eſt unum, finis eiuſdem, ut & ipſum & hoc eſt bonum. Sed de hoc alibi. Redeamus ad animã. Solemus argumentari rationalem animam eſſe eſſentiam ſcilicet formam ac ſpeciem in ſe firmiter conſiſtentẽ ſuumq; eſſe atq; exiſtere in ſe prorſus habentem, ex eo quòd appetitiones actionesq; quaſdam proprias habeat, tum ſegregatas à corpore, tum corpori frequenter oppoſitas. Plotinus uerò uiciſsim hic uelut ratum accipit, animam eſſentiam ſic exiſtere, per hoc autem argumentatur, eam munera quædam propria poſsidere. Sed unde nam id habet ratum? Ex eo forſan, quod eſt principium entis mobilis ordinatè ac perpetuò mobilis. Eſt igitur eſſentia fixa, ac ſi mobilis, ex ſe mobilis, propriaq; uita uiuens, ſicut proprio motu & intimo mobilis. Vita enim motus & actus eſt intimus. Quamobrem ſi anima quaſi mouetur interdum ab externis atque formatur, iccirco contingit, quoniam ipſa iam ſponte ceſsit cedit q; corporibus: ſed ipſa interim propriam habet, firmamq; tenet in eſſentia formam, ſimul & eſſe: ſiquidem ab initio naturaliterq; ad corpus, non ut mobilis atque patiens, ſed ut motor acceſsit & agens. Quomodo autem anima etiam noſtra ſit principium motus, & in ratione
F principij ſit animæ mundanæ collega, in theologia probamus. Nunc uerò concedamus animam in officio motionis æquè fermè cum cæleſtibus conuenire, quæ cum eiſdem in ſuperiori officio, ideſt, contemplationis munere conuenit: quo & tranſcendit motum ad æterna reſurgens. Concludit poſtremò Plotinus, noſtrum animal ex animali mundano pendere, ſcilicet ab initio quemadmodum aliàs declarauí, & quotidie plurimùm. Verùm ſicut & quotidie etiam ex anima noſtra dependet, ſic ab initio à noſtra quoque pendebat, atque uiciſsim ſicut ab initio, ſic & in dies. Tale igitur plurimũ in nobis eſt animal, quale animal eſt mundanum, ſcilicet animam habens corporis uſui naturaliter conſulentem, & cum corpore ſimul agentem, & in nobis ſaltem quodãmodo patientem. Item quotidie in noſtrum animal inſtinctus quidam mundani mirabilesq; reſultant pro diuerſa diſpoſitione mundi, tum dormientibus, tum etiam uigilantibus. Et hoc animal mundano ſæpè conſentit & compatitur animali, niſi quatenus anima in nobis ſuperior huius quoque domina, hinc q; ſeparabilis & animæ mundanæ germana, animal hoc aliter mouet & ſiſtit. Hæc enim & ſeparata eſt ab initio per eſſentiam atq; eſſe, & ſeparari etiam magis ſtudio poteſt per oppoſitum affectum ſimul & actum, actionesq; proprias habet, ac ſi animal ſibi commendatum manſuefacere poteſt, & ad ſe ita conuertere, quod alibi Plotinus ait. poteſt etiam id nonnunquam uirtute mirabili ab his malis eruere, ſicut & ipſa ſe eruit, dum quæ ad animal pertinent, tanquam aliena nonnunquam nihili pendit.

A

De duabus animabus in nobis. Item quomodo à communi ſeminario mundi omnia generentur, & quomodo in eo comprehendantur: & quæ gignuntur, tum ſemel exeundo degenerent, tum per ſecula deficiant à primordijs. Cap. XVI.

POſtquam in ſuperioribus & quæ non ueræ ſint rerum cauſæ demonſtrauit, & quæ ſint ueræ quodammodo deſignauit, in tribus iam ſequentibus libri capitibus quæ ſint cauſæ ueræ definit. Tu uerò in primis ubi dicit, quòd inſeparabile eſt quando eſt in corpore, nota fortè Plotinum uelle uitam corpori dedicatam, quam ſæpe animam ſecundam nominat, inſeparabilem eſſe à corpore, ideſt, inſeparabiliter agere, ideſt, ſingula ſimul cum hoc corpore uidelicet dum eſt in eo: uerumtamen poſſe tandem unà cum ſuperiori anima hinc abire: nam & ab ea pendet uelut actus eius aſſiduus, quamuis hic actus per actum animæ mundanæ corpori coniungatur, ſicut radius uiſualis per radij ſolaris actum aeri ſe inſinuat: atque ſicut neuter radius euaneſcit apud Plotinum, ſed uterque in fontem proprium replicatur: ita & actus uitalis uterque, tum communis ab anima mundi, tum proprius à noſtra redit in ſuum. Neque fortè prohibet unionem uitæ, uniratémque animalis eiuſmodi uitæ duplicitas: cum altera quidem communis ſit, altera propria: & quæ propria eſt naturaliter cum communi conſpiret ad idem, tum ad propria illam determinans, tum ab illa rurſum adiuta ad opus proprium communi totius operi conſentaneum. Sed de hoc alibi diligentius. Præcipuas naturalium cauſas eſſe uult ſeminales earum rationes in uegetali animæ
B mundanæ natura, quibus ſemper ordine certo reſpondeant ſeminales in ſpeciebus ſingulis rationes. Sed quonam pacto ex uniuerſo ſeminario mundi omnia pullulent, multis quæſtionibus perſcrutatur. Principiò quærit nunquid anima mundi ſingula faciat, quaſi recta quadam ſucceſsione ſcilicet in ordine graduum occaſionúmque temporalium prius quidem elementa ſecundum originem, deinde quæ ex his componuntur: item hominem primùm ſecundum dignitatem, deinde bruta: utrum inquam hæc faciat, eiſque prouideat uſque ad ſpecies duntaxat rerum, earúmque propaginem & ſalutem: quæ uerò ſingulis in dies accidant non attendat. Quæſtio ſecunda: utrum anima etiam ſingulorum quæ in dies ſingulis accidunt, propterea cauſa ſit, quòd quæ generantur ab ipſa, deinceps agant, & quæ ſequuntur: quaſi ſic anima mundi dicatur contingentia quælibet: & ſi non per ſe, tamen per medias ubique cauſas agere. Quæſtio tertia: num anima in ſeminalibus penes ſe rationibus præſcriptas habeat ſingulas ſingulorum actiones atque paſsiones, nihilque caſu contingat, ſed omnia fatali neceſsitate ducantur. Quarta quæſtio: ſi anima ſic in ſe ſingula continet: utrum rationes animæ ſeminales hæc efficiant, an ſolùm uel ipſæ cognoſcant, uel per eas anima ipſa cognoſcat: adeo ut ita quotidie circunſpiciat non ſolùm res ſingulas, quæ quodammodo generantur ab ipſa, ſed etiam actiones, paſsionésque earum, omnésque euentus: dum uidelicet præſentia omnia comprehendens, quicquid ad illa ſequitur quaſi argumentando concludat. Siue complurima in antecedentibus ſimul quaſi præſentia contempletur: ſiue nunquam ſummatim ſequentia complectatur, ſed ſingula ſemper in horas proſequi compellatur. Quæſtio quinta: utrum animam mundi nefas omnino ſit adeo ſollicitam ponere: ſed pu-
C tandum ſit potius in eius notionibus hæc omnia ſemel eſſe præſcita, aut etiam in rationibus ſeminalibus deſtinata. Sexta quæſtio: utrum uitia defectúsque naturarum ex rationibus, naturæ ſeminalibus deſtinari & fieri poſsint. Fortè nanque & quæ ſigillatim mala uidentur ad bonum uniuerſo conducunt: Soluit denique quæſtiones, negans in rationibus rerum naturalium ſeminalibus quicquam in actu contra naturæ ordinem contineri: ſicut neque in rationibus artis, quatenus tales ſunt, præter artem aliquid continetur. Quicquid igitur formale in rebus eſt atque formoſum in rationibus per ſe continetur, & ab eis propriè proficiſcitur: quicquid uerò deforme contingit, id ex informi materia primùm, uel ab eis quæ hac infecta ſunt conſequenter euenire uidetur. Sed quidnam ſibi uult quod ait, rerum defectus non ſecundum actum, ſed ſecundum potentiam in rationibus contineri? Certè non ſecundum actum, quoniam non efficiuntur inde defectus: quoniam nulla eſt ibi propria forma defectus, ſed ibi ſaltem ſecundum potentiam eſſe dicitur: quoniam ex integra forma uelut exemplari coniectari poteſt quo pacto, quóue gradu aliquid inde deficere poſsit. Quæ igitur mala uel minus bona ſunt, præſcita quidem illic eſſe poſſunt, prædeſtinata non poſſunt. Quicquid enim determinatur inde, definitur ex forma: quòd uerò fit inde, non tale prouenit in materia, quale poſsidetur ab anima: ſed & quoniam extra fit, degenerat: & quoniam in materia fit informi, fit deforme, ac rurſum diuerſorum miſtione confunditur. Anima igitur couſque agit per rationes, quouſque res formoſitate congruunt rationibus, quamuis ulterius etiam ideſt, deformitatem conijcere poſsit, generatim quidem intelligentia, ſigillatim uerò ratione uel

D imaginatione quadam naturæ conjuncta : ſed in ea quoque non tam diſcurrendo per ſingula quàm ſummatim. Ait uerò & hic formas in materia à formis naturæ deficere concuſsione quadam, ideſt, tum quia extra rationes diſcedere uidentur ab eis, tum quia informi materia deformes euadunt, tum quia miſcentur oppoſitis, tum quoniam paulatim à priſtina dignitate degenerant: naturalia uerò paulatim degenerare per ſecula Plotinus in ſuperioribus ait, & Plato in Politico Protagora, Crytia, Menexeno: nóſque ibidem cauſas aſsignauimus, & hic ita breuiter aſsignamus. Degeneratio rerum quædam eſt diuturnior ab initio ſcilicet mundani circuitus ad finem uſque ſe porrigens: quædam diuturna minus ab ingenti terrarum illuuione, ad illuuionem alteram perſeuerans. Cogita igitur ſigna duodecim, quæ in firmamento uidentur ſignis ſubeſſe duodecim in nona ſphæra ſignatis: quam Plato ſphæram & ſi non manifeſtè poſuit, poſſe tamen exiſtere cogitauit: quandoquidem eſſe poſſe non negat. Reſpondebant itaque quondam ſigna undique ſignis: Aries Arieti, Taurus Tauro, Gemini Geminis, Cancro Cancer, Leo Leoni, Virginis Virgo, Libræ Libra, Scorpius Scorpioni, Sagiptarius Sagiptario, Capricornus Capricorno, Aquarius Aquario, Piſces denique Piſcibus. Tunc felix auſpicium fuit ſeculi ſeculorum, tandiu felix, quandiu eiſdem eadem congruebant. Tranſgreſſus autem eſt deinde per motum ad ortum Aries Arietem, ſequentiáque tranſgreſſa ſunt reliqua conſequenter. Naturales interea res ſimili quodam gradu degenerare cœperunt. Quanquam etiam quibusdam ſeculis priſtini uigoris nonnihil ad tempus recipere poſſe uidentur: quando ſigna hæc, & ſi non ad illa prorſus eadem, ſaltem ad ſimilia ueniant. Aries ad Leonem, aut ſaltem ad Geminos: uel Leo ad Sa-
E giptarium, uel ad Libram: Gemini ad Libram, uel Libra ad Aquarium, cæteráque ſimiliter: aut ſaltem aſpectus illic oriantur, quos aſtronomi tradunt magis eſſe concordes. Conferunt interea magnæ quædam planetarum coniunctiones, quamuis & uiciſsim nonnunquam nocere contingat. Similiter ad rerum mutationes conducit motus imaginum per acceſſum ad meridiem, atque receſſum multis ſeculis reſtitutus: uerùm non prius priſtinam res felicitatem recuperabunt, quàm eadem reuertantur ad eadem. Motus quidem ſignorum nobis manifeſtorum ad ortum uergens, annis centum gradum unum præterit ſignorum ſuperiorum. Annorum itaque triginta ſex millibus explebitur ſeculum ſeculorum. Interea ſeculi altera quædam fit mutatio, quando tellus uel aquarum illuuione diluitur, uel flammarum incendio deuaſtatur. Siue igitur poſt aquas ſolis calor præpotens humoribus incumbet: ſiue poſt incendia uiciſsim hymber exuberet, terra mox utrobique calore & humore fœcundior pulcherrima parit, donec ob ſiccitatem ſterilior in dies euadens, minus pulchra parturiat: redeátque tandem remedij gratia illuuium ſimile uel incendium. Memento uerò, cæleſtium motiones & ſitus non tam ad ipſam formarum generationem, quæ propriè fit ſeminalibus rationibus, quàm ad materiam pertinere aliter uel aliter diſponendam. Tertia degenerandi cauſa eſt præſertim pertinens ad humana: quòd in ipſa nouitate mundi, ſiue per creationem fiat nouus, ſiue per exitium prius nouus effici uideatur, homines ſuperiorum numinum quaſi paſtorum ſedula prouidentia gubernantur. Debiles enim nudíque natura, & arte rudes ſuperiorum prorſus indigent gubernaculis. Prouidentia uerò in re-
F bus neceſſarijs ſua nunquam deſerit. Vnde factum eſt, ut & natura in neceſſarijs non deficiat. Quapropter in corpore animalis pro maiori membri alicuius neceſsitate magis natura laborat. Igitur res humanæ diu quondam omnino rectæ diuinitus, nimirum diuinius procedebant: at cũ primùm humanum iugenium tempore ſatis excultum, minus indigere uiſum eſtaſsidua ſollicitudine dæmonum, cœptum eſt gubernari negligentius à dæmonibus, ſeu mauis angelis: unde humanæ res in deterius quotidie dilabuntur, donec incurabilis per ſe morbus humanus neceſſariã ad ſe curam prouocet diuinorum. Qua uerò ratione ex uarijs etiam degenerantium gradibus mundus continuè ſit uel ex aliqua partium deformitate formoſior, alibi ſatis & diximus & dicemus.

Rationes naturæ ſeminales non ſunt notiones, quamuis in natura fiant à mente. Item degenerãt in natura primùm à mente: deinde in materia deficiunt à natura. Rurſus quale futurum ſit animal mundanum, ſi ſublata ratione conſideratur. Cap. XVII.

RAtiones uerò ſeminales ſicut in qualibet anima non ſunt notiones quædam: alioquin cognoſcendo continuè generarent, & generando cognoſcerent: ſic neque in anima uniuerſi, cuius uita eſt uita quælibet efficacior, ideóque ſimplici uitæ uirtute poteſt abſque notionis auxilio generare. Primò quidem rationes eiuſmodi intelligentiæ non exiſtunt: Intelligentia enim & ſeipſam, & ſi opus ſit rem intelligendam ſegregat à materia. Vis autem efficax qualis eſt ſeminis naturalis, quum in materia duntaxat genitura ſit, materiam in primis aggreditur, penitúſque

ingre-

A ingreditur. Deinde neque ratiocinationes ſunt: hæ nanque quaſi accidentales, & imaginariæ ſunt, ideóque ſubſtantialia & uitalia facere nequeunt. Facere uerò more artis ſolent extrinſecus exteriorũmque inſtrumentorum amminiculo, & imaginaria quædam: rationes uerò ſeminales intrinſecus agunt, pérque ſeipſas ac per inſtrumenta coniuncta more cuiuſcunque naturæ, faciuntqúe ſubſtantias. Præterea neque imaginationes ſunt: hæ nanque ut in nobis apparet abſque affectus efficacia in corpore nihil efficiunt: quinimò neque affectus imaginationi ad formas ſufficit generandas, ſed ad motum fortè localem. Nam ex imaginatione affectu corroborata localis è ueſtigio motus in ſpiritu ſit & corde. Ex hoc motu deinceps qualitates, quæ iandiu ſunt in corpore iam excitantur, unde uel aliam inſuper faciunt qualitatem, uel paſsionem. Similiter in anima mundi imaginatio non formas quidem primò rerum generat, quippe cum ipſa magis etiam quàm ratiocinatio imaginarium quiddam eſſe uideatur: ſed cum affectu coniuncta ad localem motum mundi conducit: ante quem motum formæ rerum in mundo iam exiſtunt, ibi uidelicet iamdiu genitæ uirtute mundi genitali per ſeminales ſcilicet rationes. Quamobrem ex rationibus eiuſmodi naturæ huic infuſis primæ rerum formæ procreantur in mundo: ſubinde uerò ex imaginationibus ſpectantibus ſingula generanda, per motus quodammodo ſingulos, quotidiani motus, & ſinguli fiunt, quibus formæ rerum ad alterationem mutuam concitantur: qua quidem alteratione perpetua materia paſsim ad nouas quotidie formas à rationibus ſuſcipiendas ritè paratur. Comites ergo in anima quidem imaginatio naturáque ſunt: comites ſimiliter in uniuerſo alteratio ſemper atque generatio. Nec iniuria natura genitrix

B ſingulorum imaginationem comitatur, atque uiciſsim, quæ ſe per ſingula diſtrahit, neque tamen rationem proximè quæ ad uniuerſalia denique refugit: neque intelligentiam, in uniuerſalibus ſemper perſeuerantem: ac ſi intelligentia, ſiue ratio ſingula perſpicit, conſequenter id agit. Præcipuum uerò habet interim ad uniuerſalia ſtudium. Generatio igitur uel alteratio atque motio, quæ duntaxat eſt ſingulorum, poſt naturam mox eſſe uidetur imaginationi propinquam, circa ſingula ſolùm, & præcipuè ſe uerſanti. Omnino uerò quum generatio ſit prorſus circa materiam, ſi inuenturi ſimus uirtutem proximè generantem, deſcendere cogimur infra uirtutem quamlibet cognoſcentem. Quælibet enim cognoſcendi uirtus formam & actionem quà cognoſcit habet à materia ſeparatam. Quemadmodum igitur quod in ſummo ſui ipſius eſt lumen, & in medio ſplendor, id in infimo ſui ſit calor, atque ut calor generat, non ut ſplendor, nec ut lumen: ſic anima quæ in ſuo quodam ſummo intellectualis exiſtit, in medio uerò diſcurrens, in infimo denique uitalis tantùm atque uiuifica, non ut intellectualis, nec ut diſcurrens, ſed ut uitalis generat atque uiuificat. Et ſi quæ facit, interea & cognoſcit, non tamen quia cognoſcit, ſed quia ita ſe habet, & ita poteſt, & ita afficitur naturaliter, ideo ſic & talia facit. Dixi equidem non quia cognoſcat, cognitione inquam aliqua præter eſſentiam: nam in ipſo eius ſummo idem eſt intelligere quod & eſſe: ideóque eſſentiali hac uitalique intelligentia per eſſentiales idealeſque notiones naturaliter formas, ideſt ſeminales rationes efficit in natura, ſicut natura per eas in materia formas effingit. Sicut ergo ex circulo qui iactu lapilli fit in aqua, mox alter circulus oritur, deinceps qúe ſimiliter: ſic ex orbe quodam idealis diuinæ mentis pendet fermè ſimilis orbis in animæ mundanæ

C mentem: hinc uerò mox in naturam, ex natura ſimiliter in materiam. Vt igitur formulæ ab animæ intelligentia impreſſę in naturam animę genitalem eſſentiales ſint efficaceſq;, & ſubſtantialia faciãt, oportet, & formas tum in diuina mẽte, tum etiam in animæ mente ita eſſentiales exiſtere, ut ibi ita ſit idem intelligere quod & eſſe: atq; etiam intelligere quod intelligendo formare naturam, ſicut in natura idẽ eſt eſſe atq; uiuere, & quodãmodo idem materiam uiuificare quod uiuere. Sed quæritur nũquid animalis intelligentia naturã formet rationali, uel imaginali quadã diſcurſione, ſicut artifex ſępe materiam? Nequaquã: nam & ars perfectiſsima nõ conſultat ulterius, ſed agit iã more naturę qua iam aſſequitur, hactenus quoad potuit imitata. Præterea ſiqua cogitationis diſcurſione naturã formare ſtatuerit, iam formas efficiendas ad alias retulit ut exemplar firmũq; ſpectaculum, in quod acie uagabundę rationis intendat, circa quod ſtabile diſcurſio peragatur, ad quod cõparare queat inuenta. Quęritur igitur utrũ ſpectacula quædam externa proſpiciat, an firmas eiuſmodi formas habeat intus. Non externa quidem atq; corporea (hæc enim nondũ exiſtũt adhuc per naturã uidelicet generanda, per naturã inquã adhuc intellectu formandã) formas ergo poſsidet intus. Quod uerò in trinſecus & naturaliter poſsidetur, nõ eſt peruagatione quęrendũ. Si ergo natura abſq; ullo conſilij miniſterio materiã cõtinuè formet, multò magis mẽs naturã ſibi coniunctã format abſq; conſilio atq; uiciſsim. Concludę ipsã per momẽtaneos actus diſcurſionẽ eſſe ubiq; aliqd pręter eſſentiã & accidẽtale qddã corruſcationũ inſtar: deinceps dũ apparet per partes ſubitò euaneſcẽs, itaq; nõ poſſe per ſe firma & ſubſtãtialia facere, ſed ad effectionẽ eiuſmodi opus eſſe firma & eſsẽtiali naturę alte

D rius efficacia. Sic non ſolicitudine, non labore, ſed indefeſſa facilitate, tum naturalia ab ipſa natura, tũ naturæ ſemina ab intelligentia pullulabunt. Concludè rursũ: ſicut in cælo natiua lux caliditaſq; ſtabiliſſima permanet, dum configurationes in dies circuitu cõmutantur: ſic in uita mundi intelligentiam, & naturam in ſuis rationibus permanere, ſtabilitérque per eas efficere, etiam ſi quis illic uel uniuerſalis uel particularis diſcurſus agatur. Quum uerò anima mundi ſecunda, ideſt, uita quædam per ſe irrationalis ab intellectuali mundi anima corpori mundano tributa ſit ultimum ueſtigium diuinorum, ſimilitérque ſemina uelut ultima quædam ueſtigia poſsideat idearum, nimirum & mundus ex hac uita corporéque compoſitus longè à diuinitate degenerat: & ſæpe tum ſemina ſua impediri uidentur in opere, tum animal eiuſmodi ad ſuperiora collatum uidebi turimperfectum. Quamuis enim perpetua quadam intellectualis animæ ſuæ præſentia mundanum hoc animal manſuetum atq; beatum dici poſsit, tamen quoniã aliud & poſterius eſt hoc animal quàm intellectualis anima, cogitare licet animam ipſam ab animali ſeiunctam. quod Plato in Politico, in Timæo, in Legibus cogitauit. Dic agè, quale mox futurum ſit uaſtum hoc animal atque robuſtiſsimum ſublatis intelligentiæ frænis? Ferrum quidem & ſi nunc ignitum, aerem quoque & ſi nunc luminoſum, tamen appellare poſſumus natura frigidum & obſcurum: Nam & ferrum paulò poſt frigiditatem ſuam, & aer obſcuritatem mox manifeſtè declarat. Tali quadam conditione Plotinus mundanum hoc animal quaſi ferox uidetur effingere. Finge & tu ſapientem ſi placet uirum corpore nimium colerico uel melancolico, introſpice corpus habitudinem, inſpicies ani-
E mal hoc ſub animo ſapiente quaſi frenis cohibitum quietem agere, manſuetúmque uideri, ſed interim paratiſsimum ad excandeſcentiam atque mœrorem: ac ſi ſanguineum fuerit, ad libidinem, quam quidem affectionem & ſi uigilando uix, facilius tamen in ſomnijs indicat: tale fermè animal finge mundanum, ex igne tanquam bile propenſum ad iracundiam atque ſuperbiam, ex terra uelut atra bile pronius ad mœrorem, ex aere quaſi ſanguine ad laſciuiam & libidinem, ex aqua tanquam pituita procliuius ad torporem, ex materia prima, quæ quaſi fex quædam eſt naturalibus ſubſidens, tibi occurret amarum pariter atque acre. Fex enim ob ſiccitatem frigiditatémque & amara & acida cogitatur. Videbitur ergo hoc animal tum ex uiribus grandioribus ferociſsimum, tum ex materia inops, & puſillanime nimis, & inuidum, & de utilitate ac mutabilitate propria querulum. Denique mirari iam deſines ex animali ſic affecto in quo non omnia ſint ad uotum, multa etiam accidere alijs præter uotum.

Vnde mala: unde omnia: tres ſub bono totius artifices: mundi quatuor. Cap. XVIII.

In ultimo libri capite, primò quidem breuiter proſequitur malorum cauſam ex præcedentibus orientem: deinde cauſas uniuerſi comprehendit. Cauſa uerò malorum, altera conſequentiæ ratione, altera ratione finis conſideratur. Nam ſicut ad bonum maius conſequitur minus bonum, rurſumq; ad minus longo ordine minimum: ſic & ad minimum mala contingunt. Præterea ſicut in con
F centu muſico quarta uox, imò & ſecunda & ſeptima quæ ſeorſum non conſonarent, nnà cum conſonantibus gratiorem conficiunt conſonantiam: ſic in ordine rerum minora bona cum maioribus, minima cum minoribus, mala cum minimis bonum totius commune reddunt admirabilius. Quid uerò? Quòd quæ in hoc aut ad hoc mala uidentur, eadem in illo, aut ad illud eſſe bona reperias. cuncta denique ad commune conducunt uniuerſi bonum. Poſt hæc tres mundi ponit artifices. Primum quidem intellectum diuinum: ſecundum uerò intellectum animalem animámque intellectualem, tertium animæ huius imaginem, ideſt, uitam inde corpori dedicatam. Qua in re, teſte Proculo, Porphirius cum Plotino conſentit. Sed cur ipſum bonum non uocat artificem? Quoniam in artifice operum exemplaria ſunt. At in ipſo bono quum ſit unitas ſimpliciſsima, exemplar mundi quod eſt multiplex collocare non audet: ſed ipſum bonum Plato Plotinúsque nominant, tum artificis mundani patrem, tum mundani operis finem: quaſi filius amore paterni boni prægnans, mundum procreet gratia boni, & conformet ad bonum. Ipſum itaque bonum intellectualem generat mundum: hic uerò procreat animalem: hic ſimiliter naturalem: naturalis uerò corporeum. Alius autem ſic fermè ex alio proſiluit, ſicut in aqua circulus dependet à circulo: & ſicut ex luce lumen, ex lumine ſplendor, ex ſplendore calor, ex calore generatio prouenit. Intellectus quidem in intellectuali anima procreanda nullo modo diſcedit à patre: imò per coniunctionem ad patrem poteſtatem habet creationis & actum. Similiter intellectualis anima quatenus incumbit intellectui ſummo, abundat inde, & exundat in alteram. Altera rurſum, ideſt, uita corporea, quatenus dependet ex anima cuius eſt imago, impletur ſeminibus, ſimúlque formis implet huius mundi materiam. Ipſum quidem bonum excedit ſtatum: ſtatus enim in bono ſit atq; gratia boni: intellectus autẽ ipſe

ſtatus

A ſtatus exiſtit: intellectualis anima primum ſtabile iudicatur. Vita uerò huius imago ſtabilis quidem eſt, quantum exiſtit inde, mobilis uerò per accidens, quatenus corpori proprie mobili copulatur. Appellat uerò Plotinus uitam eiuſmodi mundum proprie ſeminarium: quem ueteres appellarunt imaginem, quæ ſemper in aſſimilatione uerſetur. Hæc enim non tam anima, quã animæ imago uocatur. Quantùm enim accedit ad materiam alienam ab intellectuali fonte, tantùm ab anima intellectuali degenerat. Semina quoq; in ea nõ tã rationes ſũt quã imagines rationũ Si enim ratio proprie ſecundũ formã in anima intellectuali cõſiſtit, meritò in uita inferiori tantũ eſt rationis imago. Quis enim uerã nominet rationẽ, quę ſui ipſius ignara nullã ſui habeat rationẽ? Hęc itaq; uita imago quædam eſt, imaginũ ſolũmodo plena: imago hęc sẽper eſt aſſecuta ſimilitudinẽ exẽplaris ac sẽper aſſequitur. Rurſum & sẽper eſt ficta, & perpetuò fingitur, qua uidelicet ratione actus ipſi ſeminũ aliter tẽporibus alijs uigere uidentur: ſemper ramẽ congruunt exẽplari: qua rurſus quaſi unã cũ mundi corpore uita uoluitur: qua deniq; ſimul cum reuolutione cæleſti aliter aliterq;, & mens afficitur imaginaturq;, & extra alijs quodãmodo ſemper figuris induitur. Fortè etiam Plotinus his uerbis ſententiam Heraclìti tangit atq; Timæi dicentium, mundum hunc oculis manifeſtũ eſſe quidem nunquã, ſed perpetuò fieri. Omnino uerò ſicut ſub ſigillo figuratur aqua, neq; figura reſtat remoto ſigillo: ideoq; figura non tam ſemel facta uidetur quã fieri ſemper, præſertim ſi iugiter ſubterfluat aqua ſic fermè ſe habet & materia ad naturam, & natura rurſus ad animã intellectu fœcundam. Eatenus autẽ mundum hunc fieri Plotinus uult, uel eſſe, quatenus & imago animæ fluit ab anima, & anima prodit ex mente, ac mens generatur ex bono, & bonum deniq; quãdiu hoc ipſum eſt quod bonum:
B intellectus deinceps quãdiu id ipſum quod intellectus exiſtit. Quibus ita manentibus, ſequẽtia naturaliter inde ſemper aut maneant aut profluant, quemadmodũ & lumen ex ſole, & deinceps ex lumine lumen. Nos autem circã hæc pro religione dicere poſſumus: Si in diuinis conſideremus æternitatẽ, ſic mundi proceſsionem inde æternam iure uideri: ſi autem uoluntatem, eo termino procedere mundum, quo decreuerit diuina uoluntas: cuius arbitrio ſicut eſt in mundo terminus uirtutis atq; magnitudinis, ſic exordium & extremum.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER TERTIVS

VTRVM STELLAE ALIQVID AGANT.

Narrat opiniones aſtrologorum de moribus & uirtutibus planetarum. Cap. *Primum.*

STELLARVM motum circa vnumquodque ſignificare quidem futura, non autem facere omnia, vt opinantur multi, alibi diximus perſuaſiones aliquas adducentes. Dicendũ autem in præſentia exactioribus iam & pluribus argumentis. Nõ enim parum refert hoc uel illo modo de his opinari. Tradunt aſtrologi multi planetas ſuis motibus facere non ſolùm cætera velut
C inopias & diuitias, valitudinemq; proſperam vel aduerſam: verumetiam turpia atq; pulchra, atq; id, quod maximũ eſt, vitia inſuper & virtutes. Item ſingulas in tẽporibus ſingulis actiones ab his orientes, perinde ac ſi aduerſus homines ſint irati, in his videlicet, in quibus homines ipſi iniuriam nullam inferunt: vtpote qui tales ſunt, quales à planetis fuerint inſtituti. Addunt præterea illos quæ bona dicuntur afferre, non propterea quòd diligant accepturos, ſed quoniam ipſi pro diuerſitate motus atq; loci, vel bene vel malè prorſus afficiantur. Rurſus adducantur mutare ſententias pro mutatione curſus, diuerſiq; à ſeipſis euadãt, quãdo vel ſunt in angulis, vel quando declinant. Quod verò maximum eſt, cùm dicãt, alios quidẽ inter illos eſſe malos, alios verò bonos, nihilominus tũ malos ſæpe bona largiri, tũ bonos nõnunquã euadere malos. Adiungũt planetas, quãdo mutuò ſe cõſpiciunt, alia quãdo nõ cõſpiciunt alia facere, quaſi ſui iuris minimè ſint, ſed aſpiciendo quidẽ alij, nõ aſpiciẽdo autẽ alij fiant. Poſtremò planetã cũ certũ aliquem intuetur euadere bonũ: cùm verò intuetur alium, repẽtè mutari. Afferunt quinetiam eos aliter contueri, ſi certa quadam figura fiat intuitus, aliter autem ſi intuendi figura mutetur: deinde ex cunctis vnà inuicem conſpiran

D tibus aliam confici miſtionem: quemadmodum ex liquoribus varijs diuerſa quædam præter miſta ſingula miſtura conflatur. Cùm hæc igitur hunc in modum & alia ſimiliter opinentur, operæpretium eſt de ſingulis accuratè diſſerere. Conueniens autem exordium erit huiuſmodi.

Si ſtellæ inanimatæ ſunt non faciunt niſi corporea: ſi animatæ non faciunt mala. Cap. II.

PRincipiò conſiderandũ eſt, vtrum cæleſtia ſint animata vel contrà. Si enim quæ ita feruntur anima careant, nihil aliud præter caliditatem & frigiditatẽ atque ſimilia quædam adducere poterunt, ſi modò ſtellas ullas eſſe frigidas cõceſſerimus. Iam igitur vſq; ad corporum noſtrorũ naturas tantùm actiones ſuas & munera propagabunt: quippe quum corporeus duntaxat impulſus in nos inde proueniat, adeo vt neque etiam multa inde corporum diuerſitas accidat: quandoquidem defluxus idem ſit ſingulorum, atque ſimul in terra commiſceãtur in vnum, vbi ſolùm pro varietate locorum diuerſitas orietur: diuerſitate videlicet nata ex eo, quòd aut propinquius aliquid, aut remotius exponatur ad influxum ſic aliter capiendum. Eadem quoque ratio erit, ſi frigus inter hæc ad
E mittatur. Sapientes autem & ignorãtes, item alios quidem grammaticos, alios autem rhetores, alios citharædos, cæteriſque artibus diſcrepantes: item alios quidem diuites, alios verò pauperes qua ratione faciant, minimè video. Similitérque & alia quæ nullo modo ex ipſa corporum miſtione cauſam per quam fiant habere poſſunt: veluti quòd talem habeas fratrem, talem & patrem, atque filium & vxorem. Poſtremò quòd aliquando proſperæ tibi res ſuccedant, & nunc dux exercitus deſigneris, regnóque potiaris. Sin autem animata cæleſtia ſint, agantq; conſilio, dic amabò quidnam iniuriæ à nobis acceperint, vnde nobis ſponte quotidie noceã t: præſertim cũ & in ſede diuina collocata ſint & ipſa diuina. Nõ enim illis hæc accidunt, quorũ cauſa homines mali fiũt: neq; omnino ex humana ſiue ꝓſperitate ſiue aduerſitate boni quicq; vel mali illis accedit.

Stellæ non mutant naturam motibus, locis, aſpectibus. Cap. III.

DIcent fortaſſe ſtellas non ſponte talia facere, ſed locis figuriſq; coactas. At enim ſi cõpulſæ facerent, oporteret omnes dum in eiſdem locis figuriſq; ſunt, eadẽ facere. Nunc autem quid differẽs hic planeta patitur, dum per gradũ hunc aut rurſus per illũ zodiaci circuli tranſit: quidue differens ille: Neq; enim
F in ipſo zodiaco eſt, ſed ſub ipſo longiſsimè diſtans, & per qualẽcunq; portionẽ tranſeat, ſimiliter eſt in cælo. Ridiculũ nanq; eſt ſecundũ quãlibet cæli portiunculã, quã percurrit, planetã alterius fieri alteriuſq; naturæ, aliaq; rurſus & alia exhibere. Item, aliã habere naturã cùm exoritur, atq; eſt in angulo, aliã cũ declinat: Non enim tũc quidẽ gaudet quando eſt in angulo, tunc autẽ dolet aut torpet, quãdo declinat. Neq; rurſũ ſæuit quãdo exoritur alius: manſueſcit verò cũ inclinatur. Vnus verò inter eos cũ inclinatur melior. Eſt enim cõtinuè quilibet alijs quidẽ angularis, alijs verò cadẽs: itẽ cadens alijs, viciſsim alijs angularis. neq; tamen eodẽ tempore delectatur & mœret, & iraſcitur atq; mitigatur. Quod autẽ aiunt alios quidẽ occaſu, alios cõtrà ortu gaudere, videtur abſurdũ. Sic enim accideret eundẽ oblectari ſimul atq; mœrere. Prꝛterea cur nã illorũ mœror nobis inferat malũ: At enim neq; dolere, neq; pro tẽpore delectari eos eſt cõcedẽdũ: imò ſẽper eſſe tranquillos, bonis gaudẽtes prꝛſentibus, & quibus ipſi fruãtur, & quæ ꝓſpiciãt. Nẽpe vita illic ſua cuiq; in ſeipſo cõſiſtit, ipſoq; actu ſuũ poſsidet bonũ. Id aũt nõ vergit ad noſtra. Nimirũ viuentiũ illorũ quꝛ nullũ nobiſcũ commertiũ habẽt, opus nõ prꝛcipuè, ſed potius cõſequẽter. imò verò nullo modo ad noſtra declinat. Siquidem tanquam auibus penes augures, ſic & illis accidit futura portendere.

A *Aſtrologi non uerè aſſignant planetarum aſpectus* Cap. IIII.

PRæterea abſurdum eſſe uidetur hunc quidem planetam huius aſpectu congratulari, illum verò conſpectu illius offendi. Quæ nam inter illos, & qua dere poteſt eſſe diſcordia? Deinde quã ob cauſam aliter ſeſe habent cum aſpectu trino ſe contuentur, aliter autem cum auerſo vel quadrato reſpiciunt? Item cur nam ſic quidem & hic configuratus aſpicit? Procedens verò ad ſignum deinceps poſitum & propinquius negatur aſpicere? Omnino autem quis eſſe poterit modus ad illa quæ inde fieri dicuntur efficienda? Et quopacto illorum quilibet ſeorſum ſuũ aliquid agit? Cuncti verò ſimul quiddam ex omnibus aliud? Non enim inter ſe quaſi conſultò conuenientes, quæ deliberarunt in nos exequuntur, remittens vnuſquiſque ex officio ſuo non nihil, neque rurſus alter alterius munus illata vi prohibet: neque etiam alter cedit alteri, perſuaſus alteri ſuũ officium tradere. Poſtremò quod aiunt, alium quidem in huius ſedibus poſitũ oblectari, contrà verò alterum in ipſius ſede receptum, perinde ſe habere videtur, ac ſi quis cùm duos quoſdam inter ſe amicos eſſe conceſſerit, deinde tamen aſſerat alterum quidem diligere alterum: viciſsim verò alterum habere odio alterum.

B *Errant circa naturas planetarum.* Cap. V.

TRadunt verò quendam ex illis frigidum etiam procul à nobis poſitum magis nobis bonum, in ipſo videlicet frigido malum ipſius aduerſum nos collocantes: & ſi oportebat in oppoſitis zodiaci ſignis bonum nobis exiſtere. Ferunt inſuper planetam frigidum oppoſitum calido ambos euadere graues, quã quam oportuit ex hoc temperantiam fieri. Præterea alium quidem delectari die, fieriq; diurno calore propitium: alium uerò vtpote ígneum nocte gaudere, perinde ac ſi non perpetuus ibi ſit dies, ideſt, lumen: vel alter occupetur nocte, cùm tamen ab vmbra terræ ſit remotiſsimus. Quod verò aiunt, lunam lumine plenam huic congredientem fieri bonam, vacuam uerò lumine, malam, ſi modò tale quiddam concedendum ſit, contrà dicendum. Cùm enim verſum nos plena eſt, tunc illi ſuper eam incedenti vacua, altero videlicet ſemicírculo. Cum verò erga nos minuitur, illínc impletur: quapropter contraría oportuit facere diminutam, videlicet cum lumine illud aſpicientem. Itaque penes ipſam nihil intereſt quomodocunq; ſe habeat, cùm ſemper ſit ex dimídio plena: at penes illum forſitan intereſt, quem inde calefieri tradunt: verùm calefiet forſan, ſi luna
C erga nos ſit luminis expers. Erga alterum verò exiſtens bona, dum orba lumine dicitur, plena interim eſt ad ipſum, ad nos autem vacua. Proinde quando ille non adiuuat, propterea quod ſit procul, deterius ſe habere videtur: quando verò plena eſt, ſufficit eo quòd inferius, & ſi ille ſit procul: cũ autẽ ad ipſum igneũ orba lumine eſt erga nos, bona eſſe videtur. Per ſe enim ſufficit poteſtas illius: vtpote quod feruentius eſt, ſi ad alterum comparetur. Corpora verò viuentiũ inde currentia magis minusq; inter ſe ſunt calida, nullum autem eſt frigidum: quod quidem locus ipſe teſtatur. Prætera quem vocant Iouem, bene temperatus eſt igne: ſimiliter quoq; lucifer: quapropter & ſimilitudine quadã concordes eſſe videntur. Quoad ipſum verò ſpectat, qui dicitur igneus, ad temperationem quandam conferre putandum. Quoad Saturnum deniq;, eo quòd procul, alienè ſe habere dicendum. Poſtremò quod aiunt, Mercurium ad omnes indifferentem, intelligendum eſt, facilè cunctis perſimilem fieri: omnes autem cõducunt ad vniuerſum: itaq; inter ſe ita ſe habent, vt expedit toti: quemadmodũ in vno viuente partes ſingulæ diſpoſitæ ſunt. Huius enim gratia potiſsimũ ſunt appoſitæ, ceu bilis & toti & parti proximè confert. Oportuit enim animum ex-

D citare, neq; permittere vel totum vel partem proximam iniurijs affici: quinetiã in vniuerſo tale quiddã oportuit eſſe, & aliud inſuper ad ſuauiorem temperiem adhiberi. Alia verò velut oculos eſſe: & omnia irrationali ipſorum vita inuicẽ compati. Sic enim vnum eſt totum, & harmonia totius vna. Hæc igitur quomodo non ſigna quædam erunt per proportionem quandam conſiderata?

Errant circa planetarum actiones Cap. VI.

PRæterea quod aiunt Martem aut Venerem certo modo diſpoſitos adulteria procreare, valde à ratione diſſentit: quippe cùm id non aliud ſit, quàm illos humanæ intemperantiæ more mutuã auiditatem indigentiamq; ſuam ardẽter explere. Proinde quod dicunt, quando certa ſe conditione conſpiciunt, gratũ eſſe conſpectum, terminum verò illis penitus eſſe nullum, nulla concedendũ ratione uidetur. Item cùm innumerabilia animalium millia continuè ſint atque naſcantur, quónam pacto vnicuiq; ſemper ſingula perficiunt: afferunt & gloriam & diuitias: faciunt pauperes atq; incontinentes: ſingulasq; ſingulorum efficiunt actiones? Quænám illis eiuſmodi uita foret? aut quómodo tot tamq; di
E uerſa conficere poſſunt? Perabſurdè quoque dicitur illos expectare ſignorum rurſus aſcenſiones & reditus, & tunc demum inſtitutum officium conſumare, & quot partibus aſcẽdit quodlibet, totidẽ eſſe accenſionis, ſiue reditus annos, & quaſi digitis computare, quando facturi ſint, neq; licere illis ante id tempus efficere. Poſtremò nulli prorſus vni gubernationis auctoritatem aſcribere, ſed his attribuere cuncta, quaſi non vnus quidam præſideat princeps, à quo dependeat vniuerſum, diſtribuente videlicet vnicuique munera propria naturaliter peragenda: in quibus deinceps ſimiliter coordinata ſunt omnia. Id certè hominis eſt & ſoluẽtis ordinẽ, in quo ipſe cõnumeratur, & ignorantis vniuerſi naturã, principiũ habentis cauſamq; primã per omnia vim ſuã penitus propagantẽ.

Significationes ſtellarum fiunt propter mirabilem rerum mundo connexionem. Cap. VII.

CAeterùm ſi ſtellę futura portendunt, quemadmodũ & alia multa futurorũ ſigna obſeruare ſolemus: quidnam hæc omnia facit? & qua ratione ordo ſeruatur? Niſi enim certo quodam ordine procederent, ſingula ſignificari non poſſent. Sin igitur tanquam literæ in cælo, quæ vel ſcribantur aſsiduè, vel iã con
F ſcriptæ perpetuò explicentur, aliud quiddam opus efficiẽtes: vnde ſignificatio rerũ ab ipſis facta ſequatur. Quemadmodũ in vno viuẽte ab vno principio, ab alio mẽbro aliud iudicare quis poteſt? Etenim mores quoq; quis poteſt cõijcere, vel oculos, vel aliam corporis partes ritè conſiderans? pericula qninetiã deuiationesq; periculorum. Partes quidem hæc noſtri ſunt corporis, partes quoq; mundi nos ſumus. Alijs igitur alia ſeruiunt. Plena verò omnia ſunt ſignorum, & ſapiens aliquis aliud argumentatur ex alio. Multa quinetiã quotidie conſueta nota ſunt omnibus. Quisnám igitur omnium eſt mutuus ordo? Sic enim conſẽtaneum eſt in auguriijs ualere præſagium: imò & in cæteris animalibus ex quibus ſingula præſagimus. Oportet igitur cũcta ſimul ordinatas eſſe, deincepsq; pendere. Non ſolùm enim in quolibet eorũ quæ optimè ſunt connexa, vna cõſpiratio viget, verumetiam multò magis & prius in vniuerſo. Vbi neceſſe eſt ex vno principio animal ipſum multiplex vnum fieri, vnum inquam ex omnibus conſtitutũ. Et quemadmodũ in vno quoq; pars quælibet propriũ habet opus, ſic & in vniuerſo ſingula opera ſingula ſortiũtur: multoq; magis ,ppterea quòd hæc non ſolũ psrtes ſunt, ſed tota etiã ſunt atq; maiora. Progreditur igitur vnũ quodq; ab vno principio munus propriũ peragens, alia verò alijs vbiq; conducunt. Nihil enim uſquã ab ipſa totius forma ſeiungitur: aguntq; inuicẽ atq; pa-

tium-

A tiuntur: & accedit ad quodlibet aliquid, quo vel adiuuetur vel offendatur. Procedunt autem non temere, neq; vtcunq; contingit: etenim aliud quiddam ex his efficitur, aliudq; naturaliter deinceps, aliudq; consequitur.

Anima mundi est principium rerum naturalium: Animæ omnes rationales habent arbitrij libertatem. Cap. VIII.

IAm verò & anima dum munus proprium exordiens agit: anima enim cuncta facit habens principij rationem plurimū recta procedit. Quòd si aliorsum adducta præuaricetur, iudicio quodam cursum eorum sequitur quæ efficiuntur in mundo, nisi forte soluatur. Permanet enim iudiciū ipsum semper: quippe cū vniuersum ordine potentiaq; dominantis regatur atq; dirigatur. Seruiūt huic conferuntq; stellæ, ceu partes cęli nō paruæ: tum ad decorā totius formā, tum etiam ad significationis officium: portendunt itaq; omnia quęcunq; in mundo sensibili oriuntur, faciunt verò alia quæcunq; faciunt manifestè. Nos autem animę opera secundum naturam agimus, quādiu in ipsa totius multitudine minimè aberramus & labimur. Aberrantes autē damus iudicio pœnam, videlicet tum ipsum erratū, tum deteriorē quandam sortem nobis in posterum prouenturam. Diuitiæ igitur
B & paupertas externorum concursu contingunt: Virtutes autem & vitia quomodo? Virtutes quidem ob id quod in anima est antiquius atq; præstātius: vitia verò ex commercio quodam animæ ad externa. Sed de his alibi dictum est.

Anima quæ in nobis dependet è cælo subest fato: quæ verò datur nobis à deo libera est à fato, & nos liberare potest. Cap. VIIII.

IN præsentia verò operæpretiū est in memoriā reuocare fusum illum quē apud antiquos Parcæ contorquent, per quem Plato significat quod in mundi circuitu erraticum dicitur vel non erraticum. Hunc apud eum Parcæ ac Necessitas Parcarum mater torquent, & in cuiusq; generatione conuoluunt. Atq; per hunc circuitum reuolutionemq; in generationem prodeunt quæcunq; gignuntur. In Timęo quoq; artifex mundi Deus tradit animæ ipsius principiū: Dij verò qui perferuntur graues necessāriasq; adhibent passiones, iras, libidines, voluptates, dolores, aliamq; animæ speciem, ex qua perturbationes eiusmodi oriuntur. Hæc vticq; Platonis verba stellis nos deuincere videntur, animas videlicet ab illis accipientes: Item nos huc labentes necessitati subijcere. Ab eisdem quoq; mores habere dicit, atq; secundum mores etiam actiones & passiones à passiuo quodam
C habitu procedentes. Quare perquirēdum est, quidnam nos præterea simus, Forte verò reliquum est, quod ipsi re vera sumus: quibus & natura dedit vt passionibus dominari possemus. Etenim præter id quod ob ipsam naturam corporis his malis circūuenti sumus, deus virtutem largitus est à seruitute penitus liberā. Nō enim virtute nobis opus est in tuto quodam statu positis, sed quando absente virtute discrimen in malis imminet. Quamobrem fugere hinc oportet, nosq; ipsos ab his quæ in generatione adiuncta nobis sunt, segregare: dandaq; opera est, ne id ipsum forte simus quod compositum est, corpus videlicet animatum: in quo natura corporis magis præualet, vestigium quoddam animæ nacta, adeo vt vita ipsa communis, corporis sit potissimum. quecunq; enim huius sunt, corporea sunt. Ad alteram verò animam quæ extrinsecus extat, ascensus pertinet ad sublimia, ad pulchrum scilicet atq; diuinum, quibus nihil alicubi dominatur: imò verò animus pro viribus vtitur, quo id ipsum euadat: atq; secundum hoc ipsum viuit quando in seipsum se recipit. Quicunq; verò animæ sic institutę fit expers, iam vi ult in fato. In hoc autem vitæ habitu stellæ homini non solùm significant, verùm etiam ipse fit tanquam pars vniuersi, totiq; cuius ipse pars est, non iniuria seruit.

D Quilibet enim eſt geminus: partim quidem ambo in ſe comprehendes, partim verò ipſe quod eſt exiſtēs. Totus quoq; mūdus partim quidem cōpoſitū quiddam eſt ex corpore ſimul atq; anima quadam corpori mancipata, partim verò ipſa totius anima, quæ non ineſt corpori, imprimit autem veſtigia quædam in eam quæ iacet in corpore: Sol quinetiam atq; cætera ſimiliter duplicia ſunt. Et altera quidem anima quæ pura eſt, prauí aut vilis nihil afferunt, quæ verò ab illis fiunt per vniuerſum, quatenus partes ſunt vniuerſi, videlicet tum quia corpus, tum quia animatum corpus ſunt, tanquam partes quædam prodeunt: interim electione ſtellæ veraq; ipſius anima ad id quod optimum eſt ſpectante. Cō ſequuntur autem ad hoc ipſum cætera: imò verò non tam ad hoc ipſum, quàm ad illa quæ ſunt circa ipſum, quemadmodum ex igne fiunt multa calore paſſim inde diffuſo. & ſiquid ab alia anima in aliam profluit eius cognatam. Moleſta verò ſiue difficilia atq; auerſa propter miſtionem quandam in mundo naſcuntur: mixta enim eſt huius mundi natura: ac ſiquis ſeparabilem eius animam quodammodo ſeiungat ab eo, reſiduum videbit non eſſe magnum. Mundus enim ita demum deus eſt, ſi modò illa ſeparabilis anima in eius ſubſtantia numeretur. Reliquum namq; eſt dæmon, quem Plato magnum dæmonem appellauit: affectus quoq; in eo dæmonici ſunt.

E

Stellæ non faciunt niſi corporea, anima uerò per ſe uenit in fatum atq; fortunā. Cap. X.

QVuòd ſi res ita ſe habet, nunc quoq; cōcedenda ſignificatio eſt. Effectiones autē neq; omnino, neq; totis ipſorū cōcedendę videntur: ſed & quatenus totius paſsiones ſunt, & quatenus reliquū eſt ipſorū. Admittēdum rurſus animā etiā antequā in generationē perueniat, labi ferētē aliquid ex ſeipſa: neq; enim deueniret in corpus, niſi paſsiuū aliquid, et id quidē ingēs haberet. Admittendū fortunas ingrediēti corpus accidere, hoc ipſum videlicet quod ſecundū vniuerſi curſum ingreditur. Admittendū poſtremò mūdi curſum ſic efficere, vt conducat ſimul in opere, & impleat ex ſeipſo quæ ab vniuerſo ſunt peragenda: quippe cum quæ in ipſo vniuerſi ſunt curſu, partium ordinem ſortiantur.

Quæ hic contingunt mala, non mittuntur è cælo mala. Cap. XI.

F NEq; verò latere nos debet quod à cæleſtibus puenit, nō tale prorſus euadere in his quę ſuſcipiūt, quale à ſuperis proficiſcit. Velut ſi ignis in nobis à cæleſti longè degenerās, & affectio propenſa ad diligendum apud nos debilior facta amorē peperit non honeſtum: ſic animoſitas vbi fortè prēter modum accidit ad fortitudinem neceſſarium, excandeſcentiam & furorem procreat vel ſegnitiem. Sic honoris veri honeſtatisq; ſtudium appetitum eorum affert, quæ pulchra & honeſta videntur. Sic mentis defluxus gignit aſtutiam: aſtutia enim mentem æmulatur, quod vult aſſequi non potentem. Hæc itaq; ſingula cum apud ſuperos mala non ſint, apud nos mala contingunt. Quæ enim inde proueniunt, neq; eadem ſunt atq; illa, neq; etiam permanent qualia prouenerunt, corporibus videlicet mixta materiæq; & inuicem.

Res generantur præcipuè à ſeminalibus naturæ rationibus, cæleſtis influxus materiā diſponit. Cap. XII.

PRæterea quæ inde veniunt in vnum congrediuntur: atq; ex hac commiſtione quodlibet genitum contrahit aliquid. vnde & quod eſt, exiſtit, & tale quiddam euadit. Non enim equum facit cæleſtis influxus, ſed dat equo nonnihil: nam & equus ex equo, & homo ex homine generatur: Sol autē ad hanc formationem vt adiutor accedit. Homo verò fit ex ſeminaria homi-

A homnis ratione: ita tamen vt quod externum eſt, vel impediat vel conducat. Prouenit enim ſimiliter filius parenti congruens: ſed & ſæpe in melius, & nonnunquam accidit in deterius, nunquam tamen abducitur ab ipſo ſubiecto. Nõ nunquam materia prævalet potius quàm natura, adeo vt effectus non proueniat abſolutus, quando videlicet à materia ſpecies ſuperatur.

De communi mundi uita & actione: Item quæ uiuunt propria uita actiones proprias habent. Cap. XIII.

OPortet deinceps quãdo alia quidẽ à motu mũdano fiunt, alia verò nequaquam, diſtinguere iam & dijudicare atq; explicare, vnde omnino re vera ſint quælibet. Principium igitur erit eiuſmodi: Anima totum id ratione gubernat, quemadmodum in quolibet animal ipſum vitæ principium à quo ſingula viuentis membra formantur, & ad totum cuius partes ſunt, ordinantur: in toto quidem ſunt omnia, in partibus autem tantũ duntaxat, quantũ eſt vnũquodq;. Quę verò accedunt extrinſecus partim quidem naturali appetitui aduerſantur partim verò conſentanea ſunt: ipſi tamẽ toti cuncta tanquã ipſius membra vndiq; concinunt, naturam quidem nacta quam poſsident, ſimulq; implentia im-
B petu proprio totam vniuerſi vitam. Quæ igitur inanimata ſunt in mundo, omnino aliorum ſunt inſtrumenta, & quaſi ab extrinſeco impelluntur ad actionẽ. Quæ verò animata ſunt, ſi ratione carent, motum indeterminatum habent: quemadmodum equi trahentes currum priuſquam auriga præſcribat eis curſum, quippe cum quaſi flagello quodam agantur. Rationalis autem animantis natura ex ſeipſa aurigam habet: quòd ſi hunc peritum habeat, plurimùm fertur in rectum, neq; vt fieri ſolet caſu vagatur. Vtraq; verò ſunt intra mundum, ad totũq; conducũt: & quæ inter hæc maiora ſunt graduq; præſtantiora, multa magnaq; faciunt, ad ipſamq; totius vitam vndiq; conferunt, ordinem agendi potius quã patiendi ſortita: multa verò in patiendo verſantur exiguam vim habentia ad agendum. Horum verò media patiuntur quidem ab alijs, agunt autem frequenter in alia, vt pote quæ agendi & faciendi principium habeant in ſeipſis. Quamobrem totus mundus vita fit vniuerſa atq; perfecta, dum quæ optima ſunt agunt & optima, quatenus eſt in quolibet optimum. Quod quidem ipſi totius duci quaſi collega eſt adhibendum, ceu cõmilitones exercitus duci, quí á Platone dicuntur ſequi Iouem in naturã intelligibilem incedentem. At verò que in
C inferiori naturæ gradu ſunt conſtituta, ſecundum vniuerſi locum obtinent, taliaq; fermè ſunt, quales in nobis ſecundæ ſunt animæ vires: cætera quoq; ſimiliter perinde ſe habent atq; partes in nobis vltimæ. neq; enim in nobis omnia æqualia ſunt. viuentia igitur omnia ſunt, vel fiunt ſecundum totam vniuerſi rationem, & quæ in cælo ſunt omnia, & quæcunq; per totum diſtribuũtur. Neq; pars vlla etiam ingens potentiam habet, vel ad rationes mundi ſeminarias ex ſuo ordine deturbandas, vel ad res quæ ſecundum eiuſmodi rationes proficiſcuntur è ſua ſpecie permutandas. Et quamuis mutationem quandam tum in melius, tum in peius poſsit afferre, non tamen à natura propria extrudere poteſt. Facit verò deterius, vel ſecundum corpus debilitatem inferens, vel ſecundum animam, quatenus videlicet ex accidenti quodam prauitatis cauſa fit in anima illa compatiente, & à ſuperiori tradita inferiori, vel quando corpore malè compoſito impedimentum affertur ad actionem animæ per corpus explendam, ceu ſi lyra non ita compoſita temperataq; ſit, vt queat perfectam ſuſcipere harmoniam ad muſicos tonos perficiendos.

D *Assignat causas rerum humanarum præter stellas, etiam ubi significantur à stellis* Cap. XIIII.

DE paupertate verò atq; diuitijs & gloria & imperio, quid nam dicendũ? Fortè si diuitiæ à parentibus prouenerunt, cælestia diuitem futurũ significarunt: quemadmodum & generosum qui ex genere trahit gloriã, duntaxat declarauerunt. Vbi autẽ diuitiæ virtutis præstantia comparatæ sunt, si corpus ad idem uires suppeditauit, profectò qui vires corpori præbuerũt, ad diuitias conferunt cumulandas. Parentes quidem primũ: deinde siqua regio cælum habet propitiũ: accedit & salubris terræ fertilitas. Sin autẽ virtus absq; beneficio corporis pecunias auxit, virtuti hac in re soli plurimũm tribuendũ, & quotcunq; diuina quadã sorte ex his quæ vicissim commutantur, rependunturq; contigere. Vbi verò homines dedere diuitias siquidem boni sint, ad virtutẽ quoq; similiter harum causa referenda. Si verò praui, sed tamen iustè dederunt, existimandum est ex quodam, quod in eis agit optimo, id beneficij prouenisse. At si malus sit qui diuitias congregauit, iudicandum est præcipuam esse causam prauitatem, & siqua fuit causa prauitatis. Assumendi præterea sunt similiter in ordine causarum siqui diuitias contulerunt. Proinde si laboribus, sicut in agricul-
E tura contingit bonorũ copia prouenit, in agricultorẽ causa referenda, nec nõ in soli fertilitatẽ cæliq; clementiã. At si thesaurũ reperit, putãdum est aliquid ex vniuerso ad id cõcurrisse: neq; mirũ est si hæc quibusdam significantur indicijs. Omnia enim omnino inuicẽ consecuntur, ideoq; possunt passim significari. Si quis proiecerit diuitias ipsemet causa est: Si subripiãtur, raptor causa est: Si naufragio facta est iactura, multa quæ confluũt causam damni dederũt. Gloria vel iustè habet, vel iniustè: si iuste tũ officijs, tũ existimantiũ equitate cõparata est: si iniustè, ex honorãtium iniustitia proficiscitur. eadem est de imperio ratio: Aut enim honestè possidetur, aut contrà. Et alterum quidem ex eorum qui elegerũt æquitate, causam habet, vel ad eum pertinet qui id aliorum concursu amicorumq; fauore est consecutus, vel quomodocunq; aliter id se habeat. Matrimonium procreat, vel electio, vel contingentia, concursusq; ex omnibus. Generatio filiorum hæc sequitur, atq; vel secundum seminariam rationem fœtus nullo impediente formatur, vel euadit deterior aliquo intus impediente, vel concipientis vitio, vel continentis dispositione conceptui huic aduersante.

Anima priusquam subeat fatum appetit corpus: Quid fatum, quid fortuna. Anima proprium habet esse quo etiam in fato habet propriam actionem & potest à fato se soluere. Cap. XV.

P PLato cum ante mundani fusi circuitum sortes quasdam electionesq; simul adiuuantes in medium adduxisset, deinceps vires sortesue in ipso fuso descripsit, quibus quæ electa fuerant consumentur: quandoquidem & dæmõ ad eadem implenda cõfirmator accedit. Sortes verò quę nam sunt? Fortè per Sortes significatur dispositio vniuersi, qualis tũc erat, quando animæ aggressæ sunt ingredi corpus. Item significatur in hoc & eiusmodi corpus ingredi, & sub talibus quibusdam parẽtibus. Præterea in tali quadam regione nasci, quodue summatim dicebam, concursio externorum: cuncta verò simul facta, & quasi conuoluta per vnam Parcarum Cloto nominatam tam in cũctis, quàm in singulis demonstrantur. Lachesis autem Sortes ipsas adducit in medium: Postremò Atropos efficit necessariò, vt concurrentia hæc omnia peragantur. Inter homines autem alij quidem ita fiunt, vt quasi ab vniuerso externisq; fascinati, vel in paucis, vel in nonnullis sint sui iuris. Alij verò dominantur externis, attollentesq; ad sublimia caput, nimirum id quod optimum est in anima antiquitatẽq; ipsius essentiæ seruãt. Non enim existimandũ est animã esse talẽ, vt ipsa dũtaxat qualemcunq; ab externis acceperit passionem, talem reportet naturam, perinde ac si naturã propriam non possideat: sed oportet ipsam multò prius quã alia,

vt pot

A vt pote quę principij habeat rationẽ, multas meritò vires proprias ad naturales actiones explendas habere. Fieri namq; non poteſt, vt cum eſſentia ſit, non poſ ſideat inſuper vnà cum eſſe appetitiones & actiones, facultatemq; ad bene viuendum. Quod igitur coniunctum eſt, ex ipſo naturæ coniuncto dependet, ta leq; euadit, & tales nanciſcitur actiones. Anima verò ſiqua ſeiungitur, ſeiuncta nimirum & propria peragit, paſſionesq; corporis non eſſe ſuas exiſtimat: quippe cum iam aliud quiddam ſe exiſtere, aliud eſſe viuum corpus animaduertat.

Vtrum anima mundi, dum omnia ſeminalibus generat rationibus, interim imaginatione per ſingula diſtrahatur. Cap. XVI.

CAeterum quidnam ſit miſtum, quidue non, quid item ſeparabile, & quid inſeparabile, quando ſit in corpore, & omnino quid animal, quęrendum eſt nobis deinceps exordium alterum facientibus. Non enim omnes idem hac de re ſenſerunt. In præſentia igitur repetamus quod in ſuperioribus quærebamus: quemadmodum videlicet anima per ſeminariam rationem omnia gubernante ordo rerum progrediatur. Nũquid ergo ſingula quaſi recta quadam ſucceſsione anima facit ſcilicet hominem, deinde equum, aliudq; animal, ferasq; omnes? Prius autem ignem, atq; terrã, deinde concurrentia hæc omnia videns,
B inuicemq; vel interimentia, vel adiuuãtia, complicationẽ ex his omnibus factã ſummatimq; accidentia ſolùm conſpicit. Quæ verò deinceps his ſigillatim contingere cõſueuerũt, nequaquã animaduertit vel agit, ſed duntaxat animalia rurſus priora regenerat: & quæ genita ſunt, paſſionibus mutuò inter ſe inferendis ſubiecta relinquit. An dicemus animã effectuũ etiã ita prouenientiũ cauſam eſſe, propterea quòd quæ ab ipſa gignuntur agũt, & quæ ſecuntur? Nũ fortè ſeminalis animæ ratio in ſe etiã cõtinet hoc tale quiddam, ſigillatim talia quædam facere, & talia pati? Atq; ita neq; temere, neq; ex cõtingenti horũ aliquid accidit, ſed ita neceſſariò prouenit. Quod ſi ita eſt, nũ rationes ipſæ hæc agunt? Vel potius rationes non tanquã agẽtes ſunt, ſed veluti cognoſcentes. Imò verò anima eiuſmodi rationes continẽs genitales, cognoſcit quæcunq; ex omnibus operibus ſuis proficiſcuntur? Eiſdẽ namq; concidentibus atq; circunſtantibus, eoſdẽ omnino effectus fieri cõſentaneũ eſt. Quæ quidẽ cõprehendens aut præuidẽs anima, in his illa etiã quæ ſequuntur determinat atq; cõnectit. Præcedentia igitur & ſequẽtia prorſus animaduertit & curat, rurſusq; in illis etiã quæ deinceps præcedenria & quæ ſequẽtia, quaſi ex præſentibus contuetur: vnde forſan deteriora fiunt cõtinuè quæ ſequũtur: ceu homines alij quondã, nunc autẽ alij, dum
C interea perpetua quadã diſtantiæ degenerationisq; neceſsitate rationes paſsionibus materiæ cedunt. An igitur contuetur alia ſemper & alia ſubſequiturq; aſſiduè ſingulas ſuorũ operũ paſsiones, ac talem agit vitam? Neq; vnquã ab inſtãti ſingulorũ operũ ſuorũ cura fit libera, neq; imponit præſcriptũ operi ſuo finẽ, vt pote quæ nõ ſemel excogitauerit qua ratione opificiũ ſuũ ſemper rectè ꝓgrediatur: ſed ſimilis ſit agricultori, qui nõ ſolùm ſerit & plãtat, ſed aſsiduè corrigit & inſtaurat quæ hyemales ymbres, vel frigora, vel vẽtorũ turbines deuaſtarũt. Verùm ſi hæc abſurda ſunt, fortè dicendum erit, hæc iam eſſe præſcita, aut etiã in rationibus deſtinata, interitus videlicet & effectus vitio procedentes. At verò ſi res ita ſe habeat, dicturi ſumus, & rationibus ipſis etiã vitia prouenire, & ſi in artibus artiumq; rationibus nullus eſt error, neq; quicquã artis expers, neq; rei artificioſæ deſtructio. Reſpondebit ad hæc aliquis, nihil vniuerſo malum ac præter naturã accidere, ſed quod videtur deterius, etiã fore melius cõcedendũ. Quid ergo? ſi etiam quod deterius eſt vniuerſo conducat, neq; oporteat omnia eſſe pulchra? Quandoquidem cõtraria etiã ad perficiẽdũ cõferũt vniuerſum, neque abſq; his mundus eſſe poteſt: ſiquidem & in ſingulis viuẽtibus natura ſe ſimiliter habet. Profectò quæ meliora ſũt, ratio ipſa neceſſariò adducit & format:

D quæ verò minus bona, ſecundum potentiam quandam iacent in rationibus: ſecundum verò actū in his quæ gignuntur. Itaq; animæ nihil iã opus eſt vltra facere, rationesúe ſuſcitare: quippe cū materia iam concuſsione quadam rationum à præcedentibus venientium, quæ penes ipſam ſunt, reddat deteriora: rurſusq; nihilominus ad meliora concipienda rationibus ſuperetur. Quapropter vnus ex cunctis decor efficitur, dum ſingula aliter ex materia ipſa reſultant, aliter in rationibus ipſis continentur & fiunt.

Vtrum ſeminales rationes ſint intelligentiæ, uel quælibet notiones. Cap. XVII.

QVærendū verò vtrum ſeminales hæ rationes quæ animæ inſunt intelligẽtiæ ſint. At enim quónã modo per intelligẽtias faciet? Ratio enim in materia facit: & quod naturaliter efficit, neq; intellectio eſt, neq; viſio, ſed vis quædam materiæ agitatrix haud ſanè cognoſcens, ſed agens tantū velut formã figuramq; in aqua: quemadmodum ex circulo quodam aliunde facto redundat circulus alter: quippe cū naturalis potentiæ atq; genitalis officium ſit efficere, ſi modò præ-
E cipua poteſtas animæ ad id conducat, quatenus materialem genitalemq; animã mouet & format. Sed nūquid mouet & format quadam rationis diſcurſione? At ſi rationali diſcurſu id egerit, iam referetur. Nunquid ergo in aliud quiddam? an potius in ea quæ ſunt in ipſa? Verùm ſi in ea quæ inſunt, nihil opus eſt rationis diſcurſione. Non enim hæc mouendo formabit, ſed quod in ipſa cõtinet rationes: id namq; potẽtius eſt atq; ad agendum in anima efficacius: quamobrẽ ſecundum ſpecies efficit. Oportet igitur & animã ipſam ab intellectu accipientẽ ſpecies tradere. Intellectus enim eas animæ vniuerſi largit: anima verò intellectui proxima ex ſe tradit animæ, quæ poſt ipſam ſequitur illuſtrãs eam atq; formans. Hæc autẽ tanquã ſuperioris ordine ducta ſpecies facit: facit autem alias quidem expedita, alias impedita, atq; iccirco deteriores. Cùm igitur potentiam ſuſceperit ad agendum, rationibusq; non primis imbuta ſit, nõ ſolùm quatenus acceperat agit, ſed ſit etiã ex ipſa nonnihil, idq; ꝓculdubio fit deterius. Et viuẽs quidẽ, viuẽs autẽ iã imperfectius ſuamq; vitã grauiter ferẽs, quaſi ſit deterrimũ, & difficile, & agreſte: cõpoſitumq; ex deteriori materia quaſi fece quadam præcedentium ſubſidente. Quæ quidẽ amara eſt, facitq; amara: & talia quædam ipſa quoq; inferet vniuerſo.

F *Vnde mala, & quæ ſint cauſæ uniuerſi, & quomodo.* Cap. XVIII.

NVnquid ergo mala quæ in mundo fiunt, neceſſariò fiunt, ꝓpterea quòd præcedentia conſequũtur? Fortè etiã quia niſi hæc eſſent, impefectũ foret & totũ. Plurima nãq; malorũ vel cuncta potius, quandã toti præſtant vtilitatẽ: quẽadmodũ venenola, quãuis plurimorũ vſus & ratio lateat. Iã verò prauitatẽ quoq; ipſam multa cõſtat vtilia cõtinere, multaq; reddere pulchra pulchritudinis artificio ſæpe more. Suſcitat ſæpe homines ad prudentiã, neq; ſecuriori licẽtia torpere permittit. Si hęc igitur rectè dicta ſunt, animã totius oportet aſsiduè optima cõtẽplari, ad naturã intelligibilem deumq; ſurgentẽ. Cumq; ipſa impleatur plenaq; iã ſit, exũdare deinceps in ſimulachrũ ſuũ atq; poſtremũ: idq; infimum quendã eſſe factorem. Quamobrẽ hic iam effector eſt vltimus: huic verò præſidet quod primò in anima impletur ab intellectu. Cunctis denicq; præſidet intellectus artifex vniuerſi, qui ſanè & animæ ſibi proximæ formas infundit, quarum veſtigia imprimũtur in tertia. Meritò igitur mũdus hic appellatur imago, quę ſemper in aſsimilatione verſatur. Conſiſtit vtiq; primum atq; ſecundum: conſiſtit quoq; tertium, ſed in materia: ideoq; tanquam ex accidente ſit mobile. Quamdiu enim intellectus eſt atq; anima, tandiu in hoc animæ ſimulachrum ſeminales effluunt rationes: Quemadmodum quamdiu ſol ipſe viget, omnia ab eo lumina profluunt.

A

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE MATERIA.

SVMMA LIBRI.

QVONIAM Plotinus neq; formoſius, neq; clarius, neq; diſtinctius uſquam loquitur, quàm ubi de informi, & obſcuro, & indiſtincto rerum ſubiecto diſputat: iccirco liber hic de materia diſputans, non tam commentaria exacturus uidetur à nobis, quàm admonitionibus quibuſdam fore contentus. Probabit igitur in utroq; mundo tam intellectuali, quàm corporeo ſuam quandam eſſe materiam, & utrobiq; ſub omnibus unam: atq; hanc tantum ab illa diſtare, quantum forma differt hic mundus ab illo. Confutabit opiniones de materia falſas: confirmabit diligentiſſimè ueras: concludet materiam quidem utrobiq; eſſe infinitatem quandam, ideſt, naturam ſiue potentiam nullum formæ terminum ſuis uiſceribus includentem, ſed aliunde duntaxat terminabilem, aliunde formabilem: materiã rurſus in mundo diuino eſſe ens quidem, ſed actu intellectuali formabile. materiam uerò in mundo ſenſibili nõ re uera ens iudicari, ſed entis illius umbram, formis naturalibus tanquam illius entis imaginibus capiendis perpetuò ſubditam.

Diuerſæ opiniones philoſophorum de materia, & quòd materia quædam ſit etiam in rebus incorporeis. Cap. I.

B

IN Primo capite deſcriptionem materiæ ponit ualde communẽ, per relationẽ ſcilicet, ad formas: qua omnes materiam eſſe formarum ſuſceptaculum conſenſerunt, ſed aliter alij quæ ſecuntur expedierunt. Stoici, Cinici, Cirenaici, ſupra corpus nihil excogitantes, materiam duntaxat eſſe ſubſtantiam uoluerunt: formas uerò nihil aliud eſſe, præter quaſdam materiæ paſſiones, ipſamq; materiam eſſe corpus trina dimenſione porrectum: quos in primis theologiæ libris latiſſimè confutamus: Pythagorici uerò & Platonici, atque Peripatetici ſupra corpus aliquid cogitantes materiam quoq; cogitare potuerunt eſſe non corpus: ideoq; in rebus etiam incorporeis materiam quandam intellexerunt. Sicut enim formale aliquid ponunt in corporibus atque diuinum, ſic quodammodo concedunt materiale aliquid in diuinis, ut aptius accommodentur hæc illis, & ab eorum ordine exiſtat hic ordo. Excogitamus enim naturam corpoream ab animali natura, animalem ab intellectuali deductam, & ſimili quadam proportione compoſitam: compoſitionem uerò in corporibus perfectiſſimam eſſe compertum habemus, quæ ex materia formaq; conficitur. In hac enim ſola eſt unio maxima: ſiquidem & materia eſt aliquid formæ, & forma uiciſſim aliquid eſt materiæ: imò & materia quaſi forma eſt in potentia, & forma quaſi materia eſt in actu. Itaq; ſimilis hic unio eſt atq; in Diapaſon conſonantia ex dupla proportione naſcente: ubi uox acuta cum graui quaſi forma cum materia coit in unum. Siqua igitur in animali & intellectuali natura compoſitio eſt, quæ certè eſt, cum poſt unum ipſum exiſtant, certè compoſitio eſt eiuſmodi, in qua ſit & forma, & inſuper aliquid
C quaſi materia. Qua quidem de re in decimo ſeptimo theologiæ libro, & in commentarijs in Philebum latius diſputamus.

Quod non ſint principia plura æquè prima, & quòd materia ſit à deo. Cap. II.

IN ſecundo capite quærit utrum ulla ſit materia in intellectuali natura: & quinq; rationes adducit, quibus ibi non eſſe materia uideatur, quas in ſequentibus confutabit. Tu uerò inter hæc notabis eſſe non poſſe principia plura omnium æquè ſumma. id nos quantum communiter ad principia pertinet ſatis in theologia monſtramus. Quantum uerò ad deum pertinet & materiam, quòd æquè principia eſſe non poſſint, hic attende. Atticus eiusq; ſectatores, & quodammodo etiam Plutarchus materiam poſuerunt non aliter ex ſe ipſa ab æterno fuiſſe, atq; artificem mundi deum, & illam quidem uiuam, ſed uacuam ratione, ideoq; per ſe inordinatè iactatam: demum uerò rationem diuinitus accepiſſe, unde formari, mouerique cœpit ratione, mundumq; ſic fuiſſe aliquando conſtitutum: qui & antea fuerit ante quàm redigeretur in chaos, ac uiciſſim in chaos ſit aliquando rediturus, à deo quondam reformatus, & à deo iterum reformandus. Hi ſanè in hanc ſententiam inciderũt, quia uerba Platonis in Timæo atque Politico, non aliter quàm auribus ſonant accepiſſe uidentur. Hos abundè Porphyrius confutat in Timæo: ſed è multis quæ adducit in medium tria duntaxat argumenta in præſentia referenda ſunt, quibus confutatur materiam inſtar dei ex ſe prorſus exiſtere: quaſi duo hæc æqua omnium principia ſint, uelut è regione ſibi inuicem occurrentia. Sic igitur ait:

D Si neq; Deus ex materia, neq; materia exiſtit ex Deo, ſed ambo æquè principia ſunt: quærimus quæ nam ius differentiæ cauſa ſit qua ita differunt, ut Deus quidē ſit bonus & agens, materia uerò mala ſit atq; patiens. Cauſa quidem differentie huius, neq; ex alterutro eſt ad alterum, cùm neutrum fieri dicatur ab altero: neq; rurſum ex tertio quopiam ad utrunq;: quippe cùm nihil ſuperius collocetur. Cùm igitur differant quidem inter ſe omnino, nec ulla ſit ratio & cauſa differentiæ, caſu differunt: concurſuſq; principiorum talium irrationali ſorte contingit. Caſu certē accidit eſſe duo, caſu accidit eſſe principia. Horum nanq; concurſus ad hoc ipſum quod æquè principia ſint, cauſam non habet, uel ex alterutro ad alterum, uel ex tertio quodam determinatam, ergo caſu concurrunt: itaque poſt hæc concurrent omnia caſu. Præterea, ſi Deus aptus eſt ad materiā exornandam, materia uerò apta ut exorneť à Deo: quærimus unde nam eis hæc mutua ſit aptitudo? Oportet enim eſſe aliquid quod inter ſe ritè conciliet: nam cùm hæc ualdè inter ſe diſcrepantia & oppoſita ſint, nunquam ex ſeipſis ad cōgreſſum apta reddentur. Non à tertio quidem dices conciliari: ne ego fortunam admitto conciliatricem. Deniq; cùm materia non ſit ex ſeipſa ad bene eſſe ſufficiens, ſed ad hoc Deo prorſus indigeat, Deus autem & ad eſſe & ad bene eſſe ſibi ipſi ſufficiat: quis non uideat Deum ſuperiorem eſſe materiā, ipſamq; materiā ſibimet adeſſe nullo modo ſuppetere? Alioquin ad bene eſſe ſibi quoque ſuppeteret? Igitur ab eodem effici Deo à quo perfici non negatur.

Quomodo Deus ſit infinitus: & quomodo ſit in rebus omnibus poſt Deum infinitudo quædam, quaſi materia: & quomodo diuerſa ſit compoſitio in rebus incorporeis atque corporeis. Cap. III.

E RAtiones uerò negantes in mundo incorporeo eſſe materiam, ſoluit in capite tertio. Ipſum bonum ſæpè dicitur infinitū: quia neq; ex partibus cōſtituitur, quarum alia terminetur in aliam, neq; deſuper ſuperatur, neq; ſubiecti alicuius limitibus cohercetur, neq; terminum poteſtatis admittit: unde neq; patitur perſeuerantiæ terminum. Dicitur & infinita materia, non quidem uelut ſuperans terminos ſicut Deus, ſed tanquā terminis indigens, eosq; ab alio poſtulans. Rurſum bonum ipſum dici ſolet informe, quia forma ſuperius, informis quoq; materia, quia forma deterior, neq; tamen omnino nihilum: ſi quidem ordo formarum ſicut ſupernè non in nihilum deſinit, ſed in actum omnino purum effectoremq; formarum: ſic ex infimo deſinit proximè non in nihilum, ſed in potentiam ſimiliter puram capacemq; formarum. Potentiam eiuſmodi ſubeſſe cogitamus non in mundo corporeo tantùm formis corporum, ſed in mundo etiam incorporeo formis ibi ſubditam incorporeis. Hanc ibi per ſe appellamus indefinitam, neq; ibi id nomen horremus, cùm & obedientiſſima ſit formatori, & ſemper ex toto formata. Sic affectionem irrationalis animæ laudare ſolemus, quando rationali ſe præbet ritè formandam. Laudamus & rationalem, quando ſimiliter mente formatur. Compoſitio quoq; aliter ibi atq; apud nos eſſe cenſetur. Hic forma ſæpius materialis efficitur, ibi uerò contrà ſemper materia ſit formalis. Præterea compoſitionem illam ibi meritò damnaremus, in
F qua ex partibus forma quædam poſt partes exoriretur: ſicut plurimùm in corporibus fieri conſueuit. Quod autem ibi ſint plura quæ nō tam faciant unum q̄ ſequantur unū, damnare non decet. Materia quidē illic & forma non tertiā rem efficiunt, neq; forma ſic propriè ad materiā comparatur, ſicut habitus ad potentiā, uel qualitas ad ſubiectū: ſed ſicut actus ad habitū, & actio rurſus ad qualitatem. Ideæ illic non cōſtituunt mentē quaſi partes, ſed actus quidā mentis exiſtūt, in quos ipſa mens prodiit ab æterno. Illic ergo forma non tam accedit materiæ, q̄ ipſamet materia eſt in actum æternè procedens. Proinde ſicut totius forma uiuentis eſt una, in qua plures formæ partiū continentur: ſic & uirtus ſeminalis eſt una totius, ſed in ea uirtutes ſunt plures membrorū multipliciū formatrices. Interea uerò aliter corpus, aliter ſeminariā uirtus cōpoſita eſt: nā in corpore ex particularib. formis fit forma cōmunis: in uirtute uerò genitali forma totius in formas partiū propagatur. Hic ergo non tam fit unum ex multis, q̄ multa propagātur ex uno: alioquin in corpore multa nunq̄ rationabiliter perducerētur ad unū, niſi in ratione ſeminali unum multa præcederet ſimiliterq; in mente. Qualem ſanè cōpoſitionem neq; in anima, neq; in mente reprobare debemus. Tu hic interim ubi Plotinus de cōpoſitione eiuſmodi loquitur, ſenſum eius ſpecta, nō uerba. Innuit ſuperuim genitalē eſſe mentē, eamq; ſimiliter fermè compoſitā. Cùm enim uis eiuſmodi non tam in ſeipſa concipiat, q̄ in materia pariat, neq; tam in ſe ſit & agat, q̄ in materia & circa materiā, pater, eam circa aliam pendentē, nimirum ab alio quodā ſuperiore, id eſt, intellectu pendere: atq; inde nō ſolū exiſtere ſemel more ſubſtantiæ, ſed more imaginis aſſiduè conſeruari, multiplicēq; formarum rationē ac uim à multiplici illius intelligentia, quamuis quodāmodo mobilem ab immobili mutuari. Concludit deniq;, & locū materiæ tenet in mundo diuino, nunquā formas iccirco mutare, quoniā ſimul habeat omnes: ſimul inquam,

A quam, tum in eodem æui momento, tum in eodem (ut ita dixerim) ſui ſigno. quo factum eſt, ut tota ubiq; ſit omniũ poſſeſsione quieta. Præterea cùm ipſa materia propter extremã inopiam & inexplebilem appetitũ apud nos dicatur mutabilitatis origo, meritò hic talis eſt, ubi formæ materiales euadunt, ibi uerò non talis, ubi materia penitus eſt formalis. Neq; uerò ex eo quòd ſimul tempore materia illic eſt & forma, minus ob hoc ibi ordo eſt (ut ita loquar) originis, quo materia formã antecedere cogitetur. Ordo enim & aliud eſt, quàm tempus, & tempore prius: nam tempus ordinem in motu à priori in poſterius exigit. Poteſt igitur in ſupernis eſſe ordo quidam originalis huius ad illud. uelut materiæ cuiuſdam ad formam: ſicut in ſole ordo ſubſtantiæ ad lucem intimam nullo interueniente tẽporis interuallo. Neq; rurſum quia materia apud nos corporea uideatur, horrere debes apud ſuperos materiæ nomen: nam & in corporibus cùm & formas corporũ & dimenſiones præcedat origine, neque corpus ipſa eſt, neque re uera corporea iudicatur.

In mundo intelligibili eſſe aliquid materiæ ſimile, & de ideis. Cap. IIII.

IN capite quarto probat in mundo intellectuali eſſe nonihil materiæ quodam modo ſimile. Ratum quidem haberi uult illic ideas exiſtere, quod in theologia nos abũdè probamus. Profectò ex eo quod plures in mente ſunt ſpecies, conſtat mentis eſſentiã quæ unius mẽtis eſt una, aliud quiddam præter ideas exiſtere, ideoq; idealibus formis ſubeſſe quaſi materiã. Eſſe uerò differentes inter ſe rationes ibi formales patet, quia inde, id eſt, ex prima forma formarũ origine, formalis in ordine rerũ
B diſtinctio prouenit, non autẽ ex informi materia: nõ rurſum caſu ordinis omnis ex parte: nõ denique ex diuerſis agentibus, niſi uno quodã ducti duce dirigãtur ad unum. In ipſo autẽ duce tanq; uniformi ſimul & omniformi mente rerum omniũ ad neceſſariũ uniuerſi ordinem pertinentiũ & deſtinata unio eſt, & deſcripta diſtinctio. Sed quonã pacto hoc autem alibi dictũ eſt, atq; dicendũ. Nunc animaducrte, Plotinũ ideas uenti non tanquã tabulæ picturas aſcribere, ſed tanquã generi ſpecies adhiere: alioquin nõ tam unio illic, q̃ cõgregatio & aggregatio foret. Vna igitur ibi intellectualis natura eſt, quam intellectualitatẽ (ut ita dixerim) aliquis appellabit, in qua omnes ſpecies, id eſt, ideæ cõueniunt tanquã generali natura. Differũt uerò inter ſe per uarios intellectualitatis, ſiue intelligentiq; modos, nõ tamen (ut ita loquar) notionales, ſed etiã efficaces, ſeminariæ uirtutis inſtar. Formales autẽ eiuſmodi modi differentiæq; uelut formæ quædã particulares accedunt ad naturã ipſam intelligentiæ generalẽ ad ſpecies ideales cõcipiendas. Dialectica uerò quæ genus (ut ita dicã) illud in ſpecies digerit, nõ externa, ſed intima eſt: nõ quæſita, ſed naturalis. Ibi enim quod diſtribuitur, uitalis eſſentia eſt quaſi animal. In quod diſtribuit, ſunt ideæ uelut animalia quædã. Quod uerò diſtribuit, eſt ipſa intelligentiæ uirtus roborata bono, quaſi uirtus concipiendi uiro. Quòd ſi proprietates ibi uariæ, quia diſtinguũt, in actumq; edunt abſoluti ſimũ, quaſi formæ ſunt, certè natura ipſa cõmunis ad has ſicut materia ſeſe habet. Sic itaq; mundus corporeus ſuperioris imago eſt, incorporeũ mundum referens uelut exemplar: ſi multiformis referatur ad multiformẽ, ſi materia hæc referatur ad illã. Sed in hoc partes quidẽ ſunt in toto, non totũ partibus ineſt. Illic autem tota intellectualis illa natura in qualibet continet idea, ſed aliter atq; aliter, ut alibi declarabitur. Tum uerò ſi mundũ illum ſeces in
C partes poſtea inter ſe diſiunctas, eandem habebit materiã quam & noſter. Sectio enim eſt huius noſtræ materiæ paſsio. Sed nota materiã propriè quantam admittere ſectionẽ: neq; materiã, ſi expers ſit quantitatis, admittere: neq; quantitatẽ rurſus id paſſuram, ſi à materia procul fuerit patiente primo. Sic ergo materia quãta ſecatur potius, q̃ quantitas uel materia ſola. Sin autẽ quodlibet eorum quæ illic cõcipiuntur ut multa intra ſe ipſum reliqua cõplectatur, adeò ut totũ ipſum nuſquam uideatur per ſectionem fuiſſe diſiunctũ, materiam quidem hanc noſtram illic eſſe negabis: ſed aliquid interim inuenies illic quaſi materiã, cum multa primo intuitu contemplatus, mox ſub multis inueneris unum. Offert quidem primò ſe tibi ut multiplex atq; multiforme. Prius enim in notitiam formale uenit ut mouens, quamuis ibidem origine quadã ipſum materiale ſit prius. Quo rurſus materiali prius eſt ipſe boni ipſius actus, quo hoc materiale fit actu. Iam uerò cùm eſſe ſimpliciter antecedat eſſe hoc & eſſe tale, meritò prius & ibi conſideratur eſſe, quàm eſſe multiplex atq; formale.

Confirmatio ſuperiorũ de uirtute mentis penetratiua & reſolutiua: quæ ſimilitudo ſit materiæ inferioris ad ſuperiorẽ, & quæ diſsimilitudo, & quomodo conſtituatur ex alteritate & motu. Cap. V.

IN quinto capite ſoluit quę dictis obiici poſſent, ſimulq; dicta confirmat: admonens ne ob hoc neges in ſupernis aliquam eſſe materiam, quòd eſſentia illic ſuas ſemper habeat formas, ſimulq; ſit unũ, quando & apud nos materia ſemper & formata eſt, & cum forma conficit unum. Neque mirũ

D eſt ibi latere materiam,ſi & hic ſemper materia latet.Hanc ibi intellectus excogitat, hanc & hic reſoluendo inuenit intllectus. Profectò intelligentiæ uirtus utpote quæ efficaciſsima eſt,ignis inſtar naturaliter omnia penetrat & reſoluit:& quia ſimiliter ſimpliciſsima,quieſcit nunquam, donec ad ſimpliciſsima reſoluendo peruenerit.Hæc in naturalibus reſoluendis quod ſub rationibus rerũ formalibus tanquam minimè ens latere coniectat,dicit eſſe materiam quaſi profundum:rationem uerò formalem eſſe dicit ſublimitatem : quæ autem circunſtant , quaſi inter ſublime collocat & profundum . Siquando uerò rationes rerum formales omnino ſegregatas à materia uideris , & tamen efficaciam ſuam ad materiam conuertentes , has ipſas in natura uidebis ipſamq; naturam. Si præterea formales eiuſmodi rationes non ſolum ſegregatas,ſed ſuam ad ſe efficaciam conuertentes excogitaueris, mentem protinus contemplaberc. Mens enim diuina eſt uniuerſi ratio exemplaris, & efficax per conuerſionem ad ſe cognoſcens omnia ſimul & faciens . Tum uerò mens quælibet inde nata rationum eſt plena formalium, aſpicitq; formas in rebus formalesq; rationes,uelut quoſdam diuinæ intelligentiæ radios,ſuis quoq; rationibus congruentes. Sicut igitur oculus ſole creatus atq; ſolaris,in ſolari lumine ſolares ubiq; ſpectat colores,quòd ue ſub eis latet appellare admonet tenebroſum:ſic intellectus quilibet diuina mente creatus atq; inde imbutus luminibus idearum ideales ſimilitudines in rationibus rerum formalibus ſemper aucupatur,& libenter agnoſcit:atq; ſub formis uelut quibuſdam intelligentiæ diuinæ luminibus uaticinatur, latere materiam uelut in rebus infimum:& quia per ſe formarum tanquam idealium radiorum expers,ideo tenebro
E ſum. Materiam uerò corporum cum illa incorporei mundi materia non genere quidem conuenire memento,ſed habitudine quadam. Similiter enim utraq; tum ad formas ſuas, tum ad ipſum unum ſe habere uidetur. Vtraq; fermè ſimiliter per formas ſuas definitur in actum:utraq; quaſi ſimiliter refertur ad unum:ſiquidem eodem inde modo dependet ſcilicet per merum proceſsionis modum eueſtigiò ſuper nihilum,per modum indeterminati determinabilisq; cuiuſdam commutant rurſus inter ſe non nihil materia hæc & illa. Sicut enim hæc dona quædam incorporeæ naturæ ſortitur,ſic & illa uiciſsim tum in mente habet ideales corporum rationes,tum in anima præter rationes eiuſmodi ſubit & motiones,& affectus quoſdam,ad materiam hanc uelut paſsiones. Quæ rurſus & hic & ibi formarum locum tenent,ſimiliter fermè & materias ſuas ſpectant & unum. Nam ab uno conuerſionis & aſpectus & termini modo dependent,& materias utrobiq; ſuas terminare uidentur. Differunt uerò formæ mundi huius ab illis:quoniam hæ quidem ab anima proximæ fiunt,illæ ab intellectu,uel Deo. Differt & materia hæc ab illa:quoniam hæc quidem profundum eſt imaginum,illa uerò formarum eſt profundum,quarum hæ uidentur imagines. Sicut igitur forma illic uera res eſt, ſic & materia eſt eſſentia. Sicut hic forma eſt imago formæ, ſic & materia hæc eſſentiæ eſt imago. Atq; tantum abeſt quòd materiam hanc appellet eſſentiam, ut illam quoq; uix audeat eſſentiam appellare,uidelicet ſi ad ſequentem perfectionem eſſentiæ comparetur. Poſt hæc obſeruabis,mundum intelligibilem eſſe quidem ſemper,ſed exiſtere ſemper ex bono,fermè ſicut lux illa coniuncta ſoli, immobiliter eſt ex ſole:mundum uerò ſenſibilem nõ tam eſſe,uel exiſtere,quàm fieri ſemper ex illo,
F ſicut ex ſole mobile,ut aiunt in aere lumen. quę autem ſunt infra lunam,aliquando fieri. Ille itaq; mũdus totam implet æternitatem,hic totum tempus:quæ uerò ſubiiciuntur lunæ,partem temporis explent. Conſideramus in mundo intelligibili eſſentiam ut formabilem ſeipſam præcedere ut formatam, ordine quodam dico non tempore,formam uerò eius eſſe plenitudinem ac ſeriem idearum: conſideramus & illius mundi patrem tanquam unum & tanquam bonum . In unitate , eminentiſsimam ſimplicitatem: in bonitate,fœcunditatem prorſus communicabilem. Ab unitate mirabiliter ab omnibus ſegregata cogitamus pendere quod in mundo intelligibili eſt loco materiæ ſolitarium indefinitumq; adhuc, & à formis ſequentibus ſegregatum : à bonitate uerò quod eſt formale iam atq; exuberanti illius communicatione fœcundum. Penes mundi illius patrem,unitatem & bonitatem ſola relatione diſtinguimus,ſed in mundo illius filio , eſſentiam formabilem ab ideali forma, formasq; inter ſe ideales diſtinguimus ratione formali. In mundo autem ſenſibili ad formalem diſtinctionem deſuper uenientem accedit materialis,& localis, temporalisq; diſtinctio . Materia in hoc illius materiam ſequitur, forma formam. Sed ad illam rurſus materiam redeamus. Poſtquam poſuimus ipſum unum,cogitare ſolemus non nihil inde pendere,quod non ſit ipſum. Hoc ergo & quia pendet inde,non eſt ipſum,& quia non eſt ipſum unum,uiciſsim pendet ex uno. Pendere quidem inde,motio quædam eſſe uidetur: non eſſe uerò ipſum,eſſe uidetur alteritas atq; diuerſitas . Duo igitur hæc ſe inuicem conſequuntur,quamuis ratio non ſit eadem utriuſq;. Non enim ubique quicquid non eſt aliquid,ſtatim pendet ex illo. Tum uerò materia rationem quidem formalem uel idealem nullam habet,ſed duntaxat materialem . Ratio uerò hæc hoc ipſum præcipuè cogitatur ſcilicet pendere inde,nec illud eſſe,atq; è conuerſo. Hanc ob cauſam Pythagorici materiam binarium nomina-

A minabant. Sicut enim binarius eſt primus à numerali unitate proceſſus, ſic ſuperioris mũdi materia prima eſt à diuina unitate proceſsio. Cõſtat etiam quodammodo geminis elementis qualiacunque ſint, ſcilicet dependentia negationeq; ſimul tanquã motione alteritateq; prima: quicquid autẽ his adiunxeris iam eſt formale, idq; materia reportare uidetur per appetitum illuc unde proceſſerat conuertentem: qui ſanè appetitus ternarium iam implere uidetur. Quamuis autem materia per ſe careat efficacia formæ, non tamen conuerſione caret, ſi modò conuerſio ipſa ſit appetitio: quippe cum appetitio egeſtatem ſequatur materiæ propriam. Quod uerò per appetitum hunc acquiritur, implet iam quaternarium, qui propriè ſpectat ad formam. Poſt hunc quinarius ſequitur ad actionem præcipuè pertinens: Senarius ad finem intimum actionis: Septenarius ad externum finem actione ſuperiorem. His certè numeris conſumatur ſuperior mundus, & in agente quieſcit: eiſdem abſoluitur & inferior, & agit in ſuperiore quietem. Sed ne forte dicta te turbent, memento ubi iam eſt ens aliquod actu, conſiderari formalem eius idealemq; rationem qua eſt hoc ipſum quod eſſe cenſetur, priuſquam prout ſit ab alio, uel non ſit aliud. Ipſa uerò materia quia ratione formali idealiq; caret, cogitari prius tanquam aliunde pendens, & tanquam non illud unde pendet, quàm ſub ratione quapiam abſoluta. Nam & hæc ipſius ratio eſt, ipſa uidelicet dependentia ipſaq; negatio, ideoq; omnium uiliſsimum extimatur. Quòd igitur Plotinus ait, materiam motione alteritateq; conflari, quemadmodum diximus, intelligere potes. Potes & aliter intelligere: nẽpe, ex eo quod in re quapiam motus eſt, cognoſcitur conditionem eius nondum determinatam perfectamq; exiſtere: alioquin nihil ultra requireret. Conditio uerò indeterminata &
B imperfecta *propriè* pertinet ad materiam: quinetiam ex eo quod in re aliqua eſt alteritas & diuerſitas, *ſi modò illic* ſit unio uera, eſt aliud quidem loco actus & formæ, aliud uerò loco potentiæ atq; *materiæ: imò* & eſſe alterum quàm illud, eſt non eſſe illud. Hoc ipſum uerò quod dicitur non eſſe illud, tanquam ad negatiuam indeterminatamq; conditionem uergens, pertinet ad materiam.

Probatur in corporibus eſſe materiam. Cap. VI.

CAput ſextum argumentis quatuor oſtendit in corporibus eſſe materiam. Primum ex commutatione elementorum mutua, quæ nec ex nihilo facit aliquid, neq; quicquam deducit in nihilum, ideoq; neceſſe eſt utrinq; materiam formarum mutationi ſubeſſe: Secundum ex quadam diſſolutione compoſiti: Tertium ex reſolutione ad extremum uſq; redacta: Quartum idem ex elementorum natura confirmat. Profectò cum ex aqua fit aer, formæ quædam ibi mutantur: neq; totũ quicquid erat in aqua perit, ne aliquid deducatur in nihilum, cum naturæ intentio non ſit ad malũ, neue alioquin cogatur aer ex nihilo fieri. Cùm enim non quodlibet fiat ex quolibet, multò minus aliquid naturaliter fit ex nihilo. Reſtat igitur aquæ aliquid, quod aquæ formam exuens, uiciſsim aëris induat formam, ſitq; continuæ motioni ſubiectum, quam neq; quod abit, neq; quod accedit, ſub ſtinere poteſt, & tamen mutatio tanquã accidens debiliſsimum indiget fundamẽto. Verùm ne neges naturalibus formis ſubeſſe materiam, memento formam cum ſit principium actionis, actum quendam meritò iudicari: actum uerò qua ratione actus, cum propriè agat pati non poſſe. Cùm igitur
C naturalia inuicem patiantur, conſtat præter formas quibus agunt materiam, ideſt, eſſentialem potẽtiam qua patiantur habere, & hanc ſubeſſe omnibus unam, ut facilius compatiantur inuicem, atq; commutentur. Sed hæc quidem nos ſimili quadam uia in Theologiæ quinto probamus, & noua hic ratione ſic iterum confirmamus. Corpus ſicut apud Mathematicos in terminos quaſi externos *definit*, ſcilicet in ſuperficies duas, alteram profunditatis, alteram altitudinis, quę neq; corpora ſunt, & aliud certè ſunt quàm nihilum: ſic apud Phyſicos in terminos finitur internos, qui neq; corpora ſunt, neq; etiam nihilum ſcilicet, ex alto in formam, ex in ſimo in materiam. Decet enim entium ordinem in deſcenſu antequam deſinere cogitetur ad nihilum, quod extremum uidetur externum, finiri in terminum quendam ſibi coniunctum. Id autem eſt non actus aliquis entium: nam infra quemlibet actum ſubeſt quod fieri & quod pati poſsit ab actu. Eſt igitur extremum hoc potentia capax actuum atq; *patiens*. Potentia uerò ad entia, uel ad eorum actus non quidem omnino nihilum, ſed entium *potius infimum* iudicatur. Infimum hoc uelut indefinitum, terminoſq; ab alio expetens, refert mundi ſuperioris infinitatem atq; materiam. Infinitatem etiam inquolibet intellectu, infinitatem rurſus in anima mundi & in ipſa natura: quam teſte Iamblicho, materialem ubique infinitatem Aegyptij ſapientes ipſam (ut eius uerbis utar) eſſentialitatem nominant, per quam ipſum unum materiam producit in corpore. atq; ut concedit & Proculus ad hoc ipſum etiam agente natura, quod & alibi declarauimus. Deniq; cum ad ideales rationes referri per ſe non poſsint niſi formalia, idcirco *materiæ* non ſit idea, conſtat eam mundano operi neceſſariam ab aliquo ſaltem ſuper ideas & opi-

D ficem idealem principio originem primam ducere, ab ipſa ſcilicet eſſentia eiuſdem opificis, quatenus ordine quodam ideas & proprietatem opificiam antecedit, ac tandem ab ipſo ſuper eſſentiam uno, quatenus ſimpliciſsimum eſt & mirabiliter ab omnibus ſegregatum. Sed & hoc ipſum unũ nõ modò per eſſentiam adhuc formabilem in opifice, ſed etiam per formabilem eſſentiam in mundi anima, & natura per continuatam ſeriem producere materiam iudicatur: materiam inquam, uelut unum inferius non ſolùm illis quæ ſunt, ſed his etiam quæ gignuntur, ſicut & ipſum unum eſt utriſq; ſuperius. Sic in Parmenide quæcunq; de ipſo ſimpliciter uno propter excellentiam eius rite negantur, de uno interim quod eſt in his quæ uerè ſunt per formalem affirmantur proprietatem, & interea de uno quod eſt in his quæ gignuntur partim ſecundum formam, partim ſecundum participationem affirmari uidentur. Sed eadem rurſus de materiali uno omnium infimo tanquam per oppoſitum reſpondenti primo, ob defectum negantur extremum: adeo ut nihil reperiri queat (ut ita dicam) primo ſimilius uni, quàm poſtremum hoc unum: ſi modò per diſſimilitudinem cogitetur aſsimilatio, & per negationẽ cõparatio fiat, infinitusq; defectus ad infinitũ referatur exceſſum.

Opiniones falſæ de materia confutantur. Cap VII.

OPiniones quatuor de materia falſas in ſeptimo capite reprobat: Primò quidem Empedoclis, materiam & compoſitionis primam & reſolutionis ultimam putantis quatuor elemen
E ta. Quod ideo falſum eſt, quoniam elementum diſſoluitur, materia uerò nequaquam: quod ſatis in Theologię quinto probamus. Secunda uerò quę Anaxagoræ ſolet adſcribi. Ferunt enim nonnulli (ſi credere fas eſt) Anaxagoram poſuiſſe duo principia rerum, intellectum ſcilicet, & materiam, quæ neq; ab intellectu ſit, neq; ab eo nouas accipiat formas, ſed ipſa in ſe cunctas habeat, ſed confuſas: diſcernantur autem per intellectum: uerùm in miſtura eiuſmodi formæ omnes imperfectæ ſunt & inuicem impeditæ. Eſt & imperfecta materia, quæ ſua expedire non ualet. Cum igitur eſſentia hæc imperfecta ſit, ideoq; nec per ſe, ſed per participationem quandam habeat eſſe, ſequitur ſuper hanc eſſentiam eſſe perfectam, neq; ſimili conditione confuſam, ne rurſum ſuperiori quodam indigere cogatur. Iam uerò hæc intellectualis opificis eſſentia eſt ſuperior, quàm materia, ut dominari materiæ poſsit, ac dominãdo perfectè formare. Multò uerò imperioſius, & facilius & exactius mouebit materiã, artificioſiusq; formabit, ſi formas ipſe in ſe præſcriptas habeat, & imprimat in materiã per ſe prorſus informẽ. ideoq; ad omnia mira facilitate cedentẽ, quàm ſi informis ipſe caſu materiã tractet, & indiſcernendis confuſis quaſi quadam ſorte laboret. Confutat poſt hæc Anaximenis, uel Anaximandri (ut fertur) opinionẽ, eſſe dicẽtis materiã infinitum. Si infinitũ hoc appellant quod ne queat pertranſiri: aut hoc primò & per ſe & in ſe infinitum erit, ideſt, ipſa formalis infinitudo: aut quaſi accidens erit in alio. Non primo utiq; modo, quod enim ſic eſt infinitum, ex toto eſt ſigillatim pariter infinitum: atq; ita in corpore non eſſet totum parte maius, neq; pars à parte differens uel à toto. Non etiam ſecundo modo: ſic enim illud cui accidit infinitum, per ſe ante hunc acceſſum non foret immenſum: itaq; non caperet infinitum. Et quicquid ſit, non eſt materia id quod accidit, quo-
F niam eſt in alio. Non rurſus materia eſt illud cui id accidit, ſi non ſit infinitum ex opinione iam poſita: neq; totũ hoc compoſitum eſt prima materia, quia non ſimplex, ſed in prius aliquid reſolubile. Tum uerò refellit Democritum ponentem pro materia rerum atomos, ideſt, corpuſcula quædam indiuidua prorſusq; diſiuncta. Sed neq; corpus aliquod indiuiduum eſt, neq; ex indiuiduorum numero magnitudo concreſcit: neq; ex diſcretis uiſcoq; carentibus continuitas humoriq; corporum coaleſcit: neq; ex uita carentibus uita creatur: neq; ex caſu fit ordo perpetuus ad intelligentiam pertinẽs atq; artem: neq; ars, uel naturalis uel quæſita ex materijs continuitatem naturaliter fugientibus aliquid unquam conficere poteſt.

Materia non eſt quantitas, nec habet propriam quantitatem. Item quòd ratio formalis trahit ſecum quantitatem certam, non è conuerſo. Cap. VIII.

DE hac ipſa materia quæ mundi unius eſt una, eſt & continua, ideſt, ubiq; per ſe tota, neq; ſimilis atomis diſgregatis: eſt & formarum omnium expers, inquirit quid non ſit præcipuè: ut ſi quid modò ſit, ita demum quid ſit potiſsimùm cognoſcatur. Principio non eſt corpus, ſi caret forma: ſi corpus, reſoluitur in materiam: ſi materia, prorſus eadem quaſi corpora penetrat, non habere hanc ſi modò prima materia eſt, neq; materia quædam, ſed ſimpliciter proprias qualitates, & ego ſatis alibi, & Plotinus hic perſpicuè tractat. Denique quantò agens ipſum prius eſt, tantò ei ſubeſt & materia prior: ſicut naturæ quæ prior eſt arte, ſubijcitur materia prior.

Artifici

A Artifici ergo diuino tanquàm primo ſubditur materia prima: ergo prorſus informis, ſicut ille eſt omniformis. Quoniam uerò quantitas parum admodum formalis eſt, & materiæ inſtar inefficax, patiensq; quàmplurimum, ideoq; difficilè diſcernitur à materia. Idcirco diligentius & hic & in ſequentibus perſcrutatur, utrum materia uel ſit quantitas, uel propriam ſaltem habeat quantitatem, Non habere quidem propriam quantitatem patet: quoniam indifferenter ſe habet ad magnum atq; paruum, Et quia alioquin quanta foret. Cum uerò aliud ſit quantitas, aliud uerò quantum: ſitq; quantum duplex aliquid, materia ſi quanta fuerit, compoſitum aliquid iudicabitur. Atq; ita in prius aliquid reſoluetur. Itaq; non erit materia prima: quam ut prima ſit materia, primumq; formabile, primumq; patiens, oportet ſic penitus formarum eſſe uacua: ſicuti neceſſe eſt auctorem formarum primum eſſe plenum. Qui non ex formis omnino nullis facit in materia formas: ſed obſignatoris more, modoq; ſigilli, quas ipſe formas habet quodammodo exprimit: & imprimit in materiam. Cum formas dico etiam intelligo quantitatem per quam uelut formale quiddam, ſic materia ſit, diciturq; quanta, ſicut & qualis per qualitatem. Sic igitur formarum auctor perfectè formabit (ut diximus) ſi materiæ penitus dominabitur. Ita dominabitur, ſi ipſe quidem formas habeat omnes, ſed materia nullas. Vt materia ita prorſus egena uehementius appetat, quòduc porrigitur, aſciſcat auidius. Item ut ille omnium ſit artifex non quorundam: ſitq; artifex communis & primus. Item ne illa aliquando propriam qualitatem, ſiquam habuerit, opponat artifici, qualitatem aliam præbituro. Né ue ſi habuerit propriam quantitatem ſiue figuram, reſiſtat artifici aliam impreſſuro: aut ſaltem cogat illum pro modo ſui potius quàm pro illius auctoritate tribuere formas. Iam uerò cum ille primò det quæ tribuit, tradatq; materiæ uacuæ: merito nec ullum habet obſtaculum:
B *neq; qualitatem affert* neceſſario pro qualitate præterita: neq; rurſus pro quantitate: ſi quidem *ipſemet primam* tribuit quantitatem. Tu uerò de communi rerum artifice naturaq; communi & formatione rerum prima potiſſimùm hæc dicta putato. Memento præterea, communis artificis uoluntatem non caſu quodam concurrere cum certa materiæ magnitudine, atq; uiciſſim adeo, ut ita formæ modus quantitatis modum ſequi cogatur. Si enim caſu fit ille concurſus, fortuna erit ordinis fundamentum. Idq; quod in rebus eſt per accidens erit eo ipſo quod per ſe eſt prius atq; ſuperius. Neq; rurſus exiſtimes auctorem primum in actione præcipua, ex quadam materiæ quantitate pendere: multoq; minus ex certa figura, alioquin actiones multas impeditura. Sed ſcito, cum artifex ipſe antecedat ordine & poteſtate materiam, ſumma libertate materiæ dominari, & informanda minimè laborare: ne tranſgreſsio unquam contingat in opere. Ideoq; pro natura, pro ratione, pro uoluntate ſua potius, quàm pro quantitatis alicuius modo mouere primùm, & formare materiam. Cùm enim non per quantitatem, ſed per efficacem formam moueat atq; faciat: merito actione ſuæ primum in materia reſpondet eiuſmodi forma. Formamq; ſubinde quantitas comitatur: Dum uidelicet ad formalis actionis impetum, formæq; efficacis ingreſſum materia mouetur atq; protenditur extenditur inquam, eatenus proprié, quatenus tum agitat eam formæ penetrantis impetus: tum ratio idealis ipſa præſcribit: tum deniq; ratio formalis, uel ſeminaria exigit. Nec immerito ad certam ſpeciem certa conſequitur quantitas, uel figura potius quàm è conuerſo. Duo enim hæc uelut minus perfecta ex ſpecie tanquam perfectiori dependent: & tanquam non efficacia formæ ſeruiunt efficaci: ipſiusq; formæ ratione comprehenduntur, & fiunt. Neq; diffidas quantitatem ſpecie contineri. Eſt enim quantitas forma quædam: ac tanquam aliquid formale minus in ſpecie, uelut magis formali continetur: & uelut illic implicata mox in materiam explicatur. Hinc fit ut certæ uiuentium ſpecies certas habeant magnitudines & figuras. Pertinere autem quantitatem ad formam, neq; eſſe materiam ex eo patet, quòd quantitas ubi metitur & numerat, rationem habet determinantis. Materia uerò pura determinabilis tantùm eſſe cenſetur. Mitto, quantum adducantur paſsim formæ rerũ, uel inter ſe differre, uel permutari, ſæpe pro modo mutationeq; quantitatis atque figuræ. Quod ſanè nũquam adduceret materia pura. Taceo nunc effectus occultos qui certis ex figuris & numeris in corpora ſæpe noſtra animós ue reſultant. Certè ante eſſe quantum ponitur eſſe ſimpliciter: nunquam enim aliquid eſſet quantum, niſi ſimpliciter eſſet. Eſt autem ſimpliciter etiam ſi non ſit quantũ. Quãdo igitur ipſum ſimpliciter ens quod antecedit eſſe quantum primò cogitatur extendi. Tunc primum quantitas oritur ipſa, ſcilicet entis extenſio. Hæc ipſa entis portio quæ protenditur materia eſt iam corporea facta: extenſio uerò quantitas. Extenſio quidem ſubiecto indiget. Siquidem eſt accidens, & paſsio quædam formalem entis actum neceſſariò ſequens. Iam uerò cum aliquid extendatur, neque tamen ipſa extendatur extenſio: hoc ipſum quod protenditur materia eſt extenſioni ſubiecta, extenſione neceſſariò prior. Niſi enim quodammodo ſit, protendi non ualet. Neque uerò ſuſpicari licet quantitatis ſubiectum eſſe formam. Quælibet enim alia forma tanquam incomparabiliter efficacior quantitate nõ ſubit, imò ſubigit quantitatem. Denique quòd in mundo intelligibili

D copia uirtutis eſt poteſtaſq; per omnia prȩſens & inferioris exceſſus: per quantitatem uelut illius imaginem in ſenſibili mundo refertur. Quod autem illic uirtutis copiæ uelut materia ſubeſt, per materiam hanc referri uidetur. Cum igitur non ad idem ſpectent quantitas atq; materia, nimirum neq; eſſe eadem iudicantur. Sed quis non uideat & numeros in rebus etiam à materia ſegregatis exiſtere? & puncta lineaſq; imò & ſuperficies neq; materiam eſſe, neq; neceſſariam habere materiam. Concludo quantitatem cum ſit formale aliquid ex agente potius quàm ex materia dependere. Cúmque ſit inter formalia minimum, merito ſic ubique tribui, ut forma præſtantior exigit.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. VIIII.

VErùm ne fortè mireris quantitatem nullam in ipſa ratione materiæ contineri: materiamq; ex ſe non eſſe quantam. Memento, cum res præter quantitatem multæ ſint ut ſubſtantiæ & qualitates atque ſimilia, merito rationem entis à ratione quantitatis eſſe diuerſam & communiorem atque priorem: ideoq; multa & eſſe & intelligi poſſe etiã ſi non exiſtant, nec intelligantur eſſe quanta. Sic nec anima quanta eſt quæ generat quantitatem: neq; materia quanta quæ præcedit corpora: neq; quantitas ipſa quanta: ne abeatur in infinitum. Siquidem quantum quantitate fit quantum: ſicut aliquid qualitate fit quale. Ex quo etiam confirmatur quantitatem aliquid eſſe formale. Sic ergo corpus uiuens naturali colore fit coloratum: neq; tamen color ipſe eſt coloratus.
E Neq; rurſus ſeminaria ratio, quæ naturalem in animali colorem creat, eſt color, ſimiliter neq; quantitas & figura uiuenti congruens, quanta uel figurata eſt: neq; ſeminaria uirtus quantitatis eiuſmodi figuræq; fabricatrix eſt quantitas aliqua, uel figura. Tum uerò ſicut accedens qualitas ad materiã nondum qualem reddit ſubitò qualem: ſic & quantitas accedens ad eam non dum quantam ſimpliciter reddit quantam. Neq; tu cogitare debes materiam in primo quantitatis aduentu in amplius ex anguſtiori protendi. Anguſtia enim & amplitudo modi quidam ſunt exiſtentis iam quantitatis. Ante uerò primum quantitatis acceſſum neq; quãtitas in materia eſt, neq; igitur ibi modi ſunt quantitatis. Atqui & ipſa formalis ratio quantitatis neq; magna eſt: alioquin non congrueret paruis: neq; rurſum parua alioquin magnis ſeipſam accommodare non poſſet. Similiter & materia neq; tanta eſt propriè, neq; tanta, ut æque ſit ad omnes quantitatis modos ſubeundos indifferens: neque rurſum quanta ſimpliciter, ne quid ita in ſe formale poſſideat ſitq; compoſita.

Quomodo materia cognoſcatur, cum ſit informis. Cap. X.

DVbitatur igitur quomodo cognoſci materia poſsit, cùm formis careat omnibus. oporteat autem tum rem cognoſcendam cognoſcentes mouere per formam tum cognoſcentes per formam ipſi rei cognoſcendæ conſentaneam agere circa ipſam. Cum igitur per formas cognitio fiat, uidemur conſequenter cogituri formalia, nõ informia. niſi forſan animo moliamur formas omnes ex animo ſegregantes coniectare nonnihil in rebus à formis ſimiliter omnibus ſegregatũ. Sed interim dum molimur, forma quadam certè molimur: ideoq; inuiti molimur & formam, quamuis ut
F putamus informem: dum uidelicet pro uiribus cogitamus indefinitam: atq; ſub eiuſmodi forma ſuſpicamur indefinitam quoq; materiã. Sic igitur indefinitate quadam conceptionis noſtræ indefinitatẽ materiæ cogitamus. Conducit ad idem indefinitas quædam quaſi materialis ſub animi forma naturaliter actuq; latẽs. Si fingatur circulus infinitus, ratio quidem definitioq; circuli finita erit & certa. Iactus autem oculi, uel ſimilis imaginationis per circulum infinitum, infinitè uagabitur. Similiter ſiquis omnibus ſublatis formis intuentis oculi more intendat prouiribus animi aciem in materiam, nihil prorſus inſpicier: ſicut nihil inſpicit oculus luminibus & coloribus ubiq; ſublatis. Sed hic animus cõiectat interea ſubtracto lumine ſubeſſe corpus obſcurum. Nunquid & ibi formis adẽptis ſubeſſe conijcit rem informẽ? Conijcit quidem utcunq; poteſt. Verũ eiuſmodi coniectura neq; legitima ratiotinacione, quæ ſolet ductu mentis rationisq; idealis ex formis cõcipere formas: neq; legitima rurſus imaginatio, quæ ſolet formas, uel ex mẽte, uel ex ſenſibus intueri: cõiectio itaq; circa materiã ex ſpuria ratione & aduiterina rurſus imaginatione miſcetur. Sed eiuſmodi quidem indefinitas animi circa indefinitatem materiæ ſuſpicandam habet interim aliquid definiti quatenus & per formas agit, & definit aliquid de materia. Neq; propriè tamen intelligit. Intellectio enim eſt idearũ, uel ſaltem idealium contẽplatio. Neque rurſum raciocinatur propriè. Ratiocinatio enim eſt collectio quædam. Hic uerò non tam colligit quàm diſpergit: dum omnia de materia negat. ac ſiquid affirmat interea negata confirmat. Dum enim affirmat materiam eſſe formarum omnium ſuſceptaculum, confirmat interim eam per ſe prorſus informem. Et quoniam anima ut pote quæ ſpecies eſt, & eſſentia uera horret informia & odit eſſentiæ caſum: iccireo dum de materia negat formas

A formas & eſſentiam atq; eſſe: interea eam ad hæc omnia refert: & ſicut negando prius, ita deinde referendo cognoſcit. Similis in hoc eſſe uidetur cognitio infimi rerum & cognitio ſummi, & utrunq; (ut ita dixerim) ignorando cognoſci. Tu uerò ubi Plotinus ait, ſimili cognoſci ſimile, intellige uim aliquid cognituram: tum ante cognitionem eſſe quodammodo illi cognatam, tum in ipſa cognitione formam illius edere, uel ſubire cõditionem. Conclude rurſus, ubi cognitio eſt efficacior, ibi ſimilitudinem eſſe maiorem. Et quoniã intelligentia ratioq; non ſolùm ſicut ſenſus rem attingit extrinſecus, ſed etiam efficaciſsimè penetrat, iccirco hanc rationibus æternis cognatiorem exiſtere, quàm corpori ſenſus.

Materia nec eſt quantitas, nec habet propriam quantitatem. Item ſuſceptio formarum non ratione quantitatis, ſed ratione materiæ. Item forma præcedit quantitatem. Cap. XI.

PRoinde materiam non eſſe quantum aliquid cõfirmat, contra dicentes, nõ eſſe aliam in rebus materiam præter dimenſionem qualitatibus ſubditam, quemadmodum in cælo ponere uidetur Auerrois. Pleriq; conſiderantes dimenſionẽ, tum inefficacem eſſe, tum ad capiendum accommodatam, qualem eſſe materiam arbitramur, dimenſionẽ putauerunt ipſam eſſe materiam. His autem reſpondet Plotinus, probans dimenſionem nõ eſſe neceſſariam ad ipſum acceptionis effectum, quandoquidem mens & anima ſine dimenſione res capiant. Præterea cùm ipſum ſimpliciter ens antecedat eſſe quantum, meritò quantitas poſterius ad ens accedit: quo fit ut quantitatem ſine prio-
B ri quantitate recipiat. Similiter materia ſine quantitate præcedente ſuſcipit quantitatem: ergo & quòd recipiat alia, habet non quia quanta, ſed quia materia: quippe cùm ipſa materia primùm fuerit ſuſceptaculum. Contigit autem materiæ formas in dimenſione recipere, quoniam ſicut formas, ſic & dimenſionem accipit, ac producto ſpatio protenditur in ea ſimul & qualitas, contracto uerò contrahitur. Iam uerò in ipſa intentione naturæ prior eſſe uidetur ſpecies, primaq; ſpeciei proprietas, quàm eius quantitas uel figura. Ideoq; ſic naturaliter inſtituta materia eſt, ut potiſsima præparatio eius ad ſpeciem ſit potius q̃ ad aliquam quantitatẽ. Materiam dico ſimplicem atq; primam: nam ſecunda materia iam certo modo ad ſpeciem aliquã præparata, magnitudinẽ ei conuenientem iam cœpit accipere: ſed & ante magnitudinẽ certè quandam ſubijt qualitatem futuræ congruã ſpeciei: cuius quidem qualitatis uirtus magnitudinẽ & figuram paulatim accõmodat ſpeciei. Certa igitur forma quantitatẽ certã quodãmodo antecedit, ac ſi fingas quantitatem ſaltem interminatam certas præcedere formas, fingemus & nos ſimiliter interminatam quantitatẽ ab interminata quadam forma præcedi, cuius efficacia in quantitatem materia protendatur: ſic utiq; imperium actionemq; ſeparatæ formæ ſuper materiam mox in materia forma ſequetur antecedens, uidelicet quantitatem longius à ſeparata forma diſtantem. Tum uerò cùm agere atq; mouere qualitatis ſit proprium, non quantitatis, meritò non quantitas qualitatẽ, ſed contrà qualitas quãtitatem agit, & mouet tralitq; ſecum. Sic igitur non magnitudo facit calidum, ſed calor extendit in magnum. Non paruitas reddit frigidum, ſed frigus cogit in paruum. Quid plura? Virtutes utiq; ſeminum abſq; magnitudine propria certas deſtinant magnitudines naſcituris, quibus ipſa ſua ſpecies ſtatim adeſt, eademq; ſemper,
C non ſtatim magnitudo debita uel figura. Hæc enim per uirtutem ſpeciei temporibus certis ex potentia ſpeciei paulatim procedit in actum. Quamobrem materia formam ſuſcipit ob hoc ipſum, quia materia eſt arti ſubdita naturali, formãq; inprimis ſuſcipit ex agente forma. Non igitur quia ſit moles accipit formam, ſed quia materia ſit formabilis. Suſcipit uerò formam modo corporeo, quia materia ſit interea moles, dum & uirtute & gratia formæ quantitatem excipit formæ conuenientem: atqui niſi molem habuerit, adhuc ſuſcipiet qualitatem, quamuis nondum corpoream. Sicut enim in eodem ſpatio in ſe inuicem multæ ſunt qualitates, ſpatio eas minimè diſtrahente: ſic etiam niſi ſpatium fuerit, eſſe ſimul, multoq; magis ſimul in materia poterunt. Materiam plerique tanquam ſpatium cogitant, & id quidem uacuum & immenſum: quoniam animus cum aciem in hanc intendit, nequit in ſignum aliquod ſe dirigere, alioquin formam illic aliquam cogitaret. Nuſquam ergo ſiſtit intuitum: ideoq; circumuagus hac & illac diſtractus, per interuallum uidetur uacuum peruagari, ac rurſus immenſum Si enim uel centrum, uel circunferentiam, uel aliter lineas deſignauerit, formas excogitare cogetur. Reuera enim ſicut ſpatium ipſum ſine alio quoquam ſpatio capacitas eſt ad alia: ita materia ſine ſpatio proprio capacitas eſt ad ſpatium. Et quamuis ipſa quoque ita per ſe magnitudine careat, ſicut & ſpecies ideales, tamen nulla ſpecies apparet ſpatium cõtemplanti, quoniam formam ſibi propriam ipſa definit, indiuiduamq; conſeruat. Materia uerò uidetur ſpatium, quoniam & ſpatio ſubeſt & nullum ſibi ſignum ipſa definit, & nunquã ſecum ipſa quieſcit, ſed dum ſpecies induit uarias ſemper exuit uiciſsim, nimirum ad formarum curſum ſic ipſa currere nobis ui-

D deri ſolet: ſicut ad nauis motum litus ipſum nautis moueri uidetur. Qui uerò ſub longo uariarum duĉtu formarum tractum interea materiæ cogitat, meritò maceriam uelut ſpatium, & id quidem mobile cogitare compellitur.

Confirmantur ſuperiora. Cap. XII.

AVdiſti iam ſæpius, omnes rerum naturaliũ formas eſſe ſecundum ſeminarias rationes in ipſa animæ mundanæ natura. Et quoniam ibi nulla dimenſio eſt, quaslibet in qualibet, & ubiq; ſimul cunctas exiſtere, talemq; ſeriem mundum ſeminarium & animalem, & incorporeum appellari. Finge itaque dimenſionem aliquando illic oriri. Subitò natura in longum latumq; & profundum amplificata: protendentur & formæ, & quæ prius in natura ſine ſpatio fuerant incorporeæ, deinde in natura eadem nacta ſpatium, corporeæ iam euadent locisq; inuicem ſeparatæ. Talem utiq; mundum hunc corporeum cogita ex incorporeo propagatum, ſola forſan accepta dimenſione: ſubtrahe, ſi placet, dimenſionem: ſeminales adhuc formæ reſtabunt, quæ dimenſionem quondam in natura præceſſerant: ſed mundus interim ex corporeo uiciſsim euaſerit incorporeus, ſola forſan dimenſione ſublata. Verùm admonuiſſe te uolo, quæ iam natura eſt in ſeminario mundo, euadere in hoc corporeo mundo materiam. Sic enim ille in hunc propagari poſſe uidetur, ſi ſtatim ex natura materia pullulet: in qua duntaxat oriri dimenſio poſsit naturæ præpotentis imperio: quam quidem di-
E menſionem ad corpora conferre putamus: non quia ipſa ſit materia corporũ: quorum eadem certè materia eſt, quæ eſt etiam ſub dimenſione dimenſionisq; materia. Neque rurſum dimenſio neceſſaria eſt, ut ſimpliciter formæ ſunt, aliquando corporeæ fiant. Quòd enim formæ ſint, habent quoniam ex ſeminario ſunt in materia. Quòd autem corporeæ ſint, ex eo ſortiuntur, quòd in materia ſunt extenſa. Huc illud Plotini tendit. Formæ non circa magnitudinem proprie, ſed circa materiam oriuntur: nam & magnitudine dempta, formæ reſtare poſſunt, forſan in ſeminalibus rationibus: forſan etiã in ipſa materia, quamuis non corporeo modo. Id inſuper illorum ſententia confirmatur, qui diſputant in formæ ſubſtantialis aduentu totum uſque ad materiam primã ibi reſolui, ut forma ſubſtantialis actusq; ſimpliciter in ipſa ſubſtantiali ſimpliciterq; potentia fiat. Talem itaque formam ante quantitatem, quæ eſt accidens, uolunt adhærere materiæ: ac ſi quantitas ibi præceſſerit, tunc ſaltem ſubſtantialem formam tranſgredi limitem quantitatis, nudoq; materiæ gremio ſeipſam prorſus inſinuare. Ob hanc forſitan rationem formas nonnulli ſubſtantiales eſſe indiuiſibiles arbitrantur: quoniam nulla intercedente quantitate materiæ penitus ſe infundant, quas tamen dimenſio comitetur, quæ formas præcedat accidentales. Itaque has tantùm efficiat diuiſibiles. Videtur id tetigiſſe Plotinus. ubi ait: Si forma ſcilicet ſubſtantialis neceſſariò in dimenſione foret, ſubtracta hac penitus perituram: poſſe tamen formam ibi remanere, quamuis indiuiſibilem, ſiue in materia proprie, ſiue in natura fundetur: ſed & in materia forſan reſtare poteſt indiuiſibilis: nam prius etiam cogitatur eſſe quàm protendatur: mitto, quòd quantitate duntaxat etiam permutata forma remanet eadem, non tamen eadem remaneret commutata materia, ex quo patet, formam non circa
F quantitatem fieri, ſed circa materiam. Commiſcentur autem facilè multa corpora in corpus unum, quoniam in eadem materia congruunt ad omnia æquè parata, omnium pariter auida, neque dimenſionem habente ſuapte natura, per quam diſtare inter ſe multa coguntur. Iam uerò quum dimenſio quodammodo corporum impediat unionem, materia uerò conciliet, conſtat & aliud dimenſionem eſſe, aliud uerò materiam: & materiam ipſam neque natura ſua dimenſionem habere, neque formas dimenſione ſuſcipere, ſed potius ſemetipſa: præſertim quia prima ſuſcipiendi ratio in eo conſiſtit, quod eſt primum omnium ſuſceptaculum: id profectò maximè omnium capax eſſe uidetur, quod poteſt ubique omnia ſimul accipere. Dimenſio uerò facit, ut nequeant ſimul omnia capi, imò ut ſeorſum ſingula diſponantur. Proinde materiam non eſſe dimenſionem, ſic iterum confirmamus. Si dimenſio ſit ipſa materia, erit omnium fundamentum, eritq; ſubſtantia. Cùm uerò quantitas ubique ſit accidens, non poteſt penes infimum rerum gradum quantitas eſſe ſubſtantia, quamuis quæ apud nos accidentia ſunt, quodammodo in ſuperioribus ſubſtantiæ iudicentur. Præterea ſicut ad mutationem qualitatis, ſic & ad quantitatis mutationem non neceſſariò ſubſtantia permutatur: ex quo patet utrunque eſſe pariter accidens. Hanc ob cauſam ubi rem ipſam definis, non ſoles quanta ſit, definitione decernere: quaſi quantitas ad rationem formalem non ut pars attineat, ſed accedat ut accidens. Neq; uerò minus quantitas quàm qualitas, imò magis contingens eſſe uidetur: ſiquidem qualitas per efficaciam, & actum & proprietatem magis uidetur cum formali ratione congruere. Quamobrẽ ſi quantitas non eſt ſubſtantia, nimirum nec eſtq; ipſa materia: quæ quidem quũ omnium ſit ſubrectum, meritò tanquam ſubſtantia iudicatur. Sed quis non uideat quantitatem non eſſe mate-

A eſſe materiam? Modò cogitet materiam prorſus indefinitam, ſtatim per quantitatem ſicut per qualitatem determinari, ſcilicet quanta propriè ſit & qualis. Quòd ſi dimenſionem in ſe indeterminatam accipias, adhuc materiam illa determinat: ſaltem adhoc ipſum, ut non ſolùm materia ſit ſimpliciter, ſed etiam ut in longum & profundum protendatur, & amplum, ut occupet locum, ut ſit diuiſibilis, ut tot in ſe habeat partes, ut pars à parte ſit differens, ut pars terminetur ex parte, ut partes terminentur ad totum, ut habitudo ſit inter ſe partiũ & ad totum. Deniq; dimenſionem interminatam materiæ dare, nihil eſt aliud quàm confiteri materiam ad dimenſionem quamlibet ſe indifferenter habere, ſicut & ad quamlibet qualitatem. Sicut ergo conceditur qualitate carere, ſimiliter carere dimenſione concedes. Neq; uerò quiſquam negare debet eſſe materiam, quod à nobis inuiſibilis & indiuiſibilis iudicetur. Nam & quantitas ſi in ſeipſa ſine qualitate conſideretur inuiſibilis erit. Et qualitas uiciſsim accepta procul à quantitate ſtatim erit indiuiſibilis. Sunt tamen aliquid, quamuis accidentia ſint. Materia igitur quæ ſubſtantiæ modo talia ſubſtinet, non eſt omnino figmentum. Tum uerò quamuis nullo ſenſu percipiatur, nihilominus aliquid eſt ponenda. Nam & naturâ ipſam atq; mentem eſſe aliquid affirmamus: quamuis ſentiri non poſsint. Materiam uerò & ſi non ſenſu, tamen ratione cognoſcimus. Et ſi rurſum non raciocinatione quadam intelligentiæ plena, ideſt, idealibus fundata formis, tamen argumentatione partim negante formas, partim ad formas materiam referente. Poſſunt quinetiam hic uerba Plotini ſic accipi. Materiam, ſcilicet cognoſci ratiocinatione quadam, non ratiocinatione inquam ipſius uacui, ſed uacuo modo: quaſi prohibeat materiam dici uacuum ipſum, uel nihil & uanum. Concedat tamen eam uacuo quodam pacto cognoſci, ideſt, uacuam formis eam excogitando. Cùm uerò probatum ſit materiam nec eſſe quanti-
B tatem: nec ſuapte natura quantitatem habere, uel qualitatem: conſtat eam nec eſſe corpus, nec rurſum eſſe (ut ita loquar) corporeitatem. Si corporeitas accipiatur pro forma quadam dimenſioni commiſta. Alioquin materia foret corpus. Neq; rurſum ſi corporeitas ipſa accipiatur pro ratione ideali, uel ſeminali corporis effectrice: hæc enim à materia longè diuerſa eſt. In anima enim, & mẽte conſiſtit. Nemo uerò dicere debet, corpus ſine materia eſſe poſſe: propterea quòd actio corporis ſine materia uideatur exiſtere. Actiones enim nec more corporum componuntur: nec aliæ de aliis generantur ut corpora: uicem uerò materiæ gerit ad illas ipſa agentis patientisúe ſubſtantiâ quæ componitur ex materia.

Materia nec eſt qualitas, nec habet propriam qualitatem. Cap. XIII.

QVemadmodum in ſuperioribus oſtendit materiam nec eſſe quantitatem, nec quantam, ſic inpræſentia nec qualitatem eſſe neq; qualem. Abſurdum enim dictu eſt, ſubiectum omniũ eſſe qualitatem: cum in ſubiecto eſſe ſit proprium qualitatum. Præterea ſiue id ſubiectum natura quædam definita certaq; dicatur: materia quæ neceſſariò indefinita eſt, eſſe non poterit. ſiue incerta & indefinita natura, tunc materia quidem erit, qualitas uerò nequaquam. Qualitatis enim proprium eſt determinare aliquid atq; diſcernere. Obijciet aliquis, materiam uel eſſe, uel habere qualitatem ex eo quòd omnibus aliorum careat qualitatibus: quaſi hæc ipſa priuatio ſit proprietas qualiC tasq; materiæ: per quam à cæteris differre putetur. Concedemus autem hanc ipſam qualitatum uacationem proprietatem eſſe materiæ. Sed eam interim qualitatem eſſe negabimus. Magis enim diuerſa eſt qualitatis priuatio qualitati, quàm quantitas, uel ſubſtantia. Si igitur priuatio qualitatum qualitas appelletur, multò probabilius ſubſtantia, uel quantitas poterit qualitas nominari. Præterea ſtultum dictu eſt, aliquid fieri quale non ab ipſa qualitatis natura, ſed ab oppoſito qualitatis, ideſt, ab ipſa qualitatum priuatione. Sanè cum dicunt materiam ob hoc ipſum quod ab aliorũ qualitatibus altera eſt, ſiue diuerſa, eſſe qualem: nunquid materiam tunc tanquam alteritatem eſſe uolũt? Si ita putant, non erit ut qualis: ſicut neq; qualitas qualis eſſe cenſetur. An fortè materiam tunc eſſe uolunt tanquã aliquid alterum? Si ita putant, certè ſicut alteritate eſt altera, ſic etiã qualitate qualis qualitate inquã alia præter ſe natura. Erit igitur alia quædã qualitas per quã qualis materia fiat. Si fit alio qualis, non eſt materia qualitas. Tũ uerò ſicut alicuius qualitatis priuatio non eſt qualitas illa, ſic omnium orbitas qualitatum nulla qualitas eſt iudicanda: neq; rurſum qualis, ſiquidem qualitatibus undiq; uacat. Item ſicut negatio non eſt affirmatio: ſic priuatio non eſt qualitas. Ita enim priuatio in negando, ſicut qualitas in affirmando conſiſtit. Rurſum non omnis proprietas eſſe qualitas iudicanda eſt. Sicut enim opponitur qualitati priuatio, ſic & horum proprietates inter ſe oppo nuntur. Atqui ſicut eſt aliquid proprium affirmationis & qualitatis, ſic & aliquid negationis & priuationis eſt proprium: neque tamen id qualitas erit, ſed oppoſitum potius qualitati. Accedit ad

D hæc quòd ſicut proprietas qualitatis non eſt materia: ſic proprietas materiæ non eſt qualitas: ſed priuatio qualitatis: per quàm ſanè priuationem ſiquis dixerit materiam eſſe qualem non minus errabit, quàm qui dicat materiam ob priuationem magnitudinis eſſe magnam. Iam uerò ſi materiæ proprietas foret aliquid ipſi materiæ uelut appoſitum abſolutè nimirum ſe haberet ut qualitas. At uerò materiæ ipſius proprietas ipſamet materia iudicatur: ſicut & de principio rerum exiſtimare ſolemus Materia igitur non per aliam proprietatẽ quàm perſe ipſam ab alijs diuerſa cenſetur. Eſt igitur materia quodammodo ipſa diuerſitas ſeu mauis alteritas. Alioquin non ſeipſa quidem diuerſa foret, ſed ipſa præter ſe diuerſitate diuerſa. Diuerſitas uerò hæc quaſi duo potiſſimum ſignificare uidetur, ſcilicet & communem aliorum negationem per quam in nulla cum illis generali ratione conueniat, & uniuerſalem potentiam capiendi, ad alia ſeipſam naturali quadam habitudine referentem. Vtrinq; ſanè materia perpenditur eſſe diuerſitas: tum quoniam alia nimium de ipſa negantur: tum quoniam naturaliter refertur ad alia. Sic enim neceſſariò & aliud eſt quàm illa, & ut actibus potentia illis opponitur. Concludè igitur inpræſentia ipſammet materiam eſſe ſui ipſius proprietatem: eſſe uerò proprietatem hanc ſcilicet quòd aliud ſit quàm alia, ideſt, quòd neq; ſit alia neq; quicquam alijs ſimile. Cætera enim quadam inter ſe uel communione, uel ſimilitudine congruunt. Materia uerò eſt penitus ſegregata: ſicut & primum principium ſegregatum. Cætera rurſum præter id quod uel inter ſe, uel à materia diuerſa ſunt, exiſtunt aliquid ſecundum ſpeciem in ſe ipſis. Materia uerò nõ per aliud quidem eſt: per aliud uerò diuerſa eſt: ſed potius eſt ipſa diuerſitas: ſiue mauis aliquid ab
E aliorum communione omnino ſecretum. Quoniam uerò Plotinus metuit ne pronuntiando de materia ſingulari numero, uel diuerſitatem uel aliud, materia definitum aliquid & formale nobis appareat: Ideõ monet numero plurali dicendum, materiam eſſe alia ſiue diuerſa, ut per hoc infinitatem eius magis excogitemus.

Materia eſt idem omnino atq; priuatio formarum omnium ſi priuatio ſignificat infinitatem quandam formalemq; potentiam. Cap. XIIII.

HActenus tractatum eſt quomodo materia potiſſimum ad illa ſe habeat, quæ remotiora ſunt ab ea, ſcilicet ad qualitatem, & quantitatem. Deinceps quo pacto ad ea quæ propinquiora ſunt comparetur uidelicet ad priuationem & infinitum. Sed de priuatione prius. Diſcutit ergo Peripateticum illud materia & priuatio, ſunt quidem ſubiecto ſiue re ipſa unũ, ratione autem duo. Cùm diceret Peripateticus, duo hæc eſſe ratione, rationes in primis, ideſt, definitiones duas aſſignare debebat: unam quidem priuationis, alteram uerò materiæ propriam. Quod quidem niſi fiat quod ſint ratione duo conuinci nõ poterit. Quòd ſi duæ adducantur diffinitiones in medium, quæremus utrũ ita ſe habeant, ut neutrum duorum in alterius diffinitione ponatur. Si fiat ita, non erũt ſubiecto ſiue re ipſa unum: An potius utrunq; in utriuſq; diffinitione locetur: ſicut de naſo ſimo dici ſolet atq; ipſo ſimo. Si ita: adhuc res duæ ſunt: naſus ſcilicet atq; ſimitas. An forte unum aliquid eorũ in alterius diffinitione ſit: neq; uiciſſim ſicut calor in definitione ignis: neq; contrà. Si ita dicatur etiam res duæ
F ſunt: ſubiectum atq; qualitas. Poſt hæc, diſcutit utrum materia & priuatio res una dicantur: propterea quòd priuatio nihil rei materiæ inſuper addat, ſed cætera de materia neget. Sic autem erit ambiguum quomodo rationes duæ ſint: altera quidem ad ſubiectum, ideſt, materiam pertinens, altera uerò ad relationem quæ priuatione fit ad cætera. Probabile profectò eſt non ſolùm priuationis, ſed etiam ſubiecti rationem ad alia ritè referri. Quæ ſupra materiam ſunt, non ſolùm referuntur ad finẽ, ſed etiam id habent ut fines ſint aliquorum. Cùm uerò materia ſola nullius ſit finis, cui quicquam naturali ordine ſeruiat, ſed ipſa duntaxat ſeruiat omnibus: ac totum quicquid eſt uacuum quidem ſit munere finis: undiq; uerò ad finem naturaliter inſtitutum & egenum finis ſemper & cupidum: meritò dictum eſt naturam eius ad alia ipſa ſua ratione referri. Vt quemmadmodum in ſummo rerum tota finis ratio eſt, ſed non ad finem: ita uiciſſim in infimo finis quidem ratio nulla ſit, ſed omnis ad finem. Noli hic interim relationes dialecticas ſomniare. Naturæ namq; ipſius relationem hic intelligi uolumus prouidentiæq; diuinæ. Nihil uerò à materia eſt alienius quàm relatio logica. Hæc enim uel in opinione, uel in re quapiam, uelut ſubiecto fundatur. Materia uerò contrà ſubiectum eſt duntaxat & fundamentum. Præterea probabile eſt, hic priuationis nomine relationem quandam ſignificari, ideſt, indefinitatem ſubiecti huius, & indigentiam ad alia naturaliter inſtitutam cupideq; uergentem. Ideoq; non facilè quis diſcernat quomodo duæ quædam ſint rationes: una quidem priuationis: altera uerò materiæ. Non ſolùm enim re, ſed etiam ratione ſunt unum. Nemo uerò dixerit materiam eo modo priuationem, quo priuationes alias ſolemus dicere, ideſt, defectus aliquos in

ſubiectis.

A ſubiectis. Materia enim ipſa omnium eſt ſubiectum. Nullus iterum materiam priuationem putet ut nihilum: quando enim corpora, uel ex materia componuntur, uel in materiam reſoluuntur, longè ab eſt, ut uel de nihilo fiant, uel deducantur in nihilum.

Infinitudo non accidit materiæ, ſed eſt ipſa materia. Cap. XV.

HAec uerò priuatio quæ infinitudo dicitur, uel infinitas, ideſt, aptitudo tantùm per ſe formabilis, nullosq; per ſe formales in ſe fines poſsidens: hæc inquam infinitudo non accidit quidem materiæ: ſed eſt ipſa materia. Conſidera rationes & numeros. Rationes inquam formales ex ſeminarijs idealibusq; rationibus dependentes. Numeros inquam tum eiuſmodi rationum: tum proprietatum quæ ſunt in ipſis: tum graduum uirtutis earum, tum differentiarum inter ipſas. Rationes quidem finiunt: & ordinant finiendo. Numeri uerò ordinant, & finiunt ordinando. Item rationes uireſq; formarum, tum genera quaſi materias in ſpecies terminant: tum uagum materiæ appetitum terminant ad effectum: Numeri quoq; ordinant finiuntq; rerum ſeriem ſubiectam ſibi materiam: uires item & motus definiunt qualitatum: at que per illas materiam quoque terminare uidentur. Cum igitur rationes eiuſmodi numeriq; finiant: certè ſubeſt eis quòd finiatur ab ipſis. Id uerò primum eſt ipſa materia. Nam & compoſita per hanc habent, ut finiri debeant aliunde: & natura, uel anima, uel mens per ſuam quandam materiam habent, ut formarum terminis egeant. Materia igitur cum ſit hoc ipſum quod aliunde finitur, nimirum ſuapte natura eſt infinitum. Sicut quod aliun-
B de illuminatur eſt per ſe tenebroſum. Alicubi ergo re uera imò ubiq; ſubeſt infinita natura, imò uerò infinitas ipſa. Sicut enim res infinita reſponder finitæ: ſic & fini reſponder infinitudo. Fini inquam ſubſtantiali, ſubſtantialis infinitudo non ficta. Infinitudo inquam non in alio: ſicut & finis terminusq; primus non eſt in alio, Siquis uerò dicat infinitatem hanc non eſſe materiam ipſam, ſed ipſi prorſus accidere, cogetur fateri infinitatem non nihil in ſe habere formale: ſiquidem ſit in ſubiecto: ſubiectumq; ſub tali quadam conditione determinet: quod certè contra naturam infinitatis eſſe uidetur. Iam uerò infinitas ipſa non eſt ratio ulla formalis. Extrema enim eſt formabilitas. In qua ſiquid proprium ſit formale: ex ea ſaltem parte non eſt formabilis. Veruntamen ut ad ſummum formatorem ſpectet: omnes tribuere formas oportet ſubiectum huic proportione reſpondens nullam prorſus habere. Præterea ſi materia per ſe infinita eſt, nõ oportet infinitatem huic accidere. Sin terminata dicatur nõ eſt materia prima. Deniq; ſi materia fingatur, uelut formalis quidam terminus, illique accideret infinitatem, ideſt, aptitudinem duntaxat formabilem, perdetur ſubitò ſiquid formalis fingitur in materia. Nihil enim actu formale ſub extrema formabilitate relinquitur. Quod autẽ corporei mundi materia ſit infinitas, confirmatur ex eo quòd materia quoq; incorporei mundi eſt infinitas. Non enim illi accidit infinitudo: quicquid enim eſt in ipſa finis exiſtit. Ex illa uerò hæc pendet per ſimilem infinitatis modum. Cogita igitur illic ipſum ſimpliciter unum uno ente ſuperius. Cõſidera in uno ente infinitatem, ideſt, potentiam ab ipſo uno formabilem. Quæ quidem quatenus in terminos illic formales extenditur, potentia & infinitas nominatur. Quatenus in perſeuerantiam extra durationis terminos ducitur, nominatur æternitas. Illa quidem infinitudo quodammodo ſe-
C cundum defectum ſic appellata, ſequitur infinitatem unius ſecundum ſupereminentem exceſſum excogitatam. Et quatenus excedit altera, eatenus fermè ſuccedit & altera quaſi per relationem oppoſita primæ. Subinde uerò ab infinitate quæ illic formabilis eſt, ipſa mundanæ materiæ exorditur infinitas: ita ſub natura formabilis, ſicut illa ſub bono. Duæ uerò infinitates hic inductæ non cõueniunt genere, ſub quo per differentias diſcrepent ſpeciales. Atqui & utraq; ſimpliciſsima eſt: & hæc dum pendet ex illa, tum in referendo illam congruere cum ipſa uidetur: tum quia nõ eſt illa, neque ad formas ſimiles inſtituta differre nimium iudicatur ab illa: non quidem per differentiam ſibi additam, imò ſeipſa, uel inſuper quia non ad ſimiles nata eſt formas: ſed hoc etiam eſt ſeipſa differre. Quoniã uerò potentia illa formabilis, & ſi ad ideas quaſi materia eſt, tamen in ſe ipſa, & ad noſtra cenſetur ut forma. Iccirco non adeo iudicatur indefinita ſicut materia corporum. Præſertim quia formabilis illa natura ſemper ſimiliterq; eſt ad actum formæ redacta. Hæc uerò redigitur paulatim: actúsque diſperdit. Fit quoque illic materia illa formalis. Hic uerò uiciſsim forma materialis euadit. Conditio igitur indefinita in hac reperitur magis quàm in illa. Cõditio uerò termini ibi ſuperat: hic neceſſariò deficit. Proinde ſi compoſitum ex materia formáque conſideres, dices hoc quodammodo infinitum, ſcilicet ratione materiæ. Non tamen dices hoc infinitum, eſſe ipſam infinitatis naturam. Quæ quidem dicitur eſſe ipſius infiniti, qua ratione eſt infinitum: hoc enim pertinet ad materiam.

D Cum uerò hanc ipſam materiam quaſi ſeorſum conſiderans dicis hoc infinitum, idem profectò eſt infinitum hoc, ipſaq; infinitas, quam modò appellabamus ipſum infiniti eſſe, quatenus infinitum. Tu uerò cum de materia dicis, hæc eſt ipſa natura infinitatis, ſiſte hucusq; gradum: neq; addas, hęc eſt ipſa infinitatis ratio. Ratio enim ſiue formam ſignificet, ſiue definitionem: ideoq; & terminum non conuenit deformi & indefinitæ materiæ. Item cum dicis, infinitum hoc & ipſum naturale infiniti eſſe, idem eſt, caue ne ſub hoc eſſendi nomine intelligas aliquem indefinitæ illius eſſentiæ terminum ſiue actum, ſiue modum. Tria enim hæc ad rationem pertinent, ideſt, ad rationem idealem & ſeminariam & & formalem atq; formam. Nulla uerò eiuſmodi ratio conuenit ipſius infiniti naturæ. Quam ſi tu definire coneris, & fruſtra conabere: eam enim amittes definiendo: & cogeris duntaxat per habitudinem ad terminos, quos nondum habet infinitudinẽ definire: ubi infinitudo non tam habet rationem ad ſe & intrinſecus pertinẽtem, quàm extrinſecus ad aliaq; ſpectantem: quod quidem uerè eſt infinitum eſſe. Siquid enim in hac ita ſuum ponas, ut nõ referatur ad aliud, hoc ipſum quod non erit ad finem, erit finis. Finis autem repugnat infinitati. Materiam igitur exiſtimabimus infinitam: non quidem definientes intrinſecus, ſed ad rationem ipſam extrinſecus referentes. Ad rationẽ inquam (ut ſæpe diximus) idealem, & ſeminariam, & formalem. Cui quidem uelut fini & finienti materiam opponimus, uelut ad finem & indefinitam atq; finiendam. Opponimus inquam, hoc illi, ſimpliciſſimum ſimpliciſſimo. Vnde rectè concludimus: ſicut ratio ipſa non alia dote, ſed ſeipſa ratio eſt, & finis, & forma: ſic materiam non alio addito, ſed natura ſua eſſe prorſus indefinitã: quic-
E quid enim addideris erit finis, eamq; definiet.

Soluuntur quatuor quæſtiones de materia circa alteritatem, priuationem, infinitum malum. Cap. XVI.

CAput libri ultimum quatuor de materia quæſtiones mouet & ſoluit, circa alteritatem priuationemq; & infinitum atq; malum. Tu uerò inter hæc nota alteritatem ipſam, ſiue diuerſitatem eſſe communem ad formalia ſimul atq; materiam. Vtrobiq; enim eſt atq; inter utraq;. Materia igitur idem eſt quod alteritas, non quidem ſimpliciter, ſed alteritas ab illis quæ uerè ſunt, ideſt, rationibus idealibus longiſsimè diſtans. Quæ ſi propterea dicitur quandoq; non ens, quod ab ente primò longiſsimè diſtet, interea ens quoddam dici poteſt, ideſt, aliquid à primo longiſsimè ſegregatum. Similiter quoq; priuatio dicitur non ſimpliciter quaſi nihilum, ſed extrema ad primum ens oppoſitio, & ad ideales quæ in ipſo ſunt rationes. Non igitur eiuſmodi priuatio perditur, ideſt, eiuſmodi natura materiæ formabilis aliunde, quando ſuſcipit formam: ſed permanet eiuſmodi ſemper ſub iecta natura, perpetuóque uel formas, uel formarum modos alternat, uiciſſimque formatur. Si materia infinitum quantitate foret, quando acciperet terminum, naturam prorſus amitteret. Cũ uerò per formabilitatem ſit infinita: quò magis formatur, eò magis formabilitatem exercere uidetur, propriúmq; ſubiecti formabilis officio fungi. Proinde cum acceptis bonis, ideſt, formis adhuc reſtet informis: propterea quòd nullam per ſe ſibi propriam contrahat, formarumq; iacturæ ſit pro-
F na, merito ad huc dicitur eſſe malum. Deniq; tres hic gradus conſiderabis. Primum quidem ipſum unum ente ſuperius. Secundum uerò ens ipſum, in quo entis materia ponitur: quam etiam ens iudicari nil prohibet. Tertium corporei mundi materiam: quæ cum per extremum gradum ſit inferior ente: hac utiq; conditione ſolet appellari non ens: non dico nihilum, ſed quaſi non ens, ſi ad entis ipſius ueri pulchritudinem comparetur. Ab ipſo enim ente primo uſq; ad naturam uera entia omnia iudicantur. Formæ uerò corporum quæ à natura in materiam fiunt entia non uera. Materia deniq; uerum non ens. Quia uidelicet non ſolùm ab entis ipſius natura, ſed etiam ab eius imagine cadit. Qualis certè imago informis naturalibus reperitur. Materia enim neq; ens uerum eſt, neq; imaginis more ipſum alicubi repræſentat.

Quamuis de materia non dicatur ens, uel eſſentia, uel eſſe propriè, tamen non debet dici nihilum, ſed aliquid, & id quidem modo ſubſtantiæ. Cap. XVII.

APud Peripateticos quidem ſiquis materiam non ens diceret, hanc omnino diceret nihilum. Sed apud Platonicos qui ipſam unius naturam latius quàm naturam entis longiusq; ſurſum deorſumq; protendunt: quamuis materiam dicas non ens, non tamen habes eam pro nihilo: ſicut neq; pro nihilo habes ipſum bonũ, quamuis non ens iudicetur. Sed illud quidẽ ita non ens, ut ſit ſuperius ente: hanc autẽ nõ ens, ita ut ſit inferior ente. Sicut uerò deus sũmus apud plerosq; dicit purus actus, cui non ſubeſt propria formabilisq; in deo potentia, ſed quaſi eiuſmodi potentiæ loco illi reſpondent

A reſpondẽt actui potentiæ reliquorum Sic cum materia ſit potentia pura, cui non reſpondet in ea proprius actus, ſaltem pro hoc ipſo actu cæterorum actus reſpondere uidentur. Quamuis autẽ ubi actum proprio nomine nuncupamus: quia formalem uigorem ſignificet, cum materiæ proprium minimè concedamus: tamen ubi actus ſignificaret nõnihil in ſua dependente natura quodammodo præſens atque firmum, firmam huius naturæ ſiue quaſi præſentiæ ueritatem quaſi actum quendam materiæ tribuere non uerebimur: apellabimusq; quodammodo ipſum eſſe materiæ. Qui ſanè actus quòd ue eſſe non prohibet materiam puram dici potentiam. Præſens namq; & firma materialis potentiæ ueritas eam efficit uerius puriusq; & firmius eſſe potentiam. Neq; tu potentiam hanc aliarũ debes conditione perpendere. Cæteræ namq; potentiæ ſunt in ſubiectis: hæc omnium naturalium eſt ſubiectũ. Eſt ergo potẽtia hæc (ut ita dixerim) ſubiectalis atq; ſubſtãtialis. Addã eſſentialis: ſi modò infra entis limites nominari eſſentia poſsit. Sic enim diceremus materiã, uel eſſentiã potẽtialẽ, uel potentiã uiciſsim eſſentialem. Meritò enim potentię & actus in rebus accidentales, & iacentes in alio, ſicut rediguntur in actum primum præexiſtentem, ſic in primam potentiam ſubſiſtentem. cuius quidem eſſe ſit forte ſubeſſe, ſicut & materialis formæ eſſe forſitan eſt ineſſe. Sed hic præterea theologi nonnulli dicent ipſum ſimpliciter eſſe antecedere naturaliter, ſiue ratione quadam & ordine eſſe ſic aut aliter, aut hic, aut ibi. Ideoq; neq; formã ineſſe poſſe, niſi prius ſit ſimpliciter in ſe ipſa: neq; materiam rectè intelligi poſſe ſubeſſe, niſi intelligatur quodammodo prius ſimpliciter eſſe: quodquidem eſſe primum appellant eſſe eſſentiæ: cui mox addunt eſſe exiſtentiæ. Per primum quidem aiunt rem eſſe in ſua eſſentia, atque ex ipſa. Per ſecundum uero, rem aiunt eſſe in effectu rerumq; ordine, & aliunde pendere. Quamobrem concedent materiæ primum eſſe per ſe ſecundum
B uerò per formam. Forte uerò Platonici quidam etiam primum eſſe materiæ auferent: præſertim ubi Plotinum audiunt prohibentem aſsignari ipſum eſſe materiæ. Sicut ergo theologi multi in primo rerum principio eſſe ponunt ſine eſſentia: ſic & hi materiam quaſi eſſentiam ſine eſſe putabunt: neque tamen nihilum, ſed aliquid appellabunt. Nam & Plotinus materiam imaginem appellat eſſentiæ. Sicut ergo res aliæ ſuas habent imagines, quæ quidem quamuis res ipſæ non ſint, ſunt tamen aliquid: ſic & imaginem eſſentiæ quamuis non ueram eſſentiam, tamen nonnihil & aliquid nominabimus. Quamuis autem materia dici poſsit unum, & nonnihil & aliquid: negare tamen ſolent ipſam propriè aliquid eſſe: ne forſan animus dũ audit aliquid, ſuſpicetur aliquid eſſe formale: ſicut plurimũ cõſueuit. Quippe cùm ipſe ſit forma, atq; ex formis incitetur ad cogitandum, cogiteteq; per formas. Reuera tamen materia iudicatur re ipſa nonnihil & aliquid quaſi ſubſtantiale. Vnde Plotinus in ſuperioribus ait, materiam eſſe corporibus neceſſariam. Neq; uanum nomen eſſe, ſed ſubiectum aliquod quamuis occultum: multoq; magis ſubiectum hoc quàm quantitates qualitatesq; ſubſiſtere. Quod & Timæus indicat ubi ait, ante mundum fuiſſe architectum mundi uelut patrem & materiam ſicut matrem: Materiamq; appellat ſubiectum & ſuſceptaculum atq; locum. Ex quibus uerbis apparet, materiam rem eſſe præter conceptus & relationes noſtras corporibus ſubſidentem. Quod Peripatetici quoq; confirmant: ubi ſubſtantiam diſtribuunt in materiam & formam atq; compoſitum. Quamuis autem materiam ſubſtantiam nominemus, quia ſubſtat corporibus: neq; iacet in alio, putamus tamen eam deſuper perpetuò dependere: adeo ut nihil in ea uigoris ſit ad ſe conſeruandam. Dependet igitur tum ab ipſa natura, quaſi neruo quodam inde deuincta.
C Quinetiam per formas à natura in materiam continuè iactas quaſi per neruos aſſiduè colligatur. Ipſa uerò formam ſubſtinet modo profundi. Atq; dum cadit ab ente, ideſt, à natura quæ uerorum entium infimum eſt: interea ſubeſt ut fundamentum imaginibus entis, formis ſcilicet naturalibus. Quamobrem etiã ſi apud quoſdam materia dicatur habere quaſi eſſe in ſe ſuæ eſſentiæ proprium, quod quidem in ea antecedat eſſe formale atq; exiſtere: tamen primum quoq; eſſe illi tributum conſeruatur ipſi ab ipſa natura ſemel ſicut à formis corporum conſeruatur eſſe ſecundum atq; exiſtere: ſed uiciſsim ab alia deinceps atq; alia: quaſi natura uarios in horas applicet neruos, per uices ad materiam ſibi cognatius uinciendam. Sed finem iam diſputationi huic imponamus. Nam in libro etiã ubi Plotinus diſputat incorporea nihil pati, & alibi multa de materia tractabuntur.

D PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVARTVS DE MATERIA.

Mouet dubia de materia, utrum ſit in corporibus tantùm, an etiam alibi. Cap. I.

OMNES Qui de materia diſputant ſi modò in notitiam vllam huius naturę peruenerint, cõmuni deſcriptione eam ſubiectum quoddam & ſuſceptaculum ſpecierum eſſe aſſerũt: atq; hactenus conſentire videntur. Quid autem ſit hæc ipſa ſubiecta natura, & quo pacto, & quę ſuſcipiat, inquirendo diſſentiunt. Profectò quicunq; res ipſas corpora ſolùm eſſe putant, eſſentiamq; in his conſiſtere, vnam in his materiam eſſe dicunt: quæ quidem elementis ſubiecta ſit, ipſaq; ſit eſſentia: cætera verò omnia quaſi materiæ paſsiones, eſſeq; hæc materiam ipſam ſic, aut ſic affectam: atq; eſſe ſic etiam elementa. Audent quinetiam ipſam ad deos vſq; protendere. Deniq; illum ſummum ipſorum deum materiam hanc exiſtere, certo modo ſeſe habentem. Tradunt præterea ipſi corpus, dicentes eam eſſe corpus vacuum qualitate. tribuunt inſuper E magnitudinem. Qui autem incorpoream admittunt eſſentiam, & ipſam materiam non vnam tantùm ipſorum aliqui ponunt: ſed alteram quidem & ipſi corporibus eſſe ſubiectam aiunt: de qua priores illi loquuntur. Alteram tamen in rebus intelligibilibus priorémque eſſe materiam, ſpeciebus quæ ſunt illic, incorporeisq; eſſentijs ſubditam.

Rationes probantium in mundo intelligibili non eſſe materiam. Cap. II.

QVamobrem de hac ipſa prius eſt perquirendum, an ſit, quid ſit, & quo pacto. Si autem materiam eſſe oportet indefinitum aliquid & informe: In rebus verò incorporeis vt pote optimis nihil indefinitum eſt, nihil informe, non erit ibi materia. Præterea ſi quodlibet illorum eſt ſimplex, nequaquam materia indiget, ex qua & alio quodam addito compoſitum quoddam cõficiatur. Rurſus in his quæ gignuntur atq; ſub his quæ ex alijs alia gignunt, opus eſt materia, illis autem quæ non gignũtur minimè. Siquidem in rebus ſenſibilibus materia ex ipſa generatione mutuaq; permutatione videtur inuenta. Deniq; vnde F nam materia apud illa proceſsit & ſubſiſtit: Si enim facta eſt, certe eſt ab aliquo facta: ſin autem ſempiterna eſt, plura principia ſunt: atq; ea quæ prima ſunt omnium ſecundum contingentiam ſunt. ac ſi ſpecies illic accedit, quod ita componitur erit corpus. Itaq; corpus illic inſuper erit.

Soluit argumenta probantia non eſſe in intelligibili mundo materiam. Cap. III.

PRincipiò dicendum eſt, non vbiq; quod indefinitum eſt, eſſe penitus contemnendum, neq; quod in ipſa ſui notione ſit informe, ſi modò ſeipſum ſuperioribus & optimis ſit præbiturum. Quemadmodum & anima ſuapte natura ad intellectum rationemq; ſe habet: quæ quidem ab his formatur, & in ſpeciem perducitur meliorem. Accedit ad hæc quod in intelligibilibus quod compoſitum dicitur, ſe aliter habet: neq; certè ſicut corpora. Quandoquidem & rationes ipſæ compoſitæ ſunt, atq; actu compoſitum quoddam faciunt, ipſam, ſcilicet naturam quę agit ad ſpeciem. Si autem fertur ad aliud, nimirum & dependet ab alio, multoq; magis. Item materia eorum quæ gignuntur, aliam ſemper & aliam ſemper habet ſpeciem. Sempiternorũ verò materia eadẽ ſemper poſsidet idẽ. Fermè verò hæc apud nos materia contrà ſe habet, atq; illa. Hæc enim per

partes

A partes & alterne fit omnia, in ſingulisq; temporibus ſingula: ideoq; nihil vſquã permanet, dum alia ab alijs extruduntur. Iccirco nihil ſemper eſt idem. In ſuperis autem materia ſimul eſt cuncta. Cumq; iam cuncta poſsideat, non habet omnino in quod valeat permutari. Nunquam igitur materia illic eſt informis: quãdo neq; informis vnquam eſt materia noſtra. Sed & in hoc aliter hæc atq; illa ſe habet. Quod inſuper dicebatur: vtrum ſempiterna ſit an genita, tunc demũ nobis erit perſpectum, poſtquam quid ipſa ſit oſtenderimus.

Probat eſſe in intelligibili mundo materiam. Cap. IIII.

PRincipiò cum alibi ideas eſſe fuerit demonſtratum, admittentes impræſentia ideas eſſe, ad inſtitutum progrediamur. Profectò ſi plures ibi ſunt ſpecies, commune quiddam in ipſis eſſe neceſſarium eſt: rurſusq; proprium, quo aliud ab alio diſtinguatur. Hoc vtiq; proprium atq; hæc ſeparans differentia, forma certè eſt propria. Quod ſi illic eſt forma, eſt inſuper & formatum, circa quod diſſerentia eſt. Subeſt itaq; materia quæ illam accipiat formam, perpetuoq; ſubiectum. Præterea ſi intelligibilis illic mundus exiſtit: hic verò noſter illius eſt imitatio, atq; cõponitur ex materia: illic quoq; oportet eſſe materiam. Alioquin
B quánam ratione mundum ornatumq; appellabis niſi ſpeciem ſiue ſpecies contempleris? Quo autem modo contuebere ſpeciem, niſi id quoq; in quo ſpecies eſt comprehendas? Indiuiſibilis quidem prorſus eſt vbiq; mundus ipſe ſuperior, & quadam rurſus conditione diuiduus. Ac ſi partes eius inter ſe diſperſæ ſint: ſectio ipſa atq; diſperſio eſt quædam materiæ paſsio: Ipſa enim eſt propriè quæ paſſa dicitur ſectionem. Sin autem quæ multa illic ſunt, vnum ens impartibile ſint: nimirum multa illa in vno exiſtentia, in vno illo ſunt ceu materia, ipſaq; ipſius ſunt formæ. Vnum namq; ipſum quod eſt varium conſiderandum inprimis eſt varium atq; multiforme. Conſiderandum rurſus velut informe an tequam varium. Si enim cogitatione illinc abſtuleris varietatem, formas, rationes, intelligentias, procul dubio quod hæc antecedit informe indefinitũq; occurrit: nihilq; apparet eorum, quæ penes ipſum in ipſoq; ſunt.

Soluit quæ obijci poſſent ſuperioribus: & dicta confirmat. Cap. V.

SI autem ex eo quòd eſſentia eiuſmodi ſemper hæc habet, ſimulq; ambo ſunt vnum, dicatur non eſſe ibi materiam: ſequetur vt neq; etiam hic ſi materia
C corporum. Nunquam enim materia hæc eſt abſq; forma, ſed ſemper totum corpus: nihiloq; minus eſt compoſitum. Atq; intellectus duplicitatem inuenit. Hic enim diuidit quouſq; ad id quod ſimplex eſt peruenerit: quod videlicet vlterius reſoluí non valeat. Quatenus verò referrí in aliud poteſt, in eius profundũ penetrando progreditur. Profundum deniq; vniuſcuiuſq; eſt materia. Quapropter materia omnis eſt tenebroſa, quoniam ipſa ratio lumen eſt, & ipſe intellectus eſt ratio. Itaque rationem in vnoquoq; perſpiciens, id quod inferius eſt, quaſi ſub lumine obſcurum eſſe coniectat. Quemadmodum oculus cum ſit luminoſus in lumen aſpiciens ſimúlque in colores, qui lumina quædam ſunt, adducit, vt dicas, ea quæ ſub coloribus latent, obſcura materíiaque reſtare, coloribus adoperta. Veruntamen longè diſcrepat, quod tenebroſum rebus intelligibilibus, quódue rebus ſenſiblibus ſubeſſe conijcimus: tantóque differt ab hac materia illa, quanto ſpecies inhærens illi à ſpecie quæ huic inhæret eſt differens. Diuina enim materia accipiens quod eam terminat, vitam determinatam, intellectualémque nanciſcitur. Hæc autem determinatum quidem aliquid fit: neque tamen viuens, neque intellectuale quicquam,

A ſtura ipſius eſſe eſt particeps, certè ens ipſum antiquius eſt. Quòd ſi & ipſum ens miſtura quædam eſt, alio quodam his opus eſt tertio. Quamobrem ſi neceſſe eſt rerum artificem eſſe priorem, quidnam oportuit ſpecies ſecũdum exigua in materia eſſe? deinde intellectum inextricabili negocio confuſa diſcernere? Cum liceat materiæ, ſiquidem ſit non qualis, imprimere qualitatem, atq; formam per totam extẽdere. Poſtremò qua ratione fieri poſsit, vt in quolibet omnia ſint profectò non video. Qui autem infinitũ materiæ loco ponit, quid hoc ipſum ſit debet exponere: Ac ſi ita infinitum eſt, vt id pertranſire quis nequeat, meminiſſe oportet, non poſſe eiuſmodi quicquam in rebus exiſtere, neq; ſi ipſum per ſe & in ſe infinitum ſit, neq; ſi in alia ſit natura quaſi cuiquam corpori accidens. Profectò neq; ipſum in ſe immenſum, quoniam pars quoq; eius neceſſariò foret immenſa, neq; infinitum accidens alteri, quoniam illud cui accidit ſuapte natura infinitum minimè foret: neq; ſimplex: & profectò neq; materia: ſed neq; atomi etiam materiæ ordinem ſortientur, quæ quidem nihil ſunt omnino. Omne enim corpus eſt per omnia diuiſibile. Refellitur quoq; idem ex ipſa corporum continuitate atq; humore. Rurſus ex eo quòd abſq; mente & anima ſingula eſſe non poſsint, quam ex atomis componi natura non partitur. Item quia nulla prorſus natura præter atomos adinuenta poteſt quicquam ex atomis fa-
B bricare: quandoquidem nullus artifex ex materia non continua conficere quicquam valet. Quamplurima præterea aduerſus opinionem hanc dici poſſent, dictaq; ſunt: qua propter ſuperuacuum eſt in his diutius immorari.

Quid non ſit, quid ue ſit materia, ideſt, quod nullas habeat formas, & quomodo ad formas ſe habeat. Cap. VIII.

QVæ nam igitur eſt hæc quæ vna continua qualitatis expers eſſe dicit? Principiò hãc nõ eſſe corpus, ſi modò qualitatis eſt expers, eſt manifeſtum: alioquin qualitatẽ eſt habitura. Cũ verò dicamus hãc ipſam omniũ ſenſibiliũ eſſe materiã, nõ autẽ quorundã quidem materiã eſſe, quorundã verò ſpeciẽ: ceu lutũ ſolemus dicere penes ſingulũ quidẽ materiã eſſe, ſimpliciter autem no eſſe materiã. Cùm inquã nõ ita de ipſa mundi materia diſtinguamus, ſed ad omnia ſimpliciter referamus: nimirũ nihil prorſus eorũ quæ in ipſo ſenſibilium genere percipiuntur, ipſi ſecundũ naturã ſuã attribuemus. Si ita eſt præter alias qualitates velut colores, calorẽ, frigus, neq; etiã leuitatẽ, neq; grauitatẽ, neq; dẽſitatẽ, neq; raritatẽ, neq; figurã, materiæ debemus aſcribere: igitur neq; etiã magnitudinẽ. Aliud nãq; eſt ipſa magnitudo, aliud verò magnũ. Rurſus aliud figu-
C ra aliud figuratum. Oportet verò ipſam nihil eſſe cõpoſitũ, ſed ſimplex, & vnũ quiddam ſuapte natura. Nam ita demũ omnium erit vacua. Et qui ei traditurus eſt formam, tradet eam velut aliud quiddã exiſtens præter materiã. Magnitudinẽ quoq; & omnia ex his quæ ſunt, velut offerens & afferẽs largietur: alioquin materię ipſius magnitudini ſeruiet, opusq; faciet, nõ quãtũ ipſe decernit, ſed quantũ ipſa materia capit. Quòd autẽ nõnulli ferũt artificis voluntatẽ cũ ipſa materię magnitudine cõgredi, videtur eſſe figmẽtũ. Si autẽ efficiẽs cauſa materiã antecedit, ſic prorſus materia ſe habebit, vt vult efficiens, ductuq; ad omnia facilis, igitur & ad magnitudinẽ. Sin autẽ habeat magnitudinẽ, habebit quoq; figurã: quapropter difficilius etiã elaborari poterit ab artifice. Ingreditur igitur materiã ſpecies omnia ſecũ afferẽs: ſpecies verò omnis cõtinet magnitudinẽ, & omnino quãtitatis modũ vnà cũ ratione atq; ſub ratione. Iccirco in ſingulis rerũ generibus quantitas vna cũ ſpecie deſignat. Alia nãq; præſcripta eſt hominis magnitudo, auis alia: profectò abſurdum foret aliud eſſe certæ auis propriã quantitem adducere, quam eiuſdem propriam imprimere qualitatem. Neq; enim dicendum eſt qualitatem quidem eſſe rationem quandam, quãtitatem verò non eſſe ſpeciẽ, cũ menſura quædam numerusq; exiſtat.

D *Quod materia nullam habeat quantitatem. Cap. VIIII.*

VErùm quánam ratione rem aliquã quis apprehendet, quæ nullam pro habeat magnitudinem? Fortè verò quodcũq; non idem eſt quod quãtũ. Non enim idẽ eſt ens, & quãtum: nam & alia præter quãtum multa ſunt. Omnino autem incorpoream naturã omnem ponere debemus à quãtitate remotam: incorporea verò & materia eſt: Quinetiam ipſa quantitas non eſt quanta. Quãtum enim eſt quod quantitatis eſt particeps: quapropter ex hoc quoq; manifeſtum eſt quantitatem ſpeciem quandam eſſe. Quemadmodum igitur albedinis præſentia fit aliquid album: quod autem albedinem facit in animali coloresq; varios non eſt color varius, ſed varia quædam ratio: ſic quod facit quantum nõ eſt quantum aliquid, ſed quantum ipſum, vel quantitas ipſa, vel ratio quantitatis effectrix. Accedens igitur ipſa quantitas in materiam, nunquid materiam in amplitudinem explicat & extendit? Nullo modo. Neq; enim in anguſtum coacta fuerat. imò verò magnitudinem quæ prius non erat affert, ſicut & qualitatẽ quæ antè non erat adducit.

E *Vtrum, & quomodo cogitari materia poſſit cum careat quãtitate & omni forma. Cap. X.*

QVid ergo? intelligã ipſum expers magnitudinis in materia? Quid autẽ? intelliges quoquo modo informe? Et quæ nã intellectio, quis ve cogitationis intuitus? Fortè indefinitas ipſa. Si enim ſimile ſimili quodam attingitur, ergo & ipſa indefinitate indefinitũ quoq; percipiẽt. Ratio quidem circa indefinitũ eſſe definita poteſt, intuitus autem in ipſum indefinitus euadit. At ſi quodlibet ratione intelligentiaq; cognoſcitur: Hic autẽ ratio quidẽ dicit de ipſa quæ cunq; dicit: quę verò intelligentia eſſe ſtudet, nequaquã intelligentia eſt, ſed velut orbitas quædam intelligentiæ: profectò imaginatio circa materiã non legitima eſt, ſed ſpuria, partim ex altera non vera, partim cum altera ratione cõpoſita. Ac forſan huc Plato ſpectans ait, materiã adulterina percipi ratione. Quę nã igitur ipſa animę indefinitas eſt? Nunquid inſcitia integra velut abſentia? Fortè potius in quada negatione cũ affirmatione quadam infinitum conſiſtit. Sicut oculo obſcuritas eſt tenebrarum, quæ quidem omnis inuiſibilis coloris materia eſt: ſic igitur & anima auferẽs quodcunq; eſt in genere ſenſibili quaſi lumen, neq; valens quod reſiduum eſt terminare, ſimilis euadit oculo in tenebris conſtituto. Idem quodammodo tunc effecta ei, quod quaſi videt. An igitur videt?
F Fortè tanquam nõnihil figuræ, coloris, luminis expers. Præterea nullam magnitudinem habens, alioquin in ſpeciem iam redigeret. Quando igitur nihil prorſus intelligit, nónne eadem illa eſt atq; hæc animæ paſsio? Nequaquam. Quando enim nihil intelligit, dicit nihil, imò verò nihil patitur. Quando verò materiam cogitat talem patitur paſsionem, qualem ſi quandam informis rei recipiat formam. Siquidem & quando quæ formata ſunt, qũæue magnitudinem habẽt intelligit, tanquam compoſitum quiddam cogitat. Quaſi enim diſtincta vel colorata, & qualitatibus inſignita conſiderat. Totum ergo quiddam intelligit, ac ſimul ambo, atq; perſpicua quidem intellectio ſiue ſenſus fit inhærentiũ. Vmbratilis verò fit informis ſubiecti ſuſpitio: neq; enim ſpecies eſt. Quando igitur in toto atq; compoſito ſubiectum vnà cum his quæ inſunt accipit, ſi reſoluat & ſeparet conſequentia, tunc reſiduum quod relinquit ratio, velut tenue quiddã tenuiter ſuſpicatur, obſcureq; obſcurum, & intelligit non intelligens. Et quoniam nec ipſa materia informis permanet, ſed in rebus formatur aſsiduè, iccirco & anima repente ipſi rerum adhibet ſpeciem indefinitatem ægreferens, perinde ac ſi metuat, ne extra rerum ordinem corruat, neq; toleret in eo quod non eſt, diutius immorari.

Quod

A

Quòd materia non ſit quantum aliquid. Cap. XI.

SEd cur nam alio quodam opus eſt ad corpora componenda præter magnitudinem omnesq; qualitates? An fortè opus eſt eo quod ſuſcipiat omnia? Non igitur id erit moles. Si enim moles eſſet, foret & magnitudo. At enim ſi expers eſt magnitudinis, forſan vbi cætera ſuſcipiat non habebit: ſiquidem magnitudine carens quidnam conducet, ſi neque ad ſpeciem & qualitatem, neq; ad diſtantiam & magnitudinem conferat. Quæ quidem vbicunq; ſit, corporibus ab ipſa materia videtur accidere. Omnino autem ſicut actiones, effectiones, tẽpora, motus, quamuis ſuſpitionem in ſe materiæ nullam habeant, ſunt tamen in ordine rerum: ita neq; prima corpora neceſſe eſt habere materiam, ſed tota ſigillatim id ipſum quod ſunt exiſtere, exiſtẽtia quidem magis varia miſtione ex pluribus ſpeciebus conſtitutionem habentia. Nomen igitur id materiæ quod carens magnitudine dicitur, vanum eſſe videtur. Cæterum nequaquam neceſſarium eſt, ſuſcipiens quodlibet eſſe molem ſiue dimenſionem, niſi fortè adſit iam magnitudo: quandoquidem & anima capiens omnia, ſimul omnia poſsidet. Quòd ſi ei cõtingeret magnitudo, meritò haberet in magnitudine ſingula. Ma
B teria verò ob hoc ipſum in ſpatio quodam, quæ accipit, excipit, quoniam ſpatium quoque ſuſcipit. Quemadmodum animalia & plantæ dum magnitudine protenduntur, productionem interea qualitatis accipiunt: vbi etiam quantitate cõtracta, qualitas quoq; contrahitur. Siquis autem ex eo quòd in rebus eiuſmodi præcedit aliqua magnitudo formatori ſubiecta dixerit ſimpliciter exigi magnitudinem, non rectè vtiq; dicet. In his enim conficiendis non ſimpliciter ipſa materia, ſed talis rei materia cogitatur. Ipſam verò quæ ſimpliciter materia eſt, oportet magnitudinem quoq; ab alio quodã accipere. Itaq; non oportet id eſſe molem, quod eſt ſpeciem ſuſcepturũ, imò verò dum fit moles, qualitatem quoq; aliam ſuſcipere: & viſum quidem imaginemq; molis habere, vtpote quę cum prima ſit, aptitudo quædam eſt ad illam. Fingitur autem quaſi moles quædam ſiue dimenſio vacua: iccirco nonnulli materiam idem eſſe atq; vacuum tradiderunt. Imaginationem verò dimenſionis inquam: quoniam animus cum nihil determinare valeat quando inſpicit in materiam per indefinitatem ſeſe fundit, neque circumſcribens, neque inſignum ſe alicubi dirigens, alioquin iam aliquid definiret. Quamobrem neq; magnum aliquid ſeorſum dicendum eſt: neque paruum rurſus id ſubiectum, ſed magnum atque paruum. Atque ita moles & ita magnitudine carens: quia videlicet ſit materia molis. Ac ſi in angu-
C ſtum contrahatur ex amplo: & viciſsim ex anguſto protendatur in amplum, quaſi molem percurrit. Indefinitáſque ipſius eſt eiuſmodi moles. Capacitas inquam magnitudinis in ſeipſa: In imaginatione autem eo modo quo diximus. Etenim cætera carentia magnitudine, quæ quidem ſpecies ſunt, ita ſe habent, vt quodlibet ſit definitum: Ideoq; nulla in illis molis ſuſpitio cadit. Materia verò cum & indefinita ſit: & nunquam penes ſeipſam quieſcat, ſed huc atq; illuc in omnem ſpeciem transferatur, paſsimq; lubricitate mira in quælibet deriuetur: nimirum euadit multa, ob ipſam videlicet per omnia deductionem atque geniturã. Hac conditione naturã quandam molis dimẽſionisq; nacta videtur.

Suſceptio formarum non fit ratione quantitatis, ſed ratione materiæ differentis à quantitate. Cap. XII.

COnferunt igitur ſpatia corporibus: Speties enim corporum in dimenſionibus fiunt, non tamen circa ipſam magnitudinem quaſi ſubiectum efficiuntur, imò verò circa ipſum quod fit quantum. Si enim circa magnitudinẽ

D ipſam potius quàm circa materiam orirentur, ſimiliter vtiq; magnitudine ſubſiſtentiaq; carerent, vel rationes tantùm eſſent. Hæ verò circa animam verſantur, ideoq; non eſſent corpora. Oportet igitur hîc circa vnum multa verſari, vnum inquam quod ſit quantum: id autem aliud quàm magnitudo eſſe debet: quoniam quæcunq; miſcetur, ex eo quod materiã habeant in idem congrediũ tur, neq; alio egent circa quod fiant. Quodlibet enim eorum quæ commiſcentur concurrit, ſuam ſecum eandemq; materiam afferens: opus eſt tamen ſimul etiam receptaculo quodam, ideſt, vaſe, vel loco. Locus autem materia corporibusq; poſterior eſt: quapropter corpora prius materia indigent. Neq; verò propterea quòd actiones & effectiones immateriales ſint, conuincitur etiam corpora eſſe abſque materia. Hæc enim compoſita ſunt: actiones verò nequaquã. Ipſaq; materia ſubiectum præbet agentibus, quando agunt, in ipſis videlicet permanẽs. Neque tamen in actionem exhibet ſemetipſam: neque enim agentes ipſi id quærunt: neque actio altera permutatur in alteram, quo neceſſe ſit ipſis ineſſe materiam, ſed agens ipſe ex alia actione pertranſit in aliam: adeo vt conſentaneum ſit eum actionibus eſſe materiam. Eſt igitur materia neceſſaria
E tum qualitati, tum etiam magnitudini: ideoq; corporibus. Neq; nomẽ eſt vanũ ſed ſubiectum aliquod eſt, quamuis inuiſibile & magnitudinis expers: alioquin qualitates etiam & magnitudinem ſimili ratione eſſe negaturi ſumus. Horum namq; quodlibet ſi in ſeipſo tantùm accipiatur, nihil eſſe dicetur: ſin autem hæc ſunt, & ſi horum quodlibet eſt tenuiter, multò magis materia quoque erit, quamuis non ſit perſpicua, perceptibilis quidem non ſenſibus. Neq; enim oculis, incolor namq; eſt: neq; auditu, caret enim ſono: neq; vel olfatu vel guſtu, humorem namq; vaporemq; non habet. Sed nunquid tactu? Neque hoc quidem: quoniam non eſt corpus. Corpus enim tactus attingit, percipiens vel dẽſum eſſe, vel rarum, aut molle, aut durum, ſiue humidum, ſiue ſiccum. Horum verò nihil eſt materiæ proprium. Materia igitur non ſenſu, ſed ratione conijci poteſt: non ratione inquam intellectu plena, ſed vacua. Ideoq; ratio hæc adulterina vocatur. Proinde neq; corporeitas ipſa eſt materiæ propria. Siue enim corporeitas ſit ratio quædam ſanè differens à materia: nimirum materia aliud quid dam eſt quàm illa, ſiue iam in efficiendo quaſi commiſta proculdubio iam erit corpus, neq; amplius materia ſolùm.

Materia nec qualitas eſt, nec habet propriam qualitatem. Cap. XIII.

F Si autem qualitas quædam dicatur rerum eſſe ſubiectum, quæ quidem cõmunis ſit omnibus elementis, primò exponendum erit, quæ nam ſit eiuſmodi qualitas: Deinde quonam modo qualitas poſsit eſſe ſubiectum: Item quo pacto in eo quod magnitudine caret quale quiddam percipiatur, neq; materiam neq; magnitudinem poſsidens: Poſtremò ſiue qualitas hæc definita ſit, quomodo poterit eſſe materia? ſiue quoddam indefinitum, nequaquã erit qualitas, ſed ſubiectũ potius, & materia iam ipſa quam quærimus. At obijciet forſan aliquis, nihil prohibere quo minus materia expers quidem ſit qualitatis, quatenus ſuapte natura nullam aliorum participat qualitatem, ſed ob id ipſum quòd nullam participat aliorũ, iam eſſe qualẽ, quaſi ,pprietatẽ eiuſmodi poſsidentẽ per quã ab alijs differat, velut illorum priuatio quædam. Etenim qui priuatus eſt quodammodo dicitur eſſe qualis, ſicut & cæcus. Si igitur horum priuatio eſt circa materiã, quidnam prohibet eam eſſe qualem? Si autem & omnino priuatio eſt circa ipſam, ex hoc etiã magis id ſequetur: ſiquidem priuatio eſt quale quidam. Cæterùm qui talia dicit, quidnã aliud quàm qualia & qualitates efficit omnia? adeo vt & quantitas futura ſit qualitas, ſimiliterq; eſſentia. Quòd ſi quale eſt horum quodlibet, nimirum qualitas adeſt. Ridiculum verò eſt fateri, quod quale fit non tam à quali quodam fieri, quàm á quodam quod alterum ſit à quali.

Quod

A Quòd ſi dicatur iccirco id fieri poſſe, quoniã id ipſum quod dicitur alterum ſit quale, quærẽdum erit, vtrum quod alterum dicitur ſit alteritas ipſa. Quod ſi ita ſit, nõ erit vt quale, quandoquidem neq; qualitas ipſa ſit qualis. At ſi dicatur ſolum alterum, reſpondebitur, non ſe ipſa, ſed alteritate fieri alterum, atq; idem identitate. Sed neq; priuatio qualitas eſt vel qualis, imò verò vel qualitatis vel alterius orbitas: ſicut ſilentium vocis, vel alterius cuiuſcunq; vacatio. Priuatio enim negatio eſt: quale verò in affirmatione cõſiſtit. Accedit ad hæc, quòd proprietas materiæ non eſt forma: proprium namq; eius eſt neq; qualem eſſe, neq; ſpeciem poſsidere. Abſurdum eſt autem ob hoc ipſum quod nõ ſit qualis, eam qualem denominare: perinde enim id ſe habet, ac ſi dixeris, qua ratione magnitudinem nullam habet, eadem quoq; magnitudinem poſsidere. Quamobrem proprietas eius eſt, non aliud quiddam quàm quod eſt ipſa: neq; ipſi proprietas eſt appoſita, imò potius in habitudine quadam ad alia proprietas ipſa cenſetur: quoniã videlicet materia aliud eſt quàm illa. Et alia quidem nõ ſolùm alia ſunt verùm etiam quodlibet eorum aliquid eſt, vt ſpecies: materia verò cõgrue admodum dicetur ſolùm aliud eſſe. Fortè verò cõuenientius plurali numero eſ ſe dicetur alia, ne fortè ſingulariter pnũtians hoc ipſum aliud materiã, iã determines, ſed potius pluraliter alia nominando, naturã eius oſtendas indefinitam.

B

Vtrum materia ſit priuatio, uel priuatio de materia prædicetur. Cap. XIIII.

VErùm quærendum iam eſt, vtrum materia ſit ipſa priuatio, an potius priuatio de materia prædicetur. Qui igitur materiam priuationemq; dixit vnum eſſe ſubiecto, ratione autem duo, docere debebat, quàm potiſsimum vtriuſque rationem adducere deceat. Materiæ quidem rationem quæ definiat ipſam nihil priuationis attingens, priuationis quoque ſimiliter. Vel enim neutrum in alterius eſt ratione, vel vtrunque in vtriuſque, vel alterum in alterius tantùm, quodcunque ſit illud. Si igitur vtrunque ſeorſum definiatur, neutrúmque exigat alterum, duo erunt ambo, atque materia erit alterum quàm priuatio, quamuis accidat ei priuatio. oportet autem in definitione alterius, alterum ne potentia quidem perſpici. Si autem ita ſe habeant, vt naſus ſimus atque ſimum: ſic etiam duplex eſt vtrunq; atque duo. At ſi perinde ſe habeat ac ignis atque calor, videlicet cum in igne quidem calor ſit, in calore autem non neceſſariò ignis accipiatur, atq; materia ita ſit priuatio, vt ignis eſt calidus, certè priuatio erit materiæ ſpecies, ſubiectum verò aliud, quod quidem oportet eſſe ma

C teriam. Itaque neque hac ratione erit vnum. Cæterùm nunquid ita vnum ſubiecto ſunt, duo autem ratione, quaſi priuatio non deſignet ad eſſe quicquam, ſed potius non ad eſſe: atque ita priuatio entium negatio ſit, ceu ſiquis dicat non ens? Negatio enim nihil adiungit, ſed non eſſe dicit: atque ita priuatio erit tanquam non ens. Si igitur ita non ens dicatur, quia videlicet non ſit ens, ſed aliud quiddam: an ſic duæ quædam rationes erunt? altera quidem ſubiectum ſpectans, altera verò priuationem, ſignificans quandam ad alia habitudinem? Vel potius ratio quidem materiæ ad alia reſpicit, ſubiectíq; ratio prorſus ad alia. Ratio autem priuationis ſi indefinitatem eius oſtendit, forſan naturam eius attinget: hoc forſan excepto quod dicitur vtrunque vnum eſſe ſubiecto, ratione autem duo. Sin autem ex eo quod in determinatum quiddam eſt indefinitumq; & informe, idem eſt atq; materia, quonam pacto adhuc duæ rationes erunt?

D *Quomodo materia dicatur indefinita, siue indefinitas, uel priuatio.* Cap. XV.

RVrsus perscrutandum est, num secundum accidens ipsum infinitum interminatumq; in alia sit natura: & quomodo accidens: & nunquid priuatio accidat. Profectò si quæcunq; numeri rationesq; sunt, extra infinitatem sunt: quippe cum termini ordinesq; sint, atq; ipsa ordinatio ab his descendat in alia, ordinent autem non ordinatum quidem neq; ordines, sed aliud quiddam præter ordinantem sit ordinatum, terminus autem & finis & ratio ordinet: profectò necessarium est, vt quod ordinatur & terminatur suaptenatura sit infinitū. Ordinatur autem materia, aut etiam quodcunq; non est materia, ex eo quòd vel participat eam, vel materiæ sortitur conditionem. Itaq; necesse est infinitū ipsum esse materiam. Non tamen id ita dicendum est infinitum quasi secundū accidens, atque ex eo quòd materiæ accidat infinitum. Nam primò quidem quicquid alicui accidit rationem esse quandam oportet: infinitum verò non est ratio. Deinde cui nam existenti accidet infinitum? nunquid termino atque terminato? At enim materia neq; terminatum quiddam est, neq; terminus. Item
E infinitum accedens ad terminatum eius perdet naturam: non igitur infinitum accidens est materiæ. ipsa igitur est infinitum: quandoquidem & in mundo intelligibili materia ipsum est infinitum. Quod quidem forsan genitum est ex ipsa vnius infinitate, siue potentia, siue æternitate: adeo vt in ipso vno non sit infinitudo, sed ipsum sit infinitudinis auctor. Quánam igitur ratione & ibi & hic est infinitum? Fortè duplex est infinitum. Sed quo nam differunt Nempe tanquam exemplar atq; imago. Nunquid igitur id quod apud nos est minus, est infinitum? Fortè verò magis. Quatenus enim simulachrum ab existentia veritateq; deficit, eatenus magis est infinitum. Infinitudo enim magis est in eo quod minus est terminatum. Quod autem minus est in bono, magis est in malo. Quod igitur illic est, vt pote quod magis existit ens, velut imaginariè est infinitum. Quod autem hic ens minus, quatenus ab ipso esse veritateq; cadit, atque in naturam imaginis labitur, verius est infinitum. Proinde an idem est infinitū atque infinito esse? Fortè vbi ratio est atq; materia alterum est vtrunq;, vbi verò materia tātum, vel idem dicendum est, vel omnino, quod quidem & rectius se habet, non est ibi ipsum esse suum infinito assignandum: alioquin ratio quædam erit, quæ tamen in infinito nulla est, si modò futurum sit infinitum. Dicen-
F dum igitur materiam ex seipsa infinitum esse oppositione quadam ad rationē. Etenim sicut ratio non existens aliud quicquam ratio est, sic & materiam oppositam rationi secundum infinitatem, dicendum est ita infinitum esse, vt non aliud præterea sit quàm ipsa materia.

Quæstiones de materia circa alteritatem & priuationem, & infinitum & malum. Cap. XVI.

AT nunquid materia idem est atq; alteritas? Fortè non idem alteritati simpliciter, sed alteritatis parti videlicet oppositæ ad ipsa quę præcipuè sunt: quæ quidem rationes existunt. Qua propter & quod ita non ens dici ens quoddam potest: atque priuationi idem, si modò priuatio oppositio quædam sit ad illa quæ in ipsa ratione consistunt. Nunquid igitur priuatio disperdetur accedente illo cuius dicitur esse priuatio? nequaquam. Susceptaculum enim ipsius habitus, non est habitus, sed priuatio. Item susceptaculum termini neque terminatum quiddam est, neq; terminus, sed infinitum, quatenus infinitum. At quo nam pacto fieri potest, vt accedens terminus naturam ipsam infiniti non destruat? præsertim cum infinitum hoc secundum accidens non dicatur? Fortè si infinitum hoc, infinitum quantitate foret, disperderet: nunc autem non ita fit, sed contrà in esse conseruat. Ad quod enim natura fuerat institutum, in actum perfe-

A perfectionemque producit: ceu quod nondum ſatum fuerat, quando ſeriſeritur, atq; velut fœmina cum potitur maſculo: Tunc enim fœminea natura nõ perditur, ſed magis effœminatur, ſcilicet id ipſum quod eſt, magis efficitur. Sed nunquid materia bonum nacta malum eſt? Fortè ob hoc quoniam iã indiguit: neq; enim habebat. Etenim quod indiget aliquo, idq; nãciſcitur, medio quodã pacto ſe habet bonum inter atq; malum, ſi modò, æquè ſe habeat ad vtrunq;. Quod autem habet nihil vtpote inopia preſſum, imò verò cum ipſa inopia ſit, neceſſe eſt eſſe malum. Non enim vel diuitiarum, vel roboris hęc eſt inopia, ſed inopia quidem ſapientiæ, inopia & virtutis, pulchritudis, valoris, formæ, ſpeciei, qualitatis. Quid nam igitur prohibet, quo minus deforme id ſit, & omnino turpe omninoq; malum? Materia verò apud ſuperos ens dici debet. Quod enim ſuper ipſam extat, ſuperius ente cenſetur: apud nos verò quod eſt ſuper materiam, ens exiſtit. Quapropter cum de hac nõ ens dicitur, intelligitur alterum ens ad ipſius entis pulchritudinem.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE EO QVOD IN ACTV ET QVOD IN POTENTIA

B

Item de actu & potentia. Item de metalis atq; lapidibus. Cap. I.

LIBER de potentia & actu, & ſummatim confirmat quæ in libro de materia dicta ſunt, & per illa planius intelligitur. Diſtribuitur autẽ in capita quinq;. In primo notabis poſt dubitationes quaſdam, quicquid eſſe dicitur in potentia referri ad aliud neceſſariò ſcilicet ad illud quod inde fit, uel eſt in actu. Item potẽtiã propriè referri ad actũ. Rurſum in eo quod in potẽtia eſt ad aliquid quandoq; remanere ſubſtantiam, nouo quodam adueniente quandoq; mutari: ſiue ad melius ſiue ad deterius mutatio fiat. Conſiderabis præterea non eſſe potẽtiam in mundo intelligibili ad nouũ actum, uel edendum, uel comparandum: alioquin ſiue nunquã perueniatur ad actũ, fruſtra eſſe in potentia iudicabitur, ſiue quandoq; perueniatur, erit in æternis mutatio tẽporalis. Ergo ne hæc ſequantur abſurda, omnis ibi potentia ad totũ omnino ſuum actũ eſt ab æterno redacta. Subinde animaduertes, potentiam faciendi non eſſe dicendam in potẽtia eſſe: potentiam uerò patiendi, dici poſſe in potentia eſſe. Obſeruabis deniq; Plotinum hic quod & bis alibi iam aperuit, putare metallum aquam eſſe concretam, ſiue putet quaſi ſimpliciter aquam modo criſtalli, ſiue plurimum eſſe aquã. Phyſicorũ namq; ſententia eſt, in cõponendis miſtis calorẽ, & frigus, tanquã agentia, potius accedere, quàm ut materiã. non enim facilè ob uehementiã ſuam commiſceri poſſe. Siccum uerò & humidum ſub his eſſe materiã. Vbi ſanè ſiccũ prævalet humido, concreſcere ſaxum: ubi uerò ficcitatẽ humor excedit, fingi metallum, quod propter humoris exuberãtiam liquefiat ad ignem, quã liquefactionem ſiccitas in ſaxo prohibeat.

C

De duabus materijs, & actu, & potentia, tum in corporibus, tum in anima. Cap. II.

IN ſecundo capite materiam duplicem obſeruabis. Primò quidem compoſitam naturalemq; ad formam artis acceptã quãdo ex ære fit ſtatua. Secundò materiã quoq; naturalem, ſed ſimplicem & acceptã mox ad formã ſimiliter naturalem, ut quando ex aqua fit aer. In primo quidẽ quod eſſe dicit ſtatua in potẽtia, æs ipſum eſt: cui quidẽ opponit quod dicit actu ſtatua, quod neq; æs eſt, neq; fabricata in ære figura, ſed quoddã ex utriſq; cõpoſitum. Cõpoſitũ hoc ut actu exiſtens, opponitur quidem æri quatenus erat hoc in potentia. neq; ſic prædicatur de ære: Nõ igitur æs ſtatua fit, ſed ex ære fit ſtatua. Hîc certè quamuis materia eadem, ideſt, ipſa æris ſubſtantia maneat ſub figura, tamen aliud quiddam eſt quàm figura atque compoſitum. Multò itaque magis materia diuerſa eſt à forma atque compoſito, ubi in aduentu nouæ formæ & ad generationem noui compoſiti neceſſariò prioris compoſiti ſubſtantia permutatur, ut quando ex aqua fit aer, ibi enim ſubeſt materia prima, in qua nihil eſt formæ, ut meritò dici poſsit eſſe nihil in actu. Materiæ uerò ſecundæ tanquam compoſitæ aliquid formæ poſſident, adeò ut dum aliud in potentia ſunt, ſecundum aliud ſint in actu. In ſuperioribus igitur, quoniã ex materia præcedente & ex forma

D aduenientе ſit aliud quiddã, ideſt, compoſitũ, idq; non eſt idem quod & materia uel etiã forma, merito aliud quidẽ dicitur q̃ eſt in potentia, ideſt, materia: aliud uerò quod exiſtit actu, ideſt, cõpoſitum. At uerò in animo nõ ita dicendũ eſſe uidetur. Quando enim animus acquirit habitum, nõ euadit ex animo atq; habitu compoſita quædam eſſentia tertia. Idem igitur animus qui dicebatur potentia ſciens, mox dicitur actu ſciens. Fit autem actu ſciens, non qua ratione fuerat inſcius, ſed qua rationalis & docilis: nempe cùm iam eſt actu doctus adhuc ſeruat aptitudinem ad ſcientiam, ſed non ſeruat inſcitiã: ſed aliter in potentia eſt ad habitum comparãdũ, aliter habitu comparato in potentia eſt ad actũ. Quòd autem nõ qua ratione ignorans eſt, doctus euadat, patet, quoniã nõ quilibet ignorans facilè doctus efficitur, ſed qui eſt aptus. Neque ad habitum priuatio confert, ſed potentia.

Conclude ubique, quod in potentia dicitur, eſſe ſubiectum, quod uerò in actu, compoſitum uel quaſi compoſitum. Formam uerò in ſubiecto nominari actum, non quidem ſimpliciter, ſed ſubiecti. Deniq; præter formam uel habitum, qui eſt forma quædam, nominari etiam actum actionem ipſam, quæ à forma uel habitu prouenit: actionem uerò actum potiſsimè nuncupari, quoniã & manifeſtior eſt, & huius gratia forma uel habitus comparatur, & tota uis formæ uel habitus ad actionis producitur efficaciam. Rurſum hîc obſerua, actum qui eſt forma, uel loco formæ, quoniam ad ſubiectũ accedit uelut adhuc informe atq; impotens, indigere quodam exterioris cauſæ beneficio: actum uerò qui actio eſt, ex ipſa formæ uel habitus potẽſtate prodire.

E

Quomodo aliter ſe habet potentia & actus ſub cælo atq; in cælo, & rurſum in mundo intelligibili. Cap. III.

POſt hæc autem prohibet in mundo intelligibili aliquid eſſe in potentia iudicari: in potentia inquam, quæ & uergat ad nouum actum, & res quædam naturaq; alia ſit quàm actus. Dicit autem quæcunq; ibi potentia fingatur, rem ipſam non ſolùm eſſe ſemper in actu, ſed actum quoque exiſtere: tum quoniã quæ ibi quaſi materialis potentia ponitur, eſt forma quædam, ideoq; & actus: tum quia potentia hæc & actus quem aſpicit, non duæ ſunt naturæ, ſed una. Neque tamen debemus ex eo quòd materia illa eandem ſemper habet formam, dicere prorſus idem exiſtere: nam & ſi Deus in materia corporis formam in æternum continuaret, adhuc forma foret aliud quàm materia, ſicut euenire in cæleſtibus arbitramur. Rurſus quemadmodum in eo qui iam didicit, non perit ipſa diſcendi potentia: non enim per doctrinam aufertur potentia docilis, ſed perficitur: ſic in mundo intellectuali unà cum actu formali latet etiam potentia quædam: quamuis neq; per hanc dicatur illic eſſe aliquid in potentia, neq; hæc alia ſubſtantia ſit quàm actus, ſed ſola differat ratione. Profectò quemadmodum Ariſtoteles materiam & formam ſub Luna duas eſſe naturas uoluit, duásque ſubſtantias: in cælo autem fortaſſe unam eſſe corporis illius naturam, quæ ſit loco materiæ uel ſubiecti ad lucem ſuam, quæ lux non ſit alia quædam natura præter naturam illius corporis, ſed ſit illius naturæ proprietas atque actus: ita Plotinus exiſtimat de materia & forma in mundo corporeo atque incorporeo. Hic enim duas eſſe naturas, ibi unam: atque hic quidem ita differre, ſicut lumen diffuſum per aerem quaſi forma, ab aeria materia differt: ibi uerò uel ſicut rutilatio quædam à lumine, & lucere à luce, uel ſaltem ſicut lumen à flamma. Lumen enim in aere alia eſt natura quàm aer: in flamma uerò non aliam adiungit naturam, ſed proprietas quædam eſt actusq; flammæ perennis. Sicut ergo lumen hoc quaſi forma & actus eſt ad flammam quaſi potentiã, ita fermè quod formale, ad id quod materiale in mundo intelligibili ponitur, ſe habere uidetur. Qualis fermè diſtinctio inter concauum & conuexum protinus apparebit, ſi ſuperficiem ſphæricam conſiderabis, cui nulla ſit ſubiuncta profunditas. Tunc enim concaua & conuexa conditio neque loco ſubiectóue differunt, neque natura, ſed ſola forſitan ratione. Vnica enim ſuperficiei natura ad illa quidem quæ ſunt extra circulum conuexa uidebitur, ad interiora uerò concaua iudicabitur: ſicut & intellectus atque uoluntas in animo differunt. Sed ut ſummatim dicam, in toto hoc mundo corporeo materia & forma duæ ſunt naturæ: ſed præter cælum forma eſt pro natura materiæ: in cælo materia uicißim pro natura formæ: In mundo autem incorporeo materia quidem eſt eſſentia & natura formæ: forma uerò eſt eſſe actúsque materiæ. Rurſum materia nec ad formam in potentia ibi eſt, neque potentia eſt ad formam: ſed eſt potius ipſa potentia formæ: forma uerò non eſt actus aliquis in materia ſiue potentia, ſed ipſe potius potentiæ actus. Quoniam uerò ubi mundum intelligibilem nominat, non diuinum tantùm intelligi uult intellectum, ſed omnes inſuper intellectus & animas intelligentiæ compotes, ideo animam quoque intellectualem negat eſſe ad nouum aliquid in potentia: ſed eſſe ait ex parte quidem uegetali poteſtatem animalis procreatricem, ex parte uerò rationali poteſtatem ſcientiæ productricem. Tum uerò ſubdit, quamlibet, tum i-

F

ideam,

A ideam,tum rem à corpore ſeparatã eſſe totum quicquid eſt in actu, atq; actum, quia totum ſpecies ſit & forma ab æuo penitus abſoluta. Hic & tu notabis,non ſolùm ubi aliquid in potentia eſt ad futurum opus eſſe ſuperiore quodam, quòd totum poſsideat præſens, atque ita quod deeſt, adhibeat indigenti : ſed etiam ubicunque potentia & actus ſunt duæ naturæ, opus eſſe ſuperiore quodam,etiam ſi potentia perpetuò ſit ſub actu. Natura enim in ſe formabilis,tantùm ad formalem naturam non perducitur, niſi alicuius naturæ unius & ſimplicis beneficio. Nam ſuper compoſitum ex duabus naturis extat natura ſimplex,actu perpetuo fungens: quæ, quoniam ſuum ipſa ſemper ex ſe edit actum,meritò nuncupatur & actus. Proinde ubi ait,animam ſcilicet intellectualem eſſe in mundo intelligibili, irrationalem uerò in materia : animaduerte,ita illam à mundo intelligibili diſtinctam eſſe natura,quamuis actione coniunctam, ſicut hęc diuerſa natura eſt à materia, quamuis affectu & effectione congrediens. Quæ quidem non eſt actus materiæ, ſed ſuperioris quidem animæ actus in materiam,& quaſi forma materiæ. Prima quidem anima actus præcipuè dicitur,quoniam non ſolùm nihil noui naturæ ipſius accedit,ſiue recedit,ſed etiam ſuum in ſe exerit actum:ac per intellectum æterna fruitur actione : per uim uerò diſcurrentem nihil concipit ab externis, ſed parit potius in ſeipſa. Anima quoque ſecunda & ſi uidetur actiones uarias permutare, tamen quantum in ſe eſt,uno quodam actu, uel ſaltem uigore uiuificandi materiam, format influentem atque refluentem. Sicut ignis eodem feruore diuerſa comburit : perinde ac ſi quis eodem figillo ſubterfluentes undas ſedula ſucceſsione figuret. Mitto,quòd aliqui diſputant continuo quodam unóque cognitionis & uoluntatis actu animam ſemper modò hæc, modò illa, prout in actum hunc animæ incidunt, percipere atque uelle : ceu ſi quis eodem ad tempus intuitu oculis prorſus inconniuentibus plura è con
B ſpectu non ſolùm continuata ſemel,ſed etiam deinceps è uestigio procedentia cernat. Poſt hæc quæ de ideis ſignificat, dicens omnes eſſe uitas & actus, alibi tractabuntur. Eſſentiam certè primam in qua ſunt ideæ, memento hoc ipſum quod eſt eſſe uitam. Vita enim non accedit ad illam, ſicut ad eſſentiam corpoream extrinſecus uelut forma : ſed prodit intrinſecus uelut actus. Perfecta igitur eſſentia illa eſt, & uita perfecta : itaque per modum perfectum eſt in actu. Quod igitur illic eſt in actu, exiſtit & actus. Sicut uerò eſſentiæ intimus actus eſt uita : ſic uitæ intimus actus eſt intellectus. Ex uita quidem illa prodit anima uera,ex illo rurſus intellectu emicat in animam intellectus.

Materia non eſt aliquid actu. Cap. IIII.

QVærit in capite quarto : utrum materia prima ſit aliquid actu. Atqui expedit primùm non eſſe aliquid eorum, quæ ſuper illam ſunt omnino,quæ ſunt entia uera : neque aliquid rurſus eorum, quæ generantur in ea,quæ entia ſunt non uera. Dubitat interea : nunquid ipſa poſſit aliud quiddam eſſe actu ? Non certè aliquid ſuper ens : non rurſus ens uerum : non iterum ens apparens. Quid ergo ? Nunquid materia aliud adhuc inferius erit in actu ? Certè nihil. Quum enim à tota entis natura & appellatione deficiat, ideóque non habeat eſſe, nimirum nec eſſe habet in actu.

C *Confirmat ſuperiora.* Cap. V.

ABigit iterum in capite quinto : Si materia nihil eſt in actu, qnónam pacto de hac ipſa loqui poſsimus? Et quæ dicta ſunt diſputando confirmat. Iam uerò materia iccirco entium materia nominatur, quoniam ad illa, uel ad illorum accipiendas imagines eſt in potentia, ſiue potius eſt ipſa potentia inde formabilis : Siquidem in qualibet arte materiam ſub artifice nominare, nihil eſt aliud, quàm aliquid introducere, nihil habens artificioſum, ſed potens omnia capere. In natura uerò materiam ſubijcere rerum omnium architecto, non tam eſt afferre aliquid quod ad formas ſit in potentia, quàm formabilem prorſus afferre potentiam. Potentia eiuſmodi & ſi cenſetur ordine quodam effectum formæ præcedere, tamen quoniam ipſa huius potentiæ ratio nihil eſt aliud quàm formabilitas, neceſſariò dependet ab actu formæ. Vbi & ſi dum forma adhuc futura uidetur, iam uideatur ipſa potentia præſens expectans uidelicet effectum formæ, tamen ipſa quæ dicitur potentiæ ipſius præſentia, nihil eſt aliud, quàm poſsibilitas (ut ita dixerim) & formæ futuritas: & ut aliquis finxerit confuſa quædam inchoatio formæ. Iam uerò ſi formam compares ad efficientem cauſam, quòd formæ futurum eſt, dependet à præſentia cauſæ : ſin autem materiam conferas ad ipſam formæ naturam, quicquid præſentiæ fingitur, in materia dependet ab ipſo formæ futuro : imò & iam præſenti. Siquidem in ipſa ratione materiæ includi forma uidetur, dum tanquam formabilitas definitur. Item ſi referas infimum hoc ad uniuerſi ſupremum, dicasq; ſicut illud actus eſt purus

D formator omnium, ita & hoc puram eſſe potentiam ſub omnibus duntaxat formabilem, tunc ſanè ſiquid illi ſupremo potentiæ formabilis adhibueris, illius mox ſubſtuliſti naturam, quicquid rurſum actus alicuius huic infimo uelut proprium dedicaueris, huius quoque naturam ſubitò perdidiſti: ſiquidem huius eſſe iudicatur in potentia eſſe huius actus propriè formabilitas. Huius præſentia nihil aliud quàm formæ futuritas. Eſt autem materia ſic ab entis natura ſecreta, ut neque adhæreat enti uelut eius proprietas aut paſsio, neque ens repræſentet uelut imago, neque ſub illius imagine ſic imprimatur, ut afficiatur inde, contrahatq; ueſtigiũ, aut ſeruet: ſemper utique actus quoſlibet naturaliter exuens, poſsibilitatem uerò conſeruans: duntaxat ibi ſuccurrens, ubi uerorum entium gradus eſt ultimus, id eſt, ipſa natura, & ibi quidem ſubſidens imaginibus entium, neque familiare quicquam ſibi inde reportans. Nihil autem dici de ea poteſt, quaſi ad entia pertinens, niſi quòd ſit umbra naturæ. Quumq; ita longius ab ente diſtet, quàm entis imago, nullo modo uel ens, uel eſſe debet exiſtimari. Iam uerò de ente contrà atque de non ente iudicare debemus. Ens quidem in actu plus habet entis, quàm ens in potentia: uiciſsim ergo quod dicitur actu non ens minus habet entis, plús ue non entis, quàm quod non ens in potentia nominatur. Quum igitur materia à prima eſſentia & ueritate ultra quàm cogitari poſsit, remotiſsima ſit, ideoq; ipſa ſit falſitas, uerumq;, ita non non ens, ſi hanc fingas in actu ſuo, magis eam non ens aſſeuerabis. Et quantò uerius erit materiam appellare poſsibilitatem, tantò falſius erit eandem actum exiſtimare, atque è conuerſo. Conclude librum hac ſententia. Veritas ipſa etiam falſo uim præſtat: alioquin niſi uerum eſſet, id eſſe falſum, non foret falſum, atq; quò uerius falſum eſt, ſiue quò uerius eſt, hoc eſt falſum, eò eſt proculdubiò falſius: Sic ergo quò materia uerior eſt materia, id eſt, qua uerior ad entia poſsibilitas eſt, eò falſior actus, atque uiciſsim.
E

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS SECVNDAE LIBER QVINTVS.

DE EO QVOD IN POTENTIA, ET DE EO QVOD IN ACTV.

Quod dicitur eſſe in potentia, refertur ad illud quod in actu: ipſa potentia refertur ad actum. Cap. I.

F DICI ſolet aliquid in potentia, aliquid rurſus in actu, aliquid etiam in rerum ordine eſſe actus. Conſiderandum igitur quidnam ſit quod in potẽtia, qúid ue quod in actu: & nũquid idem ſit omnino eſſe in actu, atq; ipſe actus. Itẽ ſiquid eſt actus, num ſit etiam & in actu, an potius vtrunq; ſit differẽs, adeò vt quod actu eſt, non neceſſarium ſit actum quoq; exiſtere. Eſſe igitur in genere ſenſibili aliquid in potentia perſpicuum eſt: vtrum omnino, & in genere intelligibili aliquid in potentia ſit, eſt inquirendum. An fortè ibi ſolùm ſit quod eſt in actu: & ſiquid forſan ibi ſit in potentia, num in potentia ſolùm ſemper, ſiquidem ſit & ſemper: neq; unquam procedat in actum, propterea quòd tempore minimè peragatur. Verùm primò exponendum eſt, quid ſit quod eſſe dicitur in potentia: ſiquidem quod in potentia eſt, non ſimpliciter eſt dicendum. Non enim fieri poteſt, vt quod in potentia dicitur, ad aliud quicquam minimè referatur: ſicut æs potentia dicitur ad ſtatuam faciendam: alioquin ſi neq; quicquam ex ipſo, neq; in ipſo faciendum foret, neq; futurum eſſet aliquid vltra id quod erat, neq; poſsibile foret aliquid ultrà fieri, eſſet utique quod erat tantùm. Quod autem erat iam & aderat, neq; futurũ erat quicquam. Quidnam igitur poſſet aliud præter id ipſum præſens? Itaq; dici non poterat in potentia eſſe. Oportet igitur quod eſt aliquid in potentia & iam aliquid actu, ex eo in potentia dici, quòd aliquid præterea aliud fieri poſsit, ſiue quodãmodo ipſo priori ma-

A ri manente, ſiue præbente ſeipſum ei quod inde fieri poteſt, adeò vt quod prius fuerat pereat. Aliter enim æs eſt in potentia ſtatua, aliter autem aqua eſt in potentia æs, & aer ſimiliter ignis. Quod igitur ſic in potentia eſt, nunquid etiam eſſe potentia quædam dicitur ad futurum? ceu ſi æs dicatur potentia quædam ſtatuæ? Fortè ſi potentia ſecundum effectionem accipiatur, nullo modo ita dicendum. Non enim potentia ſecundum effectionem conſiderata eſſe dicitur in potentia. Sin autem quod in potentia eſt non tantùm ad id quod in actu eſt referatur, ſed ad ipſum quoq; actum, erit vtiq; & potentia in potentia. Rectius autem atq; apertius referre quis poteſt, quod quidem in potẽtia eſt, ad id quod eſt in actu, ipſam verò potentiam ad ipſum ſimiliter actum. Sanè quod eſt in potentia eiuſmodi eſt velut ſubiectum quoddam paſsionibus atq; formis & ſpeciebus, quas ſuſcepturum eſt ſuapte natura, vel etiam ad conſequendas properat, & partim quidem ad melius, partim verò ad deteriora peremptoriaq; eorum, quorum quodlibet aliud quoq; eſt actu.

Vbi ex potentia & actu fit tertia res compoſita, ſubiectum quidem eſſe dicitur in potentia, compoſitum uerò in actu. Sed forma dicitur actus non ſimpliciter, ſed ſubiecti.
Vbi uerò non fit res tertia, idem quod dicebatur in potentia, mox dicitur in actu exiſtere. Cap. II.

B

DE materia verò perſcrutandũ eſt, an aliud quiddã exiſtens actu ſit inſuper in potẽtia ad illa quibus ipſa format̃, vel potius nihil in actu. Atq; omnino & alia quæ dicimus in potentia, videlicet accipiẽtia ſpeciem atq; manẽtia eadẽ in actu fiũt. Forſan verò ipſum quod eſt in actu de ſtatua dicetur: ita videlicet, vt ipſum quod eſt actu ſtatua, opponatur ei quod ſit in potentia ſtatua: neq; tamen ipſum quod eſt in actu, prædicetur de illo de quo ipſum quod in potentia ſtatua dicebatur. Si itaq; ſic, neq; id quod in potentia fit quod in actu, ſed ex illo quod in potentia prius erat, fit quod poſterius eſt in actu. Etenim ipſum quod in actu exiſtens dicitur, compoſitum ipſum eſt, non autem materia: reliquum verò eſt quod ſpecies eſt in ipſa. Atq; id quidem ita ſe habet, ſi altera quædam fiat eſſentia, velut ex ære ſtatua: altera enim eſſentia ſtatua eſt, velut coniunctũ. In illis autem quæ nullo modo permanent, manifeſtum eſt, illud quod in potentia dicitur alterum penitus eſſe. At quando qui potentia grammaticus eſt euadit actu grammaticus, hîc illud quod in potentia cur non idem ſit, atq; id quod exiſtit actu? Idem nanq; Socrates & qui ſapiens potentia & qui actu ſapiens. Nũquid igitur & qui ignorans eſt, eſt & ſciens? Potentia nanq; ſciens erat: imò
C verò ſecundum accidens homo inſcius fit ſciens. Nõ enim qua ratione inſcius, eſt in potentia ſciens, ſed accidit ei vt inſcius eſſet. Anima verò ſecundum ſe ipſam exiſtens apta, in potentia perdurat etiam quatenus eſt ſciens, ſeruatq; adhuc quod dicitur in potentia: adeo vt qui iam eſt grammaticus, non deſinat potentia eſſe grammaticus. Neq; fortè quicquam prohibet aliter id atq; aliter ſe habere. Illic enim in potentia ſolùm dicitur: hîc autẽ in potẽtia ſpeciẽ iam habẽte. Si igitur quod in potentia dicitur, eſt ſubiectum, quod autem in actu, eſt cõiunctum, velut ſtatua, ſpecies quæ fit ære quomodo nuncupabitur? Fortè non alienum eſt actum cognominare ſecundum quem in actu eſt ſubiectum, non autem in potentia ſolùm, cognominare inquam formam ſpeciemq; non ſimpliciter actum, ſed potius huius actum. Quoniam & actum quendam alium ratione magis præcipua poſſumus nominare: actum videlicet oppoſitum illi potentiæ quæ educit in actum. Quod enim in potentia dicitur, ab alio id ipſum accipit, quod fiat in actu: potentia verò illa per quam aliquid agi poteſt, ex ſe ipſa edit actum ſibi quodammodo oppoſitum velut habitus, & qui ſecũdum illum actus dicitur, fortitudo ſcilicet, atq; fortiter agere. Sed de his hactenus.

D *In mundo intelligibili non eſt aliquid ad aliud in potentia, quamuis ſit ibi potentia quædam, ſed ita ſemper in actu, ut totum dicatur actus exiſtere.* Cap. III.

CVius autem gratia hæc prædicta ſunt, inpræſentia nobis eſt explicandũ. Huc itaq; tendebant omnia, quo planè conſideraremus, quónam pacto in mundo intelligibili id ipſum quod eſt in actu ſit dicendum: atq; vtrum ibi ſolùm ſit quod dicitur eſſe actu, an etiam vnumquodq; ſit actus: ac ſi omnia ibi ſunt actus, quánam ratione ſit ibi quod eſſe in potentia nominatur. Profectò ſi ibi neq; materia eſt in qua id ipſum conſiſtit quod eſſe dicitur in potentia, neq; quicquam illorum aliquid quod non iam ſit eſt futurum, neq; permutatur in aliud, neq; manens ipſum ex ſe generat aliud, neq; à ſeipſo digrediens tradit alteri vt ipſius ſit vice: certè non erit illic quod eſſe dicitur in potentia: vbi entium regnum eſt, non temporalium, ſed æternorum. Siquis igitur ponentes in intelligibili mundo materiam, percontetur, quomodo poſsit ibi eſſe materia, ſi non ſit ibidem ſecundum materiam illam quod eſſe in potentia iudicatur. Etenim ſi alio modo ibi ſit materia, attamen in quolibet, aliud quidem tanquam materia
E erit, aliud tanquam ſpecies, aliud verò coniunctum, quid nam reſpondebunt? Fortè quod ibi materia dicitur ſpeciem eſſe, quando & anima ſpecies quidem eſt in ſe, ad aliud verò materia. Num igitur ad illud in potẽtia eſt? nequaquam. Species enim eſt ipſius, neq; ſpecies in futurum, neq; aliter quàm ratione diſtinguitur, atq; ita materiam habet quaſi duplex conſideratum: ſed ambo vna natura, quemadmodum & Ariſtoteles quantum corpus immateriale corpus aſſeruit. At verò de anima quid dicemus? In potentia enim animal eſt, quando nondum natum eſt animal, ſed naſciturum. Item in potentia muſica eſt, & alia ſimiliter quotcunq; efficitur aliquando, neq; eſt ſemper. Quapropter in genere intelligibili ſic erit quod in potentia dici ſolet. Verùm anima non eſt hæc in potentia imò verò anima horum eſt poteſtas. Quod autem in actu eſſe nominari ſolet, quánam ratione apud ſuperos eſſe poteſt? Nunquid ſicut ſtatua velut cõpoſitum eſt in actu, ſic & ibi, quoniam intelligibile quodlibet ſuã poſsidet ſpeciem, vel potius quoniam quodlibet ſpecies eſt, atq; ipſum quod eſt, ſpecies eſt perfecta? Intellectus enim nequaquam ex potentia quæ intelligere poſsit in actum prodit intelligendi: alioquin alio quodam priore opus huic eſſet quod ex
F potentia non prorumpat in actum: ſed totum iam poſsideat in ſeipſo. Quod enim in potentia eſt, exigit alterum, quo accedente perducatur ad actum, vt aliquid tandem fiat in actu. Quod autem ipſum à ſeipſo ſemper ita ſe habet, eſt actus. Itaq; omnia prima actus exiſtunt: habent enim quicquid oportet habere, atq; id quidẽ & à ſeipſis & ſemper. Iã verò & anima ita ſe habet, præcipuè quæ non in materia eſt, ſed in intelligibili mundo. Atqui & quæ in materia eſt, actus eſt alius ſcilicet, vegetalis: actus enim & ipſa hoc ipſum quod exiſtit. Sed enim in actu ſint omnia, atq; ita, nunquid etiam actus ſunt omnia? & qua ratione? Nẽpe ſi rectè dictũ eſt, intelligibilem naturam eſſe peruigilem & vitam, optimãq; vitam: optimi proculdubio ibi ſunt actus. Ideoq; & in actu & actus ibi cuncta conſiſtunt, & vitæ ſunt omnis. Locusq; ille locus eſt vitæ, principiumq; & fons animæ veræ atq; mentis.

Materia prima non eſt aliquid in actu. Cap. IIII.

CAetera quidem omnia quæcunq; aliquid in potẽtia ſunt, id habẽt, vt etiã in actu aliud quiddã ſint. Quod quidem cũ iã ſit, vergatq; ad aliud, eſſe in potẽtia iudicat. At verò materiã ipſam quã eſſe entia omnia in potentia iudicamus, quánã cõditione eſſe actu entiũ aliquid poſſumus affirmare? Alioquin nõ iam entia cuncta in potẽtia foret. Si igit entiũ nullũ eſt, neceſſe eſt neq; ens quidem ipſam eſſe. Itaq; cũ nullum ſit entium, quomodo aliquid actu eſſe poterit?

Forſan

A Forſan verò nullum eſt horum quæ in ipſa fiunt. Quid tamen prohibet hanc ali ud quiddam eſſe? ſiquidem neq; omnia entia in materia ſunt. Profectò ſi nihil ſit eorum quæ ſunt in ipſa, hæc uerò ſint entia, non ens dicetur. Item quatenus in forme aliquid cogitatur, non eſt ſpecies: neque igitur in illis quidem velut ens numerabitur. Ergo & hac inſuper ratione non ens iudicabitur: Cùm igitur ad vtraque comparata non ſit ens, plus nimirum non ens cenſetur. Si ergo aufugit quidem verorum naturam entium, neque tamen id aſſequi poteſt, vt ex horum numero ſit, quæ falſò eſſe dicuntur, quandoquidem neque imago quidem rationis eſt, ſicut hæc eſſe traduntur: in quónam eſſendi genere hæc apprehendi poterit? Quòd ſi in nullo, quidnam actu eſſe valebit?

Confirmat ſuperiora, & concludit eſſe materiæ nihil aliud dici debere quàm in potentia eſſe. Cap. V.

CAeterùm ſi ita eſt, quomodo de ipſa loquimur? & qua conditione entium materia iudicatur? Fortè quoniam in potentia. Nónne igitur quoniam iã in potentia, iam & eſt, qua ratione in ea futurum conſideratur? At enim eſſe ipſi ſolũ eſt id ipſum quod futurũ permittitur: quippe cùm eſſe ipſius in illud quod
B erit referatur atq; differatur. Quod igitur in potentia eſt, non quidem aliquid, imò cuncta: neque ſecundum ſeipſum ens aliquod eſt, ſed ipſum quod eſt materia eſt, meritò nõ eſt in actu. Si enim aliquid ſit in actu, id ipſum quod in actu eſt non erit materia: non igitur omnino materia erit, ſed tãquam ens ſe habebit: Iudicabitur igitur id nõ ens, non tanquam alterum ab ente quicquã, velut motus. Hic enim adhæret enti vtpote qui ab ipſo eſt, atq; in ipſo. Hæc autem eſt quaſi reiecta ac penitus ſegregata, neq; permutare ſeipſam valet: ſed quod ab initio erat, erat autem non ens, ita ſeſe ſemper habet. Sed neq; ab initio erat actu quicquã, vtpote ab entibus cunctis valdè deficiens: neque etiam facta eſt quicquã. Nam quæ ſubinduere perpetuò ſtuduit, ab his colorari nunquam potuit: ſed aſſiduè remanet vergens ad aliud in potentia ſe habens ad ea continuè quæ ſecũtur. Cumq; vbi entium ordo deſinit hæc iam appareat, atque ab his quæ poſt ipſam fiunt coerceatur, nimirum illorum ſimul atq; horum extremitas ſubſidet: & cùm vtriſque coerceatur, in actu quidem eſt ad neutrum: ſolùm verò reſidet in potẽtia, relictaq; eſt debile quiddam & vmbratile ſimulachrum formari nõ valens. Nónne igitur in actu ſimulachrum eſt? Nónne igitur in in actu falſitas eſt? Id verò idem eſt atque reuera falſitas, atque id enter, ideſt, reuera non ens. Si er-
C go in actu non ens, magis itaque non ens: atque non ens enter. Longè itaq; abeſt, vt hoc in actu ſit aliquid entium, quod in ipſo non ente ſuam retinet veritatem. Quamobrem ſi ipſum oportet eſſe, oportet ipſum in actu non eſſe, vt id quod eſt verè eſſe deuitans, in ipſo non eſſe ſuum habeat eſſe: quandoquidem ſi ab his quæ falsò ſunt abſtuleris falſitatem, repentè quamcunque habuerant eſſentiam abſtuliſti. Similiter ſi illis quæ in potentia eſſe eſſentiámque habent introduxeris, actum ſimul ſubſtantię ſuæ cauſam ſubſtuliſti: propterea quòd eorũ eſſe erat in potentia eſſe. Itaq; ſi oportet materiam incorruptibilem conſeruare, neceſſe eſt eam ſeruare materiam. Oportet igitur, vt apparet, eam dicere ſolùm in potentia eſſe, vt id ipſum quod eſt permaneat, aut rationes eiuſmodi accuratè diſcutere.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE ESSENTIA ET QVALITATE.

De essentia quomodo constituatur ex ente, motu, statu, eodem altero, & quæ ibi sit distinctio, & de forma substantiali, & ratione formali & de accidentibus,
Cap. Primum.

DISPVTATIONEM De essentia & qualitate ritè admodum à prima exordimur essentia. Illic igitur ab ipso simpliciter uno procedit, & unum non quidem simpliciter, sed unum ens: unum quidem qua ratione fit ab uno, ens autem qua ratione sub uno. Quoniam uerò entis ipsius origo est processio quædam, non iniuria iam natum in perpetua quadam processione uersatur, processione inquam intima. Progressio enim intima fœcunditatem ibi significat: sed indigentiam externa significaret. Processionem eiusmodi motum quendam nominare solemus, quem non localem dicimus, sed quasi uitalem. Si motus ibi est ullus, est insuper & diuersitas, quam alteritatem disputationis gratia nominari concedes. In omni siquidem motione ab altero termino in alterum terminum pertransitur. Iam igitur ipsi enti motum alteritatémque adhibuimus. Quoniam uerò processio eius neque à terra discedit sua, ideóque nec in naturam alteram transmutatur, meritò status & identitas illic agnoscitur: siquidem dum non discedit, permanet, ac dum non transmutatur in aliud, permanet idem. Totam uerò hanc entis ipsius progressionem, & in progressione stabilem identitatem appellamus essentiam, ab ente ritè dominatam. Simili quodam pacto in sequenti quauis essentia hæc quinque reperiuntur, ens, motus, alteritas, status (ut ita dixerim) & identitas. Nam & quælibet essentia etiam quæ procedit extrinsecus ante processionem externam simili quodam pacto procedit intrinsecus. Hæc rursum quinque in ipsa rei cuiuslibet ratione formali, quæ definitione comprehenditur, possumus designare: in ea enim genus & differentiam ponimus. Genere quidem res definita, quatenus cum alijs conuenit, cæteris est quodammodo eadem: differentia uerò quatenus ab alijs diserepat, altera est ab illis, atque eadem interim sibi ipsi. In hac autem principali eius essentia per genus & differentiam designata, naturalis & propriæ eius permanet uirtus, qua & res ipsa duratione permanet, & suam ad agendum continuat efficaciam. In hac stabilitate non solùm elucet status, sed motus insuper emicat, ipsa scilicet uel inclinatio naturalis, uel dexteritas ad agendum. Hæc omnia in definitione comprehendi uidentur, quamuis alia forsan alijs manifestius. Proinde quinque à nobis enumerata, multò magis cum essentia quàm inter se conueniunt. Nam ex ipsa essentia potius quàm ex se mutuum pullulant. Primò quidem motus atque alteritas sic ab ipso ente differunt, ut processus à termino, à quo proceditur. Status idem identitásque quum motui alteritatique opponantur, aliud sunt quàm ens: quod quidem eisdem non sic opponitur. Esse rursum aliud motum quàm status, & identitatem quàm alteritas nemo dubitat: siquidem opponuntur. Motum quoque ab alteritate differre constat ex eo, quòd status quoque est aliud quàm identitas. Potest enim aliquis sic in diuersitate, sicut identitate manere: non tamen hæc adeo ab essentia differunt. Quodlibet enim eorum est essentia, quamuis aliter atque aliter: præsertim si ex fundamento considerentur. Nam in fundamento eodem formalibus inter se rationibus differunt. Quamuis autem motus quodammodo dicatur essentia, non tamen è conuerso essentia ipsa ipse motus existit: alioquin statui minimè conueniret: neque rursum essentia est status: sic enim motui non congrueret. Similiter de altero & eodem licet argumentari. Vna igitur essentia sit, in ea sint & multa: quæ non tam multæ sint essentiæ, quàm (ut ita dixerim) essentialia multa. Essentiales inquam rationes, & proprietates, & actus, fermè sicut in igne lux, calórque, & leuitas. Atqui ut quidam putant, neque hæc, neque illa tanquam in subiecto qualitates sunt, sed tanquam actus quidam magente principio, ex eodem penitus prodeuntes. Profectò quum prima essentia tanquam forma prima efficacissima sit, nimirum innumerabiles fermè uires essentiales, & actus ex ea pullulant, & in eam, ratione inter se formali & efficacia differentes: ibique omnes tanquam differentiæ quædam sunt, quæ sub una essentia uidentur essentias constituere, dum essentiales species ibi constituunt. Neque uerò miraberis illic esse plura, quæ quidem inter se diuersa sint formaliter, quàuis fundamento sint unũ, si considerabis quã uariæ sint membrorũ seminariç rationes in uirtute seminis una: & quã uariç uires in anima ex anima germinãtes omnes simul. Item quantum lineæ extra centrum interse distent, quæ tamen in centro non distant. Cogitabis

A tabis ſanè circulum, ut unum aliquid, in cuius centro uelut eſſentia & fundamento lineæ unum ſint, per ambitum uerò quaſi per formam multæ ſint atque diſtantes: ſimiliter primam finges eſſentiã. Quantum uerò quæ in cauſa ſunt coniuncta, ſint in effectu diſcreta, nemini dubium. Nam quæ in cauſa non ſolũ ſunt ſitu ſimul & tempore, ſed eſſentia inſuper una, in effectibus præter locorum diſtantiam & temporum interualla, eſſentijs inſuper diſtinguuntur. Eſſentia nãq; debilior non ita ſicut prima poteſt eadem plurimis ſimul ſuppetere uiribus, quæ multis inſunt formis, neq; ſufficere pluribus actionibus, quæ uarijs proficiſcuntur ex formis. Memento uerò, quæ hic de eſſentia & illis quinq; dicuntur, tentari potius quã abſolui. De his enim in libris de Generibus entis diligentius pertractabitur. Memento inſuper, nullas in rebus diuinis qualitates proprio nomine poni debere. Quæ enim ibi qualitates apparẽt, ſunt & differentiæ ſpeciales, quibus neceſſariò ſpecies ipſæ cõſtituuntur atq; diſcernũtur, & intimi perpetuiq; actus eſſentiæ. Apud nos quoq; differẽtias ſpeciales, ſimilesq; actus, non debere qualitates cognominari. Qualitates enim ſunt, quæ ſpeciali naturę accedunt in ſe iã abſolutæ, ſiue accedãt inſeparabiliter, ut proprietates quædã, ſpeciẽ uel induiduũ comitantes, ſiue ſeparabiliter aduenĩãt, ut quæ accidẽtia cõmunia nominantur. Atq; hęc quidẽ eſt appellatio recta, quãuis nonnunquã cõcedatur primas illas differentias & proprietates intimas appellari qualitates quaſdã eſſentiales. Vbi uerò rectè nominibus utimur, calorẽ in aqua appellamus qualitatẽ atq; paſſionem. Item calorẽ ſenſibus manifeſtã in ignis mole, etiã qualitatẽ ſcilicet propriã atq; actũ. Virtutem uerò calefactoriam, ſiue caloris genitricẽ, quæ in natura ignis ſubſtantiali & quodãmodo in definitione cõprehenditur non qualitatẽ, ſed qualitatis productricẽ cognominamus. Exiſtimandum eſt igitur quicquid in ipſa ratione cõprehenditur, ſubſtantiale ſiue eſſentiale prorſus exiſtere: ipſã
B uerò rationem hic triplicem intelligimus: Primò quidẽ idealẽ in mente: Secundo ſeminalẽ in natura: Tertiò formalẽ ubicunq; ſit; quæ ſcilicet definitione perpenditur. Cui quidẽ in rebus naturalibus reſpondet ſubſtantialis forma, ſpecialisq; in materia ſua: in cuius uirtute propriarum qualitatũ cõſiſtit origo. Effectus autẽ ſenſibus manifeſti, tanquã qualitates accipiunt, quæ in rationibus ipſis ſubſtãtialia ſunt. Hinc Plato in Epiſtolis ait, nos in definiendo delinquere, quoties quid ſubſtantiale ſit in rebus definituri, aſpicimus in ea, & adhibemus ea, quæ ſenſibus noſtris occurrũt. Hæc enim omnia ſunt accidentia. Nam ſubſtantia non tã ſenſu percipitur, quàm ratione perquiritur, & cũ ſubſtantialis forma non neceſſariò innitatur dimenſioni, pleriq; hanc indiuiduã putant, & ad genus intelligibile redigũt. Quæ uerò ſenſus palã attingunt, non eſſentias eſſe Plotinus ait, ſed paſſiones materiæ, ab efficacia eſſentialis formæ prouenientes, atque ita ſenſum inde pati quodãmodo: rationẽ uerò argumentari. Nemo itaque debet in aquæ definitione inſerere frigus hoc, uel liquorẽ ſenſibus manifeſtum: tum quia frigidum atque liquidum, quale corpus hoc ſit deſignant, non quid ſit definiunt: tum quia etiam ſi calefiat, aqua eſt: ac ſi concreta gelu, liquida non appareat, adhuc eſt aqua. Præterea quod ex pluribus qualitatibus congregatur non eſt ſubſtantia, uel eſſentia, uel ratio eſſentialis exiſtimandum. Vna enim unius eſt forma, ratióque formalis accidentium cumulum antecedens. Abſurdum uerò eſt propriam ipſam rei naturam ex pluribus ſimul congerere qualitatibus, præſertim ubi quælibet earum ſeorſum ſit communis: alioquin ex illis quæ neque eſſentia ſunt, & inferiora ſunt nimium quàm eſſentia, conficeretur eſſentia. At ſi quis interroget, quomodo pri-
C ma illa omnium eſſentia componatur, primò quidem reſpondetur, non oportere idem prorſus exiſtere quod conſtituitur, atque illa ex quibus dicitur conſtitutum. Deinde non iniuria illam eſſentiam nominari, quæ conficiatur ex ente. quod quidem ibi ſit primum, atque ſimplicius: cui dum adiunguntur actus ipſius uarij, per quos differentiæ quædam intus ſuboriuntur, conſumatur eſſentia non quidem primo perfectior ente, ſcilicet quatenus eſſentia eſt: quippe quum ita ſit proceſsio quædam entis, ſiue diſceſsio interim ab unitate prima ſui, ipſum unum præcipuè referente, partibúsque quibus componitur egeat, ſi modò ibi compoſitio propriè dici poſsit. Hactenus de eſſentia ita ſit dictum ad ens unumq; collata. Quomodo autem ad uitam comparetur & mentem, alibi requirendũ.

Quid ſit propriè in rebus eſſentia. Quid præterea qualitas. Cap. II.

IN capite libri ſecundo quid qualitas ſit inquirit, atq; utrum ullo modo ad eſſentialem pertineat rationem. Committetur autem, non ad eſſentiam ſimpliciter acceptam, ſed ad talem eſſentiam attinere. Si enim definias eſſentiam ignis tanquam calefactiuam, meritò inſeres ibi calorem: ſed fortè ibi calor interea deſinet propriè qualitas nominari. Sin autem abſolutam definias ignis ſubſtantiam quæ ſubſtantiã antecedit talem nõ manifeſtè interpones ibi calorem: ſubſtantiam uerò ignis, non corpus tantùm eſſe uult, ſed corpus certa in ſpecie collocatum. In cuius quidem eſſentia præcipuũ ſit ſubſtantialis forma occulta ſenſui, & occultis prædita uiribus: ſecundũ uerò ſit materia ſua.

D Primum uerò locum tenet forma, quoniam hæc rem in ſpecie collocat, & dat eſſe materiæ: vocat ue
rò ſubſtantialem formam ſæpe hic, & alibi rationem: quia in primis rationi ideali ſeminariæq; reſpõ
det, perq; ipſam res ipſa tum intelligitur, tum præcipuè definitur, & quia propriè ratione cogno-
ſcitur. Tangit interea nonnullorum opinionem dicentium, quæ occurrunt ſenſibus qualitates, non
eſſe firmum in ſe aliquid, ſed plerunq; paſsiones quaſdam ſuppoſitorum uel oppoſitorum, illatas
ab actionibus ſubſtantialium formarum ubiq; latentium. A quibus quicquid emicat aſsiduè in ma-
teriam propriam, eſſe formarum eiuſmodi actus & actiones, ut calor & lumẽ leuitasq; in igne: quic
quid autem inde tranſit in materiam alienam, paſsiones exiſtere, ſicut ab igne calor in aquam. Re
perit inter hæc quæ rei ipſius eſſentiam neceſſariò complent, non debere illic qualitates denominari
ſiue eſſentialem talem compleant, ſicut calor eſſentiam calefactoriam: ſiue eſſentiam ſimpliciter, ſi-
cut differentia ſpecialis uel prima uirtus in igne antecedens quoq; calorem. Subiungit, neq; triangu
gulum neq; triangularitem ipſam in triangulo qualitatem, ideſt, accidens eſſe, ſed cæræ uel chartę
triangularem fieri, qualitatis more contingere. Concludit qualitatem proprio nomine acceptam
contingere poſt ipſam ſimpliciter eſſentiam iam abſolutam, ſiue qualitas ſeparabilis inde ſit, ſiue
rurſum inſeparabilis. Hæc confirmari uidentur ex eo quòd theologi nonnulli de eſſentia diſputant,
uel natura quam nominant quidditatem. rationemúe formalem. Quatuor enim circa ipſam ſigna
conſtituunt: vt ecce in primo ſigno homo eſt animal rationale terrenum: quæ quidem ratio formalis
eſt hominis. In ſecundo adhibentur huic rationi negationes omnium etiam propriè conſequentiũ.
E Negationes inquam rationibus formalibus innitentes: ut homo neq; riſibilis eſt, neq; non riſibilis,
neq; docilis, neque non docilis. In tertio ſigno adiunguntur homini proprietates eius: ut homo eſt
docilis atque riſibilis. In quarto ſigno communia confluunt accidentia. Oportere autem ante com-
munia eſſe unicuique propria patet ex eo, quòd mobilia firmis neceſſariò innituntur. Propria inſu-
per ſiquidem plura ſint rediguntur ad unum maximè proprium. Hoc iterum, ſi more qualitatis
adhibet eſſe tale uel tale, etiam ſi tribuat id aſsiduè, in ſubſtantialem reſoluitur formam: quæ tan-
quam perfectior exhibet ſimpliciter eſſe. Quod quidem antecedit eſſe tale, ſicut potentia ipſa ſimpli
citer, talem potentiam antecedit. Hucuſque fit comitantium in eſſentiam reſolutio. In ipſa quoque
eſſentia, eſſentialis uirtus naturaliter inſita reſoluitur in eſſentiam: quam licet cogitando uirtuti prę
ponere: à qua quidem uirtute paſsiones propriæ oriuntur. Poſt hæc communia plurimum aliũde
contingunt.

Superiora confirmat. Cap. III.

CAput tertium ſuperiora confirmat atque concludit, qualitatem ubicunque ſit, eſſe paſsionem
quandam ſubducti ab occulta quadam eſſentiæ uirtutisq; eſſentialis efficacia dependentem.
In iis ipſis autem rerum eſſentijs rationibusq; formalibus loco qualitatum eſſe differentias ſpeciales
proprietatésque (ut ita loquar) eſſentiales, quibus ſpecies ipſę rerum tum in ſeipſis conſtituuntur
tum ab alijs diſtinguuntur. Quæ quidem & actus quidam eſſentiales ſunt, præſertim in eſſentijs à
materia ſeparatis. Subiungit rationem ipſam ſcilicet tum ſeminariam, tum formæ ſubſtantialis effi-
F caciam propagare ex eo quod in ipſis eſt proprium, & nobis occultum, manifeſtas ſenſibus in ſuper
ficie qualitates, & ubi ait calorem igni innatum non eſſe qualitatem, ſed ſpeciem actumq; ignis, in
primis intellige calorem, tum formam ignis ſubſtãtialem, tum ipſius proprietatem, ex qua calor
manifeſtus exoritur: qui non tam in ipſa ignis forma, quàm in aliquo ſubiecto ſuſcipitur: inter hęc
ubi ait, in qualitatum principijs exemplaribusq; eſſe actus quoſdam loco qualitatum, quæ palã in
ſubiectis apparent, potes etiam ita legere. Qualitatum principia exemplaria actus ſunt eorum, qui
bus primò inſunt. Neque rurſum abſurdum fuerit, ubi ait, naturam quidem eſſentiæ inſitam eſſe ſpe
ciem ipſius, aut actum, ſed affectionem in aliud tranſeuntem dici potius qualitatem: dictum eiuſ-
modi dupliciter intelligere: primò quidem (ut diximus) ſcilicet proprietatem in ſpecie ipſa latentẽ
eſſe ipſius differentiam atque actum, apparentem uerò in materia qualitatem. Deinde rur-
ſum affectionem huic ſpeciei propriam, in materia propria uigentem aſsiduè, ſicut
calor in igne, non tam qualitatem, quàm actum ignis exiſtimandam: qua-
litatem uerò præcipuè quando tranſit in aquam.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS SE. CVNDAE LIBER SEXTVS

DE ESSENTIA ET QVALITATE.

Mouet dubia de essentia & qualitate, ac tentat solutionem. Cap Primum.

NVNQVID ens est alterum quàm essentia, atq; ens quidem etiam seclusis alijs dicitur? Essentia verò est ens vnà cum alijs simul adiunctis videlicet motu, statu, identitate, alteritate: atq; hæc essentiæ sunt elementa. Totũ igitur est essentia. Quodlibet autem illorum aliud quidem ens: aliud verò motus, aliáq; similiter. Motus igitur ens est per accidens: sed nunquid etiam per accidens est essentia? an fortè essentiam cõplens? quin potius & ipse est essentia, atq; omnia quæ in diuinis sunt, essentia sunt. Cur non igitur & apud nos ita se res habet? Fortè sic est ibi, quoniam cuncta sunt vnum: hîc autem cùm simulachra discreta iã sint, hoc quidem aliud, illud verò est aliud: quemadmodũ in semine quidem simul omnia sunt, & quodlibet omnia. Neq; seorsum manus, caputue seorsum: in effectu verò inter se discernuntur: non enim vera sunt, sed simulachra. Qualitates igitur ibi num esse dicemus essentias? quę quidem circa essentiam vel circa ens differentiæ sunt. Differentias inquam, esse dicemus efficientes, vt essentiæ inter se alteræ sint, atq; omnino sint essentiæ? Fortè id dictu non est absurdum: sed absurdè id diceretur de his quæ apud nos sunt qualitatibus, quarum aliæ quidẽ essentiarum differẽtiæ sunt, vt bipes, & quadrupes. aliæ verò nequaq; sunt indifferentiæ, & ob hoc ipsum solũ qualitates esse dicuntur: quãquam idẽ tum differentia videri potest ubi cõplet essentiam, tũ minimè differentia in alio essentiam ibi non implens: quemadmodũ albedo in cigno vel cerussa naturam complet, in homine autem duntaxat est accidens. Aut albedo quatenus in ratione est, non qualitas est, sed implens, quatenus verò in superficie qualitas. Fortè verò quod quale dicitur distinguendũ est, adeo vt aliud quidẽ essentiale sit, existẽs videlicet proprietas quædã essentiæ: aliud autẽ sit solũ quale secundũ quod essẽtia qualis denominatur: vbi hoc ipsũ quale diuersitatẽ permutationẽq; essentię nõ inducat, neq; dimoueat ab essẽtia: sed cũ essentia iã sit, plenaq; sit, dispositionẽ quandã extrinsecus afferat, atque post ipsã rei essentiam additamẽti nõnihil adhibeat, siue circa animã id siue circa corpus efficiatur. Proinde, vt dixerit aliquis, albedo visibilis in cigno nõ cõplet essentiã: esse nãq; cignus potest minimè albus. At verò in cerussa albedo cõplere essentiã dicitur: similiterq; calor in igne. Quòd si quis præterea dixerit ignitatẽ (vt ita dixerim) essentiã esse, & de cerussa similiter: verũtamen ignis huius visibilis ignitas est caliditas essentiam complens, simũliterq; in cerussa est albedo. Eædem itaq; res complebunt essentiam, neq; qualitates erunt, rursusq; non complebunt, & qualitates erunt. Et si absurdum est vbi complent quidem esse aliud dicere, vbi verò non complent insuper aliud, quum tamen eadem sit natura. Forsan verò dicendum est rationes quidem ipsas quæ hæc efficiunt, totas essentiales existere: hos autem effectus illa quæ in rationibus ipsis substantialia sunt, nõ iam vt substantialia, sed vt qualia reportare: atque hinc fieri vt semper in eo quod quid est assignando peccemus in ipsa inquisitione substantiæ præuaricãtes, atque labentes in qualitatem. Neq; enim esse cẽsendum est, ignem hoc ipsum quod appellamus ignem, quando aspicimus qualitatem, imò verò ipsum essentiã esse. Quæ autẽ nunc aspicimus, aspicientesq; pronuntiamus, nos ab eo quod quid est, pcul abducere, & quale quiddã rectè in genere sẽsibili designari.

D Nihil enim horum eſſentiam eſſe, ſed eſſentiæ paſsiones. Vnde & illud quæritur, quomodo ex non eſſentijs conficiatur eſſentia? Diximus itaq; non oportere quod ſit idem eſſe atque illa ex quibus conficitur: nunc autem dicendum eſt, neque etiam id quod ſit eſſentiam eſſe. At quomodo illam, quam illic eſſentiam nominauimus, ex non eſſentia dicimus conſtitutam? Eſſentiam dicemus illic principalius puriusq; ens habentem eſſe eſſentiam, velut in entis ipſius differentijs conſtitutam: potius autem cum actionum additamento, eſſentiam nominatam eſſe cenſebimus: quæ quidē entis perfectio videatur. Forſan verò ex adiunctione facta iudicanda ſit indigentior: quippe cùm à ſimplicitate degeneret, & ab ipſo iam ente declinet.

Quid ſit qualitas, & utrum ad rationem eſſentialem ullo modo pertineat. Cap. II.

VErùm de qualitate quid ſit omnino conſiderandum eſt. Fortè enim quādo quid ſit cognouerimus, dubitationes eiuſmodi propellemus. Principiò perquirendum eſt, num exiſtimandum ſit aliquid idem alias quidem eſſe ſolummodo qualitatem, alias autem eſſentiam quoque complere, adeo vt nequa
E quam durius contendamus ad id, conuincendum, quo qualitas ſimpliciter eſſentiam cōpleat, ſed eſſentiam potius talem. Oportet igitur in tali quadam eſſentia eſſentiam eſſe, & quod quid eſt, antequam ſit talis. Quid ergo? num in igne ante talem eſſentiam ſimpliciter eſt eſſentia? Fortè hinc ſequitur, vt ſit corpus. Ipſum itaque genus quod eſt corpus eſſentia erit: ignis autem corpus erit calidum, neque totum id erit eſſentia, ſed ita calor erit in ipſo, quemadmodum in te figura ſima. Quamobrem ſi auferatur calor, & ſplendor, & leuitas, quæ videntur eſſe qualia, & tollatur oppoſitio, relinquaturq; quod dicitur trina dimēſione porrectum atque materia, id ipſum quod reſiduum eſt, erit eſſentia. At id veriſimile non videtur. Species enim magis eſſentia eſt. Sed numquid ſpecies qualitas eſt? Fortè non qualitas, ſed ratio ſpecies ipſa eſt. Quod igitur ex ratione ſubiectoq; conſtat, quidnam eſt? Non enim id quod viſibile occurrit atque vrens: id autem quale eſt: niſi quis fortè dicat conbuſtionem ipſam eſſe actum ex ratione manantem: atque ita & calefacere, & albefacere, & eiuſdem generis alia eſſe actiones affirmet. Itaque vbi collocemus qualitatem, nequaquam inueniemus. Forſan verò eas ſi non debemus dicere qualitates quæcunq; eſſentias complere dicuntur: ſiquidem actiones vel actus ſunt earum à rationibus eſ
F ſentialibusq; potentijs orientes: ſed eas duntaxat quæ extra totam eſſentiam ſunt. Quæ non alicubi quidem qualitates, alicubi verò non qualitates apparēt, atque ſuperuacuum aliquid poſt eſſentiam videntur afferre: veluti virtutes & vitia, pulchritudo atq; turpitudo, & valitudo diſpoſitioq; figuræ, vel ſitus. Triāgulus verò atque quadrangulus ſecundum ſeipſum non eſt quale, ſed hoc ipsū quod eſt triangulare fieri, quatenus ita formatur, eſt quale dicendum: neque triangulitatem, ſed formationem totius qualitatem poſſumus appellare: poſſumus & artes & aptitudines ſtudiorum. Itaq; qualitas erit diſpoſitio quædam in eſſentijs, quæ iā ſunt, ſiue aduentitia hæc ſit, ſiue ab initio comitans. Quæ quidem ſi etiam non comitata fuiſſet nihil minus habuiſſet eſſentia: Licet hanc dicere partim quidem facilè mobilem, partim verò difficilè, vt duplex eius ſpecies videatur: altera quidem ſtabilis, altera verò mobilis,

A *Qualitatem manifeſtameſſe paſſionē ab actione uirtutis occultæ: Item quod ineſt prorſus eſſentiæ ſuæ, eſſe ipſius actū & proprietatem ſpecialē: quod ab eſſentia diſtat eſſe qualitatē. Cap. III.*

ALbedo igitur in te apparens dicenda eſt non tam qualitas eſſe, quàm actus quidam ex potentia albefaciendi procedēs. Illic autem dicendum eſt omnes quæ qualitates nominantur eſſe actus. Qui tamen ab opinione noſtra qualitatis nomen accipiunt, propterea quòd quælibet ſint proprietates quaſi diſtinguentes eſſentias inter ſe atque ad ſeipſas proprium habentes characterem. Quónam igitur diſcrepat qualitas quæ illic eſt à noſtris? actus enim hæ quoque ſunt. Fortè quia non oſtendunt quale quid ſit, neque diſcrepantiam ſubiectorum, neque characterem: ſed duntaxat ipſam quæ qualitas dicitur quę quidem illic eſt actus. Quapropter quando proprietatem habet eſſentiæ inde propriè conſtat non eſſe qualitatem: quando verò ratio quod in his proprium eſt ſecernit, non inde auferens vel decerpens, ſed magis accipiens generansq; aliud, procreat quale, quaſi partem eſſentiæ capiens ſibi in ſuperficie apparentem. Quod ſi ita eſt, nihil prohibet calorem igni innatum eſſe ſpeciem aliquam actumq; ignis, neque ignis qualitatem. At tunc demum qualitatem, quando in alio quodam accipitur, vbi non amplius ſit eſſentiæ forma, ſed veſtigium tantū
B & vmbra atque imago, relinquens illam ipſius eſſentiam, cuius eſt actus. Quot cunque igitur accidunt, neque actus neque ſpecies eſſentiarum ſunt, præbent autem formas duntaxat quaſdam per quas ſubiecta qualia faciunt: velut habitus diſpoſitioneſq;, ſiue affectiones aliæ à ſubiectis dicendæ ſunt qualitates: in quarum principijs exemplaribusq; actus ſunt, quæ in his ſubiectis qualitates cognominantur. Nec idem ſit alicubi quidem qualitas, alicubi verò non qualitas: ſed quod ab eſſentia deſertum eſt, euadit qualitas. Quod autem cum eſſentia permanet, nimirum eſſentia, vel ſpecies, vel actus exiſtit. Nulla enim natura eadem eſt prout in ſuo fonte eſt, & prout in alio: vbi à ſua origine iam deſtituta dignitatem ſpeciei actusq; nō retinet. Verumtamen quod nullius aliquando ſpecies eſt, ſed accidens ſemper, purè iam qualitas eſt, ſolumq; qualitas.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM ENNEADIS SECVNDAE. VII.

C *Quomodo in numeris atque in natura compoſitio fiat atque commixtio: Item de tribus opinionibus mixtionis. Cap. Primum.*

QVEMADMODVM in numeris aliud quidem eſt adiungere, aliud autem multiplicare: ſic in rebus naturalibus aliud eſt componere, aliud commiſcere. Profectò ſimili quadā proportione, ſicut in numerorū ordine additur unitas unitati, fitq; binarius: ſic in natura additur materiæ forma, fitq; corpus. Ibi rurſus unitas numero ad ternarium procreandū: hic ſimiliter adiūgitur uirtus corpori ad motum efficiendum: fitq; corpus mobile. Illic iterum apponitur numero numerus, ut binarius binario, unde fit quaternarius, aut etiam quaternario ternarius admouetur ad ſeptenarium componendum. Simili quodam pacto & in natura corpus iam mobile factum, ad corpus aliud ęquè mobile ſe confert, atque uiciſsim: unde corpora corporibus ſicut numeri numeris componuntur. Proinde ſicut in numeris præter adiunctionem multiplicatio fit, ſic ultra compoſitionem, uel appoſitionem fit in natura commixtio. Quaternarium uides adiunctione creari, ub duo dicis atque duo, uides in eodem commixtionem: ubi ais, bis duo conficiunt quaternarium. Rurſus nonarium cernis adiunctione creari, dum quinario quaternarius additur. Reperis in eodem commixtionem dum dicis ter tria nouem. Similiter uel admouetur, & quodammodo etiam infunditur corpus corpori, uel in unum penitus confunduntur. In qua quidem cō fuſione non licet in alijs corporis commiſti partibus aliud hic, aliud ibi diſcernere, ſed cuncta conti-

D nentur in ſingulis: & ita in quolibet concluditur uniuerſum. Sicut ubi numerum multiplicas, puta ternarium in qualibet unitate partęq; ternarij totum ternarium comprehendis: alioquin ter tria cõputare non poſſes. Tum uerò ſicut in numeris: quicunque multiplicatione conflatur, etiam adiunctione conficitur: neq; uiciſsim: ſic in natura ubicunq; fit rerum exacta commiſtio iam & compoſitio contigit, neque fit è conuerſo. Omnino igitur ſicut in numeris negare non potes eiuſmodi conflationem fieri, in qua totum contineatur in qualibet parte ſui ad nouam inde formam numeri procreandam, ut ternarius totus in qualibet ſui parte multiplicatus ad ipſam nouenarij formam: ita ſimilem in natura commiſtionem negare non debes. Nam & in natura & in numeris eiuſmodi fit conflatio, quia talis eſt in natura uitali, atque in ipſa idealiuita mutua ſeminalium uel idealium cõſpiratio rationum. Plotinus igitur id in præſentia tractaturus, tres adducit opiniones: primam eorũ qui in corporibus inter ſe conciliandis, neque materias, neque qualitates penitus commiſcebant, ſed apponebant materias materijs, qualitatesq; ſimiliter qualitatibus. quam quidem opinionem continuò reſpuit. Secundam, eorum, qui quamuis materias non commiſcerent, ſed potius admouerent, qualitates tamen inuicem confundebant. Horum ſententiam probabiliorem eſſe declarat. Tertiam poſtrèmò, putantem tum materias materijs, tum qualitates qualitatibus exactiſsimè poſſe cõflari, admmittit etiam ut probabilem. Principiò in oximelle uſq; adeo acetum cum melle miſcemus, ut nulla relinquatur in hoc compoſito portiuncula, quæ non habeat utriusque ſaporem: ex quo refelluntur illi, qui ſola quadam appoſitione confiderent. perinde ac ſi integra panici grana, cum in-
E tegris milij granis cõgregarentur. Contundent alij pariter utriuſq; grana, dicentq; granis utrinq; ad minimas naturæ ſuæ particulas iam contritis, propinquare quidem particulas ſingulas utrinque ſingulis, ſed non omnino confundi materias, quamuis confuudantur inuicem qualitates. Nam ubique in quolibet milij minimo eſſe quendam panici ſaporem, atq; uiciſsim. Alij uerò uino adhæc adhibito conterent diligentius: ideoq; exactius commiſcebunt, adeo ut penitus non contritæ ſolùm, ſed etiam liquefactæ materiæ non iam apponantur ulterius, ſed nihilo prohibente penitus confundantur: ibiq; poſthac ſingulorũ triũ ubiq; ſint non qualitates ſolũ, quod ſenſus ipſe declarat, ſed materiæ quoque conflatæ. Concludent talia quædam à natura multò perfectius, quàm ab arte poſſe conflari materias non alienas, ſed ſuas, non interdum, ſed ab initio ſemper: non extrinſecus, ſed intrinſecus temperante. Plotinus autem pro ſententia prima rationem adducit nullam. tres uerò pro opinione ſecunda. Prima ratio eſt huiuſmodi: Duo corpora in eodem loco penitus inuicem æquari non poſſunt: nam ſi eodem in loco penitus eſſe debeant, oportet illa primùm in partes diuidi: deinde partes uiciſsim ſuas partibus adhibere. Quæ quidem partes ſi indiuiſibiles ſunt, iam corpora illa ad indiuidua ſunt reſoluta. Et quoniam ex eiſdem compoſita fuerant, in quæ diſſoluuntur, ſequitur ut ex indiuiduis quibuſdam ipſa corporum magnitudo concreuerit: quod ideo fieri nunquam potuit, quoniam indiuidua congregata ſimul nullam conficiunt magnitudinem. Sin autem partes illę corporum diuiſibiles fuerint, quælibet per ſe erit corpus, ſitumq; proprium ſeorſum habebit ab alijs. Itaque non erunt corpora duo prorſus in eodem loco, imò multis in loculis corpuſcula multa.
F Secunda ratio: Quando duo corpora commiſcentur, ſemper fermè maiorem ſimul locum occupant quàm alterutrum: ex quo apparet non fuiſſe dimenſiones utrinque penetratas ad ſummum. Tertia ratio: Quando corpus longè minus inſinuatur longè maiori, non poteſt minus ipſum cum maiori prorſus æquari. Quòd ſi quis obijciat, locum aliquando poſt duorum commiſtionem non occupari maiorem, reſpondebunt, aerem illic egredi, quâ nouum corpus ingrediatur. Poſt hæc pro opinione tertia dicitur, ſudorem ex toto corpore penitus extillare, neque ullam ibi fieri fractionem. Sin autem aduerſarij dixerint, meatus à natura illic inſtitutos, per quos abſque ſciſſura ſudor effligeret, reſpondebunt alij: per laminas ſæpe corneas uel ebuerneas arte tenues, ac etiam per membranas admodum denſas oleum penetrare, ac prorſus implere, neque augere molem, neque diſcindere. Tum uerò materias omnino inuicem coæquari, inde probabunt, quòd ſæpe poſt earum commiſtionem moles prior non uidetur excreſcere. Obijcient iterum aduerſarij, corpora duo non poſſe abſque inciſione ad ſummum ſe inuicem penetrare: ac ſi exactiſsimè penetrando ſe inuicem exactiſsimè ſecẽt, omnino diſperdi: ſæpe uerò priorem non augeri locum, quia ſubtiliorum comitetur interim exalatio. Reſpondebunt opinionis tertiæ auctores: etiam ubi poſt miſtionem locus amplior exigatur, defendi exactiſsimam illic fuiſſe miſturam. Quid enim mirum ſit illic magnitudinem augeri, ubi ex cõflatu multorum uirtutes quoq; multæ coaluerunt? Fortè enim priorem non funditus perire dimenſionem, ſed è plurimis qualitatibus aliam coaleſcere. & è pluribus dimenſionibus aliam concreſcere magnitudinem. Adhæc obijcient: nullum poſſe augmẽtum fieri, ſi non ponãtur materiæ iuxta materias, ut linea lineæ per longum addita: ſed ſibi inuicem inſerantur, & linea prorſus infuſa lineę, ſiue ex termino inferi funditus, ſiue ex latere conferi fingas. Item ubi conſtat commiſtionem fuiſſe compleram,

A pletam,intelligi non poſſe,quomodo minimum corpus ibi adęquet maximi quantitatem. Reſpondebunt:uel corpus minimum eatenus miſceri cum maximo,quatenus poteſt:uel etiam poſſe per totum ſeſe diffundere, quando ſcilicet quantitas prior extenditur. Dicent enim forſitan,extenſionem non eſſe ipſam propriè quantitatem, ſed quantitatis paſsionem atq; modum:itaq; quantitatem eandem quaſi materiam uarios extenſione modos accipere. Reſponſionem eiuſmodi Plotinus ait non eſſe tutam,ubi aſsignatur ab illis,qui plura corpora dum miſcentur,ſeruare dicunt prioris ſubſtantiæ formam & qualitatem, Tunc enim minimum corpus dum priorem ſeruabit formam,forſan nõ poterit ad maximi modum funditus quantitate protendi: ſin autem aliam acceperit formam, nihil mirum & aliam accipere quantitatem, ſicut quando ex aqua fit aer.

Diſcuſsio opinionum de miſtione,in qua uidetur approbare,in miſtione perfecta totum corpus utrinque confundi per totum. Cap. II.

IN ſecundo capite tentat quid potiſsimum in his dubitationibus ſit dicendum. Primò quidem uidetur concedere liquidum corpus per aliud tum materia,tum qualitate penitus ingredi,ſicut per bombicẽ aqua. Atq; poſſe poſt eiuſmodi miſtionem ibi magnitudinẽ æqualem eſſe atq; prius, præſertim ubi ingrediente liquore ſubterfluit aer:poſſe etiam magnitudinem augeri, ubi alterũ alteri ſit prorſus imbibitũ. Quid enim mirum,ſi hoc ex illo nouas accipit qualitates, nouã interim accipere magnitudinẽ? atq; ſicut per totum accipit qualitatem,ita dimenſionem illius penitus intromittere, atq; inde cõcreſcere?Sed cũ qualitas qualitati potius aduerſetur, quã uel qualitas quantitati,uel quã
B tias quantitati,meritò in miſtione prior aliqua qualitas uel trãſit in nouã,uel obſcuratur, quãtitas autẽ magis permanere uidetur. Quò uerò exactior ſit permiſtio, eò magis formæ priores ſequenti formæ concedunt:Quod quidem & arte perficitur & natura. Forſan uerò dimenſio abſq; ſectione dimenſionem ingredi poteſt, ſicut & qualitas qualitatem,& materia ſæpe materiã. Nihil enim hanc prohibet penitus ingredi,cũ ſuapte natura ſit incorporea. Vbi autem impeditur ingreſsio,non qua ratione ibi dimẽſio eſt,impeditur,ſed qua denſitas duritiaq; reſiſtẽs. Hæc enim eſt quæ propriè neſcit cedere,ideoq; intromittere uel ingredi neſcit. Aliud uerò eſſe duritiã,aliud dimenſionẽ nullus ignorat. Impedire autẽ ingreſsio ſolet nõ ſolũ à qualitate dura,ſed ab hoſtili etiã qualitate: vbi uerò neutra ſit,impediri nõ ſolet introitus. Hæc unà cũ Plotino tentauiſſe potius quã abſoluiſſe ſufficiat. Nã & aliquis fortè dixerit,quãdo corpus hoc in illud prorſus infũditur,fitq; interim alteratio, ſi magnitudo nõ creſcat, priorẽ definere dimenſionẽ, unà cũ propria forma,dum fit utraq; noua. Ipſam nãq; dimenſionẽ in rebus eſſe diſtantiæ causã: & iccirco quatenus duæ quædã in aliquo dimẽſiones exiſtũt,illic eſſe horũ ad illa diſtantiã molãq; protendi. Quod quidẽ & Plotinus hic fortè ſignificauerit dicens,materiã ſuapte natura nõ reſpuere miſtionẽ,præſertim quãdo neq; propriã quãtitatẽ habeat, neq; ullã reijciat quantitatẽ: & quãdo repetit corpus aliud penetrare per aliud, nõ dimẽſiones repetit,ſed qualitates atq; materiã. Verũtamen nõ uidetur exiſtimare impoſsibile inter corpora ualdè liquida dimenſionẽ abſq; fractione penetrare dimenſionẽ:quippe cũ fractio inter dura fieri ſoleat: Cõcedet & forſan flãmam ſimiliter penetrare ferrum,ſimulq; prorſus æquari.

C *Quid corpus,quid corporeitas,ac de ratione ideali,ſeminali,formali.* Cap. III.

CORpus quidẽ naturale definit in capite tertio,ſubſtantiã tribus dimenſionibus qualitatibusq; affectam: corporeitatẽ uerò rationem quandam effectricem dimenſionum & qualitatũ. Rationem ſanè hic accipit tum ſeminariam in natura,tum formã ſubſtantialem in materia, in cuius uirtute ſpecifica familiares ſpeciei ſuæ dimenſiones qualitatesq; continentur: quas in ea contineri uoluit,ubi ait: Corpus eſt compoſitum ex materia atq; ratione. Ait inter hæc in definitione quidem ſubſtantiæ naturalis comprehendi materiam: in definitione uerò ſubſtantialis formæ materiam nõ includi,quoniam non ex materia pullulat,ſed à ratione imprimitur ſeminali. Tangit & triplicem rationem, ſummam & idealem in intellectu,quę ipſe eſt intellectus:cuius neq; eſſe neque actio ſit in materia. Secundam uerò ſeminalem in animæ ipſius natura:cuius non tam eſſe quàm actio in materia ſit. Tertiam formalæm,ideſt ſubſtantialem corporis formam:cuius & eſſe actio ſimul eſt in materia. Poteſt tamen intelligi,quodammodo abſq; adiunctione materiæ, quoniam cùm non prodeat ex materia,ſed ex cauſa potius ſeparata, videtur in ipſo primo prodeundi gradu rationem in ſe aliquam habere formalem, in qua poſsit prius quàm applicet ſe materiæ cogitari. Hinc forſan confirmari poteſt quod plerique diſputant,formarum diſtinctiones & gradus ex materia minimè proficiſci:ſed omnia hæc tanquam formalia ad uirtutem formæ reduci,ſicut materiales conditiones ad materiam rediguntur.

D PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEPTIMVS, DE PERMISTIONE PER TOTA

Narratio opinionum trium de miſtione, & rationes earum. Cap. Primum.

CONSIDERANDVM eſt de illa corporũ permiſtione, quæ per tota corpora fieri dicitur, utrum fieri poſsit, vt alter liquor ita cum altero liquore cõmiſceatur, vt totus perfundatur in totum: ſiue vterque per vtrumq; ſiue alter tantùm per alterum penetret. Nihil enim intereſt vtro id modo fiat. Principiò qui per miſtionem in quadam appoſitione collocant quaſi admiſceant potius quã permiſceant, dimittẽdi videntur: ſiquidem oporteat permiſtionem reddere totum in ſingulis partibus quã ſimillimum, adeo vt vel minima quæq; particula ex illis quæ permiſta dicuntur, conficiatur. Quicunq; verò qualitates ſolas omnino cõmiſcent, materias verò corporis vtriuſq; apponunt, atq; per ipſas vndequaq; qualitates vtriuſq; perducunt, forſan perſuadere poſſent, ex eo
E quòd reprobari forſan liceat permiſtionem illã quæ per tota fieri dicitur. Item ex eo quòd alioquin contingeret magnitudines molium in ſectiones penitus pertranſire, ſi nullum prorſus interuallum in alterutro corporum relinquatur: quandoquidẽ continua diuiſio fuerit, ex eo quòd alterũ toti penitus ſe inſinuet alteri. Præterea ex eo quoq; perſuaderent, quòd ſæpe quæ miſta ſunt maiorẽ ſimul quã alterum è duobus occupant locum, tantumq; locum, quantũ ſi cohæſerint, ab vtriſq; locus impletur. Atqui ſi totum per totum prorſus ingrederetur aiunt oportere locum alterius eundem permanere, atq; prius in quem alterum ſit coniectum. Vbi autem locus duo comprehendens miſta amplior nõ euadit, adducunt in cauſa exhalationes quaſdam aeris, quarum uice alterum eſt ingreſſum. Deniq; pro ſua opinione adducunt quãdo minus corpus maiori ſe inſerit. Interrogant enim quomodo fieri poſsit, vt minus hoc adeo extendatur, vt per totum maius ſeſe effundat: alia præterea multa ſimiliter in medium adducere ſolent. Qui autem permiſtionem per totum vtrunq; corpus inducunt, videntur poſſe dicere diſtribui quidem corpora, neque in ſectiones abſumi, etiã vbi permiſtio per tota conficitur. Quandoquidẽ & ſudores ſectiones non inferant
F corpori, neque rurſus ibi aliquid perforetur. Iam verò & ſi quis obiecerit, nihil prohibere ita naturam inſtituiſſe, quò ſudor facilius exundaret, attamen adent in artificijs quibuſdam quando tenuia continuaq; ſunt, videri ea ſæpe per totum humore madentia inſtillantiaq;, atque in alteram partem humorem inde transfluere. At verò cùm hæc corpora ſint, haud facile intellectu eſt, qua ratione fieri poſsit, vt alterum abſq; inciſione pertranſeat alterum. Sin autem per totum mutuò diuidantur, proculdubio ſe mutuò deſtruent. Deinde quãdo aiunt ſæpe ex duorum corporum congreſsione in mole non fieri augmentum, conceſſuri videntur alijs exhalationes aeris in cauſa aſsignare. Sed ad locorum augmentum difficile quidem, nihil tamen prohibet dicere, vbi vtrunque corpus mutuò inſinuatum eſt, magnitudinem quoque vnà cum cęteris qualitatibus ne ceſſariò augeri. Neque enim hanc ipſam perdi, quemadmodum neque cæteræ qualitates, & quemadmodum alia ibi ſpecies qualitatis prouenit ex vtriſque cõmiſta, ſic & aliam magnitudinem, vbi profectò miſtura ex vtriſque conficit magnitudinem. Verùmhîc forſan aduerſum hos ſic alij dicerent. Si materia materiæ adiacet, moleſq; moli, quã comitatur & magnitudo, pro noſtra opinione iſtud adducitis. Sin autem materia vnà cum magnitudine quæ & prius erat in ipſa per totam alteram molem ingrediatur, ſic vtiq; fiet, non perinde ac ſi linea

dein-

A deinceps lineæ iuxta terminos ipſarũ punctis coniungatur, ubi poteſt fieri augmentũ: ſed illo inq; potius modo fiet, veluti ſi ita inſeratur linea lineæ, vt nullũ proueniat incrementum. Poſtremò contra hos afferebatur: impoſsibile videri minus corpus per totum maius ſe porrigere, præſertim minimum quodq; per maximum, vbi videlicet conſtet miſtionem eſſe peractam. Profectò vbi non ſatis exploratum eſt, talia ſimul omnino confundi, licet obijcere, minimum per totum maximum non percurrere. Vbi verò euidenter id ſit compertum, aſsignari poterunt quædam molium ipſarum extenſiones: quamuis non ſatis probabilia dicant, qui molem quamminimam in molem ampliſsimam protendere moliuntur, præſertim quum magnitudinem corpori tribuant ampliorem, neq; tamen ipſum ita tranſmutent, ſicut ſi ex aqua aer efficiatur.

Corpora in miſtione tum per molem, tum qualitatem corporibus penitus cõmiſceri. Cap. II.

HOc autem ipſum inquiſitionem propriam exigit: quid nam contingat, quando quæ fuerat moles aquæ ſit aer: quo videlicet modo amplior in eo quod gignitur moles efficiatur. In præſentia verò hęc hactenus pauca è multis, quæ pro vtraque opinione adduci ſolent, dicta fuerint. Nos autem his in rebus
B inueſtigemus, quid ſit potiſsimum afferendum, vtra opinio rationi magis conſentanea ſit: & numquid alia quædam ſententia præter dictas appareat. Principiò quando per lanam fluit aqua, aut lana vel papirus aquam quam ebibit extillat, cur non totum aquæ corpus per ipſam effluendo pertranſit? Aut etiam quando non effluit, quo pacto materiam materiæ coniungemus, molẽmque moli? Num qualitates ſolas confundi inuicem concedemus? Sanè non extra bombicem aquæ materia illic apponitur, neque in quibuſdam duntaxat interuallis: tota enim madet, nec vſquam materia eſt vacua qualitate. Quòd ſi vbique materia eſt vnà cum qualitate, nimirum per totam bombicem eſt aqua. Aut ſi non ſit ibi aqua, ſed qualitas aquæ, quærendum eſt, vbi nam ipſa ſit aqua. Quid nam igitur prohibet, quin eadem ibi ſit moles? Fortè quod adiunctum eſt extendit bombicem. Accepit enim ab eo quod ingreſſum eſt magnitudinem. At ſi accepit, moles quædam eſt addita: ſin autem addita eſt, atque oppoſita, nequaquam in altero imbibita eſt: oportet itaque in alio atque alio ſitu materiam eſſe. Fortè etiam nihil prohibet, quemadmodum ab altero corpore alterum accipit qualitatem, ſic etiam accipere magnitudinem. Sanè qualitas
C differens cum qualitate congrediens, ob id ipſum quod cum altera iam conflata eſt, nequaquam permanet pura, neque quæ erat eſt omnino, ſed iam deleta vel obſcurata: magnitudo verò concurrens cum magnitudine non deletur vel obſcuratur. Ad id autem quod dicitur, corpus progrediens per corpus ſectiones prorſus efficere, quo pacto dicatur, aliquis obijcere poteſt: quandoquidem & nos qualitates per corpora ſe propagare concedimus, neque tamen facere ſectiones. Sed forſan non facere dixerit quiſpiam, quoniam incorporeæ ſunt. At verò ſi materia ipſa quoque incorporea eſt, ſicut incorporeæ qualitates: quid nam prohibet paucas quaſdam qualitates unà cum materia penitus per corpus aliud penetrare? ſolida verò non penetrare, quoniam tales habeant qualitates, ut penetrationem ipſam impediant: uel fortè multas ſimul qualitates non poſſe dicemus vnà cum materia id efficere. Verũ ſi multitudo qualitatũ denſum corpus efficeret, multitudo vtique cauſa foret: ſin autem denſitas propria quædam qualitas eſt, ſicut & corporeitas ipſa eſt propria qualitas, fortè neque qualitates qua ratione qualitates ſunt, conficient miſtionem, ſed qua certè quædam ſunt qualitates. Neque rurſus materia qua materia eſt reſpuet mixtionem, ſed qua cum tali quadam eſt qualitate;

D idque præſertim ſi nullam habeat magnitudinem, videlicet vt neque propriam ſibi vendicet, neque venientem vllam natura reiiciat. De his itaque hactenus ſic fuerit dubitatum.

Quomodo definiatur corpus atque corporeitas. Cap. III.

QVoniam verò de corporeitate fecimus mentionem, perſcrutandum eſt vtrum ipſa corporeitas ſit quiddam ex cunctis compoſitum, an potius ſit ſpecies & ratio quædam, quæ infuſa materiæ corpus efficiat. Profectò ſi corpus eſt hoc ipſum ex cunctis qualitatibus vnà cum materia congregatum, id utique corporeitas erit. Atqui ſi ratio eſt quæ accedẽs efficit corpus, nimirùm ratio complectens cunctas continet qualitates. Oportet autem eiuſmodi rationem, ſi non eſt omnino qualis ratio definiens quid res quæque ſit, ſed ratio rem ipſam faciens nequaquam intus complecti materiam, ſed potius circa materiam rationem eſſe, atque infuſam facere corpus. Eſſe præterea corpus materiam ſimul rationẽmque infuſam: ipſam verò rationem quum ſit ſpe-
E cies, conſiderari poſſe abſque materia nudam, vel ſi quammaximè inſeparabilis ſit à materia. Ipſa verò ratio ſeparata alia eſt atque in mente: in mente inquam: quoniam & ipſa mens eſt. Sed de his alibi.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE VISV ET QVARE QVAE PROCVL SVNT PARVAE VIDEANTVR.

Rationes aliorum duæ, & Plotini duæ: cur remotiora uideantur minora. Cap. I

F QVAERVNTVR in hoc libro duo. Primum: cur obiecta ob oculis remotiora ſoleant uideri minora. Secundum: quã ob cauſam duo quædã remotiſſima à nobis ſpectacula & inter ſe diſtantia, puta ſtadio, uideantur minori etiam inter ſe ſpatio diſtare quã ſtadio: item minus à nobis diſtare quã diſtent. Adhæc nõnulli reſpondent: lumen ipſum quo uidemus, quò magis ab obiecto ueniens propinquat oculo, eò magis accomodare ſeipſum ad oculum atq; pupillã, ſicut & corpora liquida ſeſe locis accomodãt. Hæc reſpõſio ita demũ proprie ualet, ſi lumen de quo loquitur, ſit radius uiſualis miſſus ab oculo, iterumq; ab obiecto reflexus ad oculũ, ſic enim fortè naturali quodam uigore paulatim ad quantitatem ſuę originis reuertetur. Sunt enim qui dicant, lumen hoc ab oculo procedens pyramidali figura rem uidendam attingere, perq; illã ſubitò dilatari: & ab ea rurſus quaſi ex baſe pyramidalem uerſus oculum figurã reflicere, tangereq; chono pupillã oculi ſimiliter natura pyramidalis. Ex eorum ergo ſentẽtia reſponſio eiuſmodi proprie fortaſſe ualebit. Nam & communiter ualere aliqui fortè dicent: quoniam luminoſum primum id-eſt, ſol, lumen quidem effundat circum ex tota circunferentia ſui, ſed huius undique colligat ſe in chonum, ne extra ſuum fontem profluens euaneſcat, ſic etiam potentius aget, & totum facilius erit ubique. Ac dum tota baſis coarctatur in chonum, ſol totus omniſq; uirtus eius per angulum aderit, ageq; ubiq;: poteritq; ita in angulo tota eius magnitudo uideri. Sic etiã cùm in ſole centrũ & circumferentia ſit, ipſum eius lumen quatenus à toto ſolis effluit ambitu, circunferentiã imitatur, quatenus autem colligitur in anguſtum, imitatur & centrum, hinc fieri dicent: ut ex quolibet illuminato corpore lumen eadem quaſi figura ſeſe ad alia & ad oculos colligat. Hactenus quidem ſit reſponſio prima. Reſpondent iterum alia ratione: formam quidem rei uidendę in ipſa re materialẽ habere naturam: ſed inde ſpiritali ſuſceptam lumine materiam exuere ſubitò, & ſpiritali quadam ratione uenire, quãuis ad longum ſeruare proportionem quandam ad propriam materiã uideatur.

Sed

A Sed cùm primùm incipit proportionẽ quoq; hanc amittere, uideri minorem: ac deniq; omni ad materiam propriam proportione conſumpta oculis non ulterius apparere: ſicut neq; uidentur oculis ipſæ formarum naturalium rationes formales, ſeminariæ, ideales. Hæc ſint ex aliorum opinione reſponſa. Quæ ſanè opinio, quæue reſponſa quantum habeant ueritatis, alibi deprehendetur

Poſt hæc ſequitur ad idem propria Plotini reſponſio. Profectò quanta ſit tota rei dimenſio, tunc planè metimur, quando ſingulas gradatim eius partes perſpicacius intuemur. Cùm igitur ubi procul poſita res eſt, particulæ nos plurimæ lateant, meritò totius menſura nos fugit, minorq; uidetur. Præſertim quia luminoſa qualitas, utpote quæ & efficacior eſt quantitate, & propria uiſui, efficacius priùs ue quàm quantitas ſeſe oculis obijcit. Qualis ergo res ipſa ſit, primò uidemus: quanta uerò, ſecundò, dum uidelicet perſpicimus qualitatẽ. Cùm igitur uiſualis radius in rem à nobis effuſus, & longiori tandem progreſsione debilitatus, qualitatem ſcilicet, colorem, luminoſamq; naturam diſcernat minus: meritò quantitatẽ quoq; confuſè metitur. Iam uerò quòd eſt in forma ſubſtantiali perfectius atq; imperfectius, id in accidentali forma intenſius & remiſsius, idem in quantitate maius atq; minus: in motu uelocius atq; tardius: in tempore diuturnius atq; breuius. Cùm igitur ipſum maius minusq; proprium quantitatis proportionem quandam habeat cum eo quod eſt intenſius & remiſsius qualitatis, cumq; ipſa quantitas in notitiæ ordine qualitatem ſequatur, nimirum ubi uiſus ſub remiſsiori gradu percipit qualitatem, interim ſub minori menſura percipit quantitatem. Inter hæc memineris, colorem eſſe proprium uiſus obiectum: uocem ſimiliter proprium auditus obiectum: item uehementiam poteſtatemq; coloris ad uiſum propriè pertinere. uigorem quoq; uocis ſimiliter ad auditum: magnitudinem uerò pluribus percipi ſenſibus, eamq; eſſe nõ tam
B *ipſam rei ſenſibilis efficaciam, quàm eiuſdem diffuſionem quandam per multitudinem atq; locum: & hanc nõ primò quidem, ſed per ipſam nobis qualitatem & efficaciam innoteſcere.* Quo fit, ut ubi *minus* patet qualitas, interim quantitas deliteſcat. Tribus autem potiſsimùm hæc indicijs confirmantur. Primum eſt eiuſmodi: Si colles uariarũ rerum formis plenos inſpexeris, eas ibi formas planè conſpiciens, magnitudinem regionis ipſius rectius metieris, quàm ſi formas eiuſmodi nequaquã intuearis, quaſi per formas pateat magnitudo. Secundum: tabulam aſpice propè poſitam uarijs figuris impreſſam, niſi figuras inſpexeris ſigillatim, non tantam iudicabis tabulæ magnitudinem, quantam ſi perſpicuè omnes ſigillatim conſpexeris atq; ſummatim. Tertium: Si in parietem uiridi tantùm colore depictum aciem uerteris, non tantus tibi paries hic occurret, quantus ſi pluribus fuerit coloribus inſignitus. Vix enim dimenſionis partes inter ſe diſcernere potes, ubi formarum uarietas non diſtinguit, ſed à qualibet dimenſionis parte repentè prolaberis, niſi differentia qualitatis ſiſtat intuitum. Per hęc reſponderi poteſt quæſtioni ſecundæ, quam uidelicet ob cauſam ædificia duo in oppoſito colle nobisq; remotiſsimo ſita, & inter ſe diſtantia ſtadio, diſtare etiam minus apparẽt. Item quòd ſi centum à nobis ſtadijs ſeparata ſint, breuiori etiam interuallo à nobis uideãtur abeſſe. Vbi enim confuſius formarũ cernimus uarietatem, nimirum nec quantitatẽ interualli diſcernimus.

Quòd non propter minores angulos uideantur minora quæ remotiora ſunt. Cap. II.

C IN capitulo ſecundo reſporſionem ad hæc illorum confutat, qui putant ab obiecto uiſibili per lineas radiorum pyramidalem ad oculum protendi figuram, & chono quodam pupillam attingere: & quantò remotius eſt obiectum, tanto gradatim acutiorem effici chonum. Itaq; dum breuiori paulatim angulo rem perſpicimus, breuiorem quoq; magnitudinem coniectare: præcipuè quando eouſq; proceſſum eſt, ut angulus ipſe iam pupilla ſit minor. Quid ad cætera ſit dicendum unà cum Plotino alibi diſputabimus. In præſentia uerò potiſsimùm id reſpuitur, quòd aiunt iccirco minus uideri corpus, quòd minor iam euaſerit angulus, quàm pupilla. Ratio enim hæc ibi concedet alia quædam inſuper tunc à pupilla uideri: quando res una pupillam angulo ſuo implere non poſsit: at enim ubi obiectum eſt adeò ingens, ut nihil uno intuitu conſpici poſsit ulterius, tunc etiam minus quàm ſit apparet, quãuis angulus quo uideri dicitur, non minor euaſerit quàm pupilla. Toto nanque uiſu conſpicitur hemiſphæriũ, quod uſqueadeò pupillam impleat, ut nihil præterea conſpicere queat. Quòd igitur minus quàm ſit putetur, nõ ex eo continget quòd per breuiorem angulũ quàm ſit pupilla cernatur. Inter hæc animaduertes indicium, quo confirmes, ſecundum Plotinum, non formam obiecti ad oculos peruenire, ſed oculi radium ad obiectum. Viſio nanq; uelut actio quædam ad ipſum modum uiſualis formæ peragitur. Si igitur obiectum ad pupillæ (ut aiunt) ſe angustiam conformaret, non grandius unquam quàm ſit pupilla iudicaretur: nunc uerò longè grandius iudicatur: quoniam radius uiſualis extra porrectus per ipſam rei magnitudinem ſe diffundit. Sed profectò negare non poſſumus, radios à corporibus luminoſis pyramidali quadam figura ad ocu-

D los peruenire,atq; cum hac ipſa figura ſpiritalem ſaltem qualitatem rei,uel uirtutem,aut actum ad nos uſque perferre. Viciſsim quoq; ab oculis emitti radios teſtatur radialis natura uiſus, præcipuè in animalibus nocte uidentibus. Quóue alij cominus uident, eminus alij, nec uidemus admodum rara, neq; nebulas ualde proximas, quia non terminant potẽtes adhuc radios oculorum. Mitto, quid & homines, & animalia quædam intuitu oculorũ extra conficiant. Deniq; plus luminis neceſſariũ eſt prope obiectum, quàm prope oculum: ubi enim radius noſter emittitur, ualidus eſt. Nec inſuper expedit lumine hic uberiore ſpargi, ſed penes obiectum iam debilis lumine multo fouetur, eodem per obiectum protinus diffundendus. Probabile enim uidetur uiſualem oculi radium protendi per pyramidalem occurentis luminis latitudinem eiuſdem luminis adminiculo uerſus rei uidendæ latitudinem, quatenus uidelicet progredi ualet: & quando ſic terminatur, peragi uiſionis effectum. Vtriuſq; uerò ſcilicet radij uiſualis atq; luminis uberioris commercio quodam confici uiſionem Plato in Timæo, & Galenus Calcidiuſq; ibidem docent, & perſpectiuæ confirmant. Lumen uerò dictum uel radio uiſuali eſt ingenitum, uel foris adhibitum.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS SECVNDAE LIBER OCTAVVS.

E

DE VISV, VEL QVARE REMOTA PROCVL A NOBIS PARVA VIDENTVR.

Rationes aliorum duæ, & Plotini duæ: cur remotiora uideantur minora. Cap. I.

QVARE Quæ procul à nobis ſunt, minora videntur? Et quæ longo ſpatio ſeparata ſunt, paruo diſtare ſpatio nobis apparent? Quæ verò propè nobis occurrunt, quanta ſint apparent, & quantũ habeant interuallum? An minora quidem videntur aſpicientibus quæ ſunt procul: quoniam lumen ad viſum & ad magnitudinem pupillæ quodammodo deſiderat colligi. Et quatenus rei viſibilis remota materia eſt, eatenus ſpecies quaſi ſub materia ſolaq; ſpeciei forma peruenit. Atqui & quãtitas & qualitas ſpecies quædam eſt. Atq; ita quaſi ratio huius ſola peruenit. An fortè etiam quia quanta ſit magnitudo ſentimus in quadam ſecundum quamlibet partem gradatim facta diſcurſione. Adeſſe igitur hanc oportet: atque adeſſe propè, vt quãta ſit cognoſcatur. Num & quia ſecundum accidens cernitur magnitudo? Cum calor primò cernatur? Cominus itaq; quantum coloratum eſt diſcernitur, eminus autẽ duntaxat coloratum eſſe: partes verò ſecundum quantitatem condiſtributę nõ exactam quantitatis notitiam afferũt. Quando & colores ipſi debiles tenuesq; veniunt. Quid ergo mirum? ſi etiam magnitudines quemadmodum & voces apparẽt minores: quatenus earum ſpecies exilis ac debilis aduenit. Nempe ibi quoq; ſpeciẽ auditus affectat. Magnitudo verò ex accidenti percipitur. Verũ quantũ ad auditũ ſpectat, ſi magnitudo ſentitur ſecundum accidens, cui nã potẽtię patet primũ magnitudo quæ eſt in voce, quemadmodũ apparet tactui q̃ eſt viſibile. aut certè quod apparet magnitudo auditus percipit, nõ ſecũdũ quãtũ, ſed ſecundũ magis ac minus: neq; ſecũdum accidens, vbi videlicet percipit tanquã vehemẽs: ſicut & guſtus dulcedinis vehemẽtiã non per accidens percipit. Principalis autem & propriè dicta magnitudo vocis ptenſio quædã eſt in quantũ: hanc verò ſecundum accidens ex ipſa vehementia deſignari cõtingit: veruntamẽ nõ exactæ. Vehementia ſanè cuiuſq; naturę idẽ eſt atq; ipſa natura. Progreſsio verò in multitudinem ſecundum protenſionem in omnẽ locũ: qui impletur conſideraſ. At enim nõ parui colores ſed debiles ſunt: magnitudines verò paruæ. Fortè verò vtriſq; cõmune eſt quod minus eſſe in eo quod eſt dici ſolet. Color quidem id quod minus dicit, habet in eo quod debilis & caducus.

Magnitu-

A Magnitudo autẽ, ideſt, dimẽſio ipſũ quod minus dicit, habet in eo quòd parua. Nempe magnitudo colorem ſequens conſequenti quadam proportione minuitur. Manifeſtior autem in ſpectaculis quæ varia ſunt, fit eiuſmodi paſsio: quemadmodum in ſpectaculo montium habitationes multas arboresq; habẽtium aliaq; per multa: quorum quodlibet ſi perſpicitur, efficit vt ex inſpectis ſingulis totum metiri poſsis. At vbi ſpecies ex ſingulis non accedit, oculus non habet, quomodo quantum ſit totum cognoſcat, metiens videlicet ſecundum vnamquãq; ſpeciem ſuppoſitam magnitudinem. Quoniam & quę propè ſunt, quando ſunt varia, intuitus autem ſimul in cuncta repente ſe vertit, adeo vt nõ omnes ſpecies diſcernantur, ſolent minora videri pro rata ratione, quatenus videlicet ſpecies quælibet contuenti defraudat: ſed quando ſpecies ſingulæ perſpicuè diſcernuntur, tunc rectè magnitudinis menſura cenſetur. Quæcunq; verò magnitudines ex vno colore vniformes occurrunt, quantitatis iudicium maximè fallunt. Quippe cum viſus non facilè poſsit per partes diſcretè metiri: ſed in metiendo ſecundum partem vltra repente labatur, non habens videlicet qua differentiæ via in ſingulis partibus progreſſum ſiſtere poſsit. Prope autem ſitum eſſe videtur, quod longè remotum eſt. Quoniam medium ſpatium ſecundum eandem cauſam quantum eſt colligi ſolet. Quod enim eſt propin-
B quum, quantum ſit non latet, eaſdem ob cauſas. At vbi viſus non diſcurrit, diſtantiæ longitudinem qualis eſt ſecundum ſpeciem, nimirum neque quantum ſit magnitudine metiri poteſt.

Quòd non oportet minores angulos uideantur minora quæ remotiora ſunt. Cap. II.

QVod autem dicitur à nonnullis, quę procul diſtant iccirco videri minora, quoniam per minores viſionis angulos videantur, dictum eſt & alibi eſſe falſum, & inpreſentia ſic eſt confutandum. Profectò qui ait, per minorem angulum obiectum videri, minus relinquit reliquum viſum, ſiue angulum aliquid extra videntem: videlicet vel aliud quiddam viſibile, vel ſaltem nonnihil extrinſecus velut aerem. Quando igitur nihil relinquit, ex eo quod mons ſit ingens, ſed vel adæquat, neque aliud quicquam viſu percipi poteſt. Quippe cum ipſius ſpatium accomodetur obiecto: vel etiam ſuper excedat obiectum vtrinque viſionis intuitum. Quid nam hîc aliquis reſpondebit? Quandoquidem obiectum ipſum multo minus quàm ſit appareat, & omni viſu cõſpiciatur. Quod ſi in cælum ſuſpiciat, procul dubio id quiuis intelliget. Nam alioquin non poſ-
C ſet quiſquam vno quodam ictu totum ſimul emiſperium contueri: Neque in tantum aſpectus diffundi, eouſque prorſus extentus. Veruntamen ſiquis id affectauerit, detur. Si igitur omnis quidem viſus comprehendit totum, eſt autem in cælo magnitudo longiſsimè amplior apparente, qúanam ratione quis cauſam aſsignabit, ob quam adeo minus appareat? per illos minores angulos, quos in cauſa eſſe, vt remotiora nobis minora videatur, affirmare conſueuerunt.

D ARGVMENTVM MARSILII FICINI IN LIB. NONVM. CONTRA GNOSTICOS.

Vnum bonumq; idem eſt & omnium primum. Item tria ſunt principia. Ipſum bonum, mens, anima. Cap. primum.

PLOTINI mentem non fuiſſe à Chriſtiana lege penitus alienã ex eo conijcere poſſumus, quòd cum Ammonij ſemper Chriſtiani diſcipulus fuerit, & Chriſtianiſsimi Origenis ſemper amicus conueniſſe dicitur unà cum Origene atque Heremnio, ſe nunquam ab inſtitutis Ammonij diſceſſurum: idq; ſicut promiſerat ſeruauiſſe. Præterea gentilium deorum cultum alto animo aliquando contempſiſſe. Amelio ad hunc exhortante Porphyrius ipſe diſcipulus eius eſt teſtis. Deniq; ab hereticis multis Platonem ſuum partim deprauantibus, partim etiam contemnentibus frequentius irritatus, reſpondebit quidem latiſsimè: nihil tamen in reſpondendo commune Chriſtianis inſeruit: ſed propria duntaxat ad hereſim: cum alioquin impune in Chriſtianos inuehi ea tempeſtate liceret, & offerreẽ occaſio. Qui uerò fuerint huius hereſis auctores: quid ue profiterentur heretici, qui Gnoſtici nominabantur, ſimiles Manicheis, recenſet in deſcribenda Plotini uita Porphyrius. Ex eorum certè opinionibus conſtat eorum hereſim quamuis Chriſtum colerent, non minus tamen à communi Chriſtianorum ſententia, quàm à Platonicis diſſentire. Sed quantùm ad inſtitutum nunc opus pertinet: hæc ſunt illorum errata præcipua. Super ipſum unum bonumq; neſcio quid ſomniabant. Intellectus præterea ſeparatos ineptiſsimè diſtingue bant. Inter intellectum, & animam medium aliquid inſerebant. Animam deprauatam feciſſe putabant mundum à malo principio malum. Non eſſe quicquam ipſo bono ſiue bonitate, item ipſo uno ſiue unitate ſuperius priuſue ſic oſtenditur. Principiò meminiſſe oportet, quòd non eſt primum non eſſe ſimplex: atque è conuerſo quod non eſt ſimplex, nec eſſe primum. Siqua enim res non ſit omnium prima, certè dependebit ab alia ideoq; duo quædam erunt in ipſa, ſcilicet tum aliquid cauſatum aliquid inſuper proprij à cauſa differens. Itaq; dum non eſt prima, meritò nec poteſt eſſe ſimplex. Rurſum ſiqua res non ſit ſimplex, habebit in ſe neceſſariò & hoc, & illud. Quæremus igitur: utrum hoc ab illo ſit tantum, an utrunque pariter ab utroque: an neutrum à neutro: an à tertio quopiam ſit utrunque. Si reſpondeas hoc ab illo pendere, illud certe erit primùm, hoc uerò ſecundum: neque licebit dicere compoſitum hic aliquid eſſe primum. Neque rurſum licebit dicere utrumque fieri pariter ab utroq; alioquin idem aliquid comparatum ad idem, erit & cauſa, & effectus, & prius atq; poſterius. Sin autem dixeris, utraq; à tertio quodam fieri, non hoc quidem compoſitum, ſed tertium illud erit primum atq; principium. Nefas eſt inſuper duo quædam in ſupernis ponere: quorum nec alterũ ſit ab altero, nec à tertio ſit utrunq; alioquin nulla determinata cauſa rationeq; coibunt, ſed ſorte contingent. Temerarius uerò caſus in ſupernis eſſe non poteſt: alioquin nullus foret inſequentibus ordo. Quamobrem ſicut diximus quod non eſt primum, non eſt ſimplex: ſic & dicimus quod non eſt ſimplex, nec eſſe primum. Quò igitur aliquid prius eſt, eò ſimplicius atq; uiciſsim. Quod itaq; primum eſt, ſimpliciſsimum eſt, atque uiciſsim. Quo circa & ipſa (ut ita dixerim) primitas eſt ipſa ſimplicitas atque contrà. Cùm igitur ſummum in ſimplicitate teneat unitas atque bonitas, utrunque certè & idem eſt, & primum omnium atq; principium. Bonitas ſanè ſimpliciſsima eſt: alioquin componeretur ex pluribus. Ideòque indigeret partibus atque componente. itaque per ſe inſufficiens minime foret. Oportet tamen bonitatem ipſam non ſolùm eſſe ſufficientiſsimam, ſed ipſam eſſe ſufficientiam. Hæc enim appetitur tanquam bonum. Ipſum itaque bonum cum ſufficientiſsimum ſit, eſt etiam ſimpliciſsimum. Eſt itaq; primum: præſertim quia ſi non ſit primum, quod erit ipſo bono ſuperius, erit & melius bonitate: tametſi nihil bonitate melius fingi poſſit: qua ſola melius ſit quicquid eſt melius. Tum uerò quærimus, utrum ipſum bonum appetat illud, quod ipſi forte præponitur necne. Si non appetit, mirum eſt effectum non appetere cauſam à qua perficitur. Si appetit, rurſum mirabile eſt, ipſum bonum aliquid extra ſe concupiſcere, cum in bonum omnis demum appetitus. Præterea de rebus alijs ſimiliter percontamur: utrum ultra boni limites appetat quod bono fingitur eſſe ſuperius nec ne. Nefas quidem

eſt om-

A eſt omnia primum principium non appetere. Nefas eſt iterum appetere aliquid ultra bonum. Ex omnibus his colligitur ipſum bonum eſſe ſimpliciſsimum omnium, atq; primum. Vnitatem uerò ſiue ipſum unum eſſe ſimpliciſsimum nemo dubitat. In omni enim eſſentia uel eſſe uel fingi compoſitio numerúsue poteſt: In ſola unitate non poteſt: alioquin nõ foret unitas ipſa, ſed unum aliquid atq; multitudo. Diuiſio quinetiam unitati contingere nequit. Siquis enim hanc diuidere moliatur, non diuidet quidem, ſed repetet unitatem. Lignum certè unum ſecas, & maius lignum in ligna minora. Vnitatem uerò quæ cogitabatur in ligno, in nullas unitatis partes diuidere potuiſti: aliquin forent unitate minores: ſed unitatem ita multiplicaſti, ſiue potius propagaſti, ut quæ in uno prius erat, ſubinde foret tota eadem in duobus. Cum igitur unitas ſimpliciſsima ſit atq; prima, meritò eſt idem atq; bonitas: ne fortè ſint prima rerum principia duo & inuicem fortuna concurrant: & ante unitatem ſit binarius. Dum uerò dicimus bonitatem & unitatem eſſe penitus ſimpliciſsimam non intelligimus rem quandam ſimplicẽ, uel quæ ſit in aliquo, uel ex qua aliquid componatur. Si enim ſit in alio, neq; ſeipſam ualeat ſubſtinere, certè dependebit ab alio. Sirurſum ex hac aliud cõponatur, nequaquam perfecta res erit: ſed contendet ulterius, & in formam actumq; compoſiti redigetur. Ipſum iraq; bonum, ipſúmue unum idem eſt omnino & ſimpliciſsimũ atq; primum, nec in aliquo reſidens: neque ita conſideratum, ut aliquid in ſe prius ſit: deinde ſit bonum atq; unum: alioquin ibi alterum accedet alteri, eritq; prius aliquid imperfectum, fietq; compoſitio. Primo igitur & ſimpliciſsimo mentis intuitu ipſam bonitatem ſiue unitatem cõtemplari debemus, non aliquid de aliquo prædicantes. Sed primo totoq; mentis ictu ſimpliciratem ipſam percipientes. Quoniam uerò poſt hęc Plotinus de tribus agit mundi principijs ſcilicet ipſo bono, & mente prima, & anima prima: me
B miniſſe debemus, ubi communia mundi principia perſcrutamur, in primis quæ ſint præcæteris in mundo communia contemplari debere. Eſt autem ubiq; omnium communiſsimum unitas, nixusq; ad bonum. Id nanq; munus ad res etiam non dum formatas extenditur. Secundo cõmunitatis origi nis ue gradu forma eſt ordó ue formalis: gradu deniq; tertio ponitur motus ipſe uitalis. Cùm uerò munus quò cõmunius eſt, eò ad priorem pertineat cauſam, meritò prima omniũ cauſa eſt ipſum bonũ, ſiue unum: unde & quo dependet unitas nixusq; ad bonum Secunda uerò rerum cauſa mens eſt prima, ad quam ſpectat ordo formalis. Tertia eſt anima prima, qua omnis ubiq; uitalis motio redditur. Cùm igitur uniuerſum conſpiciamus, & formarũ ordine formoſiſsimum, & uitalibus ubiq; motibus efficaciſsimũ: meritò ubiq; mentem regere, ubiq; animam ſpirare putamus. Et quoniã tum formarũ ordo gratia boni conſpirat in unum: tum uitalis motio contendit ad bonum, haud ab re tũ mentem quæ ſic ordinat omnia, tum animam quæ ſic omnia mouet ab ipſo uno bonoq; uolumus dependere. Sic igitur uniuerſũm hoc corporeum, & ab alio mobile ad animam primo redigitur per ſe mobilem, motu proprio cũcta mouentẽ. Hæc ad mentẽ omnino ſtabilem, ſtatu proprio cũcta continentẽ. Sed utraq;, ſcilicet & mens & anima refertur ad bonum: & cuius gratia tum mens ſtabiliter, tũ anima mobiliter mouere uidetur: & in quo mens ipſa queſcit, & & circa quod anima ſe reuoluit. Nempe ſiue anima moueatur, & moueat, mouetur ac mouet ad bonũ. Siue mens quieſcat & firmet, certè quieſcit & ſiſtit in bono. Hinc & omnibus eſt natura tributũ: ut ſicut mouentur ad bonũ, ſic & in bono quieſcãt. Et profectò quemadmodũ ipſum bonũ aliud quiddam eſt præter illa quæ mouẽtur ad ipſum, & præter motũ: ſic & aliud eſt præter illa quæ in eo ſtant, & præter ſtatũ: alioquin in ſe
C ipſis ab initio quieuiſſent: Poſt ipſum bonũ mens proximè ſequitur, mẽtẽ anima proximè comitat. Cũ enim omne agens agat ad bonũ, mẽs quæ dũ agit ad bonũ ſtabiliter agit, & in ſeipſam agẽdo redditur bono quãproxima iudicatur. Anima uerò quæ & per eſſentiã manet, & iterum agendo ex ſe ipſa mouetur, & poſt progreſsionẽ reficit orbẽ, menti quãproxima eſt omnino ſtabili, & in ſeipſam omnino conuerſæ. Sed quis non uideat animã ſemper ac ueræ intelligentiæ cõpotẽ eſſe intellectui primo quãproximam? Quòd igitur in mundo ſit motio & actio quęuis ad uitam deniq; conferens procedit ab anima. Quòd autem eiuſmodi motio ordinata ſit atq; ſtabilis & in orbem reſtituatur, & formas exprimat, ſortitur à mente. Quòd denique tum motioni certus ubique præſcriptus ſit finis, tum formæ paſsim aliæ conducant alijs, eſt ab ipſo bono tributum. In cælo quidem eſſentia, lux, mobilitas, bonum, mentem, animam repræſentant. Sub cælo autem cauſa finalis bonum, formalis mentem, efficiens animam referre uidetur. Quoniã uerò de tribus omnium principijs & paſſim in argumentis in Platonem & in theologia latius diſputamus, hæc breuiter attigiſſe ſufficiat. Poſt hæc autem cõfutat eos qui diuina inter ſe diſtinguunt, uel quoniam alia ſint in potentia, alia ſint in actu. Nihil enim in æternis eſt in potentia: uel quoniam intellectus alius quidem maneat, alius moueatur. Non enim in intellectu eſt motus ullus, ſed primus in anima motus. Vel quoniam in intellectus hic quidem ſubſtantiam quandam intelligat, ſiue ſuam, ſiue etiam alienam. Ille uerò actionem duntaxat alterius intellectus, quam alter ille, cuius eſt actio, nõ intelligat. Diſtinctio ſanè ciuſ-

D modi in animarum natura non diuidit ſubſtantias animarum. Siquidem animus idem qui uel ſe, uel aliud quoduis intelligit, ſæpe ſe intelligit intelligere. Ergo & multo minus ita ſubſtantiæ mentium diuiduntur: & multo magis mens eadem utrunq; explere poteſt. Iam uerò concedimus ipſum ſimpliciter intelligere ratione quadam ab ipſa intelligentiæ animaduerſione differre. Nam illud quidem habet eſſentiam aliquam pro obiecto: hæc autem pro obiecto actionem ſpectare uidetur. Et in nobis non ſemper qui cognoſcit, is agnoſcit etiã ſe cognoſcere. Veruntamen mens quælibet à corporis cõmertio ſeparata adeo intelligit expeditè, ut quatenus intelligit aliquid, eatenus intelligere ſe prorſus agnoſcat. Præſertim cum ea ibi ſit intelligendi conditio: ut mens ad intelligendum ſuam ſpectet eſſentiam. Si enim ibi perfecta intelligentia eſt, intelligibile habet intimum atq; certiſſimum, minimeq; dependet. Ita uerò ſit maximè, ſi pro obiecto ſuam ſpectet eſſentiam. Dum uerò ſuam eſſentiam intuetur, in ſuo eſſe intellectuali & in actu intelligentiæ perpetuo poſitam, cognoſcit ſe eſſe eſſentiam intellectualẽ ac ſemper intelligentẽ. Quatenus igitur intelligit ſe, eatenus ſe intelligit intelligere. Præcipue quoniam ſicut idem eſt in luce lucere, quod & eſſe, ſic idem in ipſo intellectu eſſe, quod intelligere. Dum ergo ſe eſſe cognoſcit, etiam intelligere ſe prorſus agnoſcit. Quã obrem intellectus quilibet abſolutus ſicut ſemper intelligit, ita quod intelligat, ipſe ſemper animad uertit: præſertim cum nulla exterior occupatio ipſum ab ipſa ſui animaduerſione diuertat. Eſt autẽ illic actus idem intelligentiæ: quo & ſimpliciter intelligit aliquid, & quo illud ſe intelligere ſemper agnoſcit. Si enim actus eiuſmodi ibi diſtinguas, iam dicemus & actum tertiũ ſimiliter & quar
E tum, & infinitè deinceps ibi diſtingui: quatenus per ſequentem actum innumerabiliter intelligere fingitur præcedentem. Ne fas autem philoſophi putant infinitos actus & hos quidem ſuperfluos illic in præſentia ponere: præcipuè ſi per illos infinitæ illic ſubſtantiæ multiplicari dicantur. Inter hæc ipſe notabis, Plotinum in mentibus beatis animaduerſionem eſſentiæ actionisq; ſuæ perpetuam ponere: eodemq; actu & intelligentiam & agnitionem intelligentiæ eſſentiæq; expleri. Quod ſicubi dixerit, ſimplicem ipſum primumq; intelligentiæ actum animaduerſione diſtrahi. Expone, ſcilicet quando animaduerſio eſt actio re ipſa ab intelligẽtia differẽs. Et quando ſit animaduerſio miniſterio quodam imaginationis, ab intellectu nimium differentis, atq; ad aliena interim diſtrahentis. Refellit ſubinde quod aiunt: inter ipſam mentem atq; animam eſſe mediam ſubſtantiam quandam, quam rationem quidem ipſam intellectualem appellant: animam uerò dicunt ab hac ſuſcipere rationem. Sic enim anima nulla uerã habebit intelligentiam atq; perpetuam. Vera namq; perpetuaq; intelligentia eſt, uel in ipſa mente, uel in eo quod proximè mentis eſt particeps. Anima uerò ex eorum opinione non primo quidem gradu, ſed ſecundo intelligentiæ nonnihil acciperet, & imaginem illius potius quàm naturam. Atq; ita neq; ſeipſam animaduerteret, quod eſt naturæ intellectualis officium: neq; intellectus alicuius ſubſtantiam excogitare poterit à naturis ſequentibus abſolutã: neq; rei cuiuſquam formalem comprehendere rationem, aut definitionẽ ipſius ueritatis amplecti. Talia enim ad mentem propriè pertinent.

P *Prouidentiæ modi diuerſi, ſcilicet in principijs tribus: Deinde in ſtellis: Tertio in dæmonibus: Quarto in hominibus.* Cap. II.

IN ſecundo igitur capite colligit tria rerum principia: ipſum, ſcilicet bonum, & eius filium intellectum ex paterna luce luminis more manantem: atq; inſuper mundi animam ex intellectu diuino, uelut ſpiritum per omnia profluentem. Sed ea conditione inferioribus prouidentem, ut interim à diuinis nulla ex parte declinet. Sed quò attentius diuinis inhæret, eò potentiorem fœcundioremq; ait ad ſequẽtia reddi: & quaſi iam inde pregnantẽ ſequentia parere. Ad hæc tria principia uniuerſalis prouidẽtia pertinet, qua & omnibus, & omnia prouident. Minus uerò uniuerſalis ad ſphæ rarum ſtellarumq; animas: harum enim quælibet prouidet quidem omnibus, ſed non omnia. Nam unaquæq; propria tribuit, quamuis cunctis. Minus etiam uniuerſalis in dæmonibus eſt prouidentia. Quidlibet enim certa quædam curant genera rerum, quibus & quædam propria tribuunt. Particularis etiam in animabus noſtris ad inferiora prouidentia eſt. Atq; impenſiori etiam ſollicitudine, quam dæmones propria curant: ut ſtultum ſit humanam prouidentiam cum animæ mundanæ prouidentia comparare. Cum enim & anima prima potentiſſima ſit: & prouidentia eius uniuerſalis, extra quã nihil eſt, quod eius repugnet officio, nõ iniuria Plotinus ait, hãc dũ prouidet, neq; laborare, neq; minus eſſe beatã. Animã uerò noſtram uſq; adeo regendis corporibus occupari, ut à ſuperioribus quandoq; diſcedat. Diſcedat inquam per infimam ſui partem primo, ideſt, per imaginationem eiuſq; affectum propenſius ad inferiora uergentem. Quæ quidem ad hæc ſecum ſubinde trahat partem animæ mediam, cuius proprium eſt ratione diſcurrere, Intellectum uerò quem & animæ par-

tem

A tem nominat, confirmat (ut ſæpe ſolet) diuinam intelligentiam intermittere nunquam. Videtur autem hæc de intellectu ſententia non Plotini ſolùm, ſed Ammonij quoq; præceptoris eius Alexandrini fuiſſe. Quem Plotinus in omnibus dicitur proſecutus. Accepimus & alios quoſdã auditores Ammonij in eadem ſententia permanſiſſe. Quam & Iamblichus inter Aegyptiorum dogmata connumerare uidetur. Notabis interea animam noſtram, quamuis particularis anima nominetur, quia particularem habeat prouidentiam, nullo tamen pacto eſſe mundanæ animæ partem. Rurſum, animam noſtram ideo in regendo corpore ſollicitari atq; laborare, quoniam neq; ſummum tenet animæ gradum, quem obtinuit anima mundi: neq; permanet in ſummo tora, cum inferioribus prouidet. Eam ſanè particularium animarum conditionem eſſe putat, ut per uices hoc aut illud agant. quantum uidelicet ad rationem imaginationemq; pertinet. quantum uerò ſpectat ad intellectum nullas agere uices. Quemlibet enim intellectum eſſe in æternitate penitus conſtitutum. Siquidem in proprietate animæ ſubinde ſequente primus eſt motus primumq; tempus.

Mundum non fuiſſe aliquando nouum ex noua quadam animæ prauitate: neq; aliquando periturum. Cap. III.

FRuſtra igitur fingebant heretrici animam primam aliquando à diuina beatitudine cecidiſſe atq; ita ad deteriora degenerantem fabricauiſſe mundum. Temere nimium mundo propterea dabant initium, quòd habet eius nuper eſſet permutatus in malum. Satius admodum erat dicere, miſ
B dum ex anima ſemper naturali quadam neceſsitate productum: quemadmodum & forma corporis à uegetali uirtute, & calor lumenq; ab igne. Videmus enim perfectiſsima quæq; in natura naturali largitate ſemper agere, neq; ex inopiæ malo, ſed potius ex copiæ bono. Quòd ſi ſemper agunt, illa etiam quorum uirtus & actio ad quædam tantùm determinata eſt, ut elementum quodlibet & compoſitum: multò magis tria illa principia rerum: quorum uirtus eſt communis ad omnia, ſemper agunt. Præſtat itaq; dicere mundi fabrum æterna bonitatis copia ab quo mundum progenuiſſe: quàm noua prauitate nouum. Profectò ſi principiorum naturam in actu ſemper abſolutam conſideramus, atq; ſic opus ad eam conferimus, opus inde ſempiternum ſequi uidetur. Quamuis ſi ad ipſam diuinæ bonitatis uel intelligentiæ uoluntatem reſpexeris, mundum ualeas tum ſine noua fabri prauitate, tum ſine diuini conſilij nouitate nouum excogitare. Sanè cum in diuinitate natura idem ſit atq; uoluntas: neq; uoluntas naturæ aufert quod proprium eſt naturæ: neq; natura proprium uoluntati. Tum uerò confutat quod putabunt mundum aliquando periturum. Sola enim quæ reſolui in aliquid poſſunt interire poſſe uidentur. Nam aliquid in nihilum euaneſcere bonitas ipſa naturæ non patitur. Quandoquidem neq; patitur alicubi uacuum. In quid ergo mundus reſolui poteſt? Nũ quid in materiam? Eſto ſanè. Sed ita demum quærimus, nunquid materia illa formam habeat nec ne? Si habet: adhuc erit id compoſitum in materiam reſolubile. Tunc illo neq; in nihilum euaneſcere poteſt, neq; informis perſeuerare. Eſſe enim datur ubiq; per formam. Ac ſi finxeris eam ſine forma manere: tunc alibi quidem materia erit: alibi uerò diuina quaſi limitibus inde diſiuncta: qnandoquidem nihil ex illis emicet in materiam. Non igitur erunt ubiq; diuina. Quod dictu nefas eſſe in theo-
C logia probauimus, & alibi comprobabimus. Neq; licet fingere materiã in nihil poſſe reſolui. Quippe cum nullum agens ad reſoluendum contendit ſimpliciter ut reſoluat: ſed ut ſe augeat, uel propaget. Id uerò ex aliquo duntaxat & in aliquid fieri poteſt. Præterea ſi materia redigatur in nihilum, conſtabit ſane materiam ab initio neceſsitatem à nullo præcedente ſubiecto, unde fieret habuiſſe: cum ita nullum aliquando ſubiectum præceſſerit, ſicut deniq; ſequitur nullum. Extitit igitur ab initio quadam conſecutionis neceſsitate ex ſuperiore efficiente q; cauſa. Eadem igitur conſequentiæ neceſsitate ſemper erit.

Faber mundi non inclinatione, ſed conſiſtentia fecit mundum. Cap. IIII.

REprobat rurſum quod aiunt, animam primam non ex eo quòd in ſua dignitate maneret, ſed quia degenerauerit mundum procreauiſſe. Sed antequã confutationes Plotini proſequar, recenſere iuuat Porphyrij uerba in eandem ſententiam ex libro eius uias ad intelligibile demonſtrãte. Sic igitur ait: Nulla ſubſtantiarũ quæ uniuerſę ſunt atq; perfectę, ad ſuam conuertitur genituram. Omnes autem perfectæ ſubſtantiæ ad generantia potius rediguntur, & id quidem ad corpus uſque mundanum: quod ſanè cùm ſit perfectum, ad animam eſt redactum: animam inquam, intellectualem, ideoq; circulo uoluitur. Anima uerò mundi ad intellectum attollitur: intellectus autem erigitur ad principium. Subdit uerò paulò poſt: In ſubſtantijs uerò particularibus, & ad multa labi potenti

A *Opifex mundi eſt primus intellectus per animam: item tria ſunt principia, bonum, mens, anima. Item primus intellectus & primum intelligibile idem.* Cap. VI.

VEtus erat opinio, formas in materia reſultare ex quadam impreſsione à formis effecta diuinis, dum materia influxũ idearum quaſi ſpeculi more repercutit: ideoq́ pro ueris idearũ formis ueriſimiles reportare, uel reddere, uel ſimulare. Itaq́ animas fallere à ſuperno iam mundo prolapſas, donec pœnitentia tandem affectæ, ex hac quaſi colonia uel exilio in patriam reuertantur. Veterem hanc ſententiam uſurpantes hæretici, eiuſmodi paſsiones animæ quibuſdam ſubſtantiarũ nominibus ineptè nimiũ obtegebant. Poſt hæc obſeruabis, antiquos inter Chriſtianos, hæreticos tranſcorporationem animarum à ueteribus accepiſſe: ſed arbitror illos ex homine in hominem tantùm, ſiue terrenũ, ſiue aerium, non autem in beſtias animam hominis traduxiſſe. Sic enim & doctores Hebræorum accepiſſe traduntur. Verba queq́ de opificio mundi, hos Plotinus iudicat peruertiſſe: ſiquidem tanquam tres ſubſtantias, accipiunt tria uerba Timæi: quibus tamen tres eiuſdem ſubſtantiæ proprietates apud Plotinum ſignificantur, uidelicet ut idem ipſe Deus mundi faber excogitauerit, ideſt, decreuerit, & naturaliter decernẽdo peregerit tot in mundo rerum ſpecies, quot intellectus ipſe ſuus in ipſo ſuimet uiuente, ideſt, in ſua eſſentia uiua contemplaretur ideas. At hæretici dicebant, ipſum uiuens eſſe ens ipſum intelligibile, primum omni ſuperius intellectu. Qui uerò contemplatur ideas in ipſo, eſſe primum formaliter intellectum. Qui autem excogitauit efficere, eſſe animam primam, & hanc conſilio quodam facere, quamuis malo, poſtquam ſcilicet à ſupernis degenerauit. Plotinus autem idem eſſe intelligibile primum, intellectumq́ primum ita probabit. Primus
B *intellectus cum perfecto intelligat modo, intimum habet intelligibile. Ipſe igitur intelligitur à ſeipſo, tanquam ipſimet intelligibile ipſum ſit, ſicut eſt intellectus. Item quòd primum perfectumq́ intelligibile eſt, perfecto modo intelligendum eſt. Perfecta uerò ratione intelligitur, ſi intelligitur à ſeipſo. Siue igitur intellectũ ſpectes, mox intelligibile conſequitur intimũ, ſiue cernas intelligibile, intellectus ſtatim intimus comitatur. Et meritò quoniam longè maior proportio eſt intelligibili ad intellectum, atq́ uiciſsim quàm uiſibili ſit ad uiſum. Intellectus enim rem ipſam intelligendam penetrat, & diuidit, & definit: quòd circa ſenſibile nullus efficit ſenſus. Cùm igit mirifica ſit inter ipſum intelligibile intellectumq́ proportio, meritò qua uia huc uſq́ peruenit aliquid, ut ſummum intelligibile ſit, eadẽ conſequitur, ut ſummus ſit intellectus, atq́ uiciſsim. Hunc uerò Plotinus mundi artificem primũ eſſe putat: neq́ tamen animam primam ab opificis munere uult excludi: ſed negat eam conſilio mundum facere, & ſollicitudine ducere, alioquin neq́ ſubſtantia mundani operis conſiſtere, nec ordo perſeuerare poſſet, ſi mobili quadam artificis actione præſertim laborioſa fieret, atq́ moueretur. Multò magis inſuper deteſtatur, quòd opificem animã dicant eſſe mentis expertem, & perturbationi ſubiectam, animabusq́ noſtris deteriorem: cùm in hoc opificio nihil inſipienter agatur, nihil appareat perturbatum. Proinde diſtribuit principiorum ordinem hunc in modum. Abſolutiſsima Dei unitas uel ſimplicitas cùm adeò ſuperemineat omnia, ut neq́ ſimilitudinem, neq́ reſpectum prorſus illum ad aliquid habeat: ideoq́ nec prius hoc quàm illud aſpiciat, certè aut nihil efficit, aut omnia ſimul. Sed enim ſumma bonitas ſuper omnia meritò mox efficit omnia: ſumma unitas ſtatim efficit unũ. Quòd igitur inde proximè manat, ſcilicet ab unitate quæ ſuper omnia eſt,
C *nimirum eſt unum omnia: unum ſcilicet ens, entia cuncta: hoc ipſum intelligibile eſt, quod eſt intelligibilia cuncta. Hic primus eſt intellectus, qui & omnes eſt intellectus, intellectus inquam abſoluti, omnesq́ ideæ. Hic mundus intelligibilis eſt ab uno ſuper omnia genitus: unum omnia. Hinc naſcitur anima prima iam unum & omnia, quodãmodo uidelicet mobiliter intus explicans quæ primus ſtabiliter complectitur intellectus. Sequitur deinde mundus ex intellectu per animam, non tam unum & omnia, quàm ex omnibus unum: nempe & in mente & in anima præcedit ipſa ſua unitas multitudinem. At in mundo corporeo formarum unitas quodammodo multitudinem ſequitur: potes tamen ita colligere, omnia quidem mundi membra membrorumq́ naturas ad unam animæ mundanæ naturam quaſi ducem: omnes animas ad unam mundi animam uelut principem, omnes intellectus qui animabus inſunt ad unum intellectum ſuper animas exiſtentem, quaſi oculos ad Solis lumen. Intellectum demq́ purum ad paternam lucem atq́ bonitatem.* Inter hæc obſeruabis, queſpleriq́ intellectus ponunt à corporibus abſoluros, Plotinum ponere intellectus tantùm in animabus, quos intellectus animales, & animas intellectuales appellat, qui ſanè intellectus iccirco iudicati poſſunt à corporibus expediti, quoniã & ſi in animabus ſunt, non tamen ſunt in corporibus: quadoquidem neq́ animæ uerè corporibus inſunt, & intellectus eiuſmodi nullum cum corpore commertium habent. Et ut Plotinus ſæpe confirmat, ſemper ſecundum actum ſunt cum diuina mente coniuncti. Ab hac uerò ſententia uix diſſentire uidetur theologorum apud Græcos Chriſtianorum

D ſententia,angelis corpora tribuens. Vbi uerò Plotinus concedit quidem in inferioribus multiplicare quàmplurimũ,prohibet autem multiplicationem in ſuperioribus ſimilem introducere. Intellige prohiberi multiplicationem illic, quæ per minima & quaſi ſuperuacua & diſiunctim fiat, quemadmodum apud nos fieri ſolet:non autem quæ uel in ſpecies uel in neceſſaria fiat, uel ſummatim colligatur in unum. Propriè uerò uetat multiplicare principia rerũq; capita. Quòd autem plures intellectus eſſe uelit,oſtendit, ubi ait,intellectus eſſe ſummas animarũ rationalium partes,ipſasq; animas differre inter ſe paſsionibus & naturis.

Anima mundi alligat ſibi corpus ſuum, & per hoc quaſi alias animas. Item quomodo etiam anima propria det corpori uitam. Cap. VII.

REprobat iterum, quòd animam genitricem mundi dicant, animæ noſtræ more in hac fabrica laborare,& ab ipſo contemplationis officio diſtrahi. Ait enim: Cùm tota machina ſit animæ mundanæ ſubiecta,nihil illi reſiſtere,nihil effluere proprij, nihil alieni contingere:item,totam corporum molem ab ipſa anima per infuſam uitã tum inter ſe colligari, tum animæ deuinciri, prorſusq; ſubeſſe: animam uerò noſtram ad corpus accedere,quaſi quoddam hactenus mundi mẽbrum, atq; iam inde quodammodo uiuens in gremio totius animę,ſic illi fermè connexum, ſicut fœtus in aluo: Itaq; uenientem extrinſecus animam alligari animali quaſi iam facto,neq; penitus dominari. Animam uerò mũdi ſibimet animal generare,ipſumq; ſibi potius, quàm ſe ipſi ligare,ideoq; nihil in animalis paſsionibus aliquando compati. Quòd enim tanquam deterius eſt præſtantiori connexũ pati quidem ſolet,ſi patiatur illud: neque tamen fit econuerſo. Tu uerò memento,quamuis anima noſtra nanciſcatur corpus iam uiuum,nihil tamen prohibere, hanc quoq; adhibere corpori uitam,ceu lumini lumen. Hic enim uita prior ad actum & proprietatem uitæ poſt uenientis facilè trahitur: hæc enim eſt in proprio corpore potior, atq; ſi ad alteram comparetur, quaſi ſubſtantiale quiddam ad aliquid accidentale ſe habere uidetur. Concludit deniq; uniuerſum ubiq; bene diſponi,ad bonum uidelicet commune perductum. Siquid uerò incommodi interea partibus quibuſdã accidat, inde contingere quòd in firmitate ſua uel ipſum totius ordinem ritè ſequi, uel impetum ſubſtinere,aut deuitare non poſsint. Animaduerte uerò, in comparatione Plotini intellectualem animam poſſe tum ipſam ordinem fatalem effugere, quum à ſuperiori principio pendeat: tum etiam ordini huic libenter ac diligenter obſecundare: tum denique hoc ſibi commendatum corpus ita cum ordine conformare,ut quandoque deuitet incommoda,

E

Faber mundi non mutatione ſui,ſed poteſtatis naturalis copia fecit mundum tanquam Dei ſtatuam. Cap. VIII.

QVando interrogantur hæretici, quam ob cauſam mundi faber conſtruxerit mundũ, reſpondent: quoniam à contemplatione cecidit, ac uelut ambitioſus ad agendum ſe contulit atq; imperandum. Præſtabat autem naturalem aſsignare fœcunditatem,quàm uoluntatis iniquitatem, atq; ira interrogantibus reſpondere: Sicut calor qua ratione calor, naturaliter calefacit, & lux qua lux illuminat naturaliter,& ſimiliter uita uiuificat,ſic potentiſsimum illud agens poteſtatis ſuæ naturalis præſentia facit. Omnino uerò contra religionem omnem atq; philoſophiam eſſe uidetur q̃ dicebant hæretici,opificem mundi prius in ſe formaliter permutatum quàm faceret mundum,atque facultatis opificiæ quæ ſempiterna eſt,imò idem eſt ibi quod ſempiternitas,initium aliquando contigiſſe,quando ſcilicet opifex ille propter lapſum à melioribus factus eſt impotentior. Eſt & contra religionem uituperare mundum tanquam malum, nam & in Geneſi Moyſes ait, tum ſingula in mundo bona,tum cuncta ualde bona mundi artificem effeciſſe. Huc tendit & illud: Cæli enarrant gloriam Dei,& opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sic itaq; magnitudo & poteſtas & motus uniuerſi mirabilem diuinitatis poteſtatem nobis oſtendit:ordo mirificus ſapientiam,præſertim in tanta rerum uarietate ſeruatus:uſus quoq; ad optimum ubiq; conducens declarat proculdubio bonitatem. Poteſtatem inquam,& ſapientiam & bonitatẽ,non ſolùm quæ ſit in opifice,ſed quæ communicata etiam ſit opificio,alioquin non poſſemus opifici huius contemplatione talia de opifice iudicare, quamobrem ſatius admodum foret uniuerſum hoc Platonico more, quaſi Dei ſtatuam honorare:& quæ in eo excellentiora ſunt,tanquam certiores ſtatuas idearum,quàm hæreticorũ more uituperare: impium enim eſſe Platonici iudicant,ſtatuas Dei uiuas ab eodem fabricatas,poſitasq; in templo mundano ad cultum legitimum omnibus demonſtrandum deſpicere,ne dum criminari:nam & quid ſibi uelit illud:In ſole poſuit tabernaculũ ſuum,non eſt negligendum. Non ſo[illegible] itaq;

F

A iraque mundus diuinam mentem diſsimiliter imitatur, ut hæretici ferunt, ſed imitatur quoque ſimiliter. Diſsimilis quidem imitatio intelligitur, ubi per oppoſitionum uices fit comparatio: Sicut illud immateriale, indiuiſibile, immobile: ita hoc uiciſsim materiale, diuiſibile, mobile. Igitur ſicut illud bonum eſt: id ita malum. Eſt autem in mundo erga diuinam mentem per ſimilia inſuper imitatio quædam: quatenus opus hoc repræſentat eſſentiam illam, uitam, intelligentiam, ideas: imò & unitatẽ ipſam atq; bonitatẽ. Igitur & hoc eſt bonum tanquã imitatio boni. Emanare uerò hoc inde Plotinus exiſtimat naturali quadam bonitatis illius exuberantia: ſed cauſam adæquare nõ poſſe. Terram poſt hęc plenam eſſe inquit, immortalium animalium: ſimiliterq; ſpatium uſq; cęlũ mul toq; magis & ipſum cęlũ. Immortales in terra ſunt animã uites ultra ipſam terrę animã ſaltẽ aĩmę noſtræ celeſtibus hic etiã cõiunctæ corporibus. Vt prætermittã quod Orphici terreſtres etiam dæmones introducunt. Immortales in aere pariter atq; æthere ſunt dæmones, ſaltem quantũ ſpectat ad celeſte illorum corpus. In ſphæris quoq; cælorum omnibus immortalia diuinaq; ſunt animalia ipſę ſcilicet ſtellæ. Sunt & qui in orbibus planetarũ ultra planetas in quolibet ponãt dæmones quaſi ſtellas ita ſuo planetæ ſubiectos: ſicut in firmamẽto à maioribus regunt ſtellæ minores. Mitto quòd ideę cũctæ ſunt ubiq;: quas ſolent animalia intelligibilia nuncupare. Quãlibet deniq; intellectualẽ ſubſtantiam ubiq; ſimiliter eſſe poſſe in Theologia tractamus, & tractabimus alibi. At ſiquis conuicerit hominũ atq; etiam dæmonum animas poſſe quandoq; uehiculum cæleſte deponere: ex quo animal eiuſmodi non ſit immortale. Primò quidem dicimus, non facilè iſtud admitti: deinde ſi admittatur, depoſitionem eiuſmodi corporis haud propriè mortem eſſe dicendam: quia nec fatali naturali ue curſu: nec uiolentia foris illata uel intus accidat: ſed facili quadam quaſi depoſitione ue-
B ſtis atq; uoluntate. Deniq; ſi cum terrena concedant uiuere: forſan negent cæleſtia uiuere: audiant *Theophraſtum* dicentem non eſſe philoſophum qui neget cæleſtia uiuere. Sin uerò cæleſtia ratione priuent, quæ mirabili ratione ſemper incedunt: animaduertant quandoq; ſe eſſe uel oculorum uel rationis expertes. Si negẽt, mundũ eſſe à bono: audiant munduũ ita his reclamantẽ: Cũ aſsiduè uos ordine meo ad diuinam prouocem ſapientiam atq; uitam: ſcitote, me ex diuinitate pendere.

Gnoſticorum errores non minus chriſtianis quàm Platonicis aduerſantur. Cap. VIIII

IN ſequẽtibus uerò dũ cõfutat inepras hereticorũ criminatiões ĩ mũdũ: aĩaduerte, in mũdo eſſe tres prçcipuè gradus. In primo poni ſphærarũ ſtellarũq; motores. In ſecũdo ſphęras. In tertio cõpoſita infra lunã. Ac ſine graduũ horũ diſtinctiõe mũdum nõ eſſe pulchrũ. Similiter tres humanę uitę gradus: Sũt.n. diuini hoies, ſunt humãi, ſunt & quodãmodo bruti. Simili ratiõe diuerſitas apparet in ciuitate etiam rectiſsimè cõſtituta. In eiuſmodi uerò diſtinctiõe & ordine pulchritudinẽ tũ uitę tũ ciuitatis eſſe memento. Notabis interea cæleſtes deos ĩferiorib. ſingula prouidere: ac dęmones ſub luna plurimos eſſe bonos, hoĩbuſq; meliores: concedi tamen dęmones aliquos eſſe malos. Sicut prçterea tã ſtultã fuiſſe in Gnoſticis hereticis arrogãtiã: ut nullam diceret uirtutis ſpeciẽ eſſe poſſe, niſi in eis qui cãdẽ hereſim ſectarẽtur. Itẽ malos eſſe hic dæmões & angelos oẽs: Rectores quoq; ſphærarũ cæleſtiũ eſſe prauos: Ipſamq; totius mũdi uitã. Deniq; nullũ uiſquã numẽ honorãdũ quoquomodo eſſe uel inuocãdũ: ſed primũ tantũ fine medio exorãdũ: Atq; ad id quidẽ impetrãdũ ſolã hereſis ſuæ pro-
C feſsionẽ & uerba quædã ritusq; ſufficere. Neq; neceſſariã ad hoc eſſe exactã uitæ morũq; puritatem. Deniq; peſsimũ quemq; hereſis ſectatorẽ uniuerſo meliorẽ eſſe cenſendũ. Vt nõ mirũ ſit, Plotinũ his etiam acrius indignari. Notabis deniq; ſicut maxima nobis potentia ſolis elucet ſi cõuincamus ab eo ſolaria eſſe quã plurima id eſt, omnium ubiq; lumina: ſic mira dei potẽtia fulget: ſi ab uno dij multi fiãt, atq; dependeãt. deos poſt hæc ait, tũ quæ deo ſuperiori, tũ quę ipſis placẽt, hominibus inſpirare. deos hic accipe, tũ ſtellarũ animas, tũ dæmones bonos. Stellarũ enim animæ quæ à mente animæ mundi, menteq; diuina decreta ſunt, dæmonibus: Hi nobis inſpirant. Tu uerò dũ Plotinus inuehitur latius in hereticos, memento, neq; legitimũ Chriſtianorũ genus hic attingi: neq; ipſam Chriſti perſonã. Quoniã Gnoſticorũ errata non minus à Chriſto ſunt quàm à Platonicis aliena. Et profectò ſi Porphyirius qui cauſam ſuſcepit cõtra Chriſtianos, Chriſtum oraculis cõfirmantibus iuditauit ſapientẽ & piũ atq; beatũ: meritò plotinus qui ſolũ contra quoſdã hereticos agit, Chriſtũ à maledictis cenſet excipiendum. Nec iniuriã illos inſequitur, qui aſſerebant mundum eſſe natura malum, atq; à malo. Animas noſtras eſſe mundi anima meliores, fieriq; etiam meliores angelis. Et id quidem abſq; labore ullo & purificationis officio, ſola ſcilicet hereſis illius confeſsione. Et quibuſdam ritibus, & certa quadam pronuntiatione uerborum: neq; licere cuiquam aliter fieri bonum. Deniq; Deum ipſum ſolius humani generis curam habere. Totius uerò mundi rerumq; mundanarũ prouidentiam apud Deum eſſe nullam. Quæ quidem Chriſtianæ legi non minus quàm Platonicis aduerſantur. Nam ſiue Paulum audias ad Romanos, Deum diſces non unius tantùm, ſed omnũ

D esſe gentium: ſiue euangelium, cognoſces deum uniuerſo uſq; ad minima prouidere. Item confirmari propheticũ illud, omnes uidelicet poſſe dici deos, ac filios excelſi omnes. Et unà cũ Prophe ta præponi angelos animabus. Arrogantiã maxime omniũ extirpari. Solo ſpiritu & ueritate Deũ adorandũ. Sola morũ puritate feliciter promerendũ: id quidem munus laborioſiſimè comparari.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. XII.

IN capite iterum duodecimo planius quoq; perſpicies, non chriſtianam legem ulla ex parte, ſed ſuperbiſsimam Gnoſticorum hereſim improbari, falſos Zoroaſtris libros fingentium, philoſophiæ ſummum profitentium, Platoni ſe arrogantius in ſapientia præponentium. Quibus etiam decepti fuerint philoſophantium multi familiariumq; Plotini antequã Plotino familiariter uterentur. Quid uerò dicã? Vbi hereticũ illud ſtultiſsimumq; deridet: ipſum mundi fabrũ appellant ſapientiam ſimul & animã: ſapientiã quidem, quatenus antè intellectu uiuebat: animã uerò, quatenus eſt inclinatus ad fabricã. Ambigunt inſuper, utra uis eius prius ad mundi fabricam declinauerit. Addũt cæteras animas conſequenter tunc ad corpora deſcendiſſe tanquam huic fatali lege connexas, ac ſimul annuiſſe corporibus ſapientiæ membra, ideſt, dæmones. Tum uerò fabrum infudiſſe materiæ nonnihil imaginariũ, atq; deinceps ex hoc imaginario materiali, imaginarium aliud adhuc uanius reſultaſſe tanquam remotius à ſubſtantia, & forſan adhuc aliud, idq; extremũ eſſe mundum: ut conuincatur id totum eſſe uaniſsimum.

E *Vita quæ in corpus pendet ex anima, ut actus animæ eſt immortalis.* Cap. XIII.

OBſeruabis in capite decimo tertio uitã irrationalem quæ ex ſubſtantia rationali dependet uelut imago eius & actus, nullo modo ſubſtineri à materia: neq; ſubiecti alicuius fieri qualitatem, ſed ſolùm exiſtere ex anima, & quaſi emicare: ſicut radius uiſualis ex oculo animalis nocte uidentis: cui etiam ſi non cõtingat extingui, contingit tamẽ non emicare aliquando, uel emicare, & ſolo pendere ex oculo.

Penes intentionem ipſius naturæ totum prius eſt quàm partes operis: ac totum ſimul inchoatur. Cap. XIIII.

IN quarto decimo capite notabis: quoniã natura per formam agit, agitq; toto formæ totius impetu, ad totam penitus propagandam, ideo primùm in ipſa naturalis agentis intentione formã eſſe totius & integram: itaq; totam unà cum partibus quodammodo cunctis ex uigore intus agente funditus inchoari. Sic inchoantur plantarum & animalium ſpecies: ſic ex diuina cauſa totus ſimul mundus effluxit.

Cælum calere quidem & calefacere, non tamen urere, nec obeſſe. Cap. XV.

F IN capite quintodecimo memento, cęlũ calere quidem & calefacere, ſed non urere: quod addebãt hereticiSi in omni uiuente corpore unà cum ingenita uita congenitus eſt & calor, corpus certè primò uiuens calet & primò, & calefaciendo cuncta uiuificat: atq; cum augeat & foueat omnia nihil urit. Quod quidem calefaciat, non motu ſolùm, ſed natura patet: quia diffuſis ſine motu per omnia radijs calefaciet: & ſola radiorum in ſeipſos multorũ collectione etiam ſi collidatur, nihil uehementius calefaciet: non tamen naturaliter urit: alioquin tum magnitudine ſua, tum celeritate motus totum reliquum repente conſumeret. Quòd autem ignes accendantur in alto, non ab æſtu cæli, ſed forſan ex aeris illius anguſtia prouenit. In quo calor ex calore motuq; cæli leuiter primùm accenſus euadit paulo acrior anguſtia loci. Cui cũ ſe applicat ſubtilis uapor & ſiccus atq; ſulphureus, fit feruor longè uehementior in uapore: Vbi etiam ex motu uaporum concutiente calor intenditur. Veruntamen plus adhuc eſt ibi luminis quàm caloris. Fulgur autem ab inferiori ſede ex cauſa uiolẽtiore demittitur. Poſt hæc notabis, cum cæleſtium natura generet omnia, & uiuificet, & conſeruet eam naturaliter eſſe bonam. Tum uerò quæ iniqua cenſentur, inde ſignificari, non fieri. Deniq; quę apud nos ſub communi cæleſtium influxu fiunt, effici inter ſe differentia: tum propter ſpecies differentes, tum propter uarias fortunas ſingulis contingentes. Varias inquam prout pertinet ad anni tẽpora, locaq; diuerſa, affectionesq; animorum. Hæc ergo non ex cælo exiſtere differentia, ſed quod datur cælitus influxu communi propter hæc accipi differenter. Gradus uerò bonorum à maiori in minus per ipſam boni latitudinem procedentes, nefas eſt, tanquam malos uituperare: atq; hinc improbare ipſam uniuerſi naturam. Ridiculum quoq; ex eo quòd progredientibus ordine rebus interim

A rim mali aliquid ſubrepat: principium inferre maleficum: quaſi malorum ſit efficiens cauſa potius quàm deficiens, ac propoſito quodam comitantur potius quàm ſorte contingãt. Profectò dũ intentione naturæ ab ipſo rerum principio procedentis certæ generantur formæ, ideoq; bona fiunt, conſequenter formæ aliæ cedunt: quod malum eſſe uidetur. Cum igitur eodem motu quo per ſe fit bonum, per accidens cõtingat & malũ: nemo debet ob differentiam bonorum atq; malorum contraria quædam principia ponere: ac præter principium bonum introducere malum: multoq; minus per naturam primam eſſentialq; malum. alioquin eſſentia & eſſe erit malum. appetitur tamen tanquã bonum: & oppoſitum eius reſpuitur uelut malum. Præterea principium agit ſequentia quatenus eſt efficax & in actu, agitq; per formam. Hæc uerò ſunt bona. Non eſt igitur ipſũ malũ: neq; facit per ſe mala, ſed ſimilia ſibi, ideſt, formalia, ideoq; bona. Malum uerò ad formę priuationẽ attinet, quæ accidit non intenditur. Per hæc igitur & Gnoſticorum, & Manichęorum confutatus eſt error.

Oratio non adoratum Deum, numenq; mutat ſed adorantem. Cap. XVI.

CAput decimumſextum deridet hæreticos quòd putẽt uerbis tribuſq; humanis è ſuo habitu flecti cæleſtia corpora, animasq; cælorum numinaq; cælo ſuperiora. Item quòd omnẽ orationis uim in uocũ modulis, & odoribus, characteribusq; conſtituant. Præterea quòd morbos omnes nihil uelint eſſe aliud quã dæmonia. At euangelica doctrina deũ in ſpiritu & ueritate præcipit adorari: neq; deũ mutari uult, ſed adorantem: multosq; curat ægrotantes nõ occupatos à dæmone.

B

Non adoratio, ſed uirtus impetrat à deo diuinum munus. Cap. XVII.

MVnus prouidentiæ proprium elucet in optima uniuerſi diſpoſitione, & in optimo mundani opificis habitu. Totum hoc ſtultè nimium auferebant hæretici, dum in mundi diſpoſitione uituperanda dominum auctoremq; prouidentiæ incuſabant. Iam uerò ut conuincerent nihil eſſe in mundo boni, dicebant nullas uel naturæ uel hominum leges eſſe bonas: & quæ uirtutes dicuntur nihil eſſe: neque ipſi de uirtutibus aliquid loquebantur: neq; de purgandis animis penſi quicquã habebant. Prædicabant enim ſi quis duntaxat cogitaret Deum, certisq; apud eos precibus inuocaret, omnia prorſus impetraturum: etiam ſi perturbationes ſenſuum nullas expellat: quibus certè nihil ab euangelica doctrina eſt alienius. Non enim qui dixerit domine domine, & quæ ſecuntur. Memento uerò quòd ait: Abſoluta uirtus deum nobis oſtendit. Sicut enim perceptio caloris ignei ad ſummum perducta materiam lumine protinus implet, facitq; ignẽ: ſic etiam ipſa per uirtutem imitatio dei, animum tandem diuinum efficit atque deum: animusq; ita ſeipſum uidendo, uidet & deum.

Platonici facilius admittunt dogmata Chriſtianorum, quàm Gnoſticorum. Cap. XVIII.

FAc agè, Plotinum à Grecis Chriſtianis audiſſe, ab Ioanne Damaſceno præſertim, ultimũ quendam ordinem angelorum defeciſſe à Deo, corporibusq; ex aere craſſiore poſt hæc incluſos, nõ reprobabit hæc, ſed Platonicis prorſus accomodabit: quod quidem chriſtianæ legi non repugnare
C Romanus tradit Egidius. Non poteſt autem non acriter indignari, cũ audit, totum mumdũ ab Angelo quodam peſsimo peſsimum fuiſſe creatum. Item quòd profiteantur hæretici ſe numinibus cælo ſuperioribus acceptiſsimos eſſe, dũ cælorum rectores qui ab illis dependent, ſuntq; ſimillimi, tanquã malos acriter deteſtãtur, totũq; mundũ ordine diſpoſitũ diuiniſsimo execrãtur ut malũ: ac deũ prędicãt ſolius hominũ generis curã habere. Totum uerò mundũ in quo eſt homo, cuius ordini cõnectũtur humana, ne proſpicere quidẽ. Quæ adeò ridicula ſunt, ut abſurditate ſua ſatis redarguãtur.

De mundo animali, dæmonibus, pulchritudine: & quòd pulchritudo procedit ex bonitate, atque eſt ſignum bonitatis. Cap. XVIIII.

SEgrega ſi potes, à mundo dimẽſionẽ atq; materiã: relinque cætera: ſphærã habebis intelligibilẽ ideſt, animalẽ atq; multiplicem. In qua quidẽ anima prima congruens uniuerſo ſecundũ uirtutẽ orbis amplior erit. Orbes ſubinde uelut uirtute anguſtiores, reliquæ per ordinẽ intellectuales animæ, ſic alia ferme potentia cõplectens aliã: ſicut in his quæ uidentur, orbis alius amplectitur alium. Sed in animali mundo quia nulla dimenſio diſtrahit, quodlibet paſsim totum in toto quolibet reperitur. Eſt autem ibi motus atq; circuitus, qualis intellectuali animæ cõuenit: dimenſio uerò nõ actu quidẽ, ſed potentia quadã actui proxima. Nam ex uirtute animæ protinus proceſſura eſt corporis ſpecies, certã ab anima in materia exigens quantitatẽ atq; figurã. Et quatenus ſe extendit poteſtas

D animæ proceſſoria, eatenus pro uiribus extẽditur in corpore quantitas. Profectò ſiquis inſpexerit intimam animę motionẽ, uidebit & formalẽ ibi diuerſitatem, & propter motum temporalẽ ab alio quodam actu in alium interuallum. In hac ergo diuerſitate in hoc animalis circuitus interuallo incipiet iã dimenſionẽ futuri corporis orbiſq; ſuſpicari: ficut aliquis ex crebro quodã ſcintillæ uibratu orbem continuum ſuſpicatur. Eſt autem uniuerſum illud ſphæricũ animarum ex intellectualibus quidẽ facultatibus ſtabile, quaſi centris poliſq; quibuſdã, ex ſequentibus uerò potentijs mobile. Ex illius autẽ ſtatus motuſq; uigore fit mundus corporeus, & cõſiſtit atq; mouetur. Ex cuius perſpicuæ miraq; pulchritudine decet naturalem ipſius & intimam bonitatem exiſtimare: atq; ex his duobus pulchritudinẽ & bonitatẽ animæ cõiectare. Proinde ubi ait, dęmones ſentiri poſſe, atq; eſſe pulcherrimos: intellige, ſentiri quidẽ poſſe: quemadmodũ in libro de Pulchritudine diximus. Pulcherrimos inſuper eſſe, quos Magnus Baſilius bonos nominat angelos habẽtes corpora partim ignea partim aeria, lucidiſſima pulcherrimaq;, ſicut ſignificauerit Dauid dicens, Angelos Dei miniſtros eſſe ſpiritus atq; flãmas. Sic ergo putat Baſilius Angelos cõmodius mutare locũ, quieſcere, miniſtrare, ac ſine fallacia ſenſibus ſe offerre. Eandem Pſellus aſſerit Apoſtoli Pauli fuiſſe ſententiã. Hac itaq; ratione ſiue dęmones bonos, ſiue angelos nominare mauis, ſunt in corporibus benefica numina, honore cultuq; aliquo digna, ex Platonicorum ſententia ſimul & Chriſtianorũ, contra ſententiã Gnoſticorũ. Qui dũ benefica ex mundo numina tollunt, peruertunt ordinẽ uniuerſi: & ea ſibi adimũt media, per quæ ſummis conciliari cõmodè poſſent. Sũmatim uerò quæcunq; ſunt extrinſecus re uera pulchra,
E ſunt & naturaliter intus bona: ſiquidẽ ex intimæ formæ perfectione atq; uictoria ſeminariq; rationis ſuper materiã prouenit externa formoſitas. At ſi deficit ſpecies intima, tunc res ipſa & diminuta eſt in melioribus, ideſt, intimis, & deficit à melioribus, ideſt, ab illis, quæ ſunt in gradu præſtantiora: nec abſolutè pulchra eſt, ſed pulchritudine mutilata. Vnde Porphyrius dæmones quorũ animi ſunt inã qui corpora quoq; dicit habere deformia: quorũ uerò probi ſunt animi, corpora inſuper eſſe formoſa. Et Origenes ex luce ordineq; cæleſtium argumentatur, ſpiritus illis ineſſe Deo propinquiores, lucidæq; intelligentiæ compotes, atque unà cum Apoſtolo Paulo ſpiritus à Deo longè degenerãtes corporibus ex aere caliginoſo concretis includit. Profectò ſi corpus dependet ex anima, nimirum talis quædã corporis diſpoſitio à tali quadã affectione animę prouenit, ſiue naturali, ſiue more naturæ per habitum iam contracta, ſiue affectu & inclinatione propenſius quandoq; concepta. præſertim quando corpori primordia dantur, & quandiu inſuper incrementa. Corpus itaque pulchrum ſignum eſt animæ pulchræ, ideſt, harmonicæ penitus atque lucentis, & omnino bene concinneq; ſe habentis, quantum ſpectat tum ad cogitationem, imaginationemq;, tum ad affectum ſeminariamq; naturam. Turpe uerò corpus eſt animę incompoſitæ ſignum, & in habitum uel affectũ diſſonum iam prolapſæ. Quum ergo mundus pulcherrimus ſit, pulcherrima ſimul & optima eſt anima mundi, ſimiliterq; ſphærarum animæ omnium atque ſiderum. Apud nos quidem poteſt fortè ſed raro in corpore formoſo eſſe anima in præſentia non formoſa, quoniã anima quæ ab ipſo conceptionis initio formoſa fuit, poſtea paulatim deformis euaſit: ſed omnino pulchra erat quondam, quando elegit, cœpitq; pulchrum corpus effingere, ſub pulchro ſidere rurſum atque dæmone.
F Poteſt quinetiam eſſe anima pulchra interdum in corpore non formoſo: uel quia quæ quondã pulchra non fuit, pulchra tandem euaſit: uel quoniam ſæpe animæ pulchræ molienti formoſum corpus effingere, impedimentum quoddam ex his quæ circunſtant & quæ confluunt contigit, uel contingit. At animæ mundi neque accedit quicquam, neque recedit, neque obſtat impedimentum. Nihil enim uniuerſo tale poteſt accidere.

Anima noſtra quia eſt ſoror animæ mundi, poteſt & fatalia ſuperare, & ad illius beatitudinem peruenire. Cap. XX.

VBi ait auimam noſtram eſſe ſororem animæ mundi atque cæleſtium animarum, memento, animam intellectualem neque eſſe partem, neque prolem mundanæ animæ cæleſtiumue animarum: item poſſe quandoque ad earum beatitudinem peruenire, fieriq; illarum quodammodo in mundi gubernatione collegam. Præterea poſſe nonnunquam quando ſe recipit in ſeipſam fatales ictus aut minuere, aut etiam deuitare. Denique non licere ex hac mundana cuſtodia uinculis ui ſolutis abire, ac multò minus fas eſſe, cæleſtes ſphæras, uel animas incuſare.

PLO-

A PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER NO-
NVS CONTRA GNOSTICOS.

Tria tantùm principia ſunt, Ipſum bonum, mens, anima. Cap. Primum.

QVONIAM ex alijs diſputationibus nobis conſtat ipſius bo
ni naturam eſſe ſimplicem atq; primã: niſi enim prima eſſet, ſim
plex eſſe non poſſet: conſtitit & in ſe ipſa nihil habere, ſed vnũ
eſſe duntaxat, atq; etiam ipſius quod dicitur vnũ, eandẽ eſſe na
turã: Etenim hæc non prius quidẽ aliud quiddã eſt, deinde inſu
per vnũ: neq; ipſum bonum aliud quiddã eſt, & prẽterea honũ.
Cùm inquã ita ſit, nimirũ quando dicimus vnum, & quando dicimus ipſum bo
nũ, intelligendũ eſt, vnam nos eadẽq; naturam ſignificare: adeo vt nihil de illa
prædicemus omnino, ſed nobis ipſis potius illam quoad poſſumus deſigne-
mus. Atqui & primũ iccirco dicitur, quoniã ſimpliciſsimũ: item ſeipſo ſufficiẽs
quoniã non conſtat ex pluribus: alioquin in ea ex quibus cõponitur referretur.
rurſus non eſt in alio, quoniã quicquid eſt in alio, eſt & ab alio. Itaq; ſi neq; ab a-
B lio, neq; in alio, neq; vlla in eo eſt compoſitio, neceſſe eſt eo nihil eſſe ſuperius.
Quamobrẽ nõ eſt conandũ in alia principia ſe cõferre, ſed hoc propoſito intel-
lectũ deinde, quodúe primò intelligit, mox animã poſt intellectũ collocare de
bemus: hic enim naturalis ordo eſt, ideoq; neq; his plura neq; pauciora in gene
re intelligibili decet cõnumerare, nẽpe ſiqui pauciora ponãt, vel animã & intel
lectũ, omnino idẽ eſſe dicẽt, vel intellectum idẽ prorſus atq; primũ. Hæc aũt in-
ter ſe eſſe diuerſa, ſæpe eſt demonſtratũ: reliquũ verò eſt in præſentia perſcruta
ri, ſi plura quã hæc tria ſint, quæ nã præter has naturæ ſint. Profectò cũ ipſum v-
niuerſi principiũ, ita vt modo dicebamus ſe habeat: nemo principiũ vllũ ſimpli-
cius & excellius poterit inuenire. Non enim principium quidẽ alterũ in poten-
tia, alterũ in actu audebunt ponere. Ridiculũ nanq; eſt in his quæ in actu & abſ
q; materia ſunt, per diſtinctionẽ quandã potentia actuq; diſtributã naturas plu
res inducere: ſed neq; etiã in ſequẽtibus cõmentari licet, intellectũ quidẽ alterũ
in quiete quadã poſitũ, alterum verò velut in motu. Quænã intellectus quies?
quisúe motus atq; progreſsio, ſiue prolatio? Rurſus quod huius ociũ, quodue
opus alterius? Eſt enim ſicut eſt intellectus eodẽ modo sẽper in actu ſtabili cõ-
ſtitutus: motus autẽ vel ad ipſum vel circa ipſum iã animæ eſt officiũ. Atqui &
ratio ab intellectu in animã vſq; procedẽs animã reddit intellectualẽ: neq; aliã
C quandã adducit naturã intellectus & animæ mediã. Proinde neq; ob id intelle-
ctus decet plures inducere, quod alius quidẽ intelligat, alius autẽ intelligat aliũ
intelligere. Etenim ſi in his aliud eſt ſimpliciter intelligere, aliud autẽ intelligere
quod intelligat: abſq; controuerſia tamẽ vnius ibi viget intuitus, quẽ actiones
propriæ minimè latẽt. Abſurdũ nãq; eſt, aliter de verò intellectu ſentire. Sed ip
ſe idẽ prorſus erit qui intelligit, & qui intelligit quod intelligat. Alioqui hic qui
dẽ eſto ſolũ intelligens, illeverò animaduertẽs hunc intelligere: vbi videlicet ali
us quidã intelligat, potius quã qui animaduertit. Quòd ſi dixerint duo hæc ex-
cogitatione quadã inter ſe differre: primò quidẽ nõ poterunt ſubſtãtias ibi plu-
res adducere: deinde operæpretiũ eſt cõſiderare, nunquid vlla excogitatio vel
cõmentũ potius admittere poſsit intellectũ duntaxat intelligentẽ, neq; tamẽ a-
nimaduertentẽ ſe intelligere? quod quidẽ ſi nobis accidat, qui circa impetus &
cõſilia ſempr incũbimus, etiã ſi moderatè ſtudioſi & probi ſimus, causã crimẽq;
inſipientiæ nobis afferet. Iam verò quando intellectus ille verus in intelligẽdo
intelligit ſemetipsũ, neq; extra intelligentẽ intelligibile ponitur, ſed intelligens
ipſe ipſum intelligibile eſt, neceſſariò in intelligendo habet ſe ipſum, videtq; ſe-

D ipſum:ſe verò videns profectò intelligẽtiæ nõ expertẽ, ſed intelligentẽ videt. Quapropter in ipſo primo intelligẽdi actu habet & quod intelligat,& quod intelligere ſe intelligat,tanquã vnũ prorſus exiſtens:neq; vllo excogitationis figmẽto,quod vnũ eſt,ibi ſit duplex.ac ſi ſemper id ipſum quod eſt,intelligit,quis nã locus illic cõmẽto dat,ſeparãti quod eſt ſimplicit intelligere,ab eo quod eſt animaduertere quòd intelligat? Quòd ſi tertiũ commentũ inſuper quis attulerit,vltra illud quod dicebat intelligere quod intelligat,iã vlterius fingẽs intelligere quod intelligat intelligere,iã prorſus quod in hac opinione abſurdũ ẽ clarius apparebit, neque quicquã prohibebit quò minus in infinitũ ita vagemur. Quòd autẽ rationẽ quandã adducũt in mediũ ab intellectu manantẽ,à qua deinceps alia quędã ratio fiat in anima,vt videlicet illa ratio inter intellectũ animã q̃ ſit media,cogit animã carere intelligẽtia:ſiquidẽ nõ ab ipſo intellectu, ſed ab alio q̃dã medio accipiat rõnẽ:iccirco nõ rationẽ ipsã habebit, ſed quandã rationis imaginẽ: denicq; neq; intellectũ ipsũ cognoſcet,neq; quicq; ,prſus intelliget.

Confirmat ſuperiora. vtẽ quòd diuerſo modo anima mũdi & anima noſtra prouideat. Cap. II.

E IGitur neq; ijs plura in mũdo intelligibili,neq; excogitationes illic ſuperuacuas,quas non admitũt, ponere decet,ſed intellectũ vnũ eodẽ modo ſe ſemper habentẽ,prorſus indeclinabilẽ,qui & patrẽ ſuũ pro viribus imitetur: animã verò noſtrã parte quidẽ ſui penes illa viuentẽ parte uerò ad hæc noſtra vergentẽ, parte denicq; in medio collocatã. Cũ enim vnà in pluribus potẽtijs natura ſit, alì quãdo totã vnà cũ optimo ſui atq; vniuerſi ad ſuperiora ſe cõferre : aliquando verò quod eſt in ipſa deterius,tractũ ad inferiora vnà ſecũ mediũ quoq; contrahere:totũ verò ipſius non licere ad inferiora vnq̃ precipitare,atq; eiuſmodi paſſionẽ ob id accidere animę : q̃ in optimo vniuerſi nõ cõſtitit:in quo quidẽ anima illa cõſiſtens quæ nõ eſt pars,& cuius neq; nos quidẽ partes ſumus, tradidit vniuerſo mũdi corpori munera pro ſuſcipiẽdi potentia : ipſaq; interim ,pcul ab omni ſollicitudine viuit,nulla videlicet cõſultatione gubernãs,neq; quicq; corrigẽs curioſè: ſed ex ipſo ſuo intuitu ad ſuperna mirabili potentia totũ ornans. Quò enim magis in ſuo ſe figit intuitu eò pulchrior atq; potẽtior, atq; hinc deſuper hauriẽs in inferiora trãſfundit:& tãq; diuinitus sẽper illuſtrata perluſtrat

Mundum fieri non à caſu animæ ſed à poteſtate eius in diuinis penitus cõſiſtente,ideoq; ſempiternum eſſe. Cap. III.

F SEmper igit illuſtrata lumẽq; poſsidẽs ſempiternũ,deinceps ad inferiora traducit:hęc aũt hoc lumine ſemper & cõtinentur & virent, vitãq; inde ,p ſua quæq; capacitate ſuſcipiũt:perinde ac ſi igne quodã medio alicubi poſito caleſiãt inde quæcunq; calefieri poſsint: & ſi ignis in mẽſura quadã eſt coarctatus. Quãdo verò potẽtiæ nõ coarctatę menſura,vniuerſo nõ deſint,quanã ratione fieri poteſt,vt exiſtãt quidẽ hæ potẽtiæ, nihil aũt ſit alicubi quòd earũ ſit particeps? Profectò neceſſariũ eſt vnumquodq; aliquid de ſuo cæteris elargiri,alioquin neq; bonũ ipsũ erit bonũ,neq; intellectus ipſe intellectus erit:neq; anima rurſus erit anima:niſi poſt illud q̃ primò viuit,viuat & aliũde cõſequenter q̃ diu viuit & primũ:quãobrẽ neceſſe eſt omnia poſt primũ deinceps sẽperq; eſſe: & quædã in genaratione verſari:,pterea q̃ aliunde depẽdeãt. Nõ igit facta ſunt aliquãdo,ſed fiebãt & fient,quoteũq; in generatione verſari dicuntur:neq; etiã corrũpuntur ijs exceptis quæ habẽt in quæ diſſoluãtur:q̃ autẽ nihil in quod reſoluat habet, interire nõ poterit. At ſiquis in materiã dixerit reſoluendũ,reſpõdeat,cur nõ ſimiliter & materiã reſolubilẽ eſſe cõcedat? q̃ ſi materiã inſuper fatea tur,quæremus,quænã fuerit neceſsitas vt fieret? Acſi dicant neceſſariũ eſſe,deinceps cõſequi,aſſeremus & nunc eſſe ſimiliter neceſſariũ:at ſi relinquatur ſola,

ſeque-

A ſequetur, vt diuina nõ vbiq; ſed quodã in loco determinato ſint, veluti quodã limite ſegregata. Quod ſi id fieri nequeat, cõſequẽs eſt, vt perpetuò colluſtret.

Confirmat ſuperiora, probans mundum nec eſſe malum, nec à malo. Cap LIIII.

SI autẽ dixerint animã quaſi iã confractis alis prolapſã feciſſe mundũ, obijcie mus ipſã mundi animã id pati nõ poſſe. At ſi animã aliquando præuaricatã adducãt in mediũ, exponere cõpellendi ſunt prẽuaricationis erroriſq; cauſam. Præterea quónã tẽpore aberrauit? Nã ſiue ab æterno: ꝓfectò ſecundũ eandẽ rationem adhuc permanet in errore: ſiue incepit aliquãdo, perquirendũ eſt, cur nõ ante id tẽporis aberrauerit: nos autẽ nõ inclinationẽ animæ effectricẽ mũdi eſſe putamus, imò habitũ potius minimè inclinatũ: ſi autẽ inclinata eſt, ꝓfectò ex eo ꝙ eorũ quæ illic ſunt iam eſt oblita. Quòd ſi oblita eſt, quãnã facultate fabricat vniuerſũ? At qui & vnde facit? an fortè ex his quę illic inſpexerat? Sin autẽ eorũ memor facit nõ omnino inde diuertit: nõ enim tenuiter habet: ſi nõ magis inclinatur illic ne obſcurè videat. Cur enim noluerit cõtinuò regredi, quorũcunq; memoriã retinẽs? præterea quidnã ex mundi effectione ſibi ꝓuenturũ excogitauit? Abſurdũ nãq; dictu eſt, vt honoraret mundũ progenuiſſe: eorũq; hæc opinio eſt, qui ſculptorum noſtrorũ affectus ad ſuperos transferũt: quoniã

B & ſi cogitatione fecit, neq; in natura eius erat vt faceret, ad potentiã tamẽ pertinebat efficere, quonã pacto mundũ hunc effecit? Præterea quando nã ipſũ deſtruat? ſiue enim iã penituit effeciſſe, quid differt? ſiue nondũ pœnituit, neq; pœnitentia vnq; afficiet, vtpote quæ iã aſſuefacta eſt tẽporisq; diuturnitate indulgentior operi iã effecta: ſin aũt expectat animas ſingulorũ, iãdiu oportuit haud vlterius in generationẽ iterũ aduẽtare animas videlicet, nõ ignaras malorũ, quę ipſas in priore generatione preſſerũt, quaꝓpter iãdiu deſcẽdere deſiuerũt. Proinde quòd mundũ malè inſtitutũ eſſe aiũt, ideoq; multa in eo aduerſa moleſtaq; accidere non eſt admittendũ: hęc enim ſententia eſt, maiorẽ mundo arrogãs dignitatẽ: ſiquidẽ iudicẽt eundẽ hunc atq; intelligibilẽ eſſe, quaſi hic nõ ſit illius imago. Tum verò quænã pulchrior illius imago fieri potuit? quis enim ignis alter imago melior intelligibilis ignis, q; noſter hic ignis eſſe poteſt? Itẽ quæ terra præter hãc poſt illã terrã? & quæ nã ſphæra perfecta magis atque venerãda, ac motibus ordinatior poſt illã intelligibilis mundi in ſeipſo cõplexionem? denique Sol poſt illum alter ſuper viſibilem hunc Solem, quis nam poſsit effingi?

Neq; animã eſſe corpoream: neq; mundum fuiſſe à malo principio conſtitutũ. Cap. V.

C OMnino verò abſurdũ eſt, cũ ipſi corpus habeãt, quemadmodũ habent homines & cupiditatẽ, doloresq; & iras, potentiã tamẽ ipſorũ non paruifaciant, ſed aſſerant licere eis intelligibile ipſũ attingere: at verò in ſole nõ eſſe potẽtiã à paſsione remotiorẽ: ſiquidẽ in maiori ordine ſtabilitateq; cõſiſtit: neq; ſapientiã habere præſtantiorẽ q; nos qui nuper nati ſumus, innumerisq; fallacijs impedimur aſſequi veritatẽ. Neq; verò decet animã dũtaxat noſtrã immortalẽ diuinãq; aſſerere vel ignauiſsimorũ hominũ: totum verò cælũ ſtellasq; vitæ immortalitate carere, cũ ex rebus lõgè pulchrioribus purioribusq; cõſtent: præſertim cũ ſuſpiciamus quicquid ibi eſt, ordinatiſsimũ eſſe atq; pulcherrimũ: præcipuè cũ ipſi confuſionẽ, quæ circa terrena verſatur crimine\tur, quaſi anima immortalis deteriorẽ hũc locũ eligat ſtudioſè: eligat inq;, mortali animę præſtãtioris illius obſequi. Abſurda inſuper penes eoſdem alterius huius animę introductio q; ex elemẽtis cõpoſitam arbitrãtur. Quo enim pacto cõpoſitio vlla ex elemẽtis vitã aliq; habere poteſt? Horũ nãq; miſtura vel calidũ vel frigidũ, vel miſtũ facit aut ſiccũ, aut humidũ, aut quandã ex his cõpoſitionẽ. Præterea quomodo anima eſt virtus elemẽta cõnectens, ſi quidẽ ex illis cõflata ſit atq; poſterior.

D Poſtremò quando animę adiungunt animaduerſionē atq; conſilium, aliaq; per multa percōtari quis poterit, quanā ratione talia poſsint animæ aſsignari. Cæterùm cū mundanum hoc opificium minimè venerētur: neq; terrā hanc honorēt nouā ſibi terram aſſerunt reſeruari, in quā hinc deniq; ſint aſcenſuri. hāc verò eſſe ipſam mundi rationē vtq; exēplar. Verū cur nā oporæpretiū ſit, eos in exemplari mundi quē odio habent, illic habitare? Item vnde nā hoc exēplar? Id enim apud illos tunc emicat, quando qui concipit hoc exēplar, adhæc noſtra iā decli nauerit. Si igitur in ipſo efficiente multa eſt mundi cura ad alterū videlicet mundū efficiendum vltra intelligibilē quem poſsidet mundū: cur nā id illi expediebat? & ſi ante mundū id iā curabat, cuiusnā id gratia decernebat? forſan vt animæ ipſæ cuſtodirentur? qua igitur ratione cuſtoditæ nō ſunt? Vnde fruſtra factus eſt mundus: ſin autē poſt mundū ex mundo videlicet accipiēs quaſi expilans materiæ ſpeciē, ſufficiebat peritia ad cuſtodiā animabus expertis. Si autem mūdi ſpeciē in animabus accipiendā exiſtimāt, quænā hęc loquēdi nouitas eſt?

Anima mundi alligat ſibi corpus ſuum, & per hoc quaſi alias animas. Item quomodo etiam
E *anima propria det corpori uitam.* Cap. VI.

QVid præterea dicā de cæteris ſubſtantijs quas inducunt, cognominātes tū tranſmigrationes, tū ſimulachra repercuſſa, tū pœnitētias. Si enim talia quædā eſſe paſsiones animæ uolunt, quando ſcilicet afficitur pœnitentia: itē repercuſſa ſimulachra quādo velut imagines entiū, ſed nondū ipſa entia contēplatur: profectò id totū vaniloquiū eſt confirmandæ ſectæ gratia introductū. Atqui cū anitquā Græcorū ſapientiā non attigerint, figmēta eiuſmodi cōmentantur. Sanè veteres Græci & rectè nouerunt, & ſine tumiditate iactantiaq; deſcripſerunt quaſdam ex ſpelunca quadā aſcenſiones, animasq; inde paulatim in veriorē contēplationem ꝓgrediētes. Cōpertum habemus eos pleraq; à Platone ſurripuiſſe, & quæcunq; innouāt, quo philoſophiā propriā aſſerāt à veritate ꝓcul errare: nēpe iudicia, pœnæ apud inferos, flumina, tranſmigrationes in corpora varia à Platone accipiunt: itē quod in mundo intelligibili multitudinē ponunt videlicet ipſū ens, & deinde intellectū, & poſt hæc opificē alium, ipſā ſcilicet animā ſibi ex Timæi verbis vſurpauerunt. Sic enim in Timęo ſcribitur à Platone: Quatens igitur intellectus ideas exiſtētes in eo quod viueus eſt, intuetur,
F eatenus atq; totidē architectus mundi cogitauit in mundo cōprehendi. At illi Platonē nequaq; intelligentes, numen quoddā exiſtimauerunt in quadā quiete in ſe omnia cōtinere: intellectū verò ſequentē quæ ſunt in illo ſuſpicere: aliū aūt excogitare. Sępe verò apud eos id quod excogitare dicit, anima eſt artifex vniuerſi: talēq; apud Platonē mundi artificē eſſe pntant nulla ex parte intelligantes quis mundi ſit opifex, quæue opificij ratio. Multa præterea in Platone interpretando mentiri deprehendunt, opinionesq; eius in deterius detorquere. Quaſi verò ipſi tantū naturā intelligibilē fuerint cōſecuti: Plato autē cæteriq; beati viri aſſequi nō potuerint. Tum verò ex eo quod intelligibiliū multitudinē nominant, videri palā confidunt, ad ſummum intelligibilium peruenisſe: cum tamen ex ipſa multitudine naturam intelligibilem in ſimilitudinem deducant ſenſibilis deterioriſq; naturæ. Decet profectò naturam intelligibilē in numerum quo ad fieri poteſt minimum quaſi colligere: atque ipſi quod eſt poſt primum attribuere cuncta, neq; vlterius intelligibilia numerare: quippe cùm illud omnia ſit, & intellectus primus & eſſentia prima & quotcunque alia pulchra poſt primā naturam conſiderantur: ſpeciem verò animæ tertiam collocare. Præterea differentias animarū in paſsionibus vel natura decet inueſtigare, nec vlla in re in viros diuinos cauillari: ſed antiquorum myſteria benignè interpretari, accipiētes ab illis quæ rectè dicunt, immortalitatem animæ, intelligibilē mundum, deum

primum

a primum: item animam oportere cõmertium corporis aufugere: rurſus ſeparationem animæ à corpore nihil aliud eſſe quã à generatione ad eſſentiam ſe conferre. Hæc vtiq; à Platone tractata, ſiquidem ita perſpicuè dicant, rectè faciunt: quibus volentibus diſſentire nulla inuidia dicentium, nefas eſſe cauillationibus conuitijs q̃ in Græcos ſua dogmata audientibus confirmare: quinimò demonſtrandum eſt ſua rectè ſe habere, quotcunque præter illorum opinionem propria inuenerunt, diſſerendúmque benignè integritatèque philoſophica ipſas corũ opiniones adducere decet: & in quibus aduerſantur, iuſtè ſpectare verum: nec vllo modo popularem approbationem aucupari viros illos vituperando, qui à viris non mediocribus iam multis ſunt ſeculis comprobati. Omnino verò ridiculum eſt profiteri ſe illis eſſe pręſtantiores: nempè quæ de ordine intelligibili ab antiquis tradita ſunt, multò melius eruditiusq̃ dicuntur: faciléq; cognoſcentur ab illis, qui fallacia paſsim homines inuadente decepti minimè fuerint. Profectò rebus quas deinceps hi ab illis acceperunt, adiunctiones quædam nullo modo conuenientes annexæ deprehenduntur: ſanè in quibus aduerſari, contendunt, generationes corruptionesq̃ multiplices afferunt. Præterea vniuerſum hoc incuſant, commertiúmque animæ cum corpore criminantur: ipſumque qui totum diſponit, mundum vituperant. Atq; in idem omnino archi
b tectum mundi animámque reducunt. Cui quidem paſsiones eaſdem, quas & particularibus animalibus attribuunt.

Quantò facilius anima mundi regat mundum, quàm anima noſtra corpus noſtrum: Et quàm bene mundus diſponatur. Cap. VII.

DIctum eſt alibi, hunc mundum neque incepiſſe vnquam, neque deſinere, ſed eſſe tandiu quandiu ſunt & diuina. Quòd præterea commertium animæ noſtræ cum corpore non ſit animę melius, etiam ante illos eſt dictum. Animam verò totius à noſtra accipere atque cenſere perinde ſe habet ac ſiquis in ciuitate bene inſtituta accipiens figulorum vel fabrorum æratiorum genus totam vituperet ciuitatem. Operæpretium verò conſiderare quã differenti ratione anima mundi gubernet: nempe non idem modus eſt: neque tanquam alligata gubernat. Nam præter cæteras differentias quæ alibi enumeratæ quàmplurimæ ſunt., illud quoque conſiderare decebat, nos quidem ligari à corpore: vtpote vinculo iam effecto. In vniuerſo verò anima natua corporis iam ligata, alligat quicquid apprehenderit: ipſa verò totius anima haud quaquam ab his quę
c ligat ipſa ligatur. ipſa enim tanquam domina præbet exordium: iccirco neq; ab ipſis neq; cum ipſis patitur. Nos autẽ horum domiui minimè ſumus. Quantum verò ipſius ad diuinum quod ſuperius eſt, erigitur, integrum ſimplexq́ manet nec impeditur: quantum autem eiuſdem tradit corpori vitam, nihil ab ipſo reportat. Communiter enim quod eſt in alio, eius in quo eſt neceſſariò accipit paſsionem. Hoc autem haud vlterius ſui aliquid ttadit illi, quod vitam propriam poſsidet. Veluti ſiquid alicui ſit inſertum, patiente quidem eo, in quo eſt, compatitur: ipſum verò ſi quando exaruerit, permittit illud ſuam vitam habere. Quandoquidem neque extincto hoc qui in te eſt igne, totus ignis extinguitur: quinetiam neque ſi totus ignis extinguitur, anima illa quicquam patitur, ſed ipſa corporis conſtitutio. Atqui etiam ſi poſſet per reliqua mundus aliquis eſſe, nulla tamen de hoc cura illi animæ foret: quoniam neque conſtitutio ipſa ſimilis eſt mundo, atque cuilibet animali: ſed ibi quidem quaſi imminet conſiſtere iubens, hîc autem elementa quaſi ſubterlabentia ſecundo quodam vinculo in priorem ordinem redigantur. At verò illic non habent quò diffugere poſsint. Neque igitur intus continere neceſſe eſt, neque extrinſecus co-

D hercẽdo ad interiora retrudere: ſed vbicunque ipſius natura ab initio voluit ibi naturaliter ſingula permanẽt: ſiquid aũt eorũ naturaliter moueatur, illa interim patiunt, quorũ naturismotus eiuſmodi minimè cõgruit. Ipſa verò quæ natura mouent, ritè ferũtur: vtpote quę vniuerſi ſunt mẽbra: nõnulla verò hinc perimũ tur, quippe quę totius ordinẽ ſuſtinere vel declinare non poſsint: ceu ſi chorea ingẽs agatur ordine, atque in medio eius ductu teſtudo cõprehenſa alicubi peſ ſundetur, cùm chori ordinem effugere nequeat: attamen ſi ordini choreæ ſeip ſam annecteret, nec ipſaquidem ab bis aliquid pateretur.

Mundus nõ errore, ſed naturali potẽtia factus eſt, & bonus, quia diuinitati ſimilis, quãuis non æquales. Cap. VIII.

QVod autẽ quęri ſolet, quã ab causã fecit mundũ? idẽ eſt, ac ſi quæraſ: qua re eſt anima? & quare ipſe opifex fecit? Quod primò quidẽ eorũ eſt, qui sẽpiternitatis ipſius principiũ apprehẽdere moliunt: deinde putãt opificẽ mũdi conuersũ, permutatũq; ab aliquo in aliquid euaſiſſe causã fabricãdi: docẽditaq; ſunt (ſi modò dociles ſe præſtiterint) quæ eorũ natura ſit, vt deſinãt aliquã
E do quæ ſunt venerãda uituperare: quæ quidẽ, ppenſius deteſtãtur, cũ tamẽ magnoperè deceat venerari: & quisnã diſpoſitionẽ mundi iure vituperet, quę qui dẽ in primis magnitudinẽ intelligibilis naturę demõſtrat? Si enim ita, pceſsit in vitã, vt vitã nõ habeat indiſtinctã atq; confusã, qualia ſunt, quæ in mundo ſunt minima, quæ copia mũdanæ vitæ aſsiduè die nocteq; gignunt, ſed eſt cõtinua perſpicuaq; & multa & vbiq; vita ſapientiã inæſtimabilẽ præſeferẽs: quidnam prohibet ſtatuã manifeſtã deorũ intelligibiliũ, & pulcherrimã affirmare? Quod ſi mũdana hæc ſtatua dũ ſupernũ imitatur exẽplar, nõ eſt idẽ, profectò hoc ipſum naturaliter habet: alioquin imitatio illius minimè foret. Quod autẽ õbꝛ̃ciunt, diſsimiliter imitari, falſum eſt. Nihil enim prętermiſsũ eſt eorũ, quæ pulchra naturalisq; imago poſſet habere: ſiquidẽ neceſſariũ erat, imitationẽ hanc extare neq; tamẽ ex quadã cogitatione artificioſaq; cura. Neque enim fieri poterat, vt ipſum intelligibile eſſet in vniuerſo poſtremũ: quippe cũ actũ eius eſſe geminũ oportuerit: alterũ quidẽ in ſeipſo manentẽ: alterũ in aliud prodeuntẽ. Oportuit igitur poſt ipsũ aliud inſuper eſſe. Solum nãq; quod omniũ infirmiſsimu eſt, ita ſe habet, vt nihil ipſius ad inferiora deſcendat: poteſtas verò mirabilis ibi viget. Quapropter & opus inde sẽper emicuit: ac ſi mundus alter eſt hoc melior, quis
F nã ille? quod ſi neceſſe eſt mundũ eſſe, neq; tamẽ eſt alter, ſolus hic eſt, qui ſuperioris imaginẽ imitãdo cõſeruat: terra quidẽ tota variorũ animaliũ plena eſt, atque etiã immortaliũ, & vſq; ad cælũ horũ plena ſunt omnia. Stellæ verò & quæ inferioribus inſunt ſphæris, & quæ in ſuprema micãt, cur dij nõ ſint cogitari nõ poteſt: quippe cũ mirabili ordine perferantur, ornatuq; pręcipuo circuncurrãt. Quid enim in cauſa eſſe poſsit, vt virtutẽ nõ habeant, quidùe illis impedimenti ad virtutẽ conſequendã? Nõ enim ibi hæc ſunt, quę terrenos efficiũt malos: neque in corporibus illis vitiũ eſt, quale hîc quod perturbaſ atq; cõturbat. præterea quidnã vetat ſuperos qui in perpetuo viuũt ocio, intelligere: atq; mente deũ cæteroſq; intelligibiles deos accipere? Forſan ſapiẽtia nobis præſtãtior q̃ illis adeſt. Adhoc nemo vnq̃ niſi inſanus admiſerit: quandoquidẽ animæ ſi huc cõpulſæ à mundi anima deſcenderunt, quomodo præſtantiores ſunt cũ vim patiãtur? Sanè in animabus quod ſuperat pręſtantius eſt & melius. Sin autẽ huc ſpõte venerũt, cur nã huic regioni detrahitis, in quã ſpõte veniſtis? præſertim cum & abire permittat, ſi cui non placeat habitare. Iã verò ſi tale eſt hoc vniuerſum, vt liceat in eo & ſapientiã cooperare, & hîc habitantes ad ſupernorum ſimilitudinẽ viuere, proculdubio idipſum teſtatur mundum deſuper dependere.

Omnia

A *Omnia iustè dispēsantur in mūdo: bonaq; in eo sunt numina: & ipse bonus est, ac deus curā habet.* Cap. IX

SI quis aūt de mūdi sorte queratur diuitiarū paupertatisq; gratia, culpās videlicet, q; æqualis in his distributio nō cōtingat, hic ꝓrsus ignorat ꝓbū virū ęqualitatē in his rebus nequaq̄ exigere: neq; arbitrari homines plus habētes pecuniarū, habere plus boni: neq; iudicare dominātes plus q̄ priuati habeāt, possidere: sed harū rerū studiū alijs cōsultò cōcedere. Nouit ꝓfectò vir probus geminā hîc esse vitā: alterā quidē proborū, alterā verò multorū: proborūq; vitam ad summū gradū supremāq; naturā erigi: eorū verò vitā qui humilores sunt similiter esse duplicē: vt altera quidē virtutis memor meritò alicuius boni sit particeps: altera verò sit velut turba vilis atq; mechanica honestiorib. viris necessaria subministrās. Si aūt vel cōmittit̄ homicidiū: vel ob infirmitatē animus à voluptatibus superat̄, nihil mirū videri debet, hîc esse peccata nō quidē in mēte, sed in animabus tanq̄ in pueris atq; quibusdā citra pubertatē adolescētulis. Quod si eiusmodi sors exercitatio quędā sit vincētiū atq; victoriā, hac quoq; ratione rectè se habet: sin aūt patiaris iniuriā, nil inde immortali est graue futurū. Rursus si occidaris, quod & optabas habebis. Si verò adhuc talia damnas, nihil te in hac vrbe moras trahere cogit. Constat præterea iudicia pęnasq; hîc esse: quo fit, vt iniustū sit ciuitatē hanc criminari vnicuiq; ꝓ dignitate distribuentē: in qua honorat̄ virtus: prauitas meritū reportat dedecus. Neq; solū statuę hîc sunt deorū sed ipsi quoq; dij ab alto ꝓspicientes: qui facilè apud homines (vt fertur) culpas euadūt atq; deuitāt: omnia à principio ad finē ordine ꝑducētes, sortēq; vnicuiq; cōgruam secundū vitarū vicissitudines distribuētes. Sortē inq̄ opera pręcedētia cōsequentē: quā quidē sortē quisquis ignorat, maximè omniū temerarius rudisq; in rebus diuinis euadit. Oportet aūt viribus cunctis cōtendere, vt optimus tandē efficiaris: neq; putare te solū fieri posse optimū, alioquin nodū optimus esses: uerū cū alios quoq; homines optimos esse, tū etiā dæmones esse bonos: multoq; magis deos qui mundū hūc habitātes superiorē suspiciūt mundū horum verò omniū maximè totius mundi ducē animā beatissimā. hinc & deos intelligibiles colere. præter cūctos deniq; & in cunctis magnū ibi regē omniū venerari: quē quidē in multitudine deorū potissimū excellentiā suā demōstrare ꝓculdubio censeamus. Non enim in vnicum duntaxat rē omnē repentè cōtrahere, sed explicare tantā diuinitatis amplitudinē quantā explicauit ipse, eorum munus est, qui dei ipsius potentiā cognouerunt, quatenus videlicet vnus ipse, qui est permanēs efficit multos, qui ab ipso cuncti depēdeant: quippe cū per ipsū ab ipsoq; sint: atqui & hic mundus per illū est, & illuc suspicit totus. Suspicit & totus & quisq; deorū, qui hominibus dei decreta prænuntiant: & quæ ipsis placēt oraculis respōsisq; declarāt. Quod si sequētes hi dij nō idē sunt, quod & primus deus, ꝓfectò hoc ipsū naturæ consentaneū est. Sin autē superiora despicere libet, teq; ipsū quasi nō sis deterior magnifacere: memento primū quidem quātò quis melior est, tātò erga cæteros cū homines tū superos benigniorē esse atq; modestiorē: deinde oportere dignitatē suā moderatè seruare ꝓcul ab omni acerba rusticitate remotū, eatenus se attollentē, quatenus natura nostra ꝓgredi potest, atq; existimantē cæteris quoq; aditū ad deū patere, neq; velut in somnijs peruolantē, solū se deo ꝓximè subdere. In primisq; cauere decet, ne seipsū ea etiā facultate priuet, quantacunq; animo nostro ad hoc data est, vt deus efficiatur. Potest autē quatenus mēs ipsa ducit. Mentē verò trāscendere nihil aliud est, q̄ ab ipsa mēte iā cadere. Credūt autē homines stulti verbis eiusmodi, cū primū audiunt: Eris tu quidē omnibus nō tantū hominibus, sed dijs quoq; præstātior. Multa enim regnat in hominibus arrogātia: & qui antea modestus erat humilisq;, & simplex, cōfidēntius iā effertur, quādo audit: Tu quidē es dei filius, cęteri autē quos hactenus admirabaris, nō sunt dei filij. Sed neque etiā quæ ipsi ritu maiorū colūt, dei filij sunt: Tu verò absq; cōtrouersia vel labore es ipso cælo

D præſtãtior. Accedit adhæc quod idẽ alĳ quoq; conclamãt: ceu ſiquis numerare neſciens in multorũ turba numerare ſimiliter neſcientiũ audiat alicunde magnitudinẽ ſuã cubitos mille prorſus implere. Quid nã? ſi mille cubitũ ſe exiſtimet & cæteros autẽ quinq; cubitos nõ excedere: neſciat quidẽ qui, quotùe ſint ij numeri, hinc tamẽ imaginetur numerũ quo ipſe ſuperat, eſſe quãplurimum. Conſi tentur præterea Deũ humanarũ quidẽ rerum curã habere, totius autẽ mundi in quo ſunt homines nullã: ſed cur nã mundũ negligit? Si enim ideo negligit, quo niã non tantũ habet ocĳ, vt proſpiciat vniuerſũ, nimirũ neq; fas eſt ipsũ inferiora curare. Item dũ proſpicit homines, cur nõ & quæ circunſtãt interea cõſpicit? atq; ita mundũ in quo ſunt homines: ſin autẽ nõ aſpicit extra, ne mundũ videat, neq; etiã videt homines. At dicẽt illo homines non egere: attamẽ mundus indiget. Quin etiã nouit eius ordinẽ, & qui ſint in ipſo, qua conditione in eo ſint, & quo pacto ſint ibi. Proinde quicunq; inter homines deo ſunt amici, quæ à mundo cõtingunt æquo animo tolerãtes, quicquid ex ipſo omniũ motu neceſſariò prouenit, rectè ferunt. Neq; id quidẽ iniuria: non enim ad ſuũ cuiusq; votũ, ſed ad totũ ipſum ſpectare decet, honorantẽ ſingulos pro dignitate, eoq; pro viri-
E bus cõtendentẽ: quò omnia quæcunq; poſſunt natura cõtendunt, exiſtimantẽ rurſus multa eſſe: imò verò omnia quæ illuc annitantur, & quæ cõſecuntur, eſſe beata: nõnulla verò quoad ſua fert natura, conuenientẽ ſibi ſortẽ aſſequi. Profectò vir probus nõ ſibi ſoli arrogat felicitatis coſequendæ potentiã. Nõ enim ex eo quòd profiteatur aliquid poſsidere, iã poſsidet: quin & multa pleriq; nõ habere ſe cognoſcentes, habere ſe iactant, atque etiam non habentes opinantur habere, ſoliq; poſsidere, cùm tamen ipſi ſoli ſint qui non poſsideant.

Quantũ errent qui dicunt, mundi fabrũ errore quodã feciſſe mundum atq; malũ. Cap. X.

ALia præterea multa, imò verò omnia quis diſcutiẽs abundè facileq; inueniet, qua ratione ſigillatim qualis ſit illorũ ſermo demõſtret. Nõ poſsũ equidẽ pudore nõ affici amicorũ quorundã gratia, qui antequã familiaritatẽ nobiſcũ inirẽt, in ſermones eiuſmodi inciderũt: in quibus adhuc neſcio quomodo perſeuerãt: quãuis nõ pudeat eos, ſed inpenſius ſtudeãt, vt opiniones ſuæ veræ proculdubio videãtur: vel etiã ipſi rẽ ita ſe habere exiſtimãt: nos autẽ ad notos tantũ verba facimus, ad multos autẽ qui illos audiũt minimè: nihil.n. ſuadendo proficeremus, perſuadere conãtes, ne ab illis ſe peruerti permittãt, demõſtratio-
F nes quidẽ in mediũ afferẽtibus, qua.n. ratione valeãt? ſed pertinacius ſe iactantibus. Cũ alter quidã ſit modus, quo quis ſcribẽs eos refellat, qui nõ verẽtur circa preclariſsima veriſsimaq; priſcorũ diuinorũq; virorũ myſteria cauillari. Quãob rem illũ diſcuſsionis modũ miſſũ in præſentia faciamus. Qui enim quæ modò dicta sũt perfectè cõprehẽderint, planè qualia ſint & reliqua poterũt iudicare. Mitto & in preſẽtia dictũ illud abſurditate omnia ſuperãs, ſi modò abſurditatẽ cõuenit hãc appellare: aiũt enim, animã atq; ſapientiã quandã ad id, quod inferius annuiſſe, ſiue nutũ hunc inchoauerit anima, ſiue ſapiẽtia nutãdi cauſa fuerit ſiue ambo idẽ eſſe velint, alias vtiq; animas cõdeſcendiſſe ferũt, & ſapiẽtię mẽbra, easq; ingredi corpora velut humana. Cuius aũt gratia animæ collapſæ sũt, illã rurſus tradũt minimè labi, quaſi nõ ãnuerit quidẽ, ſed tantũ tenebras illuſtrauerit. Deinde hinc ſimulachrũ in materia reſultaſſe: deinceps ſimulachri ſimulachrũ hìc formãtes per materiã, ſiue per materialitatẽ, ſiue quomodocũq; nominare velint, aliud quidẽ hoc dicentes, aliud verò illud, aliaq; multa nomina obſcuritatis gratia confingentes eũ ſic qui apud eos mundi opifex nominatur effi ciũt. Atque deſciſcentem à matre fingentes mundum ab ipſo deducunt ad extrema ſimulachrorum: vt qui hæc ſcripſit mordacius etiam conuitiaretur.

Refel-

A *Refellit quod dicebant, illuſtrationem ab anima in materiam feciſſe aliam animam, & illam fabricauiſſe ſingula. Cap. XI.*

AT verò ſi anima illa non cecidit, ſed tenebras illuſtrauit, quomodo rectè dicetur inferius annuiſſe? Non enim ex eo quòd aliquid quaſi lumẽ effluxit ab ipſa, iã dicẽda eſt annuiſſe: niſi aliud quidem quodammodo inferius poſitum ſit: hæc autem ad id quaſi de loco ad locum translata deſcenderit, factáque propinquior illuſtrauerit: ſi autem in ſe ipſa permanens lumen effudit, nihil in hoc familiarius operata: cúr nam ſola anima illuſtrauit, non autẽ illa etiam quæ in ipſo rerum ordine potentiora ſunt quã anima. Quòd ſi dicãt animam ex eo quòd rationalem mundi notionem in ſe comprehenderit potuiſſe ex ipſo rationali diſcurſu illuminare: quidnam prohibet quominus cùm primũ illuminauit. ſimul quoque mundum effecerit: cur ſimulachrorum genituram vlterius expectauit? Deinde rationalis ipſa mundi notio, quæ ab illis terra peregrina hoſpitalisq; dicitur, facta à maioribus vt ipſi ferũt, haud quaquã effectores deorsũ coegit annuere. Præterea qúæ nam ratio eſt per quam materia illuſtrata non corporum naturam, ſed ſimulachra faciat animarum? Iam verò animæ ſimulachrũ nihil vel tenebris vel materia indigere videtur: ſed ſi quid fiat: mox factũ comitabi
B tur effectorem, ſecumq; manebit annexum. Item quod primũ infunditur in materiam, vtrũ eſſentia eſt, an potius (vt eorum verbis vtar) excogitamen. Si enim eſt eſſentia: qúænã differẽtia erit inter hoc & illud à quo manauit? Sin autẽ altera eſt animæ ſpecies, ſiquidem ſuperior rationalis ſit, fortè hęc vegetalis eſt atq; genitalis: quod ſi ita ſit: quomodo verum erit, vt honoraretur effeciſſe mundũ? Et quopacto per audaciam ſuperbiamq; fecit, atq; omnino quod dicitur per imaginationẽ quandã? multoq; magis quod per ratiocinationẽ feciſſe dicitur ſi eſt cõfutatũ. Quidúe rurſus oportuit effectorẽ ex materia ſimulachroq; intus efficere: ſin autẽ dicatur quod primũ infunditur eſſe excogitamẽ: primò quidẽ interpretandũ erit, vnde nomẽ eiuſmodi ſit deductum: deinde qua ratione id eſt, niſi excogitamini huic dederit efficiendi virtutem. At verò qúonã pacto pene s figmentũm hoc vigebit effectio. Dicẽt vtiq; hoc quidẽ prius fieri, aliud verò deinceps. Verùm id ſua quadam licentia dicent. Cur autem primò quidem ignis, deinde cætera.

Refellit eadem & probat mundum factum eſſe ſimul totum. Cap. XII.

SImiliter quęrendũ eſt, qua ratione ſimulachrũ illud nuper genitũ aggredia
C tur effectionem recordatione quadã eorũ quę antea nouerat. Nõ enim erat omnino quo poſſet cognoſcere: neq; etiam erat illa quã illi ſuã matrem eſſe dicunt. Accedit adhæc quòd illi hunc in mundũ non tanquã animarũ ſimulachra quædã, ſed tanquã veræ animæ deſcenderũt, & tamẽ vix inter illos vnus & ad ſummũ duo ex mundo cõmoti, ſcq; in memoriã reuocãtes, vix tandẽ nonnihil eorũ quę viderant animaduerſione reſumũt. Nõne igitur ſupra modũ mirabile eſt vel ſimulachrũ hoc etiã ſi (vt aiunt) tenuiter attamẽ ſtatim genitũ excogitare ſuperna: vel etiã eius matrẽ cadẽ ſuſpicari, quę ſimulachrũ eſt prorſus materiale. Neq; ſolũ illa cõſiderare, & mũdi huius illiusq; accipere notionẽ, ſed etiã cõprehendere ex quibus efficiatur. Vnde nã primò ignẽ fieri cogitauit, exiſtimãs oportere id fieri primũ. Cur nõ ſimiliter aliud? Sed ſi potuit facere ex eo quòd notio eius inſignita eſt igne: cur nõ inſignita mundo? prius enim oportuit inſigniri toto: mundũ ſimul totũ effecit. In ipſo nãq; excogitato totius ſignaculo illa quoq; ſunt cõſignata. Ita certè naturalius iudicabit effeciſſe. Neq; putandũ eſt artificũ more fabricauiſſe: quippe cũ artes ſint & natura & mũdo poſteriores Quando quidẽ quę in ſingulis quotidie ſpeciebus naturaliter generantur, non ita fiunt, vt primò quidem fiat ignis: deinde reliqua ſigillatim: denique mi-

D ſturacunctorum:imo verò totius ſimul viuentis configuratio neceſſariam mẽbrorum ad totum complectens connexionem, in menſtruis coaleſcit. Quid nã igitur obſtat:quin in ipſo rerũ ordine materia ſimul inſignita ſit totius mundi figura:in qua quidem figura,& terra,& ignis,& cætera connexa neceſſariò fuerint. Forſan illi ita mundum procreauiſſent: vtpote qui meliorem nacti ſint animam. Faber verò mundi ita mundum facere neſciebat, quanquã prȩuidere magnitudinem cæli, certamq; menſuram, obliquamq; ſignorum texturã, & motus ſub illis actos,& terram,atq; ita hæc omnia præuidere,vt ſingulorum ratio per quã ita ſe habeant,teneatur,non ſimulachri vllius eſt munus, ſed alicuius potius poteſtatis,quæ proficiſcatur ab optimis. Quod quidẽ ipſi quoq; vel inuiti confitebuntur. Illuſtratio enim illa diffuſa per tenebras diligenter exanimata faciet,vt veras mundi cauſas fateantur. Quid enim oportebat illuminare, ſi nõ oportebat omnino? Vel enim ſecundum naturã, vel præter naturam erat illa neceſsitas, Verùm ſi ſecundum naturã,certẽ ita eſſet & ſemper:ſin autẽ prȩter naturam & ſuperioribus illis præter naturã aliquid accidit proculdubio ante hunc mundũ mala fuerunt. Neq; hic mundus malorum cauſa eſt,ſed ſuperio-
E ra ſunt huic cauſa mali:neq; malũ animæ ex hoc accidit mundo: ſed potius mũdo huic ab anima: atq; ita ratio ritè diſcurrẽs mundũ hunc rediget in ſuprema. Verùm ſi materiã quoq; eſſe mali causã dixerint,vnde nam materia prodijt:anima nanq; ad inferiora vergens tenebras(vt aiunt)quæ iã erant,uidit atq; illuſtrauit. Vnde nã igitur dicemus tenebras prodijſſe? Si dicant animã ad inferiora vergentem eas in medium attuliſſe,ſequetur ante quã inclinaretur anima, tenebras non fuiſſe:atq; ita inclinationis cauſa nõ in tenebris, ſed in ipſa natura animæ conſtat. Id autem nihil aliud eſt, quàm cauſam ex præcedentibus neceſsitatibus aſsignare:quapropter in ipſa rerum principia eiuſmodi cauſa referetur.

Non fieri à cælo mala: & omnia mundana naturaliter eſſe bona quamuis non æquè inter ſe bona,nec æqualia diuinis. Cap. XIII.

QVi ergo naturam mundi vituperat,quod agit prorſus ignorat:neq; quò eum temeraria arrogãtia ſua deducat,intelligit. In hoc autem errant plerique,quia neſciunt perpetuum ordinẽ à primis per media ad tertia: atq; ita ſemper vſq; ad extrema neceſſariò deſcendentẽ:neq; conſiderant nõ decere vel inferiores incuſare ſuprema, vel ſupremorum ſubſequentia improbare:ſed opor
F tere vniuerſi naturę æquo animo ſemper obtẽperare:ſeq; ipſos ad ſuperiora cõferre:ſpernentes omnino tragicos terrores,quos nõnulli mortalibus ex mundi ſphęris incutiunt. Quæ tamẽ ſalutaria omnia hominibus afferũt. Quid enim hæ in ſe continent metuendũ? quo plerique perterrere debeant homines rationũ imperitos & doctrinarũ rectæq; cognitionis expertes. Quamuis enim ignea ſphęrarũ corpora ſint, nõ tamen timenda ſunt:quippe cũ ad vniuerſi terræq; bonũ accõmodatiſsimæ ſint. Decet autẽ animas illarũ conſiderare:penes quas illi magni pretij cenſeri ſe putãt. Etſi illarũ corpora magnitudine pulchritudineq; noſtra hæc mirificè antecedunt:atq; ad illa quæ naturæ gignuntur efficienda cõferunt,& ſeruanda conducunt. Alioquin quandiu prima ſunt,ſequentia hæc non fierent. Complent vtiq; vniuerſum:mẽbraq; ſunt totius ingẽtia. Quòd ſi homines præceteris animantibus honorandi ſunt, multò magis illa,quæ quidem nõ tyrannidis exercendæ gratia ſunt in mundo: ſed ornamentum ordinemq; efficiunt. Quæ verò fieri dicuntur ab illis, ſignificari ab eis potius quàm fieri, eſt iudicandum. Prouenire autem quæ fiunt differentia etiam fortunis. Non enim fieri poteſt, vt eadem proueniant circa ſingulos,tum generationis temporibus, tum diuerſitate locorum,tum affectionibus animorum inter ſe longè diſtantes.

Nec

A Nec rursus exigendum est, vt omnes in mũdo sint boni: neq; si id fieri nequeat repentè mundi ordinem incusare decet: neq; requirere rursus, vt inferiora hæc nihilo à superioribus differant: neq; censere id esse malum, quod ad prudentiam est ineptius, minusq; bonũ, deincepsq; procedendo semper in minus. Perinde ac si quis naturam eiierat esse malam, propterea quòd ipsa non sit sensus, similiterq; sensuale malum esse, quoniam non sit ratio: alioquin apud superos quoque mala esse fateri cogentur. Etenim illic anima est inferior mente, atque mens est inferior alio.

Refellit quod dicunt certo uerborum sono supera flecti: & morbos esse dæmonia: & hæc expelli quibusdam uerbis & ritibus absq; uirtute. Cap. XIIII.

MAximè verò hinc rursus efficiũt, vt superna inuiolata nõ videantur, quòd cantilenas quasdam componunt ad illa pro arbitrio commouenda, non corpora solùm & animas, sed etiam his superiora flectenda. Verùm per hæc quid nam in his efficiunt? Respondebunt, se fascinationes & delinimenta persuasionesq; componere: adeo vt & verba exaudiãt, atq; trahantur. Siquis videlicet nostrùm artificiosè admodum nouerit talia quędam pronuntiare, & certa
B quadam ratione cantus sonosq; edere, atq; aspiramenta vocis, & sibila, & quæcunque alia apud eos scripta sunt virtutem magicam continere. Quod si id dicere nolint, imò vocibus incorporea quædam significare, sequetur vt dum suã artem reddere volunt honestiorem, interim & si minus aduertant, gloriam suã è medio tollant. Gloriantur præterea se morbos expellere: Quod si per temperantiam rectamq; vitæ regulam facturos id se pollicentur, rectè vtique, & philosophorum more locuntur. Nunc autem cum morbos dicant esse dæmones, eósque verbis expellere, idque professi diuulgent, vulgo præstantiores habentur. Consueuit enim vulgus magorum vires nimium admirari: prudentibus tamen viris nequaquam persuaderent morbos humanos causas non habere: videlicet ex laboribus vel saturitate, vel indigẽtia, vel putrefactione quadam prouenientes, & summatim à mutationibus quibusdam vel intrinsecus vel extrinsecus orientibus. Declarant hoc nobis curationes ipsæ morborum: siquidem ex fluxu ventris & pharmacis morbus per inferiora solet educi: quinetiam misso sanguine atq; ieiunio sæpe curatur. Forsan esuriente tunc dæmone, atq; ita efficiente pharmaco, vt dæmon liquefiat atque tabescat. Si quando verò quis subitò conualescat, aut prodeunte aut intus manente dæmone id efficiẽ. Quod
C si etiam permanente, cur regnante adhuc intus non ægrotat? Sin autem foras abijt, quid nam in causa fuit. Nam quid ipse passus est? Nunquid quoniam morbo nutriebatur? Erat igitur morbus aliud quiddam quàm ipse dæmon. Præterea si nulla etiam causa existente dæmon ingreditur, quare non semper ægrotat? Sin autem præsente causa solùm: quid nam ad ægrotandum opus est dæmone? Ipsa enim causa febrem sufficienter potest accendere. Ridiculum verò est cum primùm accidit causa, repentè adesse dæmonem quasi sedulò ad id paratum. Cæterùm quo pacto & cuius gratia talia iactantur ab illis, compertum satis habemus. Huius enim non minus quã alterius gratia de his dæmonibus modò fecimus mentionẽ: cætera legentibus vobis consideranda relinquo: illudq; inprimis vbiq; animaduertendũ, nostræ philosophiæ genus rite perceptũ, præter omnia reliqua bona morũ simplicitatem vnà cũ intelligẽtiæ puritate cõplecti: neq; inanẽ iactantiã sequi, sed elegantiæ dignitatẽ. Animositatem præterea cũ ratione tutaq; cautione & circũspecta prouidentia continere. Reliqua verò ad id cõparata, idq; vicissim ad reliqua cõtraria prorsus ex partibus singulis apparere. Nihil enim vltra dici potest. Nos verò ita de illis loqui decere videtur.

D *Quam noxia ſit moribus opinio uituperans totàm mundi naturam atq; uitam & quicquid in mundo gignitur, aut etiam ab hominibus agitur.* Cap. XV

INprimis autem nos latere non debet quid pariant in audientium animis ſermones eorum, qui mundum & quæ in ipſo ſunt, deſpicere perſuadent. Duplex profectò eſt electio ſectaq; de fine: vna quidem in voluptate corporis finem collocat, altera verò honeſtatem virtutemq; anteponit: cuius quidem appetitio ex deo pendet: in deumq; refertur. Idq; qua ratione fiat, alibi contemplãdum. Epicurus quidem cum prouidentiam ſubſtuliſſet: quod reliquum eſt voluptatem oblectamẽtaq; ſequi præcepit. Gnoſticorum verò ſermo inſolentius etiam dominationem auctoritatemq; prouidentiæ propriam, ipſamq; prouidentiam culpans, & quæ hîc ſunt leges omnes, atq; virtutem multis ſeculis cõprobatam honore priuans, & ridiculam exiſtimans temperantiam, nequid boni apud nos eſſe appareat, extirpat temperantiam, & iuſtitiam moribus inſitam ratione exercitationeq; comparandam, atq; omnem prorſus viam, qua quis virtutem conſequi poſſit: adeo vt nihil aliud illis reliquum ſit, quàm voluptatẽ
E ſequi proprijsq; rebus duntaxat incumbere, deſertaq; generis humani communione propriæ ſolùm vtilitati ſtudere: niſi forte quis ſua ptenatura ſermonibus eiuſmodi ſit præſtantior. Nam eorum quæ apud nos bona honeſtaq; cenſentur, nihil apud illos bonum exiſtimatur, ſed aliud quiddam quodcunq; illi ali-aliquando proſequantur. Quamquam decebat eos qui iam nouerint, hinc iam proſequi, ſequentes autem prima hæc noſtra corrigere ex diuina natura ad hęc accedentes. Illius namq; naturę duntaxat quę voluptatem corporis negligit eſt quid bonum honeſtumq; ſit intelligere. Qui autem virtutis expertes ſunt omnino, nullo modo ad ſuperna accedere poterunt. Teſtimonium id quoque his adhibet, quòd nullum faciunt de virtute verbum, ſermonemq; omnem de his quæ ad virtutem pertinent, omnino dimittunt: neq; definire ſtudent, quid virtus & bonum, quot ve ſint: & omnino quæcunq; tam præclara quàm multa priſcorum diſputationibus continentur: neque rurſus ex quibus acquirantur bona atque poſſideantur: neque quo pacto animus excolatur atque purgetur. Quod enim ſolent dicere ad deum aſpice, nihil prodeſt omnino: niſi quo pacto inſpecturus ſis perſpicuè doceant. Nam nihil prohibere quis dixerit, quin aliquis aſpiciat quidem, nulla tamẽ abſtineat voluptate, neque cohibeat iram:
F atque commemorans duntaxat ipſum dei nomen, ſuccumbat interim perturbationibus omnibus, neque eas propulſare cõtendat. Virtus profectò per prudentiam acquiſita ad ſummúmque progreſſa deum nobis oſtendit: ſiquis autẽ abſque verà virtute pronuntiat deum, nihil habet aliud præter nomen.

Qui dicunt nullum in corporibus mundi numen eſſe bonum peruertunt ordinem uniuerſi, & ſibi adimunt media: quibus ad ſuperiora poſſent commodius peruenire. Cap. XVI.

NEmo putet ex hoc ipſo bonum ſe euaſurum, quòd deſpiciat mundum, deoſque qui in mundo regnant, cæteraque mundi bona atque præclara. Etenim malus omnis inprimis id habet, vt deſpiciat deos: neque prius aliquis totus eſt malus, quàm deſpiciat ſuperos. Ac ſi nondum in alijs omnibus malus ſit, ex hoc tamen vno in cunctis malus euadit. Proinde quod aiunt ſe deos intelligibiles colere, conſentaneum ſiue cognatum nihil habet. Qui enim aliquid amat, quicquid eius quod amat cognatum eſt, dilectione proſequitur. Nam & filios diligis, quorum patrem amas. Anima verò omnis patris illius eſt filia. Atq; animæ in mundi ſperis ſunt intellectuales atque bonæ cognatæq; ſupernis multo ma-

A to magis quám noſtræ. Quo enim pacto hic mundus ab illo ſegregatus eſſet, quoue modo & dij qui ſunt in mundo. Sed de his quidem in ſuperioribus quo que diximus. Nunc autem affirmandum eſt, eos qui ſuperiorum numinum cognata deſpiciunt, neq; numina quidem illa cognoſcere, ſed verbis duntaxat ap prehendere. Quinetiam quod aiunt, prouidentiam ad hæc omnia vel etiam ad aliquid quodcunq; ſit nõ peruenire, quomodo poteſt eſſe pium? Item quomodo ipſis omnino conſentiens? Ferunt enim hominum duntaxat curã eſſe deo. Vtrum verò hominum dum illic ſunt ſolummodo, vel etiam in terra viuentiũ. Si enim illic, quomdo deſcenderunt? Si autem & hîc, quomodo ſunt adhuc in terra? Rurſum cur nõ ſit & hîc deus. Vnde enim cognoſcet hîc eos eſſe? Et quo modo compertum habet quod hîc viuentes deficientesq; ab ipſo facti ſunt ma li. Quòd ſi cognoſcit animos non dum malos, nimirum & malos iam factos animaduertit: vt hos ab illis diſcernere valeat. Itaq; omnibus aderit: eritq; hoc in mundo, quacunq; ratione adſit. Quapropter eius particeps erit mundus. Sin autem abeſt à mundo, á vobis quoq; aberit: nihilq; vel de ipſo, vel de his quæ poſt ipſum loqui valebitis. At ſiue quædam vobis illinc prouidentia fauet: ſiue quodcunq; velitis, certè & hic mundus illinc ſimiliter habet, neq; deſtitutus eſt á deo, neq; vnquam deſtituetur. Multò enim magis vniuerſorum quàm partiũ
B curam deus habet: magisq; totum quàm pars mundi diuinitatis eſt particeps. Atqui & vniuerſi anima à deo curatur magis atq; exornatur. Declarat hoc ipſum eſſe mundi eſſeq; ſapienter. Et quis nam eorũ qui ſtultè ſuperbiunt, tã ordinatus eſt atq; ſapiens, quàm vniuerſum? Imò verò ridiculum eſt prorſusq; abſurdum in cõparationẽ hæc adducere. Et quiſquis aliter quã diſputandi gratia cõparat ab impietate alienus eſſe non poteſt. Nempe de his ambigere nequaquã prudentis eſt, imò cæci cuiuſdam potius, & omnino neq; ſenſum habentis neq; mentem, proculq; ab ipſa intelligibilis mundi cognitione ſemoti: quippe cum hunc mundum minimè videat. Quis nam vir mulicus erit, qui cum intelligibilẽ comprehenderit harmoniam, non deinde commoueatur, cum harmoniam ſen tit in vocibus reſonantem. At quis geometriæ numerorumq; peritus, qui vbi conſpiciat ſpectaculum cõgrua proportione compoſitum, non admodum delectetur. Siquidem haud quaquam ſimiliter conſpiciunt eadem, vel in deſcriptionibus ipſis atq; picturis, qui per artificioſos oculos contuentur. Sed animad uertunt imitationem quandam in eo quod ſentitur, illius quod eſt intelligentia poſitum. Itaq; quaſi ſtupent: in veriq; memoriam reuocantur. Ex qua quidem affectione amores inſuper oriuntur. At verò qui pulchritudinem in vultu cer-
C nit aptius refulgẽtẽ, ad intelligibilem eleuat. Ille igitur animo erit prorſus ign auo: neq; ad aliquid vnquã aliud incitabit. Quisquis vidẽs cũcta in hoc mundo præclara ſpectacula, abſolutumq; ordinem ex perfecta menſurarum proportione compoſitum, ac ſpeciem in ſtellis quamuis longè remotis mirificè reſplendentem, hinc non admiratione intentiſsima contempletur, & colat, qualia videlicet à qualibus proficiſcantur admirans, Alioquin neq; hæc conſiderauit, neq; illa cognouit.

Super mundum corporeum eſt mundus animalis mobilis quodammodo & dimenſiones corporum ſuæ uirtutis magnitudine poſsidens: & producens mundum hunc ipſa ſuæ uirtutis ſtabilitate & pulcherimus ipſe pulcherimum. Cap. XVII.

ET ſi forte ad odium corporis prouocati ſunt à Platone vbi de corpore quæritur, quòd impediat animam, & vbi totam corpoream naturam longè inferiorem anima iudicat, oportebat tamen naturam corporis intelligentia ſegregantes inſpicere reliquum, intelligibilem videlicet ſpherã in ſe mundanam ſpeciem complectentem, animas in ordine abſque corporibus magnitudinem ſub

D ratione intelligibili dantes: atq; in diſtantiam producẽtes: adeo vt eius quod gignitur magnitudine ad rationem impartibilem exemplaris pro viribus adæquatio fiat. Quod enim illic eſt virtute magnum, hic mole magnum euadit. Ac ſiue agitatam hanc ipſam ſpheram conſiderare voluerint à diuina potentia circunductam continente totius ſphæræ principiũ mediaq; & finem, ſiue conſiſtentem quaſi nondum quicquam aliud gubernantem, profectò ſic ritè ad excogitandam animam, quæ mundum gubernat accedent. Ac ſi deinceps animæ corpus annectant, non ita videlicet, vt hæc aliquid patiatur, ſed aliquid potius alteri largiatur: propterea quòd nefas ſit eſſe penes deos inuidiam: quo minus ſingula inde pro facultate percipiant, rectè admodum de mundo ſentire iudicabuntur. Ingentem ex eo potentiam in mundi anima cogitantes, quòd naturam corporis per ſe minimè pulchram pro ipſius capacitate participem pulchritudinis efficit. Quæ quidem pulchritudo animas ad ſe rapit quaſi diuinas. Niſi forſan illi dixerint ſuos animos ab hac minimè incitari, neque differenti ratione corpora turpia formoſaque ſpectare. Quòd ſi id admittatur, ſe-
E quetur etiam, vt neque erga turpia atque honeſta ſtudia differenter afficiantur. Neque doctrinas pulchras cæteris anteponant, neque ergo contemplationem ipſam, neque igitur ipſum deum. Etenim hæc propter prima ſunt bona vel pulchra. Si igitur hæc bona pulchráue nõ ſunt, conijcimus neque illa quidẽ eſſe bona, vel pulchra, itaque poſt illa iam hæc bona pulchrá ve cenſentur. Proinde quotiens aiunt hanc ſe pulchritudinem nihilipendere, ſi formam in pueris mulieribusq; cõtemnant, ne libidini pareant, rectè vtique faciunt. Veruntamen nos latere non decet eos nequaquam gloriaturos, ſi turpe aliquid nihilipenderent. Sed hoc ipſo iam gloriari, quòd ſpernant quod prius conceſſerant eſſe pulchrum, ipſique affecti quodammodo fuerint. Præterea non eandem eſſe pulchritudinem in parte atque toto & omnibus atque vniuerſo. Denique multa eſſe adeo pulchra in rebus etiam quæ ſentiuntur, particulares q; ſunt, velut in ordine dæmonum, vt horum auctorem ſæpe hinc admodum admiremur, facileq; hæc ab eo facta credamus. Atque hinc auctoris inextimabilem pulchritudinem laudare poſsimus. Si modò his quidem nequaquam irretiamur: ſed ab his ad illa volemus. Neque opera hæc illius vituperemus. Profectò ſi interiora quoque ſicut exteriora pulchra ſunt, conſentire inter
F ſe aſſirmare debemus. Sin autem interna mala ſunt, in melioribus diminuta fuiſſe. Sed certè fieri nequit, vt quod eſt extrinſecus re vera pulchrum, intrinſecus ſit deforme. Etenim quod extrinſecus pulchrum eſt omnino, eo quòd eſt interius ſuperante fit tale. Qui verò dicuntur aſpectu quidem pulchri, intus verò turpes, falſam quoque habent extrinſecam pulchritudinem. Quòd ſiquis obijciat ſe vidiſſe formoſos quidem corpore, animo tamen turpes, arbitror equidem non vidiſſe, ſed alios quoſdam pulchros exiſtimare: ac ſi fortè viderit, aſſerò turpitudinem aduentitiam illis eſſe natura pulchris. Multa enim apud nos ſunt ad finem conſequendum impedimenta. Toti autem mundo, aſpectu pulcherrimo quid impedimenti eſſe potuit, quo minus intrinſecus quoque ſit pulcher? Tum verò quibus perfectionem ab initio natura non dedit, ijs fortè accidit ad finem minimè peruenire: ideoq; praua fieri poſſunt. At verò mundo non contigit, vt aliquando quaſi puer eſſet, atq; non dum perfectus: neq; tanquam vlterius progredienti mundo noui quicquam coaluit, corporiq; eius eſt appoſitum. Vnde enim id fieri potuiſſet? Quippe cum omnia iam habuerit.

Sed neq; eius animæ ſubiunctum quicquam licet fingere.
Ac ſi forſan id Gnoſticis quis conceſſerit, non tamen
mali quicquam licebit admittere.

Non

A *Non decet uituperare opificium mundanum & eius opificem: neq; ui hinc abire, licet tamen & ferre fatalia & insuper moderari: datur quoq; ad uitam mundanæ animæ & illius beatitudinem peruenire.* Cap. XVIII.

Dicent fortè sermonibus quidem suis effici, vt corporis commercium fugiatur, atq; odio admodum habeatur: nostros verò sermones animã in corpore detinere. Id autem persimile est: ac si duo quidam domũ eandem habitent pulchram: & alter quidem constitutionem & apparatum domus auctoremq; vituperet: nihilominus tamen ibi permaneat: alter verò nequaquam vituperet, sed domicilij fabrum artificiosissimè construxisse dicat: expectet verò tempus quamdiu habitat, quo inde sit abiturus: vt pote qui tunc habitaculo vlterius nõ indigeat: ille verò sapiẽtior & ad exitum paratior ob hoc videatur, quòd nouit dicere ędificium ex lapidibus inanimatis lignisq; esse constructum: & ab ędificio verò procul abesse: ignorans plurimum interesse necessaria tolerare, vel minime ferre: siquidem ab ędificio quòd pulchrum existimat, non molestè discedet, si pulchritudinem lapidum diligat moderatè. Manendum est sanè dum corpus habemus in domicilijs, quæ ab anima bona nostraq; sorore sunt fabricata, potestatem habente quamplurimam, per quam fabricet absque labore. An ve
B rò *illi homines* etiam pessimos quotidie fratres appellare dignantur: Solem verò cæteraq; cælestia appellare fratres penitus dedignãtur: quinetiam mundi totius animã ore prorsus insano à fraterno consortio segregant: & profectò quandiu praui sumus, nefas est, nos cum superis affinitate coniungere: sed tunc demum quum boni sumus, neque sumus corpora, sed animę in corporibus, atque ita in ipsis habitare potentes, vt quamproximè ad illam habitandi rationem accedamus, qua mũdi anima totum habitat corpus. Id autem est è suo gradu non deijci, neq; externis illecebris indulgere, neque duris frangi. Illa quidem anima non pulsatur, neque enim est vnde pulsetur. Nos autem hîc habitantes virtute ictus possumus propulsare, adeò vt animi magnitudine atque robore alij quidem ictus leuiores fiant, alij verò minimè tangant. Cùm verò ad id quod pulsari nequit, proximè accesserimus, tunc demum mundi stellarumq; animam imitabimur. Item cùm similitudinem proximam adepti fuerimus, in idem denique conspirabimus. Tum verò eadem nobis spectacula offerentur, quæ & superis ab initio adsunt, & nobis non desunt, videlicet tum natura bene institutis, tum studio præparatis. Siqui verò se iactent, quòd soli diuina valeant contempla ri, nihil ob hoc plus habent facultatis ad cõtemplandum: sed neq; etiam ob hoc
C ipsum quòd glorientur se quidem per obitũ è corporibus abituros: animabus autem mundum semper gubernaturis nunq; id licere: hi nanq; id aiunt imperitia quadam, quid sit quod extrà dicitur, ignorante, quinetiã nesciente qua ratione totius anima tota gubernet inanimatũ. Data est ergo facultas per quam nõ indulgeamus corpori, sed puri quandoq; efficiamur. Contemnamus mortem: superiora intelligamus: intellecta sequamur: cæteris qui consequi possunt, semperq; sequuntur, nequaquam inuideamus, & quasi nequeant, detrahamus: neque unquam patiamur idem, quod & plerique putantes astra non currere, propterea quòd sensus eis nuntient illis quiescere: ob id enim & ipsi non putant astrorum naturam ea quæ sunt extrà suspicere, quoniam ipsi non vident ipsorum animam extrinsecus existentem.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE FATO.

De æternis & actione illorum: De cauſis eorum quæ fiunt: De quatuor opinionibus circa fatum. Cap. I. & II.

IN ordine rerum alia quidem ſunt duntaxat: alia inſuper fiunt. Item quę ſolùm ſunt, aut principia ſunt, aut ex principijs. Rurſum quæ fiunt: aut ſemper fiunt. aut aliquando. Res quidem quę primæ ſunt, quatenus primæ ſunt, in alias cauſas referri non poſſunt. Quod enim ſimpliciter primum eſt, ſimpliciter quoq; non habet cauſam. Quod uerò eſt in aliquo genere primum, cauſam in eo genere nullam habet. Itaq; in genere mobilium, ipſum per ſe mobile, qua primò mobile eſt non habet ſuperiorem cauſam, per quam ſit mobile per: quam uerò intellectuale ſit, aliquam habet. Primus ſimiliter intellectus non propriè per ſuperiorem cauſam eſt intellectus, ſed quod exiſtat, unum aliquid atque bonum ex ſuperiore cauſa poſsidet. Ipſum uerò bonum ex nulla cauſa quicquam habet. Quæ igitur inter æterna exiſtunt à cauſa eſſentiam quidem habent ab illa, quam eſſe perpetuò comitatur & actio. Quæ quidem actio ſiue actus (ut ex Plotini ſententia loquar) idem ibi eſt atq; eſſe. Profectò ubi actio tranſit extra, proculdubio aliud eſt quàm eſſe. Item ubi actio etiam quæ manet intus, ab aduentitia formâ procedit, aliud etiam eſt quàm eſſe. Vbi autem & intima eſt & perpetua, & à forma ſolùm eſſentiali, idem nimirum eſt quod eſſe, uel ſaltem quòd exiſtere dicitur. Nam & ab illa & in illa eadem forma eſt eſſe: tunc à qua prouenit, & in qua reſidet actus. Sic calefactio quidem ex igne in aquam procedens proculdubio aliud eſt quàm ignis eſſe. Rurſum calere in ferro ignito aliud eſt quàm eſſe ferri: quoniam à forma fit aduentitia. Sed in igne calere nihil aliud eſt quam eſſe ignem. Quoniã igitur in ſubſtantijs prorſus æternis nulla eſt aduentitia forma: ideoq; ab eadem & in eadem naturali forma eſt agere à qua, & eſſe, atq; tã proximè, meritò idem eſt agere, quod & eſſe. Nam eſſe dicimus actũ eſſentiæ eſſentialisq; formæ. Qui ſanè actus intimus eſt, & actio penitus intima. Hãc ob cauſam cũ in anima uita non ſit aduentitia forma, uiuere eſt eſſe animæ. Similiter in ipſo intellectu intelligere ab intellectuali forma naturaliter micans, intellectus ipſius eſt eſſe: Præſertim quoniam intellectio eſt actio prima. Ideoq; cum perfectiſsima ſit & intima, ab eſſe nõ diſtat. Hanc utiq; primã Platonici ponunt: qui actionem propriè in ipſo bono non ponunt: cum omnis actio ſit circa bonũ. Hactenus de his quæ propriè ſunt, ſit dictum: quæ quidem nec uolumus eſſe ſub fato, nec in fato. Quæ uerò fiunt, ſi aliquo in tempore fiunt, fato ſubiecta putamus: Si fiunt ſemper, ideſt, ſi perpetuò reuoluuntur non tam ſub fato quàm in fato locamus. Summatim uerò actionem omnem in motu quomodo libet poſitam, tanquam nõ omnino perfectam referre debemus in cauſam: & illam quidem deniq; permanentẽ. De eo quidem quod mouetur ab alio non eſt dubium, motum actionemq; eius ab alio proficiſci. Quod inſuper ex ſe, ideſt, natura ſua mouetur, quod mobiliter agat, habet ſuapte natura: quod autem ſimpliciter agat, atq; ſit, aliunde ſortitur. Actio enim mobilis cùm imperfectior ſit quã ſtabilis, ſignificat eſſentiam in qua eſt, ab alio proficiſci. Atq; eiuſmodi actio à ſtabili quadam eiuſdẽ eſſentiæ potentia regitur. Nempe cum motio uelut accidens quiddam indeterminatum ſit & indigum, priuationemq; & diſperſionem patiatur admiſtam, meritò maximè pendet. Quamobrem ex ſubiecto in quo eſt, & efficiente uirtute, ex qua editur, & ex fine, cuius gratia fit, & occaſione quadã incitante dependet. Nemo itaq; ſomniet inclinationem quandam incuſionemq; atomorũ: uel repentinam alicuius corporis motionem: uel ſimilem inclinationẽ animæ à nulla cauſa dependentem rebus dediſſe principiũ, ſed omnẽ eiuſmodi uel actionem, uel paſsionẽ exiſtimet à cauſa quadam ſuperiore productã, uel etiã à circunſtantibus incitatam. Cum igitur quicquid aliquando fit, à cauſa fiat: cauſas in pleriſq; propinquas & manifeſtas habemus. Vbi uerò cauſæ propinquæ non ſatis patent uel non ſunt ad effectum ſufficientes: remotiores meritò cauſas perſcrutamur: præſertim quando ſub eadem propinqua cauſa imminente effectus in alio quidem ſequitur: in alio uerò non ſequitur. Et quando ex operibus hominum ſimilibus ſimilia cuilibet non eueniunt. Item ubi fortuna rerumq; concurſus præter actionum merita fauet, atq; contrà. Deniq; ingeniorum & morum fortunarumq; diuerſitas: quæ ex cauſis nobis notis eſſe tanta non poteſt, occultiores ſuperioresq; cauſas indagare compellit. In cauſarũ uerò occultarum inueſtigatione ſuborta eſt inter philoſophos opinio fati. Fatum quidem cõmuni quadam notione definiunt, neceſsitatem quandam deſuper rebus illatã. Cum igitur quatuor præcipuæ ſint ſententiæ de principijs, nimirum opiniones quatuor ſunt de fato. Alij enim neceſsitatẽ rebus inferri à corporibus quibuſdam quæ ſint principia rerũ iudicauerunt.

A runt: ſiue ab atomorũ cõcurſionibus, ut Democritus: ſiue ab allorũ quorundam corporũ naturis & motibus inferatur, ut Thaleti Anaximani Anaximandro placuiſſe ferunt. Alij principiũ cunctis uirtute arbitrantur infuſum: à quo paſsim neceſsitate fatali ſingula moueantur: quod nonnulli Stoici uoluerunt. Sunt & qui inter Aſtronomos reuolutionẽ cæleſtiũ eſſe rerũ principiũ arbitrentur & fatũ. Neq; deſunt inter phyſicos atq; metaphyſicos, qui ſingula quotidie fieri putẽt à ſerie quadam connexioneq; cunctarũ inuicẽ cauſarum, ſiue cæleſtium, ſiue ſuperiorũ, ſiue rurſum inferiorũ. Atq; inde fatũ omnibus imminere: ſiue congeries eiuſmodi cauſarũ principiũ habeat unum, ſiue non habeat.

Neq; cogi neq; fieri à corporibus omnia: neq; fatum neq; preſagium ſortẽ aliquid ſi principia rerum fuerint contingentia. Cap. III.

COrporum naturã ab incorporea cauſa proficiſci, & ab una tandem omnia omnibus prouidente, in Theologia ſatis oſtendimus: Rurſum communẽ corporum pulchritudinem in ordine & modo ſpecieq; conſiſtere. Atq; hæc tria & ipſam pulchritudinem eſſe aliquid incorporeum in libro de Amore probauimus. Atomorum quidem motum carere ordine Democritus ipſe fatetur. Vnde non facilè poteſt ſummum ordinẽ uniuerſi ex rebus duntaxat deterioribus ordine producere atq; ſemper continuare. Omniũ inſuper corporum molem qua ratione corporea eſt, ordinem nõ ſeruare ex eo patet, quòd ordo, modus, ſpecies, pulchritudo in ipſa mundi mole præſtãtiora ſunt quã ipſa moles, ſuntq; inſuper incorporea. Quamobrem à prçſtantiori quadam incorporeaq; natura & rationali atq; uiuente propagantur in corpus. Idq; proximè anima eſt corporum agitatrix, itemq;
B mens & ipſum bonum uniuerſi principium atq; finis. Ordo igitur ipſe & ratio unde ordo, & anima in qua ratio non ſecuntur corpora, ſed præcedunt: Iam uerò quicunq; res omnes ex inordinato corporum motu deducunt, non poſſunt fatalem rebus afferre neceſsitatem. Quinimo expertem ordinis contingentiam principijs introducere, nihil aliud eſt quàm à rebus excludere fatũ. Sic enim nulla res omnino determinatè neceſſarioq; proueniet, ſi nullus fuerit ordo, ex quo aliud deinceps conſequatur ex alio. Nunc uerò quod factum eſt, ſaltem poſtquam factum eſt dicitur neceſſariò factum: quia uidelicet dum inpræſentia fiebat, quadam neceſsitate fiebat. Atq; hæc omnis ſiue circa præteritum, ſiue circa præſens conditionalis neceſsitas ex ſuperiori quadam natura procedit, quæ ſimpliciter ſit ipſa neceſsitas. Vnde conſtat non fortunam in principijs: ſed neceſsitatem potius eſſe ponendam. Mitto, quòd ſi nullus in rebus ſit ordo, in quo aliud propriè ſequatur ex alio: nulla futurorum recta prædictio eſſe poterit, ſiue ex arte fieri ſoleat, ſiue inſtinctu aliquo naturali, ſiue quodã afflatu diuino. Præterea ex atomis aliisue corporibus non poteſt in animam eauis & motio prouenire: qua uitali & ſenſuali uigore ex ſe mouetur & mouet: qua tam repente, tanq; artificioſè imaginatur tam uaria: qua genus corporeum contemplando, & amando tranſcendit: qua perturbationibus corporis aduerſatur: qua aliæ animæ ad alias diſciplinas, & has quidem incorporeas ſunt aptiores: qua deniq; tanquam liberæ & ſui iuris agunt: libertatemq; à neceſsitate diſcernunt. Animam uerò habere aliquam libertatem in Theologia latius diſputamus.

Non eſſe in uniuerſo tantùm unum agens. Cap. IIII.

C

NEq; rurſum exiſtimandum eſt, mundum ſic unum duntaxat animal eſſe, ut in eo non ſit anima niſi una unicumq; corpus. Et omnes ubiq; motus pariter & effectus opera tantùm eiuſdem animæ ſint neceſſariò procedentia: Nullaq; ſit alia præter eam cauſa: nullum deniq; agens. Sic enim & ordo tollitur cauſarum, in quo fatum conſiſtere communiter arbitrantur, & dignitas mundo ſumma detrahitur, ſi unicum in eo ſit agens atque mouens: cætera patiantur tantùm atq; moueãtur. Perfectio enim mundi potiſsimùm in eo conſiſtit, ut uniuerſum hoc maximè formale ſit & agens, in eoq; ſit formarum & agentium ordo quamplurimus. Præterea cum tota primi agentis natura ſit ipſa efficacia prorſus immenſa, res plurimas efficaces ideoq; agentes ex ſe propagat: quandoquidem & ignis agens agentem gẽnerat ignem. Item primus ipſe motor quæcunq; ſolus agit & mouet, quamoptimè peragit. Multa uerò paſsim præter ordinem exactiſsimũ atq; optimum, quãtum in ſingulis eſt naturis, uidentur accidere. Ex quo patet, naturis ſequẽtibus munus ad agendum proprium non deeſſe. Denique intellectualis anima dum ad ſe conuertitur: dum uiciſsim in oppoſitas conſultando ipſa ſe diſtrahit coniecturas: dum opera naturæ imitatur, emendat inſtaurat: dum alias quidem recte progreditur, alias uerò præuaricatur: dum & corporum & animarum ſupergreditur ordinem, profectò declarat nec eſſe ſe animalis uniuerſi partem, nec illi neceſſariò ſubditam.

D *Neq; nos à cælo cogi, neq; cætera à cælo tantùm, & neceſſariò fieri.* Cap. V.

TErtij fatorum aſſertores ſunt aſtrologi, non omnes inquam, ſed plures, idq; fatum eſſe dicunt, quòd ſuus cuiq; aſtrorum conſpectus neceſsitate decernit. Deſtinari uerò inde ſuam cuiq; ſortem ex eo confirmant, quòd aſtrorũ obſeruatione ſingulis uentura prænuntientur. Præterea quòd ex acceſſu, & deceſſu, & habitudine luminum in corporibus mutationes multæ contingant. Plotinus autem nullo pacto ferre poteſt hominem in ſingulis motibus radierum confluxu cæleſtium neceſſariò agitari, quia neq; corpus humanum pars mundi continua eſt: neq; anima hominis pars animæ mundi, neque à mundi anima procreatur. Habet ergo corpus humanum præter figuram propriam, motorem quoq; intra ſe proprium, propriumq; progreſſum: motorem inquam, intellectualem, qui ſanè per intellectualem naturã tranſcendit corpus uitamq; mundi, quippe qui non ſit pars uniuerſi, ſed ipſe in ſe aliquod uniuerſum. Cumq; omnis motio ſit gratia boni: animus uerò noſter cõmunem ipſam totius boni ſimpliciter teneat notionẽ, in hac autem bona ſingula comprehendantur: meritò motus animi non ad hoc, aut illud tanquam bonum neceſſariò deſtinatur, ſed ad quodlibet pro coniecturarum uarietate æquè conferre ſe poteſt. Iam uerò longa in ſingulis conſultatio, ac per oppoſita uicißim penſitatio diligens, & exacta quædam electio, & mox ad coniecturas alias retractatio declarat, animum non ferri natura quadam, uel more uel inſtinctu naturæ, ſed uniuerſali potius liberaq; mouendi & agendi facundia. Cùm igitur propriam naturam & efficaciam habeamus, ideoq; propriam inſuper actionẽ, meritò non ſolùm ſub cæleſti patimur actione, ſed cæleſtem quoq; influxum pro efficaci proprietate ſuſcipimus, ipſiq; aliquid inde proprium agimus: itemq; aliquid mera noſtra proprietate peragimus. Mutatur etiam cæleſtis influxus circa nos ex natura locorum: nam & ſub exigua climatis cuiuſq; particula, ubi etiam ſtellarum influxus eſt idem, eodem momento & ſemper diuerſa naſcuntur, atq; contingunt pro diuerſitate ſitus, & terræ, aeriſq;, & aquæ & uentorum, atq; uaporũ, morumq;, & legum. Præterea ſimiles plerunq; filij ſunt parentibus & nutricibus in quacunq; hora naſcantur & nutriantur, utpote qui plus admodum à ſuis quàm ab hora ſuſcipiãt, atq; etiam ſi ob communem loci & generationis, nutritionisq; naturam forma inter ſe ſint ſimiles: ſæpe tamen plurimùm moribus & ingenio differunt, quippe cùm diuerſitas animorum tum ingenio, tum moribus differens aliunde inſuper quàm ex his corporeis cauſis oriatur. Denique ubi animus incitamentis corporis aduerſatur, idq; facit tranquillitatis & intelligentiæ gratia, declarat ſe & operari liberè, & à corpore proprio non dependere, neq; igitur à cæleſti corpore: quòd quidem per noſtrum corpus ſolùm agere nos poſſe uidetur: corpori uerò noſtro mentis tum uirtute, tum gratia poſſumus reluctari, uitamq; eligere menti conſentaneam, quamuis corpori noxiam, ac ſæpe dum ſimilis permanet natura & incitatio corporis, quædam diſſimilia inter ſe quandoque ſolemus eligere pro cõiecturarum duntaxat uarietate, atq; etiam ubi euaſit natura corporis iam diſſimilis, ſimilia nihilominus eligere conſueuimus, ſi ratio ſimilis perſuaſerit, utpote qui tunc non tam ex influxu corporeo, quàm ex intelligentiæ rationisq; affluentia pendeamus. Quòd autem nonnulli tradunt, noſtra hæc à ſtellis effici, quia ſignificentur ex ſtellis, cõfutatum eſt alibi etiam diligentius. Tu uerò ita conclude: In quolibet momento ac etiam in eodem ſtadio quamplurima ſimul naſci poſſunt inter ſe diuerſa, non ſolùm ſingularibus accidentibus, uerum etiam ſpecie atq; genere, quibus etiam diuerſa ualdè ſors obtigit, quaſi nõ ab hora duntaxat natura rerum & fortuna trahatur: quod quidem hinc etiam confirmatur, quòd quamplurimi ſæpe eodem communiq; exitio ſimul pereunt: neq; tamen uel eadem hora ſunt nati, uel ſimul ad locum exitij confluxerunt.

Quomodo ſingula generentur à naturis proprijs conferente cælo. Quomodo cæleſtia ſignificent, dæmones cognoſcant atq; exequantur. Cap. VI.

IGitur quemadmodum alibi diſputabimus, in propria generatione rerum cauſæ inferiores tanquam proximæ atq; propriæ poſſunt quamplurimũ. Itaq; hic homo naſcitur, ille equus: nõ quia tunc naſcatur aut alias, ſed quoniam hic ex homine, ille ſit ex equo. Similiter quòd homo hic ita naſcatur, affectus ex certa parentum affectione procedit, potius quàm ex quadam cæleſtium habitudine exteriore communi accidentali ac protinus momentanea. Conducit tamen ad id cæleſtis influxus, uel ad efficaciam, uel ad qualitatem generantibus, ac genitis adhibendam ualde communem, & hãc quidem corpoream, quoniam à corporibus fit in corporibus, atq; hæc etiam pro ſuſcipientium & loci conditione ſuſcipitur. Dotes autem animi quæ non obſequuntur corpori, neq; ſequuntur ex corpore, ſpectantes uidelicet ad incorporea, nequeunt à corpore cæli in animum proficiſci, neq; per corpus noſtrum, & maltò minus ſine corpore. Induſtria igitur rationes rerum incorporeas ſagaciter in-

A ter inueſtigans, non corpus cæli ſequitur, ſed incorpoream mentis humanæ naturam, quæ fortè ad hæc adiuuatur ab ipſis ſiderum animabus, mentibuſq; earum, contemplatorum dæmonum miniſterio. Quòd autem ſtellæ natura diuinæ ex motu locali naturâ quotidie mutent, & in malum aliquàn do nefas eſſe dictu alibi demonſtrauimus. Diximus etiam, ubi mala & incommoda ordinisque expertia obſeruatione cæleſtium portenduntur, hæc non ab illis fieri bonis uidelicet atq; ordinatis: ſed ita ſignificari ſicut auium uolatu garrituq;, alijsúe portentis ſignificari dicuntur, multa non fieri: quæ quidem ſignificandi facultas in mutua quadam rerum connexione conſiſtit: quæ ſigna, quàm ue connexionem, non homines, ſed dæmones ipſi cognoſcere poſſunt. Quod Origenes diſputat, & Plotinus hic innuit, ubi ait, qui uidelicet literaturam eiuſmodi nouerint, & Plato his uerbis in Timæo ſignificat, quid fiat, uel ſignificetur ex cæleſtium habitudine tentare uanum eſt, ſine diligenti ſimulachrorum illorum inſpectione. Omnia uerò illa perſpicere, non noſtrûm eſt, ſed dæmonum: nobis enim nec ætas, nec oculus, nec ingenium ſuppetit. Quemadmodũ uerò dæmonum præcipuè munus eſt, cæleſtia ſigna tenere, nobisq; ſuggerere ſiue dormientibus, ſiue etiam uigilantibus: ita etiam illorum eſt ſæpe quæ cœleſtia portenderunt, certis ſubinde temporibus exequi: dæmonum quidem meliorum meliora, deteriorum uerò deteriora. Per hos itaq; poſt longa curricula temporum exple ri poſſunt, quæ cęleſtium ille habitus qui iandiu prorſus euanuit, ideoq; nec agere quicquam poteſt, quandoq; fore ſignificauit: neq; tamen dæmones ita nos mouent: quòd Plato ait, ut neceſsitate compellant, modò enim imaginario ſæpius quàm corporeo ducunt: tametſi agunt in nos non electione ſolùm, uerumetiam quadam proprietate naturæ, ſicut & ſtellæ oculis apparentes. Agunt inſuper in
B inferiora ſuis quibuſdam motibus & aſpectibus, quatenus ſtellarum choreas comitantur: ſed quoniam *proprij muneris* aliquid adhibent, cæleſtiũ in nobis actio iudiciumq; confunditur. Hac itaque ratione quæ ſtellæ uiſibiles portenderunt, inuiſibiles ſubinde ſtellæ, ideſt, dæmones partim nobis ſuggerunt, partim pro uiribus exequuntur. Hinc illud Platonis: Animas in generationem labentes ducunt dæmones, electæ iam uitæ ſortisq; fatalis executores. Dæmones quidem Saturnij Saturnias regunt animas, & Saturnia munera peragunt: Iouij ſimiliter Iouias atq; Iouia: cæteriq; ſimiliter. Cumq; ſicut homines in qualibet regione partim Saturnij, partim Iouiales ſunt: ſic & dæmones ſimiliter uarij in qualibet ſphæra mundi uerſentur. Meliores quidem inter Saturnios, meliora Saturni munera: deteriores uerò inter eoſdem, deteriores ſub eodem cuentus peragere ſolent: codemq; pacto Martij, cæteriq; ſimiliter. Vbi uerò Plotinus ait, quotidianas cæleſtium motiones præter communem mundi ſalutem eſſe inſuper utiles ubi potentibus intelligere, futura ſignificant: oſtendit ſignificata poſſe uitari, ſi mala ſint: ſin bona, iterum adiuuari: multò magis q̃ medicus poſsit ad ſigna quę ſunt, in nobis ualitudinem adiuuare, alioquin & in aſtrologia & in medicina ſignorũ obſeruatio foret inanis, ac Deus qui ſigna præſcripſit, in cælo inferiorũ ſaluti proſpiciens fruſtrà prœmonuiſſet.

Qui neceſſariam rerum ſeriem introducunt ineuitabiliter ſingula per agentem auferunt, tum infimis contingentiam, tum conſilio libertatem. Cap. VII.

C QVarta de fato ſententia, quam ſuſcipimus pertractandam, unà cum ſecunda ſententia conuenit, in eo quòd ab uno quodam uitali principio cunctis infuſo, ſingula per rationes ſeminales exiſtimat generari, quod eſt potiſsimum à Stratone probatum. Diſſentit uerò in eo, quòd non ſolùm eiuſmodi uitale principium eſſe efficax arbitrantur: ſed multa præterea ſub eo aliquam agendi efficaciam poſsidere, ita tamen ut non aliter agant, quàm à primo trahantur. Addunt cauſas ſub his alias, deinceps aliasq; ſubinde cõſequi, atq; ita connecti, ut & à prioribus ſequentes neceſſariò deducantur, atq; ducantur, & quicquid agunt, neceſſariò facere: quicquid inde fit, neceſſariò fieri, atque ad omnem ubiq; euentum cunctas inuicem, quamuis aliter alibi conſpirare, quæ maximè uidetur ſententia fuiſſe Chryſippi. Mitto in præſentia, quòd hæc opinio rebus aufert contingentiam, quam ſaltem circa infima mundi doctiſsimi quiq; arbitrantur accidere. Id autem in primis Plotinus deteſtare uidetur, quòd rationalem animã electionis libertate, & actionis auctoritate proculdubio priuant: ſi modò uerum ſit quod aiunt, actionem quãlibet animæ ab impetu quodam. & impetum ab imaginatione, & imaginationem à præſenti rerum ſerie uel in nobis, uel circa nos agente, neceſſariò proficiſci. Quàm uerò turpe ſit, intellectualem animam, incorporea à corporibus ſegregantem, illaq; his præponentẽ, corporum neceſsitati ſubijcere, in Theologia ſatis oſtendimus. Non hæſitari autem à cælo quemlibet animi morum, Zael & Meſadach, & alij, ubi de interrogatione loquuntur, oſtendunt: aiunt enim, interrogationem tunc & iudicium duntaxat habere effectum, quando interrogans uehementiori quadam ſollicitudine quæritat, quaſi tunc ſolùm moueri cælitus uideatur. Sed quando interrogatio non eſt ſollicita, fallaciſsimũ eſſe reſponſum, quaſi tunc interrogator non mo-

D ueatur à cælo. Quid plura? Studium & induſtria contradicendi fato, nobis non datur à fato. Cultus ſupercæleſtis Dei in cauſam cælo ſuperiorem poſtremò reſoluitur.

Quomodo anima ſit ſuper fatum, in fato, ſub fato. Cap. VIII.

COmmunis de fato philoſophorum opinio eſt, eſſe neceſsitatem quandam ex corporeārū cauſarum conſpiratione rebus illatam. Cùm uerò & corporum motus ab anima, & ordo corporalium formarum ab intellectu proueniat, meritò intellectualem animam à neceſsitate, quæ ex motu & ordine uel ſerie corporali ſolet inferri, exiſtimamus naturaliter eſſe ſolutam: tantumq; abeſſe, quòd ſubijciatur fato, ut etiam ipſa ſit ipſius fati principium, ſiquidem fatum ſit corporea ſeries, hæc autem ab anima intellectuali dependeat. Ab anima inquam uniuerſi, ſeries communiter uniuerſa: ab animabus quoq; cæteris ſimili quadam intelligentia præditis, ſeries alibi paſsim, alibi propria. Duo ſunt igitur in fato genera cauſarum: cauſę inquam, animales uelut fati principia, ideſt animę ſeſe corporibus regendis accommodantes: cauſæ iterum corporales tanquam complentia fatum. Eſt ordo præterea triplex, tum corporum omnium ad primum corpus: tum animarum ad primam animam: tum corporum ad animas, perq; animas ad animam primam: perq; illam intellectualem ad intellectum primum: atq; ita ſeries uniuerſa fatorum ad diuinam tandem redigitur prouidentiam. Si igitur anima extra corpus ſit omnino, ſimiliter eſt extra fatum: ſi ſit in corpore, quatenus indulget cor
E pori naturaliter patienti ſub fato, ipſa quoq; eatenus in fato patitur. Sin autem pro uiribus ſe à corpore ſegregat, ſolamq; huic uim accommodat uegetalem, in fato duntaxat computatur ut agens: agit tamen pro conditione fortunæ: & nonnulla quidem ipſa uel naturali facultate permutat, uel arte quādam emendat & corrigit, uel magnanimitate facillimè tolerat. Quòd autem anima eatenus fatum ſubeat, quatenus ſe immergit in corpus, oſtendit Timæus dicens, animas tunc primùm leges didiciſſe fatales, cùm ſunt coniunctæ uehiculis: hinc enim fati trahuntur exordia. Sed interea quòd libero motu & fatum adeant, & deinceps quandoq; ſe ſoluere poſsint, declarat, quod ait Plato & in Timæo & in decimo de Repub. Deum docuiſſe animas tum fatales leges, tum rationem iuris diuini pariter & humani, ut extra culpam Deus exiſteret, & addit uirtutem rationemq; liberam eſſe.

Quomodo anima in fato ſit ut agens: quomodo ut patiens: item de contingentia rerum. Cap. IX.

AD illos autem qui dicebant, quicquid fit, ideo neceſsariò & ineuitabiliter euenire, quia cunctæ ſimul cauſæ cōnectuntur. Poſitis autem omnibus undiq; cauſis, effectus neceſsariò ſequitur. Iam ſic obijcitur; Etiā ſi nobis id concedatur, auctoritatem tamen ſuam poteſt animus retinere: nam & ipſe eſt in ordine cauſarum, tum naturalium, quatenus per uim uegetalem non patitur, ſed agit in corpore, tum earum quæ uoluntate faciunt, ideoq; ex ſe libereq; mouentur. Quādo igitur animus linguam brachiumq; mouere decreuit, neceſsariò fit motus in membro, ſi modò cæteræ cunctæ
F concurrant unà cum electione uidelicet atq; propoſito, ſingula quæ circunſtant, ideſt, quęcunq; ſunt præter animum, quorum concurſus hic fortuna uocatur: ſcilicet ut membra ſint apta, & nihil obſtet. Annumeratur etiam inter externas cauſas, quæ fortunæ nomine deſignantur, ſiquid ex uniuerſi motu unà cum ſequentibus cauſis conducit ad opus. Opus itaq; tunc neceſsitate procedit, nō tamen animus tanquam compulſus mouetur ad opus, ſi neq; incitamentum ex corpore ſurrepens ſequitur eligendo, neq; externum cogitat circa corporea commodum uel incommodum. Neq; omnino ſpectat externa, neq; falſa opinione decipitur, ſed intelligentiam rationemq; certam & paſsionis expertem habent ducem, atq; ad ipſius optimum habitum uelut ad finem omnia dirigit. Ex eo certè quòd ſapiens animus ad ſe uelut ad finem dirigit actiones, conſtat ipſum non externū, ſed internum actionis principium poſsidere. Hactenus agere animus iudicatur, quia per formam ſibi propriam & intimam & præcipuam, & ſui ipſius gratia operatur. Quando uerò uel ipſe ex ſe prius degenerans, uel ignorans, uel extrinſecus incitatus, & inſtigatus à corpore aggreditur, aliquid aliorſum ſpectās quàm ad animum, non tam agere quàm pati cenſetur. Agit autem maximè, ubi non ſolùm ex ſe & ſui gratia operatur, ſed etiam in ſeipſo per ſe ſolum ſine inſtrumentis agit, ideſt, munus contemplationis exercet. Vbi uerò uel uoluptuoſam uiuit uitam ſine moderatione, uel actiuam ſequitur ſine prudentia, grauiſsimè ſeruit, & patitur. At quotiens actiuam cum prudentia partim quidem agit ipſe, partim uerò agitur, quatenus & ab externis incitatur ad motum, & pro conditione circunſtantiam exequitur miniſterium. Memento uerò, Plotinum hic concurſum rerum quæ nos prope circunſtant, quem fortunam nominat, exiſtimare, non neceſsariò ubiq; in fata cæleſtia redigendum, ita ut diſpona-

A ut diſponatur ad unguem, quemadmodũ ex ſe cæleſtia digerunt: nõ enim tam exactus in his quàm in illis eſt ordo, neq; firmitas æqua, neq; concordia ſimilis. Hinc illud Plotini. Effectus apud nos cæleſtium pro cauſarum inferiorum conditione contingunt: item naturales effectus ſimilitudinẽ cum cauſis propinquis longè maiorem habent quàm cum remotis. Rurſum cæleſtium aſpectus plerunque non tam cauſæ ſunt quàm ſigna, propterea cum quadam conditione loquitur, ubi ait: Et ſiquid præterea ex cæleſtium motione conducit ad opus. Deniq; mutari ordinem inde huc forſitan prouenturum, diligentia nonnunquam humana uirtuteq; animi poſſe putat.

Natura intellectualis agit liberè, ſed eius effectus aliquando impeditur in ratione. Cap. X.

COncludit igitur, neq; res agitari caſu, ſed eſſe in rebus ordinem per cauſas cõſequentem, unde res artificioſè fieri ſignificariq; poſſint: neq; rurſum omnia ſemper externa neceſsitate pulſari, ſiquidem oporteat non ſolùm eſſe quæ extrinſecus, ſed etiam quæ intrinſecus mouentur. Et quæ intrinſecus partim quidem à determinato quodam inſtinctu naturæ, partim uerò ab abſoluto & amplo liberoq; principio, alioquin ordo mobilium aut nullus erit, aut non redigetur ad ſummum: & quæ mobilia ſunt, per aliud ad ipſum quòd per ſe mobile eſt, quod tamen oportet eſſe, minimè referentur. Quod enim fertur ſolùm inſtinctu naturæ, non ſeipſum mouet, ſed uel impellitur ab imprimente naturam more ſagittæ, uel trahitur à cognato, ſicut à magnete ferrum. Quamobrem intellectualis anima cum optima quadam, id eſt, intellectuali ratione ſit omnia: ratione inquam, uniuerſali prorſus & abſoluta quæcunq; promit, ex intellectuali principio agit ipſa, non patitur. Sapientia
B enim *intellectualis*, apud Plotinum & magnos pleroſq; philoſophos cauſam non habet externam, *ex occurrentibus* uidelicet incitantem, ſed intus ab æuo lucet, & micat intrinſecus, hucuſque nullo *prorſus impediente*. Emicat quoq; in rationem intelligentiæ proximam, & utentem intelligentia, quotiens non impeditur. Impeditur autem tum communiter ob diſtractionem quandam animę circa plurima, tum propriè in quibuſdam qui uel naſcuntur inſani, uel fiunt, & hoc quidem tribus præcipuè modis: nam aut hebetes, uel obliuioſi, aut ſtolidi, aut furioſi ſunt. Huius inſaniæ cauſa eſt tum ſenſualium inſtrumentorum ineptitudo, tum elcuatio uaporum, tum uehementior imaginationis intentio qua rationis remittitur actus, tum naturæ occupatio nimia circa morbicuram, tum denique occupatio quædam dæmonica. Forſan uerò ſicut immanes in moribus actiones à nobis inſtigatione dæmonum infimorum procedere ſolent: ſic inſania fit plerunq; mira quadam machina dæmonum: qui ſicut uapores humorum ſenſibilesq; imagines ad incitamenta concitant uitiorum, ſic & uapores in corpore & imagines in phantaſia nõnunquam prouocant ad eam incitandam, ac penitus roborandam, ut inde ratio uel remittatur, uel illudatur. Fieri uerò inſaniam à dæmonibus humores mirabiliter irritantibus, Serapio & Auicenna maioresq; non negant, & Euangelium ubique teſtatur: ubi dum ſanantur correpti dæmone, curantur inſani. Non enim ueriſimile eſt animam diuinitatis participem uel tam ſceleratè peccare, uel adeò inſanire, niſi natura id inſuper dæmonica moliatur. ideo forſan in ſecundo capite dixit, ingentem ingeniorum morumq; diuerſitatem non eſſe à manifeſtis tantùm cauſis atq; propinquis: iccirco Paulus Apoſtolus inquit, nobis non eſſe certamen duntaxat aduerſum corpus, ſed aduerſum dæmones caliginoſo huic aeri deſtinatos. Proſpera igitur
C uel diſpoſitio humorum ac membrorum, uel ſtellarum poſitio non efficit ſapientiam, ſed ſignificat ſapientiæ uſum ab oppoſita diſpoſitione uel poſitione non impediri. Quo quidem impedimento nobis ſublato per ſeipſum foras emicat ſapiẽtiæ lumẽ. Quæ uerò de dæmonibus diximus, ſic à Porphyrio in libro de Oraculis confirmantur. Sunt, inquit, corpora hominum malignis plena dæmonibus, præſertim illorum qui epulis delicatioribus uiuunt. Comedentibus enim nobis, aduenient & inhærent corpori: iccirco ieiunium & caſtitas maximè laudantur: non quia propriè Deus bonus ita placetur, ſed ut recedant illi qui ſanguine & immunditia gaudentes, ut his ipſi quoq; fruantur, corpora uoluptuoſorum ingrediuntur. Conſtat enim uehementem caducarum rerum cupiditatem & libidinoſi ſpiritus impetum non aliunde quàm ex malignorum dæmonum præſentia nimium inualeſcere: quare cùm appetitio uehementius inflammata eſt, & uoluptatis ardor animum ſic exagitat, ut omnis cogitatio ad exteriora uagetur, tunc huiuſmodi dæmones præſentes eſſe cognoſcito, quorum præſentia facit, ut ſpiritus naturaliter auidus in nobis excreſcat.

Hæc ibi, quæ & in libro de Abſtinentia eiſdem penè comprobat uerbis.

SVMMA

D

SVMMA MARSILIANA.

Quòd non omnia fatali neceßitate proueniant. *Cap.* I.

QVONIAM uerò deſideras, Laurenti, ſeorſum quid de his Marſilius Ficinus ſentiat intelligere, rem ipſam ab alio rurſum exordio repetam: Ipſum bonum omnibus prouidere conſtat, ex ordine rerum omnium ad certum finem mirabiliter inſtituto. In quo quidem ordine & ſingula ubiq; ad bonum proprium diriguntur, & cuncta ſimul ad bonum cõmune conducunt. Et ſi mirum uideri poteſt, ipſum bonum in ordine prouidentiæ ſuæ permittere malum, ſatis tamen conſtat, id ſæpe permittere, uidelicet gratia boni, dum rerum præſentium permittit interitum, ut infinitæ deinceps nouarum formarum facies generentur: quas quidem exiſtere ſimul, neq; formarum repugnantia patitur, neq; locus admittit. Cùm uerò Deus ſit bonitas ipſa ſimpliciter, non tamen ſimpliciter ſit ipſa neceſsitas, ſed quantum ſpectat ad bonum, magis uidetur (ut ita dixerim) opponi malum Deo quàm contingentia. Itaq; ſi permittit malum, nimirum contingentiam quoq; permittit. Veruntamen ſicut malum ubiq; reducit in bonum, ita contingens paſsim in neceſſarium redigit. Quicquid enim dum futurum erat, fore contingere poterat atque non fore, id totum & dum iam eſt, neceſſarium eſt exiſtere, & cùm præterijt, neceſſarium præterijſſe: & collectis per conditionem undiq; circunſtantijs ex contingenti plerunq; neceſſarium uidetur euadere. Proinde non eſt putandum neceſsitatis oppoſitum ſecundum formalem rationem, eſſe ipſum quod dicitur impoſsibile: in ipſo enim formali neceſsitatis oppoſito nulla debet includi neceſsitas. hæc tamen in eo quòd impoſsibile eſt includitur. Impoſsibile enim eſt, quod eſſe non poteſt. Quod uerò nequit eſſe, neceſſarium eſt non eſſe. Item in ipſo neceſſario impoſsibile uidetur includi: quod enim neceſſarium eſt exiſtere, impoſsibile eſt non eſſe. Verùm igitur oppoſitum neceſſarij eſt contingens. Sicut enim ipſa neceſſarij ratio ad eſſe tantùm, uel non eſſe ſolùm definita eſt: ſic uiciſsim ratio contingentis ad eſſe uergit, pariter atque non eſſe. At uerò inter neceſſarium, id úe quod pariter contingit utriq;, medium uidetur eſſe contingens ut plurimum, cuius quidem oppoſitum rarius accidit. Sic itaq; humanam ſpeciem eſſe neceſſarium eſt: hominem uerò hunc & illum moueri uel quieſcere pariter accidit. Hominis manum habere digitos quinq; cõtingit ut plurimum, rarius autem ſex habere uel quatuor: Eſſe autem ipſum æquè ad utrunq; contingens rerum ordo requirit, ut ſi datur neceſſarium, detur & ipſius oppoſitũ: in qua quidem oppoſitione propria, ipſius quod dicitur ens, diſtinctio reperitur. Sic ergo, ſi dandum eſt oppoſitum neceſſariò ratione formali, extare oportet ipſum pariter ad utrunq; contingens. Rurſum ſi dandum eidem eſt oppoſitum ratione materiæ, dicemus ei quod eſſe neceſſarium eſt opponi, quòd impoſsibile ſit exiſtere. Inter hæc uerò medium poſsibile collocabimus. id autem eſt contingens: tum ſæpius quòd neceſſariò potius appropinquat, tum rarius quòd declinare uidetur ad impoſsibile: tum indifferenter eſſe uel non eſſe contingens, quod ſanè concedendum eſt tanquam uerum & æquè diſtans, hac ratione medium inter neceſſariũ eſſe, atq; impoſsibile fore. Naſcitur uerò contingens ipſo rerum ordine per gradus continuè plurimos deſcendente: quo quidem in ordine, quæ propinquiora ſunt, primò penitus immobilia ſunt, ipſi uidelicet intellectus: Animæ deinde tanquam paulò remotiores motu tantùm formali mouentur ſubſtantiam non mutante. Cæleſtes ſubinde ſubſtantiq; dum ipſæ quoq; permanent, locali interim quodam motu uoluuntur, & formali rurſus quatenus configurationes quaſdam uiciſsim orbe commutant: ſed mouentur (ut ita dixerim) immobiliter, quatenus eodem ſemper ordine neceſſario reuoluuntur. Ad hæc autem conſequens eſt, ut quæ ſub cælo ſunt, iam mobiliter moueantur. In hac ſanè uaga motionum ſorte naſcitur contingentia, dum quæ ita mouentur, à proprio nonnunquam ſolutoq; ordine digredi & præuaricari uidentur, quamuis communem ordinem uniuerſi tranſgredi nequeant. Cùm enim per plurimos deinceps agentium gradus & uirtus efficax minuatur, & complurima tandem repugnantium formarum confluat multitudo, nimirum ſequitur, ut propria quæque natura ab officio quandoque deficiat, dum paulatim debilitata uirtus aliquando diuerſorum occurſu facilius impeditur. Sic itaque ſeminaria plantæ animalis úe natura prolem ſuam neque parit ſemper, neque oportunè parit ubique, neque perfectam. Quamuis igitur quantum ad naturam cæleſtem pertinet rem proculdubio neceſſariam, abſoluta proles hæc plantæ uel animalis certis foret temporibus prouentura. Contingit tamen interdum non euenire, uel non prouenire perfectam, quando ſcilicet natura generantis propria uel intrinſecus deficit, uel impeditur extrinſecus. Sæpe quidem præſens diſpoſitio cæli certam quandam in hac materia qualitatem iamiam productura uidetur: at diuerſa materiæ qualitas ex propinquis cauſis conditionibuſq; contracta,

E

F

A tracta effectum cæli aliter alitér ue permutat. Neque nobis obijciat aliquis, hanc quoque materiæ qualitatem iccirco à cælestibus euenisse, quia propinquæ causæ à cælestibus moueantur. Esto moueantur quidem, sed pro natura sua: neque enim uel Deus, dum per cælum agit inferiora, auferet sua munera cælo: uel cælum cùm per causas inferiores agit in nostra, interim proprias naturales ýs causis uires actionésque subducit. Cùm igitur effectus uniuscuiusq; forma simul atque conditio pro affectione materiæ soleat prouenire, ipsaq; materiæ huius affectio à cælestibus quidem communiori quodam pacto, à propinquioribus uerò causis modò penitus proprio fiat, sequitur ut propria effectus terreni conditio talis proueniat potius, qualem causa propinqua materiam afficiendo requirit, quàm qualem tentare uel inchoare causa remota uidetur. Non enim si causa remota necessaria est, mox euentus inde omnis prouenit necessarius, nisi etiam causa propinquior necessaria fuerit. Iam uerò manifestum est, quòd sæpe iam dicimus effectus singulos causis ubique proprijs similiores euadere quàm remotis, ut plantæ & animalia quælibet, non tam cælestibus similia iudicantur, quàm proprijs genitoribus & seminibus unde nascuntur: ex quo patet, effectus eiusmodi naturam sortemq; suorum seminum sequi, potius quàm cælestium, ac pro conditione familiarium causarum, rerumq; omnium circunstantium quæ omnino mutabilis est, mutabiliter euenire, non necessariò pro conditione cælestium: & meritò, quorum natura non necessariò suum retinet esse, sed ab eo deficere potest, eorundem quoq; uirtus non necessariò agit, sed interdum cadit ab actione. Quam obrem quæ necessaria fore forsan iudicarentur ex cælo, eadem apud nos ex hac materia regioneq; contingenter eueniunt. Materia, inquam, quoniam omnium æquè formarum semper est auida. Regione, inquam, quoniam innumerabiles hic & inter se pugnantes confluunt qualitates. Influxum
B ergo cælestem proprio quodam ordine quandoque ad certum aliquid processurum, tum materia hæc aliorum quoque auida, facileq; capax & confunditur cum alijs & perdit, subinde aliud receptura, tum regio plena discordium qualitatum commiscet protinus atque transformat, ut uix certum aliquid hic cælitus oriatur, & uix quale sit nasciturum ualeas coniectare, nisi fortè circunspexeris uniuersum: ut quot qualés ue tum ex alto, tum è medio, tum ex infimo causæ conditionesq; quolibet momento confluant: quid ue rursus & quale consurgat ex cunctis perpendere possis. Proinde si natura corporea quæ & manifestius corpori cælesti subijcitur, & ad unum quiddam potissimum determinata uidetur, non necessariò cælestes admittit influxus: tales dico prorsus, quales mittuntur è cælo, multò minus rationalis anima, cuius notio motioq; & intima & latissima est, & sæpe genus corporale transgreditur, corporiq; repugnat, cælestem instinctum necessariò sequitur: cui sanè frustrà natura dedisset, ut quotidie consultando possit pro coniecturarum diuersitate plura inter se opposita in consultatione proponere, nisi posset ad utrumlibet eligendo seducere: non posset autem ad utrumlibet se conferre, si certa quotidie constitutione cæli compelleretur ad certum. Accedit ad hæc quòd cum diuina prouidentia permittat in rebus naturalibus quandam ad utrumlibet contingentiam, ex earum defectu nascentem: multò magis in agentibus uoluntarijs ubi hæc ex perfectione oritur, permittit eandem, quæ profectò magis admodum horum propria est: quippe cum illa quidem ex impressa tantùm forma, hæc autem ex concepta insuper notione moueantur & agant.

Adde quòd omnis cælestis instinctus quatenus è cælo est proximo diuinæ prouidentiæ instru-
C mento, atque inde mirabiliter ordinato, ad optimum semper certoq; ordine ducit. Quòd igitur absque ordine recto sæpe uagemur, & ab optimo sæpius aberremus, non à cælo quidem, & multò minus à motore cæli, sed à propria nostri generis, aut moris, aut fortunæ conditione contingit. Iam uerò si generis nostri morisq; proprietas cælestem influxum ex ordinato bonoq; in oppositum peruertere potest, multò facilius ex qualibet alia qualitate in aliam sæpe conuertere. Dedit natura communis per grauitatem graubus ut descenderent. Descendent igitur omnia grauia quodam naturæ communis impulsu, nisi forsan impediantur. Impediri uerò proculdubio possunt, ne moueâtur: sæpe etiam incitari, ut rapacius quàm natura ferat, præcipitentur: tum uerò pro diuersitate figuræ siue naturalis, siue artificiosæ aliter per decliuia, alitérue descendent. Aliter enim sphæra, aliter chylindrus, aliter angularis figura labetur: quòd quidem Chrysippus ille fatetur, fati cælestis magnus assertor. Ergo similiter præsens hæc aut illa constitutio cæli his hac hora nascentibus, atque illis communiter tum in corpore calorem, tum in animo uehementiam illatura uidetur: sed in hoc quidem natura parentum, loci, temporis, nutrimenti frigida humidaq; imminentem cæli uim temperat, & conuertit forsitan ad oppositum. In illo autem eorundem calida siccaq; natura, moderatam quodammodo qualitatem cælitus uenientem producit in nimiam. Rursum tum propriæ uariæq; naturæ generantium atque nascentium, tum leges consuetudinesq; diuersæ impulsum tam animi quàm corporis talem cælitus descendentem uaria inter se graduum modorumq; sorte distinguunt. Quo factum est, quemadmodū sæpe diximus, ut non tam pro agentis natura præsertim remoti, quàm pro

D conditione propinquiorum agentium, & denique pro affectione materiæ, ac diſpoſitione loci ſæpius effectus ſoleant exoriri. Quid plura? Radius Solis idem aliud aliterq; agit, ſi ex recto quàm ſi ex obliquo percutiat: ſi per aerem ſerenum, quàm ſi per caliginoſum tranſeat. Caliginoſum uerò aerem non tam cæleſtia quàm terreſtria reddunt: item aliud agit, ſi ceram, quàm ſi lutum aggrediatur: hanc enim liquefacit, hoc exſiccat. Rurſum ſi glaciem quàm ſi criſtallum: illam aliquando fundit, hoc uerò nunquam. Si niuem in cacumine montis, quàm ſi in concauo montis inuadat: illam enim tardius admodum, hanc citius liquefacit. Licet & hic ſæpe uidere in eodem cacumine niuem eodem delapſam tempore, qua parte ad meridiem uergit, citius admodum extillare: qua uerò ad ſeptentrionem, durare diutius, quamuis pars à parte uix cubito diſtet, tantum efficit uel breuis diſcrepantia ſitus. Denique radius ſi ad breue tempus agat, ſæpe caligines congregat: ſi ad longum, diſgregat: & aliter per aperta, aliter per concaua facit, & alijs quidem eodem tempore prodeſt, alijs uerò uel in eodem loco nocet. Tantùm uerò ſuperiorum uires mutantur ex loco atque materia, ut cùm ad motum Lunæ aquæ plerunq; creſcant atq; decreſcant, non tamen omnes id aquę faciant: nam & mare non ubiq; id patitur aut æquè: atq; ubi maximè uidetur id obſeruare, uento ſæpe contrario impeditur excreſcere. Sunt propriæ locorum ſub quolibet ſidere qualitates, aliæ quidem paluſtrium, aliæ uerò campeſtriũ puriorum, aliæ autem domeſticorum collium, aliq; uerò ſyluęſtrium. Item pro uarietate caloris, frigoris, ſiccitatis, humoris, uentorũ, uaporum, fluminum, uallium qualitates longè diuerſæ, quodcunq; ſidus immineat: unde & differentes ætatum termini, & uariæ corpo-

E rum habitudines diuerſi ingeniorum captus proficiſcuntur. Quocunq; momento naſcantur, multi ſimul nati, quia diuerſis in locis habitant, non ſimul ægrotant: multi non ſimul nati, ex uento & nebula & uapore ſimili ſimul ægrotant: & quocunq; tempore nati ſint, & in quacunq; ætate ſint conſtituti, ſimul in morbos incidunt, qui in regionem contagioſam pariter confluxerunt. Profectò quamuis uniuerſales ſuperioresq; cauſæ uim habeant in effectibus amplam, intimam, diuturnã: mediæ tamen cauſæ potiſsimumq; propinquæ ad proprias euentuum qualitates quãplurimum ac ferè totum poſſunt: quo fit, ut effectus eis admodum ſimiliores euadant. Communiſsimi enim influxus cauſarum longinquiorũ perſequentes cauſas gradatim determinantur, atq; diſtinguuntur: ſic uiuifica cæli uirtus communiter fauens omnibus naſcituris, in diuerſis plantarum & animalium ſpeciebus ad eas ipſas ſpecies definitur: in ſingulis quoq; ſub ſpecie ad proprietates contrahitur ſingulares. Actiones deinde paſſionesq; naturales rerum tales potiſsimum aut tales ſingularia indiuiduorum principia in primis, & ſpecialia inſuper potius quàm cõmuniſsima ubiq; ſequuntur. præſertim quando principia communiſsima ſunt æquiuoca, ac genere ab effectibus diuerſiſsima, talia eſſe cæleſtia nemo negat. Cæterùm ne quis forſan obijciat, quicquid eſt in ſecundis cauſis, à primis ineſſe, ac deinceps quicquid in tertijs reperitur, tribui penitus à ſecũdis: atq; ita nihil ullo modo à ſequentibus cauſis prouenire, quin ſimiliter à ſuperioribus quoq; proueniat. Memẽto, cauſæ ſequentis naturam non ſolùm eſſe ſuperiori ſimilem, quatenus habet inde, ſed etiam diſſimilẽ, quatenus extra proceſsit, neq; ſolùm degenerauit inde, ſed inſuper aliud quiddam & qualitate quadam propria differens iam euaſit: ſicut radius in cælo mulcens, in terra uorans: item in cælo nitens, in nube rubens,

F ut non mirũ ſit aliquid hinc ſubinde fieri tale, quale propriè non prouenit inde. itaq; multa per cauſas cælo inferiores effici talia paſsim atque talia, qualia non efficiuntur à cælo. Memento rurſum has ſub Luna cauſas ſortiri uires à uita mundi non ſolùm per cæleſtia, ſed etiam proximè per uegetalem animæ uim ubique uigentem, ſicut & animalis uita multa dat pedibus manibuſq; per membra præcipua: multa etiam per ſeipſam, & quæ dat per membra præcipua etiam transformantur in illis. Memento denique, ex omnium cauſarum concurſu conſurgere uim, quæ proprie reperitur in nullis, ſicut ex confluxu materiarum & qualitatum materia quædam noua, qualitas ue reſultat. Neque uerò negabit omnino ſub neceſſarijs contingentia legitimus ille Platonicus, qui ſub unitate multitudinem, ſub ſtatu motum contemplatur ritè naſcentem, atque res ipſas ab unitate ſtatuque ſimplici per certam multitudinem mobilitatemq; longo graduum tractu ad innumerabilem fermè numerum & incertam mobilitatem denique peruenire: in quo quidem ampliſsimo graduum differentium ordine decus bonumq; uniuerſi conſtitit. Quamobrem ſingulæ ſingulorum motiones & paſsiones, quæ in multitudinem mobilitatemq; infinitæ multiplicem uariantur, non poſſunt per uires motionesq; cæleſtes, quæ certo numero definitæ ſunt, & ordine certo procedunt, ita ut continuè uariantur, diſtribui propriè atque duci: niſi fortè quiſpiam ita deliret, ut ſingulos etiam delirantium & ludentium puerorũ motus, quouis momento ſingulis cæleſtium aſsignet influxibus, ut nec aliter moueantur manus, pedes, digiti, labia, oculi, ſenſus, imaginatio momento quolibet, quàm cæleſtis ille decernat influxus. Sic ad illius normam innumerabilium locuſtarum ſaltus deſcribatur, muſcarumq; uolatus, & offenſiones quælibet illatæ quibuslibet. Sed profectò non omnia fiunt prorſus

& compel-

A & compelluntur à cælo: imò & cælum opera actionesq; elementorum & mixtorum plantarumq; & animalium non efficit ſine illis, atque ignis ſub quolibet ſidere calefacit, & generat ignem proprietate naturæ: neque ſub ullo ſidere frigefacit, uel generat aquam, cæteraq; ſimiliter. Quamobrem quomodocunq; ſe cælum habeat, continuè naturalia quælibet, tam non uiuentia q̃ uiuentia pro natura ſua, impulſu, occaſione, indigentia, imaginatione ita potius agunt, aut ita huc potius, aut illuc manifeſtè feruntur: atque hæc omnia quòd ſint, uiuantq; communiter, & agere communiter moueréq; poſſint, ac moueri habẽt cæleſti fauore. Quòd autem in tali ſpecie & ſingulari proprietate ſint, à genitoribus habent atque loco, & quia talia taliter agunt. Quòd uerò tot talés ue in uniuerſo ſint ſpecies, tum ex idealibus diuinæ mentis prouenit ſpeciebus, tum ex rationibus animæ ſeminalibus, Ipſa enim ſpecialis diſtinctio rerum neque caſu accidit, quum ſemper ordinatiſſima ſit: neque ex materia ſit prorſus informi, quum ipſa ſit mira formoſitas ſubiecto formato præſtantior: neque uel ex mobili cæleſtium habitudine, ipſa enim eſt immobilis ac prorſus æterna, uel ex cæleſtibus formis duntaxat atq; figuris, quum & in cælo ſpecies ita deſcribi non poſſint, & multæ ſint rerum ſpecies incorporeæ, & formalis ipſarum ordo artificioſè directus ad finem, ab intelligentia quadam præſcribente finem debeat, proficiſci.

Confirmatio contra cæleſte fatum per Alexandrum, Enomaum, Diogenianum, Ptolemæum. Cap. II.

B ALexander Aphrodiſius in libro de Fato ad Antonium Chryſippi opinionem de fato refutat, multisq; argumentis oſtendit, nihil aliud eſſe fatum uel fatale, quàm quod natura ſit, & oſtendit præter naturam etiam fieri nõnulla, quum interdum accidat impedimento quodam naturam detineri. Quum ergo præter naturam quædam fiant, profectò ſi natura fieri eſt fato fieri, fient etiam præter fatum, atque ita ſubdit: Videmus corpora humana ægrotationibus aliis aliud ſecundum particularem eorum naturam eſſe ſubiecta. Scimus quinetiam naturalem eiuſmodi corporum habitudinem diligenti norma uiuendi, & medicorum arte, & deorum conſilio in melius uerti: quod ſimiliter animo quoque accidit: nam præter naturalem inclinationem eius quam complexione corporis habet, exercitio atque doctrina ſæpe fit melior. Vnde quum phyſiognomon Zopyrus turpia quædam de Socrate, & à uirtute ipſius aliena dixiſſet, & à multis iccirco derideretur: reſpondit Socrates: Non errat Zopyrus. Talis enim natura forem, niſi naturã philoſophia ſuperauiſſem. Huiuſmodi ergo ſunt illa quibus natura præeſt: quæ naturalia nihil à fatalibus differunt. A fortuna uerò ea fiunt, quæ nullo modo intenduntur. Quando alterius gratia quædam fiunt, & aliud accidit quod ab initio nec ſperabatur quidem: ut ſi quis agrum fodiens, theſaurum reperiat, quum huius gratia non foderet, quæ certè non aguntur fato. Sunt autem cauſæ quædam hominibus prorſus ignotæ. Nonnulla enim ſuſpenſa collo morbo quoſdam curare dicuntur, in quibus nullam certam habemus cauſam. Excantationes etiam maleficaq; artes quam cauſam habeant, incertum eſt. Sed præter hæc nonnulla ſunt, quæ ad utrumlibet contingentia nominantur, quæ fato fieri omnino negamus, ut mouere pedem, leuare ſupercilia, tacere, loqui, cæteraq; huiuſmodi prorſus innumerabilia,
C quæ fieri fatis nullo modo dici poſſunt. Quòd enim fatale eſt, ſuſcipere contrarium nequit. Præterea conſilium hominis omnino uanum eſſe non debet. Eſſet autem fruſtrà, ſi quæcunque agimus, neceſſariò faceremus. Proculdubio autem id præter animalia cætera homo poſſidet, ut non ſimiliter atque illa phantaſiam ubique ſequatur, ſed rationem habeat, qua faciunda dijudicet: cuius quidem uſu quæ in phantaſiam inciderunt examinans: ſiquidem examinando probat, phantaſiæ concedit, atque ad agendum deinde mouetur. Sin autem improbat, illa reijcit expellitq;, obtemperans rationi. Itaque de his ſolummodo quæ agere poſſumus uel non agere, deliberare ſolemus: ac ſi quando conſilio non maturo, ſed cupiditate præcipiti aliquid perpetremus, poſtea nos ipſos temeritatis ſpretiq; conſilij crimine accuſamus, & omnes temerè aliquid agentes uituperamus, hortamúrque conſilio uti, quaſi nobis inſit agendi poteſtas. Quòd autem opinio quæ de fato habetur, falſa penitus ſit, inde patet, quòd etiam opinionis eiuſmodi auctores & docent, & diſcunt, & hortantur, & conſuluunt: increpant etiam, caſtigantq; ſuos tanquam propria uoluntate peccantes. quare uel ſecundum ipſos nulla eſt hæc fati neceſsitas. Libertas igitur noſtra natura omnibus ineſt: plura tamen non eſſe noſtræ poteſtatis concedimus, ut quæ natura uel fortuna fiunt, quæ nullus ſubiecta fatis dicere prorſus audebit. Hæc Alexander. Similia fermè tradit Enomaus philoſophus contra Chryſippum, concludens animalia bruta proprio quodam appetitu quolibet momento utcunque contingit moueri, potius quàm neceſſaria quapiam ſerie cauſarum, multoq; magis homines proprio conſilio uiuere: qui etiam multas ex cauſis quo minus concurrant ad effectum conficiendum

D ſua poſsint induſtria permutare. Confirmat eadem Diogenianus philoſophus in libro contra Chry
ſippũ, probatq; nõ omnia fieri neceſſaria quadam ſerie cauſarum incuitabiliter concurrentium: ſed & alia inſuper propria quadam & ſingulari natura, alia uerò fortuna, alia conſilio noſtro, alia uoluntate deorũ. Confirmat Ptolemæus & ſæpe alibi, & in Quadripartito, dicens, effectus & à Deo in cæleſtia, & à cæleſtibus inter ſe indiſſolubili quadam ſerie proficiſci: ſed à cœleſtibus aduerſus inferiora non ſemper incuitabiliter & ordine cælitus inchoato. Permutari enim & impediri poſſe tũ naturis inferioribus aliquando repugnantibus, tum arte ſimul atq; conſilio. Tum uerò in libro de iudicijs inquit, homines non ſemper ſequi generales inſtinctus cælitus inſtitutos propter particulares locorum generantiumq; naturas, ex propter conſuetudines uarias, atq; regionum occaſiones ad quędam proprię prouocantes uel adiuuantes.

Confirmatio ſuperiorum per Bardeſanem Syrum perq; alios & per Marſilium ipſum. Cap. III.

BArdeſanes Syrus quem tradunt aſtronomia Caldęorum omnium ſapientiſsimum extitiſſe, longo quodam dialogo diſputat: bruta quidem ferri ſingulatim ad propria quædam inſtinctu naturæ: homines autem præter naturalem inſtinctum poſsidere mentem, & orationem quæ à mente profertur, cuius munere non omnino natura ferantur: unde uaria ſit hominum uita.
E Non uictus unus more brutorum, non ueſtitus idem, non mores ſimiles atq; leges, non cupiditas rerum ſimplex: ſed pro arbitrio ſit uarijs electio differens, ac uitæ inſtitutio uaria. Hinc ergo probat non natura paſsim hominem ferri: quoniam una in omnibus ſit natura, ſtudia uerò diuerſa. Narrat ſubinde longo quodam ordine quàm diuerſæ leges moresq; ſint gentibus, quibus actiones quædam prohibeantur, uel etiam permittantur: quæ quidem inſtitutiones ſeruentur ab eis quacunq; hora naſcantur, & ad quancunq; transmigrauerint regionem: neq; ulla poſitione ſiderum aut in geneſi, aut in loco regnante aliter agere compellantur. quaſi firmior ſit ad uiuendi normam in legibus & moribus, quàm in ſideribus auctoritas. Subdit uerò poſt multa hunc in modum: Omnes Iudæi Moſayca lege octaua die pueros circumcidunt, nec alicuius ſtellæ ui ad talia compelluntur, nec regionis natura coguntur, nec alienis moribus unquam ut aliter faciant adducuntur: profectò ubicunq; ſunt, legem ſuam ſeruant. quod neceſsitate natiuitatis fieri nullo modo poteſt. Non enim poſsibile eſt, eandem natiuitatem Iudęos omnes habere, ut ſimul nati ſimiliter octauo die ſanguinem fundant, uel ſeptimo quoq; die pariter conquieſcant. Quid autem dicemus de Chriſtianorum ſecta, qui in omni orbis parte, imò uerò in omni ciuitate reperiuntur: & ubicunque ſint, ut alienis legibus moribusq; uiuant, cogi non poſſunt: nec genetriaca neceſsitate, aut principis alicuius imperio compelluntur, ut quæ nefanda magiſter eorum duxit, facienda putent: ſed paupertatem, labores, ignominiam, cruciatus intolerabiles ſufferunt. Proinde ſi omnia poteſtatis eſſent noſtræ, nos eſſemus uniuerſum: ſin uerò nihil poſſemus, aliorum eſſemus inſtrumenta, neque uoluntate noſtra quicquã ageremus: Deo autem uolente, nihil impediri poteſt: illius enim poteſtati
F cuncta ſubduntur, qui unicuiq; naturæ præcipuum aliquid eſt largitus: homini autem illud dedit eximium, ut libertate uoluntatis atque iudicij uteretur. Oſtendit inter hæc uanum eſſe terrarum quidem orbem in ſeptem climata partiri, & alium planetarum dicere in alio climate dominari: quorum uirtute paſsim ſint conditæ leges: nam etſi terrarum orbis ſeptem partibus diuidatur, in ſingulis tamen partibus multas, nec ſeptem ſolummodo, ſeptem planetarum inſtar: nec rurſum duodecim, ad duodecim numerum ſignorum: nec triginta ſex, ad numerum triginta & ſex facierum, ſed in numerabiles legum aſſerit differentias inueniri, quarum inſtitutionibus alij aliter uiuant, ad quamcunque cõmigrauerint regionem. Eadem omnino eiſdem penè uerbis confirmat Clemẽs ſectator Apoſtolorum: confirmat experientia morũ. Vbi enim impunè peccare licet, etiam modeſtiores peccant: ubi uerò & quando acrius animaduertitur in peccantes, etiã qui naturaliter inſtigantur, ad ſcelera cohibentur. Sæpe etiã pro maiori minoriúe occaſione, cõmoditate q; magis minúſ ue peccatur, uel etiam rectè agitur. Confirmãt eadem Ariſtoteles & Plutarchus potiſsimũ auctoritate Lycurgi, quem tradunt oſtendere uolentem, quantum præ cæteris lex, & conſuetudo, & educatio ualeat: catulos geminos eiuſdem partus educauiſſe, qui quatenus à Lycurgo diſsimiliter educati fuerint, eatenus euaſerint inter ſe diſsimiles. Quòd ſi educatio in brutis ſuperat paritatem geneſis & parentum, multò magis in hominibus ſuperare poteſt. Iam uerò quantum conſuetudo & diligentia ualeat, longa narratione Plutarchus oſtendit, ubi ſcribit multos natura ſemper infirmos, diligentia ſola ſenium impleuiſſe. Mitto quid de Phyleta poeta, & Mecœnate ſcripſerit, cæteriſq; ue permultis. Ariſtoteles profectò ſcribit, Herodicum quendam literatum uirum, ſed admodum ualitudinarium, ſola uictus diligentia centum annos impleuiſſe. Qua de re Plato etiam teſtis eſt in Republica.

Sed quid

A Sed quid opus eſt teſtibus? Et nos cognouimus ſimiles,& miros medicinæ & diligentiæ fructus ſæpius experti ſumus, atque ex diuerſa conſuetudine, educatione, diſciplina diuerſitatem plurimam in corporibus moribuſq; & ingenijs proficiſci, & quod Phyſici omnes cõprobant,compertum habemus in plurimis conſuetudinem ipſam alteram eſſe naturam. Conſuetudinem uerò ſcimus,non quadam naturali neceſsitate conſtare, ſed uel legibus publicisq; moribus, uel exemplo & diſciplina priuata,uel fortunâ & occaſione quadam, uel proprio quodam conſilio opinioneq; prouenire, aut etiam ex his omnibus congregari. Sæpe quinetiã conſuetudo regionis & temporis & alicuius præſtantioris exemplum,muſicos facit multos & poetas,uel oratores, atque pictores,uel etiam uenatores potius quàm certa natiuitas. Et quando natiuitas inchoat,non tamen abſoluitur, niſi pro facultate naſcentium,& regionis & temporum. Sæpe militaris uel regia domus milites efficit atque reges potius quàm natiuitas. Imitatione bonorum multi quotidie fiunt boni, mali uerò imitatione malorum,quocunque ſidere nati fuerint: ſicut ex contagione per unum multi ſubinde languent,non tam ſtellis quàm ueneno contagionis infecti.Quid plura? quantum poſsit facultas regionis & hominum inſtitutio declaratur,ex eo quòd nullum ſidus piſcatores facit & uenatores, ubi nulla facultas, nulla conſuetudo piſcandi eſt atque uenandi: atque uiciſsim omnes fermè ſub quolibet ſidere nati piſcantur atque uenantur, ubi & occaſio & uſus id & indigentia præſtat, quando & ubi conſueuerunt homines animalibus ueſci, animalia prorſus innumerabilia quotidie ante inſtitutum à natura tempus interimuntur: contrà uerò,animalia eadem conſeneſcunt, ſub quocunque ſidere nata dicantur.Similia de frugum pomorumq; deuaſtatione cõtingere, quocunque tempore coaluerint,
B pro conſuetudine hominum atque libidine,non pro fatali ſerie licet argumentari. Obſeruo equidem quotidie terminos aſpectuſq; planetarum, quid ue portendant, diligenter exploro. Mitto,quòd in die (ut dicitur) infortunato proſpera multis eueniunt: in die fortunato accidunt multis aduerſa, & quolibet momento certantes,alij quidem ſuperant,alij ſuperantur. Certè infelices aſtrologorũ dies ſæpe ſereniſsimi ſunt atque placidiſsimi, felices ſæpe contrà. Ego uerò expertus ſum tum corporum,tum animorum qualitates potius ad aeris differentias,quàm ad differentes ſtellarum aſpectus aliter atque aliter affici. Tandem compertum habeo, notatos planetarum effectus pro diuerſitate regionum atque hominũ longè differentes euadere. Si pluuia promittatur,alibi quidem pluit multum, alibi parum, alibi nihil ad differẽtias regionum. Si deſignentur diſcordiæ uel libidines,alij quidem ad hæc uehementius incitantur, alij uerò remiſsius,alij minimè: neque tantùm id pro corporum naturali uarietate, ſed etiam pro ætatum diuerſitate, imò etiam pro differentia educationis & diſciplinæ conſuetudinisq; & occaſionis differenter contingere uideo. Vt denique certus ſim, euentus è cælo quotidianos non ita prorſus ſicut cælitus deſtinati uidentur expleri, ſed aliter paſsim aliterq; contingere: Siquid uerò ad diſcrimen eiuſmodi momenti eſt,ex ipſo naſcendi momento in quo qualitas è cælo certa nobis dicatur infuſa. Aſſero ſimiliter illam non potuiſſe ad exactam cæli normam examuſsim in nobis exprimi, quippe cùm ad confundendam hanc expreſsionem multa ſub cælo tum ab initio,tum quotidie propriam adhibeant efficaciam uel paſsionem, quæ ſanè ſicut ſingula naturam habent longè à cæleſtibus differentẽ, ſic & cuncta congreſsionem progreſsionemq; non omnino cæleſtibus ordinibus congruentem. Confluunt igitur ſub cælo multa inuicem ſæpe aliter quàm ordo cæleſtis conciliaret: quemadmodum & ſæpe aliter animæ rationales agunt, quàm
C ſumma Dei ratio dictet. Concurrunt & plurima contingenter, uelut pulchritudo in homine ſimul atque eloquentia: nullum enim ordinem duo hæc inuicem habent, ex quo patet, ex nulla unquam determinata cauſa confluere ſimul. Ex hoc tamen concurſu perſuaſio uulgo cõtingit uberior. quod quidem pulcher homo ſit,ex certa cauſa fieri poteſt. Item quòd eloquens, ex cauſa certa, quamuis alia. Quòd autem ambo ſint ſimul, ex quorum congreſſu facilis naſcitur perſuaſio, ex nulla uidetur determinata cauſa fieri, alioquin ordinem haberent inuicem neceſſariũ. Nunc uerò pulchro accidit fortuitò, ut ſit eloquens,atq; à conuerſo: neq; quia pulcher aut albus,ideo neceſſariò eloquens, neq; uiciſsim. Hunc ergo ſimilesq; concurſus uelut fortuitos in cauſam determinatam referre non potes. Falſum eſt igitur omnia ex determinata quadam cauſa proficiſci. Falſum quoq; eſt, poſita alicuius determinata quadam cauſa,illud mox neceſſariò perfici. Cadit enim ex diuerſis paſsim impedimentum ex inferioribus tum inter ſe ſibi repugnantibus,tum aduerſum cæleſtia cæleſtium ordini reſiſtentibus, duriusq; cedentibus,atque confundentibus, tum caſu inuicem confluentibus. Accedit ad naturalia permutanda,tam animalis motus q̃ rationalis naturæ cõſilium,aut unius, aut etiã plurimorũ,ſiue cõſentiãt inter ſe, ſiue diſsideant. Quamobrẽ cũ falſa ſunt illa duo,quibus potiſsimũ aſſertores fati nituntur,cõſtat non omnia fato,ideſt,neceſſaria cauſarũ ſerie cælitus dependentiũ prouenire. Iuuat autem præſentem diſputationem auctoritate quadam prophetica ſimul regiaq; concludere. Apud Syneſium Platonicum rex Aegyptiorum idemq; (ut ille ait) Propheta, rerumq; peritiſsi-

ARGVMENTVM MARSILII FICINI.

D mus diuinarum, cum imperium Oſiri filio traderet, admonet eum, ut Typhonem fratrem è medio tollat, ſic dicens: quaſi peſtem quandam & fatum iniquum fratrem tuum ſi rectè ſentis remouendum cura: ut tuum Aegyptiorumq; omnium fatum aduerſum occupes, & conſilio ne inuadat prohibeas: licet enim ac fieri poteſt.

LIBRORVM TERTIAE ENNEADIS PLOTINI PHILOSOPHI SERIES. MARSILIO FICINO INTERPRETE.

Primus de fato.
Secũdus de prouidentia.
Tertius de prouidentia.
Quartus de familiari cuiuſq; dæmone
Quintus de amore.
Sextus de impaſsibilita te incorporeorum.
Septimus de æternitate & tempore.
Octauus de natura, & contemplatione, & vno.
Nonus de diuerſis meditationibus.

E

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS TERTIAE, LIBER PRIMVS DE FATO.

Alia ſunt: alia fiunt. quæ fiunt à cauſa ſunt: ac præter cauſas propinquas, ſæpe remotiores inueſtigare compellimur. Cap. Primum.

ORDO eorum quæ ſunt & quæ fiunt eiuſmodi eſſe debet, vt vel tam quæ ſunt, ſint per cauſam, quàm quæ fiunt, fiant quoq; per cauſam, vel vtraq; ſine cauſa, vel in vtriſq; partim quidem abſq; cauſa, partim verò ex cauſa: vel quæ fiunt quidem omnia ex cauſa veniant. Quæ verò exiſtunt, partim cauſam habeant, partim verò non habeant: vel exiſtentium nullum in

F cauſam referatur, aut viciſsim exiſtentia quidem omnia ſint ex cauſa. Quæ verò fiunt, partim quidem hoc modo, partim illo: vel eorũ nullum à cauſa veniat. Principiò in ordine rerum ſempiternarum, quæcunq; primæ ſunt, ob id ipſum quod primæ ſunt, in alias cauſas referri non poſſunt: quæcunq; verò pendent ex primis, eſſe ab illis accipiant. Actiones quoq; ſingulis ritè diſtribues, ſi referas in eſſentias. Id enim eſt illorum eſſe, actum videlicet eiuſmodi edere. In eorũ verò genere quæ fiunt, vel quæ ſemper quidem ſunt, non eundem tamen ſemper producunt actum, omnia prorſus fieri ſecundum cauſas affirmandum. Fieri verò aliquid ſine cauſa nullo modo debemus admittere: patefacientes videlicet aditum, vel inclinationibus incurſionibusq; vanis, vel repentinę corporum motioni nullo præcedente duceq; prodeunti, vel impetu animę temerario atq; ſubito, nullo videlicet animam incitante ad aliquid agendum eorum quę antea non agebat. Fortè verò ex hoc ipſo maior animam aſtringet neceſsitas, quod ſui ipſius minimè ſit: feratur autem eiuſmodi motionibus præter voluntatem atque cauſam propriam incidentibus. Aut enim volendum aliquid animam incitauit, ſiue id extra ſit, ſiue ſit intus: aut concupiſcendum aliquid prouocauit: alioquin ſi nihil proſequendum mouiſſet, nullo prorſus modo vſquam mota fuiſſet. Cum verò ſecundum cauſas fiant omnia, propinquas quidem ſingulis

cauſas

A cauſas facilè poſſumus inuenire, effectuſq; in eas reducere: Velut eundi in forũ cauſa propinqua eſt exiſtimatio per quam decernimus quendam inueniendũ, vel debitũ exigendum: atque omnino eligere hæc aut illa & proſequi. Deniq; ſimilium cauſa eſt opinio, in qua cuiq; videatur talia quædam eſſe efficienda. Et nonnulla quidem in artes referimus velut cauſas, ceu conualeſcentiam in medicinam atq; medicum. Et diuitiarum nuper accumulatarum cauſam in theſaurũ forte repertum, vel largitionem ab aliquo factam, vel labores, vel quæſtuariam artem. Similiter pater eſt filij cauſa, & ſiquid præterea conducit extrinſecus ad liberos procreandos. dum videlicet aliud procedit ab alio: Velut tales quidam cibi, vel aliquanto priora remotioraq; ad generandos filios conferentia, ceu fœmina ad fœtum partumq; aptior. Et omnino referimus in naturam.

Quia cauſæ ſæpe è propinquo ſufficientes non ſunt, ideo ſuperiores cauſæ indagantur. Vnde naſcitur opinio de fato in quatuor ſententias diſtributa. Cap. II.

HVcuſq; verò progreſſum ſubitò conquieſcere, neq; velle ad ſuperiora procedere, pigri forſan hominis videatur, eiusq; qui viris ad ſublimes cauſas aſcendentibus aures non præſtiterit. Quid enim in cauſa eſt, vt ijſdem proue-
B nientibus, velut apparẽte luna, alter quidem rapuerit, alter verò minimè? Atq; ſimilibus venientibus à continente cælo, vel aere, alter quidem egrotet, alter verò nequaquã? Quin etiam ex eiſdem operibus hic diues euadat, at ille pauper? Præterea varij ingeniorum modi, moresq; differentes, & fortunæ diuerſæ nos admonent, vt remotiores cauſas perſcrutemur. Itaq; cum Philoſophi nũquam in propinquis cauſis conquieſcere vellent, quicunq; principa corporea poſuerunt, velut atomos, earum motu impulſibusq; & complicationibus mutuis ſingula facientes, dixerunt ea conditione fieri, atq; ſe habere ſingula, qua illa principia coeunt, faciuntq; atq; patiuntur: noſtros quoq; impetus affectionesq; tales eſſe, quales illa faciunt. Hi ergo neceſsitatẽ hanc in principijs, & in ijs quæ ſunt ab illis, paſsim rebus inducunt: & quæcunq; alia quis corpora eſſe principia dicit, ab eisq; omnia fieri, is nimirum neceſsitati cuidam in his fundatæ, ſeruire omnia putat. Alij verò ad ipſum vniuerſi principium aſcendentes, ab ipſo cuncta deducunt: atq; cauſam hanc primam per omnia ſe diffundere, neq; mouere ſolùm, verùm etiam ſingula facere arbitrantur. Quam quidem & fatum vocant, fatum exiſtimantes cauſam potentiſsimam cuncta mouẽtem, non modò
C cætera quotcunq; fiunt, ſed cogitationes quoq; noſtras ex ipſius motionibus proficiſci: non aliter quàm in animali partes ſingulæ moueantur, non quidem à ſe ipſis, ſed ab eo quod in quolibet animali obtinet principatum. Alij præterea totius mundi circuitum omnia complectentem, motuq́ue ſingula facientem, atq; habitibus configurationibusq; ſtellarum tam errantium quàm non errantium mutuis peragentem fatum iudicant. Et prædictionibus per cæleſtia factis fræti, ſingula inde fieri arbitrantur. Poſſet inſuper aliquis alia quadam ratione deſcribere fatum, dicẽs, id eſſe complexionem mutuam cauſarũ, ſeriemq; connexam deſuper emanantem, per quam poſteriora ſemper prioribus obſecundent: atq; hæc ipſa poſteriora in præcedentia reflectantur, vt pote quę per ipſa fiant, & abſq; ipſis effici nequeant: quo efficiatur, vt antecedentibus ſemper ſequentia ſeruiant. Siquis autem bifariam hos diſtinxerit, à veritate forſan non aberrabit. Nempe alij quidem cuncta ab vno principio dependere putabunt: alij verò nequaquam. De quibus in ſequentibus diſputabitur. Inpræ
ſentia verò primùm quidem cum primis diſputare debemus: deinde & aliorum dicta deinceps conſiderare.

D *Neq; cogi neq; fieri à corporibus omnia: neq; fatum, neq; præſagium fore aliquid, ſi principia rerum fuerint contingentia. Cap. III.*

IMpoſsibile certè eſt & abſurdum corporeis cauſis cuncta committere, ſiue atomis, ſiue elementis, motioniq; corporum inordinatè ordinem & rationē & animam ducem ſubdere. Maximè verò impoſsibile eſt ſubijcere atomis, & de his quidem refellendis rationes multæ veræq; traditæ ſunt. Siquis autē principia poſuerit talia, neq; ſic tamē neceſſariū eſt, vel neceſsitate quadam per omnia, vel alio quodam pacto inde fatum ſequi. Pone primùm atomos eſſe: hæ igitur mouebuntur partim quidem deorſum, ſi modò quicquā ſit deorſum: partim verò è tranſuerſo, vtcunq; contigerit aliò videlicet aliæ. Nihil vtique omnino, ordine ſcilicet non exiſtente. Id ipſum verò factum, quando factum eſt, omnino. Quamobrem neq; prædictio, neq; vaticinium prorſus erit, neq; præſagiū vllum ex arte. Quo enim pacto in rebus inordinatis ars vlla eſſe poteſt? Neq; ex oraculo inſpiratione q; diuina, vel mentis inſtinctu. Nam in his quoq; oportet futurum iam eſſe determinatum: & corporibus quidem accidet ab atomis
E pulſantibus pati quæcunq; atomi ferant ex neceſsitate. Animæ verò actiones ſiue per deſcēſum, ſiue per qualēcūq; incidētiā atomorū faciet & paſsiones quibus nā motibus atomorum aſcribere poteris? Qui nam impulſus in anima tales quoſdā rationis diſcurſus, vel tales impetus, & Aut omnino diſcurſiones, vel impetus, vel motus neceſſariò, euenire, vel quomodocunq; etiā, euenire. Præterea quando animus perturbationibus corporis aduerſat̄, quid nā atomi ad idcū ducunt? Dic rurſus, per quas differētias atomorū homines cōpellant̄, vt alij quidē geometræ ſint, alij arithmetræ, atq; aſtronomi, alij ſapientes? Omnino verò libertas arbitrij opusq; noſtrū tolletur è medio, atq; id inſuper quod eſt animal eſſe. Ferremur enim quocunq; corpora trahant: ita, vt inanimata corpora nos impellentia. Eadem ſimiliter illis obijci poſſunt qui alia corpora eſſe omnium cauſas arbitrantur: quódue præterea calefacere, frigefacere, diſſoluere nos, & quęcunq; illis infirmiora ſunt poſſunt. Actiones verò quales parit anima ab his fieri nequeunt: ſed has oportet ab alio quodam principio fieri.

Non eſſe in uniuerſo tantùm unum agens. Cap. IIII.

F SEd nunquid vna quædam anima per cuncta diſcurrens ſingula peragit? adeo vt quodlibet ceu pars perferatur illuc quò ducit totum? Ferantur autē inde cauſæ conſequentes neceſsitate? atq; continuam horum omnium connexionem, fatum appellare debemus? Perinde ac ſi in planta habente principium à radice, aliquis plantæ fatum dicat diſpoſitionem ab ipſa radice per omnes plātæ partes quaſi gubernando diffuſam, conſpirationemq; mutuam, & actionem & paſsionem vna diſpenſatione cōtentā. At verò nimius hic neceſsitatis exceſſus fatiq; eiuſmodi conſtitutio ipſum fatum ſeriemq; cauſarum, & earum complexionem funditus aufert. Sicut enim in partib. noſtris à noſtro principali motis, abſurdum eſt dicere ſecundum fatalem ſeriem agitari: non enim aliud quidem eſt quod tradit motum, aliud verò quod accipit, ipſum quoq; proprium quendam habens impetum: ſed primum illud eſt quod crus etiam mouet: eodem modo ſi & inuerſo vnum erit omne faciens atq; patiens: neq; aliud prorſus ab alio ſecundum cauſas continuè reductas in aliud, certè non erit verum, omnia ſecundū cauſas fieri ſed erūt omnia vnū. Quapropter neq; nos ipſi nos erimus, neq; noſtrum opus vllum, neque ipſi ratiotinabimur: ſed alterius cuiuſdam ratiocinatio erit, alterius quoque conſilium: neque agemus ipſi quemad-

modum

A modum nunc neq; pedes calcitrant, ſed nos perpedes tanquam partes noſtras dicimur calcitrare. Oportet tamen quemlibet noſtrûm id propriè quod eſt exiſtere, actionesq; & cogitationes eſſe noſtras. Et vniuſcuiusq; vel honeſtas, vel turpes actiones ab ipſo vno quoq; procedere: neque decet vniuerſo actiones turpes aſcribere.

Neq; nos à cælo regi, neq; cætera à cælo tantùm, & neceſſariò fieri. Cap. V.

FOrtè verò non ita ſingula peraguntur. Verùm circuitus cæleſtium cuncta gubernans aſtrorumq; motus ſingula ita diſponunt, prout ſe mutuò inter ſe habent, ſecundum meridianum tempus atq; ſitum, & ortus, & occaſus, atq; congreſſus. Ab his vtiq; præſagientes prædicũt de his quæ circa vniuerſum, & quæ circa quemlibet futura ſunt. Neq; ſolùm qualis fortuna, ſed etiam qualis fermè cogitatio ſit futura. Videre licet alia quoq; animalia plantasq; ab ipſa illorum conſenſione tum augeri, tum minui, tum cætera ab illis omnia perpeti. Regiones quinetiam in terra inter ſe differre ſecundum habitum quendam ad vniuerſum, præcipuè verò per aſpectum ad ſolem. Sequi autem loci naturam apparet non ſolùm plantas & bruta, verùm etiam hominum ſpecies & magnitudines,
B & colores, iras, cupiditates, ſtudia, mores. Itaq; omnium auctoritas penes ipſum conſiſtere videtur vniuerſi circuitum. Ad hæc igitur primò dicendum eſt, hunc quoq; ſermonem, quamuis alio quodam pacto, ſuperioribus omnia noſtra ſubijcere, voluntates, paſsiones, vitia, impetus: nobis autem nihil aſsignare noſtrum, ſed nos exiſtimare tanquam lapides agitari, potius quàm tãquam homines quoddam ex nobis noſtraq; natura proprium munus habentes. Verùm tamen concedere decet noſtrum nobis opinariq; præterea peruenire quędam ab vniuerſo vſq; ad noſtra, quæ iam per ſe aliquid ſint, nobisq; propria. Sanè diſtinguendum eſt, quæ nam ipſi nos agamus: quæ ve neceſſariò patiamur, neq; cæleſtibus omnia concedenda. Exiſtimare debemus á regionibus aerisq; circunfuſi diuerſitate multa nobis accidere: velut in corporis complexione frigus atq; calorem, accidere quoque ab eorum qui gignuntur conditione. Nònne parentibus plurimum nati ſimiles oriuntur, tum forma atq; figura, tum quibuſdã animæ irrationalis affectibus? Quinimò ſæpe ſimiles forma ſunt ob communẽ loci naturam: quamplurimam tamen habent in moribus & cogitationibus differentiam, quaſi hæc ab alio quodam principio oriantur. Præterea repugnantia rationis aduerſus complexionem corporis atq; libidines ad hæc ſimiliter re-
C fellenda conducit. Sin autem ex eo quòd habitudinem ſtellarum ſuſpicientes ſingulis futura prænuntiant, ab illis quoq; fieri opinẽtur: perinde id ſe habebit, ac ſi aues eorum quæ ſignificant, cauſæ forent: ſimiliterq; ſi omnia quorum inſpectione vates præſagiunt, facere etiam quæ ſignificant dicerentur. Item ex his eadem perfectius conſiderare licet, quæ nato prædicit aſtrologus, ſuſpiciẽs ſtellarum diſpoſitionem, quando naſcitur, conſtitutam: quę quidem ſi dixerint non ſignificari tantùm á præſenti diſpoſitione, ſed fieri, ſępius mentientur. Nẽpe quando de generoſa ſtirpe iudicant dicentes, natum ex nobilibus patribus, vel matribus ortum: quónam pacto licet dicere hinc illa fieri quæ parentibus inſunt prius quam talis ſtellarum veniat diſpoſitio, cuius contemplatione prædicunt? Etenim parentum quoq; fortunas à filiorum generatione declarant. Rurſus futuras filiorum conditiones atque fortunas, ab ipſis parentibus circa illos, qui nondum ſunt nati, portendunt. A' fratrum quoque genituris ſæpe fratrum mortes: Item ex mulieribus virorum ſortes: viciſsimq; ex his illa dijudicãt. Quánam igitur ratione ſtellarum diſpoſitio cuiuſque propria facit ea, quæ iam ex patribus certa quadam conditione futura dicũtur? Aut enim priora illa ſunt

D efficientes cauſæ: aut ſi illa cauſæ non ſunt, neq; hæc etiam cauſæ erunt. Quinetiam filiorum forma parẽtibus ſimilis teſtatur pulchritudinem deformitatemq; ab ipſa ſtirpe, nõ ab aſtrorum motibus proficiſci. Probabile eſt inſuper eodem in tempore animalia omnigena homines q; ſimul oriri: in quibus eadem omnino oporteret accidere, quibuſcunq; ſtellarum eadem diſpoſitio imminet. Quo igitur modo homines ſimul & cætera per eaſdem cœli figuras exoriuntur?

Singula hic à naturis proprijs magis quàm à cœlo propriam in generatione accipiunt qualitatem quamuis à cœlo ſignificentur. Cap. VI.

SEd profectò ſingula ſecundum naturas ſuas fiunt. Equus quidem quoniam ex equo, homo autem quoniam ex homine naſcitur: quinetiam talis vel equus vel homo, quoniã fit ex tali. Conducat ad idem quoque cæli motus, concedens tamen genitoribus genitisq; quamplurimum. Tradant verò cæleſtia quantum ad corpus ſpectat multa, & hæc quidem conditione corporea, calores, frigora, complexiones corporum conſequentes: at quo nam pacto mores, & ſtudia, præſertim quæcunque non videntur corporum complexionibus obE ſequi: ceu quòd aliquis ſit grammaticus, vel geometra vel aleator, talisq; rei aut talis inuentor. Iam verò prauitas morum quomodo à cæleſtibus qui dij ſunt, hominibus dari poteſt? Et omnino quotcunque dare dicuntur mala, ipſi videlicet facti mali, propterea quod occidant, vel ſub terram ferantur, quaſi diuerſum aliquid patiantur, ſi nobis occiderint, non autem ſemper per cæleſtem ſphæram circumferantur, & quantum in ſe eſt, terram eadem ratione reſpiciãt. Neq; etiã dicendum eſt, deorum alium dum alio atque alio ſitu aſpicit alium, meliorem deteriorémue euadere: adeo ut affecti bene nobis etiam benefaciant, male uerò affecti noceant. Præſtat uerò dicere cœleſtia pro uniuerſi ſalute percurrere, ſed interim ad alium quendam uſum conducere: quo ſcilicet qui illa ſuſpiciunt quaſi literas, qui uidelicet literaturam eiuſmodi nouerint, futura legant, ex ipſis figuris comparatione quadam analogica indagãtes ſignificatum: quemadmodum ſiquis dixerit, auem per ſublimia peruolantem actiones quaſdam ſublimes ſignificare.

Qui neceſſariam rerum ſeriem introducunt ineuitabiliter ſingula peragentem auferunt tum infimis contingentiani, tum conſilio libertatem. Cap. VII.

F RElíquum eſt conſiderare opinionem dicentem cuncta ſimul implicari atque connecti, undé ſingulis conditio aſsignatur: ponentem quoque principium unum à quo per rationes ſeminales ſingula generentur. Eſt autem hæc opinio illi perſimilis, quæ dicit omnem habitum atque motum tum noſtrum tum uniuerſum, ab anima uniuerſi procedere. Et ſiquis uelit nobis & ſingulis condonare, ut nonnihil à nobis ipſis efficiamus, habet tamen omnino omnium neceſsitatem. Sanè omnibus unà cauſis comprehenſis impoſsibile eſt unumquodque non effici. Nihil enim præterea reliquum eſt, quod uel prohibere queat, uel aliter fieri fortè compellat: ſiquidem cuncta comprehendantur in fato. Cum uerò talia ſint ut ab uno principio profluant, nihil iam nobis aliud reſtat, niſi ut feramur quocunque nos illa compulerint. Nam & imaginationes cauſas ſequentur antecedentes: & impetus imaginationes comitabuntur: arbitriiq; libertas nomen erit inane. Non enim ex eo quòd ipſi nos aliquid impetu quodam aggredimur, arbitrij plus habebimus: quippe cum impetus omnis ab antecedẽtibus incitetur: iúſque noſtrum erit tale, quale animalium reliquorum infantiúmque atque furentium cæcis quibuſdam ſtimulis diſcurrentium. nam & in his ſunt impetus. Et per louem ſimilis fermè impetus eſt in igne, atque in

om-

A omnibus quotcunq; conditioni propriæ ſeruientia, ipſius inſtinctu præcipitantur. Id autem omnes perſpicuè contuentes non ambigunt. Verùm alias quaſdã huius impetus cauſas indagantes in hoc quaſi principio minimè conquieſcũt.

Quomodo anima ſit ſuper fatum, in fato, ſub fato. Cap. VIII.

QVæ nam igitur alia præter has reſtat cauſa, quę accedens nihil relinquat extra cauſam, conſequentiam rerum ordinemq; conſeruet, nos aliquid eſſe permittat, prædictiones vaticiniaq; non tollat. Animam itaq; oportet, quę aliud principium ſit, rerum ordinibus inſerentes. Neque vniuerſi tantùm, ſed etiam cuiuslibet animam vnà cum totius anima, vt pote quæ principium ſit non paruum cuncta contexere: cum videlicet anima non ſicut cætera ex ſeminibus oriatur, ſed in cauſarum generationem præcedentium ordine collocetur. Quãobrem quando à corpore ſemota uiuit, maximè ſui ipſius domina eſt atque libera, & extra mundanæ cauſæ poteſtatem: at infuſa corpori, haud amplius in omnibus dominandi auctoritatem habet uel libertatem: utpote quæ unà cum alijs iam fuerit ordinata: Fortunæ uerò, ſcilicet ea quæ circunſtant, quibus cum concidit profecta in medium, poſſunt quamplurimum, uſqueadeo ut anima propter
B circunſtantiam faciat multa: quædam uerò quodam imperio quocunque decreuerit agat. In pluribus ſanè dominatur anima, ſi melior ſit: in paucioribus verò, ſi peior. Aut enim complexioni corporis obſequens concupiſcere, uel irasci compellitur, aut paupertati ſuccumbens cuadit humiliori, aut admirata diuitias iam tumeſcit, aut exultans imperio tyrannidem iam exercet: anima verò bonitate naturæ fręta, ſi in eadem inciderit, his repugnat atque dominatur: potiúſque permutat ipſa quám permutetur: & partim quidem mutat, partim abſque culpa permittit.

Quomodo anima in fato ſit ut agens. Item de contingentia rerum. Cap. VIII.

NEceſſaria itaque ſunt quæcunque propoſito ſimul atque fortunis comprehenſa conficiuntur. Quid enim præter hęc eſſe queat? Cunctis autem unà cauſis comprehenſis omnino omnia fiunt. Inter illa quæ ſunt extrinſecus connumeratur & ſi quid ex uniuerſi motu unà cum ſequentibus cauſis conducit ad opus. Quotiens igitur anima ab externis iam mutata agit aliquid & aggreditur, quaſi cæco utens motu, neque actionem neque affectionem eiuſmodi uo-
C luntariam liberámque appellare debemus. Similiter quando ipſa ex ſeipſa peior exiſtens non rectis ubique, neque principalibus motionum exordijs utitur. At quotiens rationem puram & paſsionis expertem tanquam proprium ducem habens aggreditur, hanc ſolam aggreſsionem iudicare debemus in noſtro arbitrio ſitam eſſe, ueréque liberam: idque opus noſtrum exiſtere. Quod quidem non aliunde ducitur, ſed intrinſecus ab anima pura: Anima inquam à primo præcipuóque & proprio progreſſa principio, neque propter ignorantiam aberrante, vel à violentia libidinum ſuperata. Concupiſcentiæ nanque vehementius animam occupantes ducunt atque trahunt: neque permittunt ulterius penes nos actiones eſſe, ſed paſsiones.

Natura intellectualis agit liberè: ſed eius effectus aliquando impeditur in ratione. Cap. X.

RAtio tandem ſummatim iam concludit, omnia quidem ſecundum cauſas ſignificari atque fieri. Cauſas uerò geminas eſſe: partim uidelicet ad animam, partim ad circunſtantia pertinentes; item animas inter agendum ſi ſecun

Reprinted from the Transactions of the Ophthalmological Society of the United Kingdom, Vol. XXXIII, 1913.

A CASE OF DOUBLE CHOROIDAL RUPTURE WITH SUBSEQUENT CHOROIDAL HÆMORRHAGE

By Frederick Edridge-Green, M.D., F.R.C.P.

A beant, meritò non ex ſe ipſis, ſed à principio ſuperiore pendere. ideoq́ & quòd ſint, & quòd diſtinctæ ſint, aliunde ſortiri. Atque ita primam mundò diſtinctionis cauſam nõ eſſe materias: præſertim quia multa ſunt & inter ſe diſtincta: quorum nullum ex materia conſtat: atque ipſa materia à rebus immaterialibus non per aliam materiam ſegregatur: accedit ad hęc quòd agens quodlibet cum per formam agat, formam intendit uelut finem. Non igitur introductæ in uniuerſo ſunt formæ materiæ gratia, ſed & materia ut formæ naturales ſint, & materiæ ita paſſim afficiuntur & ita, ût formæ ſint tales. Diſtinctio uerò rerum ſecundum ſpeciem eſt per formas. Hæc ergo diſtinctio non ad materiam tanquam ad primam cauſam referri debet, ſed materia prorſus ad formas: quę quidem à cauſa per formã agente & intendente formam aliter aliter ue mouetur, & meritò, cũ materia uilior ſit quàm forma, non formæ ad materiam uelut ad finem, ſed uiciſsim materia refertur ad formas, dum uidelicet ab ipſa agentis ſupremi forma, & fit, & mouetur, & certis ubique modis afficitur. Diſtinctio itaque in uniuerſo formalis non ex conditione materiæ primùm, ſed ex autoris intentione procedit. Quicquid uerò uel materiam ſequitur, non tàm ad formale quàm ad deformæ declinat, uel materiæ quantæ diuiſionem, id ſpecialem non uariat formam.

Mundanus ordo non eſt ex diuerſitate principiorum.

SI quis rerum diuerſitatem admirans propterea primorum agentium diuerſitatem inducat uelut cauſam, conſiderare debet, utrum agentia inter ſe diuerſa ordinem illum inuicem habeant nec ne.
B Siquem cõmunem habent ordinem, hunc ex uno quodam ſuperiore poſsident. A quo ſunt illa, & *diſtincta ſunt*, & ſunt unita, ad quod rerum omnium diſtinctio tandem redigitur ut in cauſam: *At ſi agentia illa* ordinem nullum habere dicantur, & caſu concurrent, & nullus in rebus perpetuus ordo ſeruabitur.

Ordo rerum non accidit tantùm ex ſucceſsione rerum: ſed ex unius intentione.

SVnt qui multiplicium rerum diuerſitatem nequeant ex una mox cauſa deriuare, ſed exiſtiment gradatim creſcere multitudinem ex uno quodam in duo, è duobus iterum in tria deinceps, aut quatuor: ex eo uidelicet quòd prima cauſa omnino ſit ſimplex, prorſuſq́ue una, faciatque unum, quod non potens cauſæ puritati actuiq́ ſe prorſus æquare, in potentiam actúmque dilabitur. Sed hæc opinio effectibus quidem ſingulis cauſas determinatas aſsignat, toti uerò rerum diuerſitati nõ poteſt unam cauſam aſsignare, ſed totam ex cõcurſu omnium cauſarum opinabitur reſultare: atq́ ita fortuita quadam ſorte contingere. Proinde quod in uniuerſo eſt optimum, ſcilicet commune totius bonum in ordine cunctarum partium & diſtinctione conſiſtens, in optimam eorum quæ ſunt cauſam, eſt referendum. Diſtinctio itaque & diſpoſitio rerum, non ex ſequentium duntaxat gradibus cauſarum, ſed ex primæ cauſæ prouidentia proficiſcitur. Sed quis non uideat eſſe nefas, hoc ipſum quod in cunctis eſt optimum in defectum quendam redigere cauſarum? quatenus uidelicet cauſa ſequens à prioris cauſæ ſimplicitate degenerat. Iam uerò ſi integra diſpoſitio mundi, quæ in partium cunctarum ordine collocatur, ſicut ordo in diſtinctione conſiſtit: ſi inquam eiuſmodi di-
C ſpoſitio tanquam ultima forma mundi, optimumq́ munus maximeq́ formale, finisq́ omnium, ritè cauſæ primæ reſpondet, meritò huic diſpoſitioni ſequentes poſt Deum cauſæ ſeruiunt. Non igitur hæc uelut fortuitò ex cauſarum ſequentium paulatim actione reſultat: ſed ad hanc conſtituendam uel conſeruandam cauſæ ſequentes agunt quicquid agunt, uelut ad finem ipſis à cauſæ primæ mente præſcriptum. Qua quidem in mente ſi rerum eſt diſpoſitio deſignata, certè res omnes neceſsariò ſunt deſcriptæ. Ac ſi efficaciſsima illic intelligentia eſt, poſſunt complurima ſimul inde prodire: præſertim quia diuina uirtus & per unum actum agere quamplurima poteſt, & uelut immenſa non definitur ad unum: quòue ſimplicior eſt, eo (ut ita dicam) unita magis & fortior, & ad plura procreanda potentior. Deniq́ cum multa ſint, quæ propter miram eſſentiæ ſuæ ſimplicitatem perfectionemq́ non poſſunt aliunde quàm à prima cauſa proximè proficiſci, neceſſarium eſt rerum inter ſe diſtinctarum diſpoſitionem ex primæ cauſæ prouidentia ſequi. Huius intelligentia cum plurima poſsit, & quæ poteſt intelligat: ita demum opus ſibi facit perſimile, ſi multiplex uariumq́ confecerit: opusq́ ipſum in plurimis immenſam cauſæ copiam repræſentat, quam in uno uel paucis repræſentare nõ poteſt. Et cum in Deo tum bonitas ſit, tum diffuſio bonitatis, in opere nimirum diuino aptiſsimè refertur Deus: ſi bonum, & in ſubſtantia fuerit, & eminus diffundatur in alia, quæ quidem diffuſio fieri nequit, niſi rerum diuerſitas & inæqualitas inſit. inæqualitas inquam ſecundum ſpeciem. Sic enim perfectiſsima in mundo multitudo erit, maximeq́ formalis, ſi ſpecies quamplurimæ fuerint.

D

Fines rerum & motionum declarant res diuina prouidentia fieri, diſponi, moueri.

PRoinde apud medicos cæteroſq; phyſicos exploratum eſt, ſublata finis aſſignationem nō poſſe ulla in re diſpoſitionum motionumq; naturalium cauſas aſsignari. Tota igitur & naturæ diſpoſitio, & ſcientiæ ratio peritura eſt, ſi naturalibus effectibus certus finis non fuerit deſtinatus. Multa ſanè reperiuntur in quolibet, quæ & ſuperuacua erunt & onerosa: imò nec fieri poterunt, niſi certi cuiuſdam finis moueantur intentione, qua partes qualibet in re inuicem partibus ſeruiant, & partes cunctæ obſecundent ipſi formæ, bonoq; totius. Dic cedò, cúr nam durioribus plantis uimina non naſcantur, ſed tenerioribus germinent? niſi quia hæ tantum indigent ſubſtentaculo, cui per uimina uinciantur? Sic natura neq; ſuperuacua patitur, neq; caret alicubi neceſſarijs. Sic uimen quaſi manus ultra porrigitur, ea potiſsimùm parte, qua ſitum fuerit ſubſtentaculum: quod quatenus non offertur, uimen explicatur in longum: cum primùm id datur, uimen huic ſeſe protinus implicat. Nonne hic mentem, & manus, & oculos natura uidetur habere? Dic age, cum finis ipſe cæteras moueat cauſas, ideoq; omnes quodammō antecedat, ut in arte conſilioq; apparet, ubi nam finis in natura præcedit, ad quem naturalia deſtinantur? Sanè cum in materia non præcedat, antecedit in motore materiæ: finem uerò præponere his quæ diriguntur ad finem, ordinemq; ſeruare

E

perpetuum rationis eſt proprium. Eſt igitur ſumma in motore materiæ ratio naturalium: quæ ſi in quolibet toto partes iubet inuicem ſeruire partibus, & ad totius bonum reuocat ut ad finem, multo magis quælibet paſsim tota & accommodat inuicem, & tanquam uniuerſi partes ad bonū uniuerſi perducit, nec uſquam patitur accidere uacuum. Atq; huius deuitandi gratia tanquam finis intentione paſsim mirabilia facit, mouetq;, & ſiſtit præter naturę modum impetus naturales, tanquē dux longè natura ſuperior. Mitto nunc quàm mirabiliter ad animantis bonum transferat præter elementorum conditionem deorſum leuia, grauia ſurſum: & quàm mirifica quælibet arte figuret. Mitto quanta cautione aquam quæ proprio elmentorum ordine terram totam obrutura uidetur cohibeat penitus operire terram, ob hoc ipſum duntaxat, ut plurimæ in terra rerum ſpecies generentur. Mitto quàm opportunè omnibus quæ gignuntur membra inſtrumentaq; & neceſſaria paſsim omnia ſint prouiſa, uarijsq; diuerſa modis munita diuinitus, atq; etiam ultra neceſsitatem quàm mirabiliter exornata. Summatim uerò cum in arte conſilioq; finis nihil ſit aliud quàm terminus aliquis ad quem potiſsimum mouetur agentis intentio, & in quo denique conquieſcit: certè naturalibus motibus ſimiliter preſcriptus eſt finis. Non enim uel fiunt quælibet ex quibuslibet, uel mouentur ad quælibet, uel quomodolibet fiunt adque mouentur: ſed certis omnia modis, ſemperq; ſimiliter: utpote quæ neq; coaggerantur temere, neq; fortuna uagantur. Sic calor ratione ſummæ mouentis congruum ſibi locum petit ubi ſeruetur, fugit ineptum, fugit & frigus, quandoque etiam præter propriæ naturæ modum, ne contrarijs extinguatur. Cum igitur

F

naturalium motus certum ubiq; petant terminum in quo quieſcant, ſimiliterque rerum naturalium compoſitiones, ex quibus certi motus eduntur certi gratia termini diſpoſitæ ſint, conſequens eſt, naturalia quantò artificioſius quàm artificia diriguntur ad finem, tantò præſtantiore quadam arte fieri mouerique, quàm artificia. Atque ſicut ars in nobis abſolutiſsima nihil conſultat amplius, ſed agit quaſi modo naturæ: ſic naturalem diuinamque artem & ſi ratione finiſque gratia faciat, nullis tamen rationis diſcurſibus indigere, quibus ars conſumata non egeat: præſertim ſi ars humana non extra, ut nunc dicatur tractare materiam, ſed intus diuinæ artis more agitari fingatur.

Quomodo mundus hic à ſuperno fiat, atq; degeneret: qualis ſit mundus intelligibilis. Cap. Primum.

QVod in primo capite dicitur: ſi Deus mundum aliquando fecit nouum, ergo antea conſultauit, utrum & quomodo faceret, non conſequitur. Tantùm uerò conſequens eſt, cogitari à nobis poſſe, Deum ita conſultauiſſe: quod cogitari non licet, ſi ponatur mundum nunquam initium temporis habuiſſe. Secundò nota primam eſſentiam uitamque & mentem, quod & idem eſt, eſſe mundi cauſam, ſcilicet efficientem & exemplarem, finalem uerò eſſe bonum: Fieri uerò inde mundum, quoniam mundus eſt ipſa, ſicut ex igne fit ignis. In mundo corporeo aliud eſt ordo formalis, aliud dimenſio atque motus. Si ergo dimenſionem motumque ſubtrahas, ordinem uerò relinquas, mentem contemplaris mundi huius artificem: inqua quidem ſunt formarum omnium gradus, ſiquidem eſt ordo formalis. Sed quoniam non eſt ibi motus & tempus, præſenti formæ neque

quicquam

A quicquam abijt in præteritum: neque deeſt aliquid in futurum. Rurſus quoniam non eſt dimenſio, per quam pars alia ſolet à parte diſtare in qualibet parte ſunt cunctæ: Ideóque forma quælibet eſt omniformis, quamuis aliter atque aliter. Non enim auferetur formalis ipſa diſtinctio, quamuis dimenſio tollatur & tempus. Nam & ubi dimenſio eſt & motus, multæ qualitates admodum differentes ſimul ſunt in eodem, & in qualibet eius parte ſunt cunctæ. Cum igitur in mundo intellectuali in unoquoq; ſint omnia, ideoq; nihil alicui deſit, meritò nullus eſt ibi motus, nullus ab alio in aliud impetus, nulla uel iniuria, uel generatio noua. Nõ enim patitur unitas cõtinentis, alia illic, alijs eſſe cõtraria. Quinetiam ſi contraria forent: non tamen hoc in illud faceret impetũ, cum nullis aliquid deſit, & unumquodq; ſit prorſus in actu, ut ex eo nihil effici poſſit. Omnino uerò quia propriũ cæli corporei motus eſt, incorporei uerò ſtatus, meritò ſicut cælum hoc quò magis mouetur, eò magis in terris agit & generat, ſic & illud quò uerius permanet, eò uerius, & hoc facit totum, & in hoc omnia facit.

Quomodo mundus hic à ſuperno fiat, atq; degeneret. Cap. II.

QVo autem modo hic mundus procedit ex illo? Profectò ſicut ex ſemine quolibet ſimplicio re multiplex ubiq; naturaliter pullulat germen: illius quidem fœcũditas in hoc euadit progreſsio plurima. Virtus illius ingens in hoc fit ampla dimenſio: actus ille uegetus hic tranſit in motum, & in tempus æternitas. Ex diſtantia igitur tum formæ, tum ſitus diſcordia ſurgit: ex diuiſione uerò accidit indigentia: ex utriſque appetitus, & motus, & impetus. Cum enim tota natura ſit à bo
B no, *ideoq; nulla* eius intentio ſit ad malum, ſed ad bonum: nimirum res naturales non odio inter ſe agunt ut deſtruant alienum: ſed indigentia & amore ſui, ut ſe aliunde ſeruent atq; reficiant. Cum uerò natura in unoquoque genere prima, tanquam fœcundiſsima per ſe faciat in eo genere quæ ſecuntur, multò magis eſſentia uitaq; prima nullo præter eſſentialem uitam adminiculo indiget, quo rerum eſſentias generet atq; uitas: ſed eo ipſo propriè quo ipſa eſt uiuitq; cætera illinc eſſentiam ſortiuntur & uitam. Quòd ſi per intelligentiam quoq; & uoluntatem dicatur efficere, nihil propterea illinc adiungitur. Nam intelligentia & uoluntas illic eſt ipſa natura. Quatenus ergo natura facit, neceſsitate facit: quatenus uerò natura illic intelligentia eſt, facit & uoluntate. Cum uerò & per naturam uoluntariam & per uoluntatem naturalem agat, nimirum inquiſitione conſilioq; non indiget ad agendum. Proinde ſi illic eſſentiam & intelligentiam ratione diſtinxeris, ab eſſentia uidebis materiam huius mundi profluere, & ab intelligentia formam: & ſicut eſſentia illic cogitatur ordine quodam intelligentiam antecedere: ita & hic materiam cogitabis præcedere formam. Sed enim antequam intelligentia illa formam præbeat mundo, corpoream longè ab ipſa diſtantem propinquã ſibi exhibet incorpoream: ex uita uidelicet ſua inter eſſentiam & intelligentiam quaſi media animã mundi procreans, uitam uegetalem intelligentiæ compotem: mediam quoq; inter materiam formamq; corpoream: ſicut illic uita inter eſſentiam & intelligentiam obtinet medium: Atq; hæc ipſa ratio eſt ſeminaria mundi, & quaſi quoddam diuinæ intelligentiæ uerbum, quo uerberata materia mundanum ſuſcepit ornatum. Tu uerò ubi legis intellectus infundit materiq; rationem: expone, in-
C tellectum non tantùm ipſum ſimpliciter intellectum, ſed intellectum etiam animalem, intellectu uidelicet primo formatum. Ab illo enim per hunc, & ab hoc illius uirtute pullulat in materiam potentia genitalis, ab utriuſq; eſſentia dependentem. Similiter dici ſolet: Sol generat naturalia, quod tamen cum lumine facit inde manante. Atq; ibi lux ſolaris & lumen ſimul hæc efficit per calorem. Cõparat uerò intellectum utrunq; maſculo. Generat enim ut ſeparatus à genito. Seminalem uerò mundi naturam uirtute ſeminariæ maſculi. utraq; enim intrinſecus agit. Mundum uerò genitæ proli. Vtrobiq; enim inter ſe iam diſtributa ſunt membra, & partes iam repugnantes, quæ in ſemine ſimul erant, utq; pugnabant. Conſtat quidem mundus ex neceſsitate, ideſt, materia & defectu ex materia contingente. Item ex intelligentia, ideſt, formali ordine intelligentiam referente. Reſoluitur in partes, uelut intimas, ideſt, in materiam rationemq; ſeminariam & formalem. Ipſa uerò animæ intellectualis eſſentia non eſt pars intima mundi, ſed præſidet.

Quatuor poſt bonum mundi, intellectualis, animalis, ſeminarius, ſenſibilis: & quomodo proceſsio fiat atq; iudicium. Cap. III.

SIquid in mundo conſiderando te offenderit, noli Deum incuſare: quaſi de mundi conſtructione non bene conſultauerit & elegerit. Non enim conſilio indiget: ſed facit ſufficienter ipſa natura.

D Neq; naturam rurſus accuſes in primo rerum principio. Eſt enim ipſa bonitas, & bonitate opus pro
x·mè facit ſimpliciter optimum, intellectualem uidelicet mundum. & hunc quidem propoſito pri-
mo. Sienim bonitate facit, facit & uoluntate: Concurrit nanque in primo cum bonitate uoluntas
Vult ergo intelligibilem mundum prima (ut ita dixerim) uoluntate: animalem uerò mudum qui
deinceps ex intelligibili ſequit, neceſsitate quodãmodo uult. neceſsitate (ut ita dixerim) conſequen
tiæ: non enim latet ipſum ex opere primo ſequi ſecundum, neque rurſum reprobat, ſed non probat
ut primum. Similiter intellectualis ille mundus non conſilio, ſed natura generat animalem. Quum
uerò natura eius intelligentia ſit, & intelligentia ſit uoluntas, dum natura facit, intelligentia facit
& uoluntate: prima inquam, animalem mundum, conſequenter autem & ſeminarium in natura
mundum, quem nouit ad animalem neceſſariò ſequi. Eadem ratione animalis mundus, ideſt, in-
tellectualis anima naturali quadam intelligẽtia & uoluntate uitam generat, naturamq; genitalem:
mundum ſcilicet ſeminarium ueſtigium ultimum diuinorum. Neceſsitate uerò conſequentiæ gene-
rat & ſenſibilem ad ſeminarium conſequentem: conſequentem inquam, ex ſeminario utente ad hunc
efficiendum ipſa duntaxat uita: non autem intelligentia uel uoluntate qua caret. Ita enim uiuendo
facit ſicut & anima intellectualis, & intellectus primus agit intelligendo, atq; uiciſsim, ſic naturali-
ter intellectus intelligendo facit, & more naturę, ſicut natura uiuendo generat, & ordine intelligen
tiæ fabricat. Tu itaq; noli ex mundo ſenſibili mirabilem ipſius boni, uel intellectus puri, uel intel-
E lectus animalis dignitatem prorſus extimare atq; perpendere: ſed ex ſenſibili coniecta ſeminarij di-
gnitatem, ex hoc naturam animæ, & ex anima excellentiam mentis, ex mente deniq; bonum. Tum
uerò in mundo ſenſibili contemplando, ne in partes figas intuitum, ſed conſpice totum, neq; ad par
tes totum referas, ſed partes ad totũ: neq; opus hoc exigas ſimpliciter optimum, ſed optimum qua
tenus capit gradus, mundiq; iam quarti natura poſt bonum. Notabis interea ubi mundus loqui fin-
gitur: quandoquidem ſunt in infimo globo mundi multa uiuentium genera, eſſe quoque ſupernè
multa per totum pro dignitate & amplitudine ſpatij uirtute magnitudineq; ingentia: quorum pri
ma deos nominat, ſequentia dæmones, tertia particulares animas, quæ transferuntur in dæmones:
& ubi ponit populos dæmonum, oſtendit per totum ſupra nos mundum greges eſſe dæmonum di-
ſtributos, habereq; duces ſuos qui ſtellas ſequantur ut reges: nam & corpora dæmonum ſupra nos
ubique ſequuntur motu proprio ſtellarum motus, ſimilemq; ubique agunt choream. Imitantur &
ſtellas pro uiribus magnitudine, figura modoq; agendi: & ut ſtellæ agunt intuitu radiorum ima-
ginationem ſequentium efficacem. Notabis inſuper ætherem eſſe aerem ignitum: item omnia ex bo
no pendere, quandoquidem omnia bonum appetunt. Denique ipſam ſimpliciter uitam, eſſe ipſam
ſimpliciter mentem: ubi dicit intellectualem naturam duntaxat totam habere uitam. Sic ergo coniũ
cies, quoslibet rerum gradus eatenus eſſe uitæ participes, quatenus intellectuale aliquid habent.
Mundum uerò à Deo fieri non per conſilium, ſed naturam ſic confirmat Porphyrius in Timæo.
Artes quidem inſtrumentis indigent, quoniam nec omni materiæ præſunt, nec dominantur omni-
no, & extra laborant. Potentiæ uerò naturales, quoniã & perfectiores ſunt, & intimæ ipſo tantùm
F ſuo eſſe agunt quicquid agũt: ſic omnes, ſic & anima ſemper eſſentiali uita nutrit, auget, generat, ſpi
rat, ſentit, & reliqua. Ipſa quoque imaginatio præpotens ſolo quodam ſui actu uarijs ſtatim cor-
pus qualitatibus afficit atque motibus. Quinetiam (ut tradunt Theologi) dæmones imaginatio-
nibus ſuis abſque alio inſtrumento uel actu paſsim mirabilia faciunt, ſubitò prout uolunt, effica-
ciſsimos inde radios emittentes, ac ſæpe motibus imaginationis ſuæ formas extra mirabiles oſten-
dentes eis qui talia inſpicere ualeant: multò magis mundi opifex ipſo eſſe, ideſt, ipſo intelligere ſub-
ſtantiam exhibet uniuerſo: indiuiduus uidelicet mundo diuiduo. Cui enim mirum, ex incorporeo
corporeum propagari? Siquidem ex minimo ſæpe ſemine uaſtum pullulat animal tot, tantis, tam
diuerſis inter ſe membris inde compoſitum: atqui & in ſemine paruo ratio ipſa ſeminalis non eſt par
ua, dum efficit magna, neque rurſum magna, dum tota in qualibet ſeminis particula uiget,
ſed ratio quidem ſeminalis materia indiget: ratio uerò diuina nullo indiget,
ſed fabricat omnia: dumq; in natura propria permanet,
omnia producit & mouet. Huc uſq;
Porphyrius.

Quæcunq;

A

Quæcunque uidentur mala uel circà corpora uel circà animas, reformantur in bonum. Cap. IIII.

DVm elementum hoc ſuas alicubi partes cæteris mutuat elementis, interim aliunde partes ab alijs mutuatur: ideoque elementorum globi nihil mali ſubire uidentur. Similiter in compoſitorum diſſolutione malum mundus ipſe non patitur. Nam uel elementa tunc ſuas reuertuntur in ſphæras, uel compoſitum aliud generatur, atq; generatio ipſa dum partes capit ab elementis, formis ea nouis exornat: perpetua uerò, hæc generationis uicißitudo eſt neceſſaria mundo. Cum enim mundana materia & poſsit & debeat innumerabiles ad perfectionem ſuam compoſitorum formas accipere, neque ualeat omnes eodem tempore capere: quia neque materia de qua fiunt innumerabilibus compoſitis ſimul ſuppetit, neq; ſpatium capit, neq; tam diuerſa concurrunt: factum eſt ut commutatione perpetua capiat, dum & cælum ſimiliter innumerabiles motu figuras induit uireſque ſortitur nouas, quas nec ſimul nec manens, uelut repugnantes admittere poteſt: atque interea motu confert ad inferiorem materiam naturaliter transformandam. Hac itaq; ratione tranſmutatio tum localis tum formalis & in cælo atq; ſub cælo ad optimum confert habitum uniuerſi, ideoque cenſetur & bona: præſertim quia mundi totius ordo tanquam optimum uniuerſi regula quædam eſt qua cenſere ſingula debeamus ut bona, quatenus conferre ad ordinem uideantur. Ordo uerò uidetur exigere, ut quæ conſtructa ſunt ab alio, atque tunc ex aliorum deſtructione conſtructa quandoque deſtruantur ab alio, uicißim ad alia conſtruenda. Quicquid interea uel naſcitur uel

B contigit erga aliqua noxium atque malum, non aliter euenire permittitur, niſi ad alia atque plura ſit conferens atque bonum, ac niſi rite compleat ordinem uniuerſi. Præterea totius ordo requirit, ſi ex poteſtate primorum mirabili procul exuberante, plurimi ſequentium gradus euoluant: atque à primorum unitate ſtatúque ſtabilia mox oriuntur: ut deinceps proceſsione dependentiáque creſcente ſtatus ipſe cum motu miſceatur, fiantque ſtatim eſſentiæ per ſe mobiles, antequam ad res ab alio mobiles deſcendatur. Cum enim motus deriuetur ex ſtatu, meritò motus ipſe ex ſtatus ipſius diſtinctione diſtinguitur. Itaque ſicut multa per aliud ſtabilia reducuntur ad alia quodammodo per ſe ſtabilia: ſic & quæ mouentur ab alijs, in illa quæ motum ex ſeipſis habent, denique reſoluuntur. Tum uerò in ipſo per ſe mobilium ordine eſſe oportet ſuperiora in communi quadam potentia conſtituta, eiſque ſuccedere inferiora permulta particularem nacta potentiam. Cum enim proceſſio rerum continua eſſe debeat, nihilq; uacuum in hac ſucceſsione relinqui, meritò poſt uniuerſalia ſimul atq; per ſe mobilia, priuſquam ad eorum oppoſita particularia ſcilicet, ab alioq; mobilia deſcendatur, interponũtur aliqua, quæ particularia quidem ſint, ideſt particularem fortita potentiã: ſed naturam habeant per ſe mobilem. Atqui res eiuſmodi ob particularem naturæ conditionem in quandam habitudinem quandoq; contrahi poſſunt: ſed propter ipſam ex ſe mobilem facultatẽ ſolui quandoq; ex omni propria habitudine poſſunt. Affert quoq; particularis naturæ conditio alternam quandam per parteſque attingentem uitæ uicißitudinem, motu interim ad lucẽ libero conferente, ut aliâs proprium retineant habitum, aliâs ſuperiorem, aliâs inferiorem habitum ſortiantur: Vtrinq; facilè uergere poſſunt naturæ medium obtinentes, uicibuſq; alternis explent, quę ſupe-

C riora communiaq; tractu quodam unico complectuntur. Interea uerò circulari hac motionum uicißitudine gaudet uniuerſi natura. In hoc autem genere ſubſtantiarum particularium per ſeq; mobilium ponuntur animæ, quas Plotinus ait uicißim corpora permutare, ideſt animæ hominum inferiorumq; dæmonum, aerem hunc habitantium turbulentum: Habitare quidem hic quoq; animantes oportuit rationales: neq; tamen ſingulatim habitare ſemper intellectuales naturas in regione propter miſtionem atq; diſcordiam uitæ & intelligentiæ fælicitatiq; repugnante. Hinc ergo confirmant Platonici uicißitudinem animarum. Et quoniam animabus eiuſmodi obtigit prouincia dũrior, atq; etiam ad deteriora procliuior: meritò compenſatum eſt prouidenter, ut quandoq; poſsint non ſolùm ad gradus proximè ſuperiores, ſed ad alios etiam altiores, ideſt, ad cælum uſque tranſcendere. Putant eiuſmodi animas depoſito corpore tam terræ quàm aeris turbulenti, ad tempus in aeris corpore purioris inter æthereos dæmones computari, atq; etiam cum cæleſti corpore, quod extra generationem poſitum dicitur à Plotino collegas effici uniuerſalis animæ, ideſt, cæleſtium animarum. Deniq; ſi cæleſte inſuper corpus quaſi deponant, non tam cum cæleſti anima, quàm cum ipſa animarum idea, quam omnem appellant animam, uitam agere. Appellat hic Plotinus uitã prorſus immobilem ſcilicet, omnem intellectualem uitam ſiue mentis primæ, ſiue ſequentium. Vitam uerò mobilem communiter animales effectus, ſiue in diſcurſione rationali imaginariaq;, ſiue in genitali miniſterio poſitos. Propriè uerò uim genitalem hic uitam nominat mobilem, quæ ex ipſa ſuperioris uitæ conſiſtentia ita iugiter effluat, tanquam eius ſpiraculum: ſicut ex anima hic noſtra mo-

D rus in pulſu uitalis. Genitalem eiuſmodi facultatem ex anima mundi primùm, & ex animabus ſimul ſphærarum omnium mundanarum infuſam materiæ, eiq; dominantem, appellat rationem mundanam coducorum animalium genitricem: quorum quidem animalium formas ait in ſuperiori cælo, id eſt, intellectuali conſiſtere. Vnde per ſeminariam rationem ita uenerint in materiam: ſicut pleriq; dicunt rerum terrenarum formas è formis cæleſtibus per lumina inde huc emicantia profici ſci. Nam neq; formas ex hac informi materia, neq; ordinem ex inordinato caſu, neq; ſtabilem tenorem ex natura prorſus inſtabili prouenire putandum. Sed ut redeamus ad ordinem uniuerſi, cui tãquam optimo quicquid quomodolibet conſonat, bonum eſt iudicandum, talis ordo requirit, ut animæ particulares ac per ſe mobiles, tanquam in motione liberæ, & tanquam non ſolùm intelligentiæ, uerùm etiam generationi cognatæ alternè poſsint eligere tum intelligibile, tum ſenſibile bonum. Atq; hæc ipſa alterna electio bona eſt uniuerſo: in quo ita explentur utraq; miniſteria ſimul, & opera prouenium naturalia, dum animæ ſenſibile bonum intelligibili eligendo prçponũt. Vbi anima quicquid eligit, eligit ratione boni, & ſi minus bonũ maiori præferre eligenti ſit malũ, uniuerſo tamen eſt bonum: præſertim quia ſtatim electioni eiuſmodi rependitur conſentaneum: ut quæ ad deteriora uergit afficiatur quoq; deterius, deterioremq; ſubeat uitam. Qui ſanè ſtatus ideo cenſetur bonum, quoniam iuſtitiæ naturalis ordini conſonat. Euadit & animæ bonum quatenus animi delinquentis anguſtia ad pœnitentiam quandoq; prauæ electionis adducit. Sic igitur diuinæ prouidentiæ bonitas, malum ſubitò naſcens transformat in bonum: idque tum in corporum,
E tum in animorum motionibus mirabiliter efficit. Contingit fortè ex hac aqua fieri aerem, uel ex hoc aere aquam: poſtquam uerò uel aquæ illius materia ſuſceperit leuitatem, uel aeris materia grauitatem: non contingit fortuitò, uel illam materiam iam ad aeris locum aſcendere, uel hanc ad aquæ deſcendere ſitum: ſed forma iam inſita naturaliter, & neceſſariò loca congruentia petunt lege naturæ legeque diuina, quam naturæ lex perpetuò ſequitur. Similiter animas proprij arbitrij facultate contingit ad talia primùm uel talia uergere: deinde frequentius ad eadem inclinari: demum facto iam habitu, ad illa feruntur quaſi natura legeque naturali ſimul atque diuina, talemque ita uitam aut talem denique ſortiuntur. Qui uerò ſancit naturæ legem, non quaſi conſultando ex tranſgreſsione legis & ordinis adductus eſt ad ſanciendam legem & ordinem ſtatuendum, ſicut homines plerunque ſolent: ante enim ipſam primam ſimpliciter legem, quæ & primus ordo eſt, nulla eſt tranſgreſsio legis, neque poteſt ordo primus ex priuatione ordinis procreari, ea ſcilicet conditione qua conditores apud nos legum ex legis naturalis tranſgreſsione admonentur ad leges populis cõſcribendas: ſed ipſa eſſentialis forma tum diuinæ mentis, tum deinde naturæ lex eſt omnium atque ordo. Quicquid igitur ob impotentiam ab optimo hoc ordine deficit, ſtatim eodem ordine in malum cadit à bono, in malum inquam ſibi, ſed mundo bonum: quatenus ita demum & illuc cadit, ſicut & quo totius ordo requirit. malum uerò cuiuſq; proprium non eſt aliud quàm defectum eiuſmodi: Ita Proculus Dionyſium (ut arbitror) ſecutus Areopagitam explicat. Malum neque eſt in rebus intellectualibus, nam proximæ ſunt ipſi bono: neq; in animabus corporibusq; uniuerſalibus,
F uniuerſalis enim forma & auctoritas eſt propria bono. Reliquum eſt igitur, ut malum in particularibus ſit animabus atque corporibus. Neque tamen in horum eſſentijs ex Deo natis: neq; rurſus in naturalibus horum uiribus: nam ex deo quoque dependent. Horum igitur actionibus duntaxat accidit malum: ſed quantum ſpectat ad animas, non in actionibus quidem earum rationalibus omnes enim appetunt bonum: neque rurſum in actionibus earum ratione carentibus: hæ namque natura feruntur: ſed in quadam earum inter ſe incongruitate, quam aſymmetriam, id eſt, incommenſurationem uocant. Quantum deinde ſpectat ad corpora, malum non eſt in forma. Vult enim materiæ dominari. Neq; iterum in materia, nam appetit exornari: ſed in qua materiæ ad formam ineptitudine. unde concludit, malum omne præter ſubſiſtentiam eſſe, & quicquid denique ſit ſubito ſurrepens ſub boni conditione diuinitus colorari. Exiſtente quidem generatione neceſſariò id quoque ſubeſſe ad mundanam cõducens perfectionem, ſed diuina prouidentia omnia ſuperante, bonaque uolente in bonum mirificè conformari. Ac ſi aliorum deſtructione quaſi mala utitur ad aliorum conſtructionem quaſi bonam, & reſtitutionem mundi tanquam optimam, multò magis defectu quodam animæ uti mirabiliter ad perfectum. In capitis huius calce notabis tres habitus in malum contracti cauſas: primam quidem inclinationem illam, qua etiam ante præſentem uitam cœpit anima ad uitam eiuſmodi uergere, paulatimq; propenſior fieri. Secundam, corpus ſic affectum ut animam ad talia prouocet, & ſtatim ab initio incautam, & deinceps gradatim aſſuefactam. Tertiã, ſubitum ſenſibilium occurſum per ſenſus in animam, ſic aut ſic afficientem illam, antequam ratio, uel animaduertat, uel maturè deliberet, & omnino ipſam conſultando animi negligentiam. Sequitur autem neceſſariò pœna: Nam electio ipſa motioque peruerſa & peccatum eſt, & pœna, acriter

A affligens animam, donec prouidentia more medici per afflictionis eiuſmodi ſtimulos animam ſanet, dum ſic ad habitus peruerſi odium prouocat, pœnitentiamq; electionis iniquæ, atq; uiciſsim ad contrariæ electionis amorem. Similiter electio recta & præmij ſimul eſt & uirtutis exordium. Verumq; uerò fieri Proculus aut opera diuinæ prouidentiæ intus agentis, ſanumq; animum oblectantis, inſanum uerò mirabiliter affligentis.

Confirmat eadem. ubi nota gradus ad felicitatem, & Sineſij ſententiam de prouidentia. Cap. V.

INtellectibus quidem tanquam ſtabilibus ipſiq; bono propinquis conuenit ut ſint felices: animabus autem tanquam mobilibus remotioribusq; competit, ut felices efficiantur. ſed quia per ſe mobiles, ut ſua opera tales fiant. At uerò animabus communioribus beatitudo breui quadam opera comparatur. Animabus autē particularibus operoſa felicitas obtigit: Ipſæ quidem ſe beatas, ſed longo tempore laboreq; reddunt. Cumq; omnes quandoq; id aſſequi poſsint, de conditione noſtra nefas eſt conqueri: neq; rurſum licet de prouidentia diuina propter aduerſa diffidere. Audi Sineſium Platonicum hac de re diuinè loquentem. Aduerſa etiam quæ præter merita nobis uidentur accidere, plurimum conferunt ad noxium affectum, quo caducis afficimur, extirpandum. Fortunis certè eiuſmodi apud eos qui mentem habent, prouidentia confirmatur, quibus & qui mente capti ſunt, diffidere de prouidentia ſolent. Nullus enim relinquitur animæ locus, quo materiā fugiat, ſic
B in patriam reuerſura, ſi in nullum hic malum inciderit. Quapropter exiſtimandum eſt inferioris prouinciæ præſides uulgares ad inueniſſe proſperitates, tanquam animabus inſidiaturas: itaq; hinc emigrantibus animabus obliuioſum contingere potum, alius dixerit. Ingredienti certè hanc uitam animæ potum obliuionis affert, ſors quædam uitæ ſuauis & blanda. Hæc ille. Proinde neceſſe eſt ordine rerum ita currente pleriſq; non aliter aduerſa contingere, quàm in concentu aliquid quodammodo diſſonare, ſed quemadmodum quod in concentu ſecundum partem diſſonare uidetur, interea toti conſonat. : ſic penitus & in ordine mundi, in quo præter cætera quæ diximus aduerſitas ſiue in corpore ſiue in fortuna, bonis quidem exercitatio eſt atq; profectus, malis uerò punitio atq; purgatio: quinetiam ipſa prauitas eatenus confert ordini, quatenus non ſolùm ordinatè punitur, uerùm etiam iuſtitiæ materiam præbet, & iuris exemplum. Ac dum graui tandem miſeria premitur, tùm cæteros deterret à uitijs, tum comparatione declarat, quanta ſit in uirtute felicitas. Poſt hæc animaduertè mala, nec ullam in ſupernis mundi rectoribus ideam habere, nec ex ulla illorum intentione procedere, ſed ex longiſsimo ductu bonorum contingere tandem ubi deficit bonum. Quamuis autem hæc ita quaſi ſorte contingant, erat tamen ab initio in rectorum intentione & in naturali uirtute malis quomodolibet contingentibus, bene uti, ac paſsim informia reformare.

Confirmat eadem. mouet dubia. Cap. VI.

C QVoniam pro natura ſuſcipientis unumquoq; recipitur, conſtat bonis quæcunq; contingunt bona tandem euadere, malis uerò mala. Item cum & homo ſit ipſe animus, at totum animi bonum in uirtute conſiſtat, totum uerò malum in prauitate, conſequens eſt, ut homini per uirtutem abſolutam beato, ſequētia extra animum commoda uel incommoda nihil ipſius bono addant aliquando aut demant. Similiter ut homini, ideſt, animo per uitium confirmatum miſero, ſequentia nihil boni afferant, & mali nihil auferant: decentius tamen pleriſq; uidebitur, bonis quidem contingere proſpera, malis aduerſa: ut ita ſaltem præclara bonorum augeantur opera, malorum uerò publica ſcelera comprimantur. Sed antequam ad hæc reſpondeatur, conſiderabis uniuerſum uſque ad minima quæq; ſic ab intelligentia dependere, ut intellectualis prouidentiæ uirtus & actio uſque ad minima ſe diffundat, nihilq; relinquat non ordinatum.

Dat principia reſpondendi. Cap. VII.

NOli hoc in mundo qui non primus mundus eſt, ſed quartus, longéque à primo degenerat, abſolutam pulchritudinem primi mundi deſiderare. No rurſum in actionibus animarum rationalium: quæ tanquam ex ſe mobiles actionum ipſæ ſuarum talium uidelicet aut talium principia ſunt inculare Deum, tanquam talium propriè cauſa ſit actionum: noli quoque animas arbitrari ex ipſa natura mundi compelli, ut actionem uiramque talem eligant aut talem. Cùm enim animarum eſſentia ſit natura mundana ſuperior atque prior, non ex mundo, ſed ex ipſis accidit, ut in mundo uiuant, magiſque minusue afficiantur ad mundum. Noli denique ab animabus cum

D natura corporum iam nimium coeuntibus, ſublimium animarum perfectionem prorſus exigere. Caue ne quia minus ordinatum genus hominum uideatur, neges uſque ad homines diuinam prouidentiam prouenire, quam etiam infra hominem ad minima quæque deſcendere decet artificioſiſſima horum omnium diſpoſitio, ſimul & motio: quæ non aliter effici poteſt quàm à ſeminaria uitalique ratione diuinæ ſpiraculo mentis: quemadmodum & in animali à ſimili quadam ratione naturæ non ſuperiora tantùm mediaq; ſed etiam infima membra fiunt atq; reguntur.

Reſpondet dubitationibus ſuperioribus, & tangit opiniones nouas. Cap. VIII.

DVbitationibus reſponſurus, nequis miretur non eſſe inter nos in terris ordinem, qualis in ſummis abſolutiſſimum, ait genus humanum non ſummum animalium eſſe, ſed medium inter bruta deoſq; ideſt, dæmones: ideoq; errare: quamuis hoc ipſum ad ordinem uniuerſi pertineat, ut natura media utrinq; miſta, & mobilis per ſe ipſam ſeruet aliquando medium, tum utrinq; ad extrema ſe uertat. Inter hæc ut exprimeret rerum noſtrarum exiguitatem: ait terram ad uniuerſum eſſe quaſi punctum, uel quaſi ſtellam quandam minimam reliquarum. Fortè uerò tangit hic Pythagoreorum quorundam opinionem, putantium terræ globum circumfuſum aqua ſi proſpiciatur ex ampliore cælo, apparere quaſi lunam ſolis radijs uerberatam: quæ quamuis ſtellæ modo continuè moueatur, non deprehendi tamen à nobis: quoniam ſimul moueatur & cælum, & ſidera conſequẽ-
E ter: Sic ergo in qualibet ſtella eſſe aliquid ſolidi, rurſumq; liquidi perſpicuiq;, ſicut in ſtella terrena, & forſitan fuſci non nihil, ſicut in luna, ſed è longinquo minimè apparere: totum uerò ſpatium eſſe ſimule aeri, globumque undique unum, ſtellis quaſi mundis ubique refertum: moueri ſtellas progreſſione propria, qualis eiuſmodi animalia decet, plenaſq; habitatoribus eſſe, ſicut ſtella terrena, alias tamen alijs præſtantiores eſſe, & præſtantioribus habitari. Poſt hæc obſeruabis nouum Plotini reſponſum, non eſſe in bonis animi numeranda ſola quæ ad contemplationem & temperantiam & iuſtitiam pertinent, ſed etiam quæ ad omnem peritiam ingenio & conſuetudine, & deſteritate conſtantem. Itaq; qui hoc genere boni præſtantiores ſunt, iuſtum eſt in eis, quæ hoc propriè comparantur ſuperare alios in hoc ipſo inferiores, atque inde plus aliquid reportare: atq; uiciſſim qui contemplatione, temperantia, iuſtitia his præſtantiores ſunt, æquum eſt hos ſimiliter in reportandis propriis uirtuti ſuæ præmijs ſuperare. horum quidem præmia ſunt diuina, illorum uerò caduca. Iuſtè uerò punitur interea, & illorum effrenata uoluntas, & horum ocioſior uita ſæpius neceſſaria negligens: Denique non poſſe per hæc & ſimilia ad ſummum prouidentiam iuſtitiamq; defendi, ſi ſolam præſentem hanc agamus uitam: neque in alia, uel ex alia uita, uel alibi, quæ hic frequenter, & inpræſentia præmio, uel ſupplicio deſunt, ualeant compenſari.

Quòd potentia diuina in agendo non prohibet quin cætera inſuper agant præſertim rationalia. Cap. VIIII.

F

FIngunt aliqui omnes effectus à quibuſcunque rebus effici uideantur, ſiue in animatis ſiue animatis atque rationalibus à cauſa prima ſic uſurpari, ut hæc duntaxat agente fiant, cæteris ſolummodo patientibus, nec ulla intercedat rerum actio propria. Sic ergo ſublatis rerum proprijs actionibus, inanes erunt uirtutes propriæ, uel potius nullæ erunt. Similiter & eſſentiæ propriæ tollentur è medio, ſola reſtabit omnino communis confuſaq; eſſentia, uel potius erit nulla poſt primũ. Sic iterum euentus quilibet etiam uiliſſimi, & ordinis primùm expertes, & mali à ſolo fient proximè ſummo bono. Sic tandem poſt immenſum primi agentis actum, nullus inde actus, actio nulla ſubſiſtet, ſed ſola paſsio communiſsima & extrema: imò poſt actum illum ſubitò proxima, perinde ac ſi ab immenſa luce uel caliditate, nihil lucidum calidumq; proueniat, nihil quod illuminando, uel calefaciendo, ſuam originem imitetur, ſed opus penitus tenebroſum. opus certè dei, nullo modo di unum, ſed abiectiſsimum penitus erit, ſi ex mancipijs duntaxat patientibusq; tãtum coaceruetur: neque rectè Deus dicetur prima cauſa, primum agens, ſi nullæ poſt ipſum cauſæ fuerint, agentia nulla: & qui actu quodam agit efficaciſsimo, non agens aliquid aut actum, ſed patiens tantùm aget & paſsionem. Denique ſicut nunc ubique per res certas certos effici uidemus effectus, iam hos ſine rebus à Deo paſsim ſtatimq; reſultare uidebimus, ac ſi ſol abſque elementorum, miſtorum, plantarum, animalium opera omnes horum quandoque abſoluat euentus: præſertim ſi actio primi nullum (ut fertur) exigat ſubiectum: neque ideireo ſit uaria, quòd in uarijs agat. Sed re uera Deus naturas rebus dedit, actioneſque inde conceſsit; & meritò, cum ad primũ qui eſt ſimpliciter actus, pertineat ſimpliciter agere, reliqua inde habent ut in quodam actu conſiſtant

A ſortiuntur etiam ut aliquid agãt. Ac dum ab immenſo bono habent, ut ſint pro uiribus optima, bo
num in alia ſuum operando diffundunt: Sic & ipſum bonum dum communicauit rebus ſimilitudi-
nem ſuam quantum ad hoc ut eſſent, communicauit etiam quantum ad hoc, ut aliorum cauſę forẽt.
Nam & ipſum ut cauſa eis dedit, ut eſſent. Procedit autem rei cuiuslibet effectus, & ſi non tam pro-
prie, tamen tam prope à Deo, ſicut à cauſa propria: ſicut tam propinqua eſt uirtus ſolis uuæ ſicut
uitis, quamuis non æquè ſit propria, neq; ſit pars operis à cauſa propria, pars à communi, ſed ab
utraq; totum: quamuis aliter ab alterutra, ſicut & à principali ſimul atq; inſtrumento. Conſidera-
mus igitur in quouis agente eſſentiam & uirtutem, ipſamq; uirtutem à uirtute ſuperioris agentis
dependere: quatenus inde datur, uel etiam conſeruatur, uel admouetur ad opus. Et ſicut effectus ſit
pariter ab eſſentia cauſæ inferioris, eiusq; uirtute, ſic ab hac ipſa uirtute ſimul atq; uirtute ſuperioris
Itemq; ſuperioris ulterius, & deniq; uirtute primi æqua ſemper propinquitate quatenus ſequens
agit ſemper potentia præcedentis. His potiſsimum rationibus affirmamus, poſt agens unum com
muniſsimumq; eſſe multa, quæ ipſa per ſe inſuper agant, & propria quædam proprijs uirtutibus ex
pleant: quatenus uidelicet communi agentis primi uirtute actioneq; ducuntur: ſicut agẽtia paſsim
ſub luna ſua, quæq; per ſe agunt atq; per ſolem. Quod ſi rebus etiam infra hominem munus id eſt
tributum, multo magis homini datum eſt, per animam ex ſe mobilem ex ſe aliquid agere, & aliter
ſæpius atq; aliter quàm ſi trahãtur ex alto. Et quemmadmodum in operibus naturalibus quod cõ-
munius meliuſq; reperitur, ex ſuperioribus ſæpe cauſis eſt tributum, quicquid uerò magis propriũ
minusue bonum, ex cauſis proximis eſt adiunctum: ſic in humanis actionibus & operibus commu-
nis actus & efficax atq; rectus nobis aduenit ex diuinis. Propria uerò ſic aut ſic agendi, deterioríq;
B conditio ex nobis locoq; contingit: non aliter quàm in claudo progreſsionis obliquitas ex curuita-
tate cruris, ſed eundi facultas ex anima. Cum igitur diuina prouidentia non auferat rebus naturas
actionesq; proprias, quas & ipſa dedit atq; conſeruat: ex his autem longo tractu gradatim deficiẽ
tibus, defectus & malum contingat in opere, meritò non tam aufertur à prouidentia malum, quàm
ſubito transfertur in bonum: ſicut & à muſica non tollitur uox quodammodo diſſona, nec medium
ſæpe ſilentium: ſed utrunq; conſonantiæ conſumatæ gratiæq; perfectæ neceſſarium adhibetur. Pro-
inde ſi non tollit è medio prouidentia malum, meritò non aufert inde fortunam minus quàm ma-
lum contrariam prouidentiæ bonitati. Eo enim ipſo quòd prouidentia ſub ſe conſtituit longum
ordinem cauſarum, ſuperiores cauſæ ampliori uirtute præditæ longius latiuſq; quàm inferiores a-
gunt. Quouſq; uerò naturalis uirtus extenditur, eouſq; duntaxat & intentio naturæ porrigitur.
Multa igitur in effectibus à primò longè diſtantibus cueniunt ex uirtute, actione, intentione ſupe-
rierum: ad quæ non extenditur mediarum intentio cauſarum: quandoquidem non eatenus poten-
tia propagatur. Talia itaq; cum præter intentionem inferiorum cauſarum fiant, ex intentione ta-
men ſuperiorum nimirum his quidem fortuita ſunt: non illis adeo ut etiam quæ prodigioſa dicun-
tur, tanquam præter naturæ particularis intentionem & ordinem contingentia interea ſuperiorum
ordinem propoſitumq; ſequantur. Non tollit igitur prouidentia caſum, ne interea longum perdat
ordinem cauſarum: non tollit malum, ne interim bonorum auferat amplitudinem, imò uerò ne ua-
riarum dirimat ordinem ſpecierum: quæ dum proprijs inter ſe differentijs diſtinguũtur, gradibus
C quoq; bonitatis pariter ſeiunguntur. Auferet igitur mirabilem uariarum copiam ſpecierum, quiſ-
quis diuerſos gradus auferet bonitatis. Ex longa uerò graduum bonitatis productione malum po
ſtremò ſuboritur, ubi aliquid uel à bono etiam proprio iam deficit, uel deficere poteſt. Si diuinæ pro
uidentiæ bonitas non tollit malum, ſi eiuſdem ratio non perdit caſum, certè neq; libertas eius no-
bis aufert libertatem. imò ſi prouidentia regit fatum, non uult fatis cogi animos ad peccandum, ne
ipſa demum ſit cauſa peccatorum. Siquo deus pacto ſit reliqua compulſurus immenſa certè poten-
tia, rerum impellet potentias, ut diuinitus actæ agant ubiq; diuinè. At uerò quoniam diuina pote-
ſtas dum agit omnia, ſuo modo non prohibet quin agant & ipſa interim & ſuo modo agant: certè
neq; diuina ſcientia dum proprias rerum naturas conſiderat, ſua res proprietate priuabit. Nam &
hæc una cum poteſtate, quæ & exiſtit eadem rerum omnium ita cauſa eſt, ut proprijs præditæ ſint
naturis. Cauſa eſt ut intellectuales rationalesq; naturę ad diuinam ſimilitudinem in agendo ſe du-
cant, potius quàm trahantur. Cauſa eſt, ut naturæ inferiores diſſimilioresq; Deo aliunde quidem
potius in agendo ducantur, ſed pro ſua interim proprietate ducantur, ne ſub ordine Dei naturarũ
inſtituroris res contra naturas ſuas ubiq; trahantur, ne ue perpetua quædam ſit uiolentia, ubi om-
nia ſunt mirabiliter ipſius boni uoluntate diſpoſita, bonumq; non uiolenter ſed naturaliter appe-
petunt. Reuocat autem ad Deum animas prouidentia, ingenioſas quidem ad admirandum
ornatu & ordine rerum: tardiores autem ad amandum ſaltem commoditate miri-
fica. Omnes tanquam medicus atq; pater curans atq; caſtigans.

D

Animæ rationales neq; à ſuperioribus, neq; ab inferioribus ad actiones turpes omnino coguntur. Cap. X.

CVm in ſuperioribus dixerit, homines eſſe ſub prouidentia liberos: deinceps dubitat qua ratione intelligendum ſit, quod ſæpe dicitur à Platone: homines non ſponte fieri malos. Si enim ita ſit, ad peccandum cogi uidentur, ſiue cælo, ſiue alio fatali intimoq; inſtinctu, ſiue ſeminali ratione cogantur. Reſpondetur quando peccant uoluntariè moueri ad actionem, quã elegerunt, quamuis non uoluntariè cadant in peruerſum habitum, qui clam ſenſimq; ex frequentibus actionibus inoleſcit. Sic & à uoluntate motum exordiuntur: & quatenus ita diu progrediuntur, neceſsitate in habitum eiuſmodi prolabuntur: atq; ex habitu tali in tale ſuppliciũ neceſſariò transferũtur. Quòd homines non ex corporibus inferioribus ad agendum ubiq; trahantur, patet, quando eligunt, atq; peragunt quæ & præter, & contra inferiorum conditionem eſſe ratio comprobat. Quòd rurſum nec à ſuperioribus uel corporibus, uel eorum rectoribus compellantur, liquet ex eo quòd ſæpe contra ſuperiorum dignitatem ordinemq; peruersè agunt atq; peruerſa. Similiter motum ad uirtutes ex rationali proprioq; principio homines agunt: Atq; ſi quando connumerantur actionum principia plura, ſemper in ipſo principiorum agentium numero facultas ipſa rationalis habetur.

E

Præter corporum qualitates eſt ubiq; incorporea uita rationaliter omnia regens: atq; hæc uniuerſalis natura naturis particularibus dominatur. Cap. XI.

QVæritur in undecimo capite, utrum ſinguli rerum exitus ex fatali quadam corporearum duntaxat cauſarum connexione proueniant: neq; ſit alia præterea prouidentia. Eſſe uerò præter cauſas corporales uitam quandam ubiq; rebus infuſam certis omnia rationibus naturaliter fabricantem, & alibi, & in Theologia ſatis oſtendimus. Hæc enim corporeis qualitatibus toto (ut fertur) impetu proruẽtibus certos imponit modos; Conciliat repugnantia: formas figurasq; certas in certis per ſe uagisq; materijs imprimit: ex non uiuentibus uiuentia facit. Atq; ſicut ars fabricat extra: ſic ipſa, uelut ars naturalis: ideoq; facilius & felicius fabricat intus. Mouet & intus ſtupidas per ſe plantas & ignauiſsima quæq; animalia ſtatutis temporibus mirisq; modis ad ſpeciem propagandam. Inſtruit quoq; intus plantarum tum radices ad humorem, tum fructus & folia ad calorẽ ſagaciter eligendum. Grauia quoq; & leuia ad rectas lineas geometricè mouet, & abiectiſsima quæq; animalia uaticinijs, ſagacitate, artibus naturalib. opportunè ad neceſſaria dirigit, rationibus ſæpe humanam ſuperantibus rationem. ducuntur nanq; diuinitus. Eſt enim hæc ſpiraculum quoddam uerbumq; animæ mundi uiuaciter rationaliterq; materiam uerberans atq; figurans, duóſque habet terminos: Nam & ab intellectuali ſubſtantia ipſius animæ pendet, & deſinit in materiam. Quatenus ergo in materiam deſinit, ratio dicitur ſimpliciter ſeminalis: quatenus autem ex intellectu ſiue animę proprio, ſiue per hunc ex primo procedit, ratio dicitur intellectualis atque legifera.

F

Rurſum prout ſeminalis eſt, corporea facit: prout legifera, gradus quoſdam mutationum accommodat motibus animarum. Sanè quantum ſeminalis ſimul eſt atq; legifera, totum gradibus ſuis diſponit ordinem uniuerſi. Tot inquam gradibus, quot & ipſa impreſſa prius eſt ab intellectuali principio, cuius ipſa quaſi ſigillum eſt, materiam imprimens examuſsim. Hæc uniuerſalis natura eſt: ex cuius intententione ſunt multa, quæ præter naturæ particularis intentionem ſæpe contingunt. Sic ubi genitalis in quouis animali uirtus tanquam maſcula ubiq; maſculum nititur procreare, uelut in ſuo genere perfectiſsimum, interim uniuerſalis natura quandoq; uult fœminam: ut ex maſculo atq; fœmina animalibus propagatis perfectius ſit uniuerſum. Sic ubi res quælibet ſe ipſam ſuaq; duntaxat intendit continuare, uniuerſalis natura intendit interim ex hac reſoluta aliam deinceps aliamq; componere bono conſulens uniuerſi. Sic dum ſingula ſub qualibet ſpecie ſibimet potius ex natura propria quàm ſpeciei conſulerent: hæc clam impellit, ut ſpeciei uel magis, uel æquè ac ſibi proſpiciant, ac diligentius ex ſe natis quàm ſibi prouideant, utpote quæ non tam propria qualitate, quàm prouidentia uniuerſali ducantur. Sic ubi propriæ duntaxat ſpecies naturaliter ex ſpeciebus proprijs naſcerentur: hæc ex equina & aſinina ſpecie muli ſpeciem procreat, ac ne propagatio fiat ex mulis ipſa prohibet, dum natura particularis mulos quoque inſtrumentis genitalibus animat. Sic denique tum compoſita quælibet, tum compoſitum uniuerſum ex diſparibus longeq; diſsimilibus uult eſſe refertum, mirabili uariarum formarum copia ditans. Exquibus omnibus malum uidetur, ideſt, alicubi minus bonum admittere, ſub maiori gradatim bono uniuerſalis gratia boni.

Natura

A *Natura uniuerſalis quia eſt omniformis, uniuerſum facit omniformes neq; cogit animas.* Cap. XII.

SI artifices qui qualitatibus aduentitijs agunt, & qualitates ſimiliter agunt, ſolent tamen ſeipſos quodammodo facere: quatenus artificis imaginatio imaginariuſque ſpiritus in imaginem formatur equinam, ante quam faciat equum. Si rurſum naturalia quæ per qualitates efficiunt naturales: faciunt quoq; ſeipſa, ſuam foras propagantia formam. Si cælum inſuper per lucis motioniſque qualitatem agens in elementis agit cælum, cæleſtibus uidelicet dotibus elementalia donans: nimirum & ipſa natura hæc omnia regens, cum non eiuſmodi qualitatibus agat: ſed ipſa natura in efficiendo mundo efficit ſemetipſam. Facit igitur omniformem: quoniam ipſa eſt omniformis. Omni formis inquam ex omni formi intelligentia profluens: ea uidelicet conditione, ut formæ rerum in hac ipſa natura longius inter ſe diſcrepent, quàm in mente: tum quia longius ab unitate diſcedit, ideoque neque potis eſt ut mens inter ſe conciliare ſua, tum quia cum ſit inferior poteſtate, pluribus formarum plurium ad agendum indiget adminiculis, tum denique quoniam ſeipſam eſt accommodatura materiæ, in qua innumerabilia pro innumeris pereuntibus reſtituenda ſunt: ideoq; & ipſa natura inquam plurimum diſtracta eſt ſub intelligentia numerum. Multa igitur in materia mundi ex propria potius ipſius naturæ conditione, quàm ex ipſa mentis proprietate reſultant, in quibus nefas eſt diuinam mentem quaſi proximum artificem incuſare. Notabis rationales animas non cogi ab hac ipſa mundi ſeminaria ratione in deteriorem prolabi ſortem: ſiquidem & ipſæ quaſi animæ mundanæ collegæ partem ſuam, ideſt, actoritatem munuſque in opificio mundano pro-
B *priũ poſsident.* Mouentur igitur ſurſum deorſumq; cardine proprio, non quidem à natura mundi *compulſæ*, ſed opportunè cum ipſa natura potius conſpirantes: Quæ quidem animabus ita uel ita mundo ſeipſas aptantibus, tales & ipſa rite talesúe ſedes ſortesq; coaptat.

Quo ordine prouidentia puniat, & quomodo agat. Cap. XIII.

POſt hæc deſcendit ad Platonicam & Pythagoricam Aegyptiamq; ſententiam, omnium rerum uiciſsitudinem eſſe. Ideoq; delicta quæ prouidentia in una non punit uita, in alia uita talionis pœna punire. Quo ſenſu Origenes euangelicum illud accepit, Qui ferit gladio, gladio perit. Sed hoc ille uiderit. Talem quoque puniendi conditionem Chabalistæ Hebræorum doctores comprobant, putantes animas hominum ſæpius in hanc uitam ſub figura tantùm humana reuolui: atque ita curabilia peccata purgari, ſed ter tantùm huc poſſe reuerti. Hæc enim ad probationem ſufficere, & quæ his uicibus purgata fuerit meruerit beatiorem fieri quàm ante deſcenſum: quæ uerò prorſus abiecerit rationem, reſtare ſemper in gradu quodam ad rationem inferiore, ideſt, in ipſa imaginatione affectuque brutali. Addunt nequis ſuum excuſet pecatum, omnes tunc animas adfuiſſe quando Deus dedit Moyſi legem. Perpetuum uerò periodum non ſatis probant. Transformationem enim eiuſmodi uſque ad finem mundani motus poſſe fieri arbitrantur, quem ſequatur æterni ſabbati quies, æternaque beatitudo bonorum. Huc Dauidis illud tendere iudicant: Immaculatorum hæreditas in æternum. Item ſancti in æternum conſeruabuntur. Sed ad Plotinum regrediamur. Quòd omnes hominum actiones habituſque obſeruentur à prouidentia, & ordine certò pro
C meritis diſponantur, confirmat ex eo quod prouidentia multo etiam inferiora nobis, imò & infima quæque diligentiſsimè curat, ordinatiſsimeq; diſponit. Si qua enim à ſumma prouidentia negligi debuiſſent, res certè uiliſsimæ debuiſſent. At uerò in his non minus admirabile apparet quàm in pretioſiſsimis artificium tum ad neceſsitatem ſpectans, tum etiam ad ornatum. Imò etiam tantò potentia artificis & diligentia maior, quanto magis materia hæc locuſque ordini repugnare uidetur. Ordinem uerò in uniuerſa mundi materia & actionibus mundanorum conſtitui ſemper atq; reſtitui à diuinitate iudicat non per conſultationem aliquam qua ordo quæratur, ſed per ipſam eius eſſentiam, quæ ipſe ſit ordo. Diuinitatem hic intellige non ſolùm intellectum diuinum: ſed etiam intellectualem mundi animam: atq; inſuper intellectuale huius ſeminariumq; ſpiraculum in mundi materiam. Quod autem de rerum uiciſsitudine dictum eſt, natura quodammodo monere uidetur in uipera, quando filij naſcentes matrem necant, quæ patrem eorum necauerat coeuntem. Hinc fortè ſignificatur, quo ſenſu leges antiquæ parricidas culeo incluſos cum uipera ſuffocant. Et profectò quemadmodum prouiſum eſt, ut innocuum animalium genus facilèq; ab alijs deuorandum, multiplicetur quoq; facillime ſic, ut genus peſtiferum difficilius habeat incrementum.

D *Artificioſa naturæ opera ſunt à prouidentia modo artis naturæq; agente. Item mentes non ſunt propriè huius mundi partes.* Cap. XIIII.

Solemus ex operum actionumq; qualitatibus, qualitates uirtutum in agẽtibus coniectare. Hac ratione calẽfactoriam humificámue uirtutem ſic in ſole lunáue, ſicut in igne & aqua per opera actioneſq; deprehendimus. Cum igitur naturæ opus & ſummatim & ſigillatim tale ſit ſemper, taliterq; fiat, quale ſemper & qualiter ab arte prouidentiáq; fieri gubernariq; ſolet: meritò coniicimus ineſſe naturæ atq; præeſſe artificioſam prouidentemq; poteſtatem, non ambigentem, non fatigabilem, non uacillantem: ſiquidem non minus continuè opus rectè geritur, nuſquam aliquid retractatur, nunquam ſolitus ordo deſeritur. Et profectò cum nulla unquam diſcurſio rationis humanæ quamuis ſumma, poſsit abſolutum naturalium artificium uel operà uel excogitatione penitus aſſequi, ſignum hinc habemus, id opus non cogitationis diſcurſu tentari, ſed intellectu prorſus abſolui. Intellectu inquam rationis diſcurſu ſuperiore, ſaltem quanto id opus exrat ſuper humanæ artis opus. Intellectu rurſum non quærente, ſed agente potius tenore naturæ: ſiquidem non aliter agit, quàm ſoleat quodlibet naturaliter agens. intellectu proculdubio ſtabili: alioquin nullus foret in rebus ſtatus, unio nulla, nullus ordo rerum actionumq; perpetuus ſeruaretur. Intellectu denique naturalibus intelligentijs omnia ſimul facilius feliciuſque intelligente, intelligendoq; faciente, quæ ſol radijs uniuerſum & ſingula ſimul contueatur & agat. Intelligentiæ huius tum abſolutæ tum a-
E nimalis ſpiritus uerbumq; natura eſt, & uerberatu ſuo ſingula generans atq; mouens, & ſuo rurſum ſignificatu, intelligentibus interpretans artificis intelligentiæ notiones. Hac interim conditione prolatum, ut in uoce hac longius inter ſe ſingula diſiungantur, quàm in notione loquentis. Illic enim propter mirabilem unitatem in qualibet notione, comprehenduntur & omnes: hic autem ob diſcrepantiam longiorem non pariter in re qualibet ſunt pœnitus omnes. Ideoq; & hic & in mundo nec in partibus eſt totius perfectio requirenda: nec in parte alia proprietas alterius exoptanda, ſed potius admiranda naturæ poteſtas atq; ſapientia: quod per tot gradus, tamq; diſpares, tam ordinatè ſe ipſam adeo propagauerit. Poſt hæc obſcurum huius capituli calcem ſic intellige: Homines dæmoneſq; ſecundum uiram corpoream partes ſunt uniuerſi. Rurſum ſecundum actionem rationalem ſunt aliquid quodammodo particulare: quia diſcurſio dum motu per plura prius poſterius ue deſtrahitur, alias ad aliud propriè ſe determinat: Secundum uerò mentem ſimul ſunt uniuerſum: quia mens habet omnia ſimul, nec eſt ad aliud potius quàm ad aliud definita, nec affectionem habet mũdo contiguam. Deniq; ſicut in cælo ſtellæ, ſic mentes in dæmonibus hominibuſq; lucent: excellentiuſq; munus quàm ut partes habent. Neq; tamen horum mentes etiam ſi ut partes conſiderentur, derogant uniuerſo. Eatenus enim excellentes habentur, quatenus ipſi totius menti, & intellectuali totius ordini ſimiles iudicantur.

Ipſa uniuerſi ratio ſeminaria quæ natura uniuerſalis eſt, habet in ſe præſignata etiam quæ mala dicuntur, & hæc uniuerſi bono confirmat. Item omnia mundana ludorum more inania ſunt. Cap. XV.

F

Rerum defectus atq; interitus rebus inuicem à rebus illatos exiſtimat non ſolùm ex materia materialiumq; conditione contingere: ordinem namq; perpetuum habent, uerum etiam ex ipſa naturæ uniuerſalis intentione. Ex cuius propoſito eſt gradatim res deficere, dum diſpares conſtituit gradus. Eſt uel ſpõte, uel ab alijs interire: dũ ex præſentibus uult formare futura: ut infinitũ de inceps quem ſemel nequit rerum numerum conſequatur. Quatuor inter hæc de ratione ſeminali, ideſt, de uniuerſali natura notabis. Primùm quidem hanc generabilium omnium efficiens eſſe principium. Secundum, hanc eſſe hæc omnia, quatenus ſemina complectitur omnium. Tertium, ſingula quæ gignuntur per eam fieri ſigillatim: uidelicet ſecundum ipſius efficacem exemplaremq; uirtutem. Quartum, uniuerſam naturalium diſpoſitionem inter ſe uiciſsitudinemq; eſſe in ea præſcriptã: atq; ita foras exprimi quemadmodum eſt intus impreſſa: adeo ut nihil extra prouidentiã relinquat. Nam & quod contingenter uenit in opere non eſt ipſi rationi contingens, ſed & præſignatum iam, & mirabiliter ordinatum. Tangit inter hæc opinionem putantium animas omnium animantium, poſſe à præſentibus corporibus ſeperari, neque in animam uniuerſi reſolui, ſed in ſua proprietate ſubſiſtere, iterumq; ad corpora remigrare. Tangit & opinionem dicentium brutorum animas, quæ ex anima profluunt, uniuerſi in eandem quoq; refluere: Omnino uerò putat multam uniuerſo ineſſe uiram: multam inquam, ideſt, potentem atq; multiplicem ſecundum uarias rationalium ſubſtantias animarum, quæ quidem omnes paſsim uitas corporeas ex ſe propagẽt, ipſaq; propagine quaſi ludos animalia faciant: alioquin ſi nulla illinc animalia fierent, tum materia omnis uita careret,

tum

A tum uita iam in alio quã in materia, ideſt, in ſuo fonte cõſiſtens, quaſi ſterilis uideretur & impotens. Rara quidem Plotini ſententia eſt, irrationalẽ uitam qualiscunq; & ubicunque ſit, à rationali uita qualiscunq; ſit, & quomodocunq; fiat ita procedere, ſicut imperfectũ neceſſariò à perfecto depẽdet. Profectò quemadmodũ in corpore naturaliter lucido tria conſideras: primum formã ipſam, id eſt lucẽ: ſecundum uerò, actum eius in ſe dum micat: tertium, actionẽ extra ſe procedentẽ, dum illuminat aliquid. vbi illuminare pendet ex micare, hoc ſimiliter ex lucere, ita ſenſualem uitã exiſtimato ex uita rationali, hanc ex intellectuali pendere. Ratio enim motus quiddã eſt ab intellectuali ſubſtãtia quaſi luce in ſeipſa cõuerſus in ſemetipſam, quaſi ex luce micans. Senſus autẽ quaſi lumen eſt quẽdam proceſsio foras. Proinde ſicut à corporibus effluunt imagines quæ ſunt quaſi corpora: ſic ab animabus quæ efficaciores ſunt quã corpora, profluunt imagines animales, quæ ſunt quaſi animæ, ex quibus ſimul atq; accõmodatis ſibi corporibus animalia fiunt. Et quoniã hæc ludicra ſunt, ideo quicquid ad hæc attinet cõmodi uel incommodi, nihil plus ad bonum malumúe momenti habet, quàm quod affert opinio nos decipiens atque perturbans.

Quid ſit ratio ſeminaria mundi, quomodo agat: item de quatuor gradibus plenitudinis: item quomodo rationes rerum in communi ratione contrariæ ſint. Cap. XVI.

SI omnia ex intentione quodãmodo ſunt uniuerſalis naturalisq; rationis, uidẽtur omnia naturaliter rationabiliterq; fieri: ideoq; nec aliquid fieri contra naturã, neq; peccari. Adhæc autẽ ſoluẽda ita conſiderandum: ſicut nocte ex ſole lunaq; ſolari non duo lumina deriuantur, ſed unũ
B emicat lumen, ſolare quidem non parum, ſed lunare magis: & quatenus inde ad noſtra deſcendit, ĩã cuadit deterius quàm lunare: ſic ex ipſo intellectu, atque ex anima illinc intellectuali iã facta prodit ratio ſeminalis uniuerſalisq; natura. Iam quidem utroq; deterior, & animalis ſanè plus quã intellectualis exiſtẽs, atq; in materia rurſus ab utroq; degenerans, qua quidem res naturales tanquã lunari lumine coaleſcunt. Hæc quoniã ex animali ſubſtantia pendet, eſt uita quædã: quoniã ex intellectuali dependet nõ diſcurrente, eſt ratio nõ diſcurrẽs, quoniã eſſentialis ratio eſt, rationaliter agit, per eſſentiã uidelicet, etiã ſi quod agit minimè ſentiat, tametſi imaginatio eã operis comitatur: quoniã actio eius ex ſe penetrat in materiã, motio nuncupatur: agit uerò & mouet omnia. Nõ agit inquã uelut *ignis* propriè determinatum aliquid, & impetu toto: ſed uaria primũ, & moderamine certo, ad certũ finem, & terminum figurãq; & tempus, & uariæ uaria: uaria inquã primo, nõ ſicut ignis, qui uaria quoq; facere poſsit per accidens uel cõſequenter atq; per aliud. Mouet quoq; non loco ſimpliciter ut impellens, quod mouere ſoleat non formando. Mouere autẽ eius eſt formare, non alterationis tantũmodo, ſed etiam magisq; rationis artisq; tenore. Ibi enim ars eſt ipſa ratio, ibi ratio eſt ipſa natura. Inde corpus ita naturale mouetur, quemadmodũ tripudiator ab ipſa tripudiandi arte animo ipſius inſita: præſertim ſi fingatur hęc ars non quæſita quãdoque, ſed ita naturaliter inſita, ut ibi ſit ipſa natura. Quot ſanè modos formasq; in ſe ars ipſa cõplectitur, tot modis atque figuris mouet intrinſecus ipſa ſaltantem. Vtrum uerò ratio hæc naturalia mouendo formans, ac uiciſsim formando mouens, ſit forma & quaſi qualitas, aut quaſi motio & actio quædã? Eſt utiq; uelut utrũ
C que: eſt enim actus eſſentialem formæ poſsidens firmitatem, & efficaciam motionis: eſt quaſi qualitas quædam ſine accidente: eſt motio ſine tranſitu: eſt uita, ideſt, ſubſtantialis uigor ex anima in materiam, actuſq; perennis uiuaciter omnia & rationaliter agens: agit autem complurima, imò & cõtraria primùm: ipſa enim complurima ac fermè contraria ſimul. Hic tu multitudinem ſiue plenitudinem quatruplicem intelligito: Intellectum purum, intellectum animalem, animam naturalem, naturam materialem. Intellectus quidem purus ſub ipſa ſtatim unitate adeo ſibimet euadit unitus, ut ipſe formaliter conſiſtens omnia, in quolibet ſui ſit totus. Ideóque ipſius omnia in ipſo ſui quolibet comprehenduntur. Igitur penes ipſum partes cunctæ ſunt in qualibet non per potentiam ſolùm, ſed per actum. Differunt uerò formaliter, quoniam per actum alium atque alium & aliter atque aliter, ſiue magis etiam atque minus. Intellectus uerò animalis ſiue anima intellectualis plenitudo quidem eſt & multitudo penitus uniuerſa quamuis non unita penitus: ideóque & ſi partes eius cunctæ cõprehendantur in qualibet: tamen non tam actu quàm potentia continentur. Anima naturalis quæ eſt uniuerſalis ratio puráque natura, eſt inſuper plenitudo multitudóque tota, ſed longius ab unitate diſcedens, non tota hæc amplius in ſui quolibet continetur, nec actu inquam, neque potentia. Hinc ergò fit, ut partes quædam contrariæ ſint quibusdam: ſiquidem altera iam alteram non poſsit admittere. Natura tandem materialis, ideſt, corporea machina iu tantã uidetur multitudinem contrarietatemq; diſtracta, ut aliud non ſolùm iam non admittat aliud, ſed etiã acceſſu diſperdat. Quod ſanè exitium in ipſis naturæ ſuperioris partibus non accideret: ad quam regredien

D tes dicamus eam ipſa ſui diuerſitate originem iam eſſe quodammodo diuerſitatis & pugnæ inter mundi partes exorientis. Sic mundus hic poſitus dicitur in maligno, nec pacem habere, nec dare alicui pacem: dæmonémque potentem mundi huius principem eſſe quàm proximum. Concludamus itaque cum in uniuerſali natura unitas iam longius ab ipſa ſuperiorum unitate degeneret, ſimulq; degeneret plenitudo, adeo partes à partibus diſcrepare iam atque deficere, ut quod adeſt alijs, interim deſit alijs: itaque inter ſe fermè pugnaturæ iam uideantur, ut quod ſibi deeſt uendicent aliunde, dum ſingulæ cupiunt euadere totum: totúmque ipſum non eſt adeo potens, ut contrarietatem ex ſe prorſus expellat. Vnde fit, ut mundus ſubinde corporeus neque contrarietatem, neque mutuam à rebus pernitiem poſsit expellere. Interea tamen uniuerſalis ipſa natura tanquam ſuperioris intelligentiæ uerbum muſica ratione prolatum oppoſitas inter ſe uoces ſuas uirtute proportionum reddit amicas: atque ita tota, ſic eſt unum, ut muſica tota, totáq; tragœdia ex contrarijs in unum conciliata concentum atque decorem. Similis autem eſt ipſa ratio mundi regina potius rationi muſicæ, quàm poeticæ. Poetica enim res perſonásque accipit aliunde factas, neque neceſſariò conficitur ex contrarijs: muſica uerò ipſa profert tonos, neceſſarióque contrarios, neque enim concentus eſt, niſi ex grauibus & acutis, ex intenſis atque remiſsis, ex aſcendentibus atque deſcendentibus, imò etiam ex diſcordibus & concordibus componatur. Neque igitur concentus ipſius ratio eſt communis, niſi ex rationibus horum oppoſitorum inter ſe oppoſitis ſimiliter ipſa conſtet. Eodem pacto rationem ſeminariam mundi ex contrarijs rationibus intellige conſtitutam, per quas ipſa formas producat in mundo contrarias. Harum enim formalis inter ſe diſcrepantia quum neque ex ſe inuicem, neque ex materia neque caſu proueniat, nimirum ex amuſsim exprimitur, ex formulis in
E ratione contrarijs. Formæ quidem ideales in mente contrariorum non ſunt contrariæ, imò in oppoſitis ſæpe cognoſcuntur oppoſita: formulæ uerò ſeminales in natura effectrices contrariorum contrariæ ſunt. Nam in ſemine ignis eſſe ſemen aquæ non poteſt, ſicut nec ignis in aqua. In mente diuina ideam ipſam identitatis, & ideam alteritatis, ſtatúsque & motus eſſe memento. Intellectuales ſubinde ſubſtantias ad identitatem ſtatúmque potius, quàm ad oppoſita referas: rationales uerò potentias ad ideam potius alteritatis & motus: præſertim ultimam rationem materiæ iam contiguam. Sic utique mentis officium in unione conſiſtit magis, rationis autem magis in deſcriptione uerſatur. Neque poſſet eſſe ratio niſi multiplex admodum, ſuisq; in partibus intra ſe contraria: ratio inquã ſeminaria mundi, & infima diuinorum, in qua tanta partium diſcrepantia deprehenditur, quãta diuinis obtingere poteſt: ideoq; cùm extrema in diuinorum genere illic diſſidentia ſit, meritò ibi nomen contrarietatis accepit. Proinde cùm identitas ſtatusq; ad perfectum magis attingat, alteritas uerò motusq; ad imperfectum: meritò quatenus ab ipſa identitatis ſtatusq; idea deſcenditur, eatenus gradatim res ideæ participes minus habent identitatis & ſtatus. Contrà uerò quantò longius ab idea alteritatis motusúe deſcendit, tantò res inde participes plus alteritatis, ideſt diuerſitatis in ſeipſis, mobilitatisque admittunt. Alteritas igitur atque diuerſitas rationi ſeminariq; mundi inſerta diuinitus reddit eam maximè alteram intra ſe atque diuerſiſsimam diuinorum. Quum uerò rationis huius conditio præcipuè ſpectet ad ipſam alteritatis ideam, illiusque uis in hac longè prævaleat, dum idea illa ſeu uis eiuſmodi rationem hanc in diuerſitatem propagat extremam, uidetur hæc ipſa ratio non aliter propagare ſeipſam, quàm plantæ radix in ſtipitem atque ramos & reliqua: quæ tamen id agit quodam uegetalis uitæ uigore. Et profectò
F quæ uita carent non intus agere, ſed extra uidentur efficere: uiuentia uerò intus etiam in ſeipſis, multóque magis uita interius agere, & intra ſe ex uno quodam in multa gradatim propagare ſeipſam. Atque ita ratio ſeminaria mundi, uita quidem, ſed diuinorum uniuerſaliumque ultima, uidetur ſub ipſa uidelicet diuerſitatis idea ſeipſam in ſe per diuerſa articulatim contrariáque diffundere.

Decreſcente à ſuperioribus ad inferiora uirtute ſuppletur numero: Item quomodo humana notata ſunt ordinãturque in prouidentia intellectuali atque naturali. Cap. XVII.

Natura plura continet in ſe rerum ſemina, quàm mens ideas. Quum enim naturæ ſeminisq; uirtus ſit debilior, non poteſt in uno ſemine comprehendere, perq; unũ facere quæcunque idea poſsidet poteſtq; una. Ergo per plura ſemina diſtribuitur, ideæ unicæ uigor uirtutisq; debilitas numero cõpenſatur. Eadem ratione materia in plures perducitur, ſub unoquoque ſemine for-

A formas. Accedit ad mundi huius innumerabilem multitudinem dimenſio ſemper diuiſioni ſubiecta, motuſq; ſingula uarians, ac rerum inter ſe cõmiſtio multiplex, congericsq; uirtutum numerumq; ex ſingulis ubique ſuperioribus cauſis neceſsitate prouenies. Deniq; ne rerũ murabilium ſpecies aliquando pereant, ſubſtantijs numerus ſingulorum tum ſucceſsione, tum ſimul ultra permanentium multitudinem diuinitus augetur. Proinde in tanta rerum turba ob maximam diſcrepantiam diſſonantiamq; alijs alia noxia ueniunt, & propter indigentiam ex aliorum deſtructione ſe tueri, ſeruare, recreare conantur: interea uerò aduerſus multitudinẽ diſſenſionemq; tantã prouidentia ſingulis amorẽ & ad ſeipſa & ad totum uehementẽ inſerit, quò & ſingula paſsim inſinuata ſingulis inuicẽ uniantur, & deniq; toti. Poſt hæc dubitatur, utrũ boni maliue homines ſint in ipſa rationis uniuerſalis forma præſignati, & quomodo. Reſpõdetur autẽ lõgo comœdiarũ exemplo: ſicut hiſtriones proprias figuras, & uoces, & geſtus, & ingenia ſua ſecũ afferunt præter illa quæ mandat poeta, qui prudenter ſingulis officia locaq; cõgrua pro ſingulorũ proprietate diſtribuit: ſic rationales animas etiã ante corpora hęc ſuis quibusdã inclinationibus tales cuadere ſiue tales. Subinde rationẽ mundi talia illis accõmodare corpora, & quatenus illæ perſeuerant & proſecuntur, tales quoq; fortunas & deniq; ſedes. ex hac autem utrinq; diſparitate, mutuaq; interim proportionũ congruitate mundũ eſſe pulcherrimum atq; iuſtiſsimũ. Totum uerò hoc inuentũ ſimiliter habemus ab Origine: ſimiliaq; de angelis uel non labentibus, uel minus magisue labentibus feruntur à multis. Tu uerò ubi mundana ratio nominatur, intellige ſæpe cũ uirtute ſeminaria intelligentiã animæ mundanæ coniunctam, à qua ſeminalis aſsiduè natura dependet, regiturq; ad normã. Proprios igitur & antecedentes ani-

B morũ motus non in ſeminario, ſed intellectuali potius libro eſſe præſcriptos, neq; tamẽ inde cõpulſos. *Scripti enim ſunt tales ubiq;, quales & ipſi ſunt, ideſt ex fontibus proprijs oriundi: ſortes itẽ fortunasq; & ſedes præſciri inde ſimul, atq; pro meritis deſtinari.* In ſeminario autẽ exceptis antecedentibus animorum motibus, reliqua quæ ritè ſecuntur, eſſe nõ intellectualiter, ſed naturaliter efficaci terq; impreſſa. Sicut ergo ſeminariũ intellectuali congruit, ſic notionibus quæ ſunt ibi, formulæ in in ſeminario efficaces. quò fit, ut ſeminariũ conſequentia ſemper aptet antecedentibus animorũ motibus, quãuis nõ ſibi, ſed intelligentię notis: ſicut in arte potentia motrix exequitur ad unguẽ, quę nõ ipſa quidẽ, ſed imaginatio nouit. In antecedentibus quidẽ anima ſemper agit propriè, deus uerò cõmuniter: in cõſequentibus autẽ anima uiciſsim cõmuniter operatur, propriè uerò deus atq; natura. Oportet autẽ propriam aliquã ineſſe animis actionẽ præter tractũ ex uniuerſo pendentẽ: alioquin ſi nullam haberent propriã actionẽ, non poſſent de uniuerſi principio, fine, forma, ac de rebus hoc mundo præſtantioribus aſſequi rationẽ, imò uerò & res omnes oportet in ipſo uniuerſi tractu nõnihil proprietatis habere. Sic enim & ipſe proprias naturas aſſerunt, & principiũ quod omnia facit, ita potiſsimũ efficit ſibi ſimilia, ſi facientia facit: nã ipſe facit effectione. Si igitur actio ipſa omnium eſt origo, probabile eſt, quæ oriuntur inde agentia fore: atque ut habeant in quod agant, fore etiã patientia: fore quoque materiam paſsionum præcipuum fundamentum.

De ordinibus, ſpeciebus, differentijs animarum, & quomodo ſingula in diuina prouidentia deſignata ſunt. Cap. XVIII.

C PLato in Timæo diſtribuens ordines animarũ, ad tres potiſsimũ gradus uſq; produxit, ob eã ut arbitror rationem, quòd in anima uel elementa ex quibus cõponitur, uel potentiã, uel actionẽ eius conſideramus. Ratione elementoeũ in gradus tres cõmodè diſtribuimus. In primo ſiquidẽ animarum ordine idem ſtatuſq; diuerſum motumq; ſuperant: in ſecundo æquantur: in tertio ſit ad primũ uiciſsitudo: ſimiliter per tres gradus eiſẽtia atq; eſſe percurrit in eis. Rurſus quantũ ſpectat ad ires, in primo intellectus præualet, in ſecundo ratio, in tertio tandẽ imaginatio. Quantũ ſpectat ad actiones, in primo eſt actio omnino uniuerſaliter prouidẽs, ſcilicet omnibus omnia: in ſecundo uniuerſaliter quodãmodo ſcilicet uel omnibus quædã, uel quibuſdã omnia: in tertio uerò particulariter ſcilicet quædã atq; quibuſdã. In primo gradu ſphærarũ ponimus animas, in ſecundo ſtellarũ, in tertio dæmonũ atq; hominũ: tum uerò in ipſis dæmonũ & hominũ animabus tot ſpecies Timæus ponit, quot ſtellæ ſunt in cælo ſpecie inter ſe differentes: quibus ordine reſpondeant in ſphæris ſubinde ſuis ſpecies totidẽ dęmonicarum humanarumq; animarũ. Sed hoc intereſſe forſitan arbitrabitur, quòd in ſpecie ſtellæ quauis ſtella ſit unica: ſed in ſpeciebus ſubſequentiũ animarũ plura ſint in qualibet ſingularia. Plura itẽ in qualibet animarũ humanarũ ſpecie, quã in quauis ſpecie dæmonũ. Semper enim deficeps minor uirtus maiori quodã numero cõpenſatur. Cogita in qualibet idea naturã in cuius uirtute ſint mille dotes (ut ita dixerim) uel effectus ad multiplicẽ uniuerſi ordinẽ bonitatẽq; pertinentes. Speciẽ præterea ſtellarẽ uelut perfectiſsimã habere in ſe induiduũ perfectiſsimũ: ideoq; totã in ſe capiens ſpeciẽ & ideã, cunctasq; ſpeciei ideæq; actiones abſoluẽs. Speciem uerò dæmoni

D cam uelut minus perfectam indiuiduum quoque perfectum minus habere, quod quidē nequeat ſo
lùm uarias ideæ ſpecieiq; dotes explere. Ideoq; per plura hic indiuidua uarij ſpeciei & ideæ implen
tur effectus. In ſpecie tandem humana plura etiam quàm in dæmonica oportet indiuidua eſſe, per
quæ uariæ ideæ ſuæ ſpecieiq; dotes diſtribuantur, plurimiq; conficiant animi quæ nec unus nec pau
ci explere ualerent. Eſſe præterea plures humanarum ſpecies animarum Platonicus inde coniectat,
quod tanta eſt in hominibus diſcrepantia, ut alij diuini, alij bruti, alij uideantur humani. Neq; tanta
uel circa animam uel circa corpus diuerſitas in alia ulla animalium ſpecie reperitur: neq; tutum eſt
ſe Platonici putant, incredibilem animarum diuerſitatem ſolū in diuerſitatem corporum terrenorū
referre uelut in cauſam: præſertim quoniam qui corporibus ſimillimi ſunt, ſæpe ingenio ſunt & mo
ribus diſſimillimi, ac ſæpe uiciſsim. Præterea quòd hic illo aliquāto ingenio ſit uelocior, aut tardior
iracundior quoq;, uel mitior, & ſimilia: ad has corporeas qualitates quodāmodo referre quis pote-
rit? Quòd autem alij ſeorſum ad ſcientias artesq; alias natura propenſiores ſint, & admodū aptio-
res, nullus ex corporum differentijs aſſeuerare ualebit: quippe cū artes ſæpe ſcientiaq; eiuſmodi nō
tā ad corpoream quā ad incorpoream uideantur ſpectare naturam. Mitto mathematicas & phyſicas
diſciplinas, & gubernandi prudentiam, mirasq; uerſutias artium, in quibus alij ab alijs natura lon-
giſsimè diſcrepant. Certè quòd hic natura uideatur eſſe Thehologus, iſte Propheta, ille miraculorū
auctor legumq; conditor æternarum: alij uerò nequaquā, qui non multum ab his corpore differūt,
nō poteſt cauſam ex corporibus aſsignare: neq; proprijs inquā, neq; ergo cōmunibus, quæ per pro
pria duntaxat inſtructura noſtros animos uideantur. Quamobrē animas hominum Platonici ſpe-
cie colligent ſubalterna, in qua multæ ſint ſpecies (ut ita loquar) ſpecialiſsimę: multa quoq; ſub ſpe-
cie qualibet indiuidua, adeo ut animæ quædam inter ſe naturaliter ſimillimæ & amiciſsimæ ſint: aliq;
E uerò contrà. Omnino uerò ſingulæ ſpecies animarum ad congruas ſuorum dæmonū ſpecies, & ad
ſimiles ſtellarum ſpecies rediguntur: ſic ſolares animæ ad ſolares dæmones atq; ſolem: Venereæ ad
Venereos atq; Venerem, cæteraq; ſimiliter. Hactenus differentias tractauimus animarum, quas Plo
tinus hic primas aſſeruit: quæ uidelicet ex ipſa primùm natura ſunt uel ſecundum ſpecialem, uel ſe-
cundū ſingularem ſub ſpecie ſua proprietatē. Secundò differre putat ab alijs alias, poſtquā motu li-
bero fortè etiam ante corpus aliter atq; aliter ſurgere uel inclinari cœperunt. Vbi & illud euenit, ut
eadem anima diuerſis temporibuſ per uarias ſui ures operetur, & uiuat: ut non ſolū euadat alijs, ſed
etiam ſibi ipſi diſsimilis. Tertiò diuerſitatem in animabus ex corporibus putat accidere. Pri-
mò quidē ex corpore ſpiritali, deinde ſolido. Permultū enim intereſſe, ex qua parte mundanæ ſphæ
ræ ſpiritale uelamen ſibi familiare ſortitus ſit animus, ſiue cæleſte, ſiue athereum, ſiue aeriū ſortiatur.
ubi & referre quāplurimum ſub quali ſtellarum curſu figuráque ſuſceperit. Multa enim & uaria in
eiuſmodi corpora ex ſupernis influere, & animam inde transfluere: augeri uerò eiuſmodi differen-
tiam ex dæmonibus uarijs tunc acceptis ducibus animarum aliter alitérque ducturis: neque parùm
adhibere momenti ad quaſdam differentias animarum, hæc demum ſolida corpora, geneſimque,
& tempus & locum. Quartam denique differentiam animabus accidere uult ex uaria educatio
ne, conſuetudine, diſciplina. Totam uerò eiuſmodi differentium animarum diſtributionem per in-
æquales gradus & partes eſſe uult in ipſa intellectuali ratione mundi deſcriptam. Totam quin-
etiam diſtributionem corporum uariorum, & fortunarum, & terminorum congruentem propor-
tione quadam differentijs animorum in ratione ſeminali putat eſſe ſignatam, ſingulāque hunc in
F modum oportunè ſingulis coaptari. Subdit prouidentiam non poſſe congrua officia, præmia, ſup-
plicia reddere proprietatibus animorum, niſi has quoque in ſe penitus complectatur. Sicut neque
poeta competentes hiſtrionibus ſingulis perſonas & geſtus, niſi naturales & proprias eorum te-
neat facultates. Vtrobique igitur tam antecedentia quàm conſequentia partes prouidentiæ ſunt, &
humanæ ſimiliter & diuinæ. Sed antecedentia præcipuè prima non tam in ſeminario, quàm in
exemplari intellectualique diuinæ prouidentiæ libro ſunt partes, ubi leguntur etiam quæ non om
nino efficiuntur inde, ſicut & prouidentia ſolet humana: conſequentia uerò partes ſæpe etiam ſunt
in libro prouidentię ſeminario, ubi imprimuntur & exprimuntur inde quæ intelliguntur in altero.
Adeo uerò per antecedentia ſemper ritéq; conſequentia ordinata ſunt ſingula, ut quando ex inor-
dinata libidine committitur adulterium: ſtatim tum in libro naturæ ex coitu conſequatur ordinata
propagatio prolis, tum in ipſo intelligentiæ libro ex perturbata concupiſcentia deteriorique
electione deinceps ordine debito conſequatur perturbata adulteri uita, conditióque deterior.
Sic ergo natura pariter intelligentiaq; quæcunque uel malè uel ſorte uidentur accidere, communi
quodam conſenſu ſuis ordinibus implicant. Ita uerò animorum iniqui mores, & opera mala par-
tes rationis mundanæ dicuntur: ipſamq; rationem cum his malis fertur habere communionem.
Non quoniam propriè trahantur hæc inde, ſed quoniam ibi ab alijs facienda notantur, & facta ple
ctuntur:

A ſtuntur: itaque cum prouidentia conſideretur tanquam exemplar omnium atque opifex peccata quidem ſunt partes eius prout eſt exemplar potius quàm ut opifex: pœnæ uerò peccantium utraq; conditione ſunt partes. Vtrum uerò mala ibi proprium quantum mala ſunt exemplar habeant, an ex ipſo potius exemplari bonorũ dijudicẽtur, oportunius alibi pertractatur. Concludè iam prouidentiam non uegetalem ſolùm more plantæ, uerum etiam intellectualem artis & prouidentiæ more, ſed naturalis, uſque ad minima ſe diffundere.

Confirmatio primi libri atq; ſecundi: quod Deus faciat, intelligat, curet ſingula. Cap. XVIIII.

OPeræpretium eſt quæ & in hoc & in ſequenti libro de prouidentia tranſiguntur, ita breuiter confirmare. Cùm eſſe ubiq; ſit per formam, & quatenus habetur forma, catenus habeatur & eſſe, atq; uiciſsim: meritò coniectamus eſſentiam primam, formam quoque exiſtere primam. Formã uerò primam opotere putamus ſimpliciſsimam eſſe pariter atq; cõmuniſsimam: quatenus entia omnia ſuperat, & concipit atq; parit. Simplicitatem uerò uniformem, communitatemq; omniformem ita demum poſsider, ſi ſit intellectus, præſertim quoniam ad intelligentiam pertinet, tum compoſita reſoluere penitus in ſimplicia, tum res ſingulas ſub uniuerſaliſsima comprehendere forma. Prima igitur eſſentia eſt prima forma: prima uerò forma primus eſt intellectus. Quòd ſi eſſentia illic re ipſa & intellectus eſt idem: nimirum & eſſe atq; intelligere illic eſt ſimiliter idem. Tum uerò ſicut eſſentia talis paſsim, aut talis in ſuo genere prima, ſequentia facit non alio addito: ſed eo tantùm *ipſo* quòd talis, ceu ſol lucendo illuminat, ignis calefacit ubique calendo: ſic ipſa ſimplici
B ter *eſſentia ſimpliciter* eſſendo omnia procreat entia. Ac ſi cauſa eſt, ut omnia eſſe ſimpliciter habeãt: *eſt inſuper & in cauſa*, ut omnia eſſe tale habeant atq; tale: nam eſſe tale ex ipſo ſimpliciter eſſe dependet. atque formalis ipſa communisq; diſtinctio talium atq; talium, non ex materia, ſed ex ipſa prima omnium forma uniformi ſimul & omniformi procedit. Hæc igitur quatenus eſſendo efficit omnia, catenus facit intelligendo: ſiquidem penes ipſam intelligere non aliud eſt quàm eſſe. quod intelligendo facit omnia, nimirum & faciendo intelligit omnia. Intelligit inquã non ſolùm quædã omnibus cõmuniſsima, ſed etiã unicuiq; propria, quibus unumquodq; in ſuo eſſe, actuq; perficitur: alioquin confuse nimium intelligeret, minimãq; intelligentiam poſsideret: ac res potius in potẽtia, & hac quidem remota & confuſa cognoſceret, quã in actu. Accedit quòd ſi actio ipſius propria intelligentia eſt, tanquã eminentiſsima amplilsimaq; ſimul & intima, quouſq; agit, couſq; prorſus intelligit, atq; è conuerſo. Agit autem in ſingulis etiã atq; minimis peragendis: ſiquidem entis primi per ſingula quomodolibet entia certis ordinibus cõſequentia ampliſsimus eſt influxus, & quæ poſt ipſum agunt, ipſius ubiq; uirtute mouentur & agunt. Aguntur uerò ubiq; non ſpecies ipſæ rerum quę æternæ ſunt, quæ deus ipſæ ſunt: ſed indiuidua. Aut ergo Deus nihil extra ſe intelligit, atq; agit, quod eſt falſum: aut agendo ſingula, intelligit eadem, quæ nuſquam fierent, niſi prius intelligerẽtur à Deo: ſicut non fiunt à ſole niſi quæ proſpiciuntur à ſole. Intelligit itaq; Deus ipſe ſingula, non diſtractus in plurima, ſed collectus in ſemetipſum: quem intuendo uelut totius exemplar & cauſam cauſarum, perq; cauſas omnium cauſam contuetur & omnia, & contuendo curat & prouidet, quatenus ad finem ſingula dirigit atq; bonum: quandoquidem ſub ipſa ipſius boni forma omnia pro-
C creauit ad bonum. Quòd autem quãfacillimè cuncta tam diligentiſsimè curet, inde probatur: quoniã ab ipſo Deo res habent non ut ſint tantũ, ſed etiam ut cauſæ ſint. Nam & ut ſint inde habent, pro ut ipſe eſt cauſa. Si igitur illinc habent, ut ſint cauſæ, inde quoq; poſsident officium cauſæ proprium Hoc autẽ eſt conſeruare pro uiribus, & curare quod facit. Quamobrẽ ſi à cauſa prima cauſæ omnes hanc habent proprietatem, quantum cauſæ quędam ſunt, meritò hanc habet illa potiſsimũ, ut omnia curet & ſingula, quatenus maximè cauſa eſt, & cauſa ſingulorum: quæ quidem niſi ſingulatim cuſtodiãtur, nõ cuſtodientur unquã cõmunia quæ conſeruantur in ſingulis: nõ conſeruabitur totũ quod neceſſariò conſtat ex partibus: non excoletur uniuerſalis ordo totius, qui in gradibus uſq; ad minima deſcendentibus neceſſariò conſtat. Qui ſanè ordo, quæ diſtinctio cum certum perpetuumq; habeat ordinẽ, ideoq; caſu nequeat eſſe, ſed ex alicuius agentis intentione procedat, neq; tamẽ ex intẽtione agentis neceſsitate naturæ, cuius intẽtio determinatur ad unũ potius quã ad multa quatenus ſint diſtincta: meritò ex quadã intelligentis intentione procedit, nõ intelligentiæ cuiuſdã cauſęq; particularis. Omnes enim eiuſmodi in numero diſtinctorõ operum cõputantur. Ex intentione igitur intelligentiæ primæ maximęq; cõmunis prouenit uniuerſalis diſtinctio rerũ. Illa enim ab aliis per ſe diſtinguitur, cæteraq; inter ſe ſuæ notionis norma diſtinguit: & quatenus diſtinctiſsimè nouit, diſtinctiſsimè curat. Denique ſi prouidere ex abundanti prouidentis bonitate procedit, & ad bonum gubernata perducit, meritò ad cauſam optimam cauſarum ſpectat exactiſsimè ſingulis prouidere.

D

Confirmatio eorundem. Item quòd Deus certè ſciat etiam contingentia, neque tamen libertas inde tollatur arbitrij. Cap. XX.

PRouidere Deum rebus maximè, tanquam maximè ſuis, quouſque uidet non dubitamus. Vide re quoque Deum res, quatenus certis cauſarum uel deinceps agentiũ, uel è cõſpectu neceſſariò concurrentiũ ordinibus conſequuntur aſſerimus: ſiquidem ita quoq; philoſophi multa nonnunquã procul admodum futura quaſi ſint præſentia uident. Vident hæc inquam in cauſis, quas ipſi nec agunt, neque connectunt. Multo itaque magis proſpicit Deus quid ex cauſis, quid ex cauſarum proprietatibus, quid ex earum conſpiratione proueniat: ſiquidem ipſe uidendo cauſas efficit, easq; donat proprietatibus & connectit in unum. Ac ſi philoſophi quantò ſagaciores ſunt, tantò citius ex præſentibus uel cauſis uel inditijs abſentia colligunt: & quamuis temporali quadam rationis diſcurſione nitantur, tamen futura quaſi ſtatim redigunt ad præſentiam. Profectò æternæ mentis indiuiduus i ille ſtabilisq; omnino totusq; ſimul intuitus uniuerſam rerum diſtantiam uel localem uel etiam temporalem, ictu quodam indiuiſibili præſentarioq; complectitur, ut quæ inter ſe diſtantia ſunt atque futura, illi penitus proxima ſint atque præſentia. itaque nec tam in cauſis quàm in ſeipſis contueatur effectus. Iam uerò ex hoc ipſo quòd euentus non in cauſis tantùm, neque tanquam futuros aſpicit, ſed præſentes ſequitur, ut ubi philoſophi dum contingentes in futurum euentus aucupãE tur, ambigunt, Deus ipſe non ambigat. Nam quæ contingentia dicimus, hęc quandiu adhuc futura ſunt, poſſunt ex cauſis non exire: cùm uerò primùm præſentia ſunt, non exiſſe non poſſunt: neque ualent etiam dũ ſunt non eſſe: neq; in ipſis contingentibus quatenus ſunt ad præſens, datur eſſe pariter atque non eſſe, ſed eſſe duntaxat quamuis in futurum poſſint non eſſe: quare neceſſeriorum iã conditionẽ ſortita uidentur. Deus igitur ita firmiter contingentia tenet, quandoquidẽ ut præſentia uidet, ut quæ ſunt naturaliter neceſſaria. Nam & quilibet certus eſt eſſe fieriq; contingentia hæc intuens in præſenti, quæ olim, utrum in poſterum forent erat incertus. Præterea ſicut ex cauſa neceſſaria effectum ſecuturum certò ſciri poteſt: ita ex cauſis contingentibus, quoties comprehenduntur cunctæ, ſcituriq; utrum impediantur alicunde nec ne. Cùm uerò Deus tanquam & exemplar, & effector, & motor omnium omnia comprehendat: ita certus eſt ex contingentibus, ſicut ex neceſſarijs exitum ſecuturum, imò iam ſequi. Neque uerò mutabilia intelligit mutabiliter, neque diuiſibiliter diuiſibilia cernit, ſed pro indiuidua ſui immobiliq; natura ſimul firmiterq; tenet diſtracta etiam in ſe ipſis atque circumuaga: ſicut ſæpe uiſus indiuiduo quodam ictu multa conſpicit quæ mouentur: neque rurſum quæ naturaliter mutabilia ſunt, propterea firma redduntur, quod ille firmiter cõprehendat: ſicut neq; immaterialia fiunt, ex eo quod ille immaterialiter (ut ita dixerim) complectatur. Nam & ipſe intelligentia ſua, ideſt, actione ſua tam contingentibus ipſam contingentiæ ſortem imponit, quàm neceſſarijs neceſſitatis exhibet legem: atqui & intelligentiæ uoluntatisq; noſtræ motus quoslibet quamuis liberos firmiſsimè tenet. Intelligit inquam eos: nam eſſentia prima ſicutomnibus quomodolibet eſſendi cauſa eſt: ſic intellectualibus quomodolibet ritè intelligendi atq; uoF lendi. Directos itaque motus intelligit tanquam ipſe quoque mouens, obliquos autem tanquam ex oppoſito deficientes à rectis. Intelligit & certo motus, qui in ſeipſis uidentur incerti: ſiquidem ſingulos fieri iam non fore uidet. Æternitati nanque ita ſemel totum tempus eſt præſens, ſicut & centro totus pariter circunferentiæ tractus. Et quamuis qui nunc ita uoluntate mouetur, poſſit aliter deinceps aliteráe moueri, ille tamen de hoc non aliter atque aliter opinatur. Singulos nanque motus eorumq; modos ab initio ſemel anticipans mutabilem progreſsionem indiuiduo penes ſeipſum cardine firmat. Quòd autem plerique ſic argumentari ſolent: ſi certus eſt Deus animam id acturam, anima neceſſariò id efficiet, non conſequitur: ſiquidem ille certus eſt animam liberè id facturã: imò uerò id liberè facere. Præſentia enim cernit in ſe quæ futura ſunt rebus. Cùm igitur præſentes iam cernat euentus, non licet rurſus interrogare, utrum poſsit animus electionem ſuam interea permutare, poſtquam Deus animum ſic uiderat electurum. Non enim cadit interea tempus, ubi non electurum uiderat, ſed uidet potius eligentem. Neque tu rurſum obijcias: Si Deus firmiter uidet eligere: ergo compulſus eligit. Quid enim prohibet animum ſua interim uoluntate facere, quod Deus firmiter natura ſua cernit animam operari, atque ut libera faciat uoluntate, Deus ipſe ſua ſemper inſtituit uoluntate. Denique quod argumentari nonnulli conſueuerunt. Neceſſarium eſt id animũ facere, ſi Deus facturum ſcit ita uel facere. Similiter argumentari poſſemus. ſi homo dicatur idẽ ſcire, & utrobique neceſsitas non tam in conſequente, quàm in conſequentia ponitur: neque in reipſa ſed in argumentante deprehenditur: & conditionalis quædam neceſsitas hæc eſt non abſoluta. conditionalis autem abſolutam trahere ſecum minimè conſueuit.

ARGV-

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM SECVNDVM DE PROVIDENTIA

Quomodo machina mundi congruat cum natura, & natura cum intelligentia diuina: quæ etiam fortunam ordinat. Cap. Primum.

PER hæc dubitationes ſoluimus, quæ in huius libri fine mouentur, atque ſecundum aggredimur de prouidentia librum. Profectò ſic animæ rationales in prouidentia deſignatæ ſunt partes, non partes inquam naturæ uel machinæ corporalis: ſed partes, ideſt, participes prouidentiæ, atque in gubernando collegæ. Hinc & motus conceduntur deteriores, poſtquam ſemel nonnulla conceſſa minoribus eſt auctoritas. Quoniam uerò dicit ſeminariam uniuerſi naturam eſſe animam quandam, memento ſicut uocalis oratio diſtincte ſignificans non ſolùm ex intellectuali notione procedit, uerùm etiam eſt notio quædam: ſic ſeminarium mundi uiuũ, & omniforme ex ipſa mundi anima pullulans animam quandam eſſe: Ac ſi dicitur inſtrumentum uel intelligentiæ puræ, uel animalis intelligentiæ tale eſt profectò, cui motor ipſe ſuus, non tantùm præbeat motum, ſed etiam opificij formam. Eſt enim cognatiſsimum inſtrumentum, ſuóque ſubeſt opifici, non tanquam manus, ſed tanquam imaginatio uel imaginarius ſpiritus practicę rationi. Sub
B dit in libro ſecundo, rationem eiuſmodi, bona ſimul & mala complecti. Si enim in hac rerum habitus primo deſignati ſunt, priuationes quoque conſignatæ ſunt conſequenter. Simeliora deſcripta, etiam deteriora, & in longum progrediendo deterrima quoque conſcripta non ita ſolùm, ut peragantur inde omnino peiora, ſed ut tanquam inchoata uel deſignata, tandem per corporeas cauſas ſi ue conditiones expleantur in mundo. Cuius quidem uniuerſi gradus omnes & ordines, ita ſunt in mundanæ rationis conſcripti, ut non ipſa ratio primùm eos in ſe conſtruxerit: ſed tota potius unà cũ ſuis eiuſmodi partibus expreſſa fuerit ex intellectuali ſigillo, dum tamen euaderet ſubinde deterior. Multa enim in hoc ipſo mundanæ rationis ordine coaptantur ad unguem moribus animarum. quæ ſanè congruitas non ex hac ipſa ratione tantùm animabus ſubdita, ſed etiam multoſq; magis ex intelligentia quadam animabus ſuperiore præſcita ſimul & prędeſtinata uidetur. Quemadmodum uerò in ſeminario mundi neque totum partes generat, neque pars ab initio partem: ſic & corporea mundi machina ex ſeminario germinat ſimul tota, neque partes generat ſuas ex quibus ipſa cõponitur: neque inter partes neceſſarias eius alia procreat aliam: Ita neque ſtella facit ſtellam, nec ignis ab initio terram, neque homo leonem. Hinc efficitur ut nulla pars mundi penitus ſubſit alijs: ſed potius toti reſpondeat: ita uerò totum una cum partibus prodijſſe ex ſuo ſemine mundum, ſemenq́ue ex mente ſimiliter teſtatur plantarum animaliumq́ue generatio. Vbi non pars efficit partem, ſed partes ſimul unà cum toto paulatim ex ſemine pullulant: ex quo etiam patet partium cuiuſlibet atque totius rationes in ſemine contineri: ſimiliterq; rationes mundi totius in natura: naturæq; in anima, & animæ prorſus in mente. Proinde ait totum machinæ ſeminarium eſſe actum, &
C quaſi ſpiritum totius animæ mundi: ſimiliterque partes in eo eſſe actus quoſdam, & quaſi ſpiracula quædam partium animæ propriarum: ſimili quodam ordine totum hunc mundum ſeminarij totius actum eſſe, partesq; partium. Cùm uerò congruat undique machina ſeminario, & hoc animæ mundi, & anima mentis: ſequitur ut in machina ad mentis nutum omnia diſpõſentur. Probabile quoque eſt particulares animas tanquam animæ mundanæ ſorores, atque collegas ſecundum motus circuitusq́ue ſuos animæ mundanæ penitus conſonare: adeo ut uices electionum actionumq; quas agunt animæ, accommodentur ubique uicibus animæ mundi in naturalibus peragendis. Qua quidẽ connexione ad certas animarum electiones, actiones, uitas, certè quoque in uniuerſo ſortes fortunæque & corpora certa, exitusque conſimiles ritè reſpondent. Inter hæc ne quis opinetur difficilem eſſe Deo mundi totius curam, propterea quòd innumerabilia in hoc ſunt atque contraria, ſubdit omnia quantumcunque diuerſa in unam congredi formam: qua facillimè uni pareant auctori: ſi in miſtis elementa contraria in formam deſinunt unam: ſi in plantis & animalibus membrorum contrariæ qualitates unam admittunt uiuentis formam. Idq́ue utrobique fit naturæ particularis officio cui nam mirum uideri debet, partes mundi contrarias in unam coire formam, licet nobis occultam? coire inquã naturę uniuerſalis opera, quam & naturæ particulares ubiq; ſecuntur. Si redigas igitur opera ſingula ad ſingulas ubiq; naturas, easq; ſubigas uniuerſali naturæ, & hanc cõnectas intelligẽtię, intelligentiã unitati, planè cognoſces intelligentiã ex uno cardine rerũ uno quodã nutu cardines

D omnes ſequētia q̃ deinceps mira facilitate mouere: mouere inquã intelligẽdo, atq; ita ſingulis prouidere. Exempla uerò quæ ex prædicamentorũ ordine Plotinus adducit ad multitudinẽ generatim in unũ deniq; redigendã, perſpicua ſunt. Inter hæc notabis argumentum hoc eſſe, quòd ipſum unum ſit omnium principium: quòd omnia uel contraria in uniuerſo rediguntur in unum, ſcilicet præter naturam ſuam in unum ab unitate coacta. Notabis qua ratione ipſum eſſe in cauſam reſoluas ſuperiorem: ſiue enim dicas ens, id ex eſſentia corporis & eſſe: ideoq; in ſimplicius reſoluere cogeris: ſiue dicas eſſe id tanquam actum, redigis in eſſentiam ueluti fundamentum: ſiue dicas eſſentiam, hanc primùm imperfectam uides, niſi ſuſcipiat actum. Itaque ſuper hanc unum ipſum, ideſt, ineffabilem ſimplicitatem eſſe cognoſcis, à qua dependeat eſſentia actuſq; aſſentiæ. Ait ipſum unum & diffundi per omnia, & colligere cuncta, quaſi per membra neruus: qui dum uidetur diſtrahi, contrahit. Ipſum nanque unum, quatenus ſimpliciter eſt ubique, in unum colligit omnia: quatenus autem inde tale unum fit, atque tale uidetur eſſe diffuſum: ſed tale interim atque tale ad ipſum ſimpliciter unũ neceſſariò religatur. Neque ita reperitur in cunctis unum ipſum, ceu ſpecies una in ſingulis, uel genus unum in ſpeciebus: ſed ſecundum prius atque poſterius, magis & minus: fermè ſicut in numeris paſsim unitas numeralis. Proinde Plotinus ipſum ſimpliciter unum proximè quaſi deriuat in unũ ens: intellectum uidelicet unum: auctorẽ mundi proprium atq; rectorem: qui ex multitudine in ſe ipſo concepta multiplicem conficiat mundum, atque ex unitate in ſe ſuam multitudinem ſuperante multa mundi membra in unum colligat animal. In quo ſanè quicquid eſt tum ex natura communi
E parſ quædã eſt totius, tum ex natura inſuper propria eſt aliquod totum, propriamq; adhibet actionem, præter communem ex uniuerſo paſsionem cunctis illatam. Ex quo apparet Deum mira actionis ſuæ potentia actiones à rebus proprias non auferre: à rebus inquam uel minimis, ceu ab igne uel equo, multoq; minus à præſtantioribus auferre, ſcilicet ab animabus, non conditione naturæ determinatis ad unũ, ſed ad plurima ſe uicißim oppoſitaq; uertentibus. Idq; pro natura ſua per diuerſa mobili facientibus, ſed interim ordinante Deo quales ubique ſe animi reddiderunt, tales eis ſemper redduntur euentus.

Nihil contingit caſu. Nam prouidentia minima quæque ordinat. Cap. II.

COnſidera primùm totam mundi machinam circunfuſam terris, eſſe in omni diſpoſitione motuq; ſemper ordinatiſsimam. Secundò, terrena omnia plurimùm ordinatiſsimè naſci, atque procedere. Tertiò, terram ad reliquum mundum eſſe uelut punctum. Per hæc quartò concludes, in hoc puncto molis immenſæ ab ipſa mole concluſio mirabiliter ordinata, nihil non ordinatum poſſe relinqui, ut etiam quæ interdum caſu quodam fluitare uidentur, certò ſcias penes ordinem uniuerſi ſuo quodam ordine non carere, penes ordinatorem inquam mundi totius intellectum. Ordo nanque naſci ſemper ab intelligentia conſueuit. Illius enim nutu ſimplici prorſusq; immobili machina ex tam diuerſis mobilibusq; congeſta ordinatiſsimè conſpirat & regitur. Præterea cum in qualibet gubernatione quatenus maior gradatim maiorq; in gubernatore intelligentia eſt atq; poteſtas,
F eatenus minus aliquid fortuitò illic accidat: certè ſi ſumma quædam poteſtas & intelligentia gubernat mundum, totumq; omnino ſubeſt illi, nullus uſquam relinquitur temeritati locus. Accidere nanque gubernatori caſus ſolet inopinatus uel alienus, quia uel non omnia conſpicit, uel non omnibus dominatur, ſoletq; caſus ab externis incidere. Vniuerſum uerò ſub unius diuinæ mentis imperio cõſpectuq; comprehenditur, ut nihil ſubterfugere præuaricariq; poſsit: præſertim quia ſicut uita mũdi eſt inqualibet parte tota, ſic & intelligentia in hoc uiuente corpore tota ſimul ubique. Neque tractat extrinſecus materias alienas, nec in plura diſtrahitur, ſed ſuam agitat intus, atque ex uno cardine totam tamq; facilè regit intelligendo, quàm uita uiuendo uiuificat, quàm corpus agit eſſendo. Quod enim in corpore eſt eſſe per formam à uita intelligentiaq; ſuſceptam, id quidem eſt in uita uiuere: id rurſum in intellectu eſt intelligere. Ex tota quidem intelligentia tota profluit uita: ex uniuerſa rurſum uita ſimiliter corporis uniuerſi communis emicat forma. Simili quadam proportione diuerſæ in machina formæ ex uarijs proſiliunt in uita ſeminibus. Differẽtia ſemina ex differentibus in intelligentia notionibus inſeruntur. Notiones igitur intellectus ipſius per ſemina rerum uſq; ad ſingulas rerum perueniunt formas: atque ſicut ſemen unum dum plures ſingulorum generat formas, non confuſè, ſed diſtinctè agit in ſingulis, alioquin ſingula non perfectè formaret: ſic & una intelligentiæ notio ubi per plura ſemina uitæ plurimas inſuper formas in ſingulis exprimit, non indefinitè quidem, ſed determinatè agit in ſingulis, alioquin ageret imperfectè: neque actio eius & uirtus uſque ad ipſas uitæ naturalis actiones proprias perueniret: tametſi neceſſe eſt ſuperioris amplioriſq; ſemper cauſæ uirtutẽ actionemq; ultra miniſteriũ inferioris longè lateq; procedere. Quo

effici-

A efficitur, ut primæ ipſius eſſentiæ uirtus & actio, quæ intelligẽtia eſt per ſingula protendatur. Tum uerò ſi dixeris effectus paſsim ſingulares in rebus ex proprijs duntaxat formis & uirtutibus proue nire, meminiſſe debes uirtutes ubiq; formasq; proprias quæ ad formalẽ pertinent ordinem uniuerſi ex primo rerũ ordinatore procedere, penitusq; ſeruari atq; moueri. Cũ igitur in formis & uirtutibus ipſis exitus ſinguli cõprehendantur, neceſſariũ eſt per uirtutes ſaltẽ formasq; ipſas ſingulos ubique effectus ad ipſum uirtutum & formarũ omniũ largitorẽ & ſeruatorẽ atque motorẽ penitus pertinere: uirtutes inquã & formas ſiue ſpeciales ſiue etiã ſingulares. Nã & in ſingulis phyſici dotes mirabiles inuenerunt, quæ ſæpe cæteris ſub eadẽ ſpecie minimè cõceduntur. Deniq; ſi quod Platonici putant, & aſtrologi neſcio quomodo confitentur, lux in cælo ſenſus eſt, atq; radios paſsim ex luce protẽdere eſt ſingula perſentire, ſentiendoq; facere, & faciẽdo ſentire: nihilq; uel ſub terra latet, quòd nõ ſentiatur inde latentibus ubiq; radijs, alioqui nõ generarentur etiã ſub terra cæleſtia: nimirũ & intelligentiæ primæ radij per omnia protendũtur, & quatenus ſeipſos ad ſingula uſq; deriuãt, procreant ubiq; ſingula, perſpiciũtq; procreando, quandoquidẽ & procreant intuẽdo. Perinde atq; ſi dicas, & ſtellas aſpectibus facere ſingula, & ſtrutiũ oua mirabiliter intuẽdo fouere, pullosq; formare. Cũ igit ue nihil uſquã diuinũ lateat intellectũ, & ordo ſit intelligentię, prius, nihil uſquã in hoc intelligentię opificio poteſt accidere, quod nõ ab ipſo totius ordinatore ſit ordinatũ, etiã anteq; accidat, & ſubitò niens annexũ cæteris cõſequenter, & in ordinẽ uniuerſi redactũ. Qui ſanè ordo ita demũ abſolutiſsimus eſt, ſi minima quęq; prouidẽtiſsimæ ſint ordinata. Ita rurſus excellentiſsimus, ſi non ſolũ ex ordinatis, uerũ etiã ex ordinatoribus cõpleatur. Plures igitur in hoc ordinatores ſub primo gubernata diſpenſant, uirtute legibusq; primi: cuius tanq; potentiſsimi uirtus & actio per omnes ſub ipſo gu-
B bernatores, atq; ultra propria eorũ munera ſe, prſus amplificat. Itaq; ſicut multa quæ nobis fortuita ſunt, eadẽ gubernatoribus ſunt, puiſa: ſic & nõnulla extra gubernatorũ intentionẽ ueniunt, quæ sũt ex prouidentia primi, cui nihil uſquã accidit improuiſũ: quippe cũ ad perfectiſsimũ & optimũ intellectũ cõſumatiſsima pertineat, puidentia. Ea uerò eſt quæ nihil ignorat, nihil improuiſũ eſſe permittit. Omnino uerò caſus inopinati nobis, qui ex diuerſarũ inter ſe cauſarũ confluxu cõtingunt, ſiquidẽ ab aliqua cauſa ordinãtur, nõ â cauſa quadã reguntur agẽte tantũ more naturę. Cauſa enim ſimpliciter naturalis cũ per unã agat formã, determinatur ad unũ: nequit igit euẽtus inopinati cauſas plures inter ſe diſperſas, nec ullũ inuicẽ per ſe habentes ordinẽ ad unũ effectũ ipſa per ſe redigere, cohibere uerò multiformes in unũ cauſas poteſt cauſa ſola cognitionis munere fungẽs: quæ multas in ſe cõcipiens formas, meritò & rerũ multiformiũ eſt principiũ, & diſformes cauſas inunã euentus alijs inopinati formã mirificè cõgregat. Hinc Proculus in Timęo fortunã definiẽs inqt: nõ temerariã eſſe uel cæcã, ſed eſſe diuinã uel dæmonicã poteſtatẽ, in unũ exitũ diuulſas cauſas cõgregantẽ. Ideo Plato ubi in epiſtolis fortuitũ quendã tractat euentũ, poſt fortunæ nomẽ ſubitò dæmonis nomẽ adduxit Itaq; ſæpe dæmones occulta quadã perſuaſione hominẽ hũc hac uia, illũ uerò illa in locũ eundẽ mittũt, quò illic occurrẽtes ſibi inuicẽ, aut tertiò euentũ pariãt improuiſũ illis, ſuperis uerò prouiſũ. Interdũ quoq; ſuperi nõ tã diuerſos ad unũ aliqd ipſi mouent, q̃ motis per ſe illis ad aliqd ipſi interim utũtur ad aliud, inopinatũ quidẽ hominib. ſuperis uerò, pſpectũ. Proinde ſiue moueãt primũ ſuperi noſtros animos, ſiue per ſe motis utãtur: dęmones quidẽ ſuperiores ratione potiſsimũ agũt in ratio
C nẽ perſuadẽdo ſimpliciter atq; trãquillè, inferiores aũt imaginatione plurimũ atq; ſpiritu, in ſpiritũ imaginationẽq; noſtrã perturbationes aliquas ſuſcitãdo, & utriq; cõſequenter agũt in uoluntatẽ, deus autẽ directè agit in uoluntatẽ. Deniq; quomodocũq; & undecũq; in caſus inopinatos incidimus, uel proſperos uel aduerſos cõtingentia nobis sẽper meritis noſtris cõſentanea ſunt uel præſentibus uel prçteritis, uel futuris: & cõferunt nobis quidẽ quãdoq; uniuerſo sẽper. Sic enim deus uniuerſi tẽperat harmoniã: ut ſi qs totũ orbis ſpatiũ, & in eo ſingula, totũq; tẽpus uno cõſpicere poſsit intuitu perſpecturus ſit unicuiq; iuſta repẽdi: aliaq; paſsim alijs ita ſonare, ut toti potiſsimũ omnia cõſonẽt

Quamuis ſingula ſint in prouidentis Dei mente ſignata, tamen animus agit liberè. Item uniuerſum oportuit diſpares gradus habere. Cap. III.

PEnes effectorem ipſum, & exẽplar mundi primũ ſicut numeratæ ſunt animę, numerata & corpora. Sic quales animæ ſint ab initio, ſimiliter & qualia corpora: rurſus quales animæ quęq; ſe reddant, atq; deinceps quales eis pro meritis rependendæ ſint ſortes: cuncta igitur & quid agant & quomodo, & quid patiantur, & quomodo in ipſo prouidentiæ ordine comprehenduntur. Quod quidem humanus animus ita uel ita moribus affectus progrediatur, in cauſa eſt quoniam ita cœpit quãdoq; uel ita. quòd autem ſic inceperit cauſa eſt duntaxat quia ſic atque ſic incipere potuit: at uerò quòd utrunque potuerit, non potes in aliam reſoluere cauſam. Hæc enim ipſius eſt natura ſcilicet uita liberè mobilis atq; rationalis. Si quis autẽ ulterius perquirat cauſam, cur anima ſit ab initio talis, nõ aliter erit ridiculus q̃ ſi perquirat, cur anima ipſa ſit anima, aut cur ignis ipſe ſit ignis.

D Sanè cur ignis aſcendat, penetret & diſſoluat, cauſam aſsignabis: quoniam leuis ſit, & ſubtilis, & calidus. Sed perſcrutari quare ſit hoc ipſum, nihil aliud eſt, quàm cur ignis ſit ignis inquirere. Vnaquæque rerum ſpecies ab æterno certis eſt intrinſecus terminis definita. Cunctæ itaque ſpeceis ſic ab æuo in ſeipſis determinatæ nihil aliud eſſe uidentur, quàm certæ quædam determinationes, quibus intelligentia prima conſtat primùm, & quaſi partibus diſcernitur in ſeipſa, adeò ut mens ipſa ſit definitiones eiuſmodi intellectuali neceſsitate naturæ. Similis ſubinde in uegetali natura ſequitur diſpoſitio rerũ: ſimilis & in machina mundi ex cauſa non conſultante quidem ac per conſilium eligente: ſed ita naturaliter in ſe affecta, ita naturaliter germinante. Diſpoſitio eiuſmodi ſpecierum in natura eſt ipſa natura: in machina ſimiliter eſt ipſa machina mundi. Quærere igitur cur mundus tot tamque diſparibus rerum gradibus conſtet, eſt inquirere, quam ob cauſam mundus ipſe ſit mundus. Quemadmodum ſi quis quærat, cur planta uitam habeat & non ſenſum, & radices habeat atque ramos: cur animal ſenſum habeat, nec rationem: cur pedes atque caput: quare homo humanã intelligentiam, non diuinam. Optare autem plantam quidem eſſe animal, & animal eſſe hominem: & hominem eſſe Deum, nihil aliud eſt, quàm Deum relinquere ſolum, mundumq; deſtruere: perinde atque ſi quis pedem uelit eſſe manum, hanc oculum eſſe deſideret: ſic & ſingulatim membra diſperdet, & denique totum. Verùm ut ad conditionem nobis magis propriam deſcendamus: homo non debet conqueri quòd ab initio præſtantior non ſit effectus: quandoquidem ita ſatis habuit, atque ut nonnulli probant, ipſe ſe quodammodo præſtantiorem poteſt efficere, quòd homine inferiora non poſſunt. Itaque habet quandam in ſe principij rationem: ſiquidem bonum quiddam poteſt addere bono, quod habuit ab initio: quòd uerò ita poſsit, ex eo conijcimus, quia poteſt & in peius
E aliquando labi, quod inferiora non poſſunt. Deus autem non feciſſet humanam ſpeciem, quæ plãtis & brutis eſt melior talem, ut in peius prolabi poſſet, niſi feciſſet & talem, ut poſsit in melius proficiſci: quippe cum ſit primo bono propinquior. Inter hæc uerò quod ait exemplar uniuerſi ipſumq; uniuerſum eſſe cuncta digeſta per gradus, memento cùm in prima puraq; forma non poſsint multa eſſe, niſi differant, neque differre queant, niſi formaliter: illic dupliciter inter ſe diſtingui, tum uarijs formarum modis quaſi per latititudinem: tum diuerſis formarum gradibus quaſi per longum. Nempe quia mens proceſsione quadam ſub bono, ſuam accepit formam: ideo & in ſe ipſa ſimiliter procedendo uarios ſuæ formæ gradus induit uelut uultus. Hinc efficitur, ut in mundo quoque deinceps per gradus impares proceſsio fiat, aliaq; conſequenter alia faciant, uel propagentur in alia. In diſpoſitione rutſum plantarum atque animalium partes gradibus inæqualibus digeruntur: ſed diſpoſitio talis in mundo ideo dicitur non eſſe ſimpliciter optima, quoniam longiſsimè diſtat à bono, cui proximus eſt mundi faber primus, cui ſubijcitur anima mundi. Huic ſubditur mundi ratio ſeminalis, ex qua ſimul ac mundi corpore animal ſit mundanum, rationi ſubijcitur corporea mundi forma. Eiuſmodi uerò ratio non ſic animata, ideſt, uiua dicitur, ut eſt anima mundi: imò in hanc ita definit ipſius animæ uigor, ut in teporem calor, ac lumen ſimiliter in pallorem. Simili quadam proportione degenerant à uitis ubique in ſe manentibus uitæ quædam inde corporibus dedicatæ, ſiue in ſphæris ſtellisq;, ſiue dæmonibus & hominibus id cogitetur. Vbique uerò ſuperius in natura naturaliter inferiori prouider, & quanto ſuperius, tanto prouidet magis, ac prouidendo firmius permanet in ſe ipſo: nam ex hac ipſa firmitate ſua prouenit perpetuus prouidentiæ tenor, dum uideli-
F cet non afficitur, non inclinatur in alia, ſed exuberat.

De intellectu & ratione & imaginatione. Cur homines non ſemper utantur ratione. cur anima fiat deterior. quòd non tranſit in beſtias. Cap. IIII.

IN ſequenti capite conſiderabis iterum geminam eſſe rationem mundi communem. Primam quidem adeſſe mundo uelut artificem: ſecundam uerò ineſſe uelut formam per quam uelut cognatam artifici etiam artifex uideatur mundo coniunctus. Artifex quidem præſidens eſt intellectualis ipſa ſubſtantia: inſidens uerò uelut forma eſt ratio ſeminalis, qua coire intellectus cum materia mundi uidetur atque generare. Reliquam Plotini ſententiam ſummatim ita collige: Duo ſunt in anima noſtra actionum principia liberarum, intellectus, & ratio: quorum opera poteſt anima præter id ipſum quod habuit ab initio progredi. Sed intellectu quidem profecit ſubitò, factúſque eſt animus ſtatim ex humano diuinus: ratione uerò proficit tempore, deficitq́ue ſimiliter: ut uel ſit humanus, uel diuinus fiat & dæmonicus atque ferinus. Adſunt quidem omnibus hominum animabus ſemper intellectus & ratio, ſed non omnes ratione uiuunt: intellectu quinetiam pauciſsimi. Multi enim imaginatione uiuunt potius atque ſenſu: in quorum imaginatione ratio-

A nem ipſius ſcintillæ uel raro micant, uel etiam quandoque non micant. Quum imaginatio potius ad oppoſita conuertatur: quemadmodum & intellectus communiter in rationem humanam præter quàm in beatis uix ſcintillare uidetur. Adeſſe quidem intelligentiam & rationem propriam animabus humanis etiam non utentibus non diffidet quicunque cognouerit intelligentiam quoque rationemq; communem ubique uigere, rebusq; quàmminimis eſſe præſentem. Interea notabis intellectum non eſſe adeo ſeparatum, quin ſit pars animæ: item ſicut ignis ſemper calet, ſic intellectū intelligere ſemper, & potentiam animę in diſcurſione poſitam diſcurrere ſemper quocunque modo diſcurrat, ſiue per rationes, ſiue per imagines, more etiam ſomniantis: potentiam ſimiliter uegetalē aſsiduè uegetare. Præterea dum anima uiuit in homine, tum mentem tum rationem eſſe aliquid hominum, quamuis non utraque ſemper actu redundet in homines, atque mens rarius admodum quàm ratio fulgeat. Siquando uerò anima ſit in brutis, neque mentem neque rationem aliquid uult eſſe brutorum, ſed imaginationem tantùm uegetationemq; cum eis communicari poſſe. Quòd autem non ſolùm intelligentiæ communiter, ſed etiam rationis quandoque fulgor in animabus micare minimè uideatur, in cauſa eſt, uel peruerſa nimium corporis compoſitio, tum inepta frequenter ingenio, tum perturbationi parata, uel forte ipſa ratio ſeminalis animæ iãdiu in habitum conuerſa brutalem, atque ſubinde corpus in materia prout fert opportunitas ſibi brutale conformans: ſi modò potentia genitalis primam corpori qualitatem affert: ut anima tunc non talis euadat omnino qualis nauciſcatur & corpus, ſed tale ſibi fingat corpus, qualem iam naturã ipſa ſibi conceperit ut meritò in ſe facta deterior in deteriorem uitam transferatur & ſortem. Poſt hæc quatuor cauſas

B obſeruabis, quibus anima noſtra deterior quandoquè poſsit euadere. Primam quia poſita eſt ab initio poſt ſecundum ordinẽ animarum. Secundam, quoniam momentum ab initio minimum longius paulatim cadendo fit maximum. Tertiam, quia dum anima cum alia quadam uel anima uel re forte concurrit, uel potius dum in anima affectio quædam prior cum poſteriore congreditur, ex tali quodam congreſſu uis noua reſultat, nouumq; inde facit effectum: ſicut eſt in aliarum rerum cõmiſtio compertum. Quartam, quia præcedentes actiones in uita præterita, talem habitum inchoauerunt uitæ præſenti. Verùm ubi Plotinus uelle uidetur rationem animæ ſeminalem ex actionibus antecedentibus adeo degenerare, ut ipſa potentia genitalis quæ erat in propria hominis ſpecie, fiat iã in ſpecie bruti cuiuſdam: atq; ita hæc brutum eiuſmodi concipiat uel accipiat, intellige totum ſub conditione dictum: ideſt, ſiquando ipſa naturalis potentia in ſe ſpeciem mutare poſsit, conſequenter ad talem ſpeciem transferri ferinam: ſed certè non poſſe ratio nobis oſtendit. Primò quidẽ quia cũ rei nullius eſſentia propria eſſentialiſq; potẽtia quandiu exiſtit poſsit ipſum eſſe alterius ſpeciei proprium, actumq; illius eſſentialem quandoque ſubire. Certè nec hominis anima rebus multis longè præſtantior adeo poteſt à ſpecie ſua cadere, ut ſpeciem induat aliorum, atque nonnunquam deteriorum. Secundò quia cum dicat Plotinus alibi, ipſum intelligere atq; ipſum uegetare eſſe prorſus ſubſtantiale, neque permutari intelligentiam per actiones animæ, conſequens eſt, ut fateatur, neque potentiam uegetalem per actiones aliquas permutari, quod experientia patet. Non enim per habitum morum prauum ipſa fit praua, uel fit bona per bonum: & ratio ipſa demonſtrat accidens ipſũ

C mobile non permutare ſubſtantiam permanentem, præſertim ſi oriatur intrinſecus. Quamobrem ipſa uegetalis eſſentia nunquam ex ſua ſpecie per accidentales imaginationes brutis quodammodo ſimiles in brutis ſpeciem transmutabitur: neque per ſe ſpeciem deſeret propriam: ſiquidem ipſa ſit ſempiterna: ſed habitus quidam ferinus potius contrahetur, in ipſis imaginationis actibus & affectibus: habitus inquam, potentiã inſuper rationalem afficiens imaginationi uidelicet ſæpe cõſentientem. Qui ſanè habitus uelut nimium alienus diu animam à diuinorum contemplatione, & uita locóque detorquet. Tertiò quum transferri animum in uitam ſortemq; deterrimam putent purgationis gratia, quo malefacta retractat præteritorum pœnitentia ductus, aditus omnis pœnitentiæ clauditur: ſi rationalis ipſa ſpecies præcipitatur in brutam. Accedit ad hæc quòd in genere noſtro tam diuerſi ſunt gradus, ut figuram corporis non oporteat iuſtitiæ uel congruentiæ gratia commutare: quandoquidem ſub hac ipſa figura homines ſunt humani & bruti (ut ita dixerim) atq; dæmonici. Si hactenus Plotinus ſentiat, à Timæo Pythagorico, non diſſentiet, & ab Ariſtotele forſan non diſsidebit, nec improbabitur ab Hæbreis. Hi namque omnes facilè concedent animam noſtram per corpora duntaxat hominum poſſe reuolui: brutis uerò nequaquam accommodari: accommodari uerò dæmonicis poſſe figuris: nam habet & ab initio ſpiritile corpus corporibus dæmonum quàm ſimillimum.

D *Quòd oporteat eſſe diuerſos rerum gradus: quòd prouidentia diſpenſet ſingula geometricæ proportionis æqualitate: quòd fatum ſeruit prouidentiæ: de libero arbitrio. Cap. V.*

Diuina mens ſicut formales in ſe rerum rationes habet ſpeciebus gradibuſq; diſtinctas: non enim aliter in pura forma quã formaliter poteſt eſſe diſtinctio: ſic in mundo diſtinctionẽ eiuſmodi configurãs, non æqualem ubiq; ſeruat numerũ, ut quot uires & quales in ſe res hæc habet, totidẽ talesq; habeat illa: alioqui una quædã fortè ſufficeret, ſuperuacuæ forent reliquæ noui nihil ad dentes, factæq; uiderentur plures dimẽſionis potius ſectione uel accidente quodã quã eſſentialis differentia formæ. Quas ergo res deus non æquat in ter ſe numeris atq; ponderibus, ſaltem congruitate proportionis adæquat. Vt ſi progrediaris in longum, uideas creaturã primam uigore ſuperare ſecundã proportione dupla: præterea ſecundam ſicut per duplam ſuperatur à prima, per duplã ſimiliter tertiã ſuperare, atque deinceps tertia quartã. Similibus quoque proportionibus quibus naturæ naturas ſuperant, cognoſces actiones naturarũ & paſsiones uiciſsim excedere actiones aliarũ atq; paſsiones. Si rurſus digrediaris in amplũ uidebis ſi comitantia creaturã primam uel circunſtãtia ex cedantur ab ea ſexquialtera ratione, uel potius ſexquitertia: ſimili proportione quę circunfuſa ſunt creaturis ſequentibus ſuperari. Non igitur arithmetica, ſed geometrica potius æqualitate prouidentia gaudet. Hæc enim eſt iuſtitię propria, qua ciuilis prudentia domũ & ciuitatẽ gubernat, & regnũ cui quidẽ prudentiæ Plotinus diuinã prouidentiam cõparauit. Item poeticæ ſimul & muſicæ, denique & ſæpius & libentius uegetali cõparauit naturæ, animal plantãq; regenti. Natura enim inſtrumentũ eſt prouidẽtiæ. Hac igitur cõparatione docet, ſicut animal unũquodq; una diſpenſatur ubiq; natura, mẽbris infimis tã præſente, quã ſummis: ſic & mundanũ hoc animal una prouidẽtia regi ſingulis ubiq; præſente. Inter hæc obſeruabis in mũdo ſingula, ſicut in animali mẽbra ultra cõmunem conditionẽ uires quaſdã & actiones proprias poſsidere. Item quã facilè in quolibet animali partes ꝓpter cõmunem naturã cũ partibus ſenſu ſtatim & paſsione cõmunicant, tã facilè ſingula in mũdano hoc animali tanquã mẽbra ꝓpter naturæ unius cõmunionem cõpati cõſentireq; inuicẽ, non ſolũ quę ſitu ꝓpinqua ſunt, ſed etiã quę inter ſe lõgiſsimè diſtãt: ſicut enim ex capite ad pedes, ſic ex mũdi ſũmis ad infima motio ſtatim & affectio ꝓfilit. Seminariã uerò mundi uitã, qua uelut forma totũ hoc unũ eſt animal uocat fatũ, cuius explicatio quædã eſt ſeries cauſarũ motionũq; cæleſtiũ, in qua explicatione Atropos nominat aliquando firmamentũ: Cloto uerò uolubilis admodũ regio planetarũ: Lacheſis uerò ꝙ ſub Lunã per ſortes inde traducitur. Vniuerſa igit hæc diſpẽſatio & diſpoſiti rerũ ubiq; ſimpliciter ꝓuidentia eſt, ſed quoniã depẽdet à mente, & ubiq; mẽtis nutu peragit, ꝓuidẽtia nominatur. Quoniã uerò per naturã animæ uegetalẽ, & ſubinde per cæleſtia ꝓficiſcitur, nominatur & fatũ: quęcunq; igitur fiũt fato, ꝓuidentia fiunt: q̃uis multa inſuper faciat ꝓuidentia, quæ fati terminis nõ claudunt: quæcunq; uidelicet ad intellectualia pertinẽt, & quæ ſimiliter intellectuales ipſæ ſubſtantiæ faciũt. Nõ aliter uerò depẽdet fatũ à ꝓuidentia, q̃ à lumine calor. Vbi quæ facit calor facit & lumẽ, neq; uiciſsim. Mirabiles enim latẽt in lumine quæ nõ ſũt in calore uirtutes. ſimiliter ſpiritus depẽdet ab anima, nihil abſq; anima faciẽs, aliqd ſine ſpiritu faciẽte. Hactenus cõmunia rerũ actionũq; principia poſuit prouidentiã atq; fatũ. Propria uerò motionũ principia ſunt efficaces ubiq; naturæ: præſertim rationalis anima nõ uniformis tantũ, nõ determinata ꝓrſus ad unũ, ſed multiformis & ad diuerſa ſeipsã conſultãdo deriuãs. Quicqd igitur uenit ex fato ꝓpriè pariterq; ex prouidẽtia uenit: quod autẽ ex rationali natura fit ꝓpriè, nõ fit ex ꝓuidentia propriè, q̃uis quodã influxu cõmuni: quòd ſi conſiliũ ad finẽ optimũ electiſsima ꝓcedat uia, id ſanè dũ fit ab anima ſecundum ordinẽ ꝓficiſcitur, quẽ & ipſa prouidẽtia ſeruat: alioq; neq; à ꝓuidentia fit, neq; ſecundũ primas prouidentiæ regulas. & quomodocunq; noſtræ res fiant, neq; prouidentiã latẽt, neq; negliguntur ab ea, ſed inſeruntur ordini ꝓuidentiæ: perq; ipſas ꝓuidentiæ regulas in habitu sẽper atq; loco pro meritis congruo diſponuntur. Recti quidẽ motus per primas, obliqui uerò per ſecundas prouidẽtiæ regulas digeruntur: nõ aliter quã natura faciat in corpore uiuo, dũ ſanitatẽ cuſtodit membris, perditãq; alteratione reſtituit, humores quosq; ſuis locis accomodans atq; purgans. Quòd autẽ nos præuaricemur interdum ordinẽ prouidentiæ, uel ſolũm ex ignorantia noſtra contingit propter negligẽtiam contingente, dũ negligentius conſulramus, uel etiam ex procliuitate ſenſus atque naturæ oblectamentis externis nimiũ concedentis. Tametſi quæ nobis offeruntur extrinſecus nõ tam pro natura ſua, quã pro qualitate noſtra nos mouẽt: uerũtamen ex occurſu ſæpe certi hominis ad hominem certũ, ſiue rẽ quampiã nouũ aliquid occultũq; contingit, uel in utroq; uel alterutro ſaltẽ, ob causã nobis ignotã, prouidentiæ notã, ſiue id accidat ex noſtris ubiq; proprietatibus foras etiã emicantibus, ſuoq; cõfluxu proprietatẽ tertiã generantibus, ſiue noſtrorũ poteſtate dæmonũ, ſiue ſtellarũ influxibus in nobis & ex nobis aliter atq; aliter cõfluentibus, quod mirabiliter feliciterq; ex Socrate contigiſſe multis Plato in Theage teſtatur.

E

F

Quo

A *Quo conſequentiæ ordine poſsint ex bonis præuideri mala. Quomodo in præſentibus ſint futurorum ſigna.* Cap. VI.

SI mala non ſunt ſecundum prouidentiæ ordinem, carere uidentur ordine. itaq; præuideri non poſſe uidentur: præuidentur tamen à multis. Quomodo igitur præſagiri poſſunt? quoniam uel conſequuntur tandem ad ipſum ordinem prouidentiæ, uel ſi diuulſa contingant, inſtituto prouidentiæ ordini mirabiliter inſeruntur. Proinde cùm à primo ad ultimũ gradatim diuiſio multitudoq; creſcat, ideoq; in mundo corporeo ſit extrema diuiſio, neceſſe eſt quod in mundis ſuperiorib. eſt non materia quidem ipſa, ſed quaſi quiddam materiale, dum ad actum eius abſolutiſsimũ comparatur, à quo non re ipſa, ſed quadam ratione diſtinguitur, id in mundo corporeo iam eſſe materiam, & à natura formæ tum re ipſa, tum longiſsimè ſeparari: itaq; informe per ſe remanet atq; malum. Vides ergo quo potiſsimũ ordine conſequentiæ mens uidere præuidereq; poſsit ex forma materiam, ex bono denique malum. Præterea prouidentiæ ordo cõſtituit uarios in mundo habitus qualitatum, qui naturali fœcunditate longa deinceps propagatione procederent. Ex hoc progreſsionis ordine coguntur multa longius à ſuo fonte diſtare, ideoq; deterius ſe habere. Vides iterum qua prouidentiæ ſene ex habitibus prænoſci priuationes poſsint atq; defectus. Quemadmodum uerò & ipſe mundus & res in eo ex formoſo conſtant atq; deformi, perfectionesq; naturarum paulatim deſinunt in defectus, ſic & omnium actiones. Itaq; ex ipſo actionum recto uigore longius deſcẽdente præſentiri poteſt obliquitas earundem atque defectus: ſed tale præſagium ex principijs extrema proſpiciens, ad
B Deum pertinet atq; diuinos: cæteri uerò nõ per cauſas quidem latentes, ſed per indicia quæ palàm cauſas *comitantur futura* præuident in præſentibus: perinde atq; ille qui ſæpe quæ facturus in poſte*rum ſit amicus*, per eius literas iam certior eſt effectus. Præſentes nanq; rerum cauſæ in quibus futuri cõtinentur effectus agunt aliquid paſsim, quaſi ſcribendo uenturis quodammodo congruens, ex quo ſagaces quaſi legendo futura præſagiunt. Cùm enim omnia hæc animalis unius mundani ſint membra, meritò ſuperiorum membrorum motus inferiora membra motibus ſuis frequenter uel ſequuntur uel imitantur, atq; in ſuperioribus inferiorum præferuntur indicia, quibus ſæpe comparatione quadam proportionis potius quàm efficacia rationis futuri cognoſcuntur euentus: ſic igitur auſpex ita prædicit: uolauit huic auis in altum, illi uerò contrà: hic igitur altius extolletur, deprimetur ille: ſimiliter augur garritu auium lætiore, lætiora promittit: triſtia triſtiore minatur. ſimiliter aſtrologi ſolent altitudinem dignitatis per planetarum altitudinem deſignare. Poſt hæc notabis item rum, ſicut ratio ſeminaria mundi eſt una quædam uita ex multis congeſta ſeminibus, quæ nec facit ipſa, ſed ſic affecta proceſsit: nec aliud ibi generat aliud, ſed conſpirant: ita mundum hunc unà cum membris ſuis inde uelut unum animal pullulare, neq; ipſum facere membra, ſed fieri: neque membra hæc illa facere, ſed mouere, uiciſsimq; moueri: & ſingula non utcunq;, ſed pro natura ſua pati uel agere, & ſignificare alijs ſuo quodam pacto, & ab alijs ita ſignificari.

Quòd in prouidentia Dei actio artificioſa & naturalis eſt eadem, quæ gubernat mundum ſicut uita plantam. Cap. VII.

C NEque uerò audiendi ſunt qui cauillantur: ſi eſt prouidentia, ergo non eſt malum: ſin uerò malum eſt, non eſt igitur prouidentia: imò ex hoc ipſo quòd optimum ipſum agit, prouidendo, & agendo prouidet, agit curatq; aliquid minus bonum. Gradatim uerò per bonum minus atq; minus peruenitur in malum. Tolle malum, ſubſtuleris prouidentiam. Prouidentiam uidere deſideras? memento dotes quæ ſunt in inferioribus diſtributæ, eſſe in ſuperiore collectas. Sic aſtronomi calorem humoremq; per Martem ſeorſum Lunamq; diſperſum, agnoſcunt in Ioue coniunctum. Mentem diuinam credis eſſe natura & arte ſuperiorem: nam & naturam illius inſtrumentum eſſe non negas, & artem putas æmulam utriuſq;: Artem cognoſcis intelligere quidem quę fabricat: quandoquidem facit intelligendo, ſed extrinſecus fabricare: Naturam fateris agere quidem intus, ſed abſq; propria intelligentia facere. Vtrunq; igitur imperfectum eſſe deprehendis, unde redigere cogeris ad perfectum, quòd & intelligendo fabricet intus, & intelligat ſimiliter fabricãdo. Sic diuinam prouidentiam apprehendis, ubi in una re ſunt coniuncta quæ in rebus ſunt duabus, ideſt, natura & arte diſiuncta, ubi in una proſus eademq; potentia colliguntur, quæ in anima tua per duas potentias diuiduntur, Per aliam quidem potentiã intelligis atq; diſputas, per aliam interim corpus alis, ſingulaq; in corpore generas & diſpenſas: quapropter neq; generas quæ intelligis, neq; uiciſsim intelligis quę tu generas. Mentem uerò diuinã cogita eodem prorſus actu, quo & quomodo intelligit, pariter generare, atque uiciſsim. Sicut lucere atq; calere quæ per duas qualitates ſunt in igne, ſunt in ſole per

D unam, ſic intelligere atq; generare in re duo ſunt actus per geminas quoq; uires, in Deo ſunt unicus actus, cui ſubeſt & intelligentia quædam animæ mundi artis inſtar, & uegetalis animæ mundanæ potentia loco naturæ. His uerò ſubeſt mundi corpus ſic animatum, ita rectum, ut corpus animalis & plantæ: conſpirant enim tria hæc inuicem, diuina mens, anima mundi, natura, in quibus omnia mundana ſic inſunt, ut totum comprehendatur in quolibet. Horum igitur conſpiratio radix mundani arboris nominatur, ſiue radicalis uigor per arborem totus ubique diffuſus. In arbore uerò mundano res iam ita ſunt differentes, ut à radice ſtipes, ab hoc rami multi, ab his ſurculi plures, ab his folia pomaq; complurima, in quibus quamuis extremis, radicis uigor ipſe ſeruatur aptus ad propagandum. In his igitur conſiderare licet primùm mundana omnia, quantumcũq; diſiuncta inter ſe uideantur, inuicem tamen eſſe connexa, eidemq; ſubnexa principio, deinde facilè inter ſe in actione paſſioneq; poſſe communicare. Præterea facillimè regi ab eodem omnia ubique manente, & in unum articulatim ad nerui modum cuncta penitus connectente.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SECVNDVS

E

DE PROVIDENTIA.

Diſpoſitio mundi ſit à prouidentia diuinæ mentis, non præcedente per tempus uel conſultante, ſed antecedente per ordinem cauſæ & exprimente mundum modo ſigilli naturalis & firmi. Cap. I.

QVOD eſſentiam compoſitionemq; vniuerſi committere caſui atq; fortunæ, irrationale ſit, propriumq; hominis neque intellectum neque ſenſum habentis, perſpicuum eſt etiam ante quamlibet rationem: quanquã & de hoc ipſo multæ ſufficientesq; adductæ ſunt rationes. Oportet autem à principio diſputationem aſſumentes, conſiderare modum ipſum quo hæc omnia fiant, factaq; fuerint, præſertim cùm in quibuſdam quaſi non rectè fiant, accidat de totius prouidentia dubitare, unde nonnullis contigit prouidentiam omnino negare, nonnullis autem affirmare mundum fuiſſe à malo artifice conſtitutum. Miſſam in præſentia faciamus prouidentiam illam quæ in ſingulis faciendis eſt ratio quędam ante opus deſcribens quo pacto oporteat fieri, & quo non fieri quicquam eorum quæ facere non expediat: item quomodo nobis adſit aliquid, vel non adſit: quam verò vniuerſi prouidentiam appellamus, hanc in præſentia ſupponentes, quæ deinceps ſequuntur congruè connectamus. Si igitur mundum ex quodam tempore quum prius non fuiſſet factum arbitraremur, eandem prouidentiam pòneremus, quam & in ſingulorum effectione poſuimus, præuiſionem videlicet quandam ratiocinationemq; Dei deliberantis qua conditione potiſsimum fieret vniuerſum, & qua ratione quamoptimè quo ad fieri poſſet, conſtrueretur. Quoniam verò mundum hunc arbitramur eſſe quidem ſemper, nunquam verò non eſſe, meritò prouidentiam conſequenter mundo aſsignare debemus: hoc ipſum quòd ſecundum mentem ſit, mensq; ſit ante ipſum non quaſi præcedens tempore, ſed quoniã hic eſt à mente, priorque natura mens eſt quàm mundus, cauſaq; mens exiſtit mundi, ac velut principalis forma atq; exemplar, mundi inquam huius velut imaginis per exemplar illud exiſtentis, eodemq; modo inde perpetuò ſubſiſtentis. Eſt autem modus eiuſmodi: Ipſa mentis entisq; natura mũdus eſt & verus, & primus, à ſeipſo non diſtans, neque conditione vlla diuidua debilis, neque ob defectum vllum etiam in partibus indigens, quippe quum nulla pars ſit à toto ſecreta, ſed tota ipſius

A ipſius vita, totaq; mens in vno viuens ſimulq; intelligens, etiam partem reddat vt totum, & omne ſibimet amicum, vbi aliud non eſt ab alio ſegregatum, neque aliquid ſolitarium, vel à cæteris deſtitutũ: quo fit, vt alterum nõ noceat alteri, neque etiam ſi ſit contrarium. Quum verò ubique ſit, perfectumq; vbique ninirum permanet, nec mutationem vllam prorſus admittit: neque enim aliud illic agit in aliud: nam cuius gratia in aliud agat, quum nihil deſit omnino? Cur enim ratio illic faciat rationem, vel intellectus alium intellectum, numquid ex eo quòd per ſe poſsit aliquid facere? At verò ita non omnino ſe bene prius haberet: ſed eatenus tentaret facere, moueretur q, quatenus in ſe nonnihil deterius eſſet. Omnino verò beatis ſatis eſt conſiſtere in ſeipſis, idq; quod ſunt duntaxat exiſtere. At negociari non ſatis eſt tutum, ſed negociantes cogit digredi à ſeipſis. Vſqueadeò verò beatum eſt illud mundi huius exemplar, vt non faciendo maxima faciat, penesq; ſeipſum permanendo non parua perficiat.

Mundus hic ex intelligibili naſcitur, ex unito diſperſus, ut animal ex ſemine: dum materia ab intellectu primo ſimul & animali rationem accipit ſeminalem. Cap. 11.

B AB illo itaque mundo vero prorſus & vno mundus hic dependet iam non verè vnus: multiplex ergo in multitudinemq; diuiſus, in quo aliud ab alio diſtans alienúmque prouenit. Neque amplius hic viget amicitia ſolùm, ſed propter diſtantiam diſcordia naſcitur, atque in ipſo defectu alia iam neceſſariò alijs aduerſantur. Non enim pars vlla ſibi ipſi ſufficit: ſed dum ſalutem ſibi quærit at aliunde, bellum illi infert ex quo ſeruatur. Factus eſt autem non ratiocinatione quadam concludente faciendum eſſe, ſed neceſsitate quadam faciente vt ſecunda natura primam comitaretur: non enim intelligibilis mundus talis erat, vt rerum eſſe poſſet extremum. Primum nanque erat, poteſtatemq; habebat quamplurimam, imò verò totam, & hanc quidem ad aliud faciendum, procul ab ea cura quæ agere quærat: alioquin id ſuapte natura minimè habuiſſet, ſi fortè quæſiuerit. Neque ex ſua eſſet eſſentia, ſed foret velut artifex non habens à ſeipſo quod faciat, ſed tanquam aduentitium comparans perdiſcendo.

Intellectus igitur infundens ſui aliquid in materiam, immobilis ipſe quietusq; conſiſtens omnia fabricauit: id autem eſt ratio ab intellectu profluens. Sanè quod ab intellectu defluit, ratio eſt, effluitq; ſemper quandiu intellectus ipſe in rerum ordine permanet. Quemadmodum verò in ratione inſerta ſemini ſi-
C mul omnia in eodẽq; ſunt, nihilq; eũ alio pugnat, aut diſsidet, aut impedit, atque interea aliquid fit in mole, in qua quidem alibi eſt pars alia, & aliud impeditur, læditurq; ab alio: ſic utique ex vno intellectu rationeq; ab ipſo manante pullulauit hoc vniuerſum à ſeipſo iam diſtans: atque neceſſariò alia quidem nata ſunt amica inter ſe atque ſalutaria, alia verò inimica atque pernicioſa: & partim quidem volentia, partim nolentia inuicem ſe diſperdunt: ipſóque interitu generationem mutuam operantur. atque ſimul harmoniam vnam in his talia patientibus agentibusq; faber inſtituit, dum ſingula proprium quiddam ſonant: ratio verò in ipſis conſonantiam contemperantiamq; ordinis vnam per vniuerſa conſtituit. Eſt enim id vniuerſum non quemadmodum illic intellectus & ratio, ſed intellectus ipſius rationisq; particeps. Quapropter indiguit conſonantia intellectu videlicet ſimul neceſsitateque concurrente: & hac quidem ad id quod deterius eſt trahente, in priuationémque rationis deflectente: quippe quum ipſa careat ratione, intellectu autem neceſsitati interim dominante. Intelligibilis enim mundus ſolùm ratio eſt, neque fieri poteſt alter talis, vt ſit ratio ſolùm. Quòd ſiquid aliud poſt ipſum factum eſt, oportuit minus illo euadere,

D neque amplius rationem, neque rursus quandam duntaxat materiam, alioquin ordine caruisset. prodijt itaque mixtum. Et profectò illa in quæ mundus desinit, materia est & ratio: illud verò vnde exorditur & regitur, anima est mixto perfecta: quam quidem laborare non est putandum, quippe quum ipsa velut præsentia gubernet facillimè totum.

Mundus corporeus procedit ab intelligentia diuina modo naturæ, & quamoptimus fieri potest si totus ipse consideretur. Cap. III.

NEc̃ potest quispiã huic mundo quasi non pulchro iure detrahere, vel quasi non optimus sit omnium quæ esse cum corpore possint: nec̃ rursus causam per quam mundus est, incusare. Primò quidem cùm ex necessitate sit mundus, nec̃ rationis consilio sit constructus, sed à natura præstantiore secundum naturam opus sibi simile generãte: deinde nec̃ etiam si consilium in causa fuerit, mundus dedecori est auctori. Ille nanc̃ totum quiddam fecit pulchrũ prorsus atc̃ sufficiens, sibiq̃met amicũ: præterea partibus suis tum maioribus tum
E minoribus æquè conueniens. Quisquis igitur in partibus vituperat totum, stultè vituperat: siquidem tum partes ad ipsum totum comparando decet considerare num consonent, accommodenturq̃ toti: tum ipsum totum considerando ad minimas quasque particulas nequaquam decet aspicere: alioquin id non foret hominis mundum vituperantis, sed quasdam mundi partes ab alijs seorsum accipientis. Quemadmodum si quis totius animalis pilum solùm, vel digitulum pedis intueatur, negligens mirum totius hominis spectaculum contemplari, & per Iouem perinde ac siquis omissis omnino cæteris animantibus, accipiat abiectissimum, vel genere quodam toto dimisso velut humano Thersitem adducat in medium. Quoniam verò quod factum est, mundus simul est totus, si mentis aures ad hunc cõuertere libeat, forsan audies ita clamantem: Me proculdubio fecit Deus, atque ego inde factus sum perfectus ex cunctis animalibus constitutus, mihi ipsi sufficiens, mihi penitus satisfaciens, nullius indigus: quoniam omnia sunt in me animalia simul atque plantæ, cunctorum natura generalium, Dij quamplurimi, dæmonum populi, bonorum exercitus animorum, homines virtute felices. Neque enim terra sola ornata quidem est plantis omnibus & omnigenis animantibus, neque tantùm vsque ad mare potestas animæ se diffudit: aer autem totus & æther totumq̃ cælum anima uitaq̃ caret: verùm
F animæ illic quoque sunt omnes bonæ vitam stellis suppeditantes, reuolutionique cælesti ordinatissimè simul atq̃ sempiternè. Adde & ad imitationem mentis in circuitum agitatæ sapienter circa idem semper: nihil enim quærit extrinsecus. Præterea quæcunque in me sunt, appetunt quidem omnia bonum, singula verò pro facultate propria consequuntur. Dependet enim totum ab illo cælum, tota quinetiam anima mea. Præterea dij qui in partibus meis regnant: item animalia omnia simul & plantæ: denique siquid etiam esse in me videtur inanimum. Tum verò alia quidem essendi tantùm participia esse videntur, alia verò viuendi, alia magis sentiendi, alia iam rationem habent, alia totam denique vitam. Non enim æqualia passim in rebus non æqualibus requirere decet: neque vt digitus videat, exigendum, sed oculo id est assignandum: digito verò aliud quiddam desiderandum. Id autem esse arbitror, vt sit digitus, propriumq̃ officium peragat.

Nusquam est purum malum: nam & circa corpora & circa animas miscetur bono. Cap. IIII.

NEmo admirari debet quòd ignis ab aqua extinguat̃, & ipse alia sæpe consumat: etenim aliud quiddam hunc ad suum esse perduxit: nec iniuria à

seipso

A ſeipſo non productus ab alio quoque corrumpitur: quinetiam in eſſe ſuum ex alterius corruptione proceſsit, atque interitus ipſi ſic ſe habenti nihil infert iniquum. Item pro extincto igne alius aliquando viget ignis: profectò in cælo incorporeo vnumquodque permanet. In hoc autem cælo totum quidem viuit ſemper, & quæcunque honoranda ſunt, & præcipua permanent. Animæ verò viciſsim corpora permutantes, alias quidem in alia fiunt ſpecie: & quotiens anima poteſt, extra generationem poſita vnà cum vniuerſa anima viuit. Corpora verò ſecundum ſpeciem atque ſingula ſecundum tota, ſiquidem ex ipſis & animalia erunt, & nutrientur: vita enim hîc eſt mobilis, illic autem immobilis. Oportebat ſanè motum ex immobili natura prodire, atque ex vita in ſeipſa vigente, alteram manare quaſi ſpiraculum quoddam vitale quodammodo iam inſtabile, quod quidem expiratio quædam ſit vitæ quietæ. Animalium præterea mutui inter ſe impetus atque cædes neceſſariò accidunt, nõ enim nata ſunt ſempiterna. Nata verò ſunt, quoniam ratio totam materiam occupauit, in ſeipſa omnia poſsidens, quæ quidẽ in ſuperno illic cælo conſiſtunt: alioquin vndenã veniſſent, niſi illic exiſterent? Proinde mutuæ hominum inter ſe iniuriæ ab ipſo forſan boni appetitu proficiſcuntur: quando videlicet bonum conſequi non valentes aberrant, alioſq; inuadunt. At verò qui egerunt iniuſtè, pœnas luunt,
B tum quia ex actionibus prauitatis reportant animã deprauatam, tum quia certo quodam ordine in locum tranſmittuntur deteriorem: nihil enim poteſt vnquam quod in vniuerſi lege ordinatum eſt effugere. Non eſt autem vt quidam putat ordo propter præuaricationem ordinis inſtitutus, neque lex propter legis tranſgreſsionem, quo videlicet propter deteriora fiant illa, nobisq; appareant: imò verò propterea quòd ordo hic eſt aduentitius: & quoniam ordo eſt tranſgreſsio ordinis habet locum, atque propter legem & rationem, & quia exiſtit ratio, accidit legis rationiſque tranſgreſsio: non ita tamen vt quæ meliora ſunt, deteriora fecerint: ſed quia quæ indigent, debentq; meliora ſuſcipere, ſæpe vel ſuapte natura, vel fortuna, vel impedimento aliunde illato accipere nequeant. Quòd enim ordine vtitur aduentitio, id forſitán non aſſequitur vel interiori vitio, vel propter aliud quiddam ab alio accidens: multa quoque ab alijs patitur, alijs quidem nolentibus, alioq; tendentibus. Animalia verò quæ per ſe ipſa ſpontaneum habent motum, tum quidem tendunt ad meliora: tum verò ad deteriora labuntur. Quærere autem ab ipſomet inclinationem lapſumúc ad deteriora forte non decet: exiguum nanque ad labendum momentum ab initio datum, eadémque via procedens erratum & plus & maius aſsiduè reddit.
C Adeſt quinetiam corpus, atque ex neceſsitate concupiſcentia ineſt. Præterea quòd primo ſubitóque occurrit, neque ſtatim animaduertitur, atque deprehenditur, electionem quoque ad illud efficit, in quod quis primò fuerit inclinatus.

Sequitur tamen ſub diuino iudicio pœna: neque iniuſtum eſt, animum qui talis eſt factus, affectioni ſuæ conſentanea pati: neque requirendum eſt eos fore felices, qui nihil dignum felicitate fecerunt. Boni autem ſoli felices ſunt: nam ob id ipſum ſunt, & dij beati.

Confirmat eadem, docens nullum poſſe de prouidentia conqueri. Et vnde ſit malum. Cap. V.

SI igitur animis quoque hoc in mundo datur facultas ad beatitudinem conſequendam, non licet de hac regione conqueri, quòd aliqui non ſint felices, ſed eorum imbecillitatem potius criminari, quod ſtrenuè certare non valeant, vbi virtutis præmia propoſita ſunt. Quis enim iuſtè conqueratur, eos qui nondum facti ſint diuini, vitam non habere diuinam? Proinde paupertas & mor-

D bus bonis quidem viris momenti nihil habent, malis verò vtilia ſunt. Quinetiã neceſſe interdum eſt ægrotare, quum corpora habeamus. Nec inutilia hæc ſunt omnino ad ordinem ipſum communem, ac plenitudinem vniuerſi: nempe quemadmodum corruptis quibuſdam ratio ipſa mundi rerum artifex ad aliorum vtitur genituram: nihil enim vſquam effugere poteſt, quin ab hac ipſa comprehendatur: ſic & deprauato corpore, & anima paſsionibus eiuſmodi languida, quæ morbis prauitateq; occupata fuerunt, mox ſub alia ſerie & ordine comprehenduntur, & alia quidem ipſis conferunt patientibus, ſicut paupertas atque morbus: prauitas autem vtile quiddam affert ad vniuerſum, facta videlicet iuris ipſius exemplum, multáque ex ſe vtilia pariens: reddit enim animos vigilantes, efficitq; vt diligenter excogitent, qua via potiſsimum à præcipitio prauitatis valeant declinare. Facit rurſus vt quantum bonum virtus ſit, comparatione malorum vitioſos animos affligentiũ cognoſcamus, neque propter hæc facta ſunt mala: ſed dictum eſt ipſam mundi artificem rationem malis poſtquam facta ſunt, opportunè admodum vti ſolere: id autem maximè poteſtatis eſt, malis etiam bene vti valere. Poſſe quinetiam rebus quæ informes iam factæ ſunt, vti ad formas alias generandas: omnino verò malum exiſtimare de-
E bemus boni defectum. Neceſſe autem eſt hîc boni defectum accidere, quoniam eſt in alio. Ipſum itaque aliud in quo bonum eſt, quum diuerſum ſit à bono, infert boni defectum: id nanque non erat bonum. Quapropter, vt Plato inquit, impoſsibile eſt mala penitus extirpari, quoniam & alia alijs inferiora ſunt ad ipſam boni naturam, & alia diuerſa ſunt à bono, ſubſiſtentiæ ſuæ cauſam inde ſortita, taliaq; euaſerunt, propterea quòd à bono remotiſsima prouenere.

Confirmat eadem, & mouet dubia. Cap. VI.

AD id verò quod videtur præter dignitatem ſæpe contingere, quando vel boni mala, vel mali bona reportant rectè vtique reſpondebitur, nihil vel bono malum accidere, vel malo contingere bonum. Cæterùm quæri poteſt, cúr nam multa præter naturam bono homini accidant, multa verò naturæ conſentanea prauo contingãt. Qua enim ratione recta diſtributio hæc eſſe poteſt? Verùm ſi quod ſecundum naturam eſt, neque felicitatis quicquam addit bonis: neque mali quicquam demit prauis, atque quòd præter naturam non demit quicquam bonis. Quidnam intereſt, ſic ne, aut ſic potius ſe habere? quem-
F admodum neque ſi malus quidem pulchro ſit corpore, bonus verò deformi; uerumtamen decorum atque conſentaneum, & quod pro dignitate dici poteſt, modo illo potiſsimè fieret, quo nunc minimè fit: optimæ verò prouidentiæ erat ita inſtituiſſe. Præterea malos quidem eſſe dominos principesq; ciuitatum, probos autem ſeruos minimè decuit, neque etiam ſi hæc vel bono vel malo nihil addant, profectò princeps iniquus iniuſtiſsima patrat facinora. Quid verò? quòd ſceleſti in prælio ſuperant, aduerſusq; captiuos turpiſsima quęque committunt? Hęc omnia dubitare compellunt qua ratione regnante prouidentia fiant: & ſi ad ipſum totum ſpectare debet quiſquis eſt aliquid effecturus: uerumtamen partes quoque quòd eis expediat, aſſequi debent, præſertim vbi animatæ ſunt, vitamq; habent, præcipuè ſi rationem. Denique probabile eſt prouidentiam ſe per cuncta porrigere, idq; eius officium eſſe, vt nihil prorſus alicubi negligat. Quamobrem ſi totum hunc mundum ab intellectu dependere concedimus, virtutemq; mentis ſe per omnia fundere, conandum eſt omnino, quo pacto ſingula hæc bene ſe habeant, demonſtrare.

Dat prin-

A *Dat principia reſpondendi. Tractat quoque de conditione huius mundi à primo degenerante: & de libero animarum arbitrio.* Cap. VII.

PRincipio nos latêre non debet, quando pulchritudinẽ in mixto quærimus, non eſſe omnia exigenda, quæ pulchritudo continet in natura non mixta, neq; in rebus ſequentibus primas eſſe quærendas: ſed quãdoquidem mundus habet corpus, concedendum ab ipſa natura corporis, vniuerſo nonnihil accidere: item ab ipſa ratione eatenus expetendum, quatenus mixtum ſuſcipere poteſt, quaſi ſatis fuerit factum ſi nihil ex his quæ poteſt capere deſit. Quemadmodum ſiquis in terris hominem pulcherrimum contempletur: nec tamen oportere exiſtimet hunc ipſi qui in mente eſt homini eundem fore, ſed ſatis ab auctore factum putet, ſi hominem hunc quamuis in carnibus, neruis, oſsibus ſit, tamen ratione complexus eſt, vſqueadeò vt hæc quoque pulchra reddiderit, eſſe ceritq; vt ratio ſuper materiam ſe diffunderet. His itaque conceſsis, deinceps ad quæſita progrediendum. Forte enim in his admirandum prouidentiæ munus, mirabilémque potentiam mundi huius artificem inuenire poterimus.

Profectò circa illas animarum actiones, quæ in ipſis animabus collocantur,
B quando agunt deteriora, velut quando iniquæ animæ alias lædunt: vel quando iniquæ iniquas, niſi forte quiſpiam prouidentiam prauitatis earum cauſam eſſe velit, nõ decet ab ipſa prouidentia rationẽ facti retractationemq; exigere, quin potius cauſam referre in eligentem. Dictum nanq; eſt, animas quoque oportere proprias motiones habere. Item non animas ſolùm nunc eſſe, ſed iam animalia: præterea non eſſe mirandum, quando tales quædam ſunt, vitam quoque talem habere congruè conſequentẽ. Non enim ex eo quòd mundus erat, huc venerunt, ſed ante mundum habuerunt, vt mundi quandoq; forent, mundana curarent, ſiſtendi cauſæ forent, gubernarent, efficerent, quocunq; id modo facerent, ſiue præſidendo ex ſe nonnihil attribuentes, ſiue immergẽdo ſe dederent, ſiue aliæ quidem ſic, aliæ verò aliter id efficerent. Non enim id agitur in præſentia, ſed quomodocunque ſe res habeat, prouidentiam non eſſe culpandam. At quando quis conſideret malorum comparationem ad contrarios, videlicet bonos quidem eſſe pauperes, malos autem diuites, ac plerunque deteriores plus admodum in his poſsidere, quæ humanæ naturæ neceſſaria ſunt. Item dominari, & ciuitates gentesq; occupare, quidnam dicet? An fortè prouidentiam vſq; ad terras minimè peruenire? Verũtamen cùm cætera ratione fiant omnia, teſtimonio idipſum eſt ad terram vſq; deſcendere: etenim animalia & plantæ ratio-
C nem & animam vitamq; participant: forſan huc vſq; peruenit quidem, ſed non dominatur. Verùm cùm vniuerſum hoc vnum animal ſit, perinde id ſe haberet ac ſiquis dicat, caput quidem faciemq; hominis à natura fieri, ratione videlicet ſeminaria ſuperante: reliquũ verò alijs quibuſdam attribuat cauſis ſiue fortuitis, ſiue etiam neceſſarijs, ideoq; eſſe deteriora: vel etiam ob naturæ imbecillitatem talia prouenire. At verò neq; ſanctum eſt, neq; pium concedere, hæc non pulchrè diſponi, vnde opificium ſimul atq; opificem criminari cogaris.

Reſpondet dubitationibus. Cap. VIII.

RElíquum eſt, vt quæramus, quomodo hæc rectè ſe habeant, ordinemq; teneant, vel ſi quo pacto nequaquam, vel potius haud malè. Omnis autem animalis ſuprema quidem, ſcilicet caput, & facies, pulchriora ſunt, media verò & infima minus. Homines autem in medio inferioriq; ſunt. At in ſublimi cælũ, dijq; cæleſtes & mundi plurimum dij tenent, omneq; in circuitu cælum: terra verò quaſi centrum, & velut vna quædam ex ſtellarum numero. Mirantur pro-

D fectò plericq; hominem iniuſtè viuere: propterea quòd hominẽ in vniuerſo exiſtimant apprimè venerandum, quaſi nihil omnino ſit ſapientius. Sed re vera homo deorum brutorumq; eſt medius, & ad vtraque vergit: itaq; alij quidem dijs, alij verò brutis ſimiliores euadunt: plurimi autem inter hæc obtinent medium. Qui ergo deprauati brutis qualitate propinquant, rapiũt medios, vimq; illis inferunt: hi verò cogentibus ſunt meliores: ab ipſis tamen deterioribus ſuperantur, quatenus ipſi quoque deteriores ſunt, neque ſunt boni, neque ſe ita comparauerunt, vt pati non poſſent. Si ergo pueri quidam exercitauerint quidem corpora, animas autem ob imperitiam deteriores his habeãt: ideoq; in paleſtra vincant eos qui neq; corporibus neque animis exercitati fuerint, rapiant eorum cibos, mollibusq; veſtibus eos expolient: quidnam vel durum vel ridiculum videri debet? Cur enim non rectum ſit, vt ipſe quoque legum conditor talia illos pati permittat, meritas pœnas ignauę delitioſęq; vitę luentes? Quippe cum gymnaſia illis demonſtrata iam fuerint, ipſi verò per ignauiam & mollitiem & incuriam adeo ſuum neglexerint cultum, vt ſeipſos reddiderint velut pingues agnos prædamq; luporum. His ergo qui eiuſmodi ſcelera perpetrarunt, prima
E imminet pœna, vt lupi ſint, & homines infelices: deinde præſcriptum eſt, quæ tales pati conueniat. Neque enim datur hîc factos iam malos mori, ſed ad priora ſemper ſequuntur quæcunque ſecundum rationem ſunt atque naturam. Deteriora ſcilicet ſequuntur deteriores, meliora verò ſimiliter meliores. Nec talia quædam paleſtra ſunt. Ludus nanque habetur ibi. Oportuit enim poſtquam adoleuerint pueri, & vtrique cum inſcitia vtroſque iam accingi, armaq; habere, moresq; præſtantiores quàm eſſe ſoleant in paleſtra luctantium: nunc autem hi quidem inermes ſunt, armati autem ſuperant: ubi profectò non oportet deũ ipſum pro his qui ſunt imbelles pugnare. Lex enim ait, ſalutem nõ votis, ſed fortitudine in bello quærendam. Neque decet eos qui vouent, ſed eos qui colunt terram colligere fructus, neque ſanos eſſe eos, qui curam valitudinis negligũt, neque grauiter ferendum eſt, ſi mali quidam fructus plures accumulent, ſi modò in agricultura valuerint. Præterea ridiculũ eſt, cætera quidem ad vitam pertinentia omnia propria ſententia facere, quamuis non ita (vt placet dijs) efficiant: ſalutem verò ſolam á dijs exigere, præſertim cum neque illa fecerint, per quæ dij homines ſeruari iubent: quinetiam mors illis eſt melior quàm eiuſmodi vita, qualem ipſæ vniuerſi leges agere nolunt. Contrarijs itaque factis, ſi per-
F ſeuerante ſtultia prauitateq; pax diuinitus cuſtodiatur, negligentiæ accuſari poterit prouidentia, quaſi permittat ſuperare deteriora. Dominantur verò mali ignauia ſubditorum. hoc enim iuſtius eſt quàm illud.

Præter actionem Dei cætera etiam agunt præſertim homines, qui interim omnibus modis à prouidentia prouocantur ad Deum. Cap. IX.

NOn oportet autem ita prouidentiam eſſe, vt nos omnino nihil ſimus: alioquin ſi prouidentia ipſa ſit omnia, ipſaq; ſola, non erit amplius prouidentia. Cuius enim vlterius prouidentia foret? Profectò ſola diuinitas eſſet. Nunc verò diuinitas quidem eſt, ſeq; confert ad aliud, non tamen vt ipſum aliud auferat: ſed accedens exempli gratia ad hominem, ſeruat in eo quod eſt eſſe hominem. Id autem eſt ſeruare prouidentiæ lege viuentem: quod quidem eſt agentem quæcunque lex ei præſcribit. Præſcribit autem homines qui boni facti ſint, manere deinceps vitam bonam etiam poſt obitum conſtitutam, malos autem contrariam. Nefas autem eſt exiſtimare eos qui euaſere mali, ſeruatoribus alijs cuſtodiri, dum ipſi deſides votis duntaxat confidunt: quamobrem neq; fas eſt deos vita propria intermiſſa malis negocia ſingula diſpenſare: neque etiam de

cet pro-

A cet probos viros aliam agentes vitam, humano principio meliorem deterioribus gubernandis incumbere: quandoquidē neq; hi aliquando curauerunt qua via boni aliorum principes fierent, meditantes qua ratione ipſis id adſit, ſed inuident etiam ſiquis ſponte bonus exoriatur: quoniā plures facti iam eſſent boni, ſi hos præſides ſtatuiſſent. Humanū itaq; genus factum animal quidem, non tamen rerum omnium præſtantiſsimum, ſed medium obtinens eligensq; ordinem, ſimul tamen quo in loco poſitum eſt, prouidentiæ beneficio perdi nequa quam dimittitur, ſed ad ſuperna reuocatur aſsiduè, omnibus vbique machinis quibus diuinitas vtitur, virtutem continuè reddens potentia pręualentem: quo quidem factum eſt, vt genus humanum rationalem nunquam amiſerit facultatem: imò particeps & ſi non ſummopere ſapientiæ ſit, mentisq; & artis atq; iuſtitiæ, quam ſinguli inter ſe exercent, atque vbi iniuria nonnullos afficiunt, ſe iuſtè id agere opinantur: eſſe nanque eos iudicant dignos qui ab ipſis afficiantur iniuria. Homo profectò tam pulchrum opificium eſt, quàm pulchrum eſſe poteſt, atque ita in mundo conſtitus eſt, vt ſortem habeat potiorem quàm cætera quæ in terra ſunt animalia: quandoquidem animalia etiam inferiora homine terræ afferentia ornamentum prudens nemo vituperat. Ridiculum nanque foret, ſiquis animalium naturæ detraheret, quòd hominem mordeant, quaſi de-
B ceat homines ſecura prorſus ignauia viuere. Neceſſarium eſt autem hæc etiam eſſe atque vtilitates quæ ab illis prouenire poſſunt, partim per ſe euidentiſsimæ ſunt, partim verò ſi minus manifeſtæ ſunt, temporis longitudo demōſtrat, adeò vt nihil in eis vel quoad ſe, vel etiam quoad homines fruſtrà ſit. Riſu verò dignum eſt, ſiquis propterea improbet, quòd pleraq; animaliū agreſtia ſunt: quippe quum homines etiam ſint agreſtes. Quòd ſi multa non parent homini, ſed diffidentia reluctantur, nihil mirum videri debet.

Quamuis habitus mali non ſint uoluntarij, actiones tamen uoluntariæ ſunt. Cap. X.

AT verò ſi homines inuiti ſunt mali, talesq; ſunt nolētes, nullus vel inferentes iniuriam criminabitur, vel eos qui patiuntur, quaſi per ſeipſos talia patiantur. Sanè ſi neceſſe eſt ita fieri malos, ſiue motu cæleſti, ſiue principio quodam deinceps afferente quæ conſequuntur, naturaliter id ita ſe habet: atqui ſi & ratio ipſa hæc efficit, quonam pacto ſic non facit iniuſta? Forſan verò dicuntur non ſponte peccare, quoniam peccatum ipſum non ſit voluntarium. Id autem non prohibet quin ipſi ex ſeipſis agant: ſed quoniam ipſi faciunt, iccirco & ipſi
C peccant: alioquin nec ipſi quidem peccauiſſent, ſi ipſi non eſſent actionum talium auctores. Quòd autē dicitur eos neceſsitate malos fieri, non ab extrinſeco accipiendum eſt duntaxat, ſed quoniam communi quadam conditione peccant. Quod item de motu cæleſti dicitur, nōn ſic accipiendum eſt, quaſi nihil in noſtra poteſtate ſit poſitum: etenim ſi ab extrinſeco duntaxat cuncta fierent, certè ita fierent, ſicut auctores ipſi uolebāt: quapropter homines contraria ipſis minimè patrauiſſent: atqui nec homines forent impij, ſi dij hæc omnia perpetraſſent: nunc autem id ab ipſis procedit hominibus. dato verò principio, quod conſequitur inde peragitur, comprehenſis videlicet ad conſequentiam cunctis quoq; illis quæ principia ſunt. Principia verò ſunt & homines. mouentur igitur ad honeſta ſuapte natura, quæ quidem ſpontaneum eſt principium.

Ratio mundi artifex diſpares in mundo uoluit gradus ad mundi perfectionem. Cap. XI.

VTrum autem naturalibus quibuſdam neceſsitatibus conſequentijsq; ita ſingula fiunt? & vtcunq; fieri poteſt, rectè fiunt. Forſan verò non ita, ſed

D ipſa ratio dominans hæc omnia facit, atque ita vult: & quæ mala dicuntur, ipſa rationaliter agit nolens æquè bona omnia eſſe. Quemadmodum enim artifex non omnia quæ in animali ſunt efficit oculos, ita neque ratio fecit omnia deos: verùm alia quidem eſſe deos ſtatuit, alia verò dæmones ſequenti natura: poſt hæc autem homines, animaliaq; deinceps. neque id quidem inuidia, ſed ratione intellectualem habente varietatem. Nos autem ſic affecti ſumus, ſicut imperiti picturæ qui pictorem damnant, quòd non vbique pulchros æquè colores poſuerit: pictor autem vnicuiq; parti quòd eam decedebat, attribuit. Ciuitates quoque bene inſtitutæ non æqualiter in omnibus diſponuntur. Præterea quiſnam comœdiam tragœdiamq; vituperet, quòd omnes in ea non ſint heroes, ſed interſit & ſeruus, & ruſticus aliquis rudiori voce pronuncians? Poema tamen non erit pulchrum ſiquis inde tollat deteriores, quódue ex cunctis impletur.

Ratio ſeminaria mundi omniformis emicat ab omniformi natura intellectuali, neque cogit animas ſe immergere mundo. Cap. XII.

E SI igitur ipſa ratio ſeipſam materiæ prorſus accommodans hæc omnia fecit, id ipſum exiſtens quale eſt quiddam, ſcilicet diſſimilibus cõſtans partibus, tale quidẽ exiſtens ex eo quod eſt antè ipſum, certè id quod factũ eſt, ita factum nihil aliud poteſt habere ſe pulchrius. Ratio verò ex omnibus ſimilibus penitusq; conformibus atque proximis fieri minimè debuit: atque hoc quidem modo non eſt culpandus auctor, quum eiuſmodi ratio rerum artifex ſit quidem omnia, ſed in parte qualibet differens. Sin autem extra ſeipſam in mundum alia introduxiſſet velut animas, compuliſſetq; præter earum naturam cum opificio mundano congruere, ac plurimas in deterius: quánam ratione id rectè factum fuiſſet? Sed profectò putandum eſt animas quoque quaſi partes ipſius exiſtere, rationemq; non faciendo deteriores accommodare mundo: ſed vbi conuenit, expeditq; ipſis pro dignitate diſponere.

Omnium rerum uiciſſitudo eſt. Cap. XIII.

SPernendum præterea non eſt quod dici ſolet, non decere ſemper ſpectare præſentia, ſed præteritos quoque circuitus atque futuros. Inde nanq; iuſtè pro dignitate rependitur, dum commutatio fit ex dominis in priori vita, in ſeruos in vita ſequenti, ſi modò improbi fuêre domini: & profectò ita mutari his hominibus expedit. Præterea ſi diuitijs abuſi ſunt, in pauperes trãſferuntur: vbi bonis quidem eſſe pauperes non eſt inutile. Item qui iniuſtè quempiam occiderunt, iniuſtè ſimiliter occidentur. Iniuſtè quidem quo ad eum ſpectat qui interficit, iuſtè verò quo ad eum pertinet qui necatur. Sanè qui patietur ita in idem conducet vnà cum illo qui ad hæc perpetranda ſit promptus quæ illum patiebatur. Nemo putet quempiam temeraria ſorte fieri ſeruum, neq; caſu quodã fore captiuum, neq; abſq; ratione violari corpus: ſed quondam ille perpetrauit ali quando quæ in præſentia patitur. Et qui olim extinxit matrem, in poſterum extinguetur à filio, aliquando natus fœmina. Et qui vitiauerat mulierem, ortus deinde mulier vitiabitur. Hinc oraculum illud de Adraſtia, ideſt, diuinarum legum ineuitabili poteſtate. Eiuſmodi nanque ordinis inſtitutio proculdubio Adraſtia eſt: ac re vera iudicium & iuſtitia ſapientiáque miranda. Coniectare licet talem in vniuerſo ſemper ordinem eſſe, ex his quæ quotidie videntur in mundo: vbi certè ordo quidam talis per omnia vel minima quæq; percurrit: arsq́ue apparet vbique miranda, non in diuinis ſolùm: ſed in his etiam quæ facilè quis ob exiguitatem ſperni à prouidentia iudicarit. Qualis vtique eſt

A que eſt in abiectiſsimis quibusque beſtiolis artificioſa ſtupendáque varietas: quin etiam vſque ad plantarum fructus & folia ars eiuſmodi ſe propagat: Vbi mirari licet quàm pulchræ ſint formæ, quàm facilè opportunéque floreſcant, quàm ſine labore naturæ varia ſpecioſáque pullulent: neq; ſemel ita facta ſunt, ſtatimque fieri deſiuere: imò verò ſemper ita fiunt, dum ſuperiora ſecundum hæc non omnino ſimiliter perferuntur. Quæcunque igitur per vices alias atque alias traducuntur, non temere permutantur, non caſu figuras alias induunt: imò verò ſicut & mundi decor expetit, & diuinas potentias agere decet. Agit nanque diuinitas omnis vt propria fert natura: Fert autem diuina natura ſecundum ſuam duntaxat eſſentiam: Eſſentia verò eius pulchrum iuſtumq́ue vnà in ſuis actionibus explicat. niſi enim ibi hæc eſſent, nuſquam eſſe poſſent.

Quantò naturalia opera rationalibus diſpoſita ſunt mouenturq́; quàm noſtra, tantò præſtantior ratio ducit illa quàm noſtra. Item non eſt in partibus ipſa totius perfectio requirenda, nec in parte altera alterius proprietas exigenda. Cap. XIIII.

B HAbet igitur ordo ſic inſtitui ſecundum mentem, vt abſque rationis diſcurſione conſiſtat, atque ita conſiſtat, vt ſi quis perfectiſsimè diſcurrere valeat ratione, ſupra modum ſtupeat totum ſic eſſe diſpoſitum, vt non aliter ratio inuentura fuerit atque factura, quale ſemper animaduertitur in ſingulis quoque naturis effici: ſemper inquam intellectualis formæ plus habens, quàm vel concipiat rationis ordo, vel pariat. In quolibet igitur eorum quæ fiunt genere non licet rationem effectricem incuſare, niſi quis exiſtimet vnumquodque oportere ita eſſe factum, vt ea quæ non ſunt facta, ſed ſempiterna ſunt, tum in genere intelligibili, tum ſenſibili, in quo nonnulla etiam ſunt ſempiterna, requirens videlicet cumulum boni quamplurimum, neque putans ſpeciem vnicuique attributam per ſe ſufficere: veluti ſi naturam culparet in homine quòd cornua ei non dederit, neque conſiderans fieri non potuiſſe, quin ratio per omnia ſe diffuderit, oportuiſſe tamen in maiori minora etiam contineri, partesq́; in toto, neque poſſe æqualia eſſe, alioquin partes minimè fore. Supernum quidem omne eſt omnia: inferiora verò non ſingula omnia ſunt. Atq; homo quatenus vnuſquiſque pars quædam eſt, non eſt omnis. Quòd ſicubi in partibus quibuſdam aliquid quoque aliud ſit, quod quidem non ſit pars, per hoc & illud eſt omne. Nec exigendum eſt, vt quilibet ſingulatim quatenus id propriè eſt ſummum ſit virC tutis adeptus, alioquin non vltra pars foret. Non tamen pars dignitate excellẽtius exornata quaſi per inuidiam toti detrahit: totum nanque efficit pulchrius, quatenus dignitate magis excellit. Talis enim fit, quatenus toti ſit ſimilis, & qua ſi conceſſa ſit eſſe talis, atque ita ſimul ordinata vt & ſecundum hominis locum in eo nonnihil effulgeat, non aliter quàm per diuinum cælum ſtellæ coruſcent. Hinc verò talis quædam oritur excogitatio, velut ſi ſtatua quædam ingens atque pulchra, ſiue animata, ſiue arte Vulcani ficta habeat quidem micantes in facie ſtellas, alias inſuper & in pectore, atque ita diſpoſitas, vt decorem rite conficiant.

In naturæ uniuerſalis intentione ſunt mala neceſſaria totius bono, ideoq́; toti bona. Item in hoc mundo uanitas uanitatum, & omnia uanitas. Cap. XV.

SIngula igitur in ſeipſis conſiderata ita ſe habere videntur: Horum verò complexio tum quæ facta ſunt, tum quæ perpetuò fiunt inſtantiam dubitationemq́; patitur: tum circa mutuam animalium brutorum voracitatem, tum circa hominum impetus aduerſus homines. Item propter perpetuum bellum, quod

D quidem neque ſedari poteſt, neque facilè tolerari: præcipuè ſi ipſa mundi ratio vt hæc ita ſe haberent effecerit, atque ita bene ſe habere dicantur. Non enim vl terius ita dicentibus illa ratio ſuffragatur dicens, quoad fieri poteſt hæc habere ſe bene, cauſamq; eſſe materiam, vt quæ ſic habent, inferiori habeant conditione, neque poſſe mala funditus extirpari: ſiquidem ſic oportuit ſe habere, atque ita bene: neque accedens materia ſuperat, ſed inuecta eſt, vt ita fieret, imò verò & ipſius materiæ cauſa ratio erat hoc pacto. Principium itaque ratio eſt, & omnia ratio: & quæ fiunt, per ipſam fiunt: & quæ in generatione ſimul inter ſe ordinantur, ita penitus ſe habent. Quænam igitur perpetui naturalisq; belli in animalibus & hominibus neceſsitas eſt? Forſan voragines animalium mutuæ ideo neceſſariæ ſunt, quia ſunt quædam viciſsitudines animalium, quæ quidem etiam ſi nullus interimat, ita ſemper manere non poſſunt. Quòd ſi quo in tempore oportet obire, tunc obire ſic oportebat, vt alijs quoque ex ipſis proueniret vtilitas, cumám decuit inuidere? Quid verò, ſi quæ deuorata ſunt, quandoque alia renaſcuntur? velut ſi in ſcena perſona quæ fingitur interfecta, mox figuram mutet, alteriusque perſonam induens regrediatur in ſcenam. At dixerit fortè quiſpiam, non veré hunc eſſe mortuum. Verùm ſi mori eſt permuta-
E re corpus non aliter quàm permutare veſtem in ſcena: aut ſi mors eſt corpus omnino deponere, quemadmodum in comœdia exitus ex ludo poſtremus: vbi tamen quis in poſterum quandóque ſit rediturus ad ludum, quidnam mali ſecum affert eiuſmodi animalium inuicem commutatio? quæ profectò multò melior eſt, quàm ſi vel nata ab initio non fuiſſent. Tunc enim vitæ orbitas eſſet, & impotentia quædam vitæ in alio exiſtentis: nunc autem cum multa in vniuerſo ſit vita, omnia facit variátque in vita, neque continere ſe poteſt, quin pulchra ſemper efficiat animalia, quaſi ludicra valde grata conſpectu. Hominum verò arma viciſsim illata, cum & mortales ſint, & decenti quodam ordine pugnent eorum more qui in pyrrhichijs armatorum tripudijs ludunt, planè declarant & omnia hominũ ſtudia ludos eſſe, & obitum nõ eſſe durum exiſtimandũ. Occumbentes autem in prælio breuiuſculo quodam tempore anticipare mortem in ſenectute futuram, abeundo quidem uelocius, ſed uiciſsim aliâs redituros. Proinde ſi viuentes fortunis expolientur, facilè animaduertere poterunt, eas neque antea quidem fuiſſe ſuas, ipſisq; raptoribus deridendam fore poſſeſſionem, quandoq; ab alio viciſsim expoliandis: quinetiam ſi nullus abſtulerit, deteriorem fore poſſeſsionem, quàm expoliatis iactura fuiſſet. Quemadmodũ
F verò in theatri ſcenis, ſimiliter & in vita contemplari debemus cædes, obitus, expugnationes vrbium, rapinas, & prædas, tanquam omnia tranſmutationes quædam ſint, figurarumque uices alternæ, ficti quoque fletus paſsim atque vlulatus. Etenim in ſingulis vitæ humanæ actibus, non ipſa quæ intus eſt anima, homoq; verus, ſed exterior hominis vmbra lamentatur & ciulat, cæteraq; agit omnia in terra velut ampliori quadam ſcena, in qua quidem multæ animarum vmbræ reſultant, multaq; ſcenarum ædificantur vmbracula. Talia ita que ſunt hominis opera, qui ſola inferiora externaq; viuere nouit, neq; animad uertit in ſerijs quoq; fletibus quaſi ſe ludere. Soli nanque probo ſerio ſtudendum eſt officijs ſtudio dignis: alius autem homo nihil aliud eſt quàm ludus. Illi verò in rebus quoq; ludicris ſtudioſe ſerioq; agunt, qui res ſtudio dignas, & quomodo ſtudendum ſit ignorant, ipſiq; ridiculi ſunt. Siquis autem vnà cum illis ludens talia patiatur, agnoſcat ſe in puerorum ludos incidiſſe, deponens qua indutus eſt perſonam. ac ſi Socrates quoq; ludat, ludet certè Socrate duntaxat externo. Meminiſſe inſuper oportet non eſſe faciendum argumentum quòd hæc mala ſint, ex eo quod in eis lugeatur & eiuletur: quoniam pueri quoq; in rebus non malis deflent atque lamentantur.

Quid ſit

A *Quid ſit ratio ſeminaria mundi: quomodo agat. Item de quatuor gradibus plenitudinis. Item quomodo rationes rerum in communi ratione contrariæ ſint.* Cap. XVI.

CAererum ſi hæc rectè dicuntur, quónam pacto prauitas vlterius erit? vbi nam iniuſtitia? vbi erratum? Qua enim ratione ſi omnia ritè decenterq; fiunt, fieri poteſt vt qui agunt, iniuſtè faciant & aberrent? Et quo pacto infælices erunt, ſi non agunt iniuſtè, ſi non aberrant? Item quomodo alia quidem ſecundum naturam, alia verò præter naturam eſſe dicemus? Siquidem quæcunq; fiunt agunturq;, naturali quodam ordine tranſigantur. Et nunquid impietas cõtra deum vlla eſſe poterit? quippe cum talis ſit qui facit, taleq; quod fit: velut ſiquis poeta mimum interſerat fabulis poetam ipſum mordentem atque reprobantem. Rurſus ergo quidnam ratio ſit, planius explicemus, probemusq; eam meritò eſſe talem. Eſt igitur hæc ipſa ratio: audeamus id eloqui: fortè enim ſic aſſequemur. Eſt inquam ratio hæc non ſincera mens, non mens ipſa, non animæ puræ genus: dependens verò ab hac & quaſi fulgor ex ambabus, mente videlicet aq; anima: ab anima inquam affecta ſecundum mentem: his vtiq; generantibus rationem hanc velut vitam, quæ quietam quandam in ſe habeat rationem. Omnis verò vita eſt actus, vel vita viliſsima. Actus inquam non que
B madmodum agit ignis, ſed ipſius actus etiam ſi nullus adſit ſenſus, motio quædam eſt minime temeraria. Quodcunq; verò ſit quod præſentem participat rationem, ſubitó rationabiliter euadit affectum, ideſt, formatur: quaſi actus qui eſt ſecundum vitam, formare queat, atq; ita mouere tanquam formet. Quamobrẽ actus eius artificioſus eſt: ceu ſiquis tripudio moueatur. Tripudiator enim vitæ ſic artificioſæ perſimilis eſt, atq; ars mouet ipſum, & ita mouet, propterea quod ipſa vita talis quodammodo ſit. Talia itaq; dicta ſint, vt planius cognoſcatur qualis ſit etiam qualiſcunq; vita. Procedens igitur hæc ratio ex vna mente vnaq; vita, ex ambabus ſcilicet plenis, non eſt vel vita vna, vel mens quædam vna: neq; eſt vbiq; plena, neq; tradit ſeipſam quibus impertit totã atq; omnem. Cùm verò partes in ſe oppoſitas inter ſe habeat, ideoq; indigas, certè belli ſeditionisq; profert originem, atq; ita eſt vná omnis, ſi non ſit vnum. Facta enim ſibimet per partes hoſtis, ſic vnum quiddam eſt & amicum, perinde ac ſi fabulæ tragicæ ſiue comicæ ratio vna ſit totius, multa in ſe prælia continens. Fabula quidem ipſa cuncta quę diſſident, in vnam concordem redigit temperantiam, ceu pugnantium diſpoſitionem omnem conficiens: ibi autem ex vna ratione diſtantium diſſidentiúmq; pugna deducitur. Quapropter quiſpiam harmonię
C ex pugnantibus reſultanti magis aſsimilabit, perquiretq; cur nam in rationibus ipſis repugnantia comprehendantur. Si igitur & hic acutum & graue faciunt ipſæ rationes, conſpirantq; in vnum, cùm harmoniæ rationes ſint in ipſam videlicet harmoniam, quæ alia eſt ratio maior, cùm ipſæ minores ſint & partes: profectò videmus ſimiliter in vniuerſo contraria: album, nigrum, calidum, frigidum: item alatum, non alatum, pedatum, non pedatum, rationale, irrationale. Singula verò animalis vnius vniuerſi ſunt partes: Iam verò totum ſe cum ipſo conſentit, partibus paſsim inter ſe pugnantibus, ſecundum rationem verò totum. Itaq; neceſſe eſt hanc quoq; rationem vnam, ex rationibus contrarijs vnã eſſe: adeo vt oppoſitio talis conſtitutionem ipſi & quaſi eſſentiam aſſerat. Etenim niſi eſſet multiplex, non eſſet & omnis, non eſſet & ratio. Ratio verò exiſtens differens eſt etiam ad ſeipſam, maximáque differentia contrarietas eſſe videtur. Quapropter ſi alterum quiddam omninò eſt, ipſum verò alterum agit aliquid, non tamen alterum minus, ſed magis alterum efficit: ſequitur vt alterũ quiddam ad extremũ efficiens neceſſariò cõtraria faciat: Perfectaq; erit ratio, ſi modò nõ ſolùm differẽtia quædã, verũ etiã cõtraria multa efficiat ſemetipſam.

D *In diuina prouidentia præſcripta ſunt & quæ nos agimus, & quæ ſubinde patimur.* Cap. XVII.

CVm igitur talis ſit qualem ipſa omnino in ſe per vniuerſa ſe reddit, multò magis quæ fiunt contraria facit, quò magis iam diſtare coguntur. Sanè minus vnum eſt ſenſibilis mundus, quàm ratio ſua: ideoq; magis eſt multiplex, cõtrarijsq; refertus. Præterea viuendi appetitus eſt in ſingulis vehementior, amorq; in vnum rapiens eſt ardentior: quæ verò amant ſæpe amata corrumpũt proprij boni auiditate, quando videlicet corruptioni obnoxia ſunt. Amor quinetiam partis erga totum trahit ad ipſum quicquid poteſt. Sic itaq; & boni & mali quaſi ab eadem arte cuiuſdam ſaltantis tripudio per contraria perducuntur: cuius quidem alteram partem bonam, alteram dicemus eſſe malam. atque ita pulchrè ſe habet. Sed enim nulli videbuntur amplius eſſe mali: Fortè verò nihil hinc prohibet aliquos eſſe malos: ſed forſan ſequetur ex ſeipſis non fieri malos. Fortaſsis etiam malis hinc venia dabitur, niſi quibus danda ſit venia, & quibus non, ipſa ratio faciat. Faciat verò ratio, vt talibus quibuſdam non ignoſcatur: cæterùm ſi pars quidem eius alia vir bonus eſt, alia verò malus, plures in eo
E partes obtinet malus. Sed certè ita fit quemadmodum in fabula: vbi alia quidẽ hiſtrionibus poeta conſtituit, alijs autem pro eorũ natura vtitur. Non enim ipſe facit, vt alius virtute primus ſit in ludo, alius verò ſecundus, alius deniq; tertius: ſed concedens ſuas cuiq; rationes, deinceps aſsignat ordinem vnicuique prorſus accommodatum. Sic itaq; vnicuiq; deſtinatur locus tum bonum tum malum maximè decens. Itaq; vterq; ſecundum naturam atque rationem ad vtrunq; progreditur prout decet, locum quem elegerat obtinens: deinde pronũtiat atq; agit alius quidem verba operaq; prophana, alius verò contraria. Erant enim hiſtriones ſic aut ſic affecti etiam ante ludos, inde mores ſuos fabulis inferentes. In ſcenicis quidem hominum actibus poeta ſingulis diſtribuit rationes: ij verò penes ſe. & ex ſeipſis habent, quod rectè, quodue non rectè agant. Eſt enim munus illis vltra verba poetæ. Sed in veriori poemate, quòd referunt homines ſecundum partem, naturam habentes effingentem anima ſubornatur. Et quemadmodum hiſtriones à poeta ſubornantur accipientes perſonas, veſtes, croceos amictus, lacerosúe pãnos: ſic ſub mundano poeta perſonatus animus fortunas haud temere ſubit. Hæ nanq; ſecundum rationem ſunt easq; opportunè ſubiens, fit mundanæ tragœdiæ vel comœdię concors, ſeq; infert actibus ra-
F tioniq; vniuerſæ conſentientem: deinde quaſi pronuntiat actiones, & cætera quæcunq; anima ingenio etiam proprio faceret, quaſi aliquam cantilenam. Et quemadmodum vox atq; figura ex ſe quoque pulchra eſt aut turpis, atq; vel decus poemati videtur adiungere, vel vitium vocis immiſcens non facit vt fabula ſit diuerſa iam atq; fuerat, ipſa verò inconcinna videtur. Poeta verò fabulæ auctor reſpuit hunc pro dignitate vituperans optimi iudicis officio functus: aliũ autem ad maiores promouet dignitates, atq; ſi habeat, ad acta quędam preſtantiora: at alterum ad deteriora ſi poſsit. Eadem profectò ratione anima ingrediens in hoc vniuerſum mundi poema, ſeq; ipſam ſcenicorum ludorum efficiens partem, ſecumq; afferens vt geſtus bene tranſigat aut male. Item in ipſo introitu annexa ordini reliquorum, cæteraq; omnia ſeorſum à ſe ſuisq; officijs nacta, pro dignitate pœnas honoresq; reportat. Adeſt præterea aliquid talibus hiſtrionibus vtpote in ampliori loco quàm ſub menſura ſcenæ ſubornatis: præſertim cum auctor vniuerſi hos auctoritate donauerit, maiorq; ſit potentia ad multas morum, geſtuum, locorum ſpecies comparandas. Definiunt igitur honoris & ignominiæ modum ex eo quoq; quod ipſi in honore dedecoreq; agendo communicant: vbi videlicet habitationes ſingulæ ſingulis accommodatæ ſunt moribus: adeò vt rationi ipſius vniuerſi conſentiant, accommodato videlicet

A licet vnoquoq; ſecundum iuſtitiæ iudicium ſuis vbiq; ſortibus: ſicut corda in cythara quælibet proprio conuenientiq; loco & ordine tenditur pro ipſa ratione ſonandi, qualis videlicet ad hoc ipſum facultas vnicuiq; ſuppetit. Etenim in toto decorum pulchrumq; viget, ſi quilibet vbi decet diſponitur, ſonans quidem mala in tenebris atq; tartaro: in his enim pulchrum eſt ita ſonare. Proinde id totum ita demũ pulchrum eſt, non ſi quodlibet ſit vt lapis, imò ſi vnuſquiſq; tonum conferens proprium ad vnam prorſus harmoniam rite conducat, vitam ipſe quoq; reſonans, minorem tamen inferioremq;, & à perfectione remotiorem. Quemadmodum neq; in fiſtula vox vnica ſatisfacit, ſed minor præterea debiliorq; requiritur ad totam fiſtulæ conſonantiam prorſus conficiendam: quoniam in partes inæquales diuiſus eſt concentus, & inæquales quidem ſinguli inter ſe ſunt toni: perfectus autem ex cunctis concentus vnus efficitur. Etenim vniuerſa ratio vna eſt, diſtribuitur autem in ea quæ non ſunt æqualia: vndæ diuerſa ſunt totius loca, partim meliora partim deteriora: tum animæ nõ æquales inæqualibus locis ita congruunt. Ex quo hîc efficitur, vt loca diſſimilia ſint, animæq; inæquales, atque diſſimiles loca diſſimilia nanciſcantur: quaſi ſecundum quaſdam fiſtulæ vel alterius inſtrumenti diſſimilitudines: habitent quoque loca pro animarum varietate inter ſe differentia, concinentes quolibet
B in loco proprios quidem cantus, ſed tum locis ſingulis, tum vniuerſo concordes: verùm quod à quauis anima malè ſibi ipſi canitur, bene toti concinitur. Item quod ipſis præter naturam accidit, ſecundum naturam vniuerſo contingit. Neque tonus minor concinit minus toti quàm maior, neque canens ſibimet ineptius, totum ob hoc reddit ineptius: Sicut neq; plebeus quidam prauus ciuitatem iuſtis legibus inſtitutam reddit deteriorem, ſi modò alio hoc exemplo vti nunc expedit. Neceſſarius enim eſt & prauí vſus in ciuitate rebus aliquando ita poſcentibus, taliſq; homo rectè locatur.

Differentiæ animarum, & confirmatio ſuperiorum. Cap. XVIII.

ANimæ autem meliorès vel deteriores partim quidem ob alias cauſas, partim verò velut ab initio non omnes æquales. Hæ namq; competenti proportione vniuerſæ congruunt rationi, ſiquidem & in ratione & in animarum genere in partes inæquales facta eſt diſtributio. Reputare oportet animo ſecũdos ac tertios ordines animarum: rurſus eandem animam non ſecundum eaſdem ſui partes ſemper agere: ſed & iterum hoc modo dicendum: multa enim
C explicationis gratia præſens diſputatio poſtulat. Conſiderandum ergo, nunquid forſitan non oporteat eos introducere hiſtriones, qui aliud quiddam pronuntient præter illa quæ poeta conſcripſerat, quaſi conſcriptio poetæ ex ſeipſa imperfecta ſit: illi verò quod reliquum erat ſuppleant, implentes ipſi locos, quos fortè vacuos poeta reliquerat, quaſi mimi futuri ſint non mimi: ſed enim auctoris poetæ potius partes ſint, qui præuiderit, quæ mimi pronuntiaturi ſint, vt ita reliqua & quæ deinceps ſequuntur rite connectere valeat. Cuncta enim quæ deinceps in vniuerſo ſequuntur, & quæ ad mala opera conſequũtur, rationibus rite conſtant, & ſecundum rationem diſpenſantur vbiq;: velut quando ex adulterio atq; ſtupro per rapinam commiſſo, filij naturali ordine generantur, & interdum fortè viri præſtantiores: & quando vrbibus opera malorum ſubuerſis, ciuitates aliæ excellentiores conſtituuntur. Si ergo abſurda eſt illa introductio ſupplentium animarum, hæ verò & mala & bona faciunt, detrahemus enim rationi bonorum auctoritatem efficiendorum, adimentes illi omnem prorſus malorum communionem, quidnam prohibet? Hiſtrionum quoq; geſta partes aſſerere, ſicut fabulæ in comœdia, ſic & ipſius quæ in vniuerſo eſt

[illegible] Ministry of Health [illegible] Ministry of Health [illegible] Ministry of Health [

A ſiones,& quæ adeſſe oporteat alimenta,arma,machinas: & profectò quotcũq; ex his inter ſe connexis conſpirantibúsue conſequuntur, ſunt præuiſa:vt quod cunq; ex his euenit,locum vbi bene ſitum ſit nanciſcatur. Procedunt quidem omnia ab exercitus duce ſagaci quadam ſolertiq; ratione, quamuis etiam externa ſint,ab eoq; aliena,quæ hoſtes ſunt illaturi. Quòd ſi tam illi quam huic exercitui ſimiliter imperare valeret, imò verò ſi maximus imperator eſſet cui ſubiecta ſint omnia,quidnam vlterius ordine carerere poſſet? quidúe connexione vacaret?

Quamuis ſingula ſint in prouidentis Dei mente ſignata, tamen animus agit libere. Item uniuerſum oportuit diſpares gradus habere. Cap. III.

ET ſi ego dominus ſum ad hæc vel illa potius eligenda, in ipſa tamen electione cum vniuerſo noſtra ordinantur,quoniam natura noſtra non eſt aduentitia vniuerſo, ſed in eius ordine numeratus eſt talis quidam aut talis: At vnde nam talis? Duo vtiq; ſunt quæ in præſentia requirũtur, quorum alterum quidem eſt:vtrum in effectorem quicunq; ille ſit,referre oporteat cauſam, per quam vnuſquiſq; talibus affectus ſit moribus,an in ipſum genitũ: an forte cau-
B ſa nulla ſit aſsignanda:quemadmodum neq; in generatione plantarum,cauſam per quam non ſentiant deſideramus,neq; in cæteris animalibus, cur non ita vt homines ſe habeant. Idem namq; id foret,ac ſi quare homines dij non ſint quæramus:nempe cum in his neq; ipſa,neq; effectorem iure criminemur, cur nam in hominibus reprehendamus quòd nihil maius humana ſpecies habeat? Forte naturam culpabit quiſpiam,quòd homo poterat excellentius quiddam eſſe. Quòd ſi à ſe ipſo aliquid inſuper comparante id conſequi poſſe iudicet,accuſare debet hominem,non auctorem:ſin autem non à ſe ipſo,ſed extrinſecus ab effectore aliquid inſuper additũ fuiſſe deſideret, ſtultus erit qui plus quam ſit datum efflagitauerit:perinde ac ſi in cæteris animalibus plantisq; ſupra modum naturæ deſideret. Non enim oportet inquirere,num hoc minus quàm illud habeat:ſed nunquid hoc ſatis quod naturaliter habere expedit,habeat: non enim æqualia eſſe oportuit omnia. Nunquid igitur inæqualis rerum diſtributio facta eſt dimetiente ratione per electionem quandam decernentem non omnia æqualia eſſe debere? Nequaquam:verùm ſic fieri naturaliter habuit. Pediſſequa enim eſt ratio hæc alterius animæ, pediſſequa & anima ipſa mentis. Mens autem non vnum aliquid horum eſt,ſed cuncta: cuncta verò ſunt multa:
C multa rurſus cum ſint nec eadem,nimirum alia quidem prima, alia verò ſecunda,alia denicq; tertia dignitate oportuit eſſe. Quin etiam quæ fiunt animalia, non animæ ſolùm ſunt,ſed animarum decrementa quædam quaſi in exile quiddam iam procedentium. Nam ratio animalis quãuis ſit animata,per aliam tamẽ animam dicitur animata,non per illam à qua ratio manat. Quin & vniuerſa hęc ratio iam quaſi decreſcit,dum in materiam inclinatur,& quod ex ipſa gignitur, prouenit imperfectius. Conſidera precor quanto iam interuallo diſtat ab origine quod eſt factum,& tamen quantum adhuc ſit admirandum. Neque tamẽ ſi tale quiddam eſt quod gignitur,etiam quod ante ipſum eſt omnino tale putandum. Nempe omni effectu omnino preſtantius eſt, extraq; cauſam extat, magisq; mirandum quòd aliquid edidit poſt ſeipſum,taliaq; ipſius veſtigia ſunt. Quòd ſi plus tradidit quàm res capere poſſent, magis etiã id approbandum:vnde appareat culpam omnem in effectus reijciendam: prouidentiæ verò munus abundantius eſſe,

D *De intellectu, & ratione, & imaginatione. Cur homines natura ſemper utantur ratione. Cur anima fiat deterior: quòd non tranſit in beſtias. Cap. IIII.*

SI homo eſſet ſimplex: ſimplex inquã ſi id ſolùm eſſet quod habuit ab initio, atque ſecundum id ipſum ageret, patereturq́, proculdubiò querelæ omnis occaſio procul abeſſet, quemadmodum in cæteris animalibus compertum habemus. Nunc autem vituperatio locum habet tantùm in homine malo, idq́ forſan nõ abſq; ratione. Non enim ſolùm id eſt quod eſt factus, ſed principiũ aliud habet liberum, neq; tamen extra limites prouidentiæ & rationis vniuerſæ peruagans. Non enim ab his noſtris ſuperiora illa dependent, ſed micant meliora peioribus, idq́ perfecta prouidentia eſt. Atqui & ratio altera quidem eſt efficiens, altera verò his quæ fiunt meliora coniungens. & illorum quidem ordo prouidentia eſt deſuper agens: hæc autẽ à ſuperiori prouidentia eſt: altera certè ratio illi rationi connexa, totusq́ ex ambabus contextus efficitur, omnisq́ prouidentia. Homines igitur principium aliud poſsident, non omnes tamen omnibus quæ habent vtuntur, ſed alij quidem alio vtũtur principio, alij verò alio, vel alijs, atque peioribus. Adſunt autem illa quoque principia etiã in eos non operantia, neque tamen ipſa in ſe procul ab actu torpentia: agit enim quodlibet ſuũ opus, ſed interdum in hos minimè operantur. Interrogabit fortè quiſpiam, quare cum adſint non operentur: an fortè non adſint: quanquam omnino adeſſe fatemur, nihilq́ eſſe ab his deſtitutũ. Forſan verò his non adeſſe dicendum, in q̃s non agunt. Cur igitur non in omnes agunt: ſiquidem & hæc eorum partes exiſtunt: dico autem tale principiũ. In alijs quidem animalibus, non ipſorũ eſt hoc principium, in hominibus autem nequaquam in omnibus. Numquid igitur nõ in omnibus, non tantùm id principium: Sed cur non ſolum: In quibus autem ſolum, & ſecundum hoc viuere conuenit: ſecundum verò alia quatenus cogit neceſsitas. Siue enim compoſitio talis eſt, vt quaſi in turbulentum præcipitetur, ſiue concupiſcentiæ ſuperent, ſimiliter cauſam in ſubiectũ ipſum reijcere neceſſarium eſt. Verùm primùm quidem videbitur nõ amplius in ratione eſſe cauſam, ſed potius in materia: atque ita non ratio, ſed materia dominabitur: deinde ſubiectum, vt formatũ eſt, vel potius ſubiectũ principio ratio eſt, & quod ex ratiõe factum, exiſtensq́ ſecundum rationẽ. Quapropter nõ materia dominabitur, deinde formatio ſequetur: quinetiã quòd talis ſit, poterit quis cauſam in precedentem vitam referre, quaſi ratio ex antecedentibus facta ſit debilis, ſi cum ratione cõferatur ſuperiore. Quippe cum anima facta ſit infirmior, deinde illuſtret, tum ratio ipſa dici debet in ſe ipſa habere etiã materiæ rationẽ: quã quidem materiã ſibi operabitur ſecundum ſe ipſam, materiam fingens, vel nacta cõcordem. Ratio enim ſeminaria bouis non in alia quàm bouis materia eſt: vnde & in alia etiã animalia, inquit, animam deſtinari: quippe cum anima facta ſit alia, ratioq́ euaſerit iam diuerſa, vt bouis anima fiat, quę homo antea fuerat. quapropter iuſtitię ipſius iudicio fit deterior. Sed à principio cur deterior anima facta eſt, & quomodo aberrauit, ſæpe dictum eſt non omnia eſſe prima, ſed quæ ſecunda, tertiáue ſunt, deteriorem quàm ſuperiora habere naturam. Item exiguum inclinationis momentum ſatis efficit, vt rectum tranſgrediamur. Præterea complexio alterius cum altero quaſi quædam commixtio eſt ad tertium quiddam ex vtriſq; conficiendũ. Neq; quod erat hîc imminuitur, ſed quod minus eſt, factum eſt ab initio minus, atque eſt quod factum fuit ſecundum nuturam ſuam minus: ac ſi quod inde conſequens eſt patitur, pro dignitate patitur. Accedit ad hæc, quòd ad præcedentem vitam referenda computatio eſt: nam ex illis quæ in illa facta ſunt atque concepta, ſequentia deducuntur.

Quòd

A *Quòd oporteat eſſe diuerſos rerum gradus. quòd prouidentia diſpenſet ſingula geometricæ proportionis æqualitate. quòd fatum ſeruit prouidentiæ. de libero arbitrio.* Cap. V.

PRocedit igitur prouidentia ab initio ad finem deſuper ſe diffundens: nec æquali ſecundum numerum portione, ſed ſecundum comparationem quã dam proportionis aliter diſtribuit alibi: quemadmodum in vno quodã animali à principio ad extremum ritè connexo, membrum quodlibet munus propriũ poſsidet, & melius quidem actionem habet præſtantiorem, deterius autem inferiorem ſibi conuenientem. Patitur quoque proprias paſsiones tum ſibimet, tum ordini ad aliud directo conuenientes. Iam verò ſua quadã conditione pulſata, ſic quę ſunt vocalia reſonant: alia verò ſilentio patiuntur, mouenturq; conſequentia. Proinde ex cunctis tonis, paſsionibus, actionibus, vna animalis quaſi vox vitaq; & actus efficitur. Etenim partes inter ſe diuerſæ, diuerſas habẽt & actiones. Aliud nanq; pedes agũt, aliud oculi, aliud cogitatio, aliud intellectus. Vnum verò ex cunctis, & prouidẽtia vna. At fatum à deteriori quodam ſumit exordium: quod autem eſt ſuperius ſolùm prouidentia eſt. Omnia enim quæ in mundo intelligibili ſunt, ratio ſunt ſuperq; rationem: nempe intellectus & anima pura: quòd verò deinceps, quatenus inde prouenit, prouidentia eſt, & quatenus eſt in anima pura, & quantum inde in animalia propagatur. Ratio vtique
B in partes inæquales diſtributa progreditur, iccirco neque facit æqualia, ſicut & in quolibet animali. Quòd verò deinceps ita ſe habet, conſequentia quidem comitantiaq; prouidentiam ſunt quæ fiunt ſi quis diis accepta facit. amica eñ deo eſt prouidẽtię ratio. Colligãtur itaq; eiuſmodi quoq; opera: fiunt verò nõ prouidẽtia, ſed facta iã vel ab hominib. vel à quouis alio, ſiue animali ſiue inanimato: ſi quid deinceps optimum eſt, ab ipſa prouidentia comprehenduntur, vt virtus vbique ſuperet: dum videlicet qui errauerant permutantur, errataq; corrigũtur, non aliter quàm in corpore vno per prouidentiam animalis cuſtodem ſanitas adhibeatur. Deinde ſectione vulnereq; accidẽte ratio rurſus diſpenſans ſingula deinceps coaptet atq; conglutinet, morboq; ſublato reſtituat ſanitatẽ. Hinc
C fit, vt mala ſequentia ſint, & quadam neceſsitate ſequentia: & ſecundum cauſas quod nos, non prouidentia quidẽ compulſos, ſed ex nobis dum coaptamus quidem noſtra operibus prouidentiæ, à prouidentiaq; profectis, ſed nõ poſſumus quod deinceps ſequitur connectere ſecundum prouidentiæ voluntatem: imò annectimus ſecundum voluntatem eorum qui agunt, vel ſecundum aliud quiddam eorum quę in vniuerſo ſunt, nec ipſo quidem ſecundum prouidentiã agente vel faciente in nobis aliquam paſsionem. Non enim idem facit quodlibet accedens ad quodlibet: ſed quod idem eſt, aliud facit ad aliud. Sicut pulchritudo Helenæ erga Paridem quidem aliud egit: Idomeneus autem aliter eſt effectus: atque intemperatus intemperato, pulcher pulchro propinquans aliud efficit: Temperatus autem pulcher, temperato pulchro aliud: ipſeq́ue idem aliud aduerſus intemperatum, intemperatusq́ue viciſsim aliud aduerſus ipſum. Iam verò quod ab intemperato fit, neque à prouidentia, neque ſecundum prouidentiam proficiſcitur. Quod verò à temperato fit, non à prouidentia quidem agitur, quoniam fit ab ipſo: ſecundum prouidentiam tamen agitur, rationi nanque prouidentiæ conſentaneum eſt: quemadmodum quòd quis ſanitati conferens agit, ipſe quidem agit, ſecundum tamen medici rationem: id nanque & medicus ex arte tradidiſſet, quantum vel ad ſalubria vel ad inſalubria pertinet.

Quòd autem quis ſanitati facit aduerſum, ipſe quidem facit ac præter medici prouidentiam agit,

D *Quo conſequentiæ ordine ex bonis præuideri mala. Quomodo in præſentibus ſint futurorum ſigna.* Cap. VI.

VVndé nam igitur Vates etiam deteriora prædicunt? & Aſtrologi præter cætera vaticinia hæc quoq; pronunciant? Profectò ex eo, quòd contraria omnia ſimul contexta ſunt ceu forma atq; materia, velut in animali compoſito quale eſt & mundus. Itaque qui formam rationemq; contemplatur, formatum etiam contemplatur. Non enim intelligibile animal ſimiliter atque compoſitum animal intuetur: ſed rationem animalis in compoſito deteriora formantem. Cùm igitur vniuerſum hoc ſit animal, qui ea quæ fiunt in ipſo videt, videt etiam ex quibus fiunt: prouidentiamq; in ipſo regnantem, quæ quidem ordine per cuncta procedit & quæ ſunt & quæ fiunt. Hæc autem & viuentia ſunt, quorum actiones affectionesq; & ratione ſuperatæ ſunt, & neceſsitati permiſtæ: miſta igitur contemplatur, & quæ continuè permiſcentur. Atque ipſe quidem prouidentiam ſeorſum ab eo quod ſecundum prouidentiam eſt diſcernere nequit, vel rurſus quod ſubiectum tradit ex ſe, ei quod fit in ipſo. Sed enim non ho
E minis eſt id agere, vel ſapientis cuiuſdam atque diuini: at potius ſolius dei munus hoc eſſe quis dixerit. Non enim vatis officium eſt, quam ob cauſam aliquid fiat cognoſcere, ſed ſic fore tantùm prænunciare. Arsq; præſagiendi lectio quædam eſt naturalium literarum ordinem indicantium, nec vſquam ad inordinatum aliquid declinantium: ſed præcipuè motu mundano id teſtificante, in lucemq; producente, etiam priuſquam in rebus ipſis appareat quales ſint, quòue patiantur. Concurrunt namq; in idem tum hæc vna cum illis, tum viciſsim cum his illa, ſimul ad conſtitutionem perpetuitatemq; mundi interim conferentia. Atq; ſecundum quandam analogiam, ideſt, proportionis comparationem ſignificantia cætera his qui talia diligenter obſeruant: quandoquidem alia inſuper vaticinia analogia quadam efficiuntur. Non enim oportuit omnia viciſsim ab omnibus dependere: aſsimilari autem inter ſe quodammodo debuerunt. Idq; forſan eſt quod dici ſolet, analogia omnia contineri. Eſt autem tale quiddam analogia: Quemadmodum ſe habet melius ad id quod melius, ſic viciſsim deterius ad deterius: ceu ſicut oculus ad oculum, ſic & pes comparatur ad pedem, tanquam alterum aduerſus alterum. Item ſi placet, quod eſt virtus ad iuſtitiam, id vitium ad iniuſtitiam. Sí igitur in vniuerſo regnat analogia, nimirum li-
F cet vaticinari: Ac ſi illa in hæc agunt, ſic vtiq; agunt, vt quæ in omni ſunt animali inuicem operantur, non quia alterum generet alterum (ſimul namq; gignuntur) ſed quia quali natura præditum eſt vnumquodq;, tali quadam ratione patitur quod eſt naturæ propriæ conſentaneum. Et quia hoc quidem tale quiddã, & tale quiddam hoc ſimiliter: ſic enim & ratio vna eſt.

Quòd in prouidentia Dei actio artificioſa & naturalis eſt eadem quæ gubernat mundum: ſicut uita plantam. Cap. VII.

PRæterea quoniam meliora ſunt in mundo, iccirco ſunt quoque deteriora. Quo enim pacto deterius aliquid in opere multiformi eſſe poteſt, niſi ſit & melius? vel viciſsim, quomodo melius, niſi ſit & peius? Quamobrem non debemus in meliori deterius cauſari, ſed potius quod eſt melius approbare: quoniã deteriori ſui nonnihil impertiat. Omnino autem quicunque deterius è mundo tollendum cenſent, tollunt ipſam etiam prouidentiam. Cuiúsnam amplius prouidentia erit? Nõ enim ſui ipſius, neq; etiã melioris: quãdoquidẽ dum ſupernã quidẽtiã nominamus, ad id-eã quod inferius eſt referimus. Ipſum nãq; in quod

omnia

A omnia rediguntur principium eſt in quo ſunt omnia ſimul, & omnia totum. Procedunt autem ex hoc iam omnia, intus ipſo manente, ceu ex vna radice in ſeipſa conquieſcente in multitudinem iam diuiſam plurimam pullulant, ſingula illius ſimilitudinem præferentia: aliud autem in alio hîc iã eſt factum. Suntq; alia quidem propinqua radici, alia verò longius procedentia diuiduntur, ac velut vſque ad ramos, atq; ramuſculos, fructuſq;, & folia, & alia quidem ſemper manent, alia verò fiunt ſemper fructus & folia. Et quæ ſemper fiunt ſuperiorum rationes poſsident in ſeipſis, quaſi exiguæ quædam arbuſculæ eſſe velint. Ac ſi generarent antequam putreſcerent, propinquum ſolummodo generarent: ipſa verò quaſi vacua ramorum ſpatia rurſus ab ipſa radice replentur, aliterq; natura ſe habent: ex quibus patiuntur extrema ramorum, adeo vt ex ipſo propinquo paſsio ſolùm contingere videatur. Quod autem ſecundum principium eſt, hoc quidẽ patitur, hoc verò facit. Principiũ verò eſt ipſum quoq; connexũ: procul enim progredientia, alia iam in alia inter ſe agunt: ex principio autem ab eodem: ceu ſi fratres inuicem aliquid agant facti ſimiles, vtpote qui ex geinitoribus eiſdem orti fuerint.

B

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM ENNEADIS TERTIAE QVARTVM DE DÆMONIBVS.

Summa libri, item de dæmonibus, & de dæmone proprio.

SVMMA libri huius de ſuo cuiuſq; dæmone, dæmonici potius quàm diuini eſt eiuſmodi. Anima cum ſit omnia, motumq; habeat naturaliter liberum, nimirum poteſt & intra ſe in proprias omniũ ſimilitudines formare ſeipſam, atq; ſubinde talia ſibi animalium & plantarum corpora conformare. Si igitur more plantæ uixerit: formabit poſt hanc uitam plantæ corpus, in quo uegetalis potentia tantùm agit: ſenſus autem eiuſmodi uitæ præſidet tanquam dæmon, non ut agens, ſed ut aſsidens ſpeculator. Similiter ſi anima uiuens ut beſtia, fiat deniq; beſtia ſenſum cum uegetali duntaxat exercens, rationalis huic poteſtas imminet otioſa, & tanquã dæmon aliquis obſeruator. Qui uerò ratione unà cum ſenſu uiuit, mentẽ habet more
C dæmonis aſsiſtentẽ: qui deniq; uiuit mente, Deúm pro dæmone uidetur habere præfectũ. Hac in re Plotinus Timæũ ex parte ſecutus eſt dicentẽ, poteſtatẽ præſtantiorẽ animæ eſſe ducem hominis atq; dæmonẽ. Secutus eſt & carmina Pythagorica: quæ Deum obſecrant, ut quo Dæmon utamur oſtendat: deinde declarant unicuique ineſſe pro dæmone quandam naturæ propriæ diuinitatem, quæ pandere nobis poſsit occulta. Hinc ergo Plotinus & Iamblichus Aegyptiorum ſententia intellectum unicuique ſuum præficiunt, tanquam dæmonem rationis ſemper omnia ſpeculantem. Ad hunc uerò librum componendum eſt adductus, ut narrat Porphyrius, magica Aegyptij ſacerdotis opera: qui & profitebatur ſuum cuique dæmonem oculis demonſtrare, & demonſtrauit Plotino pluribusq́ue præſentibus, non dæmonem Plotini, ſed deum: quippe cum Plotinus non tam ratione quàm intelligentia uiueret, nitens uidelicet iutuitu plurimùm potius quàm diſcurſu, neque perturbationes amputans, ſed extirpans. Quamobrem & in hoc libro non ſolùm docet qualis cuiuſque ſit dæmon: uerùm etiam exhortatur ad deum pro dæmone conſequendum. Hactenus libri ſumma. Eſſe uerò præter animæ partes alios inſuper extraneos dæmones, tum quamplurimos, tum duces hominum Plato ſæpe declarat, omnesq́ue Platonici: & ipſe Plotinus alibi, & in libro de Amore potiſsimùm. In hoc autem libro præcipuè dæmones introducit, qui ſint partes animæ: quoniam & ab alijs nondum fuerat diſputatum, & pro gradibus eiuſmodi, dæmonum diuerſi nobis externorum dæmonum gradus habentur. Vbi enim ſecundum imaginationem uita diſponitur, externus dæmon noſter eſt aerius in aere uidelicet infimo,

D ac per imaginationem noſtram imaginatione ſua nos agitans: ubi uerò ſecundum rationem uiuitur, dæmon foris ex aere medio ratione ſua rationem aerſat humanam: ubi deniq; intellectualis eſt uita, dæmon ex aere ſummo per intelligentiam aſpirat intelligentiæ: atq; id non tam electione faciunt, quàm more naturæ. Nam & in nobis intellectualis lucis excogitatio imaginationem naturaliter mouet ad ſenſibilem lucem imaginandam, & imaginatio in ſomno mouet ſenſus, & in uigilia frequenter affectus modo naturæ. atq; uiciſſim paſsio mouet ſenſum, ſenſus imaginationem, hiq; naturaliter rationem. Similiter dæmones uiribus ſuis noſtras aſsiduè pulſant: ſed excellentior ordo dæmonum agit occultius admodum atq; tranquillius ad intelligentiam aſsiduè reuocans: qualis utiq; dæmon uidetur duxiſſe Plotinum: ideoq; appellatus eſt Deus, qualis & dæmon ipſe Socraticus Solent enim præſtantiſsimi quiq; dæmones Deorum nomine nuncupari: quemadmodum & infimi Dij appellatione dæmonum deſignari. Eſſe quidem in aere dæmones in Theologia ſatis aſſeueramus: ut & ubique animalia ſint prædita ratione, & in aere potius quàm in terra: tantò præſtantiora ſimul & grandiora, quanto aeris ipſe globus eſt amplior atq; præſtantior, & uitæ præſertim rationali cognatior. Quod enim prius eminentiusq; uiuit in nobis cogitationiq; obſequitur, ſpiritus eſt aerius: Ingentia igitur rationaliaq; in aere animalia degunt, figura quoq; rotunda, qualem figura hæc aeris exigit: Senſus & in toto corpore totus, & pro natura aeris acutiſsimus: motus ratione ſimili uelociſsimus: motionis ordo fermè qualis in ſtellis. Dæmones igitur ſtellæ ſunt aerij cæli, circuitus ſtellarum cæleſtium pro uiribus imitantes ab ortu ad occaſum, atq; uiciſsim, ſtatutis ubique
E temporibus progredientes quoque regredientesq;, actum ad ſeptentrionem uergentes, tum ad meridiem, tum etiam uelut in augem aſcendentes, tum iterum deſcendentes ordine certò: præſertim dæmones ſuper aerem turbulentum. Neque electione duntaxat in nos agunt, ut diximus: ſed plurimum ſtellarum inſtar ipſa natura, radijsq; ſuis, quamuis occultis, tamen admodum efficacibus: quos quidem Magus qui congregare ſciuerit, poterit & uidere, cæterisq; monſtrare. Sicut & ſolis radij eueſtigio poſt occaſum qui per ſe minimè diſcernuntur, aliquando certis uaporibus congregati, ſtatim ſub ruboris, uel palloris forma uidentur: & flamma nonnunquam in meridie accenſa procul in lino non cernitur, adhibitis uerò lignis apparet. Videtur itaque ſacerdos Aegyptius dæmonis Plotinici radios congregaſſe, atque (ut Porphyrius teſtis eſt) præſentium oculis oſtendiſſe, ſiue colens dæmones hoc eorum munere tunc impetrauerit, ſiue uaporem certum dæmonibusq; cognatum infuderit aeri, quo certò modo radij dæmonis congregati patuerint. Sed qua nam forma coniecit Magus Plotini dæmonem eſſe ſupremum? quia uidelicet non difformi quodam inſtar iridis fulgore uenit, ſicut infimi ſolent dæmones in aere miſto: Non pallore iterum uel rubore, ſicut medij nonnunquam conſueuerunt: ſed lumine puro penitus atq; clariſsimo, quod ætherium cæleſtiumq; dæmonum duntaxat eſt proprium. Verùm ſi Plotini dæmon eſt altiſsimus, quomodo familiariter eum ducit? Quomodo Magus ille radios illius attingit? Quamuis poteſt dæmon eminus quoq; habitans iactu ſenſualium radiorum, & aliquid uerborum more ſignificantium pulſare, pulſandoq; uidere ſpiritum hominis intimum, ac uidendo quaſi loquendo ſignificare aliquid & afficere. Memento tamen à ſummis ad infima paſsim extendi catenas: itaq; à ſingulis ſtellis certos dæmo
F num ordines ſtellarum pediſſequos certis affici modis, atque ſimiliter animas à dæmonibus, à ſuis ubiq; ſuas. Sunt ergo plures in qualibet ſphæra tam infra lunam, quàm ſuper lunam: dæmones Saturnij ſub Saturno, Iouijq; ſub Ioue, cæterijq; ſimiliter. Atque inter Saturnios alij etiam in eadem ſphæra præſtantiores alijs, ſimiliterq; Iouij: quemadmodum inter homines ſolet accidere. Plotinum igitur atque Socratem præſtantiſsimus inter aerios ducit dæmon, ductus uidelicet à quodam inter æthereos præſtantiſsimo ducto ſimiliter ab aliquo inter cœleſtes dæmones optimo. Socrates igitur atque Plotinus continuata ſerie mouentur à ſummo. Sed nunquid unuſquiſque tantùm in eadem ſphæra mouetur ab unico? Forſitan non ab uno. Quamuis enim dæmon quilibet ampliſsimam impleat regionem: ideoq; etiam ſi non mutet locum, tamen multis in locis poſsit oberrantem hominem obſeruare, atque more ſtellæ ubique attingere radijs: tamen non eſt probabile, quando quiſpiam ab oriente uſque ad occidentalem plagam peregrinatur, dæmonem natura longè præſtantiorem, uelut addictum alicui pedagogum peregrinantis hominis ueſtigia ſequi. Quid ergo? Aut ſi unicus dæmon ſit, eſt ubique ſecundum Iamblichum: itaque non cogitur mutare locum: aut ſi non eſt ſimul ubique, non dæmon tantùm unus, ideſt, numero unus, ſed etiam unus ſpecie unicuiq; præſidet. Sic ſolares dæmones ſolari præſunt homini: qui quocunque iuerit, in ſolarium dæmonum propriè uenit imperium: ipſe inquam, & unuſquiſque ſolaris: ſimiliterque uenerei paſsim incidunt in uenereos. Sunt tamen inter ſolares dæmones differentiæ quædam: nam dotes cunctæ ſolis, quas & ſol poſsidet unus, in ſolares dæmones multos ſeorſum diſtribuuntur. Similes quoque ſunt & plures inter ſolares homines differentiæ: adeo ut aliquis plebeus homo

quamuis

A quamuis quòcunque pergit ſuos reperiat duces, ideſt, plebeos, albi tamen reperit minus, alibi magis accommodatos: accommodatiſsimum uerò penitus qui unicus eſt in regione certa nanciſcitur. Hinc efficitur, ut alius ſit fortunatior alibi, & in alio ſimiliter opere: ubi uidelicet ſuus dæmon potentior eſt, & in quo præcæteris efficacior. Sequitur, inſuper, ut qui ad certum opus ſingulariter nati ſunt, plurima etiam ſuper ætatem ſine præceptoribus, ſine miniſtris excogitent mirabiliter atq; peragant ſuis uidelicet inſtructi dæmonibus. Tum uerò præter ſpem ſuã & aliorum opinionem opportunè incidant in tẽpora, in regiones, in perſonas, in materias, in inſtrumenta, in facultates: quibus rite ſuppeditantibus, opus ipſum expleant naturaliter deſtinatum. Quorum ſanè inter ſe diuerſorum confluxum non naturalis cauſa, ſed dæmonica ad unum connectit euentum, ad præcognitum ſibi finem ſingula dirigens. Interea cælo miniſtrans pariter atq; ſuppeditans: miniſtrans inquam media ſemper ad finem intelligentiæ cæleſti præcognitum: ſuppeditans inſuper propriam efficaciam ad id peragendum, quod ſæpe non facit cæleſtis motio, ſed ſignificat. Vnde nonnunquam aſtrologus ex certa diſpoſitione cæleſtium, uelut ex ſigno prænuntiabit, quæ certus dæmõ diſpoſitioni accommodatus eiuſmodi agit utcunq; poteſt in nobis, & utcunq; poſſumus nos efficimus. Poſtquam uidelicet è multis annis ille cæleſtiũ aſpectus euanuit, etiam ſi non reruetat ad idẽ: ex quo apparet illũ noſtra potius ſignificaſſe quã facere. Sed iã ad Plotini uerba pergamus.

Quomodo intellectus producit animam, anima naturam, natura materiam, Cap. *Primum*

B CORpora omnia ſemper aliquid agunt, & agendo foras nonnihil emittunt, ſimplicia quidem abiq; intima mutatione ſui. Cum enim uniformia ſint, parsq; teneat partem, nihilq; intus habeant alienum, meritò nihil effluit ſubſtantiæ foras. Sic ignis calorem præſtat & lucem non diminutus, ſimiliter aqua frigus qualitatemq; præſtando, generant ſubinde ſubſtantiam: compoſita uerò contraria ratione uapores quodam detrimento ſui foras emittunt. Multo magis intellectus & anima aliquid ſemper ex ſe propagant: intellectus animam, anima uitam ſenſualem atq; uegetalem, quam poſſumus appellare naturam. Sed intellectus quidem ſimplicis more corporis procreat animam non mutatus: anima uerò corporis inſtar compoſiti producit mutata naturam. Omnino uerò intellectus, & anima, & natura ſubſtantiam primò generant: deinde in ſubſtantia qualitatem. Hoc enim excellentioris agentis eſt proprium, primò generare ſubſtantiam, deinde illam conuerſam ad genitorem, tanquam intuendo miris afficere modis. Sed quónam pacto anima naturam mota producit? non quidem mota diſcurſu. Non enim accidentali ſuo ſuum gignit eſſentiale: ſed ipſa intus alteritate regnante ex intellectuali poteſtate ſui in ſenſualem & naturalem deſinit facultatem longè ab intellectu diuerſam. Quemadmodum in compoſito corpore uapor ipſe ſuus ad eiuſdem circumferentiam ſe diffundit alteratione quadam non lædente ſubſtantiam: uapor autem ulterius foras euolans, quodam detrimẽto ſubſtantiæ repræſentare uidetur eam animę paſsionem, qua nonnunquam potentiam uegetalem ultra ſeipſam, ultra ſpiritale corpus naturaliter ſibi familiariſſimum ad corpora compoſita promouet. Tunc enim non quodammodo mota, ſed uerè mutata, ideſt, cum quadam dignitatis ſuæ iactura infimæ generationis opus aggreditur: & qualiter in ſe-
C mutata eſt, tale corpus proutibus ſibi concreat ex materia. Memento inter hæc, ipſam mundi animam ſi conferatur cum mente diuina, generare quodammodo motam quemadmodum expoſuimus: ſi conferatur cum anima noſtra, generationem explere non mutatã, ideſt, à principalibus actionibus ſuis nullo modo diſtractam. Vbi uerò dicitur à natura materiam procreari, intellige ab uniuerſali natura, quæ mundanam animam comitatur: tametſi quælibet intellectualis anima (ut uult Plotinus) niſi materiam reppererit procreatam, procreatura uidetur. Materiam hic appellat ultimum uniuerſi, ſubiectam ipſi naturæ, quæ eſt ultimum diuinorum, quæ ex materia prorſus indefinita fingit corpora, formas deſuper adhibens. Sicut & ipſa, & anima atq; mens prius tanquam quodammodo indefinitæ fuerunt, quàm in formam propriam prouenirent, ſed nunquam prorſus infinitæ: quamuis tales excogitentur, quatenus ad actum abſolutiſsimum referuntur.

De tranſmigratione animæ: & quòd non tranſit in beſtias. Cap. II.

QVid ipſe Plotinus quõdam de tranſmigratione animæ ſenſerit, niſi fortè poeticus ſit ut Plato, legentibus eius ſcripta declarant. Nos autem optamus eum, quod & plerunq; philoſophi ſolent diligentius meditatum, ſi modò id ſenſerit in hunc ſaltem modum mutauiſſe ſententiã, quam non tam rationis neceſsitate, quàm conſuetudine gentis & ſæculi ſubijſſe uidetur. Quanquam hominis anima quodammodo in ſeipſa mutetur, nunquam tamen ultra certos humanæ

D ſpeciei terminos tranſmutatur. quod & Iamblicho placuiſſe uidetur dicenti, animam in qualibet tranſmutatione ſuam ſpeciem conſeruare: quandoquidem eius motus exordium habet ab ipſa, & agitur intra ſe ipſam. Quæ quidem ubi dicitur eſſe omnia, intelligenda eſt eſſe omnia non quolibet modo, ſed ſuo, ideſt, ſpeciei propriæ proprio. Noli itaq; dicere: anima ſi eſt omnia per potentiam naturalem, ergo quandoq; fit omnia: Nunquam enim anima ipſa ſit forma corporea, ſiue corpus, quia uidelicet anima non eſt quomodolibet ciuſmodi forma uel corpus, ſed propriè ſecundum ipſum uitæ modum. Ita neq; fit beſtia, quoniam anima non eſt ſimpliciter animal, ſed modo duntaxat humano. Præterea cum uideamus certos effectus non ex quibuſlibet cauſis, ſed certis oriri: calida ex calentibus, uuas ex uite, ex leone leonem: ideoq; uiciſsim certas rerum ſpecies non quoſlibet effectus procreare, ſed proprios: nimirũ neq; ex natura hominis genitali, quæ certa quædam eſt ab initio ſpecies & humana, bouem aliquando fieri ſperare debemus, niſi forſan ipſa natura ſpeciem per ſe aliquando mutet, atq; ex humana fiat quandoq; bouina, quod quidem effici nequit. Cum enim per ſe mobilis & ſempiterna dicatur, nunquam tranſmutatur ab alio, ſed neq; etiam ſponte ſpeciem deſeret propriam: quandoquidem hanc ſibi ſingula ſemper conſeruare niſuntur. Iam uerò ob hoc ipſum quod genitalis ipſa humana natura non poteſt eſſe bouina, contingit ut nec homo bouem, nec bos procreet hominem. Longius enim diſtat à natura natura, quàm effectus naturæ huius ab illa. Omnino uerò aliæ rerum ſpecies in alias degenerare non ſolent, niſi & amittant interna, & admittant rurſus externa, & in commiſtionem ueniant: itaq; paulatim deſinant eſſe quod erant. quod animæ noſtræ cõtingere Platonicus nõ cõcedet: cõcedet autẽ proprietatẽ hominis genitalem à proprietate genitali brutorum non aliter ſpecie diſcrepare, quàm humana ſpecies à ferina. Accedit adhæc quòd cum anima dicatur talis fieri ſiue talis apud Plotinum per electiones actionesq; ſuas, ſi ſuæ ſunt, humanæ ſunt: non igitur per eas ſpeciem tranſibit humanam. Deinde uanum eſt dicere animã prauis actionibus mancipatam euadere beſtiam ratione captam: quoniam ipſa ratione nulla prorſus utatur. Non enim rationis acumen ocium penitus agit in prauis, imò negociatur aſsiduè quam uis circa ſpectacula ſenſus, & imaginationis obiecta, uel comparanda, uel deuitanda plurimùm diuerſetur. Quid uerò in cauſa eſt, ut praui acutiores plerunq; efficaciores q;, quàm boni in ſuis operibus uideantur, niſi potentiæ rationalis acumen pariter & effectus? Quamobrem ſi iniquus animus poſt hanc uitam in terrenum corpus eſt iterum transferendus, non in brutum, ſed in hominem reuertetur rationis ſolertia ſimiliter aburentem. Huc enim ſimilitudinis neceſsitas ipſa uidetur adducere: Nam & Plotinus ipſe manifeſtè fatetur hominem non ſecundum unam tantùm, ſed ſecundum omnes animæ uires agere. Purgabitur uerò quandoq; nam ita prouidentia diſpenſante in tales aliquando propter ſcelera calamitates incidet, ut uitæ turpiter actæ pœniteat, communi interim diſciplina & dæmone cohortante. Demiq; neq; uoluptuoſus ullus fiet aliquando planta ſenſibus deſtituta. Quaſi uerò uoluptuoſus homo ſenſuum negligat actiones, atq; hunc in modum orbata ſenſibus arbor euadat: imò nullus ſenſibus magis utitur, quàm intemperans. Si ergo ſit iterũ ad terrena corpora retorquendus, non in plantam, ſed in hominem reuertetur, quem uiolentum ſenſuum ſuorum imperium adeo ſollicitet, uexet, excruciet, perdat, ut tandem uita uoluptuoſa pertedeat, legibus interim & numinibus ad uitam reuocantibus meliorem. Mitto quòd inquorum molliumq; animæ hanc illuc tranſmittuntur à deo, ut quæ uoluptate peruerſa perpetrauerunt, aliquando curis & doloribus puniantur. Qui uerò puniendis omnem adimut rationis actum, curas immenſas & immunerabiles adimut: qui tollit ſenſum, aufert cum ſenſu dolorem. Animas uerò purgari memento non ſolùm in terrenis corporibus, ſed aerijs: quam punitionem in Theologia planius apertiuimus. Proindeq; neq; te moueat quod inquit Plato: animam omnem totius manimati curam habere: non enim inde ſequitur, quamlibet animam quibuslibet inſinuari corporibus. quod & Plato fieri poſſe negabit. Profectò ſi rationalis anima non ſolùm terrenũ corpus regit & mouet, ſed aerium etiam & cæleſte; ſi in ſuperioribus quandoq; fuit ſedibus: ſi uaria gerit munera, ſimilia quoq; cæleſtium prouidentiæ: ita ſatis mammàti totius curam habere uidetur, uariasq; intra ſe induere ſpecies, propriam non mutando naturam, ſed aliorum ſibi ſimilitudines uendicando, ſi modò eſſentia fuerit ſempiterna. Meritò igitur Timæus Locrus negat animas humanas in beſtias pertranſire: negat etiam ex homine mox in hominem tranſmigrare: ut pote qui in corporibus aerijs putat eas interea uiuere, atq; ita animi uexatione purgari. Cruciatus uerò ſenſibiles ſiue in corpore uiuente fiant, ſiue in aqua, uel igne dicit eſſe confectos, ut terrentur illi qui ad uirtutem perſuaſionibus non ducuntur. Nempe ſic affecti homines ſpiritalia etiam ſupplicia non intelligunt, ſcilicet mœrorem animi agnoſcentis ſe ſummo bono priuatum, anguſtiamq; imaginationis comitantis tunc ipſam animi pœnitentiã, quãdo in aerio corpore uitæ huius peccata luuntur. Has iſtiq; pœnas timæus ipſe reſeruari peccantibus non negabit. Putat etiam animas noſtras eſſe inter ſe differentes & immortales. Pythagoricus enim

eſt, &

A eſt,& à Platone ſummopere cultus. Ait quin etiam deum noſtras animas ex eiſdem uiribus rationibuſq́, atque mundi animam abſoluiſſe,atque alias ab alijs ſtellis demiſiſſe ſub lunam. rurſum naturam animæ ſupremam ex identitate conſtare. Oportet igitur ex Timæi ſententia dicere, hominis animam quę peccando in rationem peruerſam imaginationemq́ uehementiorem prolapſa eſt,poſt obitum mox in aerio corpore, quod nunc etiam poſsidet, eadem ipſa cogitationis peruerſitate uehementiaq́ torqueri inter infimos dæmones,ſimilibus animam ſtimulis ſubpungentes,quouſq́ tantæ anguſtiæ cauſam recognoſcens fuiſſe auerſionem ipſam ab intellectu, paulatim reuertatur ad ipſum:quod tũc per pauciora diſtracta planius quàm nũc animaduertere poteſt,atq́ ita gradatim in ſublimiorum dæmonum ordinem eleuetur,& ad ipſas deniq́ ſtellas unà cum cæleſti corpore quod poſsidet ab initio unaquæque ad illam,uel cuius ordinem à principio ſortita eſt,uel cui reddidit uiuendo ſe ſimilem.ubique uerò proprietatem conſeruat humanam. Eſt enim homo terrenus, eſt aerius,eſt & cæleſtis,eſt inſuper ſolaris & Martius:ubique autẽ homo eſt ipſa rationalis anima,corpus certo modo uiuificans:in cælo quidem cæleſte tantùm,in aere aerium per cæleſte,in terra per utrunque terrenum. Tandem uerò certa poſt ſecula per quandam tum contemplationis remiſsionem, tũ generationis intentionem animam deinceps per eoſdem gradus dæmonum aeriorumq́ hominum relabi,poſtremò ad terrenũ hominẽ deſcẽdere fortè Timæus exiſtimabit:ac poſt hominis obitũ nõ in beſtias animam hanc præcipitari animæ mundanæ germanam,compotemq́ cæleſtium: neque mox rurſus in hominem æquè terrenum. Oportunius enim in aerio corpore purgari,apriusq́ ad ſupera reuocari:ſemper autẽ ad corpus habitumq́ uitæ redire ſimillimum,ſiue apud nos,ſiue ſupra nos reuoluatur,donec redeat prorſus ad idem. non enim quodlibet ad quodlibet proficiſcitur. Interea uerò in terris quidem dormitare,nec facilè ſuperiora recolere, ſed ſupra terram euigilare, priſtinumq́ ſui ſtatum animaduertere:ut per omnia ſecula quaſi uitæ unius ætates rationalis animi perſona ſit eadem. Hæc equidem coniecto forſan ſenſiſſe Timæum, quæ mihi inter Platonicorum opiniones probabiliora uidentur. Secundo uerò loco probarem inter platonica, quæ in ſuperioribus adducebam, animam ſcilicet humanam de homine terreno in terrenum tranſmitti rectius quàm in beſtiã: quod nonnulli tradunt tandem Porphyrio placuiſſe:tametſi ex hac opinione ueriſimile eſt in aerio etiam corpore inter terrenas uitas degere uitam. Proculus præterea unà cum communi Platonicorum ſcola negat intellectualem animam ferino corpori admodum alieno ſic accommodari poſſe,ut ei quandoque in uita communicet. Communicare uerò cum brutis aliquando putant in quadam ſimilitudine uitæ,idq́ ſenſiſſe Platonem.Mitto nunc utrum ex hac ipſa ſententia dicendum ſit nec ne, animam ſimilem brutis effectam, ad tempus gratia pœnæ inter illa uerſari: atque etiam per talem imaginationem ſuam imaginationibus talium beſtiarum ita forſan inſinuari,ſicut plerique tradunt inferiores dæmones corpora ingredientes humana imaginationibus ſe noſtris inſerere,eaſq́ mouere. Fermè ſicut Aueroïs intellectum tradidit animabus inſuſum, ſiue aliter ſe res habeat. Nam ubi Daniel propheta tradit Babyloniæ Regem ob grauiſsima ſcelera inter boues diuinitus fuiſſe translatum,donec purgatus reſipiſceret:interpretantur Hebræi imaginationem Regis illius diuinitus fuiſſe peruerſam,uſqueadeo,ut bouem ſe factum opinaretur,grauiterq́ doleret: quemadmodum ſolet Magus,uel arua bilis efficere.Quidſi talis quoque apud Platonem eſt tranſitus animarum? Talis & B apud Timæum? cuius ſententiam cùm modò exponerem,ambiguus exponebam. Nam uidetur etiam omnem in terrenum corpus animarum reditum negauiſſe,niſi fortè ſit reditus ultimus: poſſe uerò uaria peccata uariè purgari per afflictionem ſpiritus ſtimulatam à dæmonibus exploratoribus ſub iudicio Nemeſis. Denique ipſe nos Plato monuit ne temere quãlibet animam cuilibet corpori iungeremus:cùm inquit in Phædro,non poſſe in hominem uenire animam,quæ ſit propria bruti forma,quæ nunquam diuina perſpexerit. Quaſi ſignificet, nec ipſam hominis animam in ipſam bruti formam poſſe deſcendere, quamuis in ſimilitudinem quandam commeritumq́ fortè deſcendat. Quoniam uerò de brutorum animabus ſepius hîc fecimus mentionem, oportunè quæritur: Si omnis uita ſit immortalis,contrariamq́ non accipiat,ſed effugiat mortem, ut Numenio placet atq́ Plotino: Si rurſum progredientium animalium animæ & immortales ſunt & quodammodo rationales, ut uult Porphyrius, ac fermè ſimiliter Iamblichus,quidnam de his dicendum? Dicemus forſitan ex eorum ſententia uel fingemus:animas beſtiarum imaginationem habentium, ideóque motum proprium poſsidentium,in ſeipſis ſubſiſtere ſeparatas à corpore, numerumq́ habere ab initio certum? & unamquanque in ſua ſpecie de corpore in corpus inſinuari, ſpecies uerò confundere neinquam? atque interea donec ſolidum in ſua ſpecie corpus oportunius nanciſcantur in aerio ſuo corpore uiuere? Habent enim ſuum ipſæ quoque ſpiritum,in quo non nihil artis & uaticinij muncre dæmonum,quibus & dedicantur ſortiri Porphyrius arbitratur. Animas autem proprio carentes motu, & imaginationis expertes, concarum ſcilicet marinarum, atque plantarum uiuificationes

C

D quaſdam ex anima mundi potius eſſe quàm animas: ſicut in pilis animalium ex anima totius ſolet accidere, easq; in mundi uitam poſtremò reſolui. Vbi uerò Plato animas infra noſtram mortales appellat, exponent illi quos modò dicebam, non ita mortales, ut pereant, ſed quia prorſus aliunde dependent, & ad mortalia tantùm affectum & actum habere uidentur. Poſt hæc ubi ait: animam eſſe uniuerſum tum intelligibile, tum ſenſibile, ſempérq; per intellectum agere in mundo intelligibili æterno quodam idearum intuitu, diſſonare uidetur tanta diuinitas animæ ab eo quod in brutum cohibeatur & plantam. Tametſi dictum hoc quodammodo temperat, ubi non uult ex hac ipſa ſubſtantia, ſed ex quodam eius influxu & corpore certo animal & arborem coaleſcere: intellectu interim ab opere proprio non ceſſante: ceſſante tamen rationali tum actu, tum habitu, atque facultate. quod non facilè nos admittimus. Maximè enim eſt animæ noſtræ propria rationalis ipſa facultas: igitur tanquam maximè naturalis ſummopere permanet. Denique naturam genitalem animaduertes eſſe quendam intelligentiæ terminum: ut quod in ipſo ſui ſummo eſt intellectuale, ſit in eiuſdem infimo genitale: quemadmodum quod eſt in ſummo lux, ſit calor in infimo, atque radius uiſualis ex aue quadam emicans, ſit genitalis in ouo. Et quemadmodum radius eiuſmodi uiſualis non ab externo prorſus ullo, ſed ſolùm dependet ab oculo, ideóque nec extinguitur quando non effulget extra, ſed deſinit extrinſecus agere: ita genitalis quoque natura ſe habet, ex intellectuali ſubſtantia & intus micans, & foras emicans: quę & reſtat in ipſa intellectuali ſubſtantia extra non emicans, quando totus animus uertitur ad oppoſitum: ſicut radius uiſualis quãdo auertitur oculus retracto radio
E potius quàm extincto.

Anima noſtra attentionè regit corpus & ſentit: anima mundi ſine attentione. Cap. III.

PRoculus quidem animam per eſſe ſuum quod eſt uiuere, atque eſt ſempiternum, ſemper uiuificare corpus ait cæleſte ſaltem animæ cognatiſſimum: Plotinus autem putat animam ab hoc etiam actu aliquando ceſſaturam: quod & hic, & alibi ſæpe declarat. Idq; tum denique fieri, quando rationalis ipſa potentia unà cum imaginatione ad intelligentiam tota conuertitur: Nam & ſæpe nimia ſpeculationis intentio remittit in nobis naturæ genitalis effectum, atque uiciſsim: quod mundi animæ non contingit: ſiquidem poteſtas eius eſt naturaliter amplior, & admodum efficacior, corpusq; nacta eſt obediẽs penitus, & in tuto locatum. Quod tam facilè ſit ex animæ uita uiuens, quàm facilè præſentia ignis aer ignitur. Pertinere uerò forſan uidetur ad prouidentiam compenſare quandoque animam ſumma quadam quiete tamdiu apud nos fatigatam. Concedatur hoc Plotino, dummodo & illud ipſe concedat, animam quæ tantùm eleuari poſsit ſuper materiam, totumq; ſupergredi cælum, & animæ cæleſtis officium, nunquam ad brutum coherceri uel arborem: ſed cum in anima mundi nulla ſit intentio circa corpus, nunquid ibi ullus eſt ſenſus? Eſt certè, ſed nihil ſentit externum. Sunt enim in ipſa quæ ſentit, neque ſentiendo diſtrahitur. Senſus enim illic unicus eſt & intimus, neque ſentire ſe ſentit. Nihil enim alieni accidit, nihil noui. Omnino uerò ſenturi ab anima neceſſe eſt corpus coniunctiſsimum animæ prorſusq; cognatum. Sed ſicut alere, ita ſentire corpus ſuũ,
F non habet animaduerſionem huius actionis adiunctam.

Quomodo animæ uariæ uarios dæmones ſortiantur, quomodo eos mutent, quomodo cum eis in generationem ueniant. Cap. IIII.

IN ſequenti capite memento animam ſortiri dæmonem talem aut talem propter talem quandam electionem eius atque motionem: non dico propter electiones ſingulas, ſed ſpeciem electionis ad quandam uitæ ſpeciem dirigentis: neque mutare dæmonem quamdiu uitæ ſpeciem omnino nõ mutat. Quatenus igitur uitam agit ueneream, dæmonem tenere uenereum. ac ſi abſtineat quandoque laſciuis amoribus, tamen quandiu facilè pergit amare, quamuis honeſtè ſpeciem dæmonis non permutat, adhuc enim uenereum habet, ſed præſtantioris inter uenereos ordinis. Similiter ſi à mercatura conferat ſe ad literas, dæmonem ſeruat mercurialem quamuis ſuperiorem: ſi à religione ad militiam, genus dæmonicum mutat & ordinem. Nam à iouiali tranſit in martium, ex quo animus tũc primùm infortunatus euadit. Contrà uerò ſi à militia ad religionem ueniat, ſubit ex martio iouiũ, niſi pergat ibi quoque contentioſus eſſe: unde neque eſt admodum fortunatus. Plurimi uerò quantumcunque in hoc corpore uitæ modum mutare aliquando uideantur, nonnihil tamen conditionis antiquæ conſeruant: ideóque nondũ antiquũ dæmonẽ penitus exuerunt. Proinde per ea quæ ſequuntur apparet affectionem animæ primam, ſiue naturalẽ ſiue electoriã multũ corpus afficere, ut malus

animus

A animus mala, bonus bona, ex quolibet ſibi dato corpore poſtremò reportet, ſimiliterq; referat ex fortunis. Quamobrem non mutatur dæmon, neque differt propter corporum fortunarumq; differentias: quatenus ipſe mos animę ſpeciem ſeruat antiquam. Quo prorſus in oppoſitum permutato, mutatur & dæmon, & cum dęmone re uera fortuna. fortuita enim nobis ipſe diſponit. Denique ſumma penes animæ qualitatem eſt auctoritas: quandoquidem pro differentia qualitatis animæ talem quendam induimus dæmonem & exuimus: ac per dęmones plurimum fortuita diſpenſantur. Quòd ſi uel Porphyrius dicat ſecundum ſtellam in figura geneſis dominantem: uel Iamblichus ſecundum totam tunc regnantem harmoniam mundi differentes animabus diſtribui dæmones, intellige cæleſtem motum atque conſpectum diſtributionis eiuſmodi non tam cauſam eſſe quàm ſignum. Nam animæ hominum atque dæmonum ſicut natura ſunt ante cæleſtium motiones, ſic ante motiones tales in ſe iam ipſæ ſunt tales. Ideo Timæus ait, animas per affectiones ſuas prius elegiſſe ſortes formasq; utarum palam obiectas: deinde dæmones accepiſſe, tertiò motiones attigiſſe fatales: atque attigiſſe per uehicula ſua ſcilicet, cæleſtia earum corpora cæleſtibus influxibus motionibusq; contigua. Cæleſtem itaque lyram cogita pulſante Phœbo uarios in horas concentus efficere: animas autẽ cẽs cum anima phœbea ſic eſſe concordes, ut quales ipſæ in ſe iam ſunt, talib. potius quàm talib. concentibus moueantur, uerſentq; aliæ alias in choream ſaltaturæ. Ex tali itaque cæleſtium harmonia, qua tangitur anima, præcipueq; mulcetur, cognoſcimus qualis ipſa ſit, qualemq; per ſe ſortita ſit dæmonem, quidue actura ſit in chorea potiſſimùm & quomodo ſaltatura: ubi plurimum procedit ex anima, non parum quoque ex harmoniæ cæleſtis conditione contingit. In tota uerò hac diſputatione memento non poſſe uel rerum noſtrarum conditionem, uel platonicorum uerborum ordinem
B rite teneri, niſi præter exteriores dæmones, interni quidam ſint, atque uiciſsim, aliiſq; aliis propriè cooptentur: Item potentiã affectionemq; animæ, quæ proximè eſt ſub intimo dæmone, uerſari inter uitæ præſentis opera, propriumq; eſſe operum effectorem: dæmonem uerò uelut aurigam effectoris huius atque rectorem. atque hanc ipſam effectricem negocioſamq; potentiam, neque ſupra dæmonis uires agere quicquam, neque rurſus æqualia dæmonis dignitati.

De uiro & dæmone optimo. quomodo dæmon ducat animam ad iudicium: & quòd animæ poſſunt ad ſidera peruenire. Cap. V.

POſt hæc ait, illum eſſe præcipuè probum, in quo uires imaginationis rationisq; prorſus intellectu formatæ ſunt, adeo ut tota uita ſecundum intelligentiam peragatur: ubi non præeſt uitæ dæmon aliquis, ſed ipſe deus, ſcilicet, tum diuinus intellectus, tum intellectualis uniras, quæ eſt intelligentiæ quaſi aurigæ caput, tum ipſa ſimpliciter uniras deus ipſe deorum. Tum uerò ait, animam noſtram non formari ſemper intelligentia: quoniam ſtatim ab initio ob operoſam generationis fabricam actus potentiæ uegetalis ſupra modum intenditur, ad quem & ſimilia præcipitatur imaginatio, circa quam & ſimilia negociatur & ratio. Hęc uerò intelligentiæ ſunt oppoſita: ueruntamen etiam antequàm diſcurſibus rationis utamur, appetimus ipſum uerum naturaliter atque bonum, per ipſam ſcilicet cognoſcendi potentiã. Cùm uerò hæc non appetat aliquid prorſus incognitum, ineſt ſaltem menti ueri boniq; forma naturaliter inſita. Regit autem animam dæmon, non quidem
C ſimpliciter optimè, ſed optimè pro præſenti ipſius animæ qualitate. Poſt hanc in terreno corpore uitam dęmon tã intimus quàm externus animã ad iudicium ducit, ſcilicet in ſuo quodã aerio corpore conſtitutã, antequam ad corpus terrenum redeat. Dæmon dico alius, quatenus alia tunc in anima ſpecies ſit uiuendi, alioquin dæmon eſt idem. Eſt autem accommodatiſsimus purgatorio iudicio ſtatus in aerio corpore: ibi enim eſt afflictio ſpiritus in peccantibus, ac propter minorem diſtractionẽ facilior occaſio pœnitentiæ, expectaturq; profectus quidã in anima, & futuri ſtatus electio. Quamobrem animam in bruta tranſmittere ubi ſit imaginatio ſtupida, nihil aliud eſt, ut diximus, quàm claudere potentiæ locum. Inter hæc iterum te admoneo, ridiculum eſſe animam, ſiquidem poſſit à toto ſe eximere mundo, in bruti uel plantæ anguſtias coherceri. Probabilius dixiſſet unà cum Proculo, nec infra hominis formam deſcendere, nec extra corpus ire cæleſte, ſed hoc aſsiduè retinere. Cæleſte dico nõ quodlibet uendicare ſibi, ſed habere ab initio proprium: ſaltem uerò ſi liberari animam ab uniuerſo quandoque poſſe Plotinus exiſtimat, ſuſpicatus quoque fuiſſet, poſſe illic perpetuò uiuere: quod Porphyrium opinatum aliquando tradunt, quod & in Phædone poteris ſuſpicari, cum audis, ſine corporibus in æternum uiuunt. Nam ſi quando ultra conditionem peruenerit huius mundi mutabilẽ, non uidetur uitam ulterius mutatura: at ſi mutaturam dicas, ne dicas ſimul extra cæleſte corpus exiſtere. Nam & mirum eſt animam in cęlo ſidera, imò omnia contemplantem appetere noſtra, niſi forte tunc ita contingat, ſicut libido ſæpe clam ſtimulat hominem ſpeculantem. Id uerò contingere duntaxat animæ poteſt, quatenus eſt mundo connexa, cuius gratia ſit generatio. Eſt autem

D annexa,ſaltem per cæleſte corpus ab ea ſemper uita donatum:alioquin non appeteret generationẽ quandoq; mundanam infra lunam anima iam poſita ſuper lunam. Peruenire uerò animam ad cæleſtia poſſe probatur ex eo,quòd ſi omnes intellectuales animæ ſine medio exprimuntur ex intellectu diuino exemplari mundi,atq; exprimuntur ex toto,non enim ille diuiditur, nimirũ exemplari toto impreſſę procedunt. Sunt igitur totus ille mundus & iſtę,non quomodolibet inquã, ſed modo potius animali. In noſtra igitur anima uires quædam ſunt animæ mundanæ conformes,itaq; ſtellis quæ ſunt circa illam quodammodo congruentes:ut non mirũ ſit qui contemplatione præcipua uirũt, ad Saturnum deniq; proficiſci:qui ciuilitate ad Iouẽ,qui magnanimitate ad Martem, reliquiue ſimiliter, potiſſimum ſi tales fuerint ab initio. Notabis genitalẽ naturã eſſe ſimul cum animæ eſſentia ſempiternã,etiam ſi eius intermittatur effectus:eſſe & in ſe indiuiduam,quãuis per corpus uideat eſſe diffuſa,ſicut per aerẽ indiuiſibile lumen. Quod enim indiuidua ſit apparet, quia tota ſeminaria uirtus in quælibet uiget guttula ſeminis,ubi ex uno ſeminis iactu plurima generantur. Et tota prorſus uita eſt in qualibet plantæ parte,ubi pars amputata uitã ſeruãs iterũ coaleſcit uniuerſali interim conferente natura. Memento rurſum qualitatẽ animæ propriã,dæmonemq; ipſi domeſticũ ingredi fatum,quando mutabile corpus ingreditur:ac prẽter communẽ patiendi conditionẽ propriã quoq; efficaciã poſsidere,ut non tantũ patiatur in fato,ſed agat:ſiquidem ſors externa plerunq; ſimilis euadit diſsimilis,dum moribus diſsimilibus accidit:atq; contrà animis inter ſe ſimilibus ſimiles euadunt ſortes inter ſe ualde diſsimiles. Eſt autẽ anima in fato ratione corporis,cæleſtis quidem ut agens,reliquorum uerò magis ut patiens. Collocatur uerò à fatali reuolutione cæli iam mobile corE pus ingreſſa,in quadam conditione fortunæ ſecundum certum ordinem electionis ſcilicet conceptionisq;, & infuſionis, & ortus.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVARTVS, DE PROPRIO CVIVSQVE DAEMONE.

Mens ſine alteratione ſui generat:anima quodammodo mota gignit. Cap. Primum.

SVNT quæ ſubſidentem actum ſuum manendo producant: anima verò mota dicitur generare ſenſum in actu ſubſidente, atq; naturã,& ad plantas vſq; procedere. Naturam enim ſubſidentẽ habet etiã dum eſt in nobis,ſed tanquam pars dominãs. Quando verò plantis inſerit ipſa præualet tanquã ſola relicta: ipſa igit nihil generat,imò generat,ſed prorſus ab ea diuerſum Non enim vlterius poſt hanc viget vita,ſed quod factũ eſt iam vita caret:Quid ergo? Forſan ſicut quicquid ante hoc eſt genitum,informe genitum eſt, formatum verò eſt conuerſione quadam ad genitorem, quaſi ſic inde nutritum. SiF militer & hîc quod gignitur,non amplius eſt animæ ſpecies. Non enim viuit vlterius:ſed eſt quiddam prorſus indefinitum,ſiue indefinitas quædam. In ſuperioribus quidem eſt interminata natura,ſed in ſpecie quadam conſiſtit. Non enim eſt prorſus indefinita,ſed quatenus ad ſuam refertur perfectionem. Quod autem hîc indeterminatum dicitur,indefinitum eſt omnino,& indefinitas ipſa: quæ quidem dum perficitur,corpus euadit,accipiens formam potentiæ ſuæ ac commodatam,participationem videlicet generantis & nutrientis. idq; in corpore ſolùm ſuperiorum eſt extremum,in ipſo inferioris extremo.

Tranſmigratio animarum. Cap. II.

PRoinde quod dicit à Platone:anima omnis totius inanimati curã habet, in hac anima potiſsimũ habet locũ:aliæ verò ſe aliter habent. Per totũ itaq; cęlũ reuoluit,alias in alijs ſpeciebus,ſiue in sẽſuali ſpecie,ſiue rationali,ſiue etiã vegetali. Pars.n. eius dominãs cõſentaneũ ſibi peragit munus:cætera verò torpẽt: extra nãq; relicta videnť:in homine autẽ nõ ſuperãt quę deteriora ſũt,ſed ſimul exiſtũt. Neq; tamẽ q̃ melius eſt,ſuperat ſẽper:nã hęc quoq; locũ in eo ſuũ hẽnt.

Quamo-

A Quamobrem & tanquam ſenſuales viuunt: adſunt enim & inſtrumenta ſenſus. Multa quoq; ab hominibus fiunt quaſi plantis: corpus ſiquidem ceu planta ab intrinſeco augetur & gignitur: quapropter omnia in agendo communicant. Secundum verò id quod melius eſt, tota ſpecies homo cenſetur. Anima tandem è corpore migrans id ipſum quo abundauit euadit. Itaq; ad ſuperiora confugiendum, ne in ſenſualem ſpeciem delabamur, ſimulachris videlicet ſenſibilibus obſequuti: neúe in vegetalem vitam præcipitemur, mancipati libidini generandi & irretiti ſuauitate ſaporum: ſed ad intellectuale, ad intellectum, ad deum totis viribus aſſurgendum. Quicunq; igitur proprietatem ſeruauerunt humanam, homines iterum renaſcũtur: quicunq; verò ſolo vſi ſunt ſenſu, bruta animalia redeunt: ita tamen, vt qui ſenſu præcipuè vnà cum ira, animalia fera exoriantur, atq; in his differentia, differentiam quoq; talium afferat. Qui verò ſenſu per cõcupiſcentiam voluptatemq; vſi ſunt, ſalacia & ingluuioſa animalia reuertuntur: verùm ſi non tam ſenſu vnà cum his, quàm ſenſus degeneratione vixerint, vnà cum ipſis plantæ repullulant. Solùm namq; vel maximè in his viguit vegetale, omnisq; illis cura fuit, vt in plantas commutarentur. Proinde qui muſicis modulis nimium deliniti vixerunt, in cæteris non deprauati animalia muſica renaſcũtur. Et qui ſine ratione regnarunt, ſiunta quilæ, niſi prauitate alia ſint infecti.

B Qui abſque ſapientia confidentius ſublimia tractant, in cælum ſæpe ſuſpicientes, mutantur in aues, altiora ſemper volatu petentes. Qui ciuilem virtutem cõſecutus eſt, homo reuertitur: ſed qui ciuilem virtutem haud ſatis eſt aſſecutus, in ciuile animal, apem vel ſimilia ſe transformat.

Dæmones noſtri ſunt aliquid ipſius animæ præſidens uidelicet, poteſtas poteſtati animæ qua uiuimus: Itaq; ſecundum uitæ differentias ſunt in nobis dæmones differentes. Cap. III.

QVis nam igitur in his dæmon eſſe dicetur? quis item deus? Num qui in his præcipuè operatur? Quod enim operatur, vnumquemq; ducit tanquam ibi ſit principale. Nunquid igitur id dæmon eſt, qui ſortitus eſt viuentẽ? Non fortè. Imò verò quod eſt ſuper ipſum: quod quidem præſidet quaſi quietũ: quod verò eſt poſt ipſum, agit, noſq; ſumus potiſsimum id quod agit. Ac ſi tanquam ſenſuales agimus, atq; viuimus, ipſa ratio noſter eſt dæmon, ſin autem ratione viuamus, dæmon eſt quod eſt ratione ſuperius: dæmon inquam præſidẽs negocioſum alteri concedens officium. Rectè itaq; dicitur apud Platonẽ: Vos demonem eligetis. Præfectum namq; nobis ſecundum vitæ genus eligimus. Cur nam igitur ipſe ducit? Forſan non datur ducere vita perfunctum: ſed antea

C quidem poterat quando viuebat. Vita verò perfunctum alteri oportet concedere actionem: vtpote qui actualem ſui vitam iam depoſuerit. Hic igitur vult iam ducere, & qui ſuperauit viuit ipſe, alium & ipſe dæmonem habens: ſi autem ingraueſcat, more videlicet deteriore præponderante, dat pœnas. Hac quoq; ratione prauus labitur in deterius, declinante ſcilicet eo quod in homine agit per vitæ ſimilitudinem in ferinam vitam: ſin autem obtemperare poſſet ſuperiori ipſius dæmoni, ſuperior fieret, illius vita viuẽs, atq; præſcribens ſibi ipſi præſidem, ipſam præſtantiorem ſui partem, qua ducitur: atq; vltra illum inſuper alium, quouſq; ad ſupremum progrediatur. Eſt enim anima multa, imò omnia, tum ſuperiora, tum rurſus inferiora vſq; ad omnem vitæ gradum: Nempe vnuſquiſq; noſtrum intelligibilis mundus eſt, ac per inferiora noſtra huic mundo coniungimur, per ſuperiora verò quæ ad intelligibilem mundum pertinẽt, intelligibilem mundum attingimus, permanemusq; in ſublimi per id quod in nobis eſt prorſus intelligibile. Per id autẽ quod eius eſt vltimum, alligamur inferiori: quaſi defluxum quendam ab ipſo ad inferius demittentes, imò potius actum illius, ipſo minime diminuto.

D *Natura uegetalis ſempiterna eſt. Anima mundi ſine attentione regit corpus & ſentit. Cap. IIII.*

SEd nunquid actus animæ ad inferiora demiſſus ſemper eſt in corpore? neſquaquam. Si enim ad ſuperna conuertimur, ſimul ille conuertitur. Quid ergo de actu eiuſmodi ſiue parte animæ mundi dicemus? Nunquid ea ad ſuperiora conuerſa, hæc quoq; hinc auertitur? Profectò non conſenſit omnino hæc anima parti ipſius infimæ, neq; proceſsit, neq; deſcendit: ſed illa manente mundi corpus annectitur, ac velut accenditur, lumineq; perfunditur: Cumq; mundus in tuto ſit collocatus, ideoq; minimè perturbetur, meritò animam non perturbat. Quid ergo? Nihil ne ſentit omnino? viſum quidem non habet mundus, Timæus inquit: quoniam neq; oculos: non habet auditum, ideoq; nec aures, neq; nares, neq; linguam. Habet ne igitur conſenſionem quandam quodammodo quæ in ſeipſo ſunt percipientem, qualem in nobis nos experimur? At forſan cum ſemper ſecundum naturam in eo cuncta ſe ſimiliter habeant, quies in eo eſt quantum ſpectat ad ſentiendum, neq; voluptas ineſt. Adeſt igitur &
E vegetale quaſi non adſit, & ſenſuale ſimiliter. Verùm de mundo quidem alibi: in præſentia verò quantum attigit dubitatio, dictum fuerit.

Anima ſecundum mutationes ſuas mutat dæmonem, quem præcipuum habet intimum, ideſt, poteſtatem animæ proximæ præſidentem negocioſæ potentiæ. Cap. V.

PRoinde ſi anima illic eligit dæmonem atq; vitam, quomodo vlterius actionis alicuius domini ſumus? Forſan quæ illic electio dicitur, ſubobſcurè indicat electionem affectionemq; animæ communiter & ubiq;. At ſi electio animæ domina eſt, eaq; pars ſuperat, quam ex ſuperioris vitæ actis promptiorem habet, non vlterius corpus mali alicuius cauſa animæ eſt dicendum. Si enim ipſe mos animæ prærogatiua quadam antecedit corpus, idq; quod elegit habet, & dæmonem (vt Plato inquit) nõ commutat, nimirum neq; bonus hic fit, neq; malus. Forté potentia quadam eſt vterq;, actu verò fit. Quid ergo dicendum, ſiquando qui probos habet mores in corpus incidat malum? atque viciſsim malis imbutus moribus bonum corpus aliquando nanciſcatur? Forſan poſſunt
F magis minúsue quæ ad animam vtranq; pertinent, vtraq; corpora ſic aut ſic afficere: quandoquidẽ & aliæ externæ fortunæ totã prorſus electionẽ nequaquã tranſgrediuntur. Quando verò dicitur primo quidem ſortes extare, deinde vitarum exempla proponi, poſt hæc fortunas ſequi: rurſus ex præſentibus propoſitiſque vitas eligi ſecundum mores: hæc inquam omnia auctoritatem potius tribuunt animabus ad mores ſuos quæ data ſunt componentibus. Quòd igitur hic dæmon non omnino extrinſecus ſit, ſed ita ſe habeat quaſi neque colligatus, neque rurſus propriè operans: ſit autem noſter quoniam de anima & aliquid animæ dicit poſsit, neque tamen noſter, qua ratione nos, tales quidam homines ſumus vitam talem ſub nobis habentes, teſtimonio nobis eſſe poſſunt quæ in Timæo tractantur: quæ quidem ſi hac ratione accipiantur, nulla ſequetur diſſonantia: ſi autem aliter dæmon accipiatur, diſſonantia quædam ſequitur. Rurſus quod ait dæmonem eſſe eorum quæ quis elegerit expletorem, id quoque conſonat: nobis namque præſidens non ſinit longè inferius ad id quod eſt deterius prolabi: ſed illud agit ſolũ, quod ſub ipſo eſt, neq; ſuperius ipſo, neq; æqualiter: non enim poteſt aliud fieri, quàm qua ratione exiſtit.

Anima

A *Anima uiuens intelligentia pro dæmone habet deum: dæmon non cogit animam. Item mutari potest pro mutatione animæ. Item de iudicio animarum. Item quomodo repetunt sidera, ac uicissim relabuntur in fatum, in quo non patiuntur tantùm, sed etiam aliquid agunt. Cap. VI.*

QVisnam igitur probus est, quid ve agit? Fortè probus est in quo id quod est melius operatur: alioquin non esset probus, si dæmonem haberet secum cooperantem. Intellectus enim in hoc agit: aut igitur dæmon ipse est, aut secundum dæmonem: atq; dæmon huic est deus. Nunquid igitur etiam super intellectum? siquidem id quod super intellectum est ipsi demon existit. Sed cur non ab initio statim hoc munere quis fruitur? Forsan ob perturbationem ab ipsa generatione vehementer illatam. Adest tamen etiam ante rationis discursum intimus quidam motus, ea quæ sibi consentanea sunt appetens. Nunquid omnino corrigit dirigitq; prorsus ad optimum? Forsan haud omnino: siquidem anima sic est affecta, vt in his vtique talibus ipsa quoque talia quædam existens, hanc habeat vitam, & hanc electionem atq; propositum. Præterea hic dæmon de quo verba facimus, deducere animam ad inferos dicitur: neq; idem omnino manere, nisi fortè anima rursus eadem eligat. Ante id verò quomodo se habet? dicitur vtiq; adducere ad iudicium, in eadem figuram peruenire post quendam generationis exitum, quam ante generationem quandoq; habuerat:
B deinde tanquam ab alio quodam principio mediũ id temporis spatium, quod inter præcedentẽ & sequentem generationem fluit, dæmon animabus pœnam luentibus imminet, ac forsan non tam vita tũc illis est, quàm iudiciũ atq; pœna. Quid verò? animabus bruta ingredientibus corpora minus ne aliquid quã dæmõ adest? Forsan malus dæmõ vel fatuus & ignauus. Sed animabus ad superiora progressis quidnam numinis adest? Profectò ex earum numero aliæ quidem in mundo sensibili adhuc vitam agunt, aliæ verò iam extra mundum. Et quæ in mũdo sensibili, aliæ penes solem, vel alium quemlibet planetarum, aliæ verò in firmamẽto: singulæ videlicet quatenus hic actiones suas ratione direxerãt. Putandum enim est in anima nostra mundum esse nõ tantũ intelligibilẽ, sed etiã dispositionẽ quandam ipsi animæ mundi conformẽ. Cũ igitur illa in sphærã inerraticã atq; etiã erraticas secundum vires differentes distributa sit, nimirũ & nobis vires inesse viribus illius cõformes, & à singulis viribus actiones ꝓprias emanare: Tũ verò animas quæ hinc illuc abierũt ad stellã accedere cõuenientẽ potissimũ mori atq; potẽtię, quibus in operando ac viuẽdo maximè vsi sumus, taliq; deo & dęmoni congruentẽ: vbi anima vel hoc ipso eodem vteꝰ, vel quo-
C dam huic potẽtiæ præsidente. Considerandũ verò est, quidnã id me ius sit. At animas extra sensibilem mundum ꝓfectas existimandum est naturã dęmonicã transcendisse, omneq; generationis fatũ, omnẽq; huius mundi necessitatẽ quãdiu in mundo intelligibili habitat: Præterea retraxisse secũ essentiam quoq; illã quæ in ipsa est cupida generandi: quam si quis dixerit esse essentiã illam, quã Timæus inquit circa corpora partibilẽ fieri, cõmultiplicantẽ videlicet seipsam, cõ diuidentẽq; corporibus, rectè vtiq; dicet. Diuidit autẽ nõ magnitudine quidẽ, idem namq; in omnibus totum, rursusq; vnũ, atqui ex vno animali semper multa gignunt: hac scilicet natura ita diuisa quemadmodum & ex plantis: nã & hęc natura est circa corpora diuisibilis, & quãdo manẽs in eodem cõtinuat vitã, sicut in plantis. Vbi verò discedit, priusquã discedat iam dedit vitam, sicut in truncatis arboribus, vel animalibus mortuis, vbi ex putrefactione ex vno multa nascunt. Arbitrandũ quoq; est conferre ad idem virtutẽ quoq; eiusmodi influẽtẽ ab vniuerso eademq; hĩc existentẽ. rursus autẽ si reuertat huc anima vel eundẽ vel alium assummit dæmonẽ secundum vitam quam actura sit. Ingreditur igit primùm vnà cum hoc dæmone quasi cymba id vniuersum, deinde natura huius qui à Platone fusus dicitur mundanus atque fatalis comprehendens ani-

D mam velut in naue, certo quodam ordine collocat in quadam ſede fortunæ. Circumducente verò mundana reuolutione, quaſi vento animam in naue ſedẽtem, vel etiam deambulantem, multa variaq; contingunt ſpectacula: Item tranſmutationes & caſus, quemadmodum in ipſa naui, vel iactatione nauis, vel ab ipſo qui mouetur impetu proprio, quem quidem habet, ex eo, quòd in naui modo quodam ſuo ſe habet. Non enim ſimiliter in eiſdẽ quilibet agitatur, aut vult, aut agit. Fiunt ergo aut differentia differentibus, vel ab eiſdem vel à differentibus incidentibus, aut eadem fiunt alijs, quamuis differentia ſint quæ incidunt. Tale enim quiddam eſt agitq; fatum.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE AMORE.

Omnis potentia tum cognoſcendi, tum generandi reſpuit turpe, nititur ad pulchrum: quoniam omnis ex prima pulchritudine proficiſcitur atque mouetur. Cap. I.

E ARBITROR equidem, Magnanime Laurentĩ, te non longam de amore diſputationem à Marſilio tuo nunc exacturum: tum quia multa de hoc in Sympoſio diſputauimus, tum maximè quoniam tu plurima de amore diuinitus inueniſti, elegantibusq; carminibus ececiniſti. Ergo ſumma ſequar faſtigia rerũ. Omnis poteſtas animæ ſiue rationalis ſiue naturalis ideo amore perpetuo nititur ad pulchrũ attingendum atque generandum, quoniam poteſtas eiuſmodi ab ipſa pulchritudine proficiſcitur: ideoq; in ſeipſa retinet formam pulchritudinis inſitam, perpetuumq; ad ipſam uelut ad finem amoris inſtinctum. Hanc utique cauſam quiſquis ignorat, non poteſt amorum naturas & amantium paſſiones exprimere. Profectò diuinus intellectus eſt forma prima, puraq; prorſus & omniformis. Intellectus animalis eſt forma quidem ſecunda, ſed ſimiliter omniformis. Natura eſt forma tertia pariter omniformis, ſuisque ducta principijs, eò ſpectat aſsiduè, ut informitatem materiæ formis operiat mirabiliter & exornet. Siquid ergo deforme ſub natura contingit, ſic accidit præter intentionem ipſam Dei primam, atque naturæ: ſicut quod deforme contingit in artificio, accidit præter omnem artis intentionem. Sicut ergo naturalis, ſic & rationalis ubique poteſtas à prima pulchritudine ducens originem, turpe quidem reſpuit uelut diſſonum, pulchrum uerò pro uiribus adſciſcit uelut conſonum, pulchram formam generare conatur, ſuamque in ipſa naturam perpetuò conſeruare. Sed potentia rationalis parturit in animo pulchritudinem: naturalis autem pulchritudinem in materia parit, & utraq; pulchrum pro uiribus in quo generet ſubiectum naturaliter oprat, ita demum aptius pulchritudinem creatura.

F

Duplex mundi anima. Duæ Veneres. Amores duo: qui non paßiones, ſed exiſtentiæ quædam ſunt. Cap. II.

CVm uideamus eatenus in nobis intelligentiam perfici, quatenus & actus intelligendi & intelligenda res à materia conditionibusq; materiæ ſegregatur, coniectare licet primum ipſum ſimpliciter intellectum eſſe alieniſsimum à materia. Præterea & intellectualem animam inde proximè genitam, ideoq; ſummopere intellectualem, non poſſe coire cum materia in communem unius compoſiti formam. Eſt enim hæc & intellectus quidam, & ſimpliciter anima: uita uerò ex hac ſubinde nata uelut anima quædam & natura ſimpliciter, poteſt iam in unum cum materia congredi. Intellectualem itaque animam illam in mundo primam Venerem appellamus: uitam uerò mundo illinc prorſus infuſam Venerem appellato ſecundam: in utraque perpetuus uiget amor circa diuinæ mentis pulchritudinem incitatus, tum in prima ad pulchritudinem ſimilem in ſe generandam, tum in ſecunda ad pulchritudinem in materia pro uiribus exprimendam. Putat uerò Plotinus ex mente Platonis intellectualem mundi animam dum intrinſecus agit circa Deum, intelligendo illum atque uolendo concipere in ſeipſa non imaginarium quiddã, ſed naturale aliquid & ſubſiſtens (ut arbitror) Chriſtianæ trinitatis in hoc myſterium imitatus. Exiſtimat autem ſicut lucere atque calere duo quædam ſunt in igne, ſed unum denique ſunt in ſole: ſic cognoſcere atq; amare inpotentia rationali quidem eſſe diuerſa, ſed in ſubſtantia intellectuali actum unum exiſtere: Cum uerò actus eiuſmodi in anima mundi ſit intimus & circa intimum, efficaciſsimusq;, hinc effici penes ſeipſam prolem huic actui

A ctui congruam: quæ quoniam ex intelligentia naſcitur, ſit intelligibile quiddam, quoniam ex amore procedit, ſit aliquid amatorium, imò ſit amor ipſe ſubſiſtens ex actu quodam amandi productus. Nam cum illic idem ſit exiſtere prorſus & agere: nimirum ſic intus agendo exiſtentia quædam producitur intus: in qua quidem producta ſit eadem quę eſt, & producentis eſſentia, hoc ipſo differens, quòd in illo quidem propagans eſt, in hoc autem inde eſt propagata. Differt inſuper relatione quadam: ſiquidem exiſtentia hæc amatoria hoc ipſum quod eſt & amantis eſt & amati. Differt præterea quòd in exiſtentia propagante ponitur potius ipſa uiſio pulchri, in exiſtentia propagata uoluptas ipſa potius circa pulchrum.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. III.

SI grauida mulier ſæpe ob miram imaginationis affectusq; uehementiam naturali quadam fœtum afficit qualitate, ob hoc ipſum quia ſit matri cõnexus: ſi rurſum motio ſimilis animi in proprio corpore ſubitas exprimit qualitates: quid mirum ex uehementia ſimili ſubſtantiale aliquid in ipſamet anima naſci? præſertim in ipſa intellectuali anima, ubi actio uehementiaq; & affectio nõ ad uentitia eſt, non mobilis, ſed naturalis penitus atq; firma. Et ipſe qui uidet gaudetq; & appetit efficaciſſimus eſt, & obiectum eius eſt potentiſſimũ, influitq; potenter. Confirmantur hæc ex eo quòd ſi ubiq; accidentalia rediguntur ad quædam ſubſtantialia proportione quadam congruentia ſibi, neceſſe eſt & amores qui paſsiones quædam aduẽtitię ſunt ad ſubſtantiales amores rite inferri. Poſt hęc
B notabis iterum duas mundum habere animas oportere, alteram quodammodo ſeparatam, quæ corpori præſit uelut artifex, alteram uerò coniunctã, quæ illinc inſit corpori, uelut forma. Separatam quidem oportet adeſſe, tum quia talis quędam ex intellectu puro proximè micat, tum quia mixtus artifex non abſolutè imperat artificio. Oportet inſuper animam mundo ineſſe coniunctã, tum quoniam anima prima fœcunda eſt ad hanc ex ſe generandam, tum quoniam oportet mundum eſſe cõpoſitum perfectiſsimum. Itaq; neceſſe eſt habere formam ſuæ materiæ perfectiſsimam, ideſt, uiuentem atq; ſenſualem. Nõ fit autem unum in mundo ex intellectuali anima propriè atq; materia (ut uult Plotinus) quoniam intelligentia per actionẽ affectumq; in oppoſitũ materiæ tendit, ſicut neq; fieri unum putat in nobis: ſiquidem nec in nobis intellectualis anima cõmunicat cũ corpore in paſſionibus corpori proprijs, neq; corpus cum anima tali in actionibus ad eiuſmodi animam propriè pertinentibus. Licet tamen dicere intellectualem animã tum in mundo eſſe mundanam, tum in nobis humanam: atq; ex ea ſimul & animali unum ideo confici, quoniã ex illius influxu ſimul atq; materia fit unũ animal ſenſuale, cui & illa ſemper inſpirat uitã abſq; continuo illius ſpiritu perituram. Has utiq; geminas in mundo animas, iterũ geminas Veneres eſſe memento, quas gemini ſimiles comitentur amores. Memẽto quinetiã amorẽ in ſecunda hac mundi anima nõ tantũ per uim genitalẽ generare totam in mundi materia pulchritudinẽ, ſed etiã per efficacẽ imaginandi potẽtiã, tũ diuinã ſuſpicere formam, tum ad eandem & mundum & quæ ſunt in mundo pro uiribus prouocare.

Duo amores cuilibet animæ naturaliter inſiti quaſi duo ſunt dæmones. Cap. IIII.

C AMores qui tanquam noui quidam animorũ motus à rebus quæ extrinſecus offeruntur quotidie incitantur in nobis tanquã notos leuiter attigit: diligẽtius uerò proſequitur ſubſtantiales amores, ideſt, eſſentiales perpetuosq; inſtinctus ad pulchrũ animæ naturaliter inſitos & aſsiduè, quamuis nec eligas nec aduertas trahentes ad ipſum. quorũ alter in ipſa cognoſcendi, alter in generandi potentia naturaliter eſt inſertus. Et quoniã uelut præfectus ducit animã, & more prouidentiæ regit appellatus eſt dæmon: quãuis præſtantior amor appelletur & deus. Dicitur autem hos anima generare, non quidem quotidie, ſed ab initio, quando pro natura ſua partim ab æuo ſibi tradita, partim pro electione uitæ quandoq; contracta inſtinctus eiuſmodi concipit ad ſeculum regnaturos: quorum occulto quodam nutu quotidie plures in nobis ſuſcitantur affectus atq; conceptus: quos ſanè nec externa duntaxat ſpectacula, nec præſens affectio corporis, nec noua conſultatio porrigit. Et profectò perpetuus quidam uitæ tenor plurimum directus ad unum: præſertim quantum ſpectat ad uitæ ſpeciem ſcientiasq;, & artes, naturalesq; facultates unicuique proprias ab eiuſmodi dæmone regitur, recto interim ab externo quodam ſibi congrue dæmone. Congruunt & rationales animæ omnes per eiuſmodi ſuos amores cum mundanæ amorib. animæ, quatenus & ipſæ ſunt animæ mundanæ ſorores: quæ ſimul amoresq; ſui ita dependent ab anima mundi & illius amore, non quia inde ſortiantur eſſentiam, ſed quoniam ad motionis illius exordia quaſi concinendo motiones proprias ordiuntur, perq; proprios fines ad finem deniq; mouentur illius.

D

De Dæmonibus. Cap. V.

OPortere uerò dæmones eſſe medios inter ſtellas & homines, in Theologia ſatis oſtendimus, ut ſphæra quælibet ſupra nos hac noſtra præſtantior longeq; amplior rationales habitatores habebat ſuæ ſpheræ conformes, ſicut habet & noſtra. Nam & ignea quædam animalia eſſe comprobat Apuleius hoc Ariſtotelis teſtimonio: In fornacibus ardentibus quædam animalia propria uiſa ſunt uolitare pennulis apta, quæ totum æuum ſuũ diuerſantur in igne: cum eo exoriuntur, cũ eo pariter extingũtur. Profectò quod primũ ab ipſa uiuifica ſubſtantia, ideſt, anima uitã accipit, ſolus eſt ignis. Eſt enim ignis inter corpora proximus animæ, quoniã excellentiſſimus, efficaciſſimus, mobiliſſimus. Hinc efficitur ut fouente calore ſingula uiuant, non fouente nõ uiuant, Secundò per ignẽ aer igni proximus uitam ſortiri uidetur, & pabulũ eſſe caloris: per hæc duo ſubinde ſubtilis aqua uicinior aeri: per hanc ſimiliter terra ſubtilis: per hęc quatuor inuicem cõgregata, corpus ex quatuor non iã quaporib. ſed materijs craſsioribus cõpoſitũ atq; ſolidum. Licet aũt ubiq; quod prius eſt atq; ſimplicius à ſequente compoſitoq; reſoluere. Sunt igitur animalium rationalium quinq; genera: Prima ſunt, quorũ corpora ſolus eſt ignis: acſi uiſibilis ignis ſtellæ ſunt, quos antiqui deos nominant: ſi inuiſibilis, dæmones Orpheus igneos uel cæleſtes appellat, qui in planetarum circulis ſtellarum uicem teneant ſub planeta duce. Non enim decet ab innumeris animalibus que ſunt in firmamẽto, mox ad unicum infra deſcendere. Secunda quorum corpora ſunt ignis & aer optimè mixtus: hos

E dæmones idem ætherios uel aerios nominat. Sunt & animalia tertia in quibus ignis & aer cum ſubtili quadam aqua componitur, quos dæmones iam nominat aqueos, qui quandoque paulò denſiores facti, aſpici poſsint. Neque deſunt quarta, quæ tribus iam dictis ſubtilem adhibeant terram, quaſi quendam terræ uaporem. Hi ab Orpheo terreni dæmones appellantur: qui & aliquando paulò ulterius condenſati etiam ualeant attrectari. Hos etiam nuncupat ſubterraneos, quotiens uidelicet ſubeunt terræ cauernas. Quinta ſunt hominum quaſi infimorum dæmonum corpora, in quibus præter dæmonicam illam ex quatuor ſubtilibus mixturam qua dæmones ſumus, quę in nobis ſpiritus eſt, primóque uiuit & ſentit, mixtura ſolidiorum eſt adiuncta. Spiritum uerò primò uiuere atque ſentire patet ex eo, quòd retracto à membris ſpiritu, mox ſenſus & motus membra deſerit, ideoq; & uita. Cùm uerò quod prius cognatiusq; accipitur, firmius teneatur probabile uidetur, animas eiuſmodi poſteriora gradatim dimittere corpora, prioribus interim diutius reſeruatis: ut quæ fuerunt in corpore ſolido, diutius poſtea ſint in tenui, in quo pariter erant, & in quo potiſsimùm ſentiebant, quod & propter cognationem facilè cedit animæ connectenti. Quo uerò ſublimius ſimpliciusq; corpus eſt, eo tardius uidetur ab anima deſerendum, cæleſte uerò nunquam. In omni ſiquidem genere quod primò fit particeps, ſemper eſt particeps. Et meritò uita ſempiterna ubi ſemel ſempiternum corpus ipſo ſuo eſſe naturaliter animauit, nunquã deſinit animare. Solis igitur hominum animabus inferiorumq; dæmonum datũ eſt corpora caduca mutare, quia cõpoſita ſunt ex diſſonis, & ideo ſolubilia, tum quoniam propter corpus eiuſmodi & locum & miniſteriũ à

F beatitudine diſtrahuntur. Nefas autem eſt animas rationales ad contemplationẽ abſolutam naturaliter inſtitutas, diutius illa carere. Quando igitur ad finem perueniunt, in ætherio & cæleſti corpore multa ſecula uiuunt. Quod enim eſt ex intẽtione ſpecierũ, earumq; principij potiſsimũ, id quamplurimũ eſt, & maximè diuturnũ. Cæleſtes quidẽ dæmones & ætherios ueriſimile eſt & ſempiternos eſſe, & perturbationis expertes, propter naturæ ſimplicitatẽ puritatemq; loci: aqueos autẽ terrenoſq; eſſe quidem longæuos, non autem induſſolubiles, habere & perturbationes animi firmè tales, quales & nos habemus. Vicinitas enim regionis atque naturæ morum affert ſimilitudinem. E duobus primis nihil effluit unquam: quare nec opus eſt nutrimento, ſed duntaxat cantibus & figuris luminibusq; delectantur, colunturque, & ita nobis conciliantur, illis præcipuè temporibus, quibus ea ſidera regnant, quæ & illi ſequuntur. E duobus ſequentibus cum effluat aliquid, inſtaurare neceſſariũ eſt: ſed in quibus nihil eſt terreum, ſatis odor facit conciliatq; aromatũ atque florũ exhalatióque liquorum. Poſtremi demones odoribus & uaporibus indigent craſsioribus, qui ex ſanguine carnibuſque mittuntur, maximè coctis, & à nobis aſſumptis. Quare ſi Porphyrio credis, dices hos induxiſſe nos ad animalia deuoranda: ut ipſi penes nos atque è uiſceribus noſtris haurirent ſugerentque, ſæpe concoctum ſibique competens ab animalibus alimentum. Eſt autem eis inſita quædam attrahendi ſugendique facultas, qualis membris ineſt animalium radicibúſque plantarum. Nos autem eos tali quodam nidore ad nos allicimus: unde, ut ait Porphyrius, homines uentri dediti uaſa fiunt dæmonum immundorum. Quamuis enim dæmones ſi quo indigent nutrimento, ut ait Iamblichus, id abſque noſtra opera ſibi paſsim ſuppeditare poſsint:

tamen

A Tamen probabile eſt, poſſe quaſdam illecebras ab homine illis offerri, & incontinentes dæmones in continentibus hominibus commiſceri. Superbi uerò ſuperbioribus dæmonibus agitantur. Nam primùm eſſe in eis ſuperbiam Porphyrius ait: adeo ut nihil uehementius optent quàm ſupremos à nobis deos exiſtimari, & pro illis maximè coli. atque princeps eorum potiſsimũ id contendat, ut deus primus omnium habeatur: incitare nos ad corporis huius oblectamenta, quibus ipſi in nobis fermè ſimiliter oblectentur: irritare ad contentiones & prælia, quibus & ipſi inter ſe aliquando conflictantur, & aerem conflictu conturbant, & aſsiduo gaudere mendacio: nos autem illis non poſſe reſiſtere, niſi quatenus ſuperiorum dæmonum inſpirationi mentem diligenter exponimus: ſobrijs caſtiſq; uiuimus, ac deo nos ſuppliciter commendamus: ſola enim puritate, ſanctimonia, pietate genus humanum à potenti malorum dæmonum incurſu defendi. Hinc & Democritus orabat, ut bonos dæmones obuios haberet: utpote qui ut Plutarchus ait, exiſtimaret multos dæmones eſſe malos, omnes uerò appellabat Idola in aere grandia inter ſe emittentia uoces, & longæua difficileq; ſolubilia: Dæmones uerò multos eſſe malos, qui & homines ſub prætextu bonorum fallant Iamblichus aſſerit: ſed eos bonorum numinum præſentiam ſubitò fugere, atque ita legitimum religioſum nõ poſſe decipere. hæc ab Aegyptijs atque Caldæis. Proinde Plotinus ait dæmonicas animas iccirco ad corpora procliuiores exiſtere, quoniam in eis materia quædam regnet intelligibilis. Hæc autem non ſolùm eſt ipſa natura formabilis, hæc enim & ſuperioribus ineſt, ſed intima quædam eſſentiæ diſpoſitio, in qua nec identitas alteritatem ſuperat, neque ſtatus motum, neque natura communis particularem, neque agendi facultas potentiam patiendi, per quam ſanè diſpoſitionem eſſentia talis tum
B corpori etiam caduco, tum animi perturbationi uidetur accommodari. Ob hanc rationem, quod & Iamblichus aſſerit, dæmones prouidentiam non ut Dij communem habent, ſed ſinguli ad actiones proprias atque prouincias.

De origine dæmonum. Cap. VI.

QVid uerò Plotinus in capite ſexto dicit, dæmones ex ipſa totius anima generatos, atque Porphyrius in libro de abſtinentia dicit, dæmones ex tota anima pullulaſſe, ne intelligas ſubſtantias ipſas animarum quę ſunt in dæmonibus, ex anima mundi creatas: imò uerò animam hic totam accipe illam pateram, ſiue deam, ideamq; communem, ex qua Timæus præter mundi animam, ſeorſum ſphærarum animas, iterumq; animas dæmonum hominumúe aſſerit eſſe productas. Nam & Proculus ait in Alcibiade, dæmones à dea uiuifica generatos, à qua generantur & animæ. Vult quoque Plotinus, & ab ipſa mundi, & à qualibet anima rationali ſuam quandam irrationalem animam emanare, quam nominat dæmonem. Eiuſmodi uerò dæmones & ſi ſuas ſequuntur animas, tamen ſub communi quodam influxu animæ mundanæ gignuntur ab eis: nam in illius prouidentia eſt præcipuè, ut ipſius naturæ ſubſeruiant tot tales; naturæ ad diſpoſitionem uniuerſi complendam. Omnino uerò qualeſcunque ſint dæmones, ideo pendere dicuntur ab anima mundi, quoniam eorum animas ipſa mundi anima, per uirales uires infuſas materiæ uelut eſcas corporibus alligat. Inter hæc intelligibiles deos ponit, id eſt, ideas & intellectuales cæleſtium animas. Item ſenſibiles deos, ſcilicet ſtellas: poſt eas dæmones, qui ſunt inuiſibiles, ſiue in cælo ſunt, ſiue ſub cælo: quãuis ipſam dæmonis appellationem ad eos qui ſub luna ſunt, propriè transferant. Corpora dæmonum in ſuperioribus quidem deſcripſimus, ratione quadam liberiore, per quam à pleriſque Platonicorum haud longè diſcederemus. Poſſumus autem ratione forſitan magis phyſica dicere, corpora dæmonum ſub lunarium plurimùm eſſe compoſita. Nam & elementa in globum unum undique commiſcentur. erit igitur neceſſariò ignis in eis. Per hunc enim uita motusq; uiget. Erit & aer ignis pabulum: nec ſolus cum ſolo, ne ſubitò diſſoluantur. Eſto inſuper aqua tenuis, nec ſine terra ſubtili, alioquin minimam habebit ſub igne ſtabilitatem, oportet ſanè ſpiritalia dæmonum corpora ſicut & ſpiritus noſter eſſe admodum temperata, ut ſint illius uitæ nobilis ſuſceptacula. Oportet igitur in eis tyrannicam ignis uoracitatem ita domari, ut & trium numero & horum quidem quantitate maiore unius tyranni rapacitas refrænetur. Non poteſt autem terra illic eſſe multa, nec etiam aqua plurima. Sit ergo quàmplurimus aer, ſecundo loco humor aqueus tenuiſsimus, tertio ignis ſed admodum rarus, ne fortè ſit edax: quartum teneat ſubtiliſsima terra locum. Et quamuis dæmones omnes ſint propemodum temperati, aliqui tamen temperatiſsimi ſunt: in cæteris autem elementum hoc aut illud, paulò magis excellit: Erunt igitur complexiones eorum quinque fermè ſicut & noſtræ, temperata uidelicet, & quatuor non adeo temperatæ: ſtellis quidem ſubditæ conſimilibus, & præſidentes inſtinctu quopiam naturali hominibus complexionis eiuſdem.

D De *amore ſubſiſtente, & de intelligentia in nobis æterna.* Cap. VII.

IN capite ſeptimo, ubi dicit, ratio igitur & cætera: Intellige pro ratione uim ſeminariam ab intellectu animali fluentem in animam, uelut patrem in matrem, in qua gignit amorem tum ex copia ſua, tum ex quadam animæ indigentia mixtum. Item amorem ponit perpetuum, tum in intellectu animali ad pulchrum intelligibile contemplandum, tum in natura ad generabile pulchrum: & utrunque amorem eſſe aliquid arbitratur eſſentiale atque ſubſiſtens: quoniam ab anima per ipſam eſſentiam eius exiſtant. Amores autem qui nuper excitari ſolent, cum non ab ipſa anima ſimpliciter ſint uelut agente, ſed contingant in eam quaſi patiente ab externis & corpore, non ſubſiſtentes dæmonesúe appellat, ſed paſsiones. Poſt hæc animaduertes intellectum ipſum omnium communem, atque intellectum uniuſcuiuſque proprium inter ſe longè differre. Rurſum potentiam cognoſcendi quæ non habet in eſſentia ſua ipſum quod cognoſcendum eſt ſecundum illius eſſentiam, ſed quandã eius imaginem, eſſe fallacem: certam uerò eſſe, quæ ipſum in ſe habet obiectum. quòd ſi non tanquam imaginarium habet potentia eiuſmodi, ipſummet exiſtit obiectum. Cognitio igitur perfectiſsima qualis eſt intellectus, eſt res ipſæ quæ dicuntur obiecta: imperfectiſsima uerò ſicut ſenſus, nec eſt quæ ſentienda ſunt, nec habet, ſed ad illa ſe uertit. Cogitatio uerò & ſi non eſt illa quæ cogitat, habet tamen, id eſt, notiones eorum, ſiue ex ſe ipſa propriè, ſiue ab intellectu ſuo hauriat pro arbitrio. Si mundum contempleris intelligibilem, illic non ſolùm uniuerſus intellectus eſt uniuerſum
E intelligibile, ſed etiam in quauis idea intellectus certus eſt intelligibile certum. Præterea intellectus uniuſcuiuſque animæ proprius eſt ſuum ipſum intelligibile. Differt tamen & in hoc ab ipſo ſimpliciter communique intellectu: ſiquidem non eſt ipſe uniuerſum ſimpliciter intelligibile, eſt enim ipſum ſuo quodam pacto. Habet igitur intellectus noſter uniuerſalium rerum intelligentiam, ſimiliumq; amorem: quoniam ipſum uniuerſum intelligibile & habet pariter & exiſtit. At quoniam hic exiſtit hoc ipſum non tam ſimpliciter quàm ſuo quodam pacto, id eſt, non prorſus efficaciſsimo modo: ideo in ſpeciali qualibet notitione non omnino diſtinctè comprehendit ſingula, quæ mens diuina comprehendit. Oportet enim intellellectum ad rationem ſe imaginationemq; conuertere, ut particularia diſtinctè cognoſcat. Quòd autem præter intellectum communem ſint & alij non ſolùm diſcurſione, ſed ſtatu perpetuò cognoſcentes à primo diſtincti, ita confirmari uidetur: Intellectus primus cum ſit multitudo prima, meritò eſt in plures intellectus naturaliter propagabilis: eſt in eo diuerſitatis idea, eſt etiam identitatis idea, longeq; potentior. Quoniam igitur ſub diuerſitate in plures intellectus diſtribuitur diſcurrentes, meritò & in plures ſub identitate deriuatur ſtabiliter cognoſcentes. Sed in ijs inde naturaliter propagatis ita ratio diſcurrens ſubnectitur intelligentiæ ſtabili, ſicut in prima mente ipſa diuerſitas uel alteritas identitati ſubnectitur. Progredi uerò in multitudinem infinitam intelligendo, id eſt intelligere ſingula datur intelligentiæ noſtræ rationis adiunctæ imaginationisq; miniſterio. Cætera quæ de amore diſq; diſputantur, in libro de Amore ſatis confirmauiſſe uidemur.
F

PLOTI-

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVINTVS DE AMORE.

De amore illo qui paſsio quædam eſt, quid ſit, unde ſit, quot habeat ſpecies. Cap. Primum.

OPERAE PRETIVM eſt de amore conſiderare, vtrum Deus quidam ſit, vel dæmon, vel paſsio quædã animæ: an potius partim quidẽ Deus quidã, ſiue dæmon, partim verò ſit paſsio quædã. Præterea quale potiſsimum, quidúe horũ quodlibet ſit dicendũ. Percurrere quoq; expedit cũ aliorum hominum hac de re opiniones præcipuè philoſophicas, tũ vel maximè Platonis diuini ſententiã, qui multis in locis multa de amore cõſcripſit, neq; ſolũ paſsionem quandã animis influentẽ eſſe dixit, verũetiam dæmonẽ appellauit amorẽ deq; huius generatione diſſeruit, quo pacto & vnde ſit genitus. Principiò fermè nullus ignorat amatoriã paſsionem influere animabus cõcupiſcentibus pulchro ſe alicui cõmiſcere, appetitumq; eiuſmodi partim eſſe penes tẽperatos, iã factos ipſius pulchri domeſticos, partim verò in turpẽ quandã deſinere actionem. At vnde affectus vterq; proueniat deinceps philoſophicè cõtemplari debemus. Siquis igitur principiũ eius ponat, antiquã ipſius pulchri inſitã animabus appetionem, notionẽ, cognationem, & quandã ſine rationis actu cognationis perceptionẽ, is à veritate cauſę (vt arbitror) minimè aberrabit: nempe quod turpe eſt, id naturæ eſt deoq; contrarium. natura enim pulchrum ſpectans agit: ſpectat autẽ determinatum, quod quidẽ in boni ordine collocatur, indeterminatũ verò turpe eſt ordiniſq; contrarij: ſed origo naturæ inde dependet à bono atq; pulchro. Quiſquis autem aliquo delectatur quaſi cognato, ad imagines quoq; eius quaſi affines afficitur: at ſiquis hanc ſubſtulerit cauſam, deinde qua ratione, quasúe ob cauſas poſsiones amatoriæ oriantur, explicare non poterit: neq; etiã in amoribus veneream poſcentibus miſtionem. Nam & hi in pulchro quodẽ procreare percupiunt, quandoquidẽ dictu perabſurdum eſt, naturã pulchra volentẽ facere, velle in turpi aliquo generare. At enim illis qui vt hîc gererent incitãtur, ſufficit quod hîc pulchrũ eſt aſſequi. Quod quidẽ in imaginibus edeſt atq; corporibus: ſiquidẽ principale exemplar ijs minimè adeſt, quod quidem cauſa ipſis eſt pulchri etiã huius amandi. Proinde penes illos qui ab hoc pulchro in ſuperni pulchri reminiſcentiã reuocantur, pulchrũ hoc velut imago diligitur: at penes illos qui minimè recordantur ob ignorantiã paſsionis, noſtra hæc vera pulchritudo cenſetur: ac ſi tẽperati ſint, inita cum hoc pulchro familiaritas vitio caret. Lapſus verò intemperantium in veneream miſtionem eſt peccatum. Proinde qui puro pulchri amore afficitur, ſola pulchritudine eſt contentus, ſiue recordetur, ſiue non recordetur. Qui autẽ admiſtam inſuper habet aliã quoq; concupiſcentiã immortalitatis in re ipſa mortali, pro viribus cõparandæ hîc in generatione perpetua perſeuerentiáque ſempiterna pulchrum quæritat: ac dum ſecundum naturam progreditur, ſerit generátque in pulchro, ſerens quidem in ſempiternũ, in pulchro autẽ, propter quandã ipſius pulchri cognationẽ. Etenim ipſum quoq; ſempiternum eſt pulchro cognatum, naturáque ſempiterna primum pulchrum eſt, & quæ ab ipſa fiunt, pulchra omnia fiunt. Quod igi-

D tur generationem non optat, ſufficiens & contentus ipſo pulchro magis eſſe vi
detur: quod autem appetit generare, pulchrum quidem nititur gignere ob indi
gentiam quandam: vnde apparet nequaquam ſibi ipſi ſufficere: exiſtimat autē
in faciendo, tunc demum pulchrū aliquid ſe facturum, ſi in pulchro genuerit: at
verò qui præter legem, prætérque naturam generare contendunt, à naturali
quodam impetu curſum exordiuntur, ſed naturalem trangreſsi viam per lubri
ca delabuntur, prolapſique iacent, ignorantes quò amor ducebat eos, & quor
ſum generationis appetitio tendat. Item qua ratione imagine pulchri ſit vten
dum, ignorantes denique ipſum pulchrum. Profectò qui pulchra corpora non
commixtionis gratia diligunt, ob id ipſum quòd pulchra ſunt, amant. Rurſus
qui amorem ſequuntur miſtum, erga mulieres inquam, quo perpetuitas gene
ratione ſeruetur, neque ab hoc vſquam aberrant, hi pulchritudinem perpetui
tamtemq; ſimul exoptant, atq; temperati ſunt ambo, quamuis alijs præſtantio
res alij: & qui præſtantiores, partim quidem pulchritudinem hāc noſtram qua
ſi eis ſufficientem colunt, partim verò pulchritudinem quoque ipſam, qui ſcili
cet recordantur, neque tamen pulchritudinem hanc aſpernantur, vtpote qui e
xiſtiment hanc eſſe effectum quendam ludumq; illius. Hi ergo abſque turpitu
dine verſantur in pulchro: alij verò per pulchrum in turpe labuntur: appetitus
enim boni ſæpe labitur & in malum: atque hæ quidem ſunt animæ paſsiones,
E

De duplici Venere: de amoribus geminis, qui uelut aliquid ſubſiſtens generantur in Venere.
Cap. II.

CIrca verò amorem illum in primis videtur philoſophandum, quem Deum
affirmāt, non ſolùm cæteri. verùmetiam theologi, atque Plato frequenter
amorem Veneris dicens, officiúmq; illi attribuens, vt dux pulchrorum ſit pue
rorum, inſtigatórque animarum ad ſupernam pulchritudinem attingendam,
aut ſaltem inſtinctum ad illam iam natum exaugeat. Huc adducenda ſunt quæ
cunque in Platonis conuiuio pertractantur. Vbi ſcribitur in Veneris natalibus
amorem ex indigentia copiáque progenitum. Videtur præterea diſputatio
præſens de Venere nonnihil exigere. Vtrum videlicet ex Venere, an potius
vnà cum Venere amor natus eſſe dicatur: & primò quidem, quæ nam ſit Ve
nus, deinde quomodo ſe habeat, an ex ipſa, an ſimul cum ipſa, an potius quo
dammodo amorem habeat ex ſeipſa ſimul, vnáque cum ipſa progenitum.
Dicimus itaque duplicem eſſe Venerem, alteram quidem cæleſtem cæli ſtir
pem aſſeuerantes, alteram verò ex Ioue & Dione natam, humanorum con
F iugiorum ducem, hæc ipſa quominus attingentem: at illam ſine matre, &
ante coniugia, quoniam nuptiæ in cælo non fiant. Illam ſanè cæleſtem quam
ex Saturno, ideſt intellectu genitam dicunt, neceſſe eſt eſſe animam diuiniſ
ſimam, proximè ab ipſo intellectu inuiolabili inuiolabilem natam, ſuper
néque permanentem, vtpote quæ ad hæc mundana deſcendere neque ve
lit, neque etiam valeat, propterea quòd ea prorſus natura prædita eſt, quæ
ad inferiora non inclinatur: neceſſe inquam eſt, eam eſſe ſubſtantiam quan
dam ſeparatam & eſſentiam materiæ nullo modo participem. Qua de cauſa
ſubobſcurè dixerunt ſine materia eſſe, vbi ſine matre eſſe dixerunt. Quam qui
dem Deum potius quàm dæmonem meritò nominare debemus: quippe cum
ſincera puráque ſit, & in ſeipſa conſiſtens. Quòd enim ex mente proximè na
ſcitur, ipſum quoq; eſt purum, vtpote quod validiſsimum eſt ſecundū ſeipſum
intellectus ipſius propinquitate, ingenitumq; habeat appetitū ad ſeipſum in ge
nitore ſtabiliendū, genitore inq; potente ipſum ſufficienter apud ſuperos deti
nere: quo fit vt nunquam anima illa decidat, quæ è veſtigio pendet ex mente.

A idqúe munus habet multò magis,quàm lumen ſoli circunfuſum,perpetuò ex ip ſo prodeat & referatur in ipſum. Sequens igitur continuò Saturnum, ac ſi velis patrem etiam Saturni cælum,actum ſuum reflexit ad ipſum,ſeq; illi conciliauit, & amorẽ amando progenuit, cumq; hoc ipſo amore ſuſpicit ipſum, atq; huius animæ actus ſubſtantiã eſſentiamq; producit. Tum verò vtrunq; illuc intuetur tum ipſa genitrix,tũ genitus pulcher amor,ſubſtantia quidem ad aliud pulchrũ ſemper intenta, habensq; eſſe hoc ipſo in medio ſcilicet inter deſiderantẽ, atq; deſideratum. Et profectò deſiderantis eſt oculus præbens quidem amanti, vt per ipſum cernat amatum, præcurrens autem ipſe, & antequam illi prebeat facultatẽ uidendi per inſtrumẽtum,ipſe iam ſpectaculo, ſiue ſpectamine plenus: prior quidẽ,inq;,non tamen ſimiliter contemplatus,ex eo quòd ſiſtit quidẽ illi ſpectamẽ, ipſe verò velut fructu veſcitur viſione pulchri ipſi mirificé circũfuſa.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. III.

ESſe verò ſubſtantiam eſſentiamq; ab eſſentia emanantem minorem quidẽ generante,exiſtentem verò ſimul,negare non licet. Etenim anima illa eſſẽtia eſt nata ex actu qui ſuper ipſam eſt, eſſentia inquam viuens, & ab ipſa entiũ
B eſſentia pendens, illudq; ſuſpiciens, puòd prima eſſentia eſt, vehementerq; ſuſpiciens. Atqui & primum ipſius ſpectaculum, vel ſpectamen id ipſum eſt. Quod quidem tanquam ſuum bonum ſpectat gaudétque videns: atque ipſum viſum tale eſt, vt quod intuetur non negligenter intueatur, adeo ut ipſa velut voluptate intentionéque ad ipſum viſionisq; vehementia aliquid generetur ab ipſa, tum ea, tum ſpectaculo dignum:quamobrem tum ex eo, quòd intentiſsimè agit circa ſpectaculum,tum ex eo quòd quaſi ab ipſo ſpectaculo defluit,imbutus oculus uelut uiſio quædam cum ſimulachro natus eſt amor: qui fortè ob hoc dictus eſt heros, quoniam ab horaſeos, ideſt, viſione ſubſtantiam habet. Quando & amor qui paſsio eſt ab hoc habet inſtinctũ:ſiquidem amor qui eſſẽtia eſt antecedit amorem qui non eſt eſſentia: atqui & paſsio eran, ideſt, amare dicitur,ſiquidem amor ipſam huius habet,ſimpliciter autem amor non appellatur. Amor itaq; ſupernæ animæ talis exiſtit,ſuſpiciens ipſe quoq; ſublimia, tanquam animæ illius pediſſequus,atq; ex illa penesq; illam genitus,deorumq; cõtemplatione contentus. Cùm verò animã illam ſeparatam eſſe dicamus:animã inq; primo cælum illuminantẽ,non iniuria hunc etiã amorem ſeparatũ eſſe fatebimur. Et ſi animã ipſam maximè cæleſtem eſſe diximus: quemadmodum optiC mũ noſtrum eſſe in nobis aſſerimus,attamen ſeparatum etiam affirmamus. Illic ergo tantùm ſit ille amor, vbi eſt inuiolabilis anima. At quoniam oportuit animam etiam mundi huius eſſe, ideo comitatur hanc iam alter amor, qui eſt & huius oculus ex appetitu ſimul atque ipſa natus. Quum autem huius mundi ſit hæc Venus,neqne ſolùm anima,neque ſimpliciter anima,meritò amorem rurſus genuit hoc in mũdo regnantẽ, qui iam vnà cũ Venere coniugia nuptiasq; attingit. Tum verò quatenus & ipſe deſiderium attingit ſupernum, eatenus iuuenum ſurſum prouocat animas,atq; animam ipſam cuius eſt collega, ad ſuperna cõuertit, quantum & illa in eorum memoriam poteſt naturaliter prouocari. Omnis namque anima bonum appetit, etiam quæ miſta eſt alicuiúsque facta: quippe cùm hæc anima deinceps illam ſequatur, emanétque ab illa.

Duo amores cuilibet animæ naturaliter inſiti,quaſi duo ſunt dæmones, Cap. IIII.

QVæri poteſt nunquid anima quælibet amorem talẽ in eſſentia ſubſtantiaq; poſsideat. Fortè verò cũ anima totius habeat amorẽ hunc & cõſtituat,nihil prohibet hominũ animas habere ſimiliter atq; conſtituere,& inſuper

D cæterosum omnium animalium animas. Forſan hic amor eſt dæmon, quem tra
dũt quẽlibet comitari, ſcilicet eſſentialis vniuſcuiusq; amor. Hic vtiq; facilè erit,
qui cupiditates inſerat naturales, quatenus quælibet anima naturaliter appetit,
dum quælibet pro natura ſua conſentaneũ ſibi gignit amorẽ, quoad dignitatẽ
eſſentiamq; pertinet. Vniuerſa igitur anima amorẽ habeat vniuerſum, particula
res autẽ vnaquæq; ſuum: quatenus autem quælibet ſe habet ad vniuersã ab ea
videlicet minimè ſegregata, ſed in ipſa cõprehenſa, adeò vt vnà ſint omnes, ea-
tenus & vnuſquiſq; amor ad vniuerſum ſe habet amorẽ: comitatur rurſus partí-
cularis amor particularẽ animam, & magnus ille amor animã vniuerſam, & qui
in toto eſt, vbiq; viget totus per vniuerſum: rurſusq; vnus hic euadit in multos,
& pro arbitrio apparet vbiq;, figuratus partíbus ſuis, ſeq; ipſum in imagine qua
dã ſi placet oſtendens. Putandum verò eſt Veneres quoque in mundo eſſe per-
multas quaſi dæmones vnà cum amore naſcentes, ex vniuerſa quadam Venere
profluentes, quæ quidem ſigillatim vnà cum amoribus propríis ab illa depen-
deant: ſiquidem anima eſt mater amoris, Venus autem eſt anima, amor verò eſt
actus animæ bonum deſiderantis. Cùm igitur amor eiuſmodi vnãquanq; du-
cat ad ipſam boni naturã, amor quidẽ ſublimíoris animæ deus eſt, qui animã sẽ-
per cum illo coniungit: amor autẽ animæ iam permixtæ dicendus eſt dæmon.

E

Confutat eos qui dicebant amorem ipſumqui à Platone appellatur magnus Dæmon, eſſe mũdum

Cap. V.

CAeterùm quæ nam dæmonis & communiter dæmonum natura eſt? De
qua in Conuiuio ſcribitur à Platone: natura inquam & aliorum dæmonũ,
& ipſius amoris, quemadmodum videlicet ex indigentia ſimul atq; copia ex cõ
ſilio nata in Veneris natalíbus ortus eſt amor. Quiſquis opinatur mundũ hunc
à Platone eſſe amorẽ nominatũ, non autem amorẽ eſſe aliquid mundi natumq;
in mundo, argumentis plurimis conuincetur. Primò quidẽ Plato mundũ appel
lat beatum deũ ſeq; ipſo ſufficientem, amorem verò hunc neq; deum neq; ſuffi-
cientẽ dicit, ſed ſemper egenum. Deinde neceſſarium eſt, ſiquidẽ mũdus eſt ex
anima corporeq; cõpoſitus, anima verò mundi ſua Venus eſt, principalẽ amo-
ris partẽ eſſe Venerẽ. Aut ſi mundus eſt ipſa mundi anima, ſicut & homo eſt ho
minis anima, neceſſe eſt amorẽ eſſe Venerẽ. Præterea cur nã amor quidẽ exiſtẽs
dæmon eſt & mundus, cæteri verò dæmones qui ex eadẽ eſſentia ſunt, nõ ſunt
& ipſi mundus? atq; mundus erit hæc ipſa ex dæmonibus conſtitutio. Item vbi
amor dicitur pulchrorũ dux puerorũ, quónã modo id mundo conueniet? Deni
que amorẽ ait ſine ſtramentis & tegmine, ſine calceis, abſq; domicilio peruaga-
F ri: quæ quidem mundo nullo modo poſſunt niſi aridè nimiũ inepteq; attribui.

De amoris origine, atque dæmonibus. *Cap* VI.

VErùm quidnã de amore, deq; ipſius generatione dicendũ eſt? Profectò ex
ponendum eſt quid ſit amoris mater Penia, ideſt, indigentia: quidúe pater
Porus, ideſt, affluentia. Et qua ratione parentes eiuſmodi amori conueniãt. Cõ-
ſtat autem oportere parentes eiuſmodi cæteris quoq; dæmonibus conuenire:
ſiquidem oportet naturam eſſentiámque dæmonum omnium qua ratione dæ-
mones ſunt, vnam eſſe, niſi fortè ſecundum nomen commune dicantur habere.
Cõſideremus igitur quomodo deos à dæmonibus diſtinguamus: quãuis enim
ſæpe dæmones etiam deos eſſe dicamus, in præſentia tamen ſic accipiamus, ſi-
cut quando dæmonum genus genúsque deorum tanquam aliud aliudque in-
ter ſe diſcernimus. Deorum itaque genus eſſe paſſionis expers dicimus &
putamus: Dæmonibus autem paſſiones adiungimus, dicentes etiam ſempi-

ternos

A ternos eſſe,ſequẽnti poſt Deos gradu,iámque generi humano propinquos me dios inter deorum hominúmque genus. Cõſideratione igitur dignum eſt,qua ratione dæmones extra paſsionem non permanſerint, ſed ad deterius natura deſcenderint. Quærendum etiam eſt, an nullus in mundo intelligibili dæmon ſit,ac rurſus,num in hoc mundo dæmones tantùm ſint, Deus autem in mundo intelligibili ſolùm. Fortaſſe potius hîc quoque dij ſunt,& mundus (vt dici ſolet) Deus eſt tertius: & vſque ad lunam vnuſquisque eſt deus. Præſtat ſanè nullum in mundo intelligibili dæmonem appellare, quinetiam ſi ibi ponatur ipſe dæmon, eſſe Deum exiſtimare, & qui in mundo ſenſibili ſunt uſque ad lunam dij viſibiles deos appellare ſecundos: póſt atque ſecundum deos intelligibiles, ſic dependentes ab illis, vt ſplendores à ſtellis. Dæmones autem quídnam eſſe dicemus? Fortè quum anima infuſa ſit mundo, dæmonem cuiuſque animæ nuncupabimus vniuſcuiuſque veſtigium: dico autem animæ infuſæ mundo, quoniam purior anima gignit deum, eiuſque amorem deum eſſe iam diximus. At quærendum eſt,primò quidem cur nam non omnes dæmones ſint amores: deinde quopacto hi quoque non ſint à materia liberi. Fortè dæmones quidem illi ſunt amores qui gignuntur ex anima bonum pulchrúmque deſiderante:
B nempe omnes quæ hoc in mundo ſunt animæ hunc gignt amorem, reliqui verò dæmones ab anima quidem generantur & ipſi: ab ipſa inquam mundi totius anima, ſed alijs quibuſdam eius viribus generantur ad vſum uidelicet vniuerſi,implentem diſpenſantémque ſingula toti. Oportebat enim ipſam totius animam ſufficienter toti mundo præeſſe, atque ſuppetere, generantem vires dæmonum ipſius toti congruas, atque conferentes. Verùm quónam pacto & cuius materiæ dæmones participes ſunt? Non enim corporeæ, alioquin animalia ſenſibilia forent. Nam & ſi corpora aeria igneaúe accipiunt, oportet tamen naturam ipſorum prius etiam differentem eſſe, ut particeps quoque corporis fiat. Quod enim omnino purum eſt, non repentè corpori commiſcetur, quamuis opinentur multi eſſentiam dæmonis, quatenus dæmon eſt, vnà cum quodam vel aerio vel igneo corpore eſſe. Verùm cur nam eſſentia quidem dæmonum commertium habet cum corpore,deorum verò eſſentia nullum, niſi quædam ſit cauſa in ea quæ miſcetur conferens miſtioni. Quæ nam igitur cauſa? Intelligibilem oportet materiam ponere, vt quod illius eſt particeps,per illam in hanc quoque corporum materiam veniat.

C *De compoſitione amoris atque diſtinctione, & de intellectu.* *Cap.* VII.

PLato igitur in amoris generatione Porum inquit fuiſſe nectare ebrium, quando nõ dum eſſet vinum,quaſi amor ante mundum ſenſibilem ſit progenitus, & Penia mater eius participauerit naturam ipſam intelligibilem: non autem naturæ intelligibilis ſimulachrum inde velut apparens,ſed illic interfuerit commiſtáque ſit velut ex ſpecie & indefinitate quadam: quam quidem habens anima antequam conſequatur bonum, vaticinans autem aliquid eſſe bonum,ſecundum indefinitum interminatumq; ſimulachrum ſeu uiſum, amoris ſubſtantiam peperit. Ratio igitur non in ratione,ſed in appetitu indefinito & ſubſiſtentia debili iam facta, reddidit quod inde genitum eſt, neque perfectum, neq; ſufficiens,imò indigum, vtpote quod ex appetitu quodã indefinito & ratione ſufficienti genitum eſt. Eſt autem ratio hæc nequaquam pura: quippe cùm in ſe habeat appetitũ interminatum,irrationalẽ,indefinitum: nunquam enim implebitur quandiu in ſe habebit rei indeterminatæ naturã. Depẽdet autẽ ab anima,cùm ab illa velut principio prodeat. Miſtura verò quædã eſt, ex ratione non quidem in ſeipſa manente,ſed infinitati permiſta: ſiquidem non

D ipſa ratio,ſed quod micat ex ipſa, infinitati miſcetur. Eſt itaq; amor velut aſilus quidam indigus ſuapte natura,ideoq; etiã potitus iterũ eſt egenus. Non enim naturam habet quæ poſsit impleri:quippe cũ miſtura quædam ſit,miſtura verò talis propterea quòd non poſsidet,non impletur: ſolum enim reuera impletur quod ſuapte natura iam eſt plenũ. Quòd autem ob inſitam indigentiam concupiſcit,etiam ſi ſubitò impleatur minimè retinet: quandoquidẽ ingenioſa amoris induſtria ab indigentia proficiſcitur. Facultas cõparandi ſiue ſuppeditandi ob ipſam rationis naturam ineſſe videtur:oportet etiam omne dæmonũ genus tale quiddam ex talibusq; conſtitui. Horũ namq; quodlibet ad quod ordinatũ eſt,eiuſdem cõparandi, ſuppeditandi, appetendi naturam habet,atque hac ratione eſt amori cognatũ,ipſumq; non plenũ, ſed alicuius boni particularis auidum:quò efficitur,vt & qui hîc boni ſunt,quem habent amorẽ, ipſius ſimpliciter veri boni habeant, neq; quendam duntaxat amorem. Qui verò ſecundum alios dæmones ordinati ſunt,ſecundũ alium aliumúe dæmonẽ diſponãtur, quẽ ſimpliciter habuerant,ocioſum iã dimittentes. operantes autẽ ſecundum alium dæmonem,quẽ elegerunt ſecundum partem animæ cum illa concordẽ quæ operatur in ipſis. Qui verò mala cupiunt prauis iã conceptis cupiditatibus, omnes in ſe amores impediſſe atq; ligaſſe videntur:quemadmodũ rectam quoque
E rationẽ ſi qua innata eſt,malis aliquando contractis opinionibus occupare conſueuerũt. Quã obrem amores qui natura inſunt atque ſecundum naturã boni ſunt, & inferioris quidẽ animæ amores,dignitate potentiaq; inferiores ſunt,ſuperioris autem, ſuperiores: omnes deniq; in eſſentia collocati. Qui autẽ præter naturam accidunt,paſsiones quædam ſunt aberrantium,neq; eſſentia vllo modo,neq; ſubſiſtentiæ vllæ eſſentiales:quippe cũ non ab ipſa anima facti ſint, ſed vitium animæ comitentur,generantis videlicet ſimilia quædã pro affectu habituq; contracto. Probabile verò eſt omnino vera quidem bona,quæ agit anima quoties ſecuudum naturã agit in rebus ratione determinatis eſſentiã eſſe: alia verò animã ex ſeipſa non agere,ideoq; nec aliud quicquã eſſe quã paſsiones. Sicut & intelligentiæ falſæ ſe habent,non habentes ſub ſeipſis eſſentias,quales habent reuera intelligentiæ veræ,ſempiternæ,determinatæ:habentes ſimul intelligere,intelligibileq; & eſſe,non ſolũ in eo quòd ſimpliciter ſe habet,ſed etiã in vnoquoq; circa ipſum reuera intelligibile,& intellectũ in vnaquaq; ſpecie:quin etiam in vnoquoq; noſtrûm conſtat purè ineſſe intelligentiã, atq; intelligibile, nec ſimul quidẽ,& noſtrum id atq; ſimpliciter,vnde amor nobis ineſt ad ſimplicia quoq; & vniuerſalia tendens:quippe cũ tales etiam intelligentiæ inſint. Ac
F ſi cuiuſdã particularis adſit intelligentia,ſecundũ accidens adeſſe videtur: quẽ admodum de proprio hoc triangulo intelligit quis rectos angulos duos habere,quatenus triangulum ipſum ſimpliciter habere duos rectos intelligit.

De Ioue,& hortis eius,& Venere, & Poro,& Penia, & Amore. Cap. VIII.

CAeterùm quis nãhic eſt Iupiter? in cuius hortos Plato Porum dicit ingreſſum. Quiúe hi horti ſunt? Venus quidẽ vt iã cõueniemus,anima eſt: Porus autẽ omniũ ratio. Reliquum eſt,quid louem. quidúe Iouis hortos ſignificare velit,aperiamus. Iouem profectò eſſe animã nullo modo dicendũ,cùm iam animã eſſe Venerem conceſſerimus:imò verò Iouẽ à Platone hîc nominatũ debemus accipere ex Phedro quidẽ magnum illum ducẽ,quẽ ſcilicet deſcribit in Phedro alibi verò quẽ tertium ponit deum: ſed planius in Philebo,quãdo dicit in Ioue eſſe regiã quidem animam, regium inſuper intellectũ. Si ergo Iupiter magnus eſt intellectus & anima,atq; in numero diſponitur cauſarũ, diſponi uerò ſecundũ id quod excellentius eſt oportet,& ob alia multa,& quia cauſa eſt,cauſaque

regia

A regia atq; ducens, ſi inq; ita eſt, Iupiter quidē ſecundū intellectum erit, Venus autē quæ ipſius eſt, & ex ipſo, atq; cum ipſo, ſecundū animā collocabitur, ſcilicet ſecundū ſpecioſum ſplendidūq;, & ſecundū id quod in anima eſt, ſincerū, innocuū, delicatum: ex quibus omnibus anima Venus cognominatur. Etenim ſi ſecundū intellectum quidē in deorum numero maſculos iudicamus, ſecundū verò eorundē animas ſolemus fœminas nominare: quippe cùm cuilibet intellectui cohæreat anima, meritò hanc inſuper ratione anima Iouis erit Venus: præſertim cū huic ratione ſacerdotum quoq; theologorumq; teſtimonia ſuffragētur. Hi nempe pro eodē accipiunt numine Venerem atq; Iunonem, ac ſtellam in cęlo Veneris, ſtellam Iunonis appellant.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. IX.

POrus igitur cū ſit ratio quædā eorū quæ in mundo intelligibili intellectuq; sūt, ratio inq; iā latius explicata, nimirū circa animā fit, atq; in anima. Quod enim in intellectu collectū eſt, neq; ab alio manat in ipſum, id iā in Poro inde ebrio ſignificat aduentitiā plenitudinē: quod autē illiç eſt, implens nectare Porū quid nam eſt: Profectò eſt ratio à ſuperiori principio defluens ad inferius: quā-
B obrē ab intellectu in anima ratio hæc cōcipitur, quando Venus nata dicitur, ac dū cōcipitur in Iouis hortos fluere iudicatur. Hortus verò omnis eſt ſplēdor & copiæ decus. Refulgent verò Iouis horti ratione, ornamētaq; Iouis ſunt ſplēdores ab ipſius intellectu in animā emiſſātes. Quid enim aliud Iouis horti ſignificare poſſunt quā imagines ſplendoresq; ipſius? Quid rurſus ſplendores ornamētaq; Iouis ſunt, niſi rationes ab ipſo fluentes: ſimul autē rationes dicuntur Porus ideſt, affluentia felix, theſaurusq; diuitiarū pulcherrimarum iam palā & perſpicuè refulgentiū. Iā verò id ipſum eſt ebriū nectare fieri. Quid enim aliud apud deos eſt nectar, quā quod deus aliquis haurit: quod autem menti ſubeſt, mentis haurit rationē. Mens autē ipſa iā ſatura conquieſcit: cūq; iā poſſideat, meritò ebria nō euadit: quippe cū nihil habeat peregrinū. ratio verò, ples eſt mētis poſt mentē ſubſidens, nec amplius ſui ipſius exiſtens, ſed in alio iacēs, in horto Iouis (vt fertur) & tunc quidē, quando Veneris natalia celebrantur, ideſt, naſcēte Venere. Oportet autē fabulas ſi modò futurę ſint fabuę, nec procul à vero, temporibus quæ narrant diuidere, multaq; à ſe inuicē ſegregare, quæ ſimul quidē ſint tumpore: ordine verò & potentia diſcrepent: quando quidē & rationes atq; ſermones inducere generationes ingenitorū conſueuerunt: & quæ ſimul exiſtūt
C diſcernere: atq; poſtquā pro viribus docuerunt, intellecturis cōnectere, quæ diuiſerant iam concedere ſolent. Cōnexio verò ſummaq; noſtra in præſentia eſt eiuſmodi. Anima cū mente ſimul exiſtens & ab ipſa mente ſubſiſtens: rurſus rationibus hinc imbuta, ipſaq; pulchra pulchris admodū exornata, affluentiaq; luxurians, adeo vt in ea iā ſplendores varios liceat contueri pulchrorūq́ue omniū ſimulachra: id inquam totū Venus ipſa cenſetur. Rationes autē omnes in ea appellantur Porus, ideſt, affluentia felix, à ſuperno nectare profluens: at verò ſplēdores in ea quatenus in ipſa vita micāt, Iouis horti dicūtur. Vbi & Porus iacere traditur, his iā grauatus, quibus fertur imbutus. Cùm verò vita in ordine rerum micat, imò verò ſemper ea micante diį cōuiuio diſcūbere iudicātur: vtpotę quí eiuſmodi quadā felicitate fruantur. Amor autē neceſſariò ita ſemper extitit quā diu & anima, ex appetitu animæ ad præſtantius bonūq; profectus. Eſt autem res quædā miſta, particeps quidē indigentiæ, quatenus affectat impleri, neque tamen expers copiæ, q̄tenus reſiduū eius quod habet expoſcit. Si enim expers boni foret omnino, nunq; bonum appeteret: quamobrem ex affluentia ſimul atq; penuria narratur exortus. Quinetiā defectus appetitusq; ſimul atq; memoria rationū conſpirantes in anima, actū erga bonū qui amor dicitur genuerunt.

D Mater autem eius eſt penuria, quoniam appetitio ſemper eſt indigentis. Materia verò eſt ipſa penuria, quoniam materia omnium eſt egena. Quin etiam indeterminata natura appetitionis vergentis ad bonum declarat id ipſum quod appetit, quatenus appetit magis vicem habere materiæ: neque enim forma, neque ratio adhuc in eo quod bonum appetit, qua ratione appetit, eſſe videtur. Quantum tamen ad ſeipſum ſpectat, ſpecies tantúm eſt, permanens in ſeipſa, ſimúlque affectans accipere naturam ſuam bonum adhuc accepturam, comparat ad occurrens bonum iam quaſi materiam. Amor denique ſic eſt materiæ particeps, taliſqúe dæmon ex anima, quatenus bono quidem quodammodo caret, ſed appetit procreatus.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM QVOD INCORPOREA NON PATIANTVR.

SVMMA LIBRI.

E SVMMA libri huius eſt aſſerere rem incorpoream pati non poſſe. Rem quidem incorpoream appellat, quæ uel nullam in ſua ratione quantitatem includit, quamuis eam extrinſecus accipere ualeat. hæc autem materia eſt. Vel quantitatem prorſus excludit. hæc autem eſt mens & anima. Præterea paſsionem eſſe uult mutationem, quæ ſubſtantiã perdere ualeat, ſiue diuiſione contingat: qualis accidit quantitati rebusq; neceſſariam habentibus quantitatem, ſiue cõtingat alteratione, qualis accidit contrarijs inter ſe qualitatibus, atque inſuper formis, quas neceſſariò qualitates eiuſmodi comitantur. Igitur tam materia prima, quàm anima res eſt incorporea, neque quantitatem, neque qualitatem eiuſmodi propriam ſibi uendicans, ideoq; à paſsione ſeiungitur: ac multò magis anima quàm materia. Anima enim non ſolùm formas non admittit pernitioſas, uerumetiam nec nouas aliquando qualeſcunque ſint, formas uidetur accipere. Multa igitur in ſequentibus de immutabili animæ rationalis eſſentia, deq; partibus eius, nonnulla inſuper de eſſentia prima, plurima de illius oppoſito, ideſt, de prima materia diſputantur, quatenus id denique confirmetur, rem incorpoream eſſe paſsionis expertem.

Anima neque patitur, neque formas qualitatesúe ſuſcipit. Item de duplici imaginatione.

F IN prima igitur libri parte quæ capita quinque continet, oſtendit animam non eſſe paſsioni ſubiectam: in ſecunda deinceps oſtendet ſimile aliquid de materia. Quantum uerò ad primam ſpectat, animaduertes nullam incidere à corporibus impulſionem uel qualitatem in potentia animæ cognoſcentẽ. Siue enim modo quodã naturali, & ut ita dicã inciderit materiali, confunderetur cognitio & diſcretio protinus: & iudicium, ſiue imaginali quadã conditione ſaltem id eueniet, ut corpora forment animam, quod dictu nefas: nam ad animam tanquam ſuperiorem ſpectat formare corpora non inde formari. Omnino uerò omnis cognitio & affectus animæ etiam ad corporalia uergẽs, eſt actio quædam animæ circa talia, neque interim patitur inde. Neque enim conuenit cum corporibus in materia, qualis communio ſolet aliquam paſsionis uiciſsitudinem in agente committere. Quid igitur eſt ſentire? Eſt quidem in anima hoc ipſum ſcilicet adhibere ſeipſam, & expedire uim ſuam circa illa ad quæ habet eſſentiam conſentaneam & naturaliter aptam: recordari quoque ſimiliter, eſt expeditiſsimè hoc ipſum efficere. Nulla igitur potentia cognoſcendi per nouas formatur imagines, ſed intellectus quidem actu ſemper eſt illa ipſa quæ cognoſcit: ratio uerò & phantaſia ex eo ſtatu in quo ſunt ſecundum potentiam illa quæ ab ipſis excogitanda ſunt, actu quandoque fiunt illa, quæ ſecundum actum in intellectu ſunt ſemper. Senſus exterior percipit ſentienda, non accipit. Vegetatiua nutrit, mouetq;, neque nutritur interea uel mouetur. Hęc omnia confirmat Porphyrius, oſtendens quando anima dicitur pati, hanc ipſam paſsionem non eſſe alterationem ullam in natu-

A ra uel aliqua qualitate, ſed accommodationem quandam & affectionem animæ ad rem hanc, aut illam, eſſeq; id aliquã actionẽ animæ circa externa, ſed anguſtam, quando ſcilicet ſuæ potentiæ affectúsque amplitudinem ipſamet contraxit ad anguſtum. Concluditque Porphyrius, omnes animæ qui dicuntur motus, non eſſe propriè motus in anima, ſed in corpore: & in anima quidem eſſe actiones, in corpore uerò eoſdem fieri paſsiones. Addit, actus uegetationis & ſenſus atque memoriæ non imaginales eſſe, ſed ita quodammodo naturales, ut calefacere, calere, illuminare, lucere. eadem Plotinus exiſtimat. Notabis interea uirtutem communiter in anima duplicem: alteram quidem uelut priuatam, ſcilicet alicui partium animæ propriam: hæc autem eſt, ut quælibet ritè ſuum officium peragat: alteram uerò quaſi publicam, ſcilicet, ut cunctæ partes inuicem ritè concinant, à mente regatur ratio, huic irrationales ſubinde uires obtemperent, inter quas concupiſcentia ſubſit audaciæ. Neutra uirtus eſt uelut qualitas animæ impreſſa ſicut ſubiecto, ſimiliter neque uitium, ſed eſt potius uelut motus & actus, horúmque uacatio. Si qua uerò in nobis eſt qualitas, uel aliunde impreſſa per modum naturæ imaginisúe, uel actionibus acquiſita, eiuſmodi quidem non eſt in anima, ſed in corpore potius, ſic propriè, aut ſic affecto, in quo & formationes paſsionésque fiunt, dum anima uegetat, ſentit, afficitur, atque iudicat. Nulla denique in anima mutatio fit niſi progreſsio à potentia quædã in actum: atquæ hæc quidem nõ ab alio motore, ſed ab ipſamet anima: neque rurſum in actum, qui adueniat quaſi qualitas, ſed qui prodeat uelut actio. Si qua uerò pars animæ paſsiua dicitur, non ſubiectum aliquid paſsionibus corporalibus intelligitur, ſed principium paſsionum. Animaduertes iterum duplicem in nobis imaginationem: primam quidem in anima rationali diſcurſionis & iudicij compotem, ſimilem quodammodo rationi: ſecundam uerò ab hac impreſſam in anima ſeu uita in nobis ratione carente, quæ ſanè imaginatio non tam diſcurſione utitur, quàm fertur inſtinctu quamuis intimo: ſed circa corporis paſsiones, quæ tanquam communis ſenſus principium eſt ſenſuum reliquorum. Ponit quandoque Plotinus per translationem quandam imaginationem in parte etiam uegetali, quæ neq; ſit diſcurſio per formas, ſicut prima, neq; intuitus formæ, ut ſecunda: ſed formæ intus uigentis expreſsio in ſeipſa, perq; hanc impreſsio in materiam, ubi naturalis actio eſt tanquam imaginatio quædam ſubſtantialis agens, nequaquam imaginando. Hic quoque notabis à facultate animæ uegetali facultatem concupiſcendi iraſcendiq; puilulare: quemadmodum ab intellectu naturaliter ratio profluit, & ſubinde imaginatio prima, à qua profluit & ſecunda.

B

Quòd in uera eſſentia continetur uita & intellectus: Item de uno quod eſt ſuper eſſentiam. & de uno quod eſt infra eam.

IN capite ſexto notabis, ens uerum eſſe illud quod omnino eſt ens, ideſt, cui non deeſt aliquid ad perfectionem eſſentiæ neceſſarium: eſſentia uerò perfecta actum intimũ & perennem ſui ipſius includit, ideſt, uitam, atq; hunc quidem exigit maximè intimum. Talis autẽ eſt, ſi intelligentia fuerit: hæc enim eſt uitæ reflexio in eſſentiã. Ex prima ergo eſſentia uelut ex radice pullulat in ſeipſam uita ſimul & intellectus: ſed germen eiuſmodi eatenus ex ea naſcitur, quatenus fœcunditatẽ habet ex ipſo bono, communem dico ceu uitis ex ſole. Vt autem fœcunditas hæc ad uitam propriè intellectumq; diſtinguatur, ex ipſamet eſſentia prouenit, ceu ex uite factum eſt, ut uirtus ſolis determinetur ad uuam. Munera igitur uiuendi, intelligendiq;, & ſimilia, ex ipſo quidem bono, uelut principio communiſsimo atque fine, ex ipſa uerò eſſentia prima profluunt, uelut ex radice propria, & quadam poteſtate formali. Proinde uerum ens ueramq; eſſentiam Plotinus hic non ſolũ accipit ens ipſum, omnium caput entium, ſed etiam omnem formam habentem eſſe ſuum, atque exiſtere in eſſentia propria, ideóque à materia ſeparabilem, in qua propterea nulla eſt potentia & procliuitas ad non eſſe, nulla miſcetur aliena natura: nihil deeſt ad ſuam exiſtentiam neceſſarium, potentia ſpeciei redacta eſt ſemper in actũ: in qua rurſum una cũ eſſentia pariter uita & intellectus includitur. Eiuſmodi ſunt intellectus omnes & intellectuales animæ, in genere ueri entis connumerata. Nam formæ ſenſibiles inſeparabiles à materia, entia non uera dicuntur ob contrarias earum quas hic diximus rationes. Cũ uerò materia longius admodũ à prima rerũ forma diſtet, quã formæ ſenſibiles, atque hæ non uerè entia nũcupentur, nimirũ ipſa uerè nõ ens appellari à Plotino & Porphyrio cõſueuit: quoniã formale in ſeipſa nihil includit, ſed, prſus excludit. Eſſe uerò formæ munus eſt: ſiquidem eſſentia prima idẽ eſt quod & prima forma naturaliter omniformis. Huc adducenda ſunt quæ de ipſo uno in Parmenide tũ negãtur, tũ iterũ affirmantur: & quæ in Sophiſte de ente ſimiliter atq; nõ ente. Vnũ ergo tribus præcipuè modis accipies: aut quod cũ ente uidetur æquari: aut quod ente ſuperius eſt, aut quod eſt inferius. De uno quidẽ quod enti æquale eſt, præcipuè de ipſo ente primo, omnes rerum ſpecies proprietatéſque pariter affirmantur. Eſt enim fons entium omnium, & exemplar,

C

D De hoc ergo dici ſolet, eſt idem & alterum ſtabile, mobile, æquale, inæquale, magnum, paruum atque ſimilia. Sunt enim hic ideales omnium rationes. De uno autem ſupremo hæc ſimiliter negantur omnia: eſt enim illic non horum forma, ſed cauſa. De uno tandem infimo, ideſt materia, omnia hæc æquè negantur: nihil enim habet in ſe ipſa formale.

Quòd naturalia non ſint entia uera, & quòd materia dicatur non ens, & inſtar ſpeculi uideatur habere formas, quas non habet ueras.

Inter hæc ubi ait naturalia non tam eſſe reuera, quàm eſſe uideri, introducit Epicuream quandam obiectionem qua cõtenditur, res quæ corpulentæ ſunt, ſolas ueram eſſentiam poſsidere, idque è duobus patere præcipuè, tum quia ſoliditate ſua diuidenti reſiſtunt, tum quia uehementer obiecta percutiunt. Reſpondetur ad primum, corpora eiuſmodi dura dum uidentur reſiſtere, diutius percutienti ſunt expoſita, ictúmque exſpectant, propterea quòd ineptiſsima ſint ad fugam, ac propter eandem ad motum ineptitudinem inefficacémque naturam, poſtquam diuiſa ſunt in partes, in priorẽ formam redire non poſſunt: corpora uerò ſubtiliora ubi cedere percutiẽti uidentur, propter mirabilem efficaciam ſubterfugium celerrimè paſsionem, atque ob eandem ſimiliter efficaciam ſubitò redeunt in ſe ipſa. Denique quum motus in rebus ſit actio quædam, uitæque plurimum interioris indicium, & ubique ſit uitæ ueſtigium, & quæ minimè corpulenta ſunt promptiſsima ſint ad motum, conſequens eſt quatenus ad incorpoream naturam res accedunt, eatenus ad uitam
E motionis & efficaciæ compotem, ideóque ad eſſentiam accedere ueram, corpulenta uerò ab eſſentia cadere: qua in parte reſpondetur ſimiliter ad ſecundum ſcilicet corpulenta, quando in aliquid incidunt lædere grauius, non quia firmiora ſint, ſed quoniã ſint prorſus infirma, adeo ut ſe ſuſtinere non ualeant, ideóque ipſa ſui ruina caſúque proxima quæque lædant. Nam & qui ad æquitatum ineptiſsimi ſunt, hi equos premunt potiſsimum atque defatigant: & languentia corpora geſtantibus oneroſiſsima eſſe ſolent. Poſt hæc, memento materiam quidem eſſe inanem eſſentiæ primæ umbram, formas uerò materiales eſſe uarias imagines idearum, quæ in prima continentur eſſentia, nullam habentes cum illis ſimilitudinem in natura, quamuis in effectu repreſentandi ſimilitudinẽ aliquam uideantur habere. Atque ideo materiam inſtar ſpeculi, dum uel ſolas imagines accipit, uel fortè nec iſtas quidem accipit ſed uidetur accipere, reuera nihil pati, præſertim quoniam materia in aliud cum ipſa ſit ultimum, reſolui non poteſt, ideóque nec pati. Huic ſanè nulla formarum contraria eſt, cũ omnibus æquè naturaliter ſit expoſita. A nulla igitur pati poteſt: quandoquidem nec quæ in materia fiunt quælibet à quibuslibet, ſed à contrarijs patiuntur. Item materia ex præſentia formę nullam ſibi propriam qualitatem contrahit, uel uirtutem, & iccirco non patitur: alioquin iamdin facta eſſet familiariter multiformis, ideóque non foret amplius ſubiectum communiſsimum, ab omnibus æquè formabile. Iam uerò ſi in qualibet alteratione ipſam ſubiecti ſubſtantiam permanere oportet, qualitatibus interim permutatis, multò magis in tranſmutatione mundana neceſſe eſt materiam permanere. Denique quum ſubſtantiale aliquid in nihilum reſolui ipſa naturæ bonitas minimè patiatur, ſubſtantiæ uerò ſimplices nequeant in aliud quandoque reſolui: meritò neque formæ ſimplices in ſe ſubſiſtentes, neque materia ſimplex perire aliquando patiũe poſſunt. Materia utique quum ſit malum, ideſt, maximè diſtans ab ipſo bono, non ſic appetit bonum, ut naturale aliquid inde ſibi uendicet, ſed ut quandam imaginariam inde ueſtem induat, atque fallat: & quo magis in ſua informitate permanet, eò magis eſt mala, ſiue malum: neque calefit materia, ſed compoſitum: ipſa uerò calorem ſuſtinet, mox depoſitura calorem quaſi ueſtem minimè permutata natura. Rurſum quando diuiditur aliquid, quantitas & quod hanc ſequitur diuiditur, non materia quæ quantitatem natura præcedit. Atqui quemadmodum in proceſsione colorum, poſtremum, ideſt, nigredo, nihil habet primi, ideſt, albedinis, ſic materia ultimum in ipſo entium deſcenſu, nihil uel intra ſe poſsidet ſimile primo, uel in facie ſuſcipit aliquid de natura primi, ſed imitamina quædam duntaxat inania. Atque propter extremam ad primum diuerſitatem, nullum ex imaginum illius præſentia ſaporem entis ſibi familiariter uendicat uel odorem, ut ad quaslibet formas in poſterum aduenturas, quantumcunque repugnent prioribus, ipſa ſit ad capiendum æquè parata. Maximè uerò inter hæc id obſeruabis, quod ait naturalia ſi cum diuinis comparentur, non maiorem habere ſubſtantiam, quàm imagines corporum in ſpeculis apparentes. Nec aliter hæc à diuinis perpetuò dependere, quàm imagines ab obiectis. Huc Salomonis illud tendit: Omnia uanitas. Huc illud Pauli: Videmus nunc per ſpeculum in enigmate. Sed quoniam nunc & corpora uidemus, & ſpeculum: à quibus in quo imagines omnino dependent, ideo ipſam in ſe

imaginum deprehẽdimus uanitatem, alioquin niſi uideremus illa, hanc redarguere non poſſemus: ſed quæ imagines ſunt, eſſe res ueras arbitraremur: ſicut & nunc quæ naturalia nominantur ueras eſſe ſubſtantias opinamur, quoniam neque diuina, neque materiam aſpicere poſſumus, à quibus in quaſi ceu ſimulachra ab obiectis in ſpeculum proſiliunt atque reſiliunt. Profectò uel ſicut putant phyſici imagines rerum ipſæ ſunt in ſpeculis, uel ſicut perſpectiui tradunt nullæ in ſpeculis ſunt imagines, ſed radij rerum in ſpeculum incidunt, atque inde ſi ijdem reflectantur ad oculum. Quod accidit, ubi ad pares angulos reflectuntur, tunc res ipſæ per eiuſmodi ſuos radios oculis ita redduntur, ut tamen ſenſus ibi fallatur, putans alibi ſe res uidere quàm uideat, quomodocunque uerò res ſe habeat, qualis eſt comparatio ſpeculi ad res uiſibiles atque uiſum, talem eſſe Plotinus uult atque Porphyrius materiæ ad res diuinas, & ſenſum: quam ſanè materiam uelut ipſi enti prorſus oppoſitam, exiſtimant radios actúsque primi entis & mentis, non quidem intus admittere, ſed ceu denſum quoddam & propter diuerſitatem entibus inuium repercutere protinus actus eorum, atque hac ipſa quaſi reuerberatione apparere ſenſibus quaſi ſenſibilia, quæ in ſeipſis intelligibilia ſunt, adeo ut putemus in materia nos inſpicere quæ in primo ente intellectúque ſunt, atque inde mouent animum ut cognoſcat: denique quoniam ipſa entia uel ideæ, dum in materiam agunt, neque de natura ſua quicquam amittunt, neque de ſtatu mouentur, neque in proportione uel affectu conueniunt cum materia: ideo quod dari uidetur inde uelut inane debiliſsimúmque materiali ſemper hac indiget ſede. Atque interim materia hæc quia nec uerum aliquid accipit unquam, neq; qualecunque uidetur accipere, ob naturalem falſitatem uerè accipit, ideo impletur nunquam, ſed ſemper affectans tranſmutationi perpetuæ præbet occaſionem.

B *Quantum anima materiam ſuperemineat, & quomodo certa quantitas materiæ ſequatur modum cuiuslibet ſpeciei in materiam uenientis.*

QVando lignum hoc eſſe dicitur extra lignum illud, ſeiuncta ſunt duo hæc inter ſe non multùm, quoniam per terminos externos tantùm, ſpecie uerò coniuncta ſunt inuicem. Magis ergo ignis eſt extra aquam: non ſolùm enim exterioribus terminis, ſed qualitatibus contrarijs ſeiũguntur: quoniam uerò & genere conueniunt, & materia poſſunt quandoq; miſceri: at anima toto genere à materia ſeparatur, ideóque quamuis materiam penetret, longius tamen eſt extra materiam. Ideóque formas quas anima mundi ab intellectu diuino nacta nititur per ſeminariam uirtutem in materiam ubique traducere, materia ſecum conciliare non poteſt, neque miſcere ſibi, quamuis illæ inuicem miſceantur. Tum uerò materia ſicut ſuapte natura formarum eſt omnium expers, ita etiam quantitatis: hæc enim eſt forma quædam. & quoniam quantitas eſt poſtrema formarum, ideirco certa quædam quantitas & figura rebus ſecundum ſpeciei formæque præcipuè modum à mente & anima deſtinatur. In formalibus igitur rationibus ſpecierum in mente & anima exiſtentibus, incluſa eſt atque definita certa quantitas & figura, quæ unamquanque ſpeciem comitatur. In ratione quidem hominis formali uel equi decreta eſt hominis quantitas aut equi. Expeditur autem quantitas hæc in effectum ob efficaciam rationis ubique formalis, motúmque eius quendam in actione, atque propter proceſsionem formæ naturalis emanantis ab ea. Hac igitur efficacia, motione, proceſsione ſuper materiæ faciem producitur in molem ipſa materia, tantam uidelicet quantam exigit ipſa forma, tum mundana mundo, tum humana homini
C tum leonina leoni. Et ſicut unà cum qualibet ſpecie propria uenit quantitas in materiam, ſic & abit unà cum ſpecie, & ad nouæ deinceps ſpeciei aduentum noua fit quantitas ſicut & qualitas propria ſpeciei. producitur autem quantitas in materia ſecundum diſtantiam ex quantitate uirtutis agentis motúque formali. Materia quidem ob ſuam debilitatem nequit eiuſmodi deuitare, motum uel abſque tali quadam diſtractione ſuſcipere formas. Anima uerò quoniam & ipſa forma quædã eſt, ſpecieſq; ſubſiſtens, ideo cunctas rerum ſpecies in eodẽ quaſi centro cõplectitur. Formas enim illas forma hæc accipit modo formæ: formarũ uerò modus eſt, ut tũ unaquæq; uelut ſimplex in quolibet ſui collecta ſit tota, tum cunctæ in qualibet facillimè concludantur. Hinc rurſus efficitur ut ratio noſtra poſsit formas tũ abiq; multitudine numerili in ipſa ſpeciei unitate cõprehendere, tum à quantitatis dimenſione ſecernere. At materia cum extenſione quadã ſemper accipit formas, quoniam ad motum formæ ſuper eam diuinitus procedentis, ubiq; pertrahitur, natura eius interim libenter pertractioni cedente, paratq; cuilibet ubiq; molí: quoniam propriam ſibi nullã poſsidet molem. Ac dum in dimenſionem per totũ extenditur mundi ſpatium, non diuiditur in materias plures ſed unica reſtat atq; continua, tum quia non eſt obnoxia paſsioni, tũ quia non in uita, ſed libens poteſtatem ſequitur extendentẽ, & ab una extenditur ratione ad unam uniuerſi formam. Hæc utique quaſi mundi mater eſt, ac minus etiam eſt, quã mater. Pater autẽ eſt Mercurius ille antiquus, quem

D esſe uolunt, tum ſeminariam mundi rationem in ipſa animæ mundanæ natura, tum etiam rationem omnium idealem in mente diuina. Et reuera idealis ipſa ratio pater eſt uniuerſi: ſeminalis autẽ ratio mater, quatenus cõmertium habet aliquod cũ materia, deſuperq; repletur. Materia uerò matrix & locus eſt potius generationis atq; ſuſceptaculũ. Tu uerò memento in planeta Mercurio eſſe tum donum contemplationis à mente diuina, tum actionis à natura mundi, atq; hinc ab eo dari ingeniũ uel contemplationibus uel actionibus, & artibus aptum, uel quandoque ſtrenuũ ad utrunq;. Si Saturnum trino ſextiliue aſpexerit, uel eius domicilium occupauerit, fauet contemplationi potiſsimũ: ſi Martem aſpexerit, aſpirat potius actioni: ſi Iouem utrique feliciter afflat officio. ſi Venerem intuetur, ſuauitatem ingenij eloquijq; ſimul ornatumq; deſignat.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEXTVS

DE IMPASSIBILITATE INCORPOREORVM.

Anima ſentiendo & uiuificando paſſiones corporis ipſa non patitur. Cap. Primum.

E SI ſenſus dicamus non eſſe paſsiones, ſed actiones, iudiciaq; circa paſsiones, quæ quidem paſsiones circa aliud quiddam fiãt velut forſan circa corpus tale, iudicium verò fit in anima: neq; ipſum paſsio ſit, alioquin oporteat aliud quoque iudiciũ eſſe, atque per infinitum progredi. Si inquam ita dicamus, nihilominus & hîc dubitare continget, utrum iudicium ipſum qua ratione iudiciũ eſt, nihil habeat illius in ſe de quo iudicatur, an formam eius quã dam, quã ſi habeat iam paſſum fuiſſe uidebitur. Licet tamen dicere de his quæ formationes ſenſuum vel ipſius intelligentiæ nuncupantur, longè aliter fieri, q̃ à pleriſque exiſtimetur: quod præcipuè in intelligentijs ipſis apparet, quæ quidem ipſe quoque ſunt actiones, potentes aliquid abſque paſsione cognoſcere. Omnino verò noſtra tum ratio tum voluntas optat, ne anima talibus conuerſionibus mutationibúsq; ſubdatur, quales ſunt calefactiones frigefactionésq; corporum. Oportet quinetiam de parte animæ quæ paſsiua dicitur diligenter conſiderare, utrum hanc quoque immutabilem fateamur, an ſoli huic paſsionem aliquam concedamus: ſed de hoc in ſequentibus. Nunc verò priorum dubitationes diſcutiamus. Ambigitur ſanè quonam pacto immutabile poſsit eſſe etiam
F quod eſt antè paſsiuum atque ſenſum, & omnino quodcunque ſit animę, quandoquidem prauitas in ea fiat, & falſa ſæpe opinio ignorantiáque cõtingat. Rurſus conformitas & difformitas dum gaudet, mœret, iraſcitur, inuidet, emulatur, affectat: quieſcit nuſquam quolibet incidente, mouetur & permutatur. Verùm ſi anima corpus eſt, habétque magnitudinem, difficilè eſt, imò etiam impoſsibile, eam impaſsibilem immutabilémque oſtendere in quouis eorum, quæ circa ipſam dicuntur accidere. Sin autem eſt eſſentia magnitudinis expers, oportétq; dotem illi incoruptibilem non deeſſe, cauendum eſt tales illi concedere paſsiones, ne forſan inſcij eam eſſe corruptibilem concedamus. Tum verò ſiue numerus ſiue ratio (vt ſolemus dicere) eius eſſentia eſt, quonam pacto paſsio vlla numero vel rationi continget? ſed potius rationes irrationales & impaſsibiles paſsiones in ea fieri eſt putandum, atque hæc à corporibus in eam translata, per oppoſitionem accipienda ſunt ſingula, & ſecundum analogicam proportionẽ quaſi traducta, adeo vt anima habens hęc non habeat, & patiens non patiatur. & quis talium modus ſit, cogitandum.

Quid

A

Quid uirtus, quid prauitas, & quòd non ſint uelut qualitates in anima, ſed ut actus. Cap. II.

PRincipio de virtute vitioq; dicendum, quidnam fiat, quando vitium ineſſe animæ dicitur: etenim ſæpe ſolemus dicere, oportere à vitioſo auferre non nihil, quaſi aliquid ſit in ipſo mali: item adhibere virtutem atque ornare, & honeſtatem pro turpitudine præcedenti adducere. Nunquid igitur ſi dicamus virtutem eſſe conſonantiam quandam, vitium verò diſſonantiam, opinionem antiquis conſonam in medium adducemus? ac præterea ad id quod quærimus admodum conducemus. Si enim virtus eſt hoc ipſum, ſcilicet partes animæ eſſe ſecundum naturam inter ſe concordes, vitium verò eſſe diſcordes: nihil vtique aduentitiũ, nihil aliunde nobis aduenier, ſed pars quælibet qualis in ſe eſt, concentum ingredietur: neque ingredietur in diſſonantiam ſic ſe habens, quemadmodum tripudiatores ſaltantes, & inuicem concinentes: & ſi non ijdem ſint, & ſolus quis canens cæteris non canentibus, & quolibet ſecundum ſe cantante. Non enim oportet cõcinere ſolùm, verumetiam quemlibet quantum ad ſe pertinet, muſica propria ritè cantare, adeò vt & illic in anima conſonantia ſit, quando pars quælibet quod ſibi eſt conſentaneum peragit. Oportet ſanè ante con-

B ſonantiam ipſam aliam vniuſcuiuſque partis virtutem eſſe, vel aliam prauitatem ante mutuam diſſonantiam. Quonam igitur præſente quælibet pars eſt mala? Forſan prauitate præſente. Quo rurſus bona? præſente virtute. In parte quidem rationali ſiquis inſcitiam eſſe prauitatem eius confiteatur, inſcitiam inquam, per negationem ſcientiæ, nullius ob hoc præſentiam afferet. At quando falſæ quoque opiniones inſunt, quæ quidem potiſsimum faciunt prauitatem, quidnam prohibebit, aliquid illic intus fieri? atque ita ipſam animę partem fuiſſe iam in qualitatem aliquam permutatam. Præterea iraſcendi natura nónne aliter affecta eſt quãdo meticuloſa eſt, aliter autem quando eſt fortis? Item vis concupiſcendi quando intemperata eſt, aliter eſt diſpoſita, quàm quando eſt temperata. Fortè verò vbi quodlibet virtute præditum iudicatur, agit tunc ſecundum eam eſſentiam, qua quod eſt exiſtit: idq; eſſe dicimus rationi obtemperare: & facultas quidem rationalis ab intellectu regitur, reliquæ verò à ratione. Fortè etiam rationi obtemperare eſt quaſi videre, dum videlicet quod obtemperat videtq;, non figuratur quidem, ſed intuetur, actuq; exiſtit quando videt. Sicut viſus & potentia & actu exiſtens, vna eadémque eſſentia eſt: actus autem non eſt alteratio, ſed ſimul ad id ſe adhibet ad quod eſſentiam habet ac-

C commodatam atque cernit, & procul à paſsione cognoſcit. Quinetiam ratiocinandi facultas ita ſe habet ad intellectum atque videt, & potentia intelligendi tale quiddam eſt, non quòd intus impreſsiones velut à ſigillo ſuſcipiat, ſed habet quod videt, rurſusq; non habet. Habet enim ex eo quòd cognoſcit, non habet autem propterea q; nihil à ſpectaculo illatum illic imprimitur, vt forma fieri ſolet in cera. Meminiſſe verò oportet memoriam quoque non eſſe quandam formarum impreſſarum cuſtodiam, ſed facultatem quandam animæ ita ſeipſam excitantis, vt & quod non habet, habeat. Quid ergo? nónne alia erat, ante quã ita recordaretur, & alia rurſus quãdo iam recordatur? Si tibi placet aliam dicere, ne tamen dicas alteratam, niſi fortè quis alterationem nominet quandam ex potentia in actum progreſsionem: at tamen nihil eſt ibi adiunctum, ſed quod naturaliter facere poteſt, id efficit. Omnino verò rerum immaterialium actiones non ita fiunt, vt vires ipſæ quæ agunt interim alterentur, alioquin & interirent, ſed potius efficiant permanendo. Quòd autem agens patiatur agendo, rerum, quæ cum materia ſunt, conditio eſſe ſolet: ſin autem quod immateriale eſt patiatur, non habet quo mancat, quemadmodum in aſpectu,

D visione quidem agente, oculus est qui patitur. Opiniones autem quasi visiones quædam sunt. At irascendi natura quonam modo timida? & quo pacto fortis? Fortè timida quidem est, propterea quòd vel non aspicit rationem, vel rationem aspicit iam malam, vel instrumentorum vitio, velut defectu, vel labefactatione armorum corporeorum, vel agere prohibetur, vel non incitatur. Fortis autem est si contrà fiat: in quibus nulla alteratio est, nulla est passio: rursus vis ipsa concupiscendi quotiens agit sola affert intemperantiam. Omnia enim interdum agit sola, neque tunc adsunt reliqua, quibus licet quandoque præsentibus vicissim exsuperare, ipsique mandare. Ipsum verò quod in videndo versatur, interim aliud agit: neq; enim agit omnia, sed vacat alicubi, propterea quòd alia quædam quoad potest contueatur. Forsan verò plurimum mala corporis habitudo huius est prauitas, virtus autem habitudo contraria: quapropter nulla vtrinque animæ facta est adiunctio.

Anima non est subiectum corporalium passionum, sed principium. Cap. III.

E QVærebatur autẽ quomodo conformitates, difformitates, dolores, iræ, voluptates, cõcupiscentiæ, metus non sint permutationes passionesq; interiora mouentes. Oportet sanè de his quoq; ita distinguere, negare quidẽ alterationes, earumq; vehementes sensus nobis accidere, est omnibus manifesta negare: oportet igitur id concedentes, quidnam sit quod transmutatur inquirere. Profectò si talia quædam de anima concedamus, videbimur simile quiddam admittere: perinde ac si animam esse rubeam vel pallidam concesserimus, minimè aduertentes, propter animam quidem eiusmodi passiones accidere, sed circa aliud quiddam quod compositum sit, versari. Iam verò ipsa verecundia in anima in quadam turpitudinis opinione consistit: quoniam verò ipsa corpus continet, quòd quidem ne in verbis erremus, dicendum est esse in ipsa anima continente: neque idem esse cum inanimato corpore, hoc inquam, ex ipsa animæ verecundia in sanguine permutatur, præsertim si facilè mobile fuerit. Præterea timoris principium est in anima, pallor autem in corpore, dum sanguis ad interiora relabitur: item in voluptate sensibilis ipsa manifestaq; diffusio atque dilatatio fit in corpore. Quod verò tunc fit in anima, non est passio: similiter etiã de mœrore dicendum, quandoquidem & in affectu concupiscendi principium quidem appetendi in anima existens, velut initio latet: quod autem
F inde procedit, sensus ipse iam percipit. Iam verò quãdo dicimus animam libidinibus & discursionibus rationis opinionibusq; moueri, nequaquam intelligimus eam in his iactari, sed ex ipsa fieri motiones: quandoquidem & viuere motum esse dicentes non intelligimus alterationem esse, nempe vniuscuiusque partis actio naturalis vita est à seipsa minimè distans. Summa denique horum sufficiens erit eiusmodi: si neque actiones, vitas, appetitus esse alterationes aliquas admiserimus, neque memorias esse formulas quasdam impressas animo, neque phantasias esse configurationes velut in cera descriptas concesserimus: consequens erit absque controuersia confiteri, animam in omnibus quæ actiones motionesq; nominantur, eodem modo se ipso subiecto essentiaq; habere: tum virtutem & prauitatem non sic in anima fieri, vt vel album & nigrum, vel calidum & frigidum circa corpus: sed eo quo diximus modo animam ad vtrumque per omnia simpliciter opposita se habere.

Confirmatio

A *Confirmatio ſuperiorum, atque de duplici phantaſia.* Cap. IIII.

CONſiderandum verò de parte animæ, quæ paſsiua dici ſolet: tametſi de hac quoque nonnihil eſt dictum, vbi de paſsionibus omnibus quæ vel in ipſa iraſcendi vel concupiſcendi natura naſcuntur, qua ratione fierent, pertractauimus: verumtamen aliquid inſuper de hoc ipſo dicendum. Primò quidem definiendo quidnam hoc ipſum ſit quod paſsiuum in anima nominatur. Dicitur itaque id patibile circa quod paſsiones verſari videntur: hæ verò ſunt quas voluptas dolór ue ſequitur. Paſsionum verò aliæ quidem ex opinionibus oriuntur: ceu quum quis opinatus ſe iam moriturũ metuit, aut bonum ſibi mox affuturum gaudet: vbi certè opinio quidem eſt in alio, perturbatio verò incitatur in alio. Aliæ autem paſsiones quodammodo tales ſunt, vt improuiſo exorientes, in eo quòd naturaliter opinari poteſt, gignant opinionem: opinionem quidem permittere opinantem interim immobilem permanere iam diximus. Inopinatus autem metus accedens, ſi repetatur altius, ab opinione rurſus trahit exordium, velut perceptionem quãdam præbens parti animæ metuenti. Quid enim facit hic ipſe metus? perturbationem aiunt concitationemq; in exiſtimatione expectationeq; mali. Phantaſiam profectò eſſe conſtat in anima, tum pri
B mam quam appellamus opinionem, tum eam quæ ab hac naſcitur: neque vlterius eſt opinio, ſed circa id quod eſt inferius quaſi opinio quædam exilis & obſcura, & indiſcreta quædam imaginatio, qualis ineſt naturæ, velut actio quædam quatenus vnumquodque facit, vt dici ſolet, abſque officio phantaſiæ. Sen ſibilem verò perturbationem inde ſequentem patet in corpore fieri, ceu tremorem, concuſsionẽm, pallorem, vocis impedimentum. Non enim in parte animæ vlla talia fiunt, alioquin corpoream nominabimus: nam ſiqua pars animæ talia pateretur, non etiam in corpus talia peruenirent: quippe quum id ipſum cuius officium eſt hæc mittere, non amplius peragat miſsionẽ, propterea quòd à paſsionibus iam oppreſſum ſit, & ab ſeipſo diſtractũ. Proinde patibilis pars hæc animæ non corpus quidem eſt, ſed ſpecies aliqua, in materia tamen: tum concupiſcendi facultas, tum vis nutriendi, augendi, generãdi, quæ quidem concupiſcibilis patibilisq́ue ſpeciei radix eſt atque principium. Nulli verò ſpeciei perturbatio vel paſsio debet accidere, ſed permanere quidem ipſa: materia verò eius paſsionem ſubire qnotiens mouentis illius præſentia paſsio ſurrepit.
Non enim quod vegetale eſt, quando vegetat, vegetatur: neque quando auget, augetur: neque omnino quũ mouet, mouetur ea motione qua mouet, ſed
C vel nullo modo, vel alia quadam ratione motionis vel actionis moueri dicitur. Oportet itaque ipſam ſpeciei naturam eſſe actum, & præſentia facere, ceu ſi harmonia cordas ſeipſa moueret. Erit igitur quod patibile in anima nuncupatur, paſsionis quidem cauſa ſiue ab ipſo fiat motio paſsionis ex ſenſuali videlicet phantaſia, ſiue etiam ſeorſum à phantaſia. Conſiderandum id præterea nunquid opinione deſuper ordiente, ipſum quidem in harmoniæ ſpecie maneat, cauſæ verò mouendi muſico comparentur, deinde quæ per paſsionem impulſa ſunt cordas referant: nam & ibi nõ harmonia quidem patitur, ſed corda, neque ritè corda mouetur, ve ſi muſicus velit, niſi id harmonia dictauerit.

Purgare animum non eſt qualitatem aliquam auferre, ſed affectum actumq́; dirigere. Cap. V.

QVidnam igitur contendendum nobis eſt, animam philoſophiæ ſtudiò reddere paſsionis expertẽ? ſiquidem nec ab initio quidem patitur. Fortè quoniã ab eo quod patibile dicitur, velut imaginatio quædam in eam inci-

D dens, quæ deinceps ſequitur, paſsionem perturbationemq; infert, ipſiq; perturbationi coniugatur opinabilis imago mali. Eiuſmodi paſsionem ratio philoſophica præcipit extirpare, neque permittere vllo modo alicubi pullulare, quaſi vbicunq; naſcatur, anima nondū proſperè valeat, vbi verò nō germinet, ſana ſit: quippe quum imaginatio, quæ paſsionis cauſa eſt, nondum inciderit: velut ſiquis moleſta ſomniorum viſa excutere cupiens, animam reuocet ad vigiliam: aut ſi paſsiones accidiſſe dicat ab his quæ extrinſecus ſentiuntur, paſsiones eas animæ eſſe dicens. Sed quæ nam animæ purgatio erit, quum nullo modo inquinata ſit anima? Aut quid nam erit eam à corpore ſeparare? Forſan purgatio quidem erit animam relinquere ſolam, neque permittere vt vnà cum alijs commercium habeat, aut reſpiciat aliud, aut rurſus opiniones habeat alienas, quæcunque ſit opinionum (vt dictum eſt) paſsionumq; conditio, aut ſimulachra inſpicere, vel ex ipſis parere paſsiones. Si autem ad ſuperiora ab inferioribus conuertatur, quidnam prohibet hanc eſſe purgationem, atque etiam ſeparationem animæ quandam, anima videlicet nondum adeò corpori mancipata vt facta ſit corporis, quæ quidem quaſi lumen eſt turbido non immerſum, quamuis etiam impatibile ſit quod turbido eſt infuſum. Eius autem quod E patibile dicitur, purgatio quidem eſt ſuſcitatio quædam ab intuitu abſurdorum paſsim ſimulachrorum: ſeparatio verò eſt, haudquaquam præcipitari, vel imaginationem ad infima detorquere. Eſt iterum ſeparare ipſum, illa è medio tollere, quibus ſublatis quodāmodo id ſegregatur, quando videlicet non permittitur iacere in ſpiritu ob voraginem turbulento, ne fortè ſit carnibus ſuffocatum, ſed id in quo eſt ritè extenuatur, ne ipſi fortè recalcitret.

Formæ ſeparatæ uel ſeparabiles à materia dicuntur entia uera, coniunctæ uerò materiæ neceſſariò dicuntur entia non uera: materia denique dicitur uerum non ens. Cap. VI.

DIctum iam ſatis arbitror, quemadmodū exiſtimandum ſit paſsionū omniū expertem eſſe eſſentiā ipſam intelligibilem, quæ quidem omnis in ſpeciei ordine collocatur. Quoniam verò materia quoque aliquid incorporeum eſt, quamuis alia ratione inueſtigandum eſt de hac iterum quonam pacto ſe habeat: vtrum paſsiua (vt fertur) commutabiliſq; per omnia: an potius hanc quoque eſſe oporteat à paſsione remotam, & quomodo dicatur à paſsione ſeiuncta. Principiò ad id perducti, deq; natura materiæ qualisnam ſit tractaturi, aſſeuerare debemus: entis naturam eſſentiamq; & eſſe, non ita ſe vt multi opinantur habere. Eſt enim ens quod re vera ens quis poſsit dicere (vt ita dixerim) enter ens. Hoc autem eſt quod omnino ens eſt: id verò cui eſſe ipſius deeſt nihil. Quum verò perfectè ſit ens, nihilo indiget quo ſit atque ſeruetur, ſed ipſum alijs quæ videntur eſſe, vt eſſe videantur eſt cauſa. Si hæc vera ſunt, neceſſarium eſt ipſum in vita eſſe, atque vita perfecta, alioquin ſi in hoc ipſo deficeret, nequaquam ens magis foret: id autem intellectus eſt, ſapientiaq; perfecta. Itaque determinatum eſt atque definitum, ac penitus abſolutum: neque quicquam illic in potentia eſt, quod non iam in tanta quadam potentia ſit, alioquin defectum aliquem pateretur, quamobrem ſempiternum eſt, eodem modo ſe habet ſemper, nihil aliquando ſuſcipit, nihil in ipſum infertur aliquando: ſiquid enim ſuſciperet præter ſeipſum acciperet aliquid, id verò non ens. oportet autem omnino ens exiſtere. Venire igitur ipſum in eſſe oportet penes ſe omnia poſsidens, & ſimul omnia vnumq; omnia, ſi modò per hæc definimus ens: oportet autem ita, alioquin ex ipſo ente intellectus & vita non emanarent, ſed hæc enti aduentitia forent, neque tamen ex non ente eſſe poterunt, atque ipſum

A que ipſum quidem ens vitæ mentisq; erit expers. Quod autem non verè ens eſt, hæc habebit ſicut oportet hæc eſſe in deterioribus, ipſoq; ente poſterioribus. Quod enim exiſtit ſuper ens, enti quidem hæc largitur, neque tamen his ipſum indiget. Si igitur ens tale eſt, neceſſe eſt ipſum neque corpus eſſe, neque quod corporibus eſt ſubiectum, ſed corporum ſubiectiq; eſſe oportet in non eſſe verſari. Atqui quonam pacto natura corporum, & quomodo materia non eſt ens: in quibus hi montes lapidésque ſunt, totáque terra ſolida, & quæcunque alijs reſiſtere poſſunt? Profectò quæ percutiuntur, coacta impulſibus eſſe ipſorum eſſentiam confitentur. Siquis ergo dixerit, quonam igitur pacto quæ neque collidunt, neque vim inferunt aut ſufferunt, neque reſiſtunt, neque videntur omnino, ſcilicet anima & intellectus, entia ſunt, & entia verè? Nos contrà dicemus: inter ea quæ ſunt corpulenta magis terra quieſcit, ſed magis mobile eſt quod minus eſt ponderoſum, atque huius ipſius quod ſublimius eſt, id quoque mobilius. Iam verò ignis mobiliſsimus eſt, iamq; naturam fugit corpoream. Verùm (vt arbitror) quæ magis ſibijpſis ſufficiunt, minus alia turbant, minoremq; moleſtiam afferunt. Quæ verò magis ponderoſa terrenáque ſunt, quo magis deficiunt cadúntque, neque ſe ipſa poſſunt attollere, hæc vtique ob debilitatem cadentia ipſa ruina & quaſi inertia colliſionem cæteris vi-
B dentur inferre: quandoquidem corpora quæ vita carent in proximum quenque moleſtius incidunt, vehementiusq; percutiunt, atque lædunt. Animata verò vtpote quæ magis ens participant: quo magis eſſe poſsident, eo magis innoxia proximis obtingere ſolent. Proinde motio quæ quaſi vita quædam eſt in corporib. vel imitatio vitæ magis adeſt quibus corpulentiæ minus ineſt, quaſi defectus entis id cui accidit magis, corpus magis efficiat. Rurſus ex his quæ dicuntur paſsiones, manifeſtius cognoſci poteſt, quod magis corpulentum eſt, magis eſſe paſsibile, ſcilicet terram magis quàm cætera, & reliqua ſimili ratione. Alia nanque quum diuiduntur, in vnum ſubitò redeunt nihilo prohibente. Quando verò quod terrenum eſt ſcinditur, diuiſæ inter ſe portiones ſemper ſeparatæ manent, tanquam quibus naturalis deeſt valor, quæ ex paruo impulſu ſic manent, ſicut impulſa ſunt, atque periere: ſic & quod maximè corpus factum eſt, tanq; maximè in non ens prolapſum, reuocare ſeipſum in vnũ minimè valet. Ponderoſæ igitur vehementesq; concuſsiones ruinæ quædam ſunt, quibus alia ruendo viciſsim agunt in alia. Quum verò debile incurrit in debile, validum eſt aduerſus illud: atque non ens in non ens incurrens. Hæc itaque dicta ſunt aduerſus illos, qui tantùm in genere corporum entia collocant, adduc-
C cti videlicet impulſionum concuſsionumq; teſtimonio: item imaginationibus per ſenſum factis veritatis fidem teſtificantes: qui ſimiliter atque ſomniantes affecti ſunt, dum quæ vident re vera eſſe putant, quum ſint inſomnia. Senſus enim munus eſt animæ dormientis: quantum nanque animæ eſt in corpore, tantùm profectò dormit: vera autem experrectio atque vigilia eſt vera à corpore non vnà cum corpore reſurrectio. Quæ enim fit cum corpore tranſmigratio quædam eſt à ſomno in ſomnum, quaſi à lecto tranſeatur in lectum, ſed vera omnino eſt, quæ à corporibus ſurgit omnino. Quæ quidem qum naturam habeant animæ repugnantem, pro eſſentia quoque habent oppoſitum.

Teſtatur id præterea generatio ipſorum, & fluxus atq;
interitus, quæ quidem ab ipſa natura
entis alieniſsima
ſunt.

D *Conditiones materiæ mirabiles quas repperi etiam apud Porphyrium: & de unitate materiæ, formarumq; apparentium in materia.* Cap. VII.

SEd iterum reuertendum eſt primò quidem ad ſubiectam materiam: deinde verò ad illa quæ in materia eſſe dicuntur, ex quibus perſpicuè cognoſcatur, tum materiam eſſe paſsionis expertem, tum neque materiam, neque illa reuera exiſtere. Eſt igitur incorporea, quoniam corpus poſterius eſt atque compoſitum, & ipſa vnà cum alio complet corpus. Sic enim eandem appellationem ſecundum incorporeum genus ſortita eſt, quoniam vtrunque ſcilicet ens atque materia à corporibus diuerſa ſunt. Quum verò materia neque anima ſit, neque mens, neque vita, neque ſpecies, neque ratio, neque etiam terminus: eſt enim indefinitas quædam. rurſus neque poteſtas. Quid enim faciat? Sed hęc omnia ſubterfugiat, nimirum neq; entis appellationẽ ſortiri debet, ſed meritò non ens nominatur: neque tamen ita nõ ens dicitur, vt motus vel ſtatus non ens dici ſolet, ſed reuera non ens ſimulachrum & imaginatio molis, appetitioq; ſubſtantiæ ſiue ſubſiſtentiæ, ſtans quidem non in ſtatu: ſecundum ſe inuiſibile, & vide
E re volentem effugiens: & quando quis non videt, tunc quodammodo præſens: quando verò quis intentius inſpicit non perſpectũ. Rurſus in ſeipſo contraria ſemper apparens, paruum, magnum, minus, magis, deficiens, ſuperexcedens, ſimulachrum, neque manens, neque rurſus aufugere valens: neque enim vel hoc vnum valebit, quippe quum valorem ab intellectu nullum acceperit, ſed in defectu totius entis factum fuerit, quapropter in qualibet ſui denominatione mentitur & fallit, nempe ſi magnum excogitetur, interim paruum eſt, ac ſi magis, eſt & minus: atque ens quod in eius imaginatione occurrit, non ens eſt, velut ludicrum quiddam fugiens, adeò vt quæ in ipſo fieri videntur ludicra ſint, ſimulachra in ſimulachro, profectò ſicut in ſpeculo, vbi alibi quidem ſitum eſt aliquid, alibi verò apparens: & quod videtur impletum, nihil habens, apparens verò omnia. Quæ verò ingrediuntur, & exeunt imitamina entium atque ſimulachra circa ſimulachrum informe: & quia informe, ideo ibi viſa. Videntur quidem in ſubiectam materiam nonnihil efficere: faciunt verò nihil, vtpote quæ debilia fluxaq; ſunt: neque ſoliditatem vllam habent, ſiue vllam repercutiendi virtutem, atque quum materia nullam quoque ſoliditatem habeat, penetrant in eam non diuidentia, vt imagines in aquam: vel fortè perinde ac ſiquis
F in id quod vacuum dicitur, quaſi formas immittat. Iam verò ſi talia forent quæ inſpiciuntur, qualia illa à quibus veniunt in materiam, forſan quiſquis attribuerit, his vim quandam eorum quæ mittunt in materiam verè peruenientem non iniuria pati ab illis materiam ſuſpicabitur. Quum verò alia quidem ſint quæ repræſentantur, alia verò quæ videntur intus, ex his quoque intelligere licet falſam eſſe materiæ paſsionem: quippe quum falſum ſit quod intus videtur occurrere, nec vllam ad effectorem ſimilitudinem habeat. In validum itaque atque falſum, & in falſum ſimiliter incidens, velut in quodam inſomnio, vel aqua, vel ſpeculo, proculdubio materiam impatibilem reſtare permittit, quamuis in his quæ modò dicebamus, ſimilitudo quædã ſit his quæ apparent, ad illa quæ referunt.

Quale ſit illud ad quod paſsio pertinet, & quod non pertinet ad materiam. Cap. VIII.

OMnino verò quod patitur, eſſe oportet tale, vt in contrarijs ſit potentijs qualitatibúsque eorum quæ accedunt & inferunt paſsionem: ei nanque quod ineſt calido, alteratio fit ab eo quod frigefacit. Rurſus præſenti humido alteratio à deſiccante cõtingit, atque alterari ſubiectum dicimus, quando ex calido fri-

A lido frigidum fit, vel ex arido humidum. Teſtatur id & illa quæ ignis corruptio dicitur, mutatione in elementum aliud accidente. Non enim dicimus materiam corruptam eſſe, ſed ignem: quapropter & paſsiones circa idem ſunt, circa quod & interitus. Via enim ad interitum eſt ſuſceptio paſsionum, atque huius perire eſt cuius & pati. Materiam verò corrumpi eſt impoſsibile: in quid enim & quomodo reſoluatur, cogitare non poſſumus.

Dubitatio.

AT verò quum materia in ſeipſa ſuſcipiat caliditates, frigiditatesq; quamplurimas & qualitates prorſus innumerabiles, per easq; diſtincta ſit, & quaſi cognatas habeat, inuicemq; commixtas. non enim ſingula ſunt ſorſum: ipſa verò relicta velut media, quonam pacto qualitatibus in cõmixtione mutua inuicem patientibus, non & ipſa quoque compatitur? niſi fortè quis eam extra illas omnino poſuerit. Attamen quicquid in ſubiecto eſt, ita ſubiecto adeſt, vt ex ſe tradat ſubiecto nonnihil.

Reſponſio: Quòd materia neq; uerè, neq; uera ſuſcipit, neq; patitur: quidue ſit id quod patitur. Cap. IX.

B ANimaduertendum eſt, quòd dicitur adeſſe alterum alteri, atque in aliò aliud eſſe, non vno duntaxat modo nobis accipiendum, ſed aliquando ita ſe habere, ac ſiquid vnà cum præſentia ſua melius vel deterius illud permutatione quadam afficiat: quod quidem in corporibus præſertim viuentibus eſt manifeſtum. Aliquando verò aliquid alicuius præſentia ſiue ſuſceptione, melius fit aut deterius: ſeorſum à paſsione, quemadmodum de anima dicebatur, aliquando etiam id tale eſt, velut ſiquis ceræ figuram adhibeat, vbi neque vlla paſsio eſt, per quam aliud quiddam cera fiat, quando adeſt ei figura, neque rurſum defectus aliquis ceræ accidit deleta figura, tum verò lumen neque figuram quidem illuminato permutat. Lapis quinetiam frigefactus nonnihil à frigefaciente habet, lapis nihilominus interea permanens, nihil tamen nactus præter frigiditatem. Proinde quidnam linea patitur ſub colore? Quidue planum? forſan verò ſubiectum corpus pati dicetur, quamuis à colore quidnam pati potiſſimum deſignabitur. non enim dicendum eſt pati eſſe aliquid adeſſe, vel ornari forma. Siquis autem dixerit ſpecula omniaq; perſpicua ab his quæ ibi apparent, imaginibus nihil perpeti, exemplum certè afferet oportunum: nam & quæ
C in materia ſunt, imagines ſunt, & ipſa materia magis etiam quàm ſpecula eſt à paſsionibus aliena. Fiunt ergo in ipſa caliditates & frigora, neque tamen calores materiam calefaciunt: calefieri enim & frigefieri in eo conſiſtit, quòd qualitas ſubiectum ex alia qualitate traducit in aliam. Inter hæc autem conſideratione dignum foret, num fortè frigus nihil aliud ſit quàm abſentia quædam priuatioq; caloris: cõcurrentes autem in materia qualitates, plurimæ quidem earum in ſe inuicem aliquid agunt, quæ videlicet inter ſe contrariæ ſunt. Quid enim odor aliquis in dulcedinẽ agat? aut color in figuram? aut quod in alio genere eſt, in genus aliud agat? vnde quis potiſsimũ credat poſſe in eodem eſſe aliud atq; aliud, vel aliud in alio, ipſa videlicet ſui præſentia nihil nocente cui vel in quo adeſt aut ineſt. Quemadmodũ igitur quod læditur, non à quolibet læditur, ita neque permutatur & patitur, à quolibet mutatur & patitur. Sed enim contraria tantùm à contrarijs patiuntur, cætera verò à cæteris non mutantur: nempe quibus nulla contrarietas eſt, hæc à nullo contrario patiuntur. Quamobrem neceſſe eſt, ſiquid patitur, id non eſſe materiam, ſed compoſitum aliquid, vel omnino multa ſimul exiſtere. Quòd autem ſolum eſt, ab alijsq; natura ſecretum, ſimplexq; omnino, à nullo pati poteſt, ſed omnibus inter ſe agẽtibus

D velut medium poteſt ſubeſſe : ſicut in eodem habitaculo nonnullis ſe inuicem percutientibus habitaculum ipſum nihil patitur, & fortè neque etiam qui in eo eſt aer. Congredientia igitur inter ſe quæ in materia ſunt, agant quæcunque in ſe inuicem naturaliter agere poſſunt: ipſa verò materia multò ſit à paſsione remotior, quàm quælibet qualitates in ea quæ ex eo quòd non ſint contrariæ, à ſe inuicem minimè patiuntur.

Confirmatio ſuperiorum, quòd materia de ſtatu ſuo minimè moueatur. Cap. X.

ACcedit ad hæc, quòd ſi materia patitur, oportet eam ex paſsione aliquid reportare, vel paſsionem ipſam vel aliter affectam eſſe, quàm antequam in ea paſsio fieret. Ingrediente igitur alia poſt illam qualitate, haud vlterius materia erit quod ſuſcipiet eam, ſed materia qualis. Sin autem & ipſa qualitas deſinat, relinquens ſui aliquid propterea quòd materiam iam affecerat, adhuc multò magis aliud ſubiectum fiet, atque hac conditione procedens, aliud quiddam quàm mera materia ſubiectum erit, ſcilicet varium quiddam et multiforme: qua
E propter non amplius erit commune omnium ſuſceptaculum, quippe cùm iam impedimentum ad multa quandoque ventura in ſeipſo conceperit, neque ipſa materia amplius permanebit, neque igitur incorruptibilis erit. Quamobrem ſi oportet eſſe materiam quemadmodum ab initio fuerat, ita ſemper oportet eandem eſſe, nempe hanc permutatam fuiſſe dicere, non eſt eam ſeruare materiam. Præterea ſi omnino quod alteratur, oportet permanens in eadem ſpecie in accidentibus alterari : neque tamen permutari ſubſtantia, ſi inquam, manere oportet quod alteratur, & quod in eo patitur, non eſt id quod permanet, neceſſe eſt alterum è duobus accidere, vel alteratam materiam à ſeipſa diſcedere, vel non diſcedentem minimè alterari. Siquis autem dixerit alterari quidem eam, ſed nõ qua ratione materia eſt alterari : primò quidem ſecundum quid alteretur, explicare non poterit, deinde confiteri cogetur, ſic quoque ipſam materiam non alterari. Quemadmodum enim in cæteris quæ ſpecies ſunt, fieri non poteſt vt ſecundum eſſentiam alterentur, quippe quum illorum eſſentia in hoc ipſo conſiſtat : ſic quoniã eſſe materiæ eſt eſſe qua ratione materia eſt, non licet eam qua tenus materia eſt alterari, ſed eſt neceſſariũ permanere. Et ſicut illuc ſpecies ipſa immutabilis eſt, ita & hîc neceſſe eſt immutabilem eſſe materiam.

F

Quomodo formæ ueniant in materiam ſecundum Timæum per modum imaginum in ſpeculum. Cap. XI.

HInc Platonem ita excogitantem rectè dixiſſe arbitror, vbi inquit, imitamina verò entium ingredientia egredientiaq; materiam: neq; enim ab re ingredi & egredi expreſsiſſe putandũ, ſed nos in exponendo cautos reddere voluiſſe, quo videlicet pacto ſpecies participare materia poſsit. Hinc & apparet Platonicam illam dubitationem qua quæritur, quonam pacto materia fiat particeps ſpecierũ non illuc tendere, quo multi priores exiſtimarunt, ſcilicet quõ ſpecies veniãt in materiã, ſed potius quomodo ſint in ipſa. Reuera enim mirabile videt̃ eſſe, quomodo præſentib. his materię ſpeciebus permaneat ipſa eadem nullã ab his accipiens paſsionẽ, preſertim cũ quæ ingrediunt̃ in eam, à ſe inuicẽ patiãtur. Sed enim ex Platonica ſentẽtia putandũ eſt ea quæ materiã ingrediuntur, priora inde expellere, eſſeq; in cõpoſito paſsionẽ: neq; in oĩi cõpoſito, ſed in eo cui opus eſt antecedente forma vel recedente, & quod per alicuius quidẽ abſentiã defectũ in conſtitutione propria patitur, per preſentiã verò perficitur. Materia verò neque plus habet quicquam in natura ſua quolibet accedente, neque enim

A que enim tunc accedente illo, id quod eſt efficitur: neque rurſus vllo recedente minus habet quicquam: perſeuerat enim quod ab initio fuerat. Illis profectò vtilis neceſſariaq; eſt exornatio, quæ ornamento & ordine indigent, atque poteſt ornatus abſque tranſmutatione fieri, velut quando ornamentum alicui circundamus. Sin autem ſic aliquid exornetur, vt inſignitum habeat ornamentum, oportebit quod exornatur, permutari ex eo quod prius erat turpe, diuerſumq; fieri, atque ita ex turpi euadere pulchrũ. Si igitur materia exiſtens turpis, facta eſt pulchra, non eſt vlterius id ipſum turpe quod antea fuerat: quapropter dum ſic exornatur, amittit eſſe materiam, præſertim ſi non ſecundum accidens turpis eſſe cenſetur. Quòd ſi ita ſit turpis vt ipſa ſit turpitudo, ornamenti particeps fore non poſsit: rurſus ſi ita ſit mala vt malum ipſum ſit, nullam vnquam boni partem acciperet: quapropter non ita participatio fit, vt pleriq; putant, quaſi patiente materia, ſed alia quædam ratio eſt, videlicet apparendi. Fortè verò & hoc modo dubitatio illa ſoluetur, qua perquiritur quonam pacto ſi mala ſit appetat bonum: quippe cum ipſa participatione nõ deſinat eſſe quod erat. Si enim hac conditione participatio fiat, vt maneat eadem minimè altera-
ta, ſicut dicimus, ſed quod eſt ſit & ſemper, non amplius mirabile videri debet, etiam ſi mala ſit, participare bonum: non enim à ſeipſa diſcedit. At quoniam
B neceſſarium eſt participare, iccirco quodammodo quandiu eſt participat: ex eo autem quod permanet id ipſum quod eſt, participationis modo ipſam ſeruante, non lædítur in eſſentia ab eo quod ita tradit. Videtur profectò non minus ob hoc eſſe mala, quoniã ſemper id quod eſt permanet. Si enim reuera fieret particeps, & verè permutaretur à bono, non eſſet per naturam mala. Quamobrem ſi quis materiam dicat eſſe malam, ſic vtique vera loquetur, ſi pati eam à bono negauerit. Id autem idem eſt ac ſi omnino impaſsibilis affirmetur.

Confirmatio ſuperiorum, & quòd materia neque afficiatur aliquo modo in natura ſua per formas, neque patiatur, neque diuidatur. Cap. XII.

PLato autem idem de materia cogitans, participationemq; in ea non ita fieri iudicans, quaſi in ſubiecto fiat ſpecies formaq; inſeratur, ita vt vnum fiat compoſitum, ſimul videlicet tranſmutatis & commixtis atque compatientibus, & profectò non ita ſe dicere ſtudens aſſeuerare, cupiens quinetiam declarare quomodo ipſa impaſsibilis perſeuerans ſpecies habeat, indagauit impaſsibilis participationis exemplum, præter quod non facilè foret oſtendere, quæ
C nam potiſsimum ſua præſentia ſubiectum idem permanere permittant: dubitationes multas mouit, dum quo cupit peruenire contendit: atque præterea ſtuduit aſſeuerare in rebus ſenſibilibus vacuitatem quidem eſſe ſubſtantiæ, locum verò veriſimilitudinis & imaginis eſſe quamplurimum. Proponens igitur materiam ſub figuris paſsiones corporibus animatis inferre, ipſam quidem nullam ex paſsionibus iis habentem, ſtabilitatem eius hoc pacto ſignificauit, ad argumentandum prouocans, nullo modo materiam ipſam ab his figuris pati vel permutari. In his quidem corporibus figuram aliam ex alia commutantibus, fortè aliquis alterationem dicat fieri, ipſam videlicet figuræ mutationem, dicens alterationem eiuſmodi æquiuocam eſſe. Cùm verò materia neque figuram neque magnitudinem habeat vllam, quonam pacto quis figuræ aduentum, quomodocunque fiat, alterationem vel etiam æquiuocè dicat? Siquis igitur hîc ea lege vtatur, & ſingula dicat, qua declaret ſubiectã naturam nihil ſic vt putatur habere, à ratione minimè aberrabit. Verumtamen quonam modo habet? Si neque tanquam figuras placet habe-

D re, ſed Platonica propoſitio quoad fieri poteſt ſignificat, tum materiæ naturam eſſe paſsionis expertem, tum præſentiam in ea formarum eſſe duntaxat apparentem, velut imaginum non præſentium. Forſan verò prius adhuc de impaſsibili eius conditione tractandum, docendumq; oportere conſuetis nominibus ad eius paſsionem quodammodo deſignandam adduci: velut quando deſiccatam eandem & ignitam vel humefactam excogitamus (vt Plato inquit) & quæ deinceps, & aeris atque aquæ formas ſuſcipientem. Quod enim ſubditur à Platone, materiam formas aeris & aquæ ſuſcipere: tum temperat minuitque quod dictum fuerat, materiam eſſe ignitam & humefactam: tum oſtendit materiam in eo quod formas capit, non formari, ſed formas eſſe ita ut ingreſſæ ſunt: item quod dictum eſt ignitam, haud propriè fuiſſe dictum, ſed magis ſignificatum, quòd facta ſit ignis. Non enim idem eſt omnino ignem fieri, atque igniri: nam igniri quidem ab alio fit, in quo quidem contingit pati: quod autem pars eſt ignis, igniri non poteſt, alioquin perinde id ſe haberet, ac ſi quis ſtatuam dixerit per ipſum æs proceſsiſſe, vel ignem per materiam fuiſſe progreſſum, atque etiam inire materiam. Atqui & ſi ratio ipſa accedens agere id dica
E tur, quonam modo materiam ignire dicetur? An forſan in figuram? At enim quod ignitur, ex ambobus iam conſtat. Quomodo igitur ex ambobus, ſi non eſt factum ex ambobus vnum? An fortè quamuis factum ſit vnum, non tamen è duobus habentibus inuicem paſsiones, ſed in alia quædam agentibus. Nunquid igitur ambobus agentibus? vel potius altero efficiente vt alterum minimè fugiat. At quando corpus diuiditur, quomodo fieri poteſt, vt materia ipſa non diuidatur? Et quum ipſum patitur, dum diuiditur, quomodo nō & ipſa eandem ſubſtinet paſsionem? Fortè verò nihil prohibet eadem ratione materiam ipſam corrumpere, dicentes videlicet quonam modo corrupto corpore materia non corrumpitur? Profectò etiam dicendum foret quòd patitur, & diuiditur tantùm quiddam eſſe, magnitudinēq; exiſtere. Ei verò quod non eſt magnitudo, neque etiam magnitudinis paſsiones ineſſe: & omnino ei quod non eſt corpus, paſsiones corporis non accidere: quapropter quicunque materiam pati poſſe fatentur, corpus quoque eam eſſe confiteri coguntur.

Confirmantur ſuperiora, & probatur quòd materia ſe habet ad formas & ad mentem diuinam, ſicut ſpeculum ad imagines, atque ad ſpectacula.

Cap. XIII.

F

ID præterea probare illos decet, qua ratione materiam dicant ſpeciem aufugere. Quo enim pacto ſaxa cæteráque ſolida ipſam cohibentia fugiat? Non enim interdum quidem fugere, interdum verò non fugere dicent. Si enim voluntate propria fugit, cur non fugit & ſemper? Sin autē neceſsitate manet, non datur tempus in quo nō in aliqua ſpecie ſit: ſed enim cauſa propter quam non eadem ſpecies ſemper materiam quamlibet contineat, quærenda eſt magis in his quæ ipſam ingrediuntur. Quonam igitur pacto fugere dicitur? Nunquid natura eadem atque ſemper? Id autem quidnam aliud erit, quàm eam nunquam à ſeipſa diſcedentem ſic habere ſpeciem, quaſi numquam habeat, alioquin non habebunt illi qua ratione probabiliter quod dixerant tueantur. Appellat præterea Plato materiam, ſuſceptaculum generationis omnis atque nutricem: profectò ſuſceptaculū atque nutrix aliud quiddam eſt q; generatio. Quòd autem alteratur, in generatione verſatur. Et cùm ſuſceptaculum atq; nutrix generationis generationem præcedat, alterationem quoque præcedit. Sanè quòd ſuſceptaculum nutrixq; dicitur, ſeruat materiam impatibilem: ſeruat ſimiliter quod ſcribitur materiam eſſe illud in quo

appare-

D piatur tamen non capiendo reuera, vt indigentia perſeuerans ſemper efflagitare compellat. Poſtquam enim ſemel ſubſtitit (vt tradit fabula) ſemper affectat: qua quidem in re natura eius boni expers oſtenditur. Affectat verò nõ illa quæ largitor habet accipere, verùm ſat habere videtur, ſi qualecunq; ſit, nonnihil accipiat, adeò vt hinc oſtendatur diuerſum eſſe quod in materia nobis apparet: nomen quoq; ipſum Penia, ideſt, inopia materiam non impleri declarat. Quòd verò dicitur cum Poro Peniam congredi, non ſignificat illam cum ipſo ente vel ſaturitate congredi, ſed cum re quadam artificioſa atque mirabili. id autem eſt cum quadam imaginis ſeſe oſtentantis aſtutia. Cùm enim impoſsibile ſit eſſe omnino entis expers, quodcunque & quomodocunque extra ens ipſum ſit: nam hæc entis natura eſt entia facere: quumq; omnino non ens miſceri cum ente non poſsit, certè nonnihil mirabile prouenit: nempe & participat non participans, & ipſa propinquitate nanciſcitur aliquid, quamuis ſuapte natura conglutinari non valeat. Relabitur igitur velut ab aliena natura quod accepit, velut Echo à locis lenibus atque planis: quodue non manet ibi, id & apparet ibi, atque inde venire. Sin autem materia ſic participaret, acciperétque, vt quidam
E fortè putaret, profectò quod accedit ad eam velut imbibitũ penetraret. Nunc verò apparet imbibitum non fuiſſe, ſed permanſiſſe illam prorſus eandem nihil adeptam, ſed inſtar ſedis cuiuſdam repercutientis inhibuiſſe proceſſum, eſſeq́ue receptaculum concurrentium in idem ibique inuicem commixtorum: neque aliter hic fieri, quàm vbi nonnulli ad ſolem cupientes ignem accendere, lenia quædam ſolidáque opponunt, quæ & aqua implent, vt flamma ab eo quod intus contrarium eſt, cohibita non pertranſeat, ſed extrà conſiſtat. Hac itaque ratione materia cauſa generationis euadit, & quæ componuntur in ipſa, hoc modo conſtituuntur.

De ratione ſeminali quæ eſt in anima, quòd non miſcetur cum materia, ac de uanitate materiæ formarumq; ſenſibilium. Cap. XV.

IN his quidem quæ ignem ſub ſole circa ſe congregant, vtpote quæ ab igne ſenſibili flammam accipiunt, ipſa quoque id habent vt ſentiantur. Itaque apparent, quoniam quæ ibi conficiuntur, extrinſeca ſunt, poſitáque deinceps & proxima, ſeq́ue contingunt, terminiq; illic duo proculdubio ſunt. Ratio verò
F ſeminaria in materia aliter habet vt ſit extra materiam. Naturæ nanque alteritas ſufficit, duplici non indigens termino, ſed multò magis quàm terminus quilibet alienus vim retinet repugnantem commixtioni ob alteritatem eſſentiæ cognationis omnis expertem. Cauſaq; in ſe conſiſtendi hæc ipſa eſt, quoniam neque quod ingreditur, ipſa fruitur: neque ipſa viciſsim fruitur veniente: ſed quemadmodũ opiniones imaginationesq; in anima non miſcentur, ſed abit vna quæque rurſus, velut ſola quod eſt exiſtens, nihil vel ſecum trahens, vel ſui relinquens, quoniam ammixta non fuerat, habétque quod extra dicatur, non propterea quod ſecus adiaceat: neque aſpectu tanquam diuerſa à fundamento, ſed ratione diſcernitur. Hîc igitur imaginatio ſimulachri cuiuſdam locum obtinens, quum tamen anima naturaliter non ſit ſimulachrum, quamuis in multis videatur ducere, & pro arbitrio ducere: comparatur nanque ad animam proportione quadam velut materiam: quamuis inquam ita ſit, non tamen obſcurat occulitq; animam: quippe cum proprijs quibuſdam animæ actionibus frequenter excutiatur: neque unquam efficit, vel etiam ſi tota per totam ſe diffuderit, vt anima penitus deliteſcat, quamuis interdum quodammodo talis appareat: habet enim anima in ſe actiones, rationesq́ue repugnantes, per quas accedentia repellantur. Materia verò quum ſit longè inualidior anima, nihil habet en-

A bet entium ſeu verum ſiue etiam falſum aliquando proprium: neq; habet quicquam per quod appareat: quippe quum in omnium ſolitudinem ſit reiecta: fit autem cauſa cæteris vt appareant: neque ipſa tamen vel hoc ſaltem poteſt dicere: hic ego ſum, quamuis minimè videar. Sed ſiquando inueniat ipſam ratio quædam profundior hanc ex alijs entibus aſſecuta, clamat eam eſſe nonnihil ab omnibus entibus deſtitutum, & cum ea quæ entibus poſteriora ſunt, videantur eſſe, id per hæc omnia tractum vt appareat ea ſequi, rurſumq; non ſequi.

Quomodo ratio formalis atq; ſeminalis, quatenus exhibet materiæ formas, eatenus adhibet quantitates & figuras formarum comites. Cap. XVI.

ATqui accedens ratio quędam, atque extendens quatenus vult materiam, efficit quantam ſcilicet eſſe quantam ex ſeipſa materiæ adhibens, nequaquam per ſe habenti, ſed neque id etiam factæ, alioquin quantum in ea quantitas ipſa eſſet. Siquis igitur ſpeciem hanc abſtulerit, neque erit amplius ſubiectum ipſum quantum, neque etiam apparebit. Verùm ſi ſit quod factum eſt quãtum, homo vel equus, & vnà cum equo, magnitudo equi proueniens equo
B etiam diſcedente, diſcedit. Siquis autem dixerit equum in magna quadam tantáque mole fieri, & magnitudinem permanere, dicemus non equi magnitudinem, ſed magnitudinem molis ibi manere. Si tamen hæc moles ignis eſt vel terra, certè abeunte igne, vel terra, magnitudo ignis vel terræ diſcedit. Quamobrem neque figura neque magnitudine materia fruitur, alioquin aliud ex igne non fiet, ſed illa ignis permanens, nunquam fiet ignis. Quandoquidem & nunc tanta vt videtur effecta, quantus eſt hic mundus, ſi deſinat eſſe cælum, & quæ in ipſo ſunt omnia, vnà cum his omnis etiam magnitudo ab ipſa recedet: ſimúlque omnes aliæ qualitates, atque relinquetur deinde quod erat, conſeruans nihil prorſus eorũ quæ prius ita fuerant circa ipſam. Quanquam quibuſcunque contingit aliquorum præſentia pati, eiſdem quoque licet abeuntibus illis accepti aliquid retinere: quæ verò non patiuntur, minimè retinent: quemadmodum aer lumen nactus, nihil luminis abeunte lumine retinet. Siquis autem miretur quomodo fieri poſsit, vt quod non habet magnitudinem, fiat magnum: obijciemus ſimiliter quo pacto fiat, vt quod non habet calorem fiat calidum. Non enim idem eſt in materia eſſe materiam, atque magnitudinem eſſe, ſiquidem immaterialis eſt magnitudo, quemadmodum immaterialis etiam eſt figu-
C ra: ac ſi materiam conſeruamus, participatione quadam eam omnia ſortiri dicemus. Vnum verò aliquid omnium eſt magnitudo: in corporibus quidem cùm compoſita ſint, eſt & vnà cum alijs magnitudo, non tamen determinata: quoniam in ipſa corporis ratione includitur etiam magnitudo: in ipſa verò materia neq; etiam indeterminata magnitudo includitur, quippe quum non ſit corpus.

Materia nullam habet ex ſe quantitatem, ſed ad eam protenditur ſub efficaci ingreſſu formæ in ipſam. Cap. XVII.

SEd neque etiam magnitudo ipſa erit: ſpecies enim eſt ipſa magnitudo, neque eſt ad ſuſcipiendum parata: quinetiam ſecundum ſeipſam magnitudo exiſtit, ac ſi materia neque etiam imitationes entium familiariter ſibi poteſt conciliare, certè neque hoc pacto eſt magnitudo. Sed quoniam vult quod in intellectu vel anima ſitum eſt eſſe magnum, ideo tradidit his quæ procedendo quaſi imitari volunt deſiderio eius vel motu erga ipſum facultatem quandam ad paſsionem earum in alio quodam imprimendam. Magnum itaque in proceſſu imaginationis ſiue apparentiæ currens in amplum, efficiensq; vt ipſum ma-

D teriæ paruum in hoc ipſum magnum concurrat, fecit vt illud appareret magnum etiam coextenſione non repletum. Falsò enim magnum, hoc eſt, quando non habendo hoc ipſum vt ſit magnum, ad illud extenſum quaſi coamplificatur extenſione. Cùm enim entia omnia in alia vel in aliud agant, ipſorum apparentiam ſpecularem & vnumquodq; efficientium ſimili quadam ratione ſit, faciatq; magnum qua & totum, concurrit vniuſcuiuſq; rationis magnum poſt ipſum aliquid, velut equi vel alterius cuiuſcũq;. Extat præterea ipſum magnum, & vniuerſa quidem apparentia ſpecularis ſit magnum, videlicet ad magnum ipſum effulgens. Quælibet verò portio ſit magnum quiddam, atque ſimul omnia apparuerunt ex vniuerſa ſpecie, cuius eſt magnum: atque etiam ex qualibet, & quaſi extenſio facta eſt, & omne & ad omnia, atque in ſpecie id eſſe coacta, & in mole tantum potentia fecit, quantum potentia ferebat: vnde contigit vt quod eſt nihil, rurſus in apparendo ſit omnia: iccirco & color qui ex non colore procedit, & qualitas quæ apud nos ex non qualitate contingit, denominationem nacta ſunt ab illis æquiuocã, & magnitudo ex non magnitudine, vel æquiuoca magnitudine. Vbi certè illa conſiderantur media inter ipſam materiam ipſamq; ſpeciem. & apparent quidem, quoniam inde quodammodo micant: fallunt verò, quoniam id in quo apparent, non exiſtit. Quælibet verò in
E magnitudinem protendũtur, tracta videlicet virtute eorum quæ hîc apparent, locumq; ſibiipſis efficiunt. Fit verò tractus per omnia nõ violentia ex eo quòd materia eſt vniuerſum. Vnumquodq; verò trahit per eam quam habet potentiam: habet verò inde, & quòd materiam facit magnum, vt videtur, id agit imagine ipſius quod magnum eſt, hîc apparente, atq; id eſt quod apparens dicitur, quod hîc eſt magnum. Materia verò coacta concurrere, vel in qua hæc concurrere coguntur, ſimul tota & vbique ſemetipſam præbet. Materia enim eſt, & huius vniuerſi materia, neque eſt aliquid. Quod autem ex ſeipſo nõ eſt aliquid, poteſt & per aliud rurſus contrarium fieri: & poſtquam factum eſt contrarium, neque etiam illud eſt, alioquin tantùm in hoc ipſo conſiſteret.

Materia ſicut non habet ueram formam, ita nec ueram magnitudinem: & quomodo ad efficacem motum formæ uenientis in eam ipſa in dimenſionem producitur, non tamen diſtractam, ſed continuam. Cap. XVIII.

SIquis igitur intelligentiam magni poſsideat, quę quidem potentiam habeat per quam non ſolùm in ſeipſa ſit, verũetiam quaſi extra prodire valeat, nanciſcaturq; naturam quandam in intelligente non exiſtentem, neq; vel ſpeciem habentem, vel aliquod magni veſtigium, vel alicuius omnino, quidnam per po
F tentiam eiuſmodi faciet? non equum, non bouem: hæc enim aliæ facient cauſæ. Forſan quoniam à magno velut patre prodit, non poteſt aliud quiddam id magnum capere: hoc autem habebit imaginarium. Huic itaque nequaquam ita conſecuto magnum, vt ipſum magnum fiat in natura ſua, quantum poteſt apparere magnum, iam reliquum eſt. Hoc autem eſt non deficere, atque ſi paſsim propagetur, non quaſi in multa diſertum progredi, ſed cognatas in ſe partes habere, & nuſquam prorſus abeſſe. Neque enim fieri poterat, vt in parua mole, æquale etiam magni ſimulachrum eſſet, quum ſit imago magni: ſed quatenus illius ſpe concupiuit, acceſsit: currénsque quoad poteſt vnà cum ſuo concurrente deſeri non valente effecit magnum illud quod non magnum, neque ſic quidem vt appareat magnum, & quod videtur in mole magnum. Materia verò interim ſuam conſeruat naturam, vtens hoc magno veluti veſtimento, quod quidem induta eſt, quãdo concurrebat cum ipſo, dum videlicet currẽs illud ducebat ipſam. Quod ſanè ſiquãdo exuerit, pmanet rurſus eadẽ, quæ & antè penes ſeipſam erat, ſcilicet tãta, quantã ſpecies præſens reddit eam.

Proinde

A Proinde anima entium ſpecies habens, cum ipſa quoque ſit ſpecies, ſimul poſſidet omnes. Quum etiam ſpecies quælibet tota ſimul ſecum ipſa ſit, quinetiam ſenſibilium ſpecies quaſi reflexas in ipſam accedentesq; videns, non ſubſtinet vna cum multitudine capere, ſed mole ab his ſubtracta diſcernit. Non enim poteſt aliud quàm quod eſt fieri. Materia verò quum nullam habeat excutiendi potentiam, nullam enim habet actionem: quumq; ſit vmbra, perpeti ſubſtinet quodcunque vult, cauſa in eam aliquid effectura, quinetiam quod ex ratione quę ibi eſt, procedit, iam veſtigium habet eius quod eſt faciendum. Quaſi enim in phantaſia vel apparentia quadam imaginaria, ratio mota, vel motio à ratione dependens, partitio eſt: alioquin ſi vnum idemq; eſſet omnino, nullus ibi fieret motus, ſed permaneret: atqui materia nequit ſpecies ſimul omnes vt anima intus accipere, alioquin vna quædam eſſet earum. Cùm verò hanc oporteat omnia capere, neque tamen indiuiduè capere, neceſſarium eſt eam locum omnibus exiſtentem per omnia progredi, omnibusq; occurrere, & vniuerſo paſsim interuallo ſufficere, quoniã ipſa nullo ſpatio cohibetur, ſed expoſita eſt futuro. Quonam igitur pacto fieri poteſt, vt ingrediens aliquid, non prohibeat alia? Quæ ſimul concurrere nequeunt, forſan non erat vnum aliquid primum: quod &ſi erat, id ipſa erat ſpecies vniuerſi: quapropter cuncta quidem ſimul, in
B parte verò quodlibet. Viuentis enim materia diſtributa eſt ſimul cũ viuentis ipſius partitione: ſin minus, nihil vtique præter rationem fuiſſet effectum.

Quomodo materia ex qualitate formarum non fiat qualis, ideoq; nec patiatur. Et quomodo in conceptione formarum minus etiam quàm femina ualeat. Cap. XIX.

QVæ igitur materiam intrant, quaſi matrem nihil penitus eam lædunt, ſed neque vtilitatem aliquam afferunt. Non enim impulſus horum ad eam attinent, ſed potius inuicem: quoniam & potentiæ ſunt ad contraria, non ad ſubiecta: niſi quis forſan ſubiecta vna cum his quæ ſunt in eis collecta conſideret. Calidum enim ſedat frigidum, & nigrum offuſcat album: vel ſi cõminiſcentur, aliam quandam ex ipſis conficiunt qualitatem. Patiuntur ergo quæ commiſcentur. Pati verò penes illa eſt, non amplius eſſe quod erant. Tum verò in animalibus paſsiones quidem circa corpora ſunt, dum ſecundum qualitates, inſitasq; vires alteratio prouenit. Cum verò conſtitutiones ipſæ ſoluuntur, aut congrediuntur, ſiue tranſponuntur præter naturalem conſtitutionẽ, paſsiones quidem ſunt in corporibus, in animabus autem cognitiones ſunt vehementiores
C paſsiones percipientibus: ſin minus, non cognoſcunt, materia verò permanet. Nam & abeunte frigore & veniente calore nihil patitur. Non enim ipſi horum quicquã vel amicũ eſt propriè vel inimicũ. Quambrẽ nomẽ eius maximè ꝓpriũ eſt ſuſceptaculũ atq; nutrix. At verò quãnã ratione mater etiã eſt appellata? Nihil.n. hæc generat. Videntur aũt matrẽ illi hãc appellare, quicunq; matrẽ quoq; erga genitos habere vicẽ materię arbitrantẽ, quaſi ſuſcipiat tm̃, nihil verò tribuat genitis, quandoquidẽ & quantũ corporis eſt in nato, habetur ex nutrimento: ſi quid aũt mater tribuit genito, nõ qua ratiõe materia eſt, ſed qua ſpecies dare cẽſetur. Sola.n. ſpecies eſt fęcũda, natura verò altera ſterilis. Hinc priſci, vt arbitror ſapientes in ſacris myſterijs id ſubobſcurè ſignificantes, antiquũ Mercuriũ introducũt inſtrumentũ generationis ad operis effectũ ſemper habentẽ, generãtem verò in ſenſu declarãtes eſſe intelligibilẽ rationẽ: ſterilitatẽ verò materiæ sẽper idem manentis, oſtendentes per illa quæ circa ipſam ſterilia diſponuntur. Introducunt.n. matrẽ omniũ, quam vtiq; ſic prędicant, accipiẽtes videlicet principiũ ſecundũ ſubiectũ, imponentesq; nomẽ eiuſmodi, vt q̃d volunt planius indicẽt, ſcilicet materiã nõ eſſe matris omnino perſimilẽ, idq; penes illos qui abſolutius,

D quis modus ſit in his intelligere ſtudent. Neque duntaxat rerum ſuperficie ſunt contenti. His inquam id procul quidem pro viribus tamen demonſtrauerunt ſterilem eſſe materiam, neq; omnino fœminam eſſe, ſed ea ratione fœminã, qua propriè ſuſcipit. Quantum verò ſpectat ad generandũ nullo modo: quia quod hucuſq; peruenit, neq; fœmina ſit, neq; gignere valeat: verùm ſit omni gignendi potentia ſeparatum: quæ quidem poteſtas ei tantùm qui permanet maſculus ineſt.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE AETERNITATE ET TEMPORE.

Quid æternitas, & ubi ſit. Quid ſempiternitas. Quid perpetuitas. Quomodo ſe habeat æternitas ad tẽpus.

E ETERNITATEM Platonici primùm ponunt in prima mente: deinde in mentibus alijs, tertiò in corporibus, quatenus in eis ſtabile aliquid reſeruatur. Similiter tẽpus primũ in anima prima, deinde in cæteris animabus, tertiò in corporibus, quatenus in his reperitur & motus. Quæritur quidnam in mente prima, primoq; ente ſit æternitas. Certè ibi ſunt quinque entis genera uel elementa, ſcilicet eſſentia, motus, ſtatus, identitas, & diuerſitas. Sunt & rerum ſpecies quæ nominantur ideæ, humanitas atque ſimilia. Genera quidem entis de ſe inuicem minimè prædicãtur, ipſe nanque ſtatus neque motus eſt, neque eſt mobilis. Identitas neque diuerſitas eſt: neque diuerſa. hæc enim oppoſita ſunt. Eſſentia quoque ipſa in primo ſui ſigno nullum habere uidetur oppoſitorum. Ideæ quinetiam de ſe inuicem non prædicantur. Nam idea leonis, nec eſt ideà hominis, nec humana. Aeternitas autem ita de omnibus quæ ibi ſunt prædicantur, ut quodlibet eorum ſit æternum. Aeternitas itaque neque aliquod genus entis eſt ibi, nec idea quædam. Eſt enim cunctis commune donum, cætera uerò illic inter ſe diſtinguntur uel ſecundum proprietates incommunicabiles, atque (ut ita dixerim) ſingulares ſicut inter ſe ideæ, uel oppoſitione quadam ut motus, & ſtatus, identitas & diuerſitas. Aternitas ſanè & ſi cunctis eſt commune donum, adeo ut etiam ipſi motui, & ipſi diuerſitati, & multitudini illic exiſtentibus competat, hæc enim omnia ſunt æterna: tamen ſecundum ipſum ſtatum, ipſam identitatem, ipſam unitatem præcipuè deſignatur, à quibus illic & cætera poſsidentur. Neque putandum eſt æternitatem eſſe propriè ipſum ſtatum. In formali enim ratione æternitatis tria præcipuè continentur, ſtatus ſcilicet & ſempiternitas, quaſi dicas ipſum ſemper. Et identitas ſiue unitas, ſiue (ut ita dixerim) indiſtantia. Ipſe uerò ſtatus non neceſſariò hæc in ſua ratione comprehendit. Non comprehendit ipſum ſemper. Poſſumus enim cogitare ſtare quidem aliquid, ſed non ſemper. Non complectitur neceſſariò unitatem ſiue unum. Poteſt
F enim in multitudine permanere. Item motus opponitur ſtatui, non autem opponitur ſempiternitati. Quid enim prohibet, quod mouetur, moueri ſemper? Atqui ſempiternitas ipſa & ſi non ſola ſit tota æternitatis ratio, eſt tamen in illius ratione potiſsimùm. Cum itaq; motus ſtatui potiſsimum opponatur, non tamen aduerſetur ſempiternitati, quæ eſt in æternitate potiſsimum: nimirum non eſt idem penitus æternitas atque ſtatus, qui à cæteris illic quodammodo diſcretus eſt. Aeternitas uerò cunctis eſt æquè communis. Eſt enim æternitas uigor quidam ipſius eſſentialis intellectualisq; uitæ, ſemper quidem ipſe uigens æquè, ſimulq; ſua omnia poſsidens, nec amittens ſui aliquid, nec nouum aliquando munus acquirens. Vigorem eiuſmodi quæcunque ibi ſunt æquè ſibi uendicare uidentur. Interea meminiſſe debes ſempiternitatem ſimpliciter eſſe quaſi genus aliquod perſeuerantiam ſeu uitam ſignificans, principio fineq; carentem, ſub qua duæ ſunt ſpecies, quarum prima eſt æuum ſcilicet æternitas, quæ eſt uita uel perſeuerantia infinita permanens ſimul tota. Secunda perpetuitas ſiue ipſum tempus, ſcilicet perſeuerantia infinita per partes ſucceſsione progrediens. Vnde ut ait Proculus, utrumque menſura quædam eſt: tempus temporalium atque mobilium, æternitas æternorum. Sed tempus crebra repetitione, & quaſi numerando metitur: æternitas autem ſemel adhibita & coaptata menſurat. Propria æternitatis ratio appellatioq; non tam eſſentia uel intelligentia eſt quàm uita. Eſt ergo uita: ſed quanta? Infinita profectò: ut à parte qualibet temporis differat. Rurſum qualis? Certè tota ſimul, ut à toto tempore differat. Eſt igitur æuum uita infinita tota ſimul, & ut breuius cõplectamur, uita ilã infinita: tẽpus aũt uita procedẽs per infinitũ. Ipſum qdẽ æternitatis eſſe præſens omnino fixum eſt uelut centrũ, ideoq; ſufficit unũ. Cum enim nunquam præteat, non eſt opus aliquo ſuccedente. Quod uerò præſens in tempore dicitur, cum ſubitò tranſeat,

præſente

A præſente alio indiget ſucceſſore, ne tota temporis natura perdatur, quæ ex infinitis ſibi inuicem ſuccedentibus momentis paulatim coaceruatur, ideoq; ſiqua eius eſſentia eſt, ea ex eſſe miſcetur atque non eſſe, dum præſens inter præteritum futurumq; quæ non ſunt interuenit, & utcunq; poteſt æmulatur ipſum æui præſens per aliquod iugiter ſui præſens adhibens ſeipſum ad ſtabilem æui præſentiã, neq; tamen ſtabilitur: ideoq; quam non poteſt conſequi permanendo, ſaltẽ ſuccedendo conſequitur: Vt per plura momenta infinitè procedens ſe pro uiribus ad infinitatẽ æui fixã ſimplicemq; adæquet, dum unum permanens (ut ita dicam) æui momentum uelut centrum innumerabilia momenta temporis uelut puncta quædam in circumferentia perpetuò percurrentia è conſpectu pariter ſibi præſentia contuetur, atq; complectitur. Diſtant quidem inter ſe extra centrũ lineæ atq; puncta, in cẽtro colliguntur in unũ. Similiter & momẽta tẽporis, & tẽporaliũ rerũ progreſsiones inter ſe quidẽ diſtãt ſed in æternitate tẽporis temporaliumq; principio ita rediguntur in unum, ut una ſit præſentia omnium, & uita eadem, unusq; conſpectus. Inter hæc ubi Plotinus de toto perfecto loquitur, memento omne totúmue quod in arte reperitur atq; natura, eſſe cõmunem quandam formam poſt partes ſingulas ibi ſequentem, & ex partibus reſultantẽ. Non eſt igitur eiuſmodi totum per ſe totũ, ſed per partes, & per illud quod partes inuicẽ congregauit: nec igitur eſt primo totum. Primò itaq; totum eſt, quod eſt forma & ſubſtantia quædam ſimplex in ſe ipſa generans, ſiquas habitura ſit partes. Et quia generat eas, ideo quodãmodo præcedit eas, & quo ſigno antecedit partes, eſt penitus indiuidua. Iam uerò quoniã indiuidua eſt, ideo dum partib. ſe inſerit ſingulis, inſerit ubiq; ſe totã: atq; hoc ipſum eſt abſolutè totum, quod reſeruatur in quolibet ſui totum. Talis utiq; diuina mens eſt ad ideas: talis uniuerſa natura uitalis ad ſemina rerum: talis æternitas mentisq́ue primæ uita ad omnem ſui præſen-
B tiam, manens ſemper in uno atque ad unum. In uno quidem ſui ipſius eſſe actúque præſenti: ad unum item quod ſuper eſſentiam eſt bonum amando, & agendo ſe conferens. Manens inquam, quoniam quicquid expedit habere, iam habet: manens item per infinitum: neque tamen ipſa illic infinitudo eſt quantitas aliqua præter uitam. Cum enim ipſa entis primi uita, quæ primus intimusq; eſt actus illius, quantitatẽ quamlibet antecedat: ſiqua ponatur in ea durationis & perſeuerantiæ quantitas, nihil propterea intelligas additum indiuiduæ illius uitæ præſentis ſimplicitati.

De conformitate intellectus ad æternitatem. Item quid non ſit tempus, ſcilicet quòd non ſit duratio in corporali motu, uel menſura ſimilis: aut numerus, aut conſecutio comesq́; corporei motus.

VBi Plotinus poſt diſputationem de æternitate profundam deſcendit ad tempus, conſiderabis qua ratione probet mentis æternitatem, propterea quòd æterna tangat intelligendo. ſiquidem intelligere eſt quodammodo tangere. Cum enim ſenſus omnes tactu quodam rem percipiant ſentiendam, multò magis ſupremæ uires animæ ratio intelligentiaq; cognoſcendo tangunt: præſertim quia res penetrant earum intima diſcernendo, quod non efficit ſenſus. Atqui & obiecta earum efficacius ueniunt ad tangendum: imò nec uenire neceſſe eſt, quæ nuſquam abſunt. Cognatio igitur intellectus ad propria & æterna eius obiecta maior eſt quàm cognatio ſenſus ad ſentienda, cogna-
C tio inquam intelligentiæ mutua: quatenus enim tangit, tangitur atque uiciſsim. Sicut igitur ſenſus eſt, agitq; in tempore, ſic intellectus in æuo. Ratio uerò tanquam media eſt in utroque: nam & æterna tangit & temporalia. Medium quidem eiuſmodi eſſe poteſt: Nam & cælum eſt in utroque, per ſubſtantiam in æuo, per motum actionemq́ue in tempore. Debet quin etiam uniuerſo eiuſmodi medium non deeſſe, ut inter res ſupernas quæ tam actione quàm eſſentia ſunt æternæ, atque inferiores: quæ utrinque ſunt temporales, ſint rationales animæ, per eſſentiam quidem in æuo, per actionem uerò motu q; in tempore. Proinde notabis id admodũ placere Platonicis, aiam rationalẽ eatenus ſeipſam accõmodare foris tum his, tum illis gradib. uniuerſi, tũ æternis, tum tẽporalib. tum etiam mediis: quatenus in eoſdem intus ſeipſam expedit gradus ſibi quodammodo naturaliter inſitos, quemadmodum & corpus noſtrum uariis ſeipſum modis loco cuilibet aptat, prout uariis ſe ipſum figuris modisq́ue componit. Tempus eſt aut ipſe motus, aut aliquid proprium motionis ſcilicet uel intimum motionis ſpatium, uel menſura eius, uel comes. Tempus non eſſe motum patet, ex eo quòd motus omnis peragitur tempore: quaſi aliud quiddam ſit tempus in quo motus agitur, aliud ipſe motus. Præterea ſi corpus quod nunc mouetur, paulò poſt moueri deſinat, deinde moueatur iterum, interceptus quidem erit motus, tempus uerò non intermiſſum. Sicut enim cogitamus quamdiu motum fuerit, ſic & quamdiu quieuerit: atque eadem perpetuitate temporis tum uices motionum, tum media quies agi menſuratiq; poterunt, ac ſi deſinat moueri corpus ab alio mobile adhuc ſuperfore tempus ſaltem in motore per ſe mobili poſſumus cogitare, quaſi naturam tẽ-

D poris ſupra motum corporis quærere debeamus. Item in motu uelociſſimo plurimum eſt de motu ipſiusq; natura, ſed de tempore minimum: in motu tardiſſimo ſit uiciſſim: quippe cum aliud ſit tẽpus atque motus. Denique propria quidem temporis ſunt breuitas atque longitudo: propria uerò motus intenſio atque remiſsio, quæ declarantur celeritate quadam & tarditate prouentus. Quorũ uerò propria inter ſe differunt, diſcrepant ipſa ſimiliter. Probabilius eſt igitur tempus eſſe aliquid ad motum propriè pertinens, quàm ipſum propriè motum. Dices forſan eſſe ſpatium, non quidem loci: quod eſt extra motum, ſed durationis atque perſeuerantiæ, quæ eſt intima motui : quaſi proprium interuallum & ductus tractusque & progreſsio motus. Ad hæc obijci duo poſſunt. Primum quidem totidem eſſe eiuſmodi interualla motibus intima, quot ſunt & motus: Tempus autem unum eſſe debere menſuram quaſi communem, cuius uſu quodam motus omnes quantumcunque inter ſe diuerſos metiri aliter aliterq; poſsimus. Secundum uerò durationem eiuſmodi, non aliud uideri quàm motum, ipſam ſcilicet motionis continuitatem, qua ſublata non erit motus ſi factus ſubitò fuerit. Et profectò hęc eſt ſumma proprietas uel natura motus: ſicut dimenſio extenſa per locum, aut eſt ipſum corpus, aut corpori maximè propria. Atqui ipſa duratio motibus intima non eſt ubique, ſed in hoc motu ſeruatur atque illo. Tempus autem eſſe cogitamus ubique, atque durationem & perſeuerantiam quamlibet motionis tempore metiri ſolemus. Vnde uidetur tempus eſſe interuallum aliquod menſurale, & præter interuallum proprium motionis, nec tamen ad locale pertinens interuallum. Proinde quæremus de externo eiuſmodi interuallo ſiue ductu: quidnam ſit natura
E liter in ſeipſo, ante hunc menſurationis effectum. Prius enim in ſe hoc ipſum quod eſt debet exiſtere, quàm aliquid metiatur. Quæremus item nunquid metiatur quietem, & quo pacto: Eatenus enim quieſcit aliquid, quatenus mouetur & aliud. Tria quædam propoſita ſunt de tẽpore ab his qui dicũt tẽpus eſſe aliquid motionis: Primum quidẽ eſſe ſpatium durationemq; motus, de quo ſatis eſt dictum: Secundum uerò eſſe menſuram quandam durationis eiuſmodi: Tertium eſſe aliquid comitans ſiue conſequens. Sed redeamus nunc ad menſuram, ad quam paulatim modò deſcendimus, compulimusq; reſpondere, quidnam ſit in ſe antequam metiatur, & utrum externa menſura ſit, uel intima. & quæcunque ſit. quomodo metiatur motum ſimiliter & quietem. Addimus inſuper quomodo menſura numeralis eſſe dicatur, quaſi ſit ex unitatibus congregata. Probabilius autem eſt tempus ob ipſam eius cõtinuitatem ſimpliciter menſuram quandã appellare quàm numerũ. atqui ſi menſura quædam eſt, ergo eſt quãtitas quædam qualiſcunq; ſit, ſiue quantum quiddã motũ dimetiens, quatenus cum motu concurrit. Hic ergo quæretur qua conditione cum motu concurrat, & cur potius metiatur motum, quàm menſuretur à motu. Solemus enim tantum tempus ex tanta motione metiri, atq; deprehendere tempus ex actione non minus q̃ è conuerſo. Summatim iterũ dubitatur, an tẽpus ſit motus ipſe quadã magnitudine menſuratus, an potius magnitudo quædã motũ metiens, an tertiũ quiddã. Quòd magnitudine utatur ad motum dimetiendũ, & omnino de hac ipſa magnitudine menſurali poterit dubitari. Tanta enim eſt in ſe, ſicut & motus eſt tantus. Nunquid igitur ſicut motus per eam cenſetur tantus, ita & ipſa per ſuperius aliquid exiſtit tanta? Deniq; quid-
F nam ſit prius quàm metiatur (ut dximus) inueſtigare licebit. Similes quædam dubitationes exoriũtur, ſi tertia de motu opinio admittatur, dicens tempus eſſe aliquid, quod comitatur motum. Cogimur autem ponere tempus ipſum eſſe aliquid: etiamſi nullus animus electione utens metiatur tempore motum. Generat enim anima mundi tempus naturali quodam ſuo intimoq; motu, nulla ad hoc utens electione.

Aeternitas eſt in mente diuina, Tempus in anima mundi, quo agitur menſuraturq; mundi motus.

IN mente quidem diuina non eſt tempus propriè, ſed idea quædam temporis uelut exemplar cõceptum illic ad quandam æui ſimilitudinem, imitantem quidem æuum, ſed interim diuerſitate de generantem: tempus autem proprie eſt in anima mundi, in ipſa eius uegetali natura, & imaginatione rurſum quodammodo naturali, aſsiduè comitante naturam. In hac inquam gemina facultate animæ actio ad generanda & imaginanda mundana, ob debilitatem non ſimul tota peragitur, ſed gradatim modò alia oritur, modò alia ordinata quidem, ſed diſsimilis, atque nunc ad hæc uertitur: nunc ad illa ſecundum prius poſteriusue procedens. Proceſsio quidem deinceps ſecundum gradus eiuſmodi, motus eſt: Continuitas autem & longitudo proceſsionis eſt tempus. Iam uerò ſiqua ratione longitudo corporis ab ipſo corpore differt, eadem differt & tempus à motu. Longitudo inq̃ motionis à motione. atqui & hæc ipſa longitudo ita ſe ad æternitatem habet, ſicut linea ſe habet ad punctum: præſertim ſi fingere liceat, ex quodam puncti motu procedere lineam, punctumq; produci. Putat uerò Plotinus, ſicut ex uirtute cuiuslibet animæ ſuo quandoq; ſemini inſita pullulat corpus proprium:

A proprium: ſic ex naturali animæ mundanæ potentia intus affiante materiam, corpus pullulare mundanum, idq; in anima uelut quodam mundi loco contineri regiq;, & moueri ad ipſum animæ motum, moueriq; tẽporaliter, certisq; temporũ interuallis ad tẽpus ipſum motionis quæ fit in anima, & ad certa illius temporis interuella: ſiquidem anima illa per intimum ſui motum creauit in ſeipſa tempus, & unà cum hoc motu ſimul & tempore produxit mundum in tempore mobilem. Vnus uerò eſt mundi locus, anima mundi: unum & ubique tempus: ſiquidem & anima hæc motum exercet ubiq; uitalem, ſed regitur interea motus quidẽ mundanus ab ipſo animæ ſuæ motu: hic autem ab intellectu proprio & æterno: ille tandem ab intellectu diuino primaq; ipſius æternitate.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEPTIMVS DE AETERNITATE ET TEMPORE.

Proœmium ad æternitatem & ad tempus.

B QVVM æternitatem & tempus diuerſa inter ſe eſſe dicamus, & illam quidem circa naturam ſempiternam eſſe, hoc autem circa id quod fit: idq; vniuerſum verſari exiſtimamus nos quaſi ſponte, ex naturaliq; ingenio, & ſubito quodam intelligentiæ intuitu manifeſtum quendam circa hæc habere inſtinctum noſtris animis penitus inſitum, eadem videlicet de his ſemper dicentes, paſimq; nominantes. At verò quando conamur propius ad hæc accedere, & abſolutius explicare, in dubitationes incidimus, atque priſcorum de his ſententias alius alias, forſan verò & aliter eaſdem accipiẽtes: in his deniq; immoramur, ſatis nobis factum exiſtimãtes, ſi interrogati referre antiquorum ſententiam valeamus, atq; ita hęc vlterius inueſtigare deſinimus. Profectò putandũ eſt quoſdam antiquorum feliciumq; philoſophorum veritatem adinueniſſe. Operæpretium verò eſt deinceps inquirere, quinam potiſsimum veritatem aſſecuti fuerint, & qua ratione præcipuè nos quoque eadem cognoſcamus. Prius autem de æternitate quærendũ, quidnam ipſam eſſe cenſeant, qui diuerſam à tempore iudicant. Cognito nanq; illo quod loco exemplaris habetur, fortè planius illius imago, quod tempus nominant, cognoſcetur. Siquis autem antequã contempletur æternitatem, quid ſit tempus imaginetur: accidet & hoc forſan huic per reminiſcentiam quandam hinc illuc progredienti cui tempus aſsimilatur

C agnoſcere, ſiquidem hoc ad æternitatem ſimilitudinem habeat.

Quidnam ſit æternitas, quòd ſit in prima eſſentia, & ſit aliquid eius, nec tamen ſit propriè ſtatus. Cap. 1.

QVidnam igitur æternitatem eſſe dicendum? Num fortè intelligibilem ipſam eſſentiam: quemadmodum ſiquis tempus eſſe dicat cælum totum atq; mundũ? Id nanq; de tempore fertur nõnullos exiſtimaſſe. Cùm enim quiddam maximè venerandum æternitatem eſſe imaginemur atque intelligamus: maximè verò venerãdam eſſe naturam intelligibilem iudicemus, neque vtrum horum venerabilius ſit, diſcernere valeamus: & quod his ſuperius eſt, eiuſmodi appellationibus deſcribi non debeat, iure quis forſan naturam intelligibilem æternitatemq; pro eodem accipiet. Rurſus & mundus intelligibilis & æternitas in ſeipſis eadem complectuntur. At verò quando altera in altero dicimus, & intelligibilia in æternitate locamus: & quãdo intelligibile quodlibet enunciamus æternum, quemdmodum in Timæo, vbi ſcribitur: ſi exemplaris natura æterna eſt, in his inquam, æternitatem aliud quiddam eſſe quàm naturam intelligibilem affirmamus: eſſe tamen circa illam, vel in illa, vel illi adeſſe fatemur.

D Quod autem vtrunque iudicatum eſt venerandum, non neceſſariò eadem inter ſe eſſe demonſtrat. Fortè enim horum alterum quòd ſit venerandum habet ab altero: quòd rurſus additum eſt ab vtroq; eadem contineri, exponendum eſt naturam quidem intelligibilem continere ſua quælibet, ſicut partes: æternitatem verò complecti ſimul totum, non ſicut partem, ſed quoniam eiuſmodi omnia per ipſam dicuntur æterna. Sed nunquid ſecundum ſtatum illic exiſtentem iudicare debemus æternitatem, quemadmodum & hic tempus ſecundum motum excogitare conſueuerunt? Sed meritò quis in primis de æternitate perquireret, vtrum idem eſſe cum ſtatu dicamus: neque fortè ſimpliciter, ſed cum ſtatu, qui circa eſſentiam eſſe cẽſetur. Si eñ cum ſtatu idem eſt, primò quidem ſtatum non dicemus æternum, ſicut neque æternam æternitatem. Aeternum enim eſt quod æternitatis eſt particeps. Deinde quónam pacto motus erit æternus? ſic enim foret & ſtabilis. Præterea ſtatus ipſius notio quomodo ipſum ſemper in ſe habebit? Dico autem non ipſum ſemper in tempore, ſed quale potius intelligimus, quando dicimus ſempiternum. Sin autem in ipſo eſſentiæ ſtatu continetur ipſum ſemper, ſanè reliqua rurſus entis genera ab æternitate iam ſegregabi-
E mus. Accedit ad hæc quòd æternitatem non in ſtatu ſolùm oportet, ſed in vno etiam intelligere: quinetiam indiſtantiæ munus æternitati ſeruandum, ne fortè idem omnino ſit cum tempore. Status autem qua ratione ſtatus eſt, neque vnius neq; indiſtantis in ſe intelligentiam continet: Proinde de æternitate prædicamus in vno manere. Participat ergo ſtatum, nec ipſe ſtatus erit.

Aeternitas eſt in prima eſſentia per modum uitæ & ſtatus & identitatis, ac re uera eſt interminabilis uitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Cap. 11.

QVid ergo potiſsimum id ipſum erit, per quod totum diuinum mundum eſſe dicimus æternum atque ſempiternum? Quídue ſempiternitas eſt? ſiue idem ipſa quoque cum æternitate eſt, ſiue ſecundum ipſam extat æternitas. Forſan ſecundum vnum aliquid æternitatem excogitare debemus, vnum inquam è multis collectum, vel intelligentiam vnam vel naturam, ſiue quæ illic ſunt conſequentem, ſiue ſimul exiſtentem, ſiue intus inſpectam. Cuncta
F hæc inquam in illam redacta, vnam quidem exiſtentem, quæ etiam multa ſit, multáque poſsit. Profectò qui potentiam multiplicem contuetur, ſecundum hoc aliquid quidem quod ſubiecti vicem habet eſſentiam nominat, quatenus verò vitam inſpicit, nominat motum: deinde & ſtatum, quatenus eodem prorſus modo ſe habet. Alterum verò & idem qua ratione hæc multa ſunt ſimul vnum. Sic vtique componens rurſus in vnum in vnam inquam vitam ſolam, contrahensqûe in ipſis alteritatem, & contuens interminabilem actionis identitatem, neque vnquam aliud, neque ex alio in aliud, intelligentiam aut vitam pertranſeuntem, ſed eodem modo ſe ſemper habentem, & procul à diſtantia conſiſtentem. Cuncta hæc inquam contemplans contemplatur æternitatem, videns certè vitam manentem in eodem, totum præſens ſemper habentem, neque nunc quidem hoc aliquid, poſtea verò aliud, ſed omnia ſimul: neque nunc quidem altera, poſterius altera, ſed indiuiduum finem. Vbi ſicut in puncto ſimul omnia ſunt, nondum in fluxum progredientia, ſed ibi in eodem, id eſt in ſeipſo manente, nec aliquando permutato, ſed in præſenti ſemper conſiſtente: quoniam nihil ex eo præterijt, nihil rurſus in eo futurum, ſed hoc ipſum quod eſt, ſemper exiſtit: adeo vt æternitas ſit non ſubiectum, ſed quod ex ipſo ſubiecto velut effulget ſecundum ipſam identitatem quam de poſſeſsione non quidem futura, ſed iam præſente ſibi ipſi vendicat,

promittens

A promittens videlicet ita ſe habere, neque vnquam aliter habiturum. Quid enim in poſterum huic quod nunc non ſit, contingat? Neque rurſus futurum aliquando, quod non eſt in præſentia. Neque enim eſt aliquid à quo in præſens quandoque perueniat. Illud enim non aliud quicquam, ſed hoc ipſum eſſet, quod quidem non eſt futurũ, quod nunc ex neceſsitate non habeat, neque circa ſeipſum habet quod dicitur ipſum erat. Quid enim eſt quod erat ipſi atque præterijt? Neque rurſus accidit quod dicitur erit. Quid enim erit in ipſo? Relinquitur igitur in ipſo eſſe, hoc ipſum quod eſt eſſe. Quod igitur neq; erat, neq; erit, ſed eſt duntaxat: id ſtabiliter habens eſſe, propterea quòd neque permutatũ in futurũ, neq; eſt à prĕterito permutatũ eſt ęternitas. Eſt itaq; ipſa circa ens in ipſo eſſe vita ſimul tota & plena, & vbiq; prorſus indiſtãs ęternitas ipſa quam quærimus.

Æternitas in eſſentia prima, non accidens, ſed ut eſſentialis proprietas eius & illa eſſentia eſt uerè totum ipſum atque omne. Item quo differat eſſe æternorum & eſſe temporalium. Cap. III.

NEque profectò putandum eſt æternitatem extrinſecus illi naturæ contingere, ſed eſſe illam, atque ex illa, ſimulq; cum illa. Inſpicitur enim ex ipſa penitus inſita: quoniam & reliqua omnia quæcunq; dicimus illic eſſe, inſpicientes velut intima, dicimus ab eſſentia & ſimul cum eſſentia omnia eſſe: nam quæ primò ſunt conſiſtere oportet primis, & primis ineſſe, quoniam & pulchrum in ipſis eſt, atque ex ipſis: ſimiliterq; in eis eſt veritas. Et partim quidem totum ipſum eſt velut in parte, partim verò velut partes in toto, tanquam id reuera ſit omne non ex partibus congregatũ, ſed ipſum partes generans, vt & hac ratione reuera ſit omne. Veritas quinetiam illic vigens, non eſt conſonantia quædam erga aliud, ſed ipſius cuiuſq; eſt, ppriè, cuius eſt & veritas. Oportet ſanè id omne verum, ſi modò verè ſit omne, non ſolùm eſſe omne quatenus eſt omnia: verùm etiam ipſum omne ſic habere, vt nihil ſibi deſit. Quod ſi ita ſit, neque erit ei quicquam. ſi enim erit, hac ex parte prius deficiebat. Non igitur ante hac erat omne. Præter naturam verò huic accidere nihil poteſt. nihil enim patitur. Si ergo nihil ipſi fiat, certè neque futurum eſt aliquid, neque erit, neque fiebat, aut eſt factum. A rebus quidem generalibus ſi abſtuleris ipſum erit, quum in perpetua acquiſitione verſentur, ſubitò non eſſe contingit. Rebus autem quæ non ſunt tales, ſi ipſum erit adiunxeris, accidit è ſede ipſius eſſe labi. Manifeſtum enim ex hoc fuerit, ipſum eſſe non eſſe illis innatum, ſi fiat ex eo quod futurum ſit, & factum fuerit, & ſit in poſterum faciendum. Videtur enim in rebus generalibus id potiſsimum eſſentia eſſe, ſcilicet tractus quidam ab ipſo eſſe ex generationis initio, quouſque ad temporis extrema perueniat, quando non ſit vlterius, idq́ue ipſum quod dicitur, eſt in eis exiſtere, ac ſiquis quicquam ex hoc ductu circuncidat, vita comminui: quapropter & eſſe diminui, & vniuerſo quidem eſſe eiuſmodi oportet quouſque ſic erit. Quamobrem ad ipſum eſſe futurum natura feſtinat, neque vult quieſcere: quippe cùm eſſe ſibi hauriat, dum aliud quiddam atque aliud agit, mouetúrque in orbem quodam eſſentiæ deſiderio. Itaque eſſe nobis in his ſic eſt inuentum. Inuenta & cauſa motionis ad ſemper eſſe, futuri adminiculo properantis. Primis autem rebus atque beatis neque deſiderium ineſt futuri: iam enim totum ſunt, & quicquid habere vitæ debent, iam totum poſsident, ideo nihil quærunt, quoniam his nihil eſt futurum. neque igitur illud eis accidit, in quo eſt futurum. Ipſa igitur abſoluta entis eſſentia & tota, quæ & non diſcerpatur in partes, ſed in partibus ſuis tota ſit, & in nullo deficiat, nihilque ſibi deſit, & cui nihil omnino quod non ens dicatur poſsit accidere. Non enim ſolùm entia omnia opor-

D tet omni totiqúe adeſſe, ſed etiam nihil aliquando non entis accidere. Hæc inquam proprietas ipſiusq; natura æternitas eſt, ideſt æuum. Aeuum enim ab eo quod eſt ſemper, eſt dictum.

Aeterna quadam potentia ipſam contemplamur æternitatem, quæ eſt infinita quædam uita ſimul tota. Cap. IIII.

ID ita potiſsimum ſe habere cognoſcitur, quando quis mentem ad aliquid adhibens, poteſt de ipſo dicere: imò verò cernere ipſum tale, vt nihil prorſus circa id factum aliquando fuerit: alioquin non ſemper ens exiſteret, vel non ſemper aliquid ens totum. Nunquid iam ſempiternum eſt? niſi natura quoque inſit eiuſmodi, vt de eo proculdubio credi poſsit, ita nec aliter vlterius ſe habere adeò, vt ſi rurſum id reſpexeris, ſis tale ſimiliter inuenturus. Quid verò ſi quis nunquam ab eius contemplatione deſtiterit, ſed aſsiduè perſeuerauerit naturam admiratus, poſsitqúe indefeſſa quadam natura perſeuerare, forſan confugiens ipſe in æternitatem ibidem ſiſtit pedem, nuſquam omnino declinans vt ſimilis æternúsque ſit, dum eo quod in ipſo eſt æternum, æternitatem æter-
E númque cõtemplatur. Si igitur quod ita ſe habet eſt æternum, & ſemper ens, quod quidem in naturam alteram minimè labitur, vitam quam habet totam iam poſidens, neque accepit quicquam, neque accipit, neque eſt accepturum, quod ita inquam ſe habet, eſt proculdubio ſempiternum. Sempiternitas autẽ eſt talis quædam ſubiecti conſtitutio, ex eo & in eo ſimul exiſtens: æuum verò, id eſt æternitas, ſubiectum vnà cum eiuſmodi conſtitutione ibi micante. Quamobrem venerandum aliquid eſt æuum æternitásque, idemq; cum Deo, ſiquidem id inſita dictat intelligentia. Dictat autem idem eſſe huic Deo, quem entis & vitæ nomine nuncupamus. Atqui rectè dici poteſt æuum ſiue æternitas eſſe Deus, fulgens proferénsque in lucem ſeipſum qualis potiſsimum eſt ſecundum eſſe: eſſe inquam, incommutabile penitus atque idem, & ita firmiter in vita conſiſtens. Neque verò mirari quiſquam debet, quòd ipſum dicamus ex multis. Quodlibet enim eorum quæ illic ſunt, multa dicitur ob potentiam infinitam, quando & infinitum ibi dicitur, quia nullo modo deficiat. Et hoc quidem præcipuè, quoniam è ſuo nihil amittat, ac ſiquis æternitatem ita deſcripſerit, ſcilicet vitam iam infinitam, ex eo quòd ſit vniuerſa: nihilqúe amittat, cùm
F nihil vel præterierit, vel ſit futurum, alioquin iam tota non eſſet: is profectò proximè ad definitionem eius accedet. Quod enim deinceps ſubditur, ſcilicet totam eſſe, nihilqúe amittere, expoſitio quædam eſt eius quod dicebatur, ſcilicet vita iam infinita.

Aeternitas eſt actus primæ mentis in uno, & circa unum ſimul totus: atque eſt ipſum eſſe præſens tantùm, ſiue ipſum reuera ens, in quo quod ipſum ſemper dicitur, neceſſariò continetur. Cap. V.

QVoniam verò natura talis omni pulchritudine pollens, atque ſempiterna circa ipſum vnum extat, ab illo & ad illud, nullo modo ab ipſo digrediens, ſed manens circa illud ſemper, atque in illo, ſecundumq; illud viuens, iccirco dictum eſt à Platone non temerè, ſed præclarè admodum profundáque ſententia, ſcilicet æternitas manet in vno: vt videlicet non ſolùm ipſe eam in vnum quod in ipſa eſt redigat, ſed etiam ipſa entis vita circa ipſum vnum ſimiliter ſe reducat. Hoc itaque eſt quod quærimus, quódue ita permanet eſt æternitas. Id nanque ipſum & ita manens, & hoc ipſum permanens, quod quidem eſt actus vitæ manentis ex ſeipſa, ad illud, atque in illo, neque in eſſendo, neque in videndo mentitur, abſque controuerſia eſt æternitas: nam verè eſſe eſt nunquam non

A quam non eſſe, neque aliter eſſe. Id autem eodem modo eſſe, hoc verò ſine diuerſitate eſſe: aliud igitur aliúdue non habet. Neque tu igitur in vera eius contemplatione diſtantiam finges, neque extrinſecus explicabis, neque adiunges, neque protendes: neque igitur vel prius, vel poſterius in eo quicquam accipies. Quòd ſi neque prius, neq; poſterius penes ipſum fingi poteſt, ſed ipſum quod dicitur, eſt veriſsimum eſt omnium quę de illo dicuntur, imò eſt id ipſum, atque ita eſt, vt eſſentia ſit & vita. In his inquam nobis ſuccurrit rurſum, quòd dicimus æuum. Quando verò dicimus ipſum ſemper: item ipſum non aliquando quidem ens, aliquando verò non ens, putandum eſt id declarationis gratia dici: quoniam ipſum ſemper fortè non præcipuè dicitur, ſed aſſumptum ad oſtendendum incorruptibile, animum poteſt reddere vagabundum per quendam in plura exitum & prouentum. item ſignificat rem nunquam deficientem. Forſan verò præſtabat id tantùm ens dicere. Verùm quemadmodum ens nomen eſt eſſentiæ ipſi ſufficiens, attamen quia generationem quoque eſſe multi putarunt eſſentiam, opus fuit diſciplinæ gratia ipſum ſemper adiungere. Non enim aliud quiddam eſt ens, aliud verò ſemper ens: ſicut neque aliud eſt philoſophus, aliud verò philoſophus verus. Veruntamen quia nonnulli philoſophiam
B ſimulant, adiunctum eſt philoſophus verus. Sic & enti ipſum ſemper, et ipſi ſemper adiungitur ens, adeò vt dicatur aion, id eſt ſemper ens: unde dicitur æon, ideſt æuum: quapropter ſic accipiendum eſt ipſum ſemper cum ente, vt verè ens nobis ſignificet. Profectò colligendum eſt ipſum ſemper ad indiſtantem potentiam demonſtrandam, quæ præter id quod habet, nullius indigeat, habet autem omne. Omne igitur eſt & ens, atque per omne nullius indigum. Eiuſmodi verò natura non eſt hac quidem ex parte plena, alia verò vacua. Quod enim in tempore eſt, quamuis perfectum videatur velut corpus aliquod ſufficiens animæ, per animam eſt perfectum, indigétque alicuius quandoque futuri, vtpote cui tempus illud quo indiget, deſit. Quapropter ſimul cum illo ſiquando præſens immineat, atque concurrat, imperfectum exiſtens, hac vtique ratione ens æquiuocè perfectum eſſe dicetur. Quod verò tale eſt, vt neque futuro egeat, neque redigatur in tempus aliud menſuratum, neque infinitum & infinitè futurum, ſed quicquid expedit eſſe, iam habet, id profectò eſt quod intelligentia noſtra deſiderat: cui quidem eſſe non aduenit ex aliquo tanto, ſed eſt adeſt etiam ante quodlibet tantum. Decet enim ipſum quum neque tantum aliquod ſit, omnino nihil tantum aut tantum attingere, ne vita eius iam diuiſa na-
C turam ipſius penitus indiuiſibilem perdat, ſed ſit tum per vitam, tum per eſſentiam indiuiduum. Quod autem dicitur in Timæo, mundi artifex bonus erat, refert ad intelligentiam vniuerſi, ſignificans in eo quod ponit aliquid ſuper vniuerſum, non intelligendum hoc ex quodam tempore. Quamobrem neque mundum initium aliquod temporale eſſe ſortitum: quippe cum ipſa quæ eſſendi huic eſt cauſa, id quod dicitur, prius adhibeat. Veruntamen poſtquam id declarationis gratia dixerat, dictionem hanc, ideſt ipſum erat redarguit in ſequentibus, quaſi id in rebus æternis non rectè dicatur.

Animæ per ſuum quiddam æternum tangit æternitatem, & per temporale tempus. Item quòd ſint opiniones de tempore. Cap. VI.

QVæ hactenus dicimus, nunquid alienis teſtificamur, & tanquam de alienis verba facimus? At enim quomodo id fieri poſſet? Nam quæ intelligentia in nobis fieri poteſt, niſi tangamus? Et quonam pacto alienis intelligendo poſſemus attingere? Oportet itaque nos æui, id eſt æternitatis particípes eſſe. Sed quonam pacto, quum ſimus in tempore? Iam verò qua conditio-

D ne potiſsimum in tempore, & qua in æternitate liceat eſſe, notum erit planius quum iam quid ſit tempus, fuerit adinuentum. Profectò deſcendendum nobis eſt ab æuo, ad indagationem temporis atque tempus: ibi quidem erat ad ſuperna progreſsio: nunc verò loquimur iam deſcendentes, neque tamen nimium, ſed ita quemadmodum deſcendit & tempus. Principio ſi nihil omnino de tempore ab antiquis beatiſq; viris dictũ eſſet, oporteret nos ab initio, quod ſequitur deinceps connectentes æuo, dicere quæ de hoc videantur, ſtudentes ipſius notioni iam partæ opinionem noſtram accommodare. Nunc verò neceſſarium eſt in primis accipere, quæ maiori cum ratione dicta ſunt, conſiderantes ſicui illorum noſtra ſententia conſonet. Ante omnia forſan ſententias aliorum de tempore debemus in tria membra diſtinguere. Tempus enim aut ipſe motus eſt, aut id quod mouetur, aut aliquid motionis. Dicere autem tempus eſſe ſtatum, vel ipſum ſtabile, vel aliquid ſtationis procul admodum foret ab ipſa temporis notione: quippe quum identitatem minimè patiatur, ideoq; cum ſtatu atque ſtabili congruere nequeat. Eorum verò qui tempus eſſe motum opinantur, alij quidem motum omnem eſſe dicent, alij verò vniuerſi motum. Qui autem ipſum mobile eſſe tempus affirmant, ſphæram totius adducent in medium. Proinde qui tempus aiunt eſſe aliquid motionis, partim interuallum, ſiue ſpatium, ſiue durationem motus: partim menſuram, partim aliquid
E motum comitans, ſiue motum omnem, ſiue potius ordinatum.

Tempus neque eſt motus, neque duratio corporei motus. Cap. VII.

TEmpus quidem eſſe motum eſt impoſsibile: neque ſi cunctos ſimul motus accipias, ex cunctis quaſi vnum efficiens, neque ſi motum duntaxat ordinatum: nam motus uterque fit in tempore. Siquis verò motus dicatur non in tempore fieri, multò longius ab hoc inſuper aberit, vt ſit tempus, quaſi aliud quidem ſit in quo motus agitur, aliud verò ſit ipſe motus. Quum verò ſint & alia quæ dicantur, dictáque ſint, id ſufficit, atque ſufficiet, quòd videlicet motus deſinere poteſt atque intermitti, tempus verò nequaquam. Siquis autem vniuerſi motum dixerit non intermitti, attamen & hic motus ſi modò circuitum ille dicat, in quodam fit tempore, atque in idem quandoque reuertitur: non in eo quidem ſpatio quo dimidium eius impletur: & hic quidem motus eſt dimidius, ille verò duplus, dum videlicet vterque motus eſt vniuerſi, tum qui ab eodem redit in idem, tum qui duntaxat peruenit ad dimidium. Præterea quòd dici ſolet motum extimæ ſphæræ vehementiſsimum celerrimumq; eſſe, idem
F quoque confirmat, videlicet aliud eſſe ſphæræ motum, aliud verò tempus. Velociſsimus enim omnium eſt, qui breuiori tempore maius maximúmque ſpatium peragit: alij tardiores, qui ſcilicet tempore longiori, partem eiuſdem ſpatij conſequuntur. Si ergo tempus non eſt motio ſphæræ, neque etiam erit ipſa ſphæra: quæ quidem propterea quòd mouetur, exiſtimata eſt eſſe tempus. Sed nunquid tempus eſt aliquid motionis? Profectò ſi motionis interuallum eſſe dicatur, primò quidem obijciemus non idem eſſe motionis cuiuslibet interuallum, neque etiam ſi motus ſint vniformes. Velocius enim & tardius motus etiam qui ſit in loco peragitur. Et fieri quidem poteſt vt vtraque interualla vno quodam tertiò menſurentur, quod rectius admodum quis dixerit eſſe tempus. Vtrius autem horum motuum interuallum erit tempus? Imò verò cuiúſnam eorum, quum infiniti ſint? Si verò ordinati motus ſpatium tempus eſſe putetur, certè neq; omnis quidem eiuſmodi motionis: hæ nanq; multæ ſunt, quo efficietur, vt ſimul etiam multa ſint tempora. Sin autem vniuerſi motus ſpatium, ſiquidem ſpatium quod ineſt motui, quidnã aliud quàm ipſe motus erit?

Tantus

A Tantus tamen: tantum verò iſtud, vel loco menſurabitur, quoniam ſcilicet tantus eſt locus quem percurrit, & ſpatium quidem id erit: hoc autem nō tempus, ſed locus erit: vel ſpatium ſiue interuallum dicetur ipſe motus habere ob eius continuitatem, atq; ex eo quod non repente deſierit, ſed perpetuò prorogetur. At verò id nihil aliud erit quàm multitudo, ſiue amplitudo aliqua motionis: ac ſiquis ipſam intuitus motionem, multam eſſe pronunciet, ceu ſiquis calorem eſſe dixerit multum, neq; hîc quidem tēpus apparet, neq; nobis occurrit, ſed motio iterum atque iterum inſtar aquæ iterum iterumq; fluentis. Et interuallum quidem in ea perſpectum repetitáque rurſus effluxio, erit numerus ſicut duitas atq; trinitas: ſpatium verò ſiue interuallum pertinebit ad molem. Sic itaque & multitudo motionis erit vt denarius, vel tanquam inſpectum velut in mole motionis ſpatium: quod quidem non habet temporis notionem, ſed erit eiuſmodi tantùm in tempore factum: alioquin tempus non erit vbiq;, ſed in motu ſolùm quaſi ſubiecto, accidétq; rurſus tempus dicere motionem. Non enim extra motionem eſt ſpatium, ſiue duratio motionis, ſed eſt motio ipſa non ſimul tota vel momento peracta. Quando verò dicitur facta non ſubitò, ſi aliquid factum ſubitò fieri dicatur in tempore, quæremus, quonam differat non ſubitò factum, ab eo quod ſubitò atq; momento. Num fortè differat ex eo quòd agatur in tem
B pore: quamobrem & durans motus, & ipſius duratio ſiue interuallum non eſt ipſum tempus, ſed impletur in tempore. Siquis autem motionis interuallum eſſe tempus affirmet, nō quidem ipſius proprium motionis, imò ſecundum quod ipſa extenſionem habet, quaſi cum illo concurrens, nondum tamen quid hoc ſit, eſt explanatum. Conſtat enim id eſſe tempus in quo factus eſt motus. Hoc autem erat quod ab initio quærebamus, quidnam exiſtēs ſit tempus: quoniam & hoc perinde ſe habet, ac ſiquis interrogatus quid eſt tempus, reſpondeat, interuallum motionis in tempore. Quid igitur eſt hoc interuallum? Quod ille appellat tempus, qui hoc extra propriū motionis interuallum ponit. Etenim rurſus & qui in ipſo motu temporale collocat interuallum, hîc quietis ſpatium vbinam collocet, dubitabit. Quatenus enim mouebitur aliquid, eatenus quieſcit & aliud: atq; dices vtriuſq; tempus idem fore, quanuis aliter alterum ſpectet & alterum. Quidnam igitur eſt, quámue naturam habet hoc interuallum? Locale quidem eſſe nequit, quandoquidem & hoc extrinſecus adeſt.

Tēpus nō eſt menſura corporei motus inſita motui, nec ut menſura continua, nec ut numerus. Cap. VIII.

C Onſiderandum eſt deinceps qua ratione tempus eſſe queat numerus motionis, ſiue menſura: quod quidem fortè probabilius eſſet ob ipſam continuitatem dicere. Principiò hîc quoq; ſimiliter ambigetur atq; de interuallo, vtrum videlicet omnis ſimiliter motus numerum vel menſuram tempus dicere debeamus. Quo enim pacto numerabit quiſpiam inordinatum inæqualemq; motum, aut quiſnam numerus ſiue menſura: aut ſecundum quid potiſsimum ſit menſura: ſin autē eodē numerabit, metieturue vtrunq; motū omnino quēlibet, ſiue velocē ſeu tardū, erit quidē numerus & menſura, ceu ſi denarius & equos et boues pariter metiatur, aut ſi qua humidorū & ſiccorū eadē ſit menſura. Si itaq; mēſura talis eſt tēpus, iā quidē quorū ſit tēpus eſt dictū, ſcilicet motionū. Ipſum verò quid ſit, nōdum eſt explicatū. Quòd ſi quemadmodū denarius etiā abſq; equis acceptus intelligi poteſt tanquā numerus, atq; etiā menſura in ſe eſt menſura naturā habens propriā, etiam ſi nondum metiatur, ſic ſe habere oportet & tempus, cū ſit menſura: ſi inquā tale tēpus eſt in ſeipſo qualis & numerus, quonā ab hoc numero differet qualis eſt denarius vel alius quilibet ex vnitatibus congregatus? Sin autē menſura quædam continua eſt, certè quantū aliquid exiſtēs, mēſura erit velut cubitalis aliqua magnitudo: Erit itaq; magnitudo, velut linea

D quædam cum motione concurrens. At enim ipſa concurrens qúonam pacto id quo cum vna concurrit, metietur? Cur nam potius alterutrum quàm alterutrum metiatur? Probabilius autem poneretur non in motu quolibet, ſed in eo qui cum concurrit. Id autem continuum oportet eſſe, quatenus & concurrens motus tenorem continuabit: neq; extrinſecus quod metitur, ponere decet, neque ſeorſum, ſed ſimul menſuratum motum. Proinde quidnam id erit quod metitur? Nunquid motus quidem menſuratus erit, magnitudo verò menſurans? Et vtrum horum tempus erit? Num menſuratus motus, an potius metiens magnitudo? Profectò tempus erit vel motus magnitudine menſuratus, vel magnitudo menſurans, vel quiddam tertium magnitudine vtẽs, velut cubitali menſura ad metiendũ quãtus ſit motus. At in his omnibus, quod probabilius eſſe dixi mus, ſupponendũ eſt, æqualẽ ſcilicet eſſe motũ, abſq; æqualitate, atq; etiã vnitate motus etiã ipſius vniuerſi, magis profectò quàm motus ea vacillat opinio, quæ tempus quomodocunque menſuram eſſe putat. Si autem tempus ſit motio menſurata, à quanto ſcilicet menſurata, quemadmodum ſi oportuit menſurari motum, non à ſeipſo oportuit menſuram aſſumere, ſed ab alio quodam ac-
E cipere: ita opus eſt ſiquam motus præter ſeipſum menſuram aliam habeat, atq; ob hoc indiguimus menſura continua ad ipſum dimetiendum: ita inquam magnitudini quoq; ipſi menſura opus erit, vt motus eſſe poſsit quantus fuerit menſuratus: poſtquam videlicet illud ſecundum quod menſuratur, tãtum fuerit aut tantum. Atque ita tempus erit numerus ille magnitudinis comitantis motum, non autem magnitudo ipſa ſimul cum motu currens. Qualis autem hic numerus ſit, nunquid ex vnitatibus conſtitutus, & quomodo metiatur, neceſſariò dubitandum: quandoquidẽ ſiquis etiã inueniat quomodo, nõ tẽpus inueniet metiẽs, ſed tẽpus propriè tantùm. id autẽ nequaquã idẽ eſt atq; ipſum tẽpus. Aliud nãq; eſt tẽpus dicere, aliud tẽpus tantũ enũciare: nam antequã tãtũ ſit, definiendum eſt, quid hoc ipſum ſit, quod eſt, & tãtũ. Sed nũquid numerus motũ extrinſecus metiens erit tẽpus? Nõ ſic acceptus, vt denarius vnà cũ equis, ſed potius vt denarius in equis. Quis igit hic numerus ſit, non eſt dictũ, qui & antequã metiat eſt id ipſum quod eſt, quemadmodũ ipſe denarius. Nũquid hic eſt qui ſecũdum prius & poſterius motionis diſcurrẽdo metitur? at hic ſecundũ prius atq; poſterius metiens, nondũ qualis ſit nobis apparuit: Veruntamẽ quod ſecundũ
F prius poſteriusq; metitur, ſiue ſigno quodam velut pũcto, ſiue quouis alio metiat, omnino ſecundũ tẽpus dimetiet. Erit ergo tẽpus id motũ metiẽs per prius atq; poſterius, connexũ tẽpori tempusq; attingens, quo metiri queat. Aut enim prius poſteriúsue ſecundũ locũ quis accipit, ſicut in principio ſtadij atq; ſequẽtibus: aut certè non locale prius atq; poſterius, ſed temporale accipiendum. Eſt enim omnino id ipſum quod prius dicitur, tempus deſinens in id quod præſens: quod verò poſterius, tempus ſimiliter exordiens à præſenti. Tempus igitur aliud eſt quàm numerus per prius poſteriúsue dimetiens motionem, non ſolùm quamlibet, verùm etiam ordinatam. Præterea cur nam, numero quidem adhibito ſiue ſecundum menſuratum, ſiue ſecundum metiẽs (poteſt enim idem fortè & metiens & menſuratum eſſe) at cur inquam adhibito numero, tempus erit? Motu verò iam vigente, atq; priori prorſus poſterioriq; circa motum proueniente, nondum erit tempus: perinde ac ſiquis dixerit magnitudinem quanta eſt non eſſe, niſi quis quanta ſit magnitudo deprehenderit. Item cum tempus ſit dicaturq; infinitum, quánam conditione erit numerus circa ipſum, niſi fortè quiſpiam partem aliquam temporis ſeligens metiatur: in quo quidem cõtingit eſſe, etiã antequã menſuretur. Quid autẽ prohibet eſſe tẽpus antequã ſit anima metiẽs? niſi fortè quis generationẽ eius dixerit ab anima proficiſci. Per ipſam tamẽ menſurationem nullo modo neceſſarium eſt ipſum ab anima fieri.

Exiſtit

A Exiſtit enim quantum eſt, etiam ſi nullus dimetiatur. Ad id verò quod dicebat tempus forſitan eſſe quod magnitudine vtitur pro menſura: ſiquis adducat id eſſe animam, obijciemus id nihil ad notionem temporis pertinere.

Tempus non eſt aliquid conſequens ad motum corporis. Item proœmium ad tractandum quid ſit tempus. Cap. VIIII.

DIcere autem tempus eſſe quandam motionis conſecutionem, nõ eſt quid hoc ipſum ſit docere, neq; etiam dicere licet, priuſquam quid eſt quod cõ ſequitur, explicetur. illud enim tempus forſan eſſe poſſet. Conſiderandum verò eſt de hac ipſa conſecutione ſiue prius fiat, ſiue poſterius, ſeu ſimul: ſi modò talis quædam eſt conſecutio. Quomodocunque enim dicatur, in tempore dicitur: ideóque ſi id tempus ſit, tempus dicetur conſecutio motionis in tempore. At quoniam nequaquam quid nõ ſit, imò verò quid ſit tempus inueſtigamus, dictaq; de hoc multa ſunt ante nos à multis: vnde ſiquis ſingulas opiniones diſcurrat, hyſtoriam ſit potius narraturus: & quatenus percurrendo licet, nonnihil de his eſt dictum: ac licet & dicentem tempus eſſe motionis vniuerſi menſuram ex dictis refellere, & alia inſuper ad diſcuſsionem adducere, quæ modò de
B motus menſura dicebantur. Præter enim inæqualitatem, cætera omnia licet adducere, quæ & ad ipſos congruè afferentur: cum inquam res ita ſe habeat, reliquum iam eſt, quid tempus ſit planius explicare.

Quid ſit tempus, ſcilicet perſeuerantia quædam in motibus animæ mundi ad æternitatis imitationem. Cap. X.

OPerę pretium eſt reuocare nos iterum ad naturam illam quam in æuo eſſe in ſuperioribus dicebamus: naturam inquam immutabilem ſimulq; totã, & vitam iam infinitam, prorſus indeclinabilem, & in vno ad vnumq; conſiſtentem. Tempus autem nondum erat, aut ſaltem non erat in illis, ſecuturum verò ratione quadam poſterioris atq; natura. Supernis itaq; quietem in ſeipſis agentibus, quomodo principio tempus exciderit, ſiquis intelligere cupiat, haud forſan ad hoc explicandum, Muſas quæ fortè nondum erant, opportunè vocabit. Fortaſsis etiã opportunè: ſiquidem tunc etiam erant Muſæ. Et quomodocunq; ſit, tempus ipſum iam factũ quis forſan inueniat, quatenus factum eſt atq; iam manifeſtum. Dicat autem de hoc ipſo hunc in modum: Priuſquam ipſum prius
C oriretur, poſterioriq; indigeret ſimul cum ipſo in ipſo ente conquieſcebat tempus nondum exiſtens, ſed in illo ipſum quoq; quietem agebat. Natura verò quædam in multas pronior actiones, & ſui iuris eſſe ſibiq; met imperare percupiens, atq; eo quod præſens eſt plus aliquid habere ſemper eligens, iam & ipſa quidem agitata eſt, & ſimul effluxit tempus deinceps ſemper atq; in poſterum, neq; per idem, ſed in alterum rurſusq; alterum. Nosq; ex hoc motu longitudinem quandam proceſsionis effectam excogitantes, tempus iam fingimus æternitatis imaginem. Cum enim eſſet potentia quædam animæ inquieta, volens videlicet quod illic in ſpectum eſt transferre ſemper in aliud, non ſuſtinuit totum ſibi collectum ſimul adeſſe: ſed quemadmodum ratio ſeminalis explicans ſeipſam ex quodam quieto ſemine, diſcurſionem in plurimum, vt putat, agit: diſperdens interea ipſum quod dicitur plurimum partitione quadam, & pro vno quod in ſe exiſtit expedeus conſumẽsque vnum in ſe ipſo non manens, in debiliorem progreditur longitudinem: ſic & ipſa quam dicebamus animæ natura, mundum fabricata ſenſibilem ſuperioris illius imitatione, agitatum motu,

D non qui ibi ſit, ſed ſimilis potius motui qui ſit ibi, motu inquam affectante imaginem illius referre, primò quidem ſeipſam reddidit temporalem, pro æuo id iam reportans: deinde operi quoq; facto dedit vt tempori iam ſeruiret: quippe cum totum hoc eſſe in tempore compuliſſet, diſcurſiones videlicet huius omnes in ipſo complexa. In illa enim agitatum, neq; enim eſt alter vniuerſi locus quàm anima: nimirum & in eius tempore eſt agitatum. Actionem namq; ſuam adhibens aliam poſt aliam deinceps que iterum aliam, genuit vna cum actione ipſum deinceps conſequens, ſimulq; procedit cum cogitatione alia poſt illam, quod non erat antè, quandoquidem neque cogitatio talis quicquam fuerat operata. Iam verò vita præſens non eſt omnino ſimilis præcedenti: ſimul ergo alia vita, & quatenus alia aliud quoque nacta eſt tempus. Diſtantia itaque vitæ atque protractio tempus ſortita eſt, perpetuáque prorogatio vitæ ſempiternũ habet & tempus, & vita præterita tempus habet præteritum. Siquis ergo dicat tempus eſſe actum animæ in tranſitorio quodam motu ex alia vita in aliam per petuò procedentem, forſan non nihil afferre videbitur. Si enim æuum eſt vita in ſtatu & in eodem ſimiliq; habitu per manens, iámq; infinita, atque oportet
E tempus eſſe æternitatis imaginem, quemadmodum & hic mundus eſt mundi illius imago, certè loco vitæ quæ illic viget, alteram oportet uitam hîc aſſerere in quadam animæ mundanæ potentia, tanquam illius æquiuocam, & pro intellectuali motu, alicuius partis animæ motum. Item pro identitate habitúque ſimili atq; manente, viciſsim quod non permanet in eodem, ſed aliud ſemper aliúdque exequitur: Rurſus pro indiſtanti proprietate atq; vno vnius iam ſimulachrum in quadam ſucceſsione continua vnum poſsidens: Præterea vice illius quod infinitum eſt iamque totum, quod in infinitum, ſecundum quod deinceps ſequitur, perpetuò ſeſe propagat: Deniq; pro eo quod ſimul eſt totum, viciſsim quod per partes eſt futurum, ſempérque futurum totum. Sic enim imitabitur illud quod totum iam exiſtit, collectúmque ſimul, iámque immenſum, ſi videlicet velit, eſſe ſuum in continua eſſendi conſecutione ſortiri. ita namque eſt ſe illius potiſsimum imitabitur. Oportet autem nequaquam extra animam tempus accipere, quemadmodum neque æuum ibi extra ipſum, quod ens appellatur: neque rurſus conſecutionem eſſe, neque poſterius quicquam: quemadmodum neque ibi, ſed intus inſpectum aliquid quod & inſit, ſimúlque ſit, ſicut illic & æuum.

F

Confirmatio ſuperiorum. Cap. XI.

COnſiderandum eſt ex his quæ dicta ſunt, tempus eſſe naturam eiuſmodi, ſcilicet longitudinem talis vitæ in mutationibus procedentem, æqualibus & ſimilibus clam lenitérque progredientibus: longitudinem inquam, continuitatem actionis habentem. Quòd ſi rurſus fingeremus vim eiuſmodi quodammodo retrahi, ceſſaréque ab hac vita, quã nunc agit interminabilem nunquamq; ceſſaturam, propterea quòd ſempiternæ cuiuſdam animæ actio eſt, nõ ad ſeipſam, non in ſeipſa, ſed in effectione generationèque verſatam: ſi fingamus inquam eam non amplius operantem, ſed actionẽ eiuſmodi deſinentem, partémque hanc inſuper animæ ad ſuperna, & æuum ſtabiléque cõuerſam, quid nam erit vlterius præter æuum? Quid amplius aliud atq; aliud, omnibus in vno manentibus? Quid vltra prius aliquid, vel poſterius, aut longius? Qua rurſus conditione anima vlterius ſe ad aliud conferet? Niſi forſan in id in quo eſt. Imò verò neque in hoc ipſum: alioquin diſceſsiſſe prius oportuit, vt in id ſe conferre valeret: quandoquidem neque ipſa ſphæra eſſet, quæ non prius quàm tempus exiſtit, nam hæc quoque in tempore eſt, atque mouetur:

Atq;

A Atq; etiam ſi ſtet operante illa, quantus ſit ſtatus eius, metiemur quoad ille æternitatis ſtatus exterior perſeuerat. Si igitur deſiſtente hinc illa prorſusq; vnita, tempus eueſtigiò tollitur, conſtat huius initium motionis ad hæc, atq; hanc vitam tempus efficere. Quamobrem dictum eſt in Timæo tempus ſimul cum hoc vniuerſo factum: quoniam anima tempus vna cum hoc vniuerſo progenuit. Nam in eiuſmodi actione hoc quoq; vniuerſum eſt genitum: et hæc quidem tempus eſt, hoc autem in tempore. Siquis autem dixerit dici etiam tempora à Platone motus aſtrorum, meminiſſe debet Platonem dixiſſe hæc eſſe facta ad oſtenſionem diſtinctionémque temporis, atq; vt menſura nobis ſit manifeſtior. Cum enim non liceret animæ tempus ipſum determinare, vel metiri penes ſe partes ſingulas temporis inuiſibilis atque incomprehenſibilis, præcipuè apud homines numerandi prorſus ignaros, diem effecit & noctem per quæ liceret duo quædam ex hac diuerſitate percipere: vnde cogitationem numeri dicit exortam. Deinde percipientes quantum ab ortu rurſus ad ortum peragitur, habere potuimus quantum temporis ſpatium æquali exiſtente ſpecie motionis: quatenus ad hoc ipſum velut innixi intuitum figimus, & quaſi menſura vtimur tali quodam, menſura inquam temporis. Non enim tempus ipſum menſura eſt. Quo enim modo metiretur, & quidnam diceret metiẽs? An de aliquo di
B ceret hoc tantum eſt, quantum ego ſum? Quiſnam igitur eſt qui dicitur, vel dicit ego? An ſecundum quem fit menſuratio? Non ne igitur in ſe exiſtit aliquid, vt metiri queat, neq; tamen menſura? Motus igitur vniuerſi menſuratus ſecundum tempus erit: ac tempus non erit menſura motus ſecundum id quod eſt, ſed per accidens, videlicet exiſtens aliud quiddam prius, quanta ſit motio patefaciet. Tum verò motus vnus acceptus in tanto tempore ſæpe numeratus, in notitiam adducet quantum temporis præterierit. Quapropter ſiquis dixerit motum reuolutionémque metiri quodammodo tempus quantum poteſt, tanquã in ſuo quanto quantum temporis oſtendentem: quippe cum neq; accipi aliter, neq; intelligi valeat, is profectò à decenti declaratione non aberrabit. Quod igitur à circuitu menſuratur, ideſt, declaratur, tempus erit, non genitum quidem ab ipſo circuitu, ſed demonſtratum. Atq; ita menſura motus eſſe videtur quod menſuratum eſt à motu determinato, menſuratúmque ab ipſo tanquam ab eo diuerſum: quandoquidem ſi & menſurans aliud eſſet, & aliud vtiq; menſuratũ, menſuratum verò per accidens. atq; ita dictum fuiſſet perinde ac ſiquis dixerit quod menſuratur à cubito, magnitudinem eſſe, non dicens tamen quid ipſum ſit definiens magnitudinem. Rurſus velut ſiquis cum nequeat ipſum motũ ob
C naturam eius indeterminatam planius explicare, dicat motum eſſe quod menſuratur à loco. Accipiens enim quis locum quem motio pertranſiuit, tantam eſſe motionem dicet, quantus & locus.

Tempus non eſt reuolutio ſed declaratur ab ea. Item mundus eiuſq; motus agitur ab ipſo animæ mundanæ motu. Cap. XII.

TEmpus igitur ipſum reuolutio patefacit, in quo videlicet reuolutio ipſa peragitur. Oportet autem tempus ipſum non amplius ſolum id habere, vt in eo aliquid tranſigatur, ſed etiam atq; prius id ipſum quod eſt exiſtere, in quo mouentur cætera, & quieſcunt æqualiter atq; ordinatè, & à quodam ordinato in notitiam emicare, neque tamen inde fieri, ſiue quieſcente illo, ſiue etiam agitato, magis attamen agitato: ſiquidem motus ad notitiam conſecutionémque temporis, magis quàm quies conferre videtur, planiúſque patere poteſt, quantum aliquid motum fuerit, quàm quantum ſteterit. Quamobrem eò adducti ſunt, vt dicerent tempus eſſe menſuram motus, pro eo quòd forſan dicere ve-

D lint, motu menſuratum. Proinde adiungendum quid in ſe exiſtens motu menſuretur, neque ſolùm dicendum quod accidens ei conueniat, & id quidem permutato dicendi modo: at forſan illi non permutata ratione dictum ab eis accipi voluerunt: nos autem non intelligimus, ſed manifeſtè dicentibus illis menſuram ſecundum menſuratum, eorum ſenſum minimè conſecuti ſumus. Cauſa verò ob quam minimè intelleximus, hæc ipſa eſt: quoniam ſcriptis ſuis, quidnam in ſeipſo ſit tempus, ſiue menſurans, ſiue menſuratum denominetur, nequaquã explicant: ac ſi planè cognoſcentibus auditoribusq; ſuis hæc illi ſcripſerint. Plato autem neque menſurans aliquid, neque menſuratum ab aliquo, eſſentiam temporis eſſe dixit, ſed ad ipſum patefaciendum, mundi reuolutionem minimũ quiddam eſſe ſortitam, ad minimam quandã temporis portionem: adeo vt hinc cognoſci poſsit, quale ſit tempus & quantum. Volens tamen eius eſſentiam indicare, vnà cum cælo natum inquit, eſſeq; ad æuum imaginem mobilem exemplaris æterni: quoniam non permaneat tempus, vita videlicet non manente, cũ qua concurrit atque conuoluitur. Natum verò vnà cum cælo dicitur; quoniam eiuſmodi vita cælum facit, vnaq; vita cælum operatur & tempus. Quare ſi poſ-
E ſet eiuſmodi vita in vnum omnino conuerti, protinus ceſſaret & tempus quod hac in vita verſatur, ceſſaret & cælum ea vita priuatum. Si quis autem vitæ inferioris & motionis huius, ipſum prius poſteriusúe accipiens, hoc ipſum eſſe tempus affirmet, aſſerens hoc aliquid eſſe, motus autem verioris naturam prius poſteriusq; habentis neget aliquid eſſe, admodum ridiculus erit: quippe cum motui cuidam inanimato concedat prius atque poſterius, ac præterea penes ſe tẽpus habere, motui autem per quem & hic imitatione quadam naſcitur minimè id concedat: à quo tamen ipſum prius atque poſterius primò manauit, cum ſit motus efficax per ſeipſum: & quemadmodum actiones ſuas generat ſingulas, ſic & continuam producat ſucceſsionem, ſimulq; cum genitura tranſitum quoque efficiant actionum. Cúrnam igitur motum quidẽ hunc vniuerſi reducimus in illius ambitum, & in tempore verſari fatemur? Non tamen & motum animæ in ſe vigentem, perpetuaq; diſcurſione progredientem. forſan quia quod ſuper hunc motum extat, æternitas eſt, neque concurrens cum motione, neque ſimul extendens aut extenſa. Primus igitur ille motus reſpicit tempus & generat, ſimulq; cum ſua poſsidet actione. Quo igitur modo tempus eſt vbiq;? Quoniã videlicet anima vitaq; illa motusq; vitalis à nulla vſquã mundi parte abeſt: quẽ-
F admodum & talis in nobis vita partem noſtri deſerit nullam. Si quis autem obijciat tempus in quadam non ſubſtantia, ſiue non exiſtentia verſari, mentiri enim circa ipſum eſſe, quemadmodum de deo dicitur, mentiri nos circa ipſum erat & erit: ſic enim erat & erit, vt illud in quo quis dicat ipſum fore, quidnam dicemus? Verùm ad hæc alia quædam ratio diſputandi requiritur. Hoc autem animaduertendum eſt in præſentia ad ea quę dicta ſunt, quòd quãdo quis circa hominem qui mouetur conſiderat quantum proceſsit, quantus quoque ſit motus agnoſcit, & quando motum velut per crura progreſſum iudicat, ſimul motionẽ ipſam ante hunc progreſſum in homine cogitat, videlicet fuiſſe tantam: ſiquidem in tantum vſque corporis progreſsionem regendo continuauit. Corpus quidem motum tanto tempore, rediget in motum proprie tantum. Hæc enim cauſa eſt, & in huius tempus, hunc verò motum in ipſum animæ motum, qui ſecundum æqualia produxerat interuallum. Ipſum itaque motum animæ in quid potiſsimum referemus? Certè in quodcunque referre volueris, in aliquid deſines prorſus indiſtans. Hoc igitur hic exiſtit primò, ipſumque eſt in quo cætera continentur: ipſum verò non amplius in alio. Non enim habere poteſt quo comprehendatur. Hoc igitur primò regnat. In anima quoque totius ſimiliter res habet. Num igitur & in nobis eſt tempus? Forſan in omni anima tali, & vniformiter

A formiter eſt in omni, & omnes quodammodo ſunt vna. Quapropter non diſpergetur tempus: quandoquidem neque æternitas quæ ſecundum aliud in vniformibus cunctis exiſtit.

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM DE NATVRA, ET CONTEMPLATIONE, ET VNO.

Naturalia fiunt à uita quadam agente per rationes quaſi contemplatiuas, ſibi infuſas ab intellectu diuino.

B PHILOSOPHI quondam nonnulli ſimpliciter naturales, putabant naturalia omnia à qualitate quadam elementali motuque generari: ac talia prouenire uel talia pro uirtute qualitatis, quæ in agente uigeret, & pro efficacia motus inde in materiam deſluentis, nec his præeſſe rationem ullam modò intimæ artis agentem. Plotinus autem corporales qualitates, & motus duci uult ab incorporea forma non ſubiecta motibus, ſed præſidente: quam uocat naturam uniuerſalem atque primam. Formam dico ſubſtantialem, atque uitalem, quæ nec ulla ſit corporum qualitas, ut poſsit omnes pariter procreare, nec ſolo impetu motus agat, ut diſponere poſsit omnia moderamine certo: ſed agat ſua quadam ratione formali, & naturali quadã arte: perinde ac ſi artificioſa ratio, quæ eſt accidens in artifice, ſit aliquid per ſe ſubſiſtens, quamuis intra materiam: atque ita ſuapte natura agat artificioſè, ut artifex artificioſè agit electione: imò ſic naturali arte agat artificioſè, ſicut ignis naturali calore naturaliter calefacit. Huic ergo uiuæ naturaliquè rationi parent qualitates & motus, ut inſtrumenta: tametſi abſque motu corporeo, corporeum edit motum, & ſine qualitate ignis generat ignem: ac ſine manifeſto ſemine paſsim uiuentia generat: utpote quæ eſſentiales in ſe habeat, & uiuas omnium rationes: quod ſatis in theologia noſtra probamus, & ita in præſentia breuiter confirmamus. Super nutritionem & augmentum, quæ ſunt generationes quædam, eſt ipſa ſimpliciter generatio, quæ & in his omnibus reſeruatur. Cum igitur hæ generationes quædam, uitarum quarundam uel quorundam uiuentium opera ſint, nimirum ipſa ſimpliciter & prima communisque generatio eſt opus ſimpliciter uitæ, uitæque communis totum regentis mundum. Atque cum in mole mundi non ſint certa ubique ſe-
C mina corporalium manifeſta, profectò in ipſa totius uita ſunt ſemina, & propriæ rationes ſeminum rerumque ſenſibus apparentium. Natura enim quæ ſine electione facit, inſita forma facit, & certas ubique formas certis neceſſariò formis, id eſt, rationibus ſeminalibus: quibus ſanè tanquam principijs atque regulis motus omnes, qui per ſe indeterminati ſunt, certo quodam tenore definiat, & qualitates quæ toto impetu agunt quicquid agunt, & cohibitæ ſunt naturaliter in anguſtum, librata quadam moderatione ducat ad opus: & id quidem multiforme, uniformi tamen ordine. Nec aliter certum ubique finem ſpectet, in his quæ ipſa non uident finem, quàm ars ſoleat & conſilium. Ars hæc uiuens atque naturalis omnes in ſe ſecundum actum naturales continet formas, non aliter quàm ars humana poſsideat artificia. Materia enim quæ in potentia formabili ſemper eſt ad omnes, non aliter ad actum perducitur omnium, quàm per uitam materiæ quidem præſidentem, ſed cognatam in ſe omnes actu comprehendentem. Natura quidem hæc artifex omnium, neque materia quadam tali uel tali, neque ipſa ſimpliciter materia ad ſuam indiget exiſtentiam. Ipſa enim materiam quotidie talem reddit, atque talem, materiamque expedito mouet imperio. Iam uerò nec qualitate hac uel illa materiæ indiget ad ſuam ſimpliciter actionẽ. Poteſt enim qualitates abſq; qualitatibus generare: quippe cum ipſa ſit cõmune principiũ ad oẽs pariter generandas. Ac ſi generat paſsim uiua ſine ſeminibus manifeſtis, magis poteſt qualitates elemẽtales per ſemina ſua tantùm ſine elementorum talium miniſterio procreare. Quòd ſi utitur materia qualitatibus certis affecta, non quidem neceſsitate eiuſmodi qualitatibus utatur, ſed per accidens,

D Quod ſanè confirmatur ab illis qui in generatione reſolutionem fieri uſq; ad primã materiam arbi
trantur. Proinde memento naturam eiuſmodi eſſe uerum generationis ubiq; principium. Forma
namq; materialis quia formarum eſt ultima, formale nihil proprie generat. Quod enim in aliquo
genere poſtremum eſt, nihil gignit in eo. Eſt ergo materialis forma non tam generationis princi-
pium, quàm affectio quædam materiæ inducta deſuper ab occulto principio ſpeciem generante.
Quod autem nihil generet, confirmatur ex eo, quia generatio ad uitam pertinet: hęc autem uita ca-
ret: uita uerò carere conſtat ex eo, quoniam oportet eſſentiam ulterius proficiſci quàm uitam: nec
tamen uſque ad materiam procedit eſſentia: ſiquidem neq; forma. In qualitatem igitur eſſentia de-
ſinit, & id quidem intrinſecus deſinit, ergo uita in naturam ſimiliter ſuper materiæ qualitatem. Na-
tura quidem hęc incorporea eſt. quod enim corporeum eſt, ſi mouet quicquam, interea & mouetur,
mouetur inquam etiam in ſubſtantia. Primũ uerò mouens eſt quod ſubſtãtia permanet, ut perpetuũ
continuare queat in motu tenorem. Si tamen eſt motor intimus familiaris q; uelut forma quædam,
qualis eſt ipſa natura, oportet dum mouet, etiam quodam pacto moueri per modum quendam po-
tius ſui alium atq; alium, non per eſſentiam aliquando declinantem. Deniq; ſicut in quolibet anima
to non qualitas elementalis, ſed uitalis quædam ratio principium eſt eorum quæ in corpore fiunt,
& ſuper & contra qualitatum eiuſmodi modum, ſic in uniuerſo uiuente, ideſt, mundo, non elemen-
talis qualitas aut motus, tam pulchra, tam diuerſa, ſed ratio quædam uiua diſpenſat, quam Plotí-
nus ait in ſeipſa per eſſentiam permanere, quamuis in affectionem actu aliam uiciſsim ex affectio-
E ne mutetur. Neque à materia dependere pariter, & ab anima, ſicut & corporea qualitas: ſed ab ani-
ma tantùm, uelut perennem actum animæ uergentem erga materiam. Ideo qualitatem Plotinus
corpoream appellat accidens, quoniam utriq; dependeat: uitam uerò ab anima communicatam
corpori, non accidens corporis, neque rurſum animæ accidens, ſed eſſentialem actum animæ, quaſi
medium inter uerum accidens, ueramq; ſubſtantiam, quæ uſq; ad intellectualem progreditur ani-
mam: ſiquidem uirtutem aliquam habet, qua ſeipſam quodammodo ſubſtineat, & conſeruet, & in
ſeipſa proficiat: quo quidem munere omnes intellectuales eſſentiæ per ſe & ex ſe ſubſiſtere dici ſo-
lent. Sed ut ad naturã redeamus, ideſt, uitam ab anima dependentem, in hac ſunt rationes omnes for
marum naturalium productrices, ipſaq; in ea ratio quælibet non notio quædam eſt, ex argumento
uel indagine quandoq; concepta: ſed eſſentialis proprietas atq; actus eſſentiæ non differens ab eſſe
tali quodam atq; tali. Eſt igitur in natura ſeminalis quædam ratio, eius quod inde gignitur: quæ
quanuis ſit actus eſſentialis naturæ ipſius, ipſumq; ſuum eſſe tale: tamen tranſlatione quadam no-
minatur intuitus non acquiſitus aliquando, ſed naturaliter illic affixus: non quærens aliquid, ſed ab
initio poſsidens: neq; animaduertens in ſe aliquid, ſed quaſi ſtupidus, qualis in attonitis eſſe ſolet.
ac fortè talis quidam ſenſus, qualem nõnulli plantis attribuebant. Nam & hæc eſt cõmunis uniuer-
ſi planta per ſuum quendam quietum ſubſtantialem q; ſenſum ſua uita fruens, naturalia q; cõcipiẽs:
atq; hunc ſine ſtrepitu ſenſum, id eſt, ſine diſtractione ſui ad aliud Orpheus naturę tribuit in hymno
naturæ. In natura quidem intueri nihil aliud eſt, quàm eſſe tale, & tale quiddam facere. Et quoniam
quaſi quodam intuitu & ſpectamine facit: ideo quod gignitur in materia, ſpectaculum dici poteſt:
F atq; ita inſuper ſpectamen appellari naturæ, ut ſolemus in puero dicere: ſignum hoc huic ingenitũ,
eſt quædam concupiſcentia & imaginatio matris. Omnino uerò neq; in intellectu neq; in natura eſt
ulla cognitio, uel notio, uel intuitus ſic ab eſſe differens, ſicut differre ſolet intuitus, qui conſideratio
dicitur, qualis eſt in illis, qui rem ipſam quam ſpectant, non poſsident naturaliter. Intellectus autẽ,
& natura quæ à ſubſtantia intellectuali dependet naturaliter poſsident, imò ſunt illa ipſa quæ in-
tuentur & faciunt intuendo: quem quidem eſſentialem efficacem q; intuitum, appellat ſeminariam
rationem. Primam quidem rationem ponit in ipſo ſimpliciter intellectu: ſecundam in anima intel-
lectuali, quam primam nominat animã: tertiam in natura, quam ſecundam animã nominat: quar-
tam in materia, ideſt, materialem formam. Formæ quidem rerũ primæ in ipſo ſunt intellectu, ſunt q;
ibi contemplationes uel cõtemplamina quædam. Dicimus autem contemplamina uel ſpectamina,
notiones omniũ, ſiue conceptus ibidem reſultantes interea, dum intellectus ſeipſum contemplatur,
& ſpectat. Secundæ uerò formæ ab intellectu contemplante in animam intellectualem naturaliter
exprimuntur: ſunt q; hic etiã cõtemplamenta quædam. Tertiæ imprimuntur hi ne in naturã. Quę cũ
ex amuſim ex contemplationibus exprimantur, ſunt & ipſe contemplationes quædam, ne totiens
dixerim contemplamina. Quartę tandem ex ipſis contemplatiuis naturæ conceptibus concipiuntur
in materia mundi. Et quoniam prædictas contemplationes ſequuntur ordine quodam, & imitan-
tur ad unguem, contemplationes quædam nominari poſſunt. Artificia ſanè ad uſum ſpectantia di-
ci ſolent intelligentiæ quædam ingenia q; artificis: multo magis ſoni muſici: magis inſuper cantus:
quoniam cogitationem expreſsiorem affectum q; uiuum ſecum ferunt, maximè uerba ſiue prolata

ſiue

A ſiue ſcripta. Formæ igitur naturales in primis id habent, ut & appellentur, & ſint intelligentiæ quædam, conceptusque expreſsi ipſius intellectualis naturæ, ſiue naturalis intelligentiæ. Natura enim ipſa rerum artifex, eſt poteſtas quædam uiua intellectualis animæ, figurans materiam, non alienam ut ars, ſed ſuam: neque ſicut ars extrinſecus, ſed intrinſecus: neque electione tali, ſed eſſentia tali ac ſine inſtrumento, atque ſemper. Iam uerò in hoc natura differt à geometra puluerem figurante: quoniam hæc & intus, & ſine inſtrumento electionéque facit: perinde ſicut geometra dum uehementer, & affectu quodam figuras imaginatur, ſpiritum eius intimum imaginatione mouet, atque figurat. Fingit uerò Plotinus quatuor hæc, intellectum, animam intellectualem, naturam, materiam, eſſe quaſi uitra quatuor ſubinde diſpoſita: ipſasque primi intellectus intelligentias inde uelut à ſole radios per animam, naturam, materiam pertranſire, quaſi continua quadam conformitate: ut quodammodo dici poſsint iidem radij, eædemque intelligentiæ in ſequentibus & poſtremis, qui & in præcedentibus eſſe, ſed deinceps gradatim à priori dignitate deficientes. Cum uerò contemplatio intellectus primi, atque deinceps contemplatio quædam in anima, & natura naturalium ſit principium, nimirum & finis omnium eſt contemplatio, quam & intellectualia perpetuò poſsident, & in eiuſmodi fine feliciter conquieſcunt, quam & rationalia quærunt, ut in ea quandoque quieſcant, quam & ſenſualia per actum continuum ſentiendi pro uiribus imitantur, quam & quæ generant omnia, tum in ordine motus, tum in pulchra genituræ forma referre conantur. Denique diuinæ prouidentiæ contemplatio ad exactiſsimam dirigit omnia pulchritudinem, dum in tota diſpoſitione rerum non minus, imò plus ornamento quàm neceſsitati conſulitur. Ex quo quidem ornamento mirabili mentes excitat ad ipſam diuinæ mentis artem inueniendam, & eiuſdem pulchritudinem
B contemplandam.

De fine intellectualis naturæ. & quòd in cognitione uera idem eſt cognoſcens & cognitum. Et de gradibus uitæ & intelligentiæ, & quòd intellectus primus eſt omnia, & perfectè totum.

IN capite libri quinto ſextóque notabis uitæ intellectualis finem eſſe non ſimpliciter, & quomò libet habere bonum, ſed bonum habitum intelligere: nam & hoc ipſum ibi eſt habere, ſcilicet intelligere. Hæc enim eſt actio intellectualis naturæ propria, & præcipua ratio poſsidendi. Item bonũ nobis non ſenſibile quidem, ſed intelligibile eſſe ſummum: quoniam hoc ſolum nobis eſt intimum, maximéque quietum, idemque eſt tandem cum ipſa cognoſcendi potentia. Præterea memento potentiam cognoſcendi in ipſo cognitionis actu unum quodammodo fieri cum obiecto. Et quo magis fiit unum, eo perfectiorem eſſe cognitionem, atque uiciſsim: & ubi perfectiſsima eſt, imò ubicunque uera, ibi unum idemque eſſe re ipſa cognoſcentem potentiam atque cognitum. Intellectus igitur & intellectualis omnis eſſentia ſicut eſt omnia ſemper actu, ita & actu cuncta ſemper intelligit. Rationalis uerò natura animæ omnia quidem eſt, ſed non ſemper in actu omnia. Et quatenus actu ſe confert in aliquam intra ſe latentiũ rationem, eatenus fit ipſa ratio, perq; hanc intelligit quæ in huius uirtute cõprehenduntur, & intelligendo fit illa. Summatim re uera cognoſcere aliquid non
C eſt aliud, q̃ hoc ipſum eſſe uel fieri. Deniq; cum diuinus artifex ipſa contẽplatione ſui faciat oĩa, & facta prouocet ad ſeipſum pro uirib. imitandũ, nimirũ oĩa contemplatiuũ uel cõtemplabile aliquid appetunt, atq; moliunt, ſiue intelligendo, ſiue ſentiendo, ſeu etiã agendo, atq; generãdo. Præterea in cap. 7. cognoſces iterũ oẽm potentiã intellectualẽ, eſſe idem cum re intellecta, & in ea intelligere ab eſſe non diſcrepare, quia in genere cognitionis eſt ſumma: potentiã uerò rationalẽ fieri cum re cognita idem, ſed intuitum ſenſus exterioris atque naturæ uergere ad externum: Item primam formam ob ſummam eius ad motum efficaciam eſſe primam uitam, & ob efficaciam eſſe intimam, ſuiq; ipſius compotem eſſe intelligentiam primam. Sicut ergo per omnes rerum gradus procedit forma à prima forma per eſſentiam facta, ſic & uitam intelligentiamque procedere, ut forma quælibet dici queat uita, & intelligentia quædam. Denique intellectum primum ſicut uniformis eſt, propterea quòd ſit in eo genere primus: ſic & omniformem fieri, propterea quòd contemplando ſeipſum propter fœcunditatem intelligentiæ ſub uarijs ſeſe formis concipiat: ueruntamen in qualibet forma intra ſe concepta communem totius agnoſci formam: ideóque eſſe totum quiddam perfecta ratione totum, quia totum conſeruetur in ſingulis: idque habere, quoniam ſit unitiſsimum, ex eo quòd unitati diuinæ ſit proximum, à qua tamen degenerat. Quoniam in eo rationis rerum formales diſcrepant inter ſe ratione formali, perq; gradus deriuantur à ſuperiori quodammodo ad inferius, & à meliori ſimiliter ad deterius: conclude in quolibet genere quod eſt primò totum eſſe perfectè: & ideo in qualibet ſui parte totũ: ſic ens ipſum, ſic ipſa uita, ſic intellectus.

D Quod uerò ſic eſt totum, non ita componitur ex ſuis, uelut quod ex partibus eſſentiam mutuatur: ſed ipſa ſui eſſentia eſſe dat partibus. Atqui eiuſmodi totum quod ſe propagat in ſua, quódue in ſingulis conſeruatur totũ dicitur infinitũ. Nam infinitè quicquid in eo acceperis, cõſequũtur & reliqua.

Intellectus etiam primus eſt neceſſariò multiplex, & eſt omnia: igitur ante ipſum eſt principium omnium, quod non eſt omnia, ſed ſuper omnia.

HAec in octauo cap. conſideranda uidentur. Ratio nanq; intellectus hæc ipſa eſt quod mouetur, & illuminetur, atq; formetur: intelligibilis aũt ipſius proprietates oppoſitæ ſunt. Item in ipſa intellectus ratione non neceſſariò includitur, ut ſit ipſum intelligibile: nulla enim neceſsitas prohibet eſſe aliquem intellectum, etiam ſi intelligatur à nullo, uiciſsim nec ad rationẽ intelligibilis neceſſariò pertinet, quòd intellectus exiſtat. Intellectualis nanq; potentia in ambitu obiecti ſui cõprehendit materialia ſimul & ſpiritualia, atq; inter hæc continet quę intelligunt, & quæ non intelligũt. Intellectus igitur atq; intelligibile diſtinguũtur inter ſe quadã ratione formali, eiuſmodi uerò diſtinctio diſtinctioni quæ ſecundũ rem appellatur proxima eſt. Hæc ipſa uerò ſecundũ rẽ diſtinctio poſtrema eſt: illa itaq; forma prima, in qua intellectus cum intelligibi copulatur, non eſt unitas ſimpliciſsima: non eſt igitur primũ uniuerſi principiũ, quod ſimpliciter unũ eſt atq; ſimpliciſsimũ: quẽadmodũ quicquid eſt in aliquo genere primũ, in eodẽ eſt neceſſariò ſimplex. Eſſe uerò intellectũ quadã
E neceſsitate multiplicẽ, ideoq; non primũ, ſic etiam confirmatur: Si intellectus eſt ſumma cognitio, hẽt ſecũ intelligibile cõiugatũ, ſcilicet re ipſa idẽ q̃uis non ratione idẽ: Itẽ ipſum quod prmo & ſecũdum ſe intelligibile eſt, hoc hẽt & conſequenter, ut ſit etiã intellectus. Tale. n. intelligibile eſt forma ſeparata ſubſiſtens, ideoq; in ſe reflexa reportat intelligentiã. Res uerò materialis ſi appellatur intelligibile, talis euadit, quatenus transformatur in aliud, uel per aliud intelligitur cõſequenter. Cum igitur intellectus atq; intelligibile ſe inuicem comitẽtur, adeò ut qd' eſt alterutrũ ſit & alterũ: atq; hæc differunt ratione formali, neceſſariò intellectus primus eſt multiplex, neq; ſummũ uniuerſi principiũ. Dubitatur deinceps hunc in modũ: principiũ ipſum quatenus eſt extra genus intelligentiæ uidetur eſſe ſibimet ignotũ: & quatenus ſuper intelligibile genus extat, cognoſci nullo modo poteſt. Reſpondetur ad hæc: ipſum præſtãtiore quadã ratione q̃ cognoſcendo ſeipſo frui: atq; aĩam eo frui excellentiore forſan cognitione, q̃ intellectuali, uel potius eminentiore quodã pacto, quàm cognoſcendo. Non. n. intellectus ſimpliciterq; cognitio in nobis eſt ſummũ, ſed unitas boniformis, per quã prima fruimur unitate ſimul & bõitate: ſicut & per luminoſum ſenſum ſenſibili fruimur luminoſo. Sicut ergo qui ſtudet uehementer imaginari, à motu ceſſat & ſenſu: & qui penitus intelligere, imaginationẽ ſedat: ita qui optat attingere quod ſuper naturã intellectualẽ intelligibilẽq; exiſtit, oẽ prorſus intelligibile pertranſire debet, & intellectũ ꝓprium poſthabere, ſilẽtiumq; intelligẽtiæ ꝓrſus imponere, redactus uidelicet in aliquid ſui primũ, per quod fruatur uniuerſi primo. Cõclude aliud atq; aliud aliter atq; aliter ſe ipſo frui. Corpus quidẽ animalis frui ſeipſo per ſenſum, rationẽ uerò nõ per
F ſenſum, ſed per melius aliquid ſemetipſa frui: intellectũ quoq; non per aliquẽ rationis diſcurſum, ſed per aliquid eminentius ſui ipſius fieri cõpotẽ: ſimiliter unum ipſum atq; bonũ per aliquid intelligentia cognitione q; ſublimius ſe ipſo frui. Proinde ſi ab imperfectis ad perfecta gradatim eſt aſcendendũ, certè ſuper imaginationẽ quæ per aliqua rerum genera tantùm, & longo inſuper tẽpore diſcurrere ſolet, ponenda eſt ratio per omnia diſcurrens, ac tẽpore ad hoc indigens breuiore, & ubi eſt perfectiſsima, q̃ breuiſsimo. Super hanc intellectus omnia ſemper ſine tẽpore conſecutus: qui ſi perfectè habet in ſe uideq; omnia, non habet illa confuſa, ſed diſtincta ſinceraq;, non intuetur obſcura, ſed clara diſcernit atq; diſtincta. Super hunc igitur hac neceſsitate multiplicẽ primum eſt uniuerſi principium, quod neq; eſt dũtaxat unũ aliquid oĩum: alioqui nõ haberet ad oĩa poteſtatẽ, nec oĩum principiũ eſſe poſſet: neq; etiã eſt ita oĩa tãtùm, ut nõ ſit unũ atq; ſimplex. hoc. n. primũ eſt. Vbiq; uerò prius eſt unitas multitudine, & cõpoſito ſimplex: neq; rurſum eſt & unũ pariter atq; oĩa. Si. n. hoc ab alio cõcedatur, ita diſtinguimus: aut eſt cũcta sũmatim, aut potius ſingulatim: ſi ſummatim, ideſt, qd' ibi ſit una quædã forma cũ multitudine: aut hæc una forma eſt ante multitudinẽ, atq; ita hæc ipſa dũtaxat principiũ eſt, neq; opus eſt, ad hoc ut ſit principiũ, ei multitudinẽ adhibere: aut una hæc forma eſt cum multitudine ſimul: atq; ita non eſt principium omnium, quandoquidem ante omnia non exiſtit: aut forma hæc una poſt omnia ponitur, quo nihil dictu uidetur abſurdius. Sin autem accipiatur alterum illud diſiunctionis membrum, ſcilicet quod principium illud omnium, ſit ita omnia, ut de unoquoque oculis demonſtrato diſcurrendo per ſingula, ſit uerum dicere, hoc eſt principium, ſequetur ut quodlibet ſit principium. Cum uerò principium ſit neceſſariò unicum, unica res erit in uniuerſo: uel uiciſsim principia totidem, quot res eſſe ponuntur.

Ipſum

A *Ipſum bonum eſt ſuper eſſentiam,vitam,intellectum,neque intellectu poteſt attingi.*

CVm in gradibus uiuentium uideamus,conſumatiſsimum uitæ gradum eſſe tandem uitam intellectualem,conijcere poſſumus,primam in toto rerum ordine ſimpliciter uitam eſſe ipſum ſimpliciter intellectum. Siue igitur ut uitam conſideras,eſt motio quædam ad terminum,ideoq; ad aliud,ut ad bonum:ſiue ut intellectum accipis,eſt motus aliquis ad uerum,ut ad bonum:utroq; igitur pacto eſt dependens aliquid,neq; contentum eſt eſſentia ſua,cuius uita & intellectus exiſtit,ſed quærit aliquid eſſentia melius,ideſt,ipſum bonum,quod neq; uita ſecundum formam,neq; intellectu indiget quo annitatur ad bonum:quandoquidem eſt ipſum bonum,cui nec ulla opus eſt actione:ſiquidem omnis actio eſt ad bonum,circa quod uerſatur. Quod quidem cum ſuper intellectum & intelligibile prorſus exiſtat,nomina uerò ex intellectus conceptione imponi ſoleant,nullum proprium habet nomen. Appellatur autem bonum,quoniam inde omnia efficiũtur,& facta perficiunt. Appellatur & unum,quoniam interea ſupereminet omnibus,neq; mouetur dum hæc inde procedunt,alioquin nihil alicubi permaneret:neq; diuiditur in partes,alioquin ceſſaret unum ipſum: quo ſublato mox omnia perderentur:neq; omnino multiplicatur in formas,alioquin ad miſtionem uel adiunctionem patiens,non eſſet ampliùs uera unitas & immenſa ſimplicitas. Si per arbores per animalia,per animam,per mentem proceſſeris,inuenies quod in unoquoq; horum ſimpliciſsimũ eſt maximeq; unum,eſſe omnium potentiſsimum,reliquorumq; principium. Similiter uniuerſum ad unitatem rediges potentiſsimam,de qua nihil ulterius prædicabis,cum primum concepiſti unitatẽ
B ipſam uel bonitatem:alioquin ſiquid præterea prædicaueris,compones, & minues componendo, reddesq; indigum,& poſterius. Noli ergo huic intellectionem addere. Alia enim eſt ratio intelligentiæ,alia boni. Non enim æquè utrunq; cuilibet conuenit. Intelligentia igitur adiuncta bono congeriem conficit,neq; igitur illic adhibebis ideas,quæ concipiuntur intelligentia,differuntq; inter ſe abſolutè ratione formali, præſertim contrariarum rerum oppoſitarumq; ideæ quod patet ex ordine uniuerſi inde ſecundum eſſentiam formamq; geniti. Quæ enim in hoc opificio reipſa differunt & ſubiecto, hæc in opifice omnium intellectu abſolutè formaliq; differunt ratione: alioquin hic ordo formarum uel inordinato quodam caſu conſiſteret, uel ex materia prorſus informi procederet. Diſtinctiones uerò formales & abſolutas adhibere primò Platonici uetant, prohibent etiam poſt unitatem uel bonitatem adhibere uitam aut eſſentiam,quorum nixus non quieſcit in ſe, ſed contendit ad bonum. Iubent primùm illud ſuper eſſentiam atq; eſſe ponere,ſicut materiam quæ ex oppoſito ultimum eſt ſub eſſentia & eſſe iudicant collocandam:ideoq; ſicut in attingenda materia deſcendendum eſt ſub omnibus intelligentiæ conceptibus qui formales ſunt:ſic ad attingendum illud ſuper omnes eiuſmodi conceptus eſt aſcendendum: neq; mobili uel multiplici uel formali intelligẽtiæ actu attingi poſſe putandũ,quod ſuper motũ multitudinemq; & formã mirabiliter extat

Ipſum bonum eſt pater,cuius filius eſt intellectus,ſemper à patre plenus, huius autem intellectus eſt imago mundus.

C QVemadmodum aliud eſt uiſus,aliud uerò lumen,ad quod capiendum eſt oculus inſtitutus, etiam ſiquis oculus fingatur ab æterno lumine plenus:ſic aliud eſt intellectus,aliud uerò uerum ipſum atq; bonum,ad quod naturaliter intellectus annititur:differtq; ab illo,etiam intellectus ipſe,qui propter propinquitatem boni ſemper bono pleniſsimè fruitur: Ipſi itaq; bono ſicut & lumini nihil opus eſt uiſu. Iam uerò ſiquis poſſet totus mundi uiſibilis ornatum totum uno ſimul intuitu cõtueri,ſupra modum admiraretur,ac uelut ex imagine quadam facilius mundum intelligibilem opificem huius ſuſpicaretur,ſed admodum pulchriorem. Rurſum ſiquis conſpiciat illum, in quo nihil informe,nihil deforme,nihil immoderatum,uel uitæ uel intellectus expers, in quo totus ſplendor & in ſplendore puriſsimo totus ordo naturæ facilius coniectaret. quis pater eius, & qua ratione tantum talemq; genuerit filium:intellectum quidem purum,& omnium plenitudinem pater penes ſe generans ab æterno,intellectu plenitudineq; ſuperior.

D PLOTINI PHILOSOOHI PLATONICI

LIBER OCTAVVS DE NATVRA, ET CONTEMPLATIONE. ET VNO.

Præmium de contemplatione.

SI antequam agamus ſeriò, quaſi per iocum dicamus, omnia contemplationem appetere, & ad finem eiuſmodi vergere, nõ rationalia tantùm animalia, ſed etiam ratione carentia: quinetiam naturam plantarum, & terram deniq; hæc omnia generantem. Item contemplationem omnia conſequi, quatenus naturalis cuiuſq; habitus capere poteſt: alia verò aliter contemplari & conſequi, & alia quidem reuera, alia verò per imitationem imaginemq; attingere: ſi inquam ita dixerimus, nunquid nouum hoc præter opinionem adductum quiſquam à nobis accipiet? Forſan cum tale quiddam inter nos & ad nos agatur, periculum nullum ſubibimus, dum in re noſtra ludemus. Numquid & E nos iocantes ludentesúe in preſentia cõtemplamur? An fortè & nos, & omnes quicunq; iocantur & ludunt, hoc agunt, huiuſq; appetitione iocãtur? videturq; ſiue puer aliquis, ſiue vir ludat, aut ſeriò ſtudeat, contemplationis gratia hic quidem ſtudere, ille verò ludere atq; iocari, tum quælibet actio ad contemplationem intendere ſtudium: & neceſſaria quidem actio longius ſpeculationem ad extrema protrahere: actio verò liberior breuius quidem educere, ſimul autem ipſa quoq; ſpeculationis deſiderio fieri. Sed hæc quidem opportunius in ſequẽtibus: nunc verò de terra, & arboribus, & omnino de plantis conſideremus, quænam horum ſpeculatio ſit, & quo pacto quæ inde fiunt atq; gignuntur in ſpeculationis actionem redigere valeamus: deniq; qua ratione natura quam imaginationis rationisq; expertem dicunt, contemplationem habeat in ſeipſa: & quæ facit per contemplationem quam ipſa non habet, efficiat, & quo pacto perficiat.

Natura in ſe manens per rationes ſeminales format materiam ſine electione & inſtrumento. Cap. Primum.

F QVòd igitur hîc neq; manus ſint, neq; pedes, neq; aliquod inſtrumẽtum, vel aduẽtitiũ, vel cognatũ: materia verò opus ſit inqua faciat quámue potiat inſpecie fermè vnicuiq; cõſtat. Neq; verò putandũ eſt, naturã ſic ſuũ opus efficere, velut impellendo atq; premendo. Qualis enim impulſio ſiue preſſura varios omniformesq; colores & figuras efficere poteſt: quandoquidem neq; ceræ fictores formatoresq; ſimiles, quos puparios nominant, quosúe intuens aliquid putauerunt naturæ ipſius opificium eſſe perſimile, facere colores poſſunt, niſi hos aliunde operibus ſuis adhibeant. Operępretium erat conſiderare, quemadmodum in artium eiuſmodi tractatoribus oportet intus aliquid permanere, ſecundum quod permanens per manus opera fabricent: ſimiliter eſſe tale aliquid in natura, quod quidem ſit poteſtas quædam permanens & abſq; manuum miniſterio fabricans: permanens inquam tota: non enim indiget alijs quidem velut manentibus, alijs autem quaſi motis. Materia namq; eſt id quod ibi mouetur, in ipſa verò poteſtate mouetur nihil: alioquin quod mouebit, non erit primò mouens, neq; id erit ipſa natura, ſed ipſum quod in toto conſiſtit immobile. Obijciet aliquis, rationẽ quidem immobilem permanere, naturã verò eſſe à ratione diuerſam, atq; moueri. At ſi totam dicant, ſimiliter erit & ratio: ſin autem aliquid eius immobile, hoc ipſum & ratio erit. Etenim ſpeciem oportet

hanc

A hanc eſſe, non autem ex materia ſpecieq; componi. Quid enim huic opus ſit calida frigidaue materia? ſiquidem ſubiecta fabricationi materia id ſecum affert: ſiue ſit eiuſmodi, vel potius etiam prius quàm induat qualitatem, tangitur ratione. Non enim accedere oportet ignem, vt materia fiat ignis, ſed rationem. quod quidem perſpicuum eſt argumentum in animalibus atq; plantis, ſeminales rationes eſſe omnium effectrices, naturamq; exiſtere rationem, quæ velut ipſius prolem alteram generat rationem, dum videlicet ſubiecto quidem tradit aliquid, permanet tamen interim in ſeipſa. Ratio igitur ſecundum formam viſibilem extrinſecus edita, vltima iam eſt, vitaq; carens: ideoq; nec poteſt aliam vlterius facere rationem. At ratio vitam habens penes formę factorem, & quaſi ſoror, atq; ipſa eandē potentiā poſsidens rationē gignit in effectu poſtremam.

Rationes ſeminales in natura ſunt quaſi contemplationes quædam impreſſæ deſuper ab intellectuali contēplatione, & ideo quæ natura fiunt & cōtemplatione fiunt, & contemplationes quædam ſunt. Cap. II.

QVónam igitur modo facit? & faciens quomodo contemplationem aliquam, & quam attingit? Profectò ſi manens agit, & in ſe manēs, atq; eſt ratio, eſt vtiq; contemplatio. Actio namq; fieri ſecundum rationem ſolet, diuerſa videlicet exiſtens à ratione: ratio verò aſsiſtens & præſidens actioni, non eſt
B actio. Si igitur non actio eſt, ſed ratio, nimirum eſt contemplatio quædam. Iam verò in vniuerſa ratione poſtrema quidem ratio ex contemplatione procedit, atq; ita contemplatio dicitur, quaſi per contemplationem ipſam concepta atq; percepta. Ratio verò omnis hac ſuperior alia quidē ſe aliter habet. Et altera nō eſt tāquam natura, ſed velut anima: altera verò in natura eſt, atq; eſt ipſa natura. Sed nunquid hæc etiam ex contemplatione contingit? Ex cōtemplatione omnino: ſed ſi ipſa quoq; ſeipſam quodammodo contemplata ſit. Eſt enim contēplationis effectus, & contēplati cuiuſdā. Quómodo autē ipſa ſpeculationē habet? Speculationem quidem ex ratione proficiſcentem non habet: dico autem profectam ex ratione: ipſam videlicet de his quæ in ſe ſunt conſiderationē. Sed cur nam ſua nequaquam conſiderat, cum ſit vita quædam & ratio potētiaq; efficiens? An fortè quia conſiderare eſt nondum habere? Hæc autē ſi habet, nimirū ex eo quod habet & efficit. Ipſum igitur eſſe ipſi quod eſt, id certè eſt eidem & facere: & quantūcunq; eſt, id ipſum eſt & faciens. Eſt autē contēplatio quædā, & (vt ita dixerim) contemplamen. ratio enim eſt. Quatenus igitur contēplatio eſt atq; contemplamen & ratio, eatenus facit, qua videlicet ratione hæc exiſtit. Effectio igitur contemplatio quædam eſſe iam nobis apparuit: nempe eſt cōtem
C plationis effectus, ſpeculatione manente, neq; aliud alitérue agente ſed propterea quod ipſa contemplatio ſit, faciente.

Plenitudo rationū ſeminaliū in natura eſt quaſi ſenſus quidam, quo natura & ſe ipſa fruitur, & ſpectat res generandas, quæ ſunt quædam ſpectamina ipſius naturæ dependentis à ſpeculatione ſuperna. Cap. III.

SIquis autem hanc interroget, cuiús nam gratia faciat, ſi modò interrogantē audire velit & dicere, reſpondebit: Nō oportebat interrogare me, ſed te decebat ſilentio intelligere, quemadmodū & ego ſileo, nec eloqui cōſueui. Quid ergo te oportuit intelligere? hoc inquam in primis, quod gignitur meū ſpectamen eſſe, interea me tacente, naturaq; genitum contemplamen, meq; ex contēplatione quadam eiuſmodi natam non iniuria naturam habere ſpectaculi cupidam: proinde id quod in me vicem contemplantis habet, ita contemplamen efficere, ſicut & geometræ ſpeculando deſcribunt: veruntamē non ſcribēte me, ſed ſpeculante, hinc lineas corporum velut excidentes interim emanare. Profectò matris meæ genitorumq; in me ſeruatur affectio: Illi namq; ex contēplatione ducunt originem. Generatio quoq; mea à ſpeculatione deducitur: Etenim

D dum illi nihil agũt,ſed rationes ſunt maiores,ac ſe ſpeculantur, ego genita ſum. Quorſum hæc? naturam ſcilicet eſſe animam prioris animæ genituram validius viuentis,quietam ſpeculationem in ſe habentem,neq; ad ſuperiora,neque etiam ad inferiora vergentem. Hæc vtiq; ſtans in eo in quo eſt, videlicet in ſui ipſius ſtatu & quaſi conſenſu,per hanc cognitionem conſenſumq;, quod poſt ipſam eſt,quoad eius natura fert nouit,neq; perquirit vlterius, ſed contemplamen iam ſplendidum gratioſumq; perfecit. Ac ſiquis cognitionem quandam aut ſenſum ei tribuere velit,nõ qualẽ in cæteris dicimus ſenſum vel cognitionẽ attribuere debet:ſed perinde ac ſiquis ſomniantis cognitionẽ cũ cognitione cõferat vigilantis. Spectamẽ namq; ſuum contẽplans cõquieſcit: ſpectamẽ inquã in ea factum,ex eo quòd in ſeipſa ſecumq; ipſa permaneat, ſitq; ſpectamen ipſum quietaq; perſpectio,obſcurior tamen atq; debilior. Altera enim hac eſt efficacior ad intuitum:hæc autem imago eſt contẽplationis alterius. Hac itaq; ratione quod ab ipſa genitum eſt prouenit debiliſsimum, quoniã debilitata perſpectio ſpectamẽ debile parit:quandoquidem & homines cum debiliores fiũt ad contemplandum ſpeculationis & rationis vmbram,id eſt actionem aggredi
E ſolent. Cum enim ad contemplandum facultas minimè ſuppetat,neq; ob debilitatem animę ſpectaculum ſufficiẽter percipere valeant, ideoq; nec impleanẽ, cupiant tamen ipſum cernere,confugiunt ad agendum: vt ibi ſaltem videant, quod diſcernere mente non poterant. Quotiens itaq; faciunt, & ipſi videre id volunt,& ſpeculari atq; ſentire,& alios ſecum etiam cõtueri: quando propoſita eis aſt actio,quoad fieri poteſt,vt ipſi putant:profectò inueniemus vbiq; effectionem actionemq; eſſe, vel debilitatem contemplationis, vel conſequentiam. Debilitatem quidem,vbi præter id quod eſt actum, nihil habeas: conſequentiam verò,ſi aliud ſuper id melius effecto opere habeas quod ſpeculeris. Quis enim cum verum ipſum contueri poſsit præcipuo quodam ſtudio,ad imaginem veri ſe conferat? Teſtantur hoc hebetiſsimi quiq; puerorum,qui cum ad diſcendum ſpeculandumq; ineptiſsimi ſint,in artes actionesq; delabuntur.

Intellectualis anima mundi plena ſemper ex diuinorum contemplatione,inde grauida parit naturam ſimiliter fœcundam rationibus quaſi ſpeculatiuis, & tali ſpeculatione generat omnia. Cap. IIII.

F CVm verò iam de natura dixerimus,quo pacto generatio eſt contemplatio quædam,deinceps ad animam hac ſuperiorem pergamus ita dicẽtes: Nempe huius contemplatio ingeniumq; diſcendi cupidum, quærendiq; ſtudioſum,ac præterea ſtimulus quidam ex his quæ cognouit parturiens iam plenaq; fœcunditas effecit,vt ipſa per totum contemplamen effecta,alterum contemplamen efficeret. Quemadmodum ars quoq; facit, quando iam plena eſt, procreans videlicet alteram quaſi artem paruam in puero addiſcente, imaginẽ omnium acquirente,aliter tamen hæc hebente velut obſcura debiliaq;, & ſpectamina quædam ab initio non valentia ſibi ipſis patrocinari. Rationalis itaq; pars eius illa ſuperna penes ſuperna impleta ſemper atq;illuſtrata ibi permanet: pars verò altera participat eius q̃ in prima participatione participauit. procedit enim vita ſemper ex vita. Nã actus per omnia currit,& nuſquã abeſt:,pgreſſa tamen concedit priorem ſui partem,vbi quodammodo dereliquit manere. Nam ſi prorſus amiſerit primam,non amplius erit vbiq;,ſed in quod deſinit tantùm: neque tamen æquale eſt procedens conquieſcenti. Si igitur oportet per omnia fieri,neq; reſtare locũ vbi nõ ſit actio eadem,& quod prius eſt ſemper eſt aliud quàm poſterius. Procedit autẽ actio ex contẽplatione vel actione,ſed tandẽ ex cõtẽplatione,quando videlicet actio nondum erat:nã ante contemplationem

eſſe

A eſſe non poteſt: ſi res inquam ita ſe habet, neceſſarium eſt debiliorem quidem alteram eſſe altera, omnem verò contemplationem eſſe: adeo vt & quæ actio ſecundum contemplationem videtur eſſe, non aliud ſit, quàm debiliſsima contemplatio quędam. Oportet enim ſemper quod gignitur quodammodo quidem congruere genere, euadere tamen infirmius: quippe cum exile fiat paulatim ipſo deſcenſu ſuauiter, quidem & quietè procedunt omnia, quoniam contemplatione vel actione extrinſecus apparente non indigent. Anima quidem ipſa è ſumma ſpecula contemplatur, & quod ita contemplatur, vtpote quod ſurgit exterius, neque eodem modo cum eo quod ante ipſam, certè quod poſt ipſam efficit: contemplatio certè contemplationem gignit. Neq; enim habet terminum contemplatio ipſa vel etiam contemplamen: ob hoc autem & procedit & per cũcta progreditur. Quid enim prohibet, quo minus per omnia diffundatur? quandoquidem & in omni anima idem eſt contemplamen. Non enim eſt magnitudine circumſcriptum, non tamen in omnibus eodem modo: quapropter neq; modo eodem in qualibet animæ parte. Hinc vtiq; apud Platonem animæ auriga quod vidit, equis impertit: hi verò inde accipiunt, vtpote qui quæ viderunt affectant: vniuerſum enim non acceperunt. Quòd ſi affectantes agant, eius gratia quod deſiderant agent. id autem eſt
B contemplamen ipſum atq; contemplatio.

Quòd finis ſit contemplatiua uita. Item quòd in anima ſunt rationes rerum, & cum ipſa in eas actu ſe profert, tunc re uera cognoſcit. Cap. V.

ACtio igitur contemplationis cõtẽplaminisq; gratia fit: quapropter agẽtium finis cõtẽplatio eſt. Nempe quod recta via conſequi nõ potuerũt, id quaſi per ambages capeſſere moliunt. idem quoq; puenit, quando quod cupiunt aſſequunt: quod quidẽ adeſſe volebant. Non ita quidẽ vt nõ cognoſcãt ſed vt agnoſcãt iã acquiſitũ, & in anima preſens inſpiciant, velut ſpectãdi gratia ibi ſitũ: quoniã & boni gratia ſemper agũt: Hoc autẽ nõ vt extra eos ſit poſitũ, & in ſe minimè habeat, ſed vt quod ex actione bonũ fit, ipſi poſsideant. Sed hoc vbi nã? Certè in anima. Quapropter actio rurſus in contẽplationẽ ipſã relabit. Quod enim quis anima capit, quæ ratio quædam eſt, quidnã aliud eſt, quàm ratio ſilens? & quo magis ratio, eò magis ſilens atq; viciſsim. Tũc enim & quietẽ agit, & vtpotè plena nihil vltra requirit: atq; cõtẽplatio in eiuſmodi habitu con
C ſtituta ob ipſam poſsidendi fiduciã intrinſecus cõquieſcit. Et quo certior fides, eo quietior contẽplatio: quæ quidẽ potius in vnũ redigit animã. Et hac quidem ratione cognoſcens ipſum quatenus cognoſcit (iam enim ſeriò agendũ eſt) in vnũ cum re cognita prouenit. Si enim duo ſint, hoc quidem aliud, illud verò aliud erit. Quapropter velut adiacens quiddam eſſe videbitur: atq; id ipſum duplex nondum veram contraxit familiaritatem, velut quando rationes exiſtentes in anima nihil agunt. Quo circa rationem oportet non externum aliquid eſſe, ſed animo addiſcentis vniri, quouſque proprium iam inueniat. Anima igitur quando rationi familiaris euadit atque afficitur, ſimul profert, & expedita iam prodit in actum. Quod enim habebat prius, animaduertit atque ipſa in promptum expeditione, quaſi altera ſit à ſeipſa, & ab illo altera fuiſſe cognoſcitur, & excogitans aſpicit aliud, tanquam & ipſa ſit aliud: quaquam ipſa etiam ratio eſt, & tanquam intellectus, ſed aliud intuens. Non enim plena eſt, ſed ab eo quod eſt ſuperius deficit, aſpicit tamen & ipſa quiete, quæ profert. Quæ enim non protulit, nondum profert: quæ verò profert ex defectu quodam in conſiderationem promit, quod habet animaduertens.

D At in rebus agendis iam externis quæ intus habet accõmodat, atq; ex eo quòd magis poſsidet quàm natura, poſsidet & quietius: & ex eo quòd plus habet, ſpeculatiua magis exiſtit. Rurſus ex eo quòd non perfectè habet, cupit magis habere proſpectæ rei perceptionem, ſpeculationemq; ex conſiderationis diſcurſione prouenientem. Cum verò priorem reliquerit habitum, & in alia pertranſi uerit, deinde regreſſa iterum contemplatur, parte eius hactenus derelicta: at altera permanẽs in ſeipſa minus id efficit. Quamobrem probus animus iam ipſa ratio eſt effectus, & quod penes ſeipſum eſt, alijs quoq; demõſtrat: ad ſeipſum verò viſus. Iam enim hic ad vnum eſt collatus & ad quietum non ſolùm quoad externa pertinet: ſed quoad ſeipſum, & intus deniq; cuncta.

Confirmatur quòd omnia fiunt à contemplatione, & ideo ſunt contemplationes quædam, & quicquid agunt contemplationis gratia faciunt. Cap. VI.

QVemadmodum igitur partim per ſe conſtat, partim ratio indicauit: omnia ex contemplatione contemplationesq; ſunt, tum verè exiſtentia, tũ ex his genita. his videlicet contemplantibus, ipſa facta iam contemplamina, vel
E ſenſui, vel cognitioni, vel opinioni paſsim ſe offerentia. Actiones præterea in cognitionem diriguntur, vt finem: appetitio quoq; affectat cognitionem: Generationes inſuper à contemplatione trahentes exordium in ſpeciem, ſpecimenq; aliud deſinunt fabricandum. & omnino ſingula cauſarum efficientium imitamina paſsim ſpectacula ſpeciesq; efficiunt: factæ quoque ſubſtantiç velut entium imitamina declarant efficientes cauſas ſpectare tanquam finem, non effectiones, non actiones, ſed opificium ipſum, ad hoc ipſum, vt contuentibus ſit ſpectaculum. Quin etiam cogitationes hoc ipſum videre percupiunt: atque etiam prius ipſi ſenſus, quorum finis cognitio eſt. Rurſus ante hæc ipſa natura ſpecimen in ſe rationemq; poſsidens, aliam præterea generat rationem. Proinde conſtat, cum ipſa omnium prima in contemplatione conſiſtant, cætera omnia contemplationem ipſam neceſſariò cupere: ſiquidem finis omnibus propoſitus eſt, quod eſt & principium. Iam verò & quando animalia generant, rationes intus ſeminales ſtimulant ad gignendum, idq; totum cõtemplationis actio eſt, ſtimulusq; affectans multas iam ſpecies fabricare, variaq; ſpectacula, & implere rationibus omnia, & quaſi perpetuò contueri. Facere enim vt ſit aliquid, eſt ſpeciem quandam efficere, id autem eſt contemplatione omnia prorſus im-
F plere. Præterea errata tum in his quæ gignuntur, tum in his quæ aguntur, nihil aliud eſſe videntur, quàm cõtemplantium caſus & diuerſio quędam ab ipſo cõtemplationis obiecto. Artifex quinetiam iners ei ſimilis iudicatur, qui deformes faciat formas. Denique amatores ipſi in eorum numero præcipuè ſunt, qui in ſpiciendo verſantur, & ad ſpeciem impenſius properant.

In cognitione uera cognoſcens & cognitum idem eſt, aut ſit idem: Item prima forma eſt idem quod uita, & intelligentia prima, ideoq; hæc pariter per cuncta procedunt: Item intellectus neceſſariò eſt uni formis atq; omniformis. Cap. VII.

DE his quidem ita ſit dictum. Cum verò contemplatio ab ipſa natura ſe attollat ad animam, & ab hac in mentem, ſemperq; cõtemplationes magis propriæ familiaresq; euadant, vniantur contemplantibus, & in anima per virtutem iam perfecta, in idem iam ſubiecto redigantur quæ cognoſcuntur, vt pote quæ ad ipſum properent intellectum: certè in hoc ipſo intellectu iam ambo ſunt vnum, non per acquiſitam quandam familiaritatem, vt in anima præſtantiſsima fieri cõſueuit, ſed potius per eſſentiã, atq; ex eo quòd idẽ ibi eſt eſſe, atq; intelligere. Nõ enim illic amplius hoc quidẽ aliud, illud verò eſt aliud: alioquin

A rurſus aliud quiddam erit, in quo non vlterius aliud erit & aliud. Oportet igit̃ in hoc ambo eſſe reuera vnum: id autẽ eſt contẽplatio viuens, nõ quidem quaſi cõtemplamen in alio. Quod enim in alio viuente eſt, non eſt ſeipſo viuens. Si ergo viuet aliquod cõtemplamen, &(vt aiunt) intelligimẽ, oportet ipſum eſſe vitã non vegetalẽ, non ſenſualem, nõ animalem aliã (intelligentiæ nãq; quodãmodo ſunt & aliæ) ſed hæc quidẽ vegetalis intelligentia, hæc autẽ ſenſualis, alia deniq; animalis. Quo igit̃ modo intelligẽtię ſunt: Quia videlicet ſunt rationes, & omnis vita eſt intelligentia quædam, ſed alia tenuior alia, ſicut & vita. Quæ verò clarior eſt & validior, vita prima eſt, & intellectus primus & vnus: intelligentia igit̃ prima vita quoq; prima eſt, atq; ſecunda vita intelligentia quoq; ſecunda: vita deniq; vltima poſtrema intelligentia eſt. Omnis itaq; huius generis vita etiã intelligẽtia iudicat̃: ſed vitę quidẽ differẽtias forsã dicere homines poſſent, intelligẽtiarum verò nõ dicũt, ſed aiũt alias quidem eſſe intelligẽtias, alias verò omnino nõ intelligẽtias eſſe, quoniã nullo modo quid ipſa vita ſit quęrũt. Sed illud præterea ſignificandum: ſermonẽ hunc noſtrũ rurſus velut ſorte quadam oſtendere, res omnes cõtemplationes exiſtere: Si ergo vita veriſsima ſecũdum ipſam intelligentiã vita eſt, hæc autẽ cum veriſsima intelligentia idẽ eſt, nimirũ veriſsima intelligẽtia viuit: atq; contẽplatio & eiuſmodi cõtẽplamẽ viuẽs
B eſt atq; vita, & duo hæc ſunt ſimul vnũ. vnum igitur ens ipſa duo. Qua nã igitur ratione vnũ hoc eſt multa? Fortè quoniã nõ contẽplatur vnũ. Nam & quando vnum intuetur, non contuetur vt vnum, alioquin nõ fieret intellectus: ſed incipiens quidem vt vnũ, nõ permanet vt incepit, ſed clam quodãmodo factus eſt multiplex, quaſi iam grauidus, euoluitq; ſeipſum volens omnia poſsidere: cui forſan ſatius extitiſſet id minimè exoptare. Ex hoc enim ſecundus euaſit, nõ aliter quã circulus ſeipſum explicãs factus eſt, & figura, & planũ quiddã, circumferentiaq;, & centrũ, ac lineæ, & alia quidem ſurſum, alia verò deorſum: meliora quidem vnde procedit exordiũ, reliqua verò deteriora. Illud enim à quo ꝓceſſio fit nõ erat tale, quale id à quo, & in quod proceditur. Neq; rurſus illud à quo ſimul atq; in quod tale erat, quale ipſum à quo tantùm ꝓgreſsio inchoat̃. Et aliter quidem mẽs, nõ vnius alicuius mens, ſed omnis. Omnis verò exiſtens eſt & omniũ. Oportet igitur intellectũ tum omnia, tum omniũ exiſtentẽ partẽ quoq; talem habere, vt vnaquæq; omne ſit, atq; omnia: ſin minus partẽ aliquam quæ intellectus non ſit, habebit: atq; ex his quæ non ſunt intellectus, coaceruabitur, eritq; fortuitus quidam aceruus, expectãs ab omnibus adminiculum, quò intel
C lectus euadat. Quapropter & ſic eſt infinitus, ac ſi quid ab eo manat intus, non comminuitur, vel quod ab ipſo eſt, quoniã id quoque eſt omnia, vel ille ex quo prodit intrinſecus, quoniam non erat ex pluribus compoſitio.

In primo intellectu eſt multitudo, & eſt omnia: principium autem omnium non eſt omnia, ſed ſuper omnia. Cap. VIII.

HIc igit̃ talis exiſtit, ideoq; nõ primus, ſed eſſe oportet aliquid ipſo ſuperius, cuius gratia ſuperior habitus nobis eſt ſermo, idq; propterea, quoniã multitudo ſemper eſt vno poſterior: Hic autẽ numerus eſt: numeri verò principiũ eſt vnitas, & talis numeri principium, quod ita eſt vnum. Hic vtique & intellectus eſt, & intelligibile ſimul: itaque ſimul eſt duo. Si autẽ duo, oportet aliquid ſuper duo hæc accipere: ſed quidnam hoc eſt dicendum? nunquid intellectus tantùm? At cuilibet intellectui eſt intelligibile coniugatum: ac niſi ibi ſit coniugatum, nec etiam intellectus erit. Si igitur nec intellectus, ſed duo hæc effugerit, conſequens erit, vt quod his duobus eſt prius, ſit intellectu ſuperius. Verùm quidnam prohibet hoc eſſe intelligibile tantùm? Id ipſum videlicet quoniam

D & intelligibile coniugatum ſemper habet & intellectum. Si ergo neq; intellectus neq; intelligibile coniugatum ſemper habet & intellectum. Si ergo neque intellectus neque intelligibile eſt, quidnam erit? Illud certè à quo intellectus, & cum intellectu ſimul intelligibile. Quid hoc igitur, & quale ipſum excogitabimus? Etenim vel intelligens aliquid erit, vel non intelligens: ſi intelligens, erit & intellectus: ſi non intelligens, ſeipſum etiam ignorabit, nihilq; eſſe videbitur venerandum. Non enim ſi dicamus hoc eſſe ipſum bonum atq; ſimpliciſsimũ, propterea manifeſtum aliquid & perſpicuum afferemus: quamuis verum quãdiu non habuerimus, in quo potiſsimum dum de eo loquimur excogitationis noſtræ figamus intuitum. Præterea cum cognitio aliorum per intellectum & intellectu fiat penes illos, videlicet, qui intelligens aliquid cognoſcere poſſunt, hoc ipſum naturam intellectus exuperans, quonam intuitu ſimul collecto percipietur? Reſpondebimus ad hæc, videlicet quodam in nobis illius quoad fieri poteſt perſimili. Eſt enim in nobis illius aliquid, vel potius non eſt in rebus aliquid, vbi non ſit, quibus ineſt illius percipiendi facultas. Profectò vbicunq; admoueris aliquid quod poſsit accipere, inde aliquid reportabis: quemadmo-
E dum ſiqua vox deſertum quoddam occupet, vel vnà cum deſerto etiam homines. Tunc enim in quacunq; parte accommodaueris aures, vocem totam hauries, rurſusq; non totam. Quidnam igitur eſt quod intellectum adhibentes accipimus? Forſan verò intellectum oportet velut à tergo ſe flectere, & cum vtrinq; vultum habeat, ſeipſum à tergo relinquere ac ſi bonum ipſum ſit inſpecturus, operam dare ne omnino ſit intellectus, neue ſit illa quæ intelligũtur omnia. Eſt enim ipſe vita prima, quæ quidem eſt actus in quadam diſcurſione per omnia: diſcurſione inquam, non quæ diſcurrat quotidie, ſed quę diſcurſum ſemper impleuerit. Si igitur vita eſt atq; diſcurſio, habetq; omnia non confuſè quidem, ſed exactiſsimè: alioquin ſi indiſtinctè habuerit, habebit & imperfectè: neceſſe eſt illum ab alio dependere, quod quidem non amplius in diſcurſu verſet, ſed diſcurſionis principium ſit: principium vitæ, principium mentis, atq; cũctorum. Principium namq; non eſt omnia, ſed omnia potius à principio ſunt: ipſum verò neq; omnia eſt, neq; aliquid omnium, vt omnia generet, neq; ſit multi-
F do, ſed principium multitudinis. Eo nanq; quod genitũ eſt vbiq; ſimplicius eſt quod generat. Itaque ſi hoc genuit mentem, neceſſariò eſt mente ſimplicius. Siquis autem putet ipſum bonum eſſe vnum, & omnia, aut erit omnia ſecundũ vnumquodq; omnium ſingulatim, vel cuncta ſummatim. Quòd ſi cuncta ſimul accumulata, omnibus poſterius erit. Nam ſi omnibus prius extiterit, alia quidẽ erunt omnia, aliud verò & ipſum præter cuncta. Sin autem ſimul ipſum atq; omnia ſint, non erit initium. Oportet tamen ipſum eſſe principium, & ante omnia, vt & omnia ſint poſt ipſum. Sin verò dicatur ipſum eſſe ſingulatim ſecundum omnium vnumquodq;, primò quidem quodlibet cuilibet erit idem, deinde cũcta ſimul, nec vnquam vlla diſcretio. Atq; ita etiam ipſum nihil eſt omniũm, ſed potius ſuper omnia.

Principium uniuerſi eſt unum ipſum ſuper ens, quod neq; mouetur, neq; diuiditur, neq; multiplicatur ullo modo, quando ab eo rerum multitudo procedit. Cap. IX.

QVid ergo eſt? Profectò poteſtas omniũ: quæ quidẽ niſi eſſet, neq; cætera forent. Neq; enim intellectus eſſet, qui prima eſt, omnisq; vita. Quod enim ſuper vitam extat, vitæ cauſa eſt. Actus enim vitæ, qui omnia eſt, nõ eſt ipſum primum, ſed ex principio velut fonte profunditur. Cogita fontem principium aliud non habentem, fluminibus verò ſe totum tradentẽ, nec tamen fluminibus vllis exhaſtum, ſed in ſe quietè manentem: flumina verò ab ipſo fluentia, antequam aliud aliò fluat, adhuc vnà manentia, & quaſi iam cognoſcentia, quo ab ipſis fluxuri ſint riuuli. Aut cogita arboris ingentis vitam, ſeſe per totam arborem

A borem propagantem, manente principio, neq; diuiſo per totam, ſed velut in radice fundato. hoc vtiq; præbet quidem totam arbori vitam atque multiplicem: ipſum verò manet, nequaquam multiplicatũ, ſed multiplicis vitæ principium: neq; mirabile eſt ita eſſe. Fortè etiam eſt mirandum quomodo multitudo vitæ ex non multitudine ſit, neq; fuiſſe multitudo poſſit: niſi ante multitudinem fuerit quod nulla eſt multitudo. Nam principium in vniuerſum nequaquam diuiditur: alioquin ſi diuidatur, perdetur protinus vniuerſum: neq; vnquam fuiſſet factum, niſi principium in ſeipſo permaneat, ſitq; ab hoc toto diuerſum. Quapropter reductio vbiq; fit in vnum, & in quolibet quidem vnum eſt ad quod reducitur: atq; hoc vniuerſum, in vnum quod ante ipſum, nõ ſimpliciter vnum quoad quis ad ipſum perueniat ſimpliciter vnum. hoc autem non vlterius refertur ad aliud. Proinde ſi ipſum arboris vnum, ideſt, principium permanens, ſi animalis vnum, ſi vnum animæ, & vnum inſuper acceperis vniuerſi, accipies vbiq; potentiſsimum atq; venerandum: ſin autem vnum ipſum eorum quæ verè ſunt, ideſt, principium, fontem, poteſtatem acceperis, nunquid diffidemus, nihilq; exiſtere ſuſpicabimur? Certè nihil horum eſt, quorum eſt principium: eſt & tale, vt de ipſo nihil prædicari queat, non ens, non eſſentia, non vita: propterea quòd ſuper hæc omnia ſit. Sin autem ipſum eſſe inde auferens illud apprehenderis, protinus obſtupeſces, & dirigens te in illud, & aſſequẽs, atq; in ipſius ſedibus conquieſcens vno potiſsimum ſimpliciq; intuitu iam conſpicias: conſpicatus autem, magnitudinem eius auſpicaberis per illa quæ poſt ipſum ſunt, atque per ipſum.

B

Intellectus eſt inferior bono: atq; ita per hunc coniectamus bonum, ſicut per hunc mundum coniicimus intellectum. Cap. X.

PRæterea & hac ratione conſidera, quoniam intellectus eſt viſus quidam: viſus inquam videns, ideo eſt quædam in actum iam profecta potentia. Erit igitur in eo aliud quidem materia, aliud verò forma, ſicut & viſio ſecundũ actum. Materia inquam intelligibilis: ſiquidem & viſio ſecundum actum duplicem habet proprietatem. Antè igitur quàm videret, vnum aliquid erat. Vnum ergo, duo factum eſt, & duo vnum. Viſioni quidem ab obiecto ſenſibili plenitudo, & ſua quædam perfectio prouenit: mentis verò viſui, bonum eſt id quod implet. Si enim intellectus eſſet ipſum bonum, quidnã videre, vel omnino agere oporteret? Alia enim circa bonum & propter ipſum bonum actionem habent: ipſum verò bonum nullo penitus indiget: quamobrem nihil ipſi erit præter ipſũ. Cũ ergo bonũ pronũciaueris, nihil vlterius addas excogitãdo. Siquid enim adiũxeris, ſtatim id cui aliquid addidiſti, ſuapte natura declarabis egenũ: ideirco neq; adiungere debes intelligentiam, ne ſic adiungas aliquid alienum, duoq; reddas, intellectum ſcilicet atq; bonum. Intellectus quidem bono, bonũ autẽ intellectu nõ indiget: itaq; mens bonũ conſequẽs, boniformis fit perficiturq; à bono: dum videlicet ſpecies quæ eſt in mẽte, procedit à bono, atq; efficit boniformẽ. Quale verò inſpiciẽ in mente ipſius boni veſtigiũ, tale quoq; exemplar decet excogitare, exiſtimãtes ſcilicet veritatẽ eius per impreſſum in mente veſtigiũ. Hoc itaq; veſtigiũ impreſſum eſt intellectui, per quod videret, & poſſideret. Quapropter in intellectu quidẽ eſt appetitio, eſt sẽper appetẽs, eſt sẽper & cõſequẽs: Ipſum verò bonũ neq; deſiderat quicquam. Quid enim deſideret? Neq; conſequiẽ aliquid: Nunquã enim deſiderauit: Neq; igiẽ eſt intellectus: in hoc enim eſt appetitio, & quædam ad ipſius ſpeciẽ applicatio. Intellectus ſanè pulcher eſt, omniũq; pulcherrimus in lumine puro ſplẽdoreq; ſimili cõſtitutus, entiumq; naturã in ſe cõprehendens: cuius quidem noſter hic mũdus pulcher, vmbra eſt & imago: ille verò ſuperior mundus in omni claritate poſitus eſt.

C

D Vbi nihil intellectu vacãs, nihil tenebroſum, nihil immoderatum, ſed in ſeipſo beatam agit vitam. Quem ſiquis aſpexerit, protinus obſtupeſcet: præſertim, ſi quatenus oportet illi ſeipſum inſinuet, iuriſq; illius euadat. Nempe quemadmodum qui cælum diligentius ſuſpicit, ſtellarumq; ſplendorem impenſius cõtuetur, protinus auctorem mundi cogitat, atq; perquirit: ſic oportet & eum qui mundum intelligibilem intuetur, cernit, admiratur, effectorem eius diligenter inquirere: quis nam ille ſit, qui talem mundum intelligibilem genuit: vel vbi, vel quomodo talem genuit filium, intellectum puerum purum atq; formoſum, filium inquam à patre plenum. Iam verò pater ille ſummus, neq; intellectus eſt, neq; filius aut puer, ſed intellectu pueroq; ſuperior: nam poſt ipſum intellectus & puer, alimonia & intelligentia indigens: qui & proximus eſt ei, quod nullare indiget, neq; intelligentia eget. Plenitudinem verò & intelligentiam veram filius habet, quoniã habet primò. Quod verò ſuperius eſt, neq; indiget, neq; habet: alioquin ipſum non eſſet bonum.

E

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIB. DE OCTO CONSIDERATIONIBVS.

Propoſitio prima, quòd mundi auctor ſit intellectus primus, ipſius boni filius.

NOuem præcipuè in hoc libro conſiderationes apparent. Prima eſt de auctore mundi: vbi ſiquis uiam Iamblichi Proculiq; ſequatur, exponet Timæi dictum illud de opifice mundi, ſcilicet quot ideas intellectus intelligit in ipſo uiuente, totidem ſpecies cogitauit mundi opifex in mundo diſponere. Exponet id inquam ita: Tres ſcilicet ſaltem eſſe diuinas ſubſtantias inter principium primũ, ideſt ipſum bonum atq; mundum. Quarum prima ſecundum formam ſuam, eſſentia ſit boni particeps, ac inſuper uitæ intellectusq; cauſa. Secunda uerò, ſecundum formam ſit uita, particeps quidem eſſentiæ: intellectus autem formalis cauſa. Tertia deniq; per formam ſit intellectus, uitæ quidem particeps, & cauſa mundi. Primum nominabit Cælium, ſecundum uerò Saturnum, tertium deniq; Iouem: Tantoq; ſuperiorem Saturno cælium, & Ioue Saturnum exiſtimabit, quanto ſuperior priorq; eſſentia eſt quàm uita, & uita quàm intellectus. Eſſe uerò eſſentiam ſuperiorem uita, quatenus amplius ſe diffundit, & uitam, propter ſimilem ampliru
F dinem eſſe mentẽ ſuperiorem. Dicet itaq; intellectum formalem, Iouemq; eſſe proximum mundi fabrum, intellectuales ideas mundanarum rerum in ſe habentem: quas quidem ideas acceperit ab intellectu uitali, ſcilicet à Saturno, in quo ideæ ſint intellectuales, & intelligibiles æquè, quas Saturnus habeat ab intellectu eſſentialis, ſcilicet ab ipſo Cælio, in quo intelligibiles duntaxat ſint ideæ. Sic igitur Timæum interpretabitur: Prouidentia Iouis excogitauit tot in mundo ſpecies fabricare, quot animaduertit Saturnium intellectum ideas contemplari, in ipſo uiuente, ideſt, in Cælio: qui eſſentia ſit cauſa uitæ. Apud Plotinum uerò non tres ſubſtantiæ, ſed una tantùm ſubſtantia eſt illa, quę nominatur eſſentia uitaq; prima & intellectus primus. Vita enim prima nihil aliud eſt quàm intimus perpetuusq; uigor & actus eſſentiæ formæq; primæ efficaciſſimæ omnium ad agendum. Primus quoq; intellectus eſt reflexio quædam in ſeipſam uitæ primæ potiſſimum ſecum ipſa conſtantis. Illam ergo ſubſtantiam Plotinus appellat intelligibile primum, quatenus uiua eſt atque fœcunda, poteſtq; in ſeipſa concipere intellectum, conceptumq; mouere, penituſq; formare. Appellat itẽ hanc ſubſtantiam intellectum, quantum ſpectat ad uitalem eius actionem à ſe exortam in ſe reflexam. Appellat rurſum cogitatiuum aliquid quodammodo: quoniam ſtatuit, quæ uidit intus diſtribuere foras. Proinde putat in ordine rerum exoriri motum ante diuiſionem, deoq; intellectum prorſus immobilem, motu inquam fluente, non poſſe in plures intellectus imparticipabiles propagari: genus autem animæ ſuapte natura mobilis in animas plures multiplicari. Et quoniam genus hoc eſt intelligentiæ particeps: ideo in hoc intellectum in plures intellectus participabiles propagari, quatenus genus animæ in plures animæ ſpecies propagatur. Exiſtimat quoq; intellectum mundi opificem, animam generare, tum ipſam mundi animam, tum reliquas communes ſphærarum ſtellarumq;

A ſtellarumq́ animas,tum denicq́ particulares animas,dæmonum,uidelicet atq́ hominũ. Et quoniã ad genus animæ tãquã mobile,atq́ multiplicabile diſtributio præcipuè pertinet,iccirco uult intellectum illum ædificatorem mundi,per ipſam mundi animam primò creatam, perq́ communes animas collegas eius diſtributiones per gradus ſuos mundanorum animalium peregiſſe.

Propoſitio ſecunda: Quomodo anima poteſt colligere ſe in proprium intellectum, & per hunc intellectu formari diuino. Sunt & in hoc caputulo tres aliæ propoſitiones: duæ de anima, & una de Deo.

HActenus conſideratio prima,quæ intellectum mundi opificem declarauit. Secunda uerò conſideratio tractat quomodo anima in uniuerſum. hunc intellectum transferre ſe poſsit, uidelicet,ſi anima quemadmodum multiplices ſenſus colligit in unum imaginationis ſenſum,ſic imaginationes inter ſe longè diuerſas in unam colligat communem regulam rationis:deinde uarios rationis noſtræ diſcurſus ad ſtabilem redigat intelligentiæ normam:intellectu pro uiribus tota formetur ſuo, per quem uniuerſo formabitur intellectu totius opifice mundi. Poteſt autem id in gradibus uitæ fieri,quandoquidem ſit idem in ipſis ſcientiæ gradibus. Propoſitionibus mille conſtat geometria,& à priori poſterior neceſsitate deducitur,ideoq́ ſequentes antecedentibus comprehenduntur,omneſq́ continentur in prima. Anima quidem noſtra per facultatem rationalem ex potentia transferens ſe in actum,atq́ uiciſsim,ſi totam geometriam habet,poteſt quidem habere propoſitio
B nes omnes eius potentia quadam atq́ habitu,dum aliquam earum habet in actu. Intellectus interea etiam noſter in qualibet conſiderata ſecundum actum,conſiderat per eundem actum, & poſsidet omnes. Studendum eſt igitur ut rationalis noſtra facultas pro uiribus intellectui ſe conformet Quo in ſtatu notiones omnes ſequentes eodem actu,quo & primam contueatur in prima. In tertia conſideratione Plotinus exiſtimat mundi animam,quia ſemel atq́ potentiſsimè animalem uitæ formam in ſe complexa ſit totam,& inde totum corpus, locumq́ penitus occupauerit, non poſſe uel in ſe mutare uitæ formam,uel extra ſe corpora permutare:ſimiliterq́ ſe habere putat ſphararũ & ſtellarum, omniumq́ cæleſtium animas,quoniam uniuerſalem ab initio firmiter ſortitæ ſint prouidentiam. Animas uerò particulares,particularem nactas prouidentiæ modum, quales ſunt dæmonum plurimum atq́ hominum,uiciſsitudine quadam explere quodammodo perpetuam illam prouidentiam ſupernorum:& quatenus in ſeipſis de hac uitæ forma mutantur in aliam,eatenus corpora ſedesq́ mutare:unde uidentur ad corpus locumq́ accedere,mutatione uidelicet prius in ſe facta. At mundi corpus accedere uidetur ad ipſam mundi animam. Illa enim in habitu ſuo firmiter permanente,corpus hoc ab initio ſic affectum inde uiuificatur,ſicut ætheris perſpicua regio,ſemper illuminatur à Sole. Dicuntur autem & particulares animæ deſcendere quandoq́ ab anima, ſcilicet mundi: quoniam ab uniuerſali prouidentia formaq́ uitæ,quam ſimul cum mundi anima quandoq́ poſsident,labuntur in propriam.non enim firmiter poſſederunt. In quarta conſideratione animã noſtram in tres diuidit formas,ſcilicet intellectualem,& rationalem,& ratione carentem: putatq́ animam quandoq́ totam ad intellectualem ſui transferri formam, atq́ tunc habitare cum intelle-
C ctu diuino,quandoq́ illinc in ſe deſcendere,ideſt, in formam rationalem huius animæ propriam: quandoq́ uerò hinc in formam ratione deteriorem:unde ſimulachrum ſui promit,uitam uidelicet communica am corpori:cui quidem uitæ ſubeſt,& ultimum omnium ſimulachrum, ideſt, materia, quam anima per uegetalem ſui potentiam,prima propinquitate ſua format corporea qualitate, certaq́ figura:deinde mox per hanc affectionem quaſi eſcam allicitur naturaliter ad uiuificandum corpus hoc, certo iam modo diſpoſitum. In quinta conſideratione ita notabis: Sicut in circulo dat punctum in ſeipſo quod eſt centrum,& pũctum in toto ambitu & qualibet eius parte, procedens ab eo quod in ſeipſo eſt,imò quaſi ipſum uel propagatio eius. Item ſicut eſt unitas in quolibet numero eiuſq́ parte fluens ab unitate quadam extra numerum in ſe ſimpliciter cogitata:ſic in tota rerum eſſentia eſt unitas quædam eſſentiæ fundamentum,& cuiuſlibet conſeruatio,procedens ab unitate diuina,ſupereſſentiam in ſe manente,atque ita implente omnia, quatenus præſentia ubiq́ ſua ex ſe procreat unitatem quandam in qualibet re creanda ſupereſſentialem cuiuſlibet eſſentiæ productricem,atque ſeruatricem. Iam uerò quia unitas hæc eſt præſtantior quàm eſſentia,conijcimus hanc ubicunq́ eſt, præſentia unitatis diuinæ fieri atq́ conſeruari.

De intellectu etiam noſtro, quomodo eſt ſemper in actu.

SExtra conſideratio eſt de anima ſimul atq́ mẽte,hunc in modum: Natura oculi diaphana, ideſt, tralucida,ſit potiſsimum à natura ſolari,& iccirco lumen naturaliter appetit, facileq́ impletur

D lumine ſolis: ſimiliter diaphana in cælo natura proficiſcitur à cæleſti quodam lumine, ſecundum ordinem uniuerſi antecedente diaphanum, emanantéq; ab intellectuali lumine. Et confeſtim dum emanat diaphanum producẽte, productumq; implente, unde cælum ſit quaſi oculus cæleſtis animæ, hoc diaphano ſimul atq; lumine cuncta prouidentis: eodem pacto diuina mens ſuo lumine rationalem generat animam, quaſi materiam ſub illo diaphanam, impletq; illam perpetuo lumine: quo anima ſemper tum ſeipſam intelligit à mente illuminatam, tum mentem ſemper illuminantem. Id autem agit perpetuò intellectus noſter, animæ caput: rationalis uerò facultas ad hunc quoq; ſe habet quaſi uſus ad lumen, non quidem ſemper, ſed aliquando rationaliter intellectum. Quando igitur homo per rationem quodammodo ſeipſum intelligit, ſi modò perfectè intelligit, agnoſcit interea ſe intelligentem eſſe: ergo & intellectualem, qua ſic intelligat ſe habere naturam. Hæc ipſa (ut ita dixerim) intellectualitas, eſt intelligentia quędam, non tam in motu poſita manifeſto, quàm in ſtatu nobis occulto. Quin etiam per rationalem intelligentiam contemplator intelligit in ſe ipſo ante intellectualitatem eſſe uitam atq; eſſentiã, ad quas intellectualitas ipſa poſterius accedit, ut actus: actus inquam ex quadam eſſentiæ uitæq; fœcunditate progenitus. Vnde neceſſe eſt hanc ipſam eſſentiam atq; uitam eſſe in ſe eminentiorem quandam intelligentiam. Probat quidem Plotinus hic animam ex intelligentia ſui noua habere prius æternam ſui ipſius intelligentiam, quæ ſit eſſentia uitaq; fœcunda, ideoq; habere in ſe intelligibilia firma actu ibi perpetuo intellecta, cuius intelligentiæ imago quædam ſit diſcurſio rationis, quando peruenit ad ſummum, unde & intelligẽtia nominatur. Nos
E idem ſic aliter confirmamus: Tria ſunt in ordine rerum ad cognitionem noſtram peruenientia: ſingulare quiddam, ideſt, hic homo, & ſpecies communicata ſingulis, ideſt, homo: item idea hominis ſuper ſingula. Quoniam uerò tria hæc eſſentiali quodam ordine à priori in poſterius diſpoſita diſſe runt, uires quoq; propriæ cognoſcentes hæc, ſimiliter inter ſe differunt: ſingulare quidem imaginatio iudicat, ſpeciem uerò communem ſingulis ratio colligit & diſcernit, ideam autem intellectus agnoſcit: Quoniam uerò idea longius differt à ſpecie extra quam exiſtit, quàm ſpecies ab indiuiduo in quo ſeuatur, ideo intellectus à ratione longius quàm ratio ab imaginatione diſtat. Veruntamen intellectus ineſt animæ: alioquin non poſſet animus augurari ideas eſſe per rationem, niſi ratio id ageret per inſitam nobis ab intellectu uirtutem. Et quia ratio ſingula reſoluit ad uniuerſale, & corpus ad incorporeum ſine imaginationis noſtræ ſubſidio, imò ea inuita, quæ retrahit ad oppoſitum: ideo intellectus abſq; motu argumentoq; rationis ſemper intuetur ideas, ſemper inquam. Nam ſi non peruenit ad illas imaginatione argumentationeq; noua, aut nunquam peruenit, aut ſemper habet. Meritò cum anima ſit media inter æternitatem atq; tempus (eſſentia enim eius fixa eſt, & antecellit motum ab ea dependentem) conſentaneum eſt, ut eius eſſentiæ fixæ, eo ipſo ſigno, quo præcedit motũ, uis actioq; inſit prorſus immobilis, & ſtabiliter intuens: quippe cum hic intuitus ab eſſentia & uirtute ſtabili ad ideam omnino ſtabilem uergens, utrinq; ſtabilitatem ſibi uendicet. Sicut ergo in anima ex eo quod ſub æternitate eſt, conuenit imaginatio mobilis, ſic ex eo quòd ſuper tempus, competit intellectus immobiliter agens. Actus quidem intellectus omnino immobilis eſt: actus autem imaginationis omnino mobilis: actus denicq; rationis eſt mixtus: neq; poſſet anima eſſe cõgruũ
F uniuerſi medium, niſi tria hæc in ſe poſſideret.

Quomodo Deus eſt ſuper motum, & ſtatum, & cognitionem. Item de eo quod in actu eſt, & quod in potentia.

SEptima conſideratio probat in primò omnium principio nullum eſſe motum, ne dum fluentẽ ſed nec etiam methaphoricum, qui eſt actus tendens ad aliud: Non enim tendit in aliud, quod eſt primum penitus atq; ultimum. Probat nec ibi eſſe ſtatum, ſcilicet quietem ad quam tendit motus, oppoſitam motioni. Omnino uerò nec quieſcit in alio quod non mouetur ad aliud, neq; propriè quieſcit in ſe quod eſt ipſa ſimplicitas. In ea enim eiuſmodi diſtinctio nulla cadit, per quam diſtingui ſolet quieſcens, tum à quiete, tum etiam à ſede in qua quieſcit. Iam uerò motus à ſtatu uim habet, dum à ſtabilitate motiuæ uirtutis ſuum ſeruat tenorem, ſtatus autẽ ab unitate: Stare enim nihil eſt aliud, quàm unitatem propriam conſeruare. Vnitas igitur ipſa & motum antecedit, & ſtatum. Antecedit igitur & actum intelligentiæ, qui motus quidam eſt à potentia intelligendi ad uerũ intelligibile tanquam bonum. In omni ergo intelligente, etiam ſi ſeipſum intelligat, diſtinctio talis conſideratur, in primò autem nulla eſt abſoluta diſtinctio. Denicq alia quidem ratio eſt exiſtentiæ, alia prorſus intelligentiæ: Non enim quicquid exiſtit, intelligit. Primò quidem principio exiſtentia concedetur: ſi addatur intelligentia, tum compoſitio fiet, tum conſtabit exiſtentiam ipſam ſibimet ad perfectionem minimè ſufficiſſe: quandoquidem intelligentia indiguerit, per quam tenderet ad

profectum

A profectum. In octaua conſideratione notabis conditionem actus formalis potentiæq; formabilis inter ſe opponi: adeo ut potentia hæc accipiat actum, actus uerò qua ratione actus eſt, potentiã non recipiat. Vbi ergo actus eſt ſolus, ut in primo, ſempiterna res eſt: quoniam nulla ibi ad aliam formam potentia latet. Item ubi potentia tota formabilis translata eſt in naturam formæ, adeo ut forma illic nullo modo ad naturam potentiæ retrahatur, res etiam eſt ſempiterna: præſertim quia potentia illic totum habet actum quantumcunq; poteſt, cupitq; habere: quales ſunt intellectuales eſſentiæ, ignisq; cæleſtis. Ignis autem ſub cælo inter inferiora perfectius eſt, quatenus maximè eſt in actu: quod apparet ex efficacia formæ, & ex motu perpetuo, & quoniam non tolerat miſtionem: Quoniam uerò materiam habet ſub actu, nec eo contentam, non eſt ſemper. Nona conſideratione memineris, ipſam intelligentiam non eſſe bonum ipſum ſimpliciter, primum atq; ultimum, alioquin eſſet ſimpliciter expetenda: nunc autem conditione quadam eligitur. Eligis enim cognoſcere, ſi modò cognoſcas bene fæliciterq;, & quod tibi tanquam bonum ſit profuturum. Item ipſum bonum non habere ſui ipſius agnitionem: tum quia aliud hæc eſt, aliud ipſum bonum: tum quia ſi ante agnitionem ſibi ſufficit, non eſt addenda: ſin minus, non erat ipſum bonum. Quo autem pacto Deus neq; cæcus ſit, neq; ignorans: etiam ſi ei cognitio non addatur: ſuper quam Dionyſius quoq; Areopagita eum collocat, in quinta ſextáue Enneade opportunius explicabimus.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER B NONVS DE DIVERSIS CONSIDERATIONIBVS AD AVCTOREM MVNDI, ET AD IPSVM BONVM PERTINENTIBVS.

Mundi faber eſt intellectus primus ideas in ſeipſo contemplans conſiderationem unam continet. Cap. I.

MENS (vt ſcribitur in Timæo) ideas in eo quod viuens eſt, inſitas contuetur. Hinc mundi artifex cogitauiſſe dicitur in hoc mundo includere, quæ mens in eo quod viuẽs ſiue animal eſt, contemplatur. Nunquid igitur inquit, iam ſpecies eſſe ſuper mentem, easq; iam exiſtentes, mentem inſpicere? Principio igitur ipſum quod viuens vel animal dicitur, quærendum eſt, num fortè non ſit intellectus, ſed ab intellectu diuerſum. Quod enim contemplatur, eſt intellectus: Ipſum igitur viuens, non intellectus quidem, ſed intelligibile potius nominabimus, dicemusque intellectum extra ſe habere quæ cernit. Quo circa ſimulachra quædam, non res veras habebit, ſi modò vera illic exiſtunt. Illic enim & veritatem eſſe ait, in ipſo ſcilicet ente vbi ipſum vnumquodque regnat. Forſan verò quamuis alterum ſit vtrumque non C tamen inter ſe ſegregata ſunt, ſed ſolùm quatenus aliud, hoc eſt quàm illud. Deinde nihil prohibet, quãtum pertinet ad id quod dicitur, ambo vnum exiſtere, ſolùm verò per intelligentiam inter ſe diuiſa: ſiquidem ſolum ipſum ſe habet vt ens, idq; partim quidem intelligibile, partim etiam & intelligens. Vbi enim dicitur intellectus intuetur ideas, non ſignificat omnino in alio contueri, ſed in ſeipſo intelligibile poſsidere. An fortè nihil prohibet ipſum intelligibile eſſe etiam intellectum, ſed in ſtatu, vnitate, quiete: naturam verò intellectus inſpicientis, intellectum illum in ſeipſo manentem eſſe actum quendam ab illo manãtẽ, qui ſuſpicit illum? Et dũ eum ſuſpicit quaſi illum euadere, intellectúmque illius exiſtere, quatenus intelligit ipſum: ac dum illum intelligit, ipſum quoque intellectum & intelligibile aliter eſſe, propterea quòd imitatur? Hoc igitur eſt quod excogitat, quæ ibi cernit, in hoc mundo facere animalium genera qnatuor. Videtur tamen ibi Plato ipſum excogitantem modo quodam occulto tanquã diuerſum à duobus illis inducere: alĩs verò videbitur, tria hæc vnum exiſtere, ipſum quod eſt viuens, & intellectus, & qui excogitat. An fortè ſicut in multis, ille

D proponidaliter,hic verò aliter intelligit eſſe tria? Iam verò duo dicta ſunt: at tertium quidnam eſt? Quod deliberauit inſpecta ab intellectu ſpectacula in ipſo viuente poſita,operari,facere,diſtribuere. An fortè poſsibile eſt modo quidem alio intellectum eſſe diſtributorem,alio verò modo diſtributorem non eſſe mentem? Qua enim ratione ab ipſa mente procedunt quę diuiduntur,ipſam diuidentem eſſe: qua verò ipſa permanet indiuiſa,quæ verò ab ea ſunt,diuidun tur,ipſæ ſcilicet animæ animam eſſe in animas plures diſtributricem. Quamobrem tertij cuiuſdam inquit eſſe partitionem,atq; in tertio,cui aſsignatum eſt cogitationis officium: non autem eſt mentis officium cogitatio,ſed munus animæ partibilem actionem habentis in natura partibili.

Tres continet conſiderationes de anima,quomodo aſcendat ad Deum,& quomodo deſcendat ad corpus. Cap. II.

PRoinde ſicut tota quædam vna ſcientia in propoſitiones ſiue notiones ſingulas diſtribuitur,neq; tamen ſecatur,vel in ſegregatas diſtrahitur portiones,ſed habet vnumquodq; in potentia totum,vbi idem eſt principium atq; finis: ſic profectò comparare ſeipſum oportet,vt principia ſibi inſita & fines ſint E & tota: atq; omnia denicq; in ipſum naturæ optimum rediganť. Quando enim vnuſquiſq; hoc ipſum euaſit,iam illic habitat: nempe hoc ipſo ſui optimo, quando ei ſe iam inſinuauit,protinus attingit & illud. Vniuerſa quidem anima nuſquam facta eſt,neq; progreſſa: neq; enim erat quo progredi poſſet: ſed proximum ei corpus effectũ,participauit eam. ideoq; anima non eſt in corpore: neq; id Plato vſquam dixit: ſed corpus in anima eſt aduectum. Cæteræ verò animæ habent vnde veniãt: ab anima enim ipſa veniunt. Habent prętera ad quod & deſcendant,atq; pertranſeant: habent & vnde regrediãtur. Anima verò totius ſuperiorem ſemper habitat regionem, vbi quidem eſſe ipſius animæ fert natura. Quod verò ſubeſt vniuerſum,ita ſubiecta propinquitate viuificať, ſicut perſpicuum corpus Soli ſubiectum illuminatur. Illuſtratur quidem particularis anima cũ ad ſuperius cõfugit: enti enim ipſi illic occurrit: quando verò labitur ad inferius,in non ens delabitur: id verò agit,quando deſcendit in ſemetipſam. Affectans enim ſeipſam ex alto in ſe recipere, quod poſt ipſam ſequitur iam facit, ſuum,videlicet ſimulachrum,quod & non ens appellamus. Quaſi enim delabitur per inane & indeterminata illic euadit. atq; ſimulachri huius ſimulachrum F indefinitum eſt,penitusq; obſcurum. Eſt enim rationalis omnis intellectualisq; naturæ penitus expers, & ab ipſo ente longiſsimè diſtãs. Interea verò quaſi per media domeſticam habitat ſedem: at rurſus inferiora proſpiciens quaſi ſecundo quodam oculorum iactu ſimulachrum format, & hoc opificio delectata intrat in ipſum.

Quinq; habet conſiderationes de Deo,quomodo eſt ſuper omnia & in omnibus: & de intellectu ſemper in actu,& quòd Deus eſt ſuper intellectum. Cap. III.

QVo igitur modo ex vno multitudo progreditur? quoniam ipſum vnũ eſt vbicq;. Neq; enim alicubi tantùm eſt,neq; vbi non ſit, locus eſt vllus. Implet igitur omnia. Iam igitur multa: potius autem iam omnia ſpecieſq; omnes. Si enim ipſum eſſet vbicq; tantùm,ipſum eſſet omnia: at quoniam etiam nuſquam eſt,fiunt quidem per ipſum omnia,quoniam eſt vbicq;: diuerſa verò ab ipſo,quoniam eſt & nuſquam. Cur nam igitur ipſum non ſolùm eſt vbique, ſed prætera nuſquam? nempe quia oportet ſuper omnia vnum eſſe. Quamobrẽ neceſſe eſt ipſum implere & facere cũcta,neq; tamen omnia hæc eſſe quæ facit. Tum verò animã ipſam oportet quaſi viſum eſſe,huic autẽ viſibile eſſe mẽtem:

viſum

A Viſum inquam indeterminatum antequam videat: natum verò ad videndum atque intelligendum, talemq; eſſe, vt ad mentem materia ſit. Quando intelligimus nos ipſos, inſpicimus naturam intelligentem: alioquin circa intelligentiã mentiremur. Si ergo intelligimus, ipſiq; nos intelligimus, pfectò naturã exiſtẽtem intellectualẽ intelligimus. Quamobrẽ ante hanc intelligentiã altera intelligẽtia eſt quaſi quieta: nempe & eſſentię intellectio eſt, & intellectio vitę. iccirco ante hanc altera quædam eſt eſſentia videlicet atq; vita. Hæc itaque nouerunt quotcunq; ſunt actus. Quòd ſi intellectus ipſi ſunt actus, ſic in intelligendo ſe conſiſtentes, ipſi veri nos intus intelligibile poſsidemus. Intellectio verò noſtrũm fert imaginem. Primum omnium principium, poteſtas eſt motionis & ſtatus: ideoq; ſuper hæc exiſtit. Quòd verò ſecundum eſt, quieſcit circa ipſum, atque mouetur. Ad ſecundum autem pertinet intellectus. Aliud namque exiſtens, ad aliud intelligentiam dirigit: illud verò non habet intelligentiam. Quod enim eſt intelligens, duplex iam eſt, ſeq; ipſum intelligit: ob idq; etiam eſt egenum, quoniam non in ſubſtantia, ſed in actu intelligendi proprium habet bonum. Cum eo quod in actu eſt, congruit illud quod ex potentia prodit in actum: quod quidem idem eſt ſemper, quamdiu eſt. Quapropter ſimiliter eſt & perfectum: atque eiuſmodi quiddam corporibus quoque cõuenit, velut
B igni, non poteſt tamen ſemper eſſe, quoniam cum materia eſt. quod autem actus eſt, neque eſt compoſitum, ſemper eſt. Poteſt autem quod actu eſt, idem quoque ſecundum aliud quiddam in potentia eſſe: ſed neque dij in ſublimi ad entia incũbentes, primum ipſum ſunt: mens autem entia eſt, vbi eſt & motus & ſtatus. Iam verò ipſum primum circa aliquid aliud non verſatur, ſed cætera circa ipſum conquieſcentia permanent, & mouentur. Motus enim appetitio eſt, illud autem nihil appetit. Quid enim appetat quod eſt ſummum? An igitur neque ſeipſum quidem intelliget? Forſan qua ratione ſeipſum habet, omnino etiam dicitur intelligere. Fortè etiam potius, non ob id quòd ſeipſum quid habeat, dicitur intelligere, ſed ob id quod ſuſpiciat primùm. Eſt autem hæc actio prima & ipſa intelligentia. Si igitur hæc prima eſt, nullam oportet eſſe priorem. Quod igitur hanc præbet, ſuper hanc exiſtit: poſt illud igitur intelligentia ſequitur. Non enim eſt ipſum primo venerandum, intelligentia. Neque igitur intelligentia quælibet veneranda, ſed dumtaxat intellectio boni: itaque ſuper intelligentiam eſt ipſum bonum. An igitur nec etiam ſeipſum animaduertet? Quid ergo? Eſt ne bonum antequam ſeipſum animaduertat? An nondum eſt
C bonum? Si enim bonum eſt, iam eſt ante animaduerſionem ipſum bonum: ſi autem animaduerſio facit bonum, non eſt ante hanc ipſum bonum: quapropter nec ipſa erit, cum non ſit boni. Quid ergo? An neque etiam viuit? Fortè non eſt dicendum viuere, ſiquidem ipſum præbet vitam. Quod autem ſeipſum animaduertit atque intelligit, ſecundum obtinet gradum: Animaduertit enim vt tali quodam actu ſibi ipſi cohæreat. Oportet igitur ſi apprehendit ſeipſum, contigiſſe quodammodo, vt ſe nequaquam apprehenderet, & vt ſuapte natura imperfectum ſit, ſed intelligendo perficiatur. Tollenda igitur ab ipſo bono ſui ipſius apprehenſio: adiunctio namque omnis ablatio nem inducit atque defectum.

D

ARGVMENTVM MARSILII FICINI FLORENTINI IN LIBRVM PRIMVM ET SECVNDVM DE ANIMA

Intellectus primus eſt eſſentiæ prima, à quo & in quo ſunt ſemper intellectus alij. Item quomodo anima ſit indiuidua ſimul atq; diuidua.

QVONIAM quę hic Plotinus de anima diſſerit, alibi latius pertractauimus, præſertim in primo, & tertio, & ſeptimo theologiæ libro, ideo hic breuiter attingemus. Generatio ſemper contendit ad eſſe: primò quidem ad eſſe nudum, deinde ad eſſe uiuum, poſt hæc ad eſſe quod dicitur ſenſuale, denique ad eſſe intellectuale tanquam ſummum, ubi anima intellectualis ad corporis deſcendit commertium. eiuſmodi uerò eſt ordo eſſentiæ uel eſſendi in generationis gradibus acquiſitus. Super hunc ordinem extat ordo eſſentiæ in æternis gradibus uniuerſi, in quo ſummum tenet uelut principium ipſe ſimpliciter intellectus: à quo intellectus animalis in generatione deſcendens ſummum tenet in toto generationis ordine tanquam finis, non quidem ſimpliciter generatione factus, ſed accommodatus corpori ad prouidentiam totius explen-
E dam. Eſt autem ipſe ſimpliciter intellectus ubique totus: ſunt & in eo non ſolùm per ideas, uerùm etiam per proprias (ut ita dixerim) exiſtentias intellectuales animæ, ſecundum intellectualem ſibi propriam facultatem, etiam dum ſunt in corpore. Quemadmodum lineæ à centro ad circumferentiam uſque productæ, non diſcedunt à centro dum attingunt circumferentiam, & radij non relinquentes ſolem interim terrena contingunt: atque ſicut lineæ radijq; extra prominentes inter ſe loco diſtant, in ipſo tamen principio ſunt loco ſimul: Sic animæ apud nos ſecundum corpora ſitu diſtantes, ibidem ſunt omnes ſecundum intellectum in mente diuina: ſecundum intellectus inquam ſuos, illic inter ſe differentes, ſicut & linearum radiorumq; termini inter ſe ſunt alij, etiam ubi centrum ſolemq; contingunt. Hinc effici uult Plotinus, ut intellectus propheræ hominisq; abſtracti, & ſi in Oriente tantùm uideatur eſſe, proſpiciat tamẽ quæ fiunt in Occidẽte, atque ex uno quodã loco miraculoſũ aliquid agat in alio, & cogitatione affectioneq; ſua clã mouerat alios: quia uidelicet intellectus omnes in ſe inuicem, & ubiq; ſunt: quandoquidẽ ſunt ſemper in ſimplici mente diuina, tota ſemper ubiq; præſente. Qua quidẽ præſentia & Deus percipiat preces, & homines cum Deo familiariſsimè colloquantur. Eſſe quoq; uult intellectus eiuſmodi familiares hominũ dæmones, aſſiduosq; duces ſingulis ſingulos attributos. Nam externi dæmones fortè non adeo poſſunt ſinguli hominibus ſingulis adhiberi. Cenſet Platonem, ubi ait in Timæo animam componi ex eſſentia quadam indiuidua, itemq; diuidua circa corpora, primam eſſentiam intellexiſſe intellectualem animæ poteſtatem, nunquam ad corpora declinantem: ſecundam uerò illam animæ naturam, quæ corpori ſe prorſus accommodat, quæ tamen interim indiuidua dicitur: quoniam & anima corpori copulata quantum-
F cunque membra corporis inter ſe diſtent, ipſa à ſeipſa non diſtat: quippe cum eadem in quolibet mẽbro ſit tota. ita uerò ſe habere utranque (ut diximus) animæ facultatem, tum in anima noſtra, tum etiam in anima mundi. Cæterùm cum dicat intellectum & mundi & hominis omnibus ſui corporis membris eſſe præſentem: itemq; diuinum intellectum partibus mundi cunctis adeſſe, cur non ex hoc ſaltem dicitur ita per corpus eſſe diuiſus, ut anima? quia uidelicet intellectus quilibet ſua præſentia nihil tribuit corpori, niſi per animam: ut uideatur adeſſe potius, quàm ineſſe. Præterea intellectus æquè ſe habet in qualibet corporis portione, ut uideatur penitus indiuiſus: anima uerò aliam ſui uim actionemq; in hoc membro, aliam in alio exercet, uitamq; & ſenſum atque motum per diuerſos gradus corporis ſui membris accommodat. itaque diuiſa quodammodo uidetur in corpore. In ſecundo hic de anima libro notabis Endelechiam illam Ariſtotelicam, qua anima dicitur actus & perfectio corporis, accipi poſſe etiam apud Ariſtotelem non ſolùm pro forma, & anima à corpore inſeparabili, ſed etiam pro ea quæ ſit à corpore ſeparabilis. Proinde conſiderabis quod propriè diuiditur, id in ſubſtantia diuidi: quod uerò mouetur, poſſe moueri quidem propriè, ſecundum accidentia eius & qualitates atque modos, interim tamen ſubſtantia permanere: ideoq; diuiſione potius q̃ motu attingi ſubſtantiã, atq; lædi. Cum uerò in ipſo rerũ deſcenſu bonũ quidẽ exordiatur à ſummo, malumue à minimo, meritò deſcendendo rẽ propriè mobilẽ prius q̃ propriè diuiſibilẽ reperimus. Igitur ſub intellectu diuino, qui & indiuiduus eſt penitus, & immobilis, inuenimus aſam indiuiſibilem quidem, quamuis propriè mobilem: deinde formam qualitatemque corpoream undique mobilem atque diuiſam. Demum corpus, quod & huius diuiſionis origo eſt, ac uelut iners abunde mouetur.

Quando

A Quando uerò animam diuiſibilem dicimus,non propriè,ut de corpore atq; etiam qualitate,ſed im propriè loquimur,intelligentes non quidem ſectam ſecundum corporis ſectiones ut qualitas, ſed accomodatam corpori mobili diuiſoq;,uiresq; ſuas,& actus,& dona aliis membris aliter diſtribue re.Norabis interea molem formamq; corpoream,natura ſua penitus diſsipabilem, tũ in nobis tum in mundo non poſſe aliter colligari,quàm ab anima, quæ non ſit æquè diuiſa,ſed in qualibet parte ſit tota.Item mundi animam quatenus in ſe multitudinem habet uirium atq; formarum,quodam modo mobilem eſſe accomodatam ad corpus mundi uiuificandum : accomodatam inquam ab ipſa mente diuina immobili quidem omnino,habente tamen multitudinem in ſe formarum , quamuis non uſque ad minima differentium ibi ſicut in anima differunt. Item quatenus & in mente diuina primùm,& deinde in anima mundi regnat unitas,uigetq; ſimplicitas eminens,inde ratione quadam intellectuali ſapienterq; omnia regi. Conclude quinq; hic rerum gradus: Ipſum bonum unum in ſe tantum eſt,diuina mens ,unum,multa, anima tum mundi,tũ noſtra unum in ſe eſt,atq; multa. Qualitas formaq; corporea quælibet multa in ſe eſt & unum:corporis ipſa moles non unum iam ſecundum ſe,ſed multa cenſetur. Reliqua in Theologia (ut diximus)exponuntur.

LIBRORVM ENNEADIS QVARTÆ PLOTINI PHI-

LOSOPHI SERIES MARSILIO FICINO FLO-

B rentino interprete.

Primus liber de eſſentia animæ ſummatim.
Secundus de eſſentia animæ diſtinctius.
Tertius de dubijs animę
Quartus item de dubijs animæ.
Quintus iterũ de dubijs animę vel de viſione.
Sextus de ſenſu & memoria.
Septimus de immortalitate animæ.
Octauus de deſcenſu animæ in corpora.
Nonus vtrum omnes animæ ſint vna anima.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER EN-

NEADIS QVARTAE PRIMVS DE ESSEN-

TIA ANIMÆ SVMMATIM.

Intellectus primus eſt eſſentia prima,à quo & in quo ſunt ſemper intellectus alij. Item quomodo anima ſit indiuidua ſimul atq; diuidua.

C

IN mundo intelligibili regnat eſſentia vera,cuius præſtantiſsimum eſt intellectus:animæ autem & illic adſunt, inde nanque venerunt & hunc in mundum. Ille quidem mundus animas habet abſque corporibus: hic autem iam corporibus inſitas diuiſasq; per corpora. Illic ſanè ſimul eſt intellectus omnis, neque diſcretus neq; diuiſus:ſimul & vno in mundo ſunt animæ , nec ex vllis locorum interuallis diſtantiam patiuntur : Intellectus igitur indiſcretus indiuiſusq; eſt ſemper,ſed anima illic quidem indiſcreta indiuiſaq; viuit: habet verò naturam diuiſionis cuiuſdã capacẽ.Eius nãq; partitio eſt, illinc abeſſe atq; diſtare,corporibusq; coniungi:quapropter non iniuria eſſe dicitur circa corpora diuiſibilis.Ita enim abeſt & diſtat,partitionemq; nonnullã admittit. quodam modo igitur etiam impartibilis eſt.Non enim illinc tota diſcedit,ſed etiã ſupereſt ipſius aliquid,quod ad inferiora nõ venit, cuius natura nullam ſubire poteſt partitionem.Quod igitur in Timæo dicitur, animã eſſentia quadam indiuidua & quadã circa corpora diuiſibili eſſe cõpoſitã,idem eſt, atq; ſi diceret, amnimã eſſentia quadã conſtare,partim quidem apud ſuperos permanente, partim ve-

D rò ad inferiora vergente, quæ quidē ſimul & inde pendeat, & ſe interim ad hæc vſq; propaget, non aliter quàm ex centro linea protendatur. Ad hæc verò profecta hac inſuper parte, euidenter totius ſeruat naturam: nam & hic non ſolùm partibilis eſt, ſed etiam impartibilis: ſiquidē quòd in ipſa diuiſum in partes dicitur, modo quodam indiuiſo eſt diuiſum. Per totum enim ſe corpus fundens, nèc diuiſa quidem ex eo quod tota eſt per totum, interim ex eo quod in toto eſt dicitur eſſe diuiſa.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SECVNDVS DE ESSENTIA ANIMAE.

Neceſſe eſt animam eſſe mediam inter intellectum diuinum & corporis qualitatem, item animam eſſe in qualibet corporis parte totam. rurſum de gradibus uniuerſi.

E I quærentes quæ'nam animæ eſſentia ſit, oſtenderimus eam neque corpus eſſe, neque rurſum in rebus incorporeis harmoniam: item quod dicitur de endelechia, ideſt, actu quodam perfectioneq; corporis prætermiſerimus, quaſi (vt verba ſonant) mimmè verum, neque quid ipſa anima ſit declarans. Præterea ſi affirmauerimus eam naturæ intelligibilis eſſe ſortisq; diuinæ forſan manifeſti nonnihil de huius eſſentia in medium adduxerimus: attamen operæpretium eſt vlterius progredi. Iam igitur per ſenſibilem & intelligibilem naturam facta ſit diſtributio, animaq; ipſa in mundo intelligibili fuerit collocata, in præſentia verò poſita quidem ſit in eo mundo, ſed alia quadam via huius naturæ proprium indagemus. Dicimus itaq; alia quidem eſſe primò diuiſibilia & ſuapte natura diſsipationi ſubiecta: talia verò eſſe, quorum pars nulla idem eſt vel alteri parti vel toti, & in quibus pars neceſſariò minor eſt omni atq; toto. Talia vtiq; ſunt ſenſibiles magnitudines atq; moles, quorum quodlibet proprium occupat locum, neq; poſsibile eſt idem ſimul pluribus in locis exiſtere. Alia verò quædā eſt eſſentia viciſsim huic oppoſita nullo modo partitioni ſubiecta, partium expers, ideoq; etiam impartibilis. Interuallum autem neq; etiam
F per excogitationē accipiens, non indigens loco, rebus nullis inhærens, vel ſecūdum partes, vel etiam ſecundum tota, vtpote quæ quaſi cunctis ſimul imcūbat rebus: non quidem vt ſubſtineatur ab eis, ſed quoniā cætera ſeorſum ab ipſa eſſe neq; valeant neq; velint, tum eſſentia eiuſmodi ſemper eodē modo ſe habet. Cōmune omniū gradatim ſequentium firmamētum, & quaſi in circulo cētrū, à quo omnes ad circumferentiam lineæ ductæ continuè, nihilominus ipſum conquieſcere in ſe ipſo permittunt: habent quidem ab eo generationē atq; eſſe, pūctiq; ipſius participes ſunt, quibus omnibus indiuiduū eſt principiū, procedunt tamen aliò, inde interim non diſiunctæ. Cū itaq; ſit hoc primū indiuiſibile, & in ordine intelligibiliū entiumq; principale, ac rurſus ſit & illud in ordine ſenſibilium penitus diuiſibile, ſuper ſenſibile quidem & propè ipſum atq; in ipſo alia quædam natura eſt, partibilis quidem, ſed non primò ſicut corpora, partibilis tamen in corporibus his effecta: adeo vt ſectis corporibus, ſecetur ſimul & ſpecies, quæ illis ineſt, ſit tamē quodammodo tota in qualibet partium diuiſarum. Species inquā eadem facta iam plura, quorū quodlibet omnino diſtat ab alio quippe cum ſpecies facta ſit penitus diuiſibilis, quales ſunt colores & qualitates omnes, omniſq; forma, quæcunq; poteſt tota in multis ſimul eſſe diſtantibus, nullam habens partem idem aliquando patientem, quòd patiatur & alia.

Quam

A Quamobrẽ hoc inſuper omnino diuiduũ videt̃ eſſe ponẽdum. Præterea vltra naturã illam prorſus indiuiſibilem, alia eſt eſſentia ꝓxima inde naſcens, habens quidem indiuiduũ munus ab illa, ſed ꝓgreſsione quadã inde facta ad naturã alteram properãs media euaſit ambarũ, naturæ ſcilicet impartibilis atq; primæ rurſusq; naturæ partibilis circa corpora & corporibus inhęrẽtis. Neq; omnino ita ſe habet, vt color & qualitas omnis, quę quidẽ multa ſimul implet, quodãmodo exiſtens eadem in molibus corporum multis: attamẽ qualitas quæ in parte alia eſt, omnino diſtat à qualitate quę iacet in alia, quatenus & moles ibi diſtat à mole. Et quanuis magnitudo ſit vna, tamẽ quòd in ſingulis partibus dicit̃ idem, nullã prorſus habet ad compatiendum communionem: quoniam hoc ipſum idem alterum eſt, & alterum. Paſsio enim quædam eſt hoc ipſum idem, non tamen & ipſa eademq; eſſentia. Quam verò in hac natura dicimus eſſe penes impartibilem eſſentiam, ab ipſaq; procedentem, & eſſentia eſt, & corporibus iungitur, circa quæ diuidi hanc quoq; contingit: neq; tamen id antè patitur, quàm corporibus ſeipſam tradat. Quando igitur corporibus adeſt, quamuis adſit maximo paſsimq; diſtanti, tamen toti ſeipſam accommodans vna interim eſſe nõ deſinit. Neque ita vnum eſt, vt corpus eſt vnum: corpus enim continuatione quadam vnum eſt, partes verò aliud inter ſe ſunt & aliud, & alibi diſponuntur:
B neq; rurſus ſic vna eſt, ceu qualitas vna. Profectò natura hæc partibilis ſimul atque impartibilis, quã eſſe dicimus animã, non ſic vna eſt quaſi quoddam continuum, aliam partem aliamq; habens, ſed partibilis quidem eſt: quoniam partibus omnibus eius in quo eſt ſeipſam cõmunicat, impartibilis autem, quoniã tota eſt in omnibus & in qualibet portione ipſius eſt tota. Quicunq; verò hoc planius inſpicit, magnitudinemq; & poteſtatẽ animæ rite cõſiderat, intelliget quã diuinus, quamúe mirãdus animæ ſit theſaurus, atq; naturarũ ſuper cæteros theſauros exiſtentium: quippe cum magnitudine vacãs vniuerſæ magnitudini adſit, & alicubi exiſtens ibi iterum nõ exiſtat, non alio quodam, ſed prorſus eodẽ: adeo vt & diuiſa ſit in partes, & iterũ non diuiſa: potius autẽ ipſa neq; diuiſa ſit neq; diuiſa fiat. Manet enim ſecũ ipſa tota, ſed circa corpora dicitur eſſe diuiſa: quippe cum corpora nequeant diuiſibilitate propria indiuiſibiliter eam accipere: quo efficitur, vt partitio non animæ quidem paſsio ſit, ſed corporum

Confirmantur ſuperiora. Item quomodo fiat ſenſus, & paſsio, & iudicium.

C QVod autem oporteat talem eſſe naturam animæ, quodúe præter hãc nequeat eſſe anima, ſed neceſſarium ſit, animã neq; impartibilem tantùm, neque partibilem duntaxat exiſtere, imò oporteat ambo hunc in modum eſſe, per hæc nobis eſſe poterit manifeſtum. Principiò ſi talis eſſe, qualia corpora, aliam partem aliamq; habens, profectò parte altera patiẽte pars altera in ſenſum patiẽtis minimè peruenirẽt: ſed illa quidem anima velut quę eſt in digito quaſi altera & in ſeipſa exiſtens paſsionem ibi ſentiret. Multæ quoq; forent animę noſtrûm quemlibet gubernantes. Quinetiam hoc vniuerſum non vna quædam anima, ſed diuerſæ potius inter ſe & innumerabiles animę regerent: Quòd enim de continuitate aliquis afferat, niſi prorſus conducat, redigaturq; ad vnũ, vanũ eſſe videtur. Non enim admittendum eſt, quod plerique ſeipſos decipientes aiunt: ſenſus videlicet ipſos peruenire ad ipſum animæ principale gradatim continuata quadã ſucceſsione. Primò quidẽ dicere partẽ animæ principalem, incõſideratè proponit: nã quo pacto diuident, & hoc quidem aliud, illud verò aliud affirmabunt, & principale aliud potiſsimum deſignabunt? Qua enim quãtitatis norma vtrunq; diſcernẽt, quaúe differentia denotabunt, vbi & qualitas vna eſt, & continua moles? Præterea vtrũ principale ſolùm, an & partes aliæ ſentient?

D Quod ſi ſolùm dicant, ita demum ſentiet, ſi ſenſibilis paſsio occurrerit principa
li propria in ſede locato: ſin autem in aliam inciderit animæ partem ſenſus ex-
pertem, pars eiuſmodi non traducet paſsionem eandem ad principale, nec om-
nino ſenſus efficietur. Tum verò ſi paſsio accedat ad principale, vel in partem
eius incidet, ideoq; hac ſentiente reliquæ nequaquam ſentient: alioquin fuerit
ſuperuacuum, aut certè multæ innumerabilesq; ſenſuũ perceptiones erunt atq;
diſsimiles. Alicubi enim quaſi dicetur, equidem primò patior: alibi verò, ego
nunc ſenſi alterius paſsionem, & vbi potiſsimum illata ſit paſsio, ſenſus quilibet
ignorabit præter primum: vel forſan pars animæ omnis æquè falletur, putans
vbi ipſa eſt, ibidem & paſsionem eſſe factam. Quòd ſi non principalis ſolũ pars
verùm etiam omnis alia ſentit, cúr nam hæc quidem principalis ſit, hæc verò
nequaquam? cúr ue oporteat ad illiam peruenire ſenſum? Et quòmodo quæ ex
multis confluunt ſenſibus velut auribus atq; oculis, vnum quiddam cognoſce-
re poterunt? Sin autem anima vnum prorſus extiterit, tanquã impartibile pror
ſus, & vnum in ſeipſo conſiſtens, & omnino multitudinis partitionisq; natu-
ram effugerit, certè corpus nullum apprehenſum ab anima animabitur totum:
E ſed anima quaſi circa centrum cuiuslibet ſe ſtabiliens, reſiduam prorſus molem
relinquet inanimatam. Oportet igitur ſic vnum & multa, & partibile ſimul atq;
impartibile eſſe animam: neq; diffidere, quaſi impoſsibile ſit, vnũ idemq; ſimul
multis adeſſe. Niſi enim hoc admiſerimus, natura omnia continẽs & gubernãs
nuſquam erit, quæ quidem ſimul complectitur omnia, & ſapientia ducit. Multi-
tudo quidem exiſtens, quandoquidem & entia multa: vna quinetiam exiſtens,
vt vnum ſit quod continet: profectò per vnum eius multiplex vitam partibus
ſuppeditat omnibus, per vnum verò eiuſdem impartibile ducit etiam ſapiẽter.
Quibus verò non ineſt ſapientia, vnum ibi illic principale hoc imitatur. Hoc i-
gitur eſt quod diuinè, licet obſcurè, dicitur à Platone hunc in modum: Mundi
artifex ex eſſentia impartibili eodemq; ſe modo ſemper habẽte, & eſſentia quę
circa corpora ſit partibilis, tertiam quandam ex ambabus commiſcuit eſſentiæ
ſpeciem. Eſt igitur anima vnum hunc in modum atq; multa, ſpecies autem
quæ ſunt in corporibus multa ſimul & vnum, corpora verò multa
ſolùm. deniq; quod ſupernum eſt, duntaxat eſt vnum.

ARGVMENTVM MARSILI FICINI IN LI-
BRVM DE DVBIIS ANIMAE PRIMVM.

F

Quòd animæ noſtræ differant ab anima mundi, neq; ſint ab ea.

PRIMVS de dubijs animæ liber ſeptem præcipuas cõtinet quæſtiones. Prima
quærit utrũ animæ noſtræ ſint ex anima mundi, ſiue ut partes eius, ſiue ut qui-
dam effectus ab ea. Secunda, quomodo anima inſiquetur corpori, ſcilicet qua
proprietate, quo ordine differenti, qua lege inſtitiæ. Tertia, utrũ anima extra
corpus uiuẽs diſcurſu quodam rationis utatur. Quarta, quo pacto in anima
dicaſ impartibile aliquid ſimul, atq; partibile. Quinta, utrũ anima aliquo mo-
do ſit in loco, & qua conditione ſit in corpore. Sexta, ubi ſit anima quãdo ſeor-
ſũ eſt à corpore. Septima, utrũ animę hinc ſciũctę humanarũ rerũ reminiſcant, & ſimpliciter de memo
ria atq; reminiſcẽtia. Suſpicabitur fortè aliquis animas noſtras eſſe quaſdã mũdanę animę partes, idq;
ex trib. Platonis dictis aſſeuerabit. Primò quidẽ quod & in Philebo uidetur innuere: quẽadmodũ
corpora noſtra mũdani corporis partes ſũt, ſic & animas animæ. Deinde & qđ in repub. & in Phędro pariter & in Timęo ſentire uideſ, animas noſtras ſequi totius mũdi circuirũ, & inde mores fortu
nasq; accipere. Poſtremò quod in Phędro dicit, animã quoq; noſtrã totius inanimati curã habere. Vi
detur aũt cõis hęc cura dũtaxat ad mũdi animã pertinere. Videtur inſuper ueriſimile, hoĩes intra mũ
dum genitos uitam à mdo ſortiri, & quaſdam totius uitę portiones habere. Hanc equidem ſuſpitio-
nem in Theologia, ubi contra Aueroem agitur pro uiribus è medio ſubſtuli. Atque hic ad eandem
ſimiliter extirpandam in primis unà cum Plotino ſic agamus. Præſtantior eſt forma quàm materia,
& totum partibus: igitur ſi datur totum materiale, datur & formale totum. Item ſi totum ex parti-
bus, ergo & totũ ex totis. Cum.n. uniuerſum ſumma ratione optimeq; ſit cõſtructũ, meritò quicquid

optimè

A oprimè ſe habere ratio uera cõcludit,iã extat in uniuerſo:nã & inde ratio id cõiectat. Totũ materiale dicitur ſicut lignũ:nã & ſi multiplicatur in partes materiali diuiſione,nõ tñ multiplicatur in formas Totũ formale eſt arbor:in multas enim diuiditur formas inter ſe perſpicuè differentes. In hoc quoq; toto formali uerũ meſt materiale totum:nam ex eo quòd in formas particulares diſtinguitur differentes,etiam in materias quodammodo differrn*es,formis ſcilicet proprijs differẽtibus. Cũ igitur mundus ſit totum abſolutiſsimũ,certè & formale totum eſt,totumq; ex totis. Non erit autẽ totum ex totis niſi multa ſint in eo nõ ſolùm differentia formis,ſicut in arbore,ſed etiã ſecundum exiſtentiã quoq; diſiunctu,& actionibus ſegregata:ſicut cantores in choro,ubi unuſquiſq; & communi officio cum cæteris ad idem congruit,& interea proprius eſt,& ſui iuris exiſtit. Oportere autem mundum hunc eſſe uerum totum ex rebus uerè totis,nõ ſolùm eius perfectio poſtulat,ſed etiã exemplaris imi ratio exigit:nam & illud totum eſt ex totis. Illic enim in unoquoq; aliter aliterq; ſunt omnia : ſed in hoc inſuper mundo localem quoq; rerum diſiunctionem adducit operis huius conditio dimenſioni locoq; & motui temporiq; ſubiecta. Deniq; ubi perfectiores ſunt partes,perfectius eſt & totum. Partes uerò perfectiores ſunt,quæ exiſtentiam propriam,propriumq; habent officium. Sic ergo & totum magis formale eſt,ubi partes magis ſunt formales. Hæ uerò ibi formales magis, ubi magis formis atq; exiſtentijs ſiue ſubſtantijs & actionibus diſtinguntur. Ad hoc autẽ ut totum ſit uerè unũ, ſatis profectò facit ordo cunctorum,unus ab uno pariter & ad unum. Ex his apparet non eſſe probabile, hanc mundi machinã unicã duntaxat habere animã:ſed probabilius eſſe, plures ad eſſe animas,& animalia plura præter mundanam animã,animalq; mundanum. Atqui & in nobis eſſe pro-

B priam animæ noſtræ ſubſtantiã ab ipſa mundi anima differentẽ inde conijcimus,quòd propriũ noſter animus liberumq; poſsidet arbitrij motum. Qua de re in Theologia de libero diſputantes arbitrio ſatis egimus. Alioquin ſi pars totius foret,ſubitò totius impetu raperetur,neq; foret diſcurſionis rationalis & conſilij compos,neq; aberrare poſſet,quandoquidem anima mundi errare non poteſt. Liberum uerò in nobis arbitrium Plato in decimo de Repu,& in Phædro atq; Timæo abſq; dubio ponit,& Ariſtoteles ubiq; confirmat. Omnino uerò ponere noſtras animas eſſe partes animæ mundi,nihil aliud eſt,quàm dicere,hanc animam tuam eſſe ipſam totam mundi animam, meamq; ſimiliter. Illa enĩ diuidi nequit in uarias portiones,ſed tota indiuiduaq; & eadem prorſus eſt ſimul ubiq;. Cum uerò mea nunc & tua inter ſe omnino repugnent actionibus opinionibusq;, & affectibus,& habitibus,non poſſunt eadem anima eademq; mens exiſtere. Præterea ſi animus meus eſt quo quomodo pars animæ mundi,non habet propriam exiſtentiam, nec inſuper propriam actionem. Non igitur reflectitur in ſeipſum,neq; ſeipſum poteſt animaduertere,imò & tanquam pars quæpiã anguſtiſsima non poterit mundum totũ cogitatione cõplecti, neq; percurrere,neq; ſuper hunc mũdum animamq; ipſius aliquid cogitare. Conſidera corpus humanum:non eſt hoc continua quædã portio machinæ ſed ſecundum propriam ſeiunctum eſt figuram ſimul & motionẽ. Cũ uerò anima, & præſtantior ſit quàm corpus,& figuræ huius motionisq; origo:nimirũ non quaſi cõtinua eſt mũdanę animæ portio,ſed ſubſtantiam poſsidet propriam. Iam uerò neq; facta eſt ab ipſa mundani corporis anima:quod enim ipſa facit,mobili facit proprietate:ideoq; mutabilem adeo facit eſſentiam, ut nequeat immutabile quicquam attingere. Animus uerò noſter & motum reſoluit in ſtatum, & mobilia ſubijcit immobilibus. Deniq; cum animus noſter ſit quædam intellectualis eſſentia, meritò

C ſit propriè ab ipſo ſimpliciter intellectu, à quo naſcitur & anima mundi,quæ & ipſa ſimiliteri ntellectus quidam eſt ſcilicet animalis. Hinc efficitur,ut anima noſtra poſsit ſimiliter atq; anima mundi fieri compos intelligentiæ,& ad illa quæ ſuper mundum ſunt æterna conſurgere:reliquæ autem animæ prater intellectuales,uel exoriri uel pendere à mundi anima poſſunt.

De duplici anima,& quòd animæ noſtræ non ſunt partes animæ mundi.

IN capite ſecundo notabis imperfectum quodlibet in quouis genere reducendum eſſe ad perfectum aliquid in eodem genere poſitum,per quod reducatur ad perfectum aliquid ſupra genus: ideoq; animam ratione carentem uelut imperfectam,quæ & pars compoſiti eſt, & inſtrumentis ad dicta corporeis,reducendam eſſe ad rationalem intellectualemq; animam,ſui iuris & in ſe perpetuò conſiſtentem:idq; faciendum eſſe tum in nobis,tum in dæmonibus,& ſtellis,ſphæriſq;, & mundo. Quæ opinio ualde conſonat cum Peripatheticis, duos in cælis motores rite locãtibus, quorũ alter corpori mobili ſit coniunctus,ut forma,mobiliſq; ſit motor:alter autẽ ſit motor quodãmodo ſeparatus immutabiliſq;.& primũ motionis principium atq; finis. Proinde Platonici quidam non legitimi,qui dicebant hominum animas eſſe partes animæ mundi,interea fatebantur ipſam mundi animam eſſe ſubſtantiam indiuiduam,ſempiternam,unam,ſimplicem,ubiq; totam:& propterea conſequenter addebant quamlibet hominis animam eſſe animæ mundanę conformẽ,totamq; ſimul & eadem attingentem,quæ tangit & anima mundi. His utiq; poſitis non poſſunt animã mundi in noſtras ira ſcare,ſicut uel magnitudo quædam in particulas, uel numerus in unitates diuidi ſolet.

D Sic enim illa quæ dicitur totius anima eiuſmodi diuiſione periret, neq; reſtaret una. Non poſſunt in ſuper illam in has diuidere, ſicut calor totius corporis in partes caloris membrorũ diuidi uidetur: nam animam illi ſubſtantiam eſſe uolunt in corpore non extenſam. Atqui calor ipſe non proprie ſecatur, ſed dimenſio in qua eſt calor: ideoq; cuiuslibet membri calor ipſe cõmunis potius eſt calor in parte corporis, quàm pars caloris: ueruntamen diuiſionem per accidens quodammodo patitur, quatenus per extenſionem corporis æqualiter eſt extenſus, anima uerò non ita. Nam absq; ulla extenſione ſua dimenſionẽq; dimenſionibus adſtat, ut diuiſibilia quæq; diſtantiaq; perfectè cõnectat in unũ. Neq; poſſunt rurſum diſtrubuere mundi animam ſic in noſtras, ut ſcientia tota in ſuas diſtribuitur notiones: Nam ſiue nulla ſit præter notiones tota quædam ſcientia, ita non erit uſquam una cõmunis anima, ſiue ſit præter illas una quædam, non erit accommodata mundo, ſed eminẽs. Afferent denicq; ſic noſtras animas dici animæ mundanæ partes, perinde ac ſiquis dicat, animam noſtram in manu uel pede eſſe partem totius animæ noſtræ. Sic itaq; diuidentes, nihil diuidunt, & omnino diuiſionis uocabulo abuuntur. Vna enim eademq; anima membro cuilibet adeſt ubiq; tota ſimul, quæ cũctas in ſe animales potentias habet ubiq;, quamuis alias per alia membra uelut inſtrumẽta actiones exerceat paſsiones quidem ſunt in mẽbris. Iudex autem ſenſibilium paſsionum tandem unus eſt, unum exhibens de diuerſis comparando iudicium, tum imaginatione, tum etiam ratione. ſic inquam fit in nobis. Non poteſt autẽ omnino ſimiliter fieri, & in mundo, in quo ſi unica ſingulorum eſſe figatur anima, poterunt quidem diuerſi homines diuerſa pati: ſicut nunc in quolibet noſtrum inſtru-
E menta diuerſa, ſed unicum deniq; iudicium adhibebitur. eadem opinio, intelligẽtia eadem. Hæc enim ad iudicem pertinent paſsionis expertem: ſi modò uerus ſit paſsionum rerumq; iudex: & ideo extat in ſe à patientibus quodammodo ſegregatus, ideoq; unicus, neq; proprer uaria inſtrumenta diuerſus. At uerò cum contraria in hominibus inter ſe iudicia ſint, propriè nimirum intelligẽtiæ ſunt, propriæ quoq; ſubſtantiæ ſunt animarum: ſiquidem non per inſtrumenta, ſed per intimam ſubſtantiæ facultatem officium rationale peragitur.

Multæ ſunt præter mundi animam intellectuales animæ, quæ non externis terminis, ſed internis inter ſe diſtinguntur.

IN capite tertio atq; deinceps quod iterum repetitur, nõ poſſe fieri ut anima in mundo ſit unica, rurſus ita confirmo. Prouidentia ſumma totius ad ſummum uniuerſi decorem in ordine conſiſtẽtem uaria rerum genera fore conſtituit, & innumerabilia iterum indiuidua. Inter hęc uerò uelut uallis diſtantia diuerſas in quolibet genere ſpecies eſſe uoluit, amans præ cæteris copiam ſpecierum, uelut rerum admodum perfectarum. Quòd ſi in generibus inferioribus anima ordinem quamplurimum digeſsit in gradibus ſpecierum, cur non & in natura generisq; animæ parem copiam affectauerit, ſimilemq; graduum ordinẽ per differentes animarũ ſpecies diſpoſuerit? quandoquidem & animæ ipſius naturã propter conditionẽ eius quodammodo cõpoſitã mobilemq; accommodatamq; corporibus multiplicabilis ſit, propagabilisq; per corpora. Et ipſa quinetiã natura mẽtis, quæ cõpoſitionẽ aliquã non excludit, imò & includit aliquã, in mentes ualeat plurimas deriuari: ſed de mira
F bili mentiũ numero in primo Theologiæ ſatis eſt dictũ, per quẽ confirmatus ſit & numerus animarum: denique ſolum primũ ipſum uniuerſi principiũ propter ſummã primi ſimpliciratẽ, naturarũ in ſe numerũ non admittit. Reliqua ſub hoc genera rerũ, ſcilicet mentis, animæ, naturæ, corporis, & recipiunt numerũ ſpecialẽ, & iam habẽt tanquã ad cõmune totius bonũ maximè pertinentẽ. Non poteſt autẽ animę ipſius natura primũ tenere in rerũ ordine gradũ neq; ſecundũ, ſed neceſſariò tertiũ: quod noſtra ſatis Theologia probat. Nõ cogitur itaq; eſſe unica, neq; debet rurſum, neq; deniq; poteſt. Præterea cũ Plato animã mundi aſſerat eſſe ſemper in corpore, eandemq; ſemper agere uitã: noſtras autẽ aliquãdo à corporibus ſeparari, atq; ſeparatas in diuerſa proprietate ſubſiſtere, & differẽti inter ſe conditione uiuere, & ſecundum electiones proprias ſortiri rurſum differentia corpora, ac deniq; pro arbitrio diſſimiliter uiuere, & pro uitæ diſſimilitudine diſcrepantes poſt obitum ſortiri uiuendi gradus: quisnã Platonicus animã poterit unicã ſuſpicari? Enimuerò ſiquis aliquãdo ſuſpicetur more Auerois eſſe unicũ in cunctis hominibus intellectũ, nos utiq; nõ ſimilter aduerſus eũ ſicut de anima dubitabimus, nec principaliter obijciemus quonã pacto alius quidẽ intellectus ſit in corpore, alius autẽ extra corpus: itẽ quomodo in corporibus tã diuerſis poſsint eſſe omnino cõſimiles intellectus, ut modò de anima dicebamus. Animæ namque tanquam declinantes ad corpora præter intimas inter ſe differentias differunt quoq; per actiones uarias circa uaria corpora, perq; corporum ipſorum diuerſitatem. At ſi quando intellectus qui ſeparatiores ſunt quàm animæ, actionesq; proprias abſq; corporeis peragunt inſtrumentis probaturi ſimus inter ſe differre, non ad corporum actionumq; eiuſmodi uarietatem confugiemus, ſed ad diuerſas potius intelligentiæ ſpecies modosq; intelligendi admodũ diſcrepãtes, intellectionesq; & habitus in eodem tempore inter ſe

repugnan-

A repugnantes, quæ unico ſimul intellectui ineſſe non poſsint. Sicut enim in primo intellectu differentiam inter multas notiones eius non aliter aſsignamus, quàm ex formalium intus proprietatum diuerſitate, ſic aſsignaturi intellectuum aliorum inter ſe differentias, eas ex intimis proprietatibus afferemus. Decet enim multas eſſe mentium & intelligentiæ ſpecies, ſi tam diues eſt natura corporum mentibus longè deterior, ut multæ ſint ſpecies metallorum, plures plantarũ, plurimę animalium: unde appareat, & dæmonum & mentium qualeſcunq; ſint, eſſe complurimas. Quinetiam animę ipſius naturã, quæ indiuiſibilis ſubſtantia eſt, perpetuoq; in ſeipſa ſubſiſtens, nõ decet ita in plures animas diſtribuere, iterumq; plures in unam quandoq; confundere, ſicut aquam multam partimur in partes, easq; rurſus cõfundimus in eandẽ. Neq; debemus iterũ ſic unam in plures animam deriuare, ſicut lumen à ſole unum in plura domicilia per feneſtras quodammodo diſtribuimus, paulò pòſt in idem penitus reſoluendum. Lumen enim uiſibile accidentis more dependet omnino, nec propriã retinet ſubſiſtentiam. Longè uerò diuerſum eſt ab hoc luminis intelligibilis intellectualisq; genus, non accidẽs quidem, ſed ſubſtantia prorſus abſolutiſsima. Ideoq; ſi differentes inter ſe gradus habet, eos non extrinſecus accipit, ſicut accidentales formæ, ſed intrinſecus, proq; differentibus proprietatib. eius multas admittit (ut ita dixerim) ſubſiſtentias, easq; ſpecie diſtinctas in eodem genere ſeruat confuſionis expertes. In hoc ſanè intellectualis ſubſtantialisq; luminis genere rationales animas collocabis. Et quomodo differant inter ſe cognoſces, neq; unquam confundantur in unam uiliorum more liquorũ: Cognoſces neceſſe tales ad mundi uitã, qualia ſunt ueſtigia quædam uitæ in animalibus ex planta naſcentibus: ſiquidem & uitam uniuerſi actione percurrunt, affectuq; tranſcendunt: neq; finges eas
B nihilo ab anima mundi differre, quaſi ſint quædam propagines eius per mundi corpus: nec aliter anima mea à tua differat, quàm quia differunt inter ſe corpora, per quæ facta fuerit propagatio: nec aliter utraq; differat ab anima mundi, quàm quia illa quidẽ ſit radix plantáue prima: hæ uerò ſint ex illa propagines. Sic.n. intellectualis ipſa Socratis anima poſt obitũ in mundi animam (ut fingitur) reſoluenda, dum propriã perdiderit exiſtentiã, eſſe omnino deſinet quãdo acceſſerit ad eſſe perfectũ. Quod quidem intellectualis natura non patitur: nõ externis ad diſtinctionem ſuã terminis indigẽs, ut liquores, atq; lumen, ſed uelut exactior, intimis in ſpecies ſuas & exiſtentias terminis diſtributa. Probatum ſatis in Theologia fuerit, rationalem animam quatenus intellectualis eſt, tantò perfectius ſe habere, quantò longius ſeipſam à corpore ſeparauerit: perfectius inquam ſe habere ad propriã ſui ſubſtantiam peculiaremq; proprietatem. Cum uerò ſummopere à corpore ſeparetur in obitu, tunc ſanè neceſſe eſt propriam huius animæ ſubſtantiam eſſe perfectam: unde fingere liceat neminì, mentes ſingulas in unam quandoq; cunfundi, ſubitoq; diſperdi.

Intellectuales animæ non per accidentalia, ſed per eſſentialia propria inter ſe diſtinguntur: & quomodo multæ animæ dicuntur eſſe una, atq; ab una.

CVm enim primus intellectus & eſſentia prima ſit idem, meritò intellectus omnes ſunt eſſentiæ ueræ, ideóque ueris inter ſe differentijs diſtributæ: id eſt non per accidens, nec terminis acceptis extrinſecus, ut diuiſæ continui partes, & ipſæ inter ſe moles, & plurimum materiales formæ,
C ſed pro dignitate eſſentiarum ſuarum in ſe ſubſiſtentium proprijs intimisque differentijs & terminis diſtinguntur. Verius enim diſtinguitur hoc ab illo, ſi diſcrepet proprietate formali, quàm ſi materiali diuiſione, uel accidente, uel loco. Quilibet igitur intellectus eſſentiam ſuam & eſſe poſsidet in ſua quadam intima prorſus identitate, & (ut ita loquar) alteritate. Identitate inquam prout eſt ſimpliciſsima forma, à ſua ſimplicitate nunquam cadens: alteritate rurſum, prout eiuſmodi forma per ſeipſam talem uelut per ſuam proprietatem à re qualibet alia, & à quolibet alio diſtinguitur intellectu. Quòd ſi primò & per ſe diſtinguitur, permanet ſemper procul à confuſione diſcretus. Cogita in mente diuina magnam animam, ideſt ideam animarum intellectualiũ generalẽ, in qua conceptę ſint & ſpecies animarum: & illa idea quidam intellectus eſt ibi, & hę ſpecies ibi quidam ſunt intellectus. Diſtinguntur autem illic inter ſe ideales intellectus eiuſmodi, non quidem exiſtentijs differentibus, (unica enim hactenus ſubſtantia eſt) ſed ratione quadam & proprietate formali. Eſſentiales aũt eiuſmodi proprietates ſi cogitãtur extra prodire, diſtingũtur ſubitò magis. diſtinguũtur igitur exiſtẽtijs. Adeo.n. intus ſunt efficaces, ut foras agant non accidentale aliquid, ſed ſubſtantiam, ſubſtantiasq; diuerſas pro rationum diuerſitate formaliũ. Subſtantiæ quidem eiuſmodi è proximo prodeuntes ab intellectu primo, intellectuales in primis exiſtunt. Quoniam uerò & ipſæ ſunt admodum efficaces ad conceptum uidelicet intimum, ideo unaquæq; proprietatem quandam exprimit in ſe ipſa ex intellectuali iam animalem: magisque in plura diſtinctam. Sicut uel à ſcintilla radius emicat, uel ab intimo imaginationis uerbo ſimpliciore, uerbũ in prolatione multiplicius iam mobiliusq; ,pducitur.

D Prodeunt igitur ex una ideali anima foras animæ multæ, tum mundi, tum etiam aliorum. Quæ etſi differentes ſubſtantiæ ſunt, ſunt tamen inter ſe quodammodo unum triplici potiſſimum ratione, tũ quia ſub eadem idea cunctæ, tum quia locis & temporibus minimè diſiunguntur, tum etiam quoniam per intellectuales ſuos quælibet apices uno eodémque ſecundum actum formantur intellectu diuino, eundemq; cunctæ perpetuò contuentur: mitto quod ad eundem naturaliter omnes conferunt uniuerſalis prouidentiæ finem.

Quomodo anima quælibet rationalis eſt omnia, & quomodo differant inter ſe ſpecies rationalium animarum.

SVmmum omnium principium propter ſummam tum ſimplicitatem eſt ſuper omnia, tum poteſtatem mox efficit omnia. Intellectus igitur eius filius eſt primum omne, ideoq; eſt omne perfectè, & iccirco quælibet eius idea eſt omnes ideæ. Anima igitur ab idea propria naturaliter & proximè profluens ſecum contrahit omnia: quælibet igitur intellectualis anima eſt uniuerſum. Id totum rurſus confirmo: primum in quolibet genere & ſimpliciſsimum ibi eſt, & ibidem continet omnia. Cum igitur intellectus ipſe primus ſit prima forma, meritò & uniformis eſt, & omniformis exiſtit. Itaq; omnis rationalis anima quatenus intellectualis eſt, non ſolùm forma ſimpliciſsima eſt, ſed
E etiam eſt omniformis, & omnia: omnia inquam actu, ſicut & intellectus ipſe eſt actu omnia. Quatenus autẽ anima non tam intellectualis iam, quàm animalis cuadit, retinet quidẽ munus idem quo ſit adhuc omnia: ſed minus perfectè retinens, eſt iam in potentia uniuerſum, & meritò, quando Deus eam rerũ mediã collocauit, eam ex omnib. tẽperauit. Temperauit aũt ita diuerſas ſpecies animarum, ut anima quę mũdi uniuerſalis uita foret, ad intellectũ ſemper cõuerteret uniuerſalẽ, atq; uniuerſaliter inſuper, & inſuper attẽtiſsimè. Vnde factũ eſt, ut uniuerſalẽ ſemper totius gereret prouidentiam, atque hanc poteſtate mirabili, ideóque & facilitate mirifica: ſiquidem poteſtas omnis uenit ex alto. Animæ uerò reliquæ poſt hanc cæleſtes ad intellectum quidem uniuerſum conuerterentur: nec tamen adeo uniuerſaliter, nec attentione pari: ideo prouidentiam neq; tam uniuerſalem agunt, neq; etiã tam potentem. Inferiores tandẽ hus animæ ita conſtitutæ ſunt, ut aliquando ad intellectũ ſe uerterẽt uniuerſum: atq; tũc ſiue magis ſiue minus uniuerſaliter uel attẽtè: ideoq; alibi cũ uniuerſali magis concurrerent prouidentia, alibi uerò minus, minus quoq; potenter. Item ut aliquando non tam ad uniuerſum, quàm ad proprium ſe flecterent intellectum: minusq; perfectæ forent: quandoq; ad rationem, ubi & perfectè minus: interdum ad imaginationem quam plurimum laberentur, deterrimæq; euaderent. deniq; rationalis anima quando in ſe explicat uniuerſum, ad uniuerſalem animæ mundi admittitur prouidentiã, quando uerò in ſe gradatim ab uniuerſo munere cadẽs ad partẽ muneris ſeſe dirigit, particularẽ gradatim ſubit curã, corpusq; propriũ magis induit, magisq; laborat.

Reſpondetur ad dubia, & probatur rationales animas non eſſe ex ănima mundi.

F PLato probaturus in Philebo mundum eſſe animatum: inquit, Vndẽ nam haberet corpus noſtrum, quod ex partibus elemeutorum componitur, animam, niſi mundus qui ex totis componitur elementis, animam poſsideret? Id eſt, intellectus mundi faber non adeo fuit imprudens, ut nobis daturus animam, non daret & mundo: prſertim quia mundi anima per uniuerſalem influxum præparatura erat materias animalium ſeminales ad animas proprias undecunq; ſuſcipiendas. Ideo corpus noſtrum habet & animam intellectualem non aliunde quàm mundus, ideſt, ab eodem mundi fabro, & animam ſenſualem plurimum ab anima intellectuali noſtra, conferente ad hoc in primis anima mundi. Timæus quoq; rationales animas non ab anima mundi, ſed ab eodem auctore, à quo & illam, & ex generibus conſimilibus aſſerit conſtitutas: neq; has eſſe uel illam, uel partes, uel uires illius, ſed eſſe à Deo in diuerſis ſpeciebus gradibusq; diſpoſitas: unde & has labentes in corpora errantesq; introducit & exeuntes, quod animæ mundi contingere nequit. Ait autẽ in Phędro, quotiens particularis anima, quæ & uniuerſum eſt in potentia extra corpus hoc ad uniuerſalem ſe formam actu cogitando, amandoq; conuerterit, hanc quoq; ad uniuerſalem mundi prouidentiam admittendam, cæleſti uidelicet corpore ab initio prædità: ſiquidem & in corpore caduco philoſophus contẽplator, ciuiliſq; idem prouiribus experitur. Proinde ſicubi Plato uidetur innuere, animas ſequi cæleſtem motum, ibidem atq; alibi ſubdit etiam poſſe non ſequi. Probatum eſt quinetiam, poſſe prudentia, arte, moribus cæleſtium influxibus repugnare. ex quo apparet, ſi qua in nobis eſt uita pediſſequa corporis, perq; hoc fato ſeruiens, hanc ab anima etiam mundani corporis poſſe pendere: ſed eam in nobis animam quæ corporeis incitamẽtis mundanisq; reſiſtit impulſibus, altius quàm à mũ

do de-

A do deſcendere. Atqui & ſi intra mundum geniti ſumus, aliunde tamen animam habemus ſuperiorem, quæ metitur & mundum. Nam & fœtus in aluo aliam accipit animam præter matris animam & aliunde habet animam quam à matre.

Quomodo animæ differant, & quomodo ſint immortales in propria forma reſtantes, & quomodo anima mundi ubiq; præſens omnibus conducat ad uitam.

IN octauo capite hæc in primis conſideraбis, ad hoc ipſum ut animæ noſtræ tum inuicē, tum etiā cum anima mundi adeo conſentiant, quòd confimili ſæpe afficiātur inſtinctu, & impulſus aliquis facilè ab alijs fluat in alias, & particulares animæ clam moueantur ab uniuerſali: non eſt utiq; neceſſarium, animas noſtras eſſe ab anima mundi progenitas. Satis enim ad hanc conſenſionem, & quaſi compaſsionem facit communis ipſa tum animæ mundanę, tum aliarum ex eadem mente diuina, eademq; generali animarum idea, ſimilisq; proceſsio. Proinde quatuor præcipuè ſunt humanarum differentiæ animarum: Differunt quodammodo ſecundum corporum differentias, quando motus magis minúsue concitatos pro differentia ſanguinis bilisue & ſpiritus habere uidentur. Differre dicūtur ex præcedenti uita: ſi uerum ſit, hanc animam ad actiones, illam ad contemplationem nunc promptiorem exiſtere: quoniam hæc quidem ante ortum negocioſiſsimam egit uitam, hæc uerò prorſus contemplatiuam. Differre quoque Platonici putant quodammodo ſpecie naturaliter ab initio: ſiquidem ſub eodem genere proximo humanæ ſint animæ: differant autem inter ſe ſpeciliabus quiB buſdam, & ſi quàm minimis poteſt fieri differentijs, quibus à ſummo quodam gradu per ſecundum tertiumúe & quartum diſtribuantur. Differre denique putant, quòd quamuis quælibet rationalis anima ſit uniuerſum, poteſt tamen libero quodam motu aliter atque aliter ſe afficere, prout alia ſe uertit ad uitam contemplatiuam, alia ad actiuam, alia ad uoluptuoſam. Et quæ ad contemplandū ſe conferunt aliæ hanc formam contemplationis eligunt, aliæ præ cęteris illam: & quam elegerunt, mox induunt quaſi naturam. Quanquam uerò anima quæuis eſt omnia, eiuſmodi tamen quaſi paritas non efficit animas inter ſe ſine ullo diſcrimine pares. Eſt enim in mēte prima communis idealisq; animarum ratio, non indiuidualis quidem duntaxat, ſed admodum generalis, uarios inter ſe poſsidens animarum idealium gradus, quorum numerum ſequitur par numerus animarum, & ſimilis ordo. Et quemadmodum in mente diuina hæc quidem idea eſt aliter omnia, & aliter illa: ſic anima hęc omnia aliter eſt quàm illa, & aliter ſuo utitur uniuerſo. Rationi præterea conſentaneum eſt, compoſita ex quatuor elementis poſſe in elementa pura reſolui: ac ſi elementa deteriora nequeant omnino ſeorſum à præſtantioribus eſſe, ſaltem alicubi præſtantiora ſeorſum à deterioribus in ſua puritate conſiſtere: ſimiliter compoſitum ex materia formaq; tanquam geminis elementis, reſolui quodam modo in materiam puram, & omnino redigi ad formam aliquam per ſe puram, quæ per ſe, & in ſe conſiſtat abſque materia, quamuis materia nequeat procul ab omni forma conſiſtere. Sicut elementum (ut dixi) formale à materiali procul exiſtit, quamuis é conuerſo non accidat, in genere formarum eiuſmodi intellectuales animæ numerantur. Eiuſmodi quidem forma eſt eſſentia ſimplex, eſſe ſuum per ſe poſsidens in ſeipſa, in qua & eſſe ſuum idem eſt, atque eſſentialis unitas eius. ContC rà uerò compoſitorum eſſentia ſeſe habet: nempe in hac aliud eſt eſſentia ſimul atque eſſe quæ conſiſtunt in multitudine, quàm unitas, quæ prout eſt unitas, multitudinem non admittit: atque eſſe ibi ſequitur unionem, quam unitas antecedit. Quorſum hæc? ut intelligas ipſam animæ formam, cuius eſſe idem eſt quod & eſſentialis unitas eius, eſſe prorſus indiſſolubilem, quemadmodum eſt indiſſolubilis unitas: præſertim quia ſi eſſe ubique in rebus eſt per formam, ſequitur ut forma ſimplex in ſe ipſa ſubſiſtens, eſſe ſuum ſemper in ſeipſa continuet. Præterea ſi forma ſimplex non mixta materiæ, perdenda ſit, in nihilum redigetur: ſi generanda, ex nihilo generabitur. id autem phyſica per ſe ratio non concedit. Eſt igitur anima ſempiterna: præſertim, quia ſi de aliquo ſit fingenda, neque tamen ex ullo queat materiali, cogetur deus eam eius auctor de ſua ſubſtantia procreare: unde cogetur eſſe mutabilis: præſertim ſi quando faciat quod antè non fecerat. Hæc ergo Plotinus ſignificat, ut animam aſſerat ſempiternam: quæ quantum affirmanda ſint, in Theologia nóſtra ſatis eſt dictum. Inter hæc animaduerte, formas eiuſmodi unamquanque eſſe in ſe unum quiddam numero ab alijs, nō per accidens, ſed per ſe diſtinctum, per ſe inquam: quoniam animæ non accipiunt numerum ex numero corporum, uel corporalium qualitatum: quaſi una mundi anima per diuerſas affectiones corporum propagetur in multas. Iam uerò quælibet anima ita per ſe ſubſiſtit ſemper unum numero, ſicut in ſua eſſentia ſuum habet eſſe, atque eſſe ſuum idem eſt quod & unitas eius. Sicut ergo eſſentia ſimpliciter animæ tanquam ſimplex & in ſeipſa conſiſtens, ſempiterna eſt, ſic & quodlibet ſingulare illius eſſe: ſiquidem eſſe ſuum eſt ſolùm in ipſius eſſentia. Item ſicut eſſe eſt ſempiternum, ſic & unitas

D quælibet numeralis: ſiquidem illic idem eſt eſſe quod & unum aliquid eſſe. Non enim per externa, ſed per interna diſtinguitur eſſentia ſimplex permanens in ſeipſa, ut nemini liceat ſomniare noſtras animas perſonalibus quandoq; dimiſſis proprietatibus in generalem quandam animam confundendas. Res quidem corporeæ ex materia formaq; compoſitæ unitatem ſpeciei perpetuam ſucceſſione conſeruant: unitatem uerò numeralem propriamq; nequaquam. Atqui neq; ſpecialem conſeruarent in ſe unitatem, niſi ab anima generationis fonte perpetuo hanc haurirent. Anima igitur tanquam longè præſtantior unitatem in ſeipſa quælibet numeralem propriamq; retinet ſemper, non ſolummodo ſpecialem, imò ſicut per ipſam compoſita quæ diſſoluuntur, ſimilibus temporibus redeuntibus, ſimilia prorſus & eadem ſpecie reuertuntur: ſic anima mutans quodammodo in ſeipſa formam, uelut præſtantior corpore, ad eandem numero quandoq; redit, & ad idem corpus, eandēq; perſonam. Poſthac ubi quæritur quomodo forma ſimplex intellectualisq; anima ſiue mundi ſiue noſtra dicatur aliquando infinita? reſpōdetur, nō quia in infinitum diuidi queat, ſed quia ſine fine uigeat, & ubiq; & ſemper agere poſsit. Sic igitur nec anima mundi uel in animas diuiditur infinitas, uel qualitatis corporeæ moré diſtenditur, quatenus moles mundi protenditur, ſed unica permanet: & quantumcunq; corporis ex ea quicquam poteſt accipere, ipſa ubiq; integra uegetat. Animæ quoque noſtræ ſicut non fiunt numero totidem, ex tot corporeis portionibus atq; qualitatibus, ſic neque protenduntur in molem, & more albedinis extenduntur extenſa materia: ſed & totidem ſunt, quot proprietates intimæ, & quantum molis ad earum præparatur influxum, tantum formant in
E diuiduo quodam & ubiq; toto perpetuoq; uigore. Neq; ſecatur anima noſtra in plures animas, ſiue propter diuerſa membra, ſiue membro quolibet amputato: ſicut nec anima mundi ipſa in ſe uel diuiditur, uel fit plures animæ, partibus inter ſe mundi diuiſis. Hæc enim una permanens, quantumcunq; diſiungatur pars mundi uiuens, hæc ab alia tamen tota ſimul eſt in utraq;. Eſt & in medio propter continuitatem materiæ primæ, imò & eſſentiæ quintæ, quæ eſt proprium animæ ſuſceptaculum. Interea hæc ſi cui Plotinus uidetur in plantis & animalibus ex putrefactione genitis, non aliam ponere animam quàm mundanam, tu caue ne facilè id conceſſeris, id enim ipſe uidetur in libro de Animæ immortalitate refellere. Dices ergo ipſam mundi animam omnibus quidem talibus eſſe præſentem, neq; cogi hanc ipſam plures fieri animas propter ſectiones plures, atq; animantes, ſed interea non hanc ſolam his eſſe uitam, quamuis ipſa uitas in ius generet, atq; animas. Quæquidem animæ ſi à Platonicis aliquibus, & ab ipſo Plotino alicubi dicantur eſſe ſecundum proprias ſubſtantias ſempiternæ, non tunc primùm ab anima mundi generabuntur, ſed uniuerſali illius inſtinctu genitis infundentur. Poterit & aliquis dicere, omnem quidem uitam eſſe perpetuam, ſed animas, ſi quę ſunt tales, proprio motu carentes, non tam in ſe quàm in communi poſt obitum uita ſubſiſtere: quæ uerò proprios edunt motus, præſertim ſi liberos, propriam quoq; formam per ſeipſas perpetuò conſeruare. Semper uerò memento, præter uitas animantium proprias, ſubeſſe cunctis communem uim ex mundi anima uegetalē in arbore mundana totam ubiq; uigentem, quæ & præparet materias proprijs animabus, & tempore certo conſeruet, & in unum uiuentia cuncta concilier. Hunc Pythagorici, referente Sexto Pyrronio, eſſe dicunt ſpiritum in modum animæ rebus cunctis infu-
F ſum, qui homines concilier cæteris animantibus, conciliatos aliunde numinibus. Hoc iam uigente communiter, accedit in nobis ad fœtum rationalis anima: atq; ſub hoc communi lumine ipſa deinceps lumen propriæ peculiariſq; uitæ diffundit in corpus, quod & in obitu ipſa ſecum cōtrahat proprium, quemadmodum & mundi anima ſuum, atq; commune conſeruat.

Quot modis inſinuetur anima corpori, & qualis ſit anima mundi, & quomodo faciat mundum, & dimenſionem eius, & quomodo ſit ubique.

IN capite libri nono, ubi ſecunda incipit quæſtio, quomodo inſinuatur anima corpori: animaduertes duobus in primis id fieri modis. Nam aut ab incorporeo ſtatu, aut à corpore uenit in corpus. Et hoc quidem ſecundum diuiſionis membrum in quatuor iterum membra diuiditur: nempe aut à liquido corpore tranſit in liquidum, aut à liquido in ſolidum, aut à ſolido in aliud ſolidum, uel à ſolido rurſus in liquidum. Vbi notabis ſi quando ex Plotini ſententia omne corpus exuere poſsit, excogitari poſſe ſemper extra corpus eſſe uicturam. Quod & Plato in Phædone ſignificat: & Porphyrius, atq; Iamblichus ſuſpicantur. Sin autem, ut ait Proculus, ſemper eſt in aliquo corpore, poterunt conſequenter fingi uiciſſitudines corporum ſempiternæ. Vt autem cognoſcas quomodo anima tua, imò prius quomodo mundi anima ſuo inſinuetur corpori, cogita in anima mundi uim intellectualem eius, in ſummo ceu lumen, rationalem in medio ut ſplendorem, uegetalem in infimo, ut calorem. Præterea circa eius eſſentiam conſidera duo. Primum prout ipſa aliud quiddam eſt quàm illa

tria:

A tria: ſecundum prout tribus iam illis eſt inſignita: iam uerò quo momento eſt aliud, quodammodo obſcura eſt, & deformis, & frigida. Obſcura quidem nondum habens intelligẽtiæ lucem: deformis item, nondum rationis ſplendorem poſsidens: frigida deniq; , non adhuc adepta uegetalis naturæ fomentum. Ex hac ergo eſſentia ſic egena cogita prodire primam mundi materiam prorſus egenam, & omnino tenebroſam, deformemq; , & frigidam: ſed interim ab eſſentia, quatenus tribus iam illis eſt inſignita, contemplare mundi materiam prodeuntem protinus exornari, per intelligentiam quidem formis penitus permanentibus: per rationem uerò formis, quæ moueantur ſtabiliter, per uegetalem deniq; formis, quæ mobiliter moueantur: ita tamen, ut quæ intelligentia rationeq; proce dunt, tam naturaliter inde profluant, quàm naturaliter quæ uegetali natura naſcuntur. atqui ſic anima mundi prædita in mundo formando exemplar præcipuum (ut Timæus innuit) nõ mobilem, & quaſi generabilem ſpectat naturam uel rationem, ſi modò ſit ratio mobilis, ſed intellectualem potius formam omnis generationis expertem, ſiue ſit animalis intelligentia, ſiue prima. Cogita rurſum animam quatenus mobilis eſt intrinſecus, naturaliter anniti, ut eatenus moueatur extrinſecus. ex hoc ergo nixu materiam iam natam ſtatim longè lateq; protendi, adeo ut ex animæ motu micante foras, dimenſio materiæ ſit exorta, ſimul & mundi motus. ſic ergo locus inde ſimul naſcitur, atq; tempus. Locus quem habitet anima uegetando: tempus quo locum, ideſt corpus moueat uegetando. In exemplari primùm intellectuali deſtinata eſt idealiter certa tum mundi tum mundanarum dimenſio rerum: ad quam ſanè deſtinationem tanta ſuborta eſt ad motum formalis efficacia in uegetali natura, quæ pro menſura tali tantam mundo quantitatem exhibet, tantasq; mundanis, quanta ſimul & quantæ præſignantur in ipſa mentis idea. Poteſt autem anima per eſſentiam ſuam tota ſimul
B adeſſe parti cuilibet mundi tam grandis: quoniam & tantus hic eſt factus, quantum ipſa proceſsit quæ procedendo fecit. Et ipſa quidem anima neque dimenſio eſt, neq; qualitas extenſa dimenſione: ſed indiuiduum quiddam, non tanquam aliquis dimenſionis terminus alicubi in dimenſione ſignatus, ſed inde ſolutum in ſe conſiſtens, extra totum quantitatis genus in quodam plus quàm ſubſtantiæ genere: molem totam longiſsimo naturæ uirtutisq; ſupereminens interuallo. Vnde hoc ipſo indiuiduo ſui totam undiq; molem poſsidet, neq; totum poſsidetur ab ipſa.

Quomodo anima mundi agit in ſeipſa, atq; ita naturaliter gignit mundum ſic omniformem, ſicut omniformis eſt ipſa.

CAput decimum docet quemadmodum ſummus aer ſubeſt lumini, lumen uerò Soli, ſemper tamen ſimul ſunt ab æuo: ſic mundi animam intellectui diuino ſemper, intellectum deniq; bono. Item mundũ ſemper naturaliterq; pullulare ex ſeminaria ſuæ animæ poteſtate, ſicut uiuens quodlibet ex ſemine ſuo. hæc enim inde uim ciuſmodi nanciſcũtur. Cum uerò natura particularis in quolibet uiuente non egeat ad motum generationemq; conſilio uel machinis ullis, multò minus his uniuerſalem egere naturam: hanc inſuper facere mouereq; omnia facilitate mirabili. Cum enim ex ea pendeat tota mundi moles, eiusq; forma, nihil uſquam ei poſſe reſiſtere: præſertim quia inde omnia ſubſequenti ſerie ita dependent, ut agentia uel leuiſsimo primùm nutu pulſata, mox omnia moueã
C tur, atq; ad actionem primi mouentis finemq; conducant. Proinde quæ non uiuunt, foras & in alienam tantùm materiam agunt, in ſeipſis uerò torpent: quæ uerò uiuunt agunt etiam in ſeipſis, agunt q; perpetuò. Anima ergo uiuendi principium, mundana præcipuè, agit ſemper atq; potiſsimũ in ſeipſa, prout intelligentia eius hinc quidem ſuam rationem format, inde ſuam quoq; naturam. At qui & ratio naturaliter ſecum ipſa diſcurrit, & omnia turget, geſtitq; ſeminibus rerum omnium, etiam corporum diuinorum: Ex quo quidem intimo rationaliq; per rationes rerum ſeminales motu naſcitur forma rationalis mundi ſimiliter omniformis, forma inquã animæ quamſimillima. Si enim generantia quæ ſequuntur, ſibi ſimilia generare contendunt: nimirum uniuerſalis & proximus hic mundi genitor mundum ſibi generat quamſimillimum.

De deſcenſu animæ, Dionyſio, Ioue, curriculis uitarum, ordine mundi, conſonantia uniuerſi. Caput. XI.

HIc naturam ipſam, ideſt, uegetalem animæ mundanæ potentiam appellat Dionyſium: cuius membra ſunt rationes rerum ſeminales in ipſa natura. Quæ quidem membra quando per generationem quaſi procedunt in materiam, hic magis inter ſe diuiſa, iam à Titanibus, ideſt, dæmonibus genituræ præfectis diſcerpta uidentur: quaſi membra Oſyridis, ideſt, uiuificę prouidentiæ dilaniata à Typhone, ideſt, dæmonum geneficorum duce. Animæ igitur in diuino quodam mundo uiuentes aliquando per imaginationem, quæ in eis erat ultimum, proſpexerunt formas in materia mundi iacentes, quæ ſunt imagines Dionyſij, eiúsque membrorum in materia quaſi ſpeculo

D Proſpexerunt uerò eas forſan intuendo recto quodam aſpectu in naturam, atque inde aſpectum in materiam deflectendo. Quorſum uerò ſe ita conuertit imaginatio illuc ſtatim ratio ſe diuertit ab intellectu, & utraque non aſpiciendo ſolùm, ſed amando. Amor eiuſmodi extitit deſcendendi principium, atque poſt caſum etiam permanẽdi: quoniam prouincia hæc indiget aſſidua noſtræ rationis attentione: ſed intellectus interea quem non tangit affectus eiuſmodi, ſe in mũdo ſuperiore ſeruauit immotum. Benignitas uerò Iouis inſtituit curricula temporũ in hac quidem laborioſa uita fore breuia, in uita uerò apud ſuperos longa, longiſſima tandem apud ſupremos. Reuertuntur autem animæ noſtræ quandoq; ad animæ mundanæ gradum, ubi prouidentiam eius publicam contemplentur, & facilitate gubernationis propriæ circa corpus tunc ſuum, & circa ſuã prouinciam imitentur. Præterea mundi anima quaſi mundanus Apollo canit quidem in natura, pulſat autem in cælo lyram. In natura rationum omnium euolutio ſtatutis temporibus atq; reuolutio, uniuerſalis eſt concentus ex multis cantibus modulisq; compoſitus: in cælo ſimiliter perpetua quædam diſpoſitio ſtellarum atq; motionum ſonus eſt Appollineus, ad perpetuam cantus illius cõcordiam inſtitutus. Siquis igitur diſpoſitionem continuam illius cantus inſpiceret, in ea ſtatim cæleſtes ſonos contueretur, & quaſi iam (ut propriè loquar) audiret. Animæ quinetiam noſtræ progreſſiones ſuas tum in deſcenſu, tum in hac habitatione, tum in aſcenſu quaſi tripudio concordi ſaltantes, cantui mundano ſonoq; coaptant. Cum enim ab eodem patre proficiſcantur, à quo & anima mundi eiusq; germanæ ſint, & prouinciam eius inhabitent, nimirum ad cantum ſonumq; illius ipſæ ſaltant, non impulſæ quidem inde, ſed uolentes, & naturaliter ſimul atque libenter ipſæ
E mundanæ mundanum ordinem æmulantur. Hinc efficitur, ut per cæleſtia progreſſiones humanas, & ſi non ubique quaſi per cauſas, ſaltem quaſi per ſigna quædam cõiectare quis ualeat: præſertim quia uniuerſalis naturæ cæliq; forma exemplari quadam ratione continet quæcunq; geruntur intra mundum, ſiue ab ea ipſa, ſiue à ſeipſis, ſiue quomodolibet aliunde ducantur. Habitant uerò animæ aliquando extra cæleſte corpus, aliquando in cæleſti puro, aliquando ſub cæleſti. Et quatenus anima diuerſum intra ſe habitum induit, diuerſam foris induit & figuram: itaque aliquando in hominem cæleſtem uenit, aliquando in aerium, aliàs in terrenum: atque huc rurſum quatenus minus magisue inde degenerat, in hominem uenit uel diuinum, uel humanum, uel quaſi ferinum. Nempe ita nos Plotini uerba emendare ſolemus: Nam rationalem animam bouini corporis, uel ſuilli formam aliquando fieri à Platonicis non eſt receptum, neq; etiam ab ipſo Plotino concedendum erat, cum propoſuiſſet mutationem in anima ab imaginatione principium habuiſſe, quæ in eſſentia ſpeciem mutare non poteſt. Tot quidem intellectus in humana ſpecie eſſe quot ſunt & animæ, receptum eſt. Intellectum uerò noſtrum in diuinis reſtare felicem, dum rationalis potentia quaſi ad terram præcipitata ſit miſerrima, ab Iamblicho quidem non uidetur penitus diſſidere: à Porphyrio tamen Plotini diſcipulo ſpretum eſt: à Proculo reprobatum, dicente tantam fore potentiam beatiſſimæ apud Deum mentis, ut uim ſibi contiguam, & ſimillimam rationem ſit interim retentura, quatenus ipſa minimè declinauerit, & in hac uita nos minimè peccaturos. Neq; conſentire uidetur ſtomachum infirmiſſimum fore quamdiu firmiſſimum iecur extiterit. Subdit Porphyrius, caſum animæ non ab imaginatione uel natura, ſed ab intellectu cæpiſſe: non enim trahi ab inferioribus ſuperiora, ſed uim illam ſuperiorem agere pro menſura quadam uirtutis ſuæ. itaq; intentionem
F agendi quandoq; in ea remitti, atq; eatenus intendi uirtutis inferioris actũ, ideſt imaginationis atq; naturæ, cum anima undiq; ociari non poſſit. contra uerò remitti rurſum inferiorum actus, quando ſupeirorum actus intenditur. Vbi uerò dicit intellectum agere pro menſura uirtutis ſuæ, ſic emendandus eſt, ut quando intellectus apud Deum eſt beatus, agat non tam uirture ſua qua diuina, ſub cuius forma iam agit: itaq; animã ſemel ita beatam putandum eſt nunquam inde diſceſſuram. Cætera illi uiderint: nobis uerò ſat fuerit narrauiſſe id potius probaturis, quod Theologi noſtri potiſſimum comprobauerint.

Lex, iudicium, iuſtitia uniuerſi ducit intrinſecus animos tum ſponte, tum neceſſitate ad ſuum quenq; terminum. Cap. XII.

SIcut aliquis lactucam porringens allicit anſerem per exteriorem ſenſum, ita Magus ſenſum interiorem allicit per nonnulla ſenſus interioris amica: atq; ita libens hic mouetur, ſicut & anſer Ita rurſus diuina prouidentia uoluntatem omnemq; affectum animi ad terminum trahit ſibi conuenientem, uidelicet, per affectionem certam in animo ſecundum actiones ſuas & electiones tam conceptam, qua & ita uolens, & tam uehementer ad terminum iuſtum fertur, ſortemq; competentem, quemadmodum aliquis clam magia raptus. Mouet enim Deus animam non ſolùm interius quàm ars, ſed etiam quàm natura: atque certis temporibus, ſicut natura ſolet. Animæ igitur ab initio

ſponte

A ſponte ſua agentes,& ſic agendo factæ tales:demum ſtatutis à Deo temporibus non ſolùm ſponte, ſed etiam neceſsitate legis intimæ,ad ſortem decretam iuſtè perueniunt. Eſt autem in uniuerſo lex iudicium,iuſtitia. Lex quidem in mente diuina,ipſa ſcilicet rerum omnium diſpoſitio: iudicium in mente animæ mundi,ad diuinæ legis normam ſingula decernente: iuſtitia in uoluntate eiuſdem ita uolente,& ita ſingula exequente,ſicut iam eſt iudicatum. Animas ergo transfert impuras quidem deorſum,per impuritatem ſuam illuc inclinantem, quemadmodum natura uniuerſalis mouet ad centrum grauia per propriam grauitatem:puras autem ſurſum uiciſsim per puritatem ſuam eòdem quoq; uergentem,ſicut & natura leuia ſurſum per propriam leuitatem. Hac interim ſummula licet interpretari quæ Orpheus in tribus hymnis canit de lege,iudicio, iuſtitia Dei:& quæ Plato in quarto Legum imitatus Orpheum de lege diuina iudicioq; definit.

De connexione huius mundi ad ſuperiorem,& Prometheo ſtatuisq; loquentibus, Cap. XIIII.

MVndanæ ſphæræ intimas habent animas,& propria hinc inprimis uitalia dona: per quas quidem animas,perq; animales dotes,uelut per media quædam ſortiuntur intellectualia quædam dona conſequenter ab intellectibus induiduis ſuarum ducibus animarum: per quos inſu per nonnulla etiam diuina munera nanciſcuntur ab ipſis diuinæ mentis ideis, quibus (ut Plotinus putat & Iamblichus) inſeparabiliter coniuncti ſunt intellectus,ut nō mirum ſit, diuinum mundum illum mundo huic undiq; eſſe prorſus infuſum. Poſt hæc animaduertes naturalem quandam prouidentiam in uitali animæ mundi parte regnantem ſub Promethei cognomento,ex luto, ideſt mate-
B ria prima ſtatuas,ideſt res naturales effingere,atq; eſſe huic opificio partim quidem alligatam, partim quoq; ſolubilem,nec eſſe hic Epymetheo,ideſt temeritati locum: Item rebus naturalibus non ſolùm uires animales ineſſe,ſed dotes etiam quaſdam intellectuales atq; diuinas, & omnia numina huic opificio aliquid ex ſe conferre:opificio inquam non uniuerſo tantùm,ſed etiam unicuiq;. Alludit inter hęc Plotinus ſtatuæ fictilis uocem nactæ mentione ad magos præcipuè illos,qui loquentes ſtatuas conſtruebant: in quibus nec propriæ quidem ullæ ſtatuarum animæ,nec ſidera loquebantur, ſed dæmones ab eodem ſidere ducti,ſub cuius imperio ſtatuæ fingebantur. Arbitror etiam in puero illo Regis filio,quo die natus eſt, locuto,ut teſtatur Aly,qui & interfuiſſe ſe dicit, non conjunctionem planetarum quatuor in eius horoſcopo concurrentium formauiſſe uerba,nec etiam infantis animam uerba uaticiniumq; feciſſe de paterni regni calamitate paulò poſt ſecuta, ſed dæmonem potius illic fuiſſe locutum:dæmonem inquam Mercurialem. Nam in octauo Libræ gradu horoſcopo, qui & terminus eſt Mercurij,Mercurius ipſe cum Venere,Ioueq; & Marte fertur fuiſſe coniunctus. Sed non licet ulterius in præſentia digredi: imò neq; licet tenorem ab initio librorum expo nendorum hactenus continuatum ultra ſeruare. Si enim longa ſimiliter argumenta,imò & comentaria ſeorſumq; ab ipſis Plotini capitibus diſpoſita proſequamur, & confuſa continget interpretatio,& opus excreſcet immenſum. Satis euagati ſumus: ſatis multa iam diximus. Sat igitur erit de inceps breues quaſdam annotationes,ut in Theophraſto fecimus,Plotini capitibus interſerere.

C

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER TERTIVS, DE DVBIIS ANIMAE PRIMVS.

Quàm neceſſaria ſit conſideratio de anima,& quomodo aliqui ſuſpicantur nos uiuere duntaxat ex uita mundi. Cap. I.



Peræpretium eſt conſiderare utrum omnes de anima dubitationes ſoluendæ ſint,an potius in dubitationibus ipſis lucrū nobis ſit collocandum. Nulla profectò res eſt, de qua diligentius & diutius inueſtigare tractareq;,quàm de anima debeamus:cùm ob alia multa,tum etiam quia ad utraq; cognoſcenda conducit,ſcilicet tam ad ea quorum eſt ipſa principium, quàm ad illa ex quibus efficitur. Sic ergo parebimus Deo præcipienti: cognoſce te ipſum. Præterea cum cætera omnia perſcrutari inuenireq; ſtudeamus, meritò quidnam ſit hic in nobis inueſtigator, in primis inueſtigabimus:præſertim

D cum id ipſum, quod in ipſis contemplationis ſpectaminibus amabile iocundúmque eſt, conſequi exoptemus. Eſt enim & in vniuerſo intellectu ipſum geminum: Quapropter rationabiliter in particularibus intellectibus hoc quidem ita magis, illud verò aliter ſe potius habet. Conſiderandum inſuper erit, quomodo Deorum ſuſceptacula fiant: verùm id quidem opportunius indagabimus, poſtquam quo pacto anima ſit in corpore, quæſiuerimus. Nunc verò iterum ad illos regrediamur, qui aiunt noſtras quoque animas ex ipſa vniuerſi anima eſſe. Forte enim nobis obijcient, non eſſe ſufficiens argumentum, quo minus noſtræ ſint partes illius, quod dicitur animas noſtras eouſque procedere, quouſque anima mundi ſe fundit, quòdue traditur intellectuales dotes habere perſimiles, etiam ſi id illi conceſſerint: eſſe nanque dicent partes toti plerunque cõformes. Afferent præterea Platonem ipſum in medium, quaſi id opinantem, vbi probans animatum eſſe mundum, inquit: Quemadmodum corpus noſtrum pars eſt corporis vniuerſi, ſic & animam noſtram eſſe totius animæ partem. Item quod dicitur, & euidenter oſtenditur, ſequi nos totius mundi circuitum, & inde mores fortunâſque habere: rurſus nos intra mundum genitos, meritò ab ipſo continenten animam noſtram acciperere. Præterea quemadmodum
E vnaquæque pars noſtri à noſtra anima ſuſcipit, ita & nos ſimili ratione cum ſimus partes ad totum, ab ipſa totius anima tanquam partes accipere. Poſtremò quod ſcribitur, omnis anima totius inanimati curam habet, idem prorſus ſignificare, quaſi præter ipſam mundi animam nihil vſquam animæ relinquatur. Hęc enim eſt quæ totum curat inanimatum.

Non poteſt anima mundi in plures diuidi partes, ſicut corpora uel dimenſiones & numeri, & corporum qualitates. Cap. II.

AD hæc igitur id primò dicendum, quòd illi ponentes animas eſſe conformes, propterea quòd eadem attingere concedantur: interim idem commune genus admittentes, clam efficiunt, vt aliæ animæ non ſint partes vnius, ſed probabilius inferrent vnam eandemq; eſſe, & quamlibet vniuerſam exiſtere: vnam verò efficientes ad aliud quiddam redigent. Quod quidem non huius amplius vel illius, ſed nullius ipſum exiſtens ſiue mundi, ſiue alterius, ipſum quidem agit quicquid & mundi & cuiuslibet animati vita facere iudicatur. Re ctè namq; ſe habere videtur non omnem animam alicuius eſſe, quippe cum eſſentia ſit: ſed extare aliquàm, quæ nullius prorſus exiſtat: eas verò quæcunque
F alicuius eſſe dicuntur, fieri aliquando ſecundum accidens, ideſt alicuius euadere. Forſan verò in hís accipiendum planius quomodo pars dicatur, modum quidem partium in corporibus apparentem, ſiue vniforme ſit corpus, ſiue difforme, dimittere decet, illud duntaxat ſignificantes: quando in corporibus conſimilium partium pars nominatur, ſecundum molem, non ſecundum ſpeciem eſſe partem, ſicut in albedine poſſumus iudicare. Albedo enim quæ eſt in parte lactis, non eſt pars albedinis quæ in toto lacte, ſed partis quidem eſt albedo, non autem pars eſt albedinis: ſiquidem albedo non eſt quantum aliquid, ſed per ſe omnino magnitudine carens. & id quidem ita ſe habeat. At quando in rebus quę non ſunt corpora, partem dicimus, vel ita vt in numeris accipimus partem, ſicut binarius dicitur pars denarij (ſit autem in numeris tantùm puris id dictũ) Vel ſicut circuli & lineæ pars dici ſolet, vel tanquam propoſitio ſiue notio dici pars ſcientiæ conſueuit. In vnitatibus quidem atque figuris neceſſarium eſt quẽ madmodum & in corporibus, minui tum tota ipſa per partes diuiſione, tum minores toto partes ſingulas eſſe. Hæc enim cum ſint quanta, & ſuum eſſe in ipſo quanto poſſideant, non idem quantum exiſtentia, neceſſariò maiora fiunt atque minora. Hac certè conditione pars in anima dici non poteſt. Non enim

in ea

a in ea ita quantum eſt, vt tota quidem ſit ceu denarius, pars verò vt vnitas. Contingent profectò & alia abſurda permulta, & proculdubio decem non ſunt aliquid vnum. Præterea vel vnaquæq; vnitatum erit anima, vel anima ipſa ex cunctis inanimatis conſtituetur. Accedit ad hæc quòd pars totius animæ conceſſa eſt vniformis exiſtere: at in continuo non neceſſarium eſt, partē eſſe talem, qualē exiſtit & totum, ſicut circuli vel trianguli partes: aut certè non omnes particulæ ſimiles ſunt, in quibus licet partem accipere, ceu triangulos in triangulis: ſed in his aacidit peruaria permutatio. Animam verò vniformem eſſe fatentur. Itē in linea pars quidem habet, vt linea ſit, ſed hîc quoq; magnitudine differt. Verùm in anima, ſi differentia magnitudine ſumitur, partialis videlicet animę ad totam animam, quantum quiddam erit & corpus: quippe cum differentiam ipſam qua eſt anima, à quanto ſuſceperit: at omnes conceſſæ ſunt eſſe ſimiles atq; totæ. Conſtat præterea neq; ita eſſe diuiſam, vt magnitudines diuiduntur, neq; illi etiam totam ſecari in partes conſiterentur: alioquin totam ipſam ſunt funditus perdituri. Et ſiqua ab initio fuerat vniuerſa, iam nomē erit ſolùm: ceu ſiquis vino in multa diſtributo, quod ſingulatim eſt in poculo vini totius dixerit eſſe partem. Sed nunquid ita pars in anima ſumitur, ſicut propoſitio quædam pars totius ſcientiæ nuncupatur? Ipſa quidem ſcientia tota nihilominus integra per-
b manēte, partitione verò ſic ſe habente velut prolatio quædam actuſq; cuiuſq;. In hac quidem re, vnumquodq; totam in potentia ſcientiam habet: hæc verò nihilominus eſt interea tota. Quòd ſi hoc pacto pars in anima & vniuerſa & cæteris cenſeatur, profectò anima vniuerſa cuius partes aliæ ſunt eiuſmodi non erit alicuius anima, ſed penes ſe ipſa conſiſtet: neq; igitur erit anima mundi: ſed hæc quoq; erit quædam earum quæ in parte ponuntur. Partes ergo omnes vnius vniformes penitus exiſtentes. At quomodo hæc quidem mundi anima, illa verò partium mundanarum?

Non licet fingere eſſe unicā tantùm in cunctis hominibus mundi animam, ſicut dicimus in cunctis hominis unius membris eſſe unam hominis animam. Cap. III.

SEd nunquid ita partes hîc accipiendæ ſunt, ac ſiquis in vno quodam animali dicat animam, quæ eſt indigito, partem eſſe totius animæ, quæ eſt in toto animali. At verò hic ſermo vel nullam efficit animam extra corpus eſſe, vel omnem non in corpore, ſed extra corpus mundi illam quæ mundi anima dicitur. Conſideratione quidem id dignum eſt: ſed in præſentia quaſi per imaginem
c eſt agendum. Si enim totius anima omnibus particularibus ſeipſam præbeat animantibus, atque ita quælibet, ſcilicet anima pars dicatur: nam ſi diuiſa eſſet, nequaquam vnicuiq; ſe præberet, profectò eadem vbique tota erit, vna inquā & eadem in multis ſimul exiſtens. Sic autem nequaquam obtineretur aliam quidem animam eſſe totam, aliam verò partem, in his præſertim quibus eadem adſit potentia: quandoquidem & vbi aliud alteri officium eſt, aliud verò alteri, velut oculis atq; auribus, non aliam animæ partem oculo, aliam auribus adeſſe dicendum: nam aliorum eſt diuiſio talis, ſed prorſus eandem: quamuis alia in vtriſq; potentia ſe exerceat. Sunt enim in vtriſque omnes, ſed propterea quòd differentia ſunt inſtrumenta, differentes quoq; apprehenſiones fieri eſt putandum. Omnes tamen ſpecierum eſſe, atq; in ſpeciē redigi omnino potentē, formari per omnia. Patet verò hoc ex eo etiā quòd neceſſariū ſit omnia in vnū deniq; peruenire: naturā verò inſtrumentorū, per quæ peruenitur, cōſtat nō poſſe cūcta ſuſcipere: & paſsiones quidem inſtrumētis fieri differentes: iudicium verò ab vno eodémque agi velut iudice, tū quæ dicuntur, tū quæ aguntur pariter aduertente: verùm quod vnum vbiq;, dictū eſt indifferētibus etiā actionibus.

D Quòd ſi velut ſenſus duntaxat ibi ſint, non licet vnumquodq; ipſorum intelligere, ſed potius illam: ſi autem propria intelligentia ſit, nimirum quælibet in ſe ipſa conſiſtit. Quando verò & rationalis ſit anima, atq; ita rationalis dicatur vt tota: quod dicitur pars, non pars quidem totius, imò idem erit omnino.

Confirmantur ſuperiora, & docetur quomodo fiat diſtinctio in intellectu, & quomodo debeat in anima fieri, & quomodo aliqui fingant diſtingui ad tempus animas, iterumq; confundi. Cap. IIII.

QVid ergo dicendum erit, ſi modò ita ſit vna, quando quiſpiam hinc nos percontabitur: primò quidem dubitans, nunquid ita poſsit eſſe ſimul in omnibus vnum: deinde quando anima in corpore ſit, quomodo & alia ſit extra corpus? Fortè enim conſequens erit, omnẽ in corpore ſemper eſſe, præſertim animam vniuerſi. Non enim ſicut noſtra corpus relinquere dicitur, & ſi nonnulli aiunt hoc quidem derelicturam, non tamen omnino extra corpus fore. At ſi omnino extra corpus erit, quónam pacto hæc quidem deſeret, hęc verò nequaquam, cum ſit eadem? In ipſo quidem intellectu qui alteritate diſtinguitur in ſeipſo, ſecundum partes præcipuè inter ſe, ſimul tamen exiſtentes ſemper, ſiquidem
E eſſentia ipſa impartibilis eſt, nulla vnquam talis incidet dubitatio. At verò in anima, quæ circa corpora dicitur eſſe partibilis, hoc ipſum quod dicitur vnũ eſſe omnes, multis nos dubitationibus implicat: niſi quis ipſum quidem vnum in ſe ipſo firmauerit, in corpus minimè decidens: deinde omnes ab illo tam totius animam quàm alias vſq; ad certum quiddam velut ſimul exiſtentes, atq; vnam ex eo quòd nullius propriį fiant, eſſe dixerit. Terminis verò ſuis ſuſpenſas ſimulq; conſpirãtes penes ſuperna, interim huc & illuc dirigere ſe atq; porrigere inſtar luminis: quod quidem in terra iam eſt per domicilia diſtributum, neq; tamen à ſeipſo diſiunctum, ſed eſt nihilominus vnum: & animam vniuerſi ſemper ſupereminere, propterea quòd non accidat ei deſcenſio neq; degeneratio ad inferius, neq; conuerſio ad ſequentia: noſtras verò minus excellere, ex eo quòd certa pars eis in mundo ſit aſsignata, & ad inferiora ſe flectant ob naturam corporis cura & ſollicitudine indigentẽ. Iam verò mundi anima per infimã eius partem ſimilis eſt ingentis arboris animæ, quæ ſine labore atque ſollicitudine gubernat plantam, ideſt ſicuti in vulneribus vermes oriũtur. Infimum verò animæ noſtræ ita ſe habet, velut ſi in putrefacta arboris parte puſilla quædã animalia generentur. ſic enim ſe habet animatum corpus in vniuerſo. Alia ve-
F rò anima conformis ſublimi parti animæ vniuerſi ita ſe habet, velut ſiquis agricola animalibus in planta genitis curandis incumbat, & in planta colenda ſollicitetur. Aut fortè ſiquis dicat, ſanum quidem hominem & cum alijs ſanis concurrentem eſſe penes illa, quibus ſeipſum vel agendis vel ſpeculandis addixerit. Aegrotantem verò & in curando corpore occupatum, dicat penes corpus ipſum eſſe, & iam ipſius corporis eſſe factum.

Quomodo intellectus humani profluant ab intellectu diuino inter ſe diſtincti, atq; ita permaneant, ac totidem in ſeipſis, & quaſi ſub ſe naturas concipiant animales Cap. V.

SEd quá nam vlterius ratione hæc quidem tua eſt, hæc verò huius, illa denique erit illius? An forſan huius quidem eſt ſecundum ipſius infimum non autem huius, ſed illius potius per ſupremum? At verò ſic Socrates quidem erit, quando in corpore ipſa Socratis anima fuerit, interibit autem, quando maximè erit in optimo: Sed certè entium nullum perit: quandoquidem & intellectus ibi non pereunt: quoniam non ſunt conditione corporea in vnũ ſecti: ſed ibi permanet vnũquodq; in alteritate, ſeruãs ipſum idẽ, quod ipſius eſt eſſe.

Sic

A Sic itaq; deinceps & animæ ſuſpenſæ illinc, ſecũdum quenlibet intellectum & rationes quædam intellectuũ exiſtentes magisq; explicatæ quám illi, quaſi iã multum quiddam ex pauco factæ, & contiguæ pauco, impartibiliori illorũ cuilibet diuidi iam velle videntur, neq; tamen ad ſummũ partitionis progredi poſſe. Seruantes enim ipſum idem ſimul & alterum, manet vnaquæque vnum, & ſimul vnum cunctæ. Dictum profectò iam eſt, quantum ſpectat ad diſputationis ſummam, omnes animas ex vna deduci, ex vna inquam multas eodem tenore cum intellectu, diuiſas eodem ordine, atque etiam nõ diuiſas. Atqui ratio vna mentis eſt anima illa quæ permanet, & ab ipſa rationes partiales immateriales q; ſicut & ibi.

De differentijs animarum, quatenus magis minúsue conuertuntur ad intellectum tam uniuerſalem quàm particularem, & quatenus ad uniuerſum uel ad uniuerſi partem Cap. VI.

SEd cúrnam anima quidem mundi, quæ conformis dicitur eſſe cum alijs, fecit mundum, anima verò vniuſcuiuſq; nequaquam? præſertim cum & quælibet in ſe omnia complectatur? Poſſe namq; in multis eſſe ſimul, iamq; exiſtere dictum eſt: nunc verò illud eſt declarandum. Fortè enim & quomodo idem in alio atq; alio partim quidem hoc, partim verò illud aut agit, aut patitur, aut
B ad vtrunq; ſe habet, ex his cognoſcetur. Forſan verò ſecundum hoc ipſum conſiderare ſatius eſt, quonam pacto & quam ob cauſam illa fecit mundum. Aliæ verò partem aliquam mundi gubernãt. Fortè nihil mirũ videri debet, homines eadem ſcientia præditos, alios quidem pluribus, alios verò paucioribus dominari. Quæret fortè quiſpiam, quam ob cauſam res ita ſe habeat. Reſondebit & aliquis, eſſe maiorẽ quoq; differentiam animarum, quatenus hæc quidem non diſceſsit ab vniuerſa, ſed ibi conquieſcens corpus circa ſe continuit: aliæ verò corpore iam facto, & iam exorſa, dominanteq; earum ſorore anima gradatim nactæ ſunt ſortes, quaſi illa iam his parauerit domicilia. Neq; deeſt alia differentia, per quam hæc quidem vniuerſum ſuſpiciat intellectum, aliæ verò particulares potius intellectus videlicet vnaquæq; ſuum. Forſan verò hæ quoq; facere totum poſſent: verùm cum illa iam fecerit, non datur vlterius his facultas, poſt quam illa primùm iecerit fundamẽta: ſed eodem modo quiuis ambigeret, ſi forte quæuis alia primò fabricauiſſet. Satius autem eſt dicere præcipuã animę principali ob id potentiã & fabricã conuenire, quòd magis ſupernis adhæreat. Animabus enim illic attentius incumbentibus potentia maior exoritur. Conſeruãtes enim ſeipſas in tuto illic fundamento facillimè faciunt: potẽtiæ namq; maio
C ris eſt, non pati in his quæ facit, permanet verò poteſtas ex alto. Manẽs itaq; in ſeipſa, facit iam conſequenter alijs accedentibus: aliæ autem quæ acceſſerunt vel proceſſerunt, in profundum deceſsiſſe videntur. Fortè quòd in eis plurimũ eſt deorſum tractum, ſecum traxit & illas, adeo vt per cogitationes etiam deſcẽdiſſe iam videantur. Quod enim in Timæo dicitur de ſecundo tertioq; ordine animarum, ex ponendum eſt, alias quidem ſupernis propius inhærere, alias verò diſcedere longius, quemadmodum & apud nos accidit. Non enim quælibet animæ ſimiliter ad ſuperna ſe habent, ſed aliæ quidem ſuperis vniuntur, aliæ verò deſiderio prope accedunt, aliæ denicq; minus id aſſequuntur, quatenus eiſdẽ viribus non vtuntur. Sed hæ potentia vtuntur prima, iſtæ ſecunda, illæ denique tertia, cum tamen vires omnes vnaquæq; poſſideat.

Reſponſiones ad dubia probantes quòd animæ noſtræ non ſunt ex anima mundi. Cap. VII.

DE his dictum ſit hactenus. Quòd autem in Philebo dictũ ſuſpitionem inducit, ne fortè animæ omnes ſint mundanæ animæ partes, non id quidem

D ſibi vult quod aliquis opinatur, ſed quod tunc ei potiſsimum conducebat, ſcilicet animatũ eſſe mundũ. Hoc enim cõprobare ſtudens inquit, abſurdũ eſſe cęlũ inanimatum dicere, cum nos qui corpus mundani corporis partem hãbemus, animam habeamus. Quo enim pacto pars animam habuiſſet, ſi totum eſſet inanimatum? Sentẽtia verò Platonis liquet potiſsimum in Timæo: vbi facta iam anima mundi, deinceps aliæ oriuntur in eadem patera: qua & illa commixtæ, eiq; cõformes: differentiã verò illarum per ſecundos, tertiosq; gradus aſsignat. Quod autem in Phædro dicitur, omnem animam totius inanimati curam habere: quid mirum? Nam quid aliud corporis naturam gubernat, formãt, ordinat, facit, niſi anima? Neq; dicendum eſt, hanc quidem naturaliter id facere poſſe: illã verò nequaquã. Vnde ſubdit: Perfecta igitur exiſtẽs anima ipſa, ſcilicet vniuerſi elata ſublimius, neq; immerſa, ſed (vt ita dixerim) ſupernatãs agit in mundũ, et quæcũq; perfecta ſit, ſimiliter diſpenſabit. Pręterea vbi animã fractis pẽnis qua ſi ruẽtẽ inducit, euidẽter eiuſmodi animã aſſerit ab anima mũdi eſſe diuerſam. Proinde q; adductũ fuit, animas ſequi circuitum vniuerſi, moresq; indeducre, & inde pati, nullo modo ſignificat noſtras animas eſſe partes. Poteſt enim anima ex natura locorũ aquarumq; & aeris, multa cælitus imminẽtia ꝓpulſare: habitatio quoq; & vrbana cõſuetudo, cõplexionesq; corporũ cæleſtibus reſiſtũt influxibus. Ac ſi dixerimus nos incluſos in vniuerſo habere aliquid à mũdi anima vitæ, & à cæleſti circuitu pati, induximus tamẽ ecõtra, animã quoq; alteram his omnibus reſiſtẽtẽ, ipſaq; reſiſtẽtia ſe eſſe alterã manifeſtè monſtrantẽ. Ad id verò quod dicit, nos intra mũdũ genitos eſſe, reſpõdemus ſimiliter, in aluo materno fætũ aliã habere animã quã maternã ſcilicet animã, quę ingredit aliunde.

E

Quomodo animæ differant: & quomodo ſint immortales in propria forma reſtantes: et quomodo anima mundi ad uitam omnibus conferat. Cap, VIII.

ATq; hæc quidẽ ita nobis ſoluta inpræſentia fuerint. Præterea hoc ipſum quòd animæ interſe compatiantur, rationes noſtras impedire nõ debet: nempe cum ex eadem omnes, ex qua mundi anima profluant, nimirum compatiuntur & inuicem. Iam verò dictum eſt, tum vnam eſſe, tum multas. Dictum quoq; de differentia partis ad totũ: dictum deniq; de animæ differẽtia: & nunc ſummatim quoq; dicatur. Dicimus itaq;, præter corporeas differentias animas inter ſe differre, tum in moribus maxime, tum in cogitationis officijs, etiam ex

F præcedentibus vitæ alterius inſtitutis. nam in Republi. ſcribitur à Platone, ſecundum vitas antecedentes ab animabus ſequentes eligi vitas. Siquis autem omnino animæ ipſius naturam conſideret, hîc quoq; poſuit differentias, vbi gradus ſecundos, tertiosq; diſpoſuit. Præterea dictum eſt, omnes animas eſſe omnia ſecundum verò quòd operatur in ipſa, quamlibet eſſe: hoc autem eſt, aliam quidem in actione vniri, aliam in cognitione, aliam appetitu: atq; inſuper ex eo differre, quòd alia aliæ intuentur, & quæ intuentur, eadem ſunt & fiunt. Plenum quoq; munus atq; perfectum conuenit animabus, neq; tamen omnibus idem, ſed ita ſe habent, ac ſi vniuerſa earum coordinatio varia eſſe dicat. Vna enim eſt ratio vniuerſa, multiplex, atque varia velut animal aliquod animale atq; multiforme. Quod ſi ita eſt, & coordinatio eſt, neq; entia ſunt à ſe inuicem penitus diſgregata, neq; quicquã temere factũ in ipſo entium ordine alicubi reperit, neq; etiã in corporibus, iccirco & conſequens eſt extare quẽdam numerũ conſequentem. Nam & conſiſtere oportet entia, ipſaq; intelligibilia eadẽ eſſe, & vnumquodq; eſſe numero vnũ: ſic enim de vnoquoq; hoc aliquid dicit. Vbi enim in genere corporũ naturaliter fluunt ſingula, vt pote quæ aduẽtitiã ſpeciẽ ſortiunt, nimirũ eſſe ſecũdũ ſpeciẽ hîc perpetuũ imitatione quadã entiũ reperit

At

A At penes entia vtpote quæ nõ ex compoſitione ſunt, ipſum eſſe eſt in eo quod eſt numero vnum, quod quidem exiſtit etiam ab initio, neq; fit quod antè non erat, neq; quod eſt, non erit: quoniam & ſi quid erit, quod ipſa faciat, certè non ex materia faciet. quod ſi ita eſt, oportet aliquid etiam ex ſeipſo eſſentiale adiungere. Quapropter hoc ipſum circa illud permutatio erit, ſi nũc plus facit aut minus. Præterea quæri poteſt, cur agat nunc, neq; eodem modo ſemper. Atqui & quod factum eſt non erit ſempiternum, ſiquidem plus admtttit & minus. anima verò tale quiddam poſita eſt. Quomodo igitur infinitum erit, ſi firmabiſ? Forſan potentia infinitũ, quoniã infinita eſt ipſa potentia, non tanquam quæ diuidenda ſit in infinitũ quando & Deus nõ eſt terminatus. Sic itaq; ſe habent et animæ: non enim per terminum alienum eſt quælibet id quod eſt velut tanta, ſed ipſa quantum vult exiſtit, neq; vnquam adducitur, vt extra hoc ipſum digrediatur, ſed profluit quidem per totũ, quod ex ipſa ita natura cõparatũ eſt, vt per corpora in corpora currat: neq; tamen à ſeipſa diſtrahitur, quando ineſt & indigito manus ſimul & pede. Sic vtiq; & in vniuerſo in quodcunq; percurrit, in alia atq; alia velut parte plantæ. Et ſecta parte aliqua reſtat in planta priori, & in eo quod ab ipſa ſeparatum eſt. Vnũ nanq; eſt vniuerſi corpus, & tanquã in vno eſt ipſius vbiq;. In putrefacto autem animali, ſi plura ex ipſo animalia oriantur,
B illa quidem non vlterius totius animalis anima eſt in corpore: non enim habet tunc ſibi proprium ſuſceptaculum, neq; etiam perijt. Quæ verò ex putrefactione apta ſunt ad animalium genituram, partim quidem horum, patim etiam illorum accipiunt animam: quippe cum anima ipſa nuſquam deſit: cum tamen aliud hanc accipere poſsit, aliud nequeat, & quæ ita viuentia fiunt, non cogunt plures animas eſſe: dependent enim ab vna, quatenus illa permanet vna: Quemadmodum & in nobis quando aliqua amputantur, pro quibus alia pullulent, ab illis quidẽ abeſt anima, his autẽ ſeſe adhibet, quatenus vna permanet. In vniuerſo autẽ permanet ſemper vna. Quæ verò in vniuerſo ſunt, alia quidem vitam retinẽt, alia verò nequaquã, cũ tamen interea eædẽ perſeuerẽt ipſius animę vires.

Secunda quæſtio: Quot modis inſinuetur anima corpori, & qualis ſit anima mundi, & quomodo faciat mundum & dimenſionem eius, & quomodo ſit ubiq;. Cap. IX.

Quærendum eſt præterea quomodo anima inſinuetur corpori: non enim minori hoc admiratione & inueſtigatione dignum eſſe uidetur. Duplex autem modus eſt per quem anima corpus ingreditur: vnus quidem ſit anima
C iam coniuncta corpori, atque vel ſolida corpora commutante, vel ex corpore aerio ſiue igneo in terrenum perueniente, quam multi non nominant commutationem corporum, quoniam occultum eſt vnde inſinuatio veniat. Alter verò modus eſt, quo anima ex incorporeo in corpus quodlibet labitur: quod quidem primum animæ cum corpore commertium eſt. Operæpretium eſt in primis de hoc lapſu conſiderare, quæ nam tunc paſsio fiat quando anima pura adhuc omnino à corpore viuens, corporis ſibi primùm adſciſcit naturam. Forſan verò decens eſt, à totius anima exordiri, imò & neceſſarium, de hac ipſa conſequi veritatem: adeo vt ingreſſum eius animationemq; corporis planioris doctrinæ gratia inchoare verbis aggrediamur: quandoquidem nullum vnquam fuit tempus, in quo non animaretur hoc vniuerſum: neque potuit vnquam abſente anima corpus ſubſiſtere, neque materia vnquam informis exiſtere valuit. Licet tamen hęc inter ſe cogitatione quadã verbisq; diſcernere: Omnẽ nanq; compoſitionem cogitatione licet verbisq; reſoluere. Iam verò ita ſe veritas habet. Niſi corpus ſit, anima nequaquam ꝓgredietur: nõ enim eſt locus alius, vbi ſe queat naturaliter ꝓpagare. Quòd ſi progreſſura ſit, ædificabit ſibi locũ,

D corpus igitur generabit. Cum verò ſtatus eius in ipſo ſtatu corroboretur, ceu lumen plurimum in ſummis effulgens, interim quaſi in ipſis ignis extremis vmbra reſultat, quam quidem proſpiciens anima, poſtquàm ſubſtitit formauit ipſam. Nefas enim erat, aliquid animæ proximum eſſe rationis expers: ideoq; in eo quod deinceps factum eſt, exile nimium & obſcurum ſuſceptum eſt etiam quod & umbratile dicitur. Factus itaq; mundus tanquam ædificium quoddam ſpecioſum longeq; varium non eſt ſeparatum ab effectore, neque rurſus ſe illi commiſcuit, ſed totus vbique exiſtimatus eſt cura & diligentia dignus, adeo vt ſibi quidem id conducat ad ipſum eſſe, pulchrumq; eſſe, quoad poterat eſſe ipſum participare: auctori verò non commixto hoc idem lit innoxium. In excelſis enim permanens præſidet. Nempe mundus ſic eſt animatus, vt non tam ipſius, quàm ipſi habeat animam: ſuperatus non ſuperans, habitus quoque nõ habens. Iacet enim in anima id ſubſtinente, neque quicquàm in eo animę ipſius eſt expers: Quemadmodum in aquis rete quaſi madefactum vita, neque tamen potens naturæ ipſius in quo eſt euadere, ſed rete quidem extento iam mari ſimul extenditur, quatenus ipſum poteſt. Nequit enim vnaquæq; partium
E alibi quàm vbi ponitur eſſe. Anima verò tanta tamq; ingens eſt naturaliter, quoniam non determinatur ad tantum: itaq; poteſt vno quodam eodémque corpus omne complecti, & quacunq; illud extenditur ibidem eſt & illa. Ac niſi eſſet illud, nulla animæ cura foret ad magnitudinem occupandam. eſt nanq; in ſe quæcunq; eſt. Tantum enim eſt vniuerſum, quatenus occupat ipſa: & mundo determinatur quantum, inquantum procedens ipſum habet ipſam conſeruatricem. Tum vmbra tanta eſt, quanta eſt & ratio pendens ab anima. Ratio autem talis erat, vt tantam efficeret magnitudinem, quantam ſpecies ipſius magnitudinem effici voluit.

Anima mundi generat mundum non electione, ſed naturali fœcunditate, plena rationibus, plenum formis ſimilibus rationum Cap. X.

CVm hæc conſiderauerimus, oportet rurſus ad id reuertentes quod ſemper ita ſe habet, entia cuncta ſimul accipere, velut aerem, lumen, ſolem, vel lunam. Et lumen ſolemq; rurſus omnia ſimul, habentia tamen ordinem primorum ſecundorumq; & tertiorum: & hîc animam ſemper conſiſtentem conſiderare: deinde prima, & quæ deinceps velut ignis vltima in poſterius, primo
F videlicet extremo velut vmbra ingnis conſiderato: deinde hoc etiam ſimul illuminato, adeo vt ſpecies quaſi ſuperferatur in id adhibitum quod primo factũ erat prorſus obſcurum, ipſumq; veſtiat. Ornatum verò eſt ſecundum rationem, ipſius animæ poteſtate, habentis ſcilicet per totã ſeipſam uim qua per rationes exornet: Quemadmodum & in ſeminibus rationes fingunt formantq; viuentia quaſi exiguos quoſdam mundos. Quicquid attingit animam, ſic inde perficitur, prout eſſentia animæ naturaliter ſeſe habet. Hæc autem facit non aduentitia quadam ſententia, nec conſilium conſiderationémue expectans: ſic enim nõ per naturã, ſed per artem faceret acquiſitam. Nam ars ipſa poſterior eſt, atq; imitatur vmbratilia debiliaq; imitamina, fabricans ludicra quædam paruiq; momenti, multis ad ſimulachra fingenda machinis vtens. Anima verò per ipſam eſſentiæ poteſtatem ſic eſt domina corporum, vt hæc non aliter fiant atq; diſponantur, quàm ipſa perducat: quippe cum ea etiam quę ab initio fiunt, ipſius voluntati nequeant reluctari. In rebus nanque ſequẽtibus ob mutua paſsim impedimenta ſæpe materia ſic impeditur, vt formam non recipiat propriam, quam videlicet volebat ratio in paruo quodam ſeminario deliteſcens. Ibi verò cum vniuerſa etiam forma inde fiat, & quæ fiunt ordinem ſimul habeant, nimirum quod efficitur, abſque labore impedimentóque prouenit pulchrum.

Con

A Constituta verò sunt in ipso alia quidem Deorum delubra, alia hominum domicilia, alia alijs accommodata similiter. Quid enim potius debuit ab anima fieri, quàm ea ad quæ facienda vim habet? Ignis namq; proprium est calida facere, & cuiusdam alterius frigefacere: at animæ opus partim quidem ex ipsa in aliud, partim etiam in se ipsa. In rebus quidem inanimatis quod est ex ipsis, quasi consopitum iacet in eis, quod autem tendit in aliud, potest nititurq; quod inde pati potest, sibi simile reddere. Iam verò id omnibus est commune, ad ipsam sui similitudinem in agendo contendere: animæ verò opus, & quod est in ipsa vigilans quiddam est, & efficax, & quod tendit in aliud, est persimile. Efficit ergo vt & alia viuant quæcunque per se non viuunt, taliq; vita viuant, quali viuit & ipsa. Hæc igitur viuens in ratione, tradit & corpori rationem, velut suæ rationis imaginem. Etenim quantum vitæ impartit corpori, vitæ est imago, simulq; formas impartit corporeas quarum possidet rationes. habet autem & Deorũ rationes, & omnium. Quapropter hic quoq; mũdus omnia possidet.

Magica trahit uim propriè ab anima mundi, Dijsq; mundanis per hæc à superioribus. Cap. XI.

B AT qui mihi videntur veteres sapientes quicunque optabant sibi adesse deos, sacra statuasq; fabricantibus in ipsam vniuersi naturam mentis aciem direxisse, atque inde animaduertisse naturam animæ vbique ductu facilem admodum pronamq; esse, omniumq; facillimè posse capi, siquis fabricauerit aliquid, quod facilè ab ipsa pati possit, patiendoq; portionem aliquam ab ipsa sortiri. Facilè verò patiens est quod qualicunqne modo imitationi aptum est, velut speculum speciem quandam arripere potens. Etenim vniuersi natura omnia mirabili quodam artificio fabricat ad illorum imitationem quorum in se possidet rationes: cumque sic vnum quodque fiat, certè ratio in materia, quæ secundum rationem materia superiorem formata est, coniuncta est illi Deo, secundum quem genita fuit, & in quem suspexit anima, habuitq; dum faceret. Proinde neq; possibile erat hîc aliquid fieri diuinitatis expers, neq; rursus illam ad ista descendere. Illa siquidem mens ipsa est, ceu sol diuinus qui nobis esto rationis exemplar: proxima verò huic succedit anima, suspensa intellectui manẽti manens: dat enim hæc terminos suos ad solem hunc vergentes eiusmodi soli, efficitq; per se velut mediam, vt illic iterum sequentia religẽtur, velut interpres tum eorum quæ inde huc deducuntur, tum eorum quæ hinc illuc reducuntur,
C quantum per animam recurrit in mentem. Neq; enim longè semotum aliquid est ab aliquo, rursusq; semotum per differentiam quandam & mistionem: sed est in seipso, neque tamen secundum locum, & quodlibet ibi conspirat, simulq; permanet & distinctum. Dij verò hi sunt, quatenus ab illis nunquam destituuntur, atque animæ prodeunti ab initio suspenduntur: animæ tamen velut inde hucusq; sese diffundendo quodammodo iam abeunti. Hac autem ratione quatenus & sunt, & quod respicere dicuntur ad intellectum, diuini dicuntur, ipsa videlicet anima non aliò quàm illuc semper suspiciente.

De differenti animarum descensu. de misericordia Iouis erga animas. de consonantia mundi. Cap. XII.

HOminumi verò animæ ipsorum simulachra tanquam Dionysij prospicientes in speculo, illic extiterunt desuper properantes, neq; tamẽ à principio suo intellectuq; disiunctæ. Neque enim vna cum intellectu descenderunt, sed peruenerũt quidem vsq; ad terram: at interim caput earũ extat etiã super cælũ.

D Contigit tamen eis iccirco diſcedere longius, quoniam media earum potentia curare diligentius cogitur: quippe cũ id ipſum in quod deſcendunt, cultu prorſus indigeat. Iupiter uerò pater laborantes animas miſeratus, earũ vincula quibus laborant ſolubilia fabricauit: atq; ita intermiſsiones laborum certis temporum interuallis inſtituit, in quibus liberæ uiuerent à corporibus: vt ipſæ quoq; ibi quandoq; forent, vbi eſt mundi anima ſemper, circa hæc ſollicita nunq;. Quod enim iam habet mundus, hoc ſibi ſufficit atq; ſufficiet ſecundum rationes perpetuò conſiſtentes in temporibus rite peractum, perq; certa curricula temporum in idem perpetuò reſtitutum, per menſuras videlicet vitarum definitarum, in quibus hæc vna cum illis ſecundum illa in illorum conſonãtiam rediguntur. Dum hæc omnia peraguntur ſub vna quadam ratione inuicem ordinata quantum ad deſcenſus aſcenſusq; animorum cæteraq; omnia pertinet. Quòd autem in animabus conſonantia ſit ad ordinem uniuerſi, ita tamen, vt nõ tam dependeant, quàm in deſcendendo ſeipſas accommodent, vnamq; concordiam cum mundana reuolutione conficiant, id nobis argumẽto eſſe poteſt, quòd aſtrorum figuris earum fortunæ, vitæ electiones ſignificantur: quòd ve
E dictum eſt, vniuerſum harmonicè concentum vnum edere, & per muſicas conſonãtias id totum potius quàm per alia ab antiquis licet obſcurius, eſt deſignatum. Id autem nequaquam ſic ſe haberet, niſi mundus ſecundum illa faceret patereturq; ſingula in ſtatutis reuolutionũ & ordinũ, vitarumq; curriculis per diſcurſionũ genera, quibus diſcurrũt animæ, aliàs quidẽ illic aliàs verò in cælo, aliàs autẽ ad inferiora cõuerſæ. Intellectus autẽ omnis ſemper eſt in excelſis, neq; vnquàm è ſua ſede delabit, ſed firmiter omnis in alto conſiſtens, nonnihil per animam ad hæc vſq; demittit. Anima verò è proximo magis ſecundum ſpeciem inde vigentem afficitur, traditq; ſequentibus, alia quidem eadem ſemper conditione, alia verò alias aliter, vagabundam varietatem certo quodam ordine retinens. Deſcendunt verò non ſemper æqualiter, ſed aliquando quidem magis, aliquando verò minus, etiam ſi ad idem ſe conferant genus: proinde ad ſuum quæq; paratumq; delabitur pro affectionis ſuæ ſimilitudine. Quatenus enim illic ſimilis huic aut illi iam euaſit, deinde fertur hęc quidem in hominem, hæc verò in brutum hoc, aliaq; in aliud.

Lex diuina animis inſita, ducit eos tam ſponte quàm neceſſariò ad terminos affectioni eorum
F *conuenientes.* Cap. XIII.

QVod igitur de ineuitabili lege diuinoq; iudicio dicitur, ſic in natura conſiſtit continente atq; imperante, vt vnumquodq; procedat ordine ad quod factum eſt vnumquodq; ſimulachrum prælectionis affectionisq; principalis. Eſtq; illa vniuerſa animæ ſpecies illi congrua & propinqua, erga quod in ſe concepit affectionem, ſpectatq; ad illud quod tunc mittit quò oportet & introducit, non quidem vt eat tunc in corpus, vel in corpus tale, ſed quando præſcriptus iam inſtat terminus, animæ velut vltrò deſcendunt quò oportet, & intrant. Stat enim ſua cuique dies. Qua denique imminente, quaſi citante præcone labuntur, corpusq; ſibi congruum intrant: atq; fermè perinde ſe habent, ac ſi Magorum viribus tractibusq; potentibus moueantur, atque ferantur. Præterea ſic ſe habent, ſicut in quolibet viuentis totius perficitur diſpenſatio, mouens ſcilicet certo quolibet tempore, atque producens, velut pilos, & barbam, cornuáque ſimiliter: & certo quodam tempore ad talia quædam impetus atque vigores: item flores in plantis nequaquam antea germinantes, cæteráque in his ſimiliter ordinatis quibuſdam regulis diſtributa. Procedunt autem animæ neque ſponte omnino, neque compulſæ. Neque eninm

A enim ſponte procedere ita his tribuitur, quaſi conſultò dicantur eligere, ſed tan quam natura proſiliant, ceu ſolemus venereas primùm concupiſcentias, vel ad honeſtas aliquas actiones inſtinctu quodã potius, quàm rationis conſilio prouocari. Verùm ſemper tali cuidam tale quiddam ineſt fatale: item tali cuidam hoc momentum, tali verò momentum illud prouenit fato decretum. Proinde intellectus mundo ſuperior fatale habet illic aſsiduè permanere, quatenus & huc aliquid inde demittere: tum verò ſingula communi ſubiecta legi gradatim inde mittuntur. Inſita nanque eſt vnicuique norma communis, ipſaque lex nequaquam accipit ab extrinſeco ſui muneris abſoluendi potentiam, ſed ea prorſus conditione tradita eſt, vt ipſis vtentibus inſit eam paſsim circunferentibus: tum verò quando imminet tempus, quod fieri lex ipſa decreuit, agitur tunc ab eis qui intus legem habent, adeò vt legem ipſi perficiant: vtpote eos circunagentem, & propterea quòd fundatur in eis decreta validius peragentem, quaſi ſuo illos pondere prægrauantem, dum & ſtudium ſtimulumq; intrinſecus incutit, quò illuc proficiſcantur, quò potiſsimum proficiſci lex intima dictat.

De connexione huius mundi per ſuperiorem, & donis deorum deſcendentibus in opus mundanum. Cap. XIIII.

B

QVum hęc ita ſe habeant, mundus hic habens lumina multa, illuſtratusq; ab animabus exornatur in priores aliter per priores alios mundos vel ornatus alium habens ab alio, tum ab illis dijs, tum ab alijs mentibus tradentibus animas. Tale quiddam veriſimile eſt per fabulam indicari dicentem: Poſtquam Prometheus fœminam effeciſſet, deos quoque alios eam adornauiſſe. Huc tendit quod ibi traditur, terram aquæ fuiſſe permixtam: item figmento illi humanam vocem adhibitam. Præterea ſpeciem deas repræſentantem, tum Venerem & Gratias aliquid impertiſſe, donumq; aliud alium, nomenq; ex dono donatoribusq; cunctis accepiſſe Pandoram. Omnes enim hoc figmentum aliquo munere donauerunt: figmentum inquam à prouidentia quadam iam formatum. Quod autem Epimetheus ei donum dederit nullum, quidnam aliud ſignificat, quàm acceptionem electionemq; doni intelligibilis eſſe præſtantiorem? Ligatus autem eſt formator ille, quoniam opus ſuum quodammodo videtur attingere: ſed eiuſmodi vinculum ſit extrinſecus, & ab Hercule ſoluitur: quoniam ei facultas ineſt per quam etiam quodammodo ſit ſolutus. Sed hoc quidem pro ar-
C bitrio quiuis accipiat. Id verò cõſtet, per hęc ſcilicet dotes deſuper in mundũ venientes oſtendi. Quocirca his quæ in ſuperiorib. dicta ſunt, conſonare videnť.

De animarum deſcenſu, tranſmigratione, differentijs, fato, arbitrio, prouidentia: & quomodo prouidentiæ ordo tanquam latiſsimus connectit ſibi fatum pariter & arbitrium. Cap. XV.

PRocedunt autem animæ à mundo intelligibili declinantes, primò quidem in cælum, ibiq; corpus accipientes per ipſum iam in corpora magis terrena labuntur, quatenus progrediuntur in longum. Et aliæ quidem à cælo in corpora inferiora atque viciſsim, aliæ verò ab alijs in alia tranſeunt: quippe quũ his facultas non ſuppetat ad ſe hinc attollendas propter pondus atque obliuionem, plurimum trahentes ſecum, quo grauante per inferiora præcipitentur. Differentes autem inter ſe animæ fiunt vel ob diuerſitatem corporum quibus inſinuantur, vel etiam ob fortunas, vel rurſus educationes, vel ipſæ præterea ex ſeipſis differentiam ſecum ferunt, & omnino vel per hæc omnia vel per aliqua diſcrepant. Proinde aliæ omnino fato hic dominanti ſuccumbunt, aliæ autem

D tum fato cedunt, tum ſui iuris viuunt. Sunt & quæ quotcũq; neceſſaria ſunt, ſub ſtinenda concedunt: poſſunt tamen quæcunq; ſunt proprij muneris ſibi propria reſeruare, viuentes ſcilicet ſecundum aliam quandam conſtitutionem legum cuncta ſimul entia complectentem, & alteri ſe regulæ committentes. Contexta verò hæc eſt ex omnibus quæ hîc ſunt rationibus atque cauſis, item motibus animarum & legibus inde pendentibus, conſonans videlicet illis, & exordia inde ſuſcipiens, & illis conſequentia cuncta contexens: tum verò ſeruans ea omnia inconcuſſa, quæcunque ad illorum habitum ſeruare ſe poſſunt. Cætera verò qua fert natura propria circunducens, adeò vt in deſcendentibus cauſa ſit propterea quòd ita ſe habent, vt hæc quidem hîc, atque ita ponantur, illa verò ibi, & aliter collocentur.

Quum mundus ſupercæleſtis atque etiam cæleſtis ſit ordinatiſſimus, neceſſariò ordinatus eſt etiam ſublunaris, in quo quum inferiora homine ſint ordinata, ergo multò magis humana. Singula igitur hominibus contingentia iuſtè diuinitus diſpenſantur. Cap. XVI.

SVpplicia igitur quæ iuſtè inferuntur iniquis, attribuenda ſunt ordini, prout decet, omnia perducenti. Quotcunq; verò præter iuſtum bonis accidunt, vt
E pœnæ, inopiæ, morbi, forſan ob prioris vitæ delicta contingunt. Hęc enim contexuntur, atque etiam portenduntur, quò fit, vt & ipſa ſecundum rationem fieri videantur. Nunquid hæc ſecundum rationes naturales minimè fiunt, neq; inter illa quæ principaliter intenduntur ſunt collocanda, ſed ex illis potius conſequentia: velut ſi cadente caſa, qui ſub ea erat interimatur, qualiſcunq; ſit: vel ſi duobus quibuſdã ordine quodam motis, aut etiam vno quod offenditur frangatur vel peſſundetur. Forſan verò hoc ipſum quod iniuſtum dicitur, neq; malum eſt patienti, & ad totius ſeriem eſt cõducens, fortè neque iniuſtum eſt, cùm ex antecedentibus iuſtè ſingula diſpenſentur, Non enim putandum eſt alia quidem ordinem inter ſe habere, alia verò hinc omnino ad placitum licentiámque deflecti. Si enim ſecundũ cauſas & conſequentias naturales, & rationem vnam vnumq; ordinem oportet omnia fieri, nimirum & quæ minora ſunt, coordinata eſſe atque contexta putandum. Itaque quod tanquam iniuſtum ab alio infertur in aliud, ipſi quidem agenti eſt iniuſtum, neque eſt extra cauſam atque crimen: coordinatum verò in vniuerſo nimirum non eſt in hoc iniuſtum, neque etiam iniuſtè infertur in patientem, ſed ita decebat. Quòd ſi bonus eſt qui patitur, in bonum denique deſinit quicquid patitur. Exiſtimandum certè eſt, com-
F munem hunc ordinẽ vniuerſi non eſſe diuinitatis iuſtitiæq; expertem, ſed exactiſsima quadam ratione quod conuenit vnicuique reddere, cauſas tamen in ſe latentes habere, ideoq; ignorantibus occaſionem criminandi præbere.

Sicut ſummum aeris primùm omnium ignitur ab infimo ignis, ſic cælum ſummum corpus primò animatur ab anima, quæ eſt ultimum diuinorum. Item ipſum bonum eſt quaſi centrum: Mens lumen inde micans atque permanens: Anima lumen de lumine ſemouens: Corpus per ſe opacum illuminatur ab anima, ſed animæ in cælo ſecuræ illuminant, ſub cælo non abſq; cura. Cap. XVII.

QVòd autem animę à mundo intelligibili in cælum primò deſcendant, ex his coniectare licebit. Si enim cælum in genere ſenſibili præſtantiſsimũ eſt, meritò intelligibilium vltimis eſt quamproximum: inde igitur cæleſtia primùm animantur atq; accipiunt, vtpote quæ ad capiendum ſint admodũ aptiora. Corpus verò terrenum & vltimum eſt, minorisq; animæ minusq; naturaliter poteſt

A poteſt participare, vtpote quod ab incorporea natura remotiſsimum eſt. Omnes profectò illuſtrant cælum, traduntq; quaſi plurimum primumq; ſui globo cæleſti, cætera verò poſterioribus illuſtrantur. Quæ autem deſcendunt plurimum aliud & aliter inferiusq; colluſtrant, ipſis verò non expedit in longū adeò corruiſſe. Eſt vtiq; aliquid velut centrum, penes hoc autem circulus ab ipſo micans, præter hæc & circulus alius, lumen de lumine: vltra hæc inſuper non amplius luminis circulus, ſed iam luminis indigus alieni, propriæ lucis inopia. Sit autem hîc rhombus, ſiue potius ſphæra talis, quæ quidem à gradu accipiat tertio cui proxima eſt, eiusq; propinquitate refulgeat: ingens itaq; lumen illuminat permanens, atq; ſecundum rationem ſplendor ab ipſo procedit: reliqua verò vnà colluſtrant, partim quidem manentia, partim verò ſe longius deflectentia perluſtratione ſubiecti. Deinde cùm illa quæ illuſtrata ſunt, cura indigeant plurima, quemadmodum nauigijs fluctuantibus gubernatores impenſius nauibus regendis incumbunt, ſuiq; ipſorum obliti, vix animaduertunt ſe in eo diſcrimine conſtitutos, vt vnà cum naufragio ſubmergantur: ſic & animæ tales à ſeipſis diſcedunt quamplurimum: deinde arctius detinentur faſcinationis vinculis alligatæ, naturæ videlicet cura deuinctæ. At ſi tale foret quoduis animal, qua
B le eſt vniuerſum, habens videlicet corpus perfectū & ſufficiens, & extra paſſionum diſcrimina conſtitutum, profectò anima quæ corpori adeſſe dicitur, non adeſſet, ſed præberet ei vitam, interea omnino permanens in excelſis.

Animæ ſecundum Plotinum atq; Iamblichum quandoq; ſunt extrà omne corpus, & tunc potentia rationalis eſt adeò efficax & expedita, vt quæ ſibi porriguntur ab intellectu, comprehendat cuncta ſine tempore, vel ſaltem quambreuiſſimo. Item animæ inter ſe conuerſantes in cælis ſine ſermone, quaſi per nutus mutuò ſe intelligunt: ſed in corporibus aerijs animæ atque dæmones uoces formant. Cap. XVIII.

POſthac quærendum eſt, vtrum anima diſcurſu rationis vtatur antequam deſcendat in corpus, & poſt diſceſſum. forſan verò diſcurſio rationalis contingit, dum corpus habitat: quippe cùm in ambiguitate poſita ſit, curisq; ſollicita, & quaſi iam eneruata: diſcurſu nanq; rationis egere ad vitæ veritatisq; ſufficientiam ex quodam mentis detrimento contingit: quemadmodum & conſultatio rationis in artibus accidit, quando artifices ambigunt, tanquam à perfecto deficientes: at vbi nihil difficultatis defectusq; opponitur, ſtatim ars ſuperat atque agit. Verùm ſi animæ illic abſque ratiocinatione viuunt, quomodo amplius
C dicentur rationales? Reſpondebit fortè quiſpiā, ob id rationales dici, quoniam poſſunt, ſi quando expediat ritè conſiderare. Oportet autem ratiocinationem accipere talem: quandoquidem ſiquis ratiocinationem accipiat tanquam diſpoſitionem actionemq; ſtabilem, ſemper ab intellectu manantem in animabusq; exiſtentem, & quaſi quandam inde coruſcationem, ſicut vtique illic animæ diſcurſu quodam rationis vtentur: non tamen (vt arbitror) vti illic vocibus eſt putandum, quandiu locum prorſus intelligibilem incolunt. Quando verò corpora in cælis habent, non vtuntur ibi ſermonibus, qualibus apud nos ob indigentiam vel ambiguitatem vti conſueuerunt: & cum certo quodam ordine ſecundumq; naturam ſingula illic agant, meritò nec imperant aliquid, neque conſultant. Cognoſcunt verò mutuò inter ſe ſua per reciprocam conſcientiæ notionem, quando & hîc multa etiam in tacentibus intuitu ſolo percipimus. Ibi verò omne corpus eſt purum, & quilibet habitantium totus eſt velut oculus. Nihil ibi eſt occultum, nihil fictum, ſed prius quàm alteri quicquam dixeris, intelligit alter: in aere verò incolentes tum dæmones, tum animas non abſurdum eſt vocibus vti, animalia nanq; talia ſunt.

D *Vita ſenſualis eſt conflata ex proprietate indiuidua atq; diuidua. Dicitur enim diuidua circa corpus, quia ſingulis partibus eius ſe accommodat. Dicitur etiam indiuidua, quia ſingulis adeſt tota. Ratio uerò ac mens dicitur ſimpliciter impartibilis, quia corporeo inſtrumento non utitur, & propterea ſeparata.* Cap. XIX.

VTrum verò in anima ſecũdum idem dicatur partibile & impartibile, quaſi duo hæc inuicem contemperata ſint: an potius alia ratione, & ſecundum aliud hoc quidem impartibile, illud autem partibile prædicetur, tanquam deinceps diuerſæ partes diſpoſitæ ſint, ſicut hanc rationalẽ, illam irrationalem nuncupare ſolemus: manifeſtum nobis erit, poſtquam quid potiſsimum vtrunq; dicamus, explanauerimus. Principiò impartibile apud Platonẽ ſimpliciter eſt acceptum, partibile verò non ſimpliciter, ſed animam inquit, circa corpora fieri diuiſibilem, neq; tamen fuiſſe factam. Profectò naturam corporis conſiderare decet, qualis & quemadmodum ad viuendum indigeat anima, quòdue neceſſe ſit vbiq; per corpus animæ vim ineſſe, totiq; prorſus adeſſe. Omne quidem ſenſuale oportet, ſi modò per totum ſentiat, iam quodãmodo diuidendum peruenisſe
E per totum, exiſtens quidem vbiq;, non iniuria dicitur eſſe diuiſum: apparens verò vbiq; totum, nõ omnino diuiſum dicitur, ſed diuiſibile circa corpora fieri. Siquis autem dicat in cęteris ſenſibus non eſſe diuiſum, ſed in tactu ſolùm, reſpondendum erit in alijs quoq; ita diuidi: ſiquidem corpus eſt quod accipit, minus tamen quàm in tactu. quinetiam vim animę vegetalem & auctricem ſimili ratione diſtribui, atq; ſi circa iecur concupiſcentia, circa verò cor iracundia viget, rationem in his eſſe perſimilẽ. Sed forſan non accipit hæc in illa permixtione, forſan verò & alio pacto, & ex aliquo acceptorum ibi hæc oriuntur: ratio autem & intellectus corpori ſeipſa non tradunt. Horum nanq; opus per inſtrumentũ corporis non perficitur: id enim impedimento futurũ eſt, ſiquis in meditationibus hoc vtatur. Quãobrem vtrum inter ſe impartibile ſcilicet & partibile diuerſum eſt, neq; tanquam in vnum conflata videntur, ſed tanquam totum quoddam ex partibus, vtriſq; videlicet puris: perq; potentiam ſeparatis: ſi tamen & quod circa corpora fit partibile, à ſublimiori potentia impartibilem habet dotem, poteſt vtiq; hoc idem impartibile partibileq; pariter eſſe, tãquam tum ex hoc ipſo, tum ex virtute quadam deſuper in ipſum veniente conflatum.

F *Anima non eſt in corpore ſicut in loco uel uaſe, nec ut pars in toto, uel totum in partibus, nec ut qualitas in ſubiecto, nec ut ſpecies in materia: ſed corpus eſt in anima, ut in uiuificante, comprehendente, mouenteq; ſtabili.* Cap. XX.

RElíquum eſt vt exponamus vtrum hæ aliæq; partes animæ ſint in loco, vel hæ quidem omnino non in loco, aliæ verò in loco ſint, & vbi, & quomodo, vel nulla omnino pars ſit in loco. Siue enim nõ aſsignemus ſingulis animæ partibus locum quendam nuſquam videlicet aliquid collocantes: ſic vtique nihilo magis eam intra corpus, quàm extra cenſebimus, ideoq; corpus in animum relinquemus: neq; aſsignare poterimus, qua ratione fiant opera illa, quę per inſtrumenta corporea peraguntur: ſiue quibuſdam animæ partibus deſcribamus ſitum, quibuſdam verò nequaquam, ſanè quibus non deſcripſerimus, eas nequaquam in nobis collocare videbimur, adeò vt non totam animam noſtram in nobis eſſe videamur exiſtimare. Omnino autem nullam animæ partium, neque totam rurſus animã debemus in corpore velut in loco ponere. Locus enim comprehendens eſt, & corpora continens. Et vbi vnumquodq; diuiſum iacet, ſic ibi iacet, vt non totum eſſe queat in quolibet, anima verò non eſt corpus, neq; comprehenſa eſt potius quàm comprehendens. Neq; tamen ſic vt in vaſe eſt in cor

pore,

A pore, ſic enim corpus inanimatū relinqueretur, ſiue tanquam vas, ſiue tanquam locus animam contineret, niſi fortè anima dicatur in ſeipſam eſſe collecta, & tra ductione quadam à ſe in vas aliquid ſui tranſmittere: atq; ita quantum vas parti cipauit, tantùm animę iam erit detractum. Locus autem qui principaliter locus dici ſolet, incorporeum quiddam eſt, non corpus. Quapropter quidnam anima indigebit? Præterea corpus non per ſeipſum, ſed per quendam ſui terminū animæ propinquabit. Multa inſuper alia obiici poſſent his qui tanquā in loco animam in corpore collocant: nam & locus ſemper vnà cum locato ferretur. Et quærendum ſupererit, quidnam ſit, quòd ſecum locum ipſum vnà circunfert. Quin etiam ſi locus interuallum quoddam eſſe definiatur, multò minus anima in corpore erit velut in loco. Interuallum enim ſiue ſpatium neceſſe eſt eſſe vacuum: corpus autem non eſt vacuum, ſed forſan vacuum illud dicitur in quo eſt corpus. quapropter in vacuo corpus erit. Rurſus anima nō eſt in corpore quaſi ſubiecto. Quod enim in ſubiecto eſt, paſsio quædam eſt eius in quo eſt, velut color atque figura: anima verò eſt aliquid ſeparabile. Sed neque vt pars in toto: anima enim nō eſt pars corporis. Siquis autem dicat animam eſſe velut partem in toto viuente, dubitatio eadem nobis inſtabit, quomodo in toto ſit quæſituris. Non enim quemadmodū in vaſe vini vinum, aut vas inerit: neq; qua conditio-

B ne aliquid permanet in ſeipſo: ſed neque ſic etiam vt in partibus totum: ridiculum nanque eſt, animam quidem totum dicere, corpus verò partes. Proinde ne que tanquam ſpecies in materia: ſpecies enim in materia inſeparabilis eſt. Atq; iam exiſtente materia ſpecies poſterior aduenit: at anima ſpeciem efficit in materia, vtpote quę aliud quiddam eſt quam ſpecies. Quòd ſi animam non factam quidem ſpeciem, ſed ſeparatam eſſe dicant, nondum manifeſtum erit qua conditione ſit ſpecies hæc in corpore: atque erit anima penitus ſeparata. Verùm ſi hæc ita ſe habent, quónam pacto apud omnes anima eſſe in corpore prædicatur? Profectò quum non anima quidem, ſed corpus aſpectui pateat, videntes vtiq; corpus, & animatum eſſe coniectantes, propterea quòd moueatur & ſentiat, haud ab re animam haberi à corpore dicimus. itaque conſequenter & animam eſſe putamus in corpore. Verùm ſi anima videretur, atque ſentiretur: exiſtens aliquid vita plenum, corpusq; vndique vita complectens, & vſque ad extrema æqualiter ſeſe porrigens, nunquam eſſe animā in corpore fateremur, ſed potius in eo quod principalius eſt, eſſe quod non ſit principale, & in continente contentum, & fluens in eo ſimiliter quod non fluit.

C *Anima non propriè inest, ſed adeſt corpori: non tamen ut gubernator nauí uel uirtus gubernatoria infuſa gubernaculo.* Cap. XXI.

QVid autem dicemus ſiquis interroget, quomodo anima adſit corpori, & ipſe quidem modum hac de re nullum adducat in medium? Item ſi quærat, nunquid tota anima ſimul inſit, an pars alia potius aliter? Poſtquā igitur nullus eorum qui dicti ſunt eſſendi in aliquo modus adhuc nobis probatur, velut animæ conueniens erga corpus: dicitur autem ſic eſſe in corpore, velut gubernator in nauí: dicendum eſt id rectè dictum eſſe, quantum ſpectat ad eam ipſam animæ facultatem, per quam valeat à corpore ſeparari: neque tamen modum nobis exponet potiſsimum exoptatum. Nam ſi tanquam nauigator accipiatur, ſecundum accidens aderit gubernator: ſin autem vt gubernator duntaxat, quomodo id conueniet? Non enim in tota naue eſt, ſicut anima eſt in toto corpore. ſed nunquid ita dicendum? Sicut ars inſtrumentis ineſt, velut in gubernaculo, ſi fortè eſſet gubernaculum animatum, adeò vt gubernatoria virtus intus ſit artificioſè mouens. Sed in hoc ſaltem differentia eſt, quoniam ars eiuſ-

D modi ab extrinſeco pendet. Si igitur ſecundum illud gubernatoris exemplar gubernaculo ſeipſum inſinuantis animam collocemus in corpore, velut in inſtrumento naturali, mouet enim ſic ipſum quocũq; placuerit, nunquid ad quæſitum plus aliquid reportabimus? An forſan iterum ambigemus, quomodo inſit huic inſtrumento? Atqui & ſi modus hic diuerſus eſt ab alijs, adhuc tamen planius inuenire & accedere propius exoptamus.

Anima adeſt corpori ſeparabiliter, ſicut lumen aeri. Corpus eſt in anima, ſicut aer in lumine. Mens & ratio non adſunt corpori, quia cum eo non communicant in agendo. Senſus & uegetalis potentia adſunt, quia & hæc per corpus agunt, & corpus indiget eis, neq; tamen à corpore ſubſtinentur. Cap. XXII.

SEd nunquid dicendum eſt, ſic animam ineſſe corpori, vt ignis, ideſt lumen ineſt aeri? Etenim hoc dum adeſt aeri, non adeſt: ac per totum præſens nulli miſcetur, & manet quidem ipſum, aer verò transfluit. Et quando extra illud fit in quo eſt lumen, abit protinus nihil retinens: quandiu verò eſt ſub lumine,
E illuſtratur. Quapropter rectè hîc licet dicere, aerem eſſe in lumine potius quàm in aere lumen: ideoq; Plato in ipſa mundi generatione dici noluit, animam in corpore poſitam eſſe, ſed corpus in anima collocatum. Aitq; aliquid eſſe ipſius animæ in quo ſit corpus, aliquid rurſus in quo corpus nullum, quantum videlicet ad eas vires animæ pertinet, quibus corpus minimè indiget. eadem quoque ratio eſt de cæteris animabus. Profectò putandum eſt, reliquas animæ vires corpori non adeſſe, eas autem quibus eget, adeſſe, atque ſic adeſſe, vt neque in partibus, neque in toto corpore ſitæ ſint: & ad ſenſum quidem ipſam ſentiendi virtutem toti ſentienti adeſſe: ad actiones verò edendas, iam vires alias alijs. dico autem hunc in modum.

MARSILIVS.

Quælibet uis animæ eſt in qualibet parte corporis tota, ſicut anima. Sed dicitur ibi agere, ubi ſibi ſeruit inſtrumentũ, & ibi principaliter, ubi inſtrumentum habet principium. Sic ergo ſentiendi mouendiq; actus attribuitur capiti, unde uidelicet deriuantur nerui, inſtrumenta, ſenſus & motus: ſic irascundiæ actus circa cor, ubi inſtrumentum eius, ſcilicet ſanguis igneus: ſic nutritio circa iecur, ubi ſanguis aerius eſt inſtrumentum eius. Actus uerò rationis & ſi non habet communionem cum corpore, attribuitur quodammodo capiti, quoniam imaginationis actus eſt rationi propinquus, eiusq;
F fit particeps. Cap. XXIII.

PLOTINVS.

CVm animatum corpus ſit ab anima illuſtratum, aliam corporis partem dicimus aliter hinc accipere, atque ſecundũ inſtrumenti aptitudinem ad opus ferentem ſecum vim ad opus accõmodatam, ſic nominari potentiam quidem in oculis viſualem, in auribus auditiuam, in lingua guſtandi, in naribus olfacien di compotem: cõpotem verò tangendi ponere ſolemus in toto. Ad hanc enim perceptionem corpus totum velut inſtrumentum animæ ſubminiſtrare videtur. Præterea cùm inſtrumenta tactus in primis ſint neruis ad animalis motum vim habentibus, atque hîc vis eiuſmodi ſe accommodet, exordiantur autem à cerebro nerui, nimirum ſentiendi proſequendiq; initium, totiusq; penitus animalis hîc potiſsimum collocarunt, hinc ad alia deriuantes, vbi videlicet inſtrumentorum principia ſunt ibidem, quod his vſurum eſt, collocantes. Satius verò fuerat illic principium operationis illius potentiæ ponere: vnde enim mouendum erat inſtrumentum, ibi oportebat quaſi fundari vim illam artificis congruam inſtrumento: imò verò non potentiam, vbique enim potentia viget. Ibi autem eſt principium actionis, vbi eſt initium inſtrumenti. Cùm igitur ſentiendi proſequendiq; virtus in anima ſenſuali atque imaginatrice ſupra ſeipſam habeat ra-

A beat rationem quaſi ad inferius propinqua, nimirũ vbi hæc eſt in ſupremo, ibidem poſita eſt ratio ab antiquis in ſumma animalis totius arce, ipſo uidelicet capite: non quia ratio ſit in cerebro, ſed in hoc ſenſuali per quod quaſi medium ratio poni videtur in cerebro. Senſuale quidem hoc oportuit attribuere corpori, & illi membro potiſsimùm, quod actionem eiuſmodi ſuſcipere poſſet. Rationem verò nullo modo cum corpore communicantem communicare prorſus oportuit illi quod eſt animæ ſpecies: animæ inquam potentis à ratione non nihil accipere. Quod enim ſenſuale eſt, quodammodo etiam eſt & iudex: & quod imaginale eſt, velut intellectuale videtur. Quinetiam impetus atque proſecutio phantaſiam rationemq; ſequuntur. Illic igitur rationale eſt, non quidem vt in loco, ſed quoniam quod eſt ibi quodammodo rationis ſit particeps. Quo autem pacto ibi ſit ſentiendi virtus, & alia ſimiliter, dictum eſt. Proinde quum vegetalis & augendi nutriendiq; natura nuſquam deſit in corpore, nutriat verò ſanguine, & ſanguis nutritorius ſit in venis, initiumq; venarum & ſanguinis ſit in iecore, vnde vis eiuſmodi nititur haud ab re hîc concupiſcens animæ portio eſt à veteribus collocata. Quod enim gignit & nutrit & auget, hoc atq; hæc neceſſe eſt cõcupiſcere. Cùm verò tenuis, leuis, acutus, purus ſanguis ſit inſtrumentum iracundiæ congruũ, huius fons, videlicet vnde ſanguis eiuſmodi ad æ-
B ſtum iracundiæ profluit, ipſum ſcilicet cor iracundiæ deſignatũ eſt habitaculum.

MARSILIVS.

Anima quia eſt ſubſtantia incorporea, in ſe exiſtens non determinatur ad aliquem locum, niſi per inclinationem & actionem circa illum. Soluta igitur è corpore terreno, ſi nullam retinet inclinationem eiuſmodi, nuſquam terrarum eſt, & ubique, niſi forte ſit in ſphæra ſuperiore per inclinationem ad illam: ſin autem inclinationem adhuc retinet ad terrena, circa hæc reuoluitur cum corpore ſpirituali, in quo & corporea patitur. Præterea ſicut apud aſtrologos nõnulli fatũ ſuum etiam nolentes implent, dum ignari aliquid eligũt, per quod incidunt clam in fatũ: ſic omnes animæ diuinã implent in ſe legem, eligendo aliquid, ex quo in latentem incidunt legis diuinæ ſententiam. Cap. XXVI.

PLOTINVS.

POſt hæc quærendum eſt vbinam anima ſit, poſtquam à corpore fuerit ſeparata. Profectò hîc quidem non erit, vbi non ſit quod eam quomodocunq; ſuſcipiat: neque enim in eo moras trahere poteſt, quod non eſt ad eam capiendam naturaliter aptum, niſi aliquid ipſius habeat quod amantem animã trahat ad ipſum. Eſt autem in illo, ſi habet aliud, ſequiturq; illuc vbi id naturaliter eſſe & fieri poteſt. Cùm verò plurimus ſit & vnuſquiſq; locus, oportet differentiam tum ab affectione animæ proficiſci, tum etiam ab ipſa iuſtitia iudicioq; rebus o-
C mnibus dominante. Nunquam enim effugiet quiſquam quod ex iniuſtis actionibus pati decet. Lex nanq; diuina ineuitabilis eſt, ſimul in ſeipſa continens facultatem iam quicquid iudicatum fuerit, faciendi. Fertur autem & ipſe patiens ad quæ pati decet ignorans, inſtabili quidem motu paſsim erroribus circumactus: ſed tandem velut per multa defatigatus ob ea quibus renitebatur, in locum incidit ſibi cõuenientem, voluntario quodam motu in voluntariã ſubiens paſsionem. Edictum verò eſt in lege, & quantum, & quouſq; oporteat pati: ac tandem iterum vnà concurrit tum remiſsio pœnæ, tum poteſtas ex locis illis effugiendi, idq; potentia quadam harmoniæ omnia continentis. Proinde animæ corpus habentes, habent etiam vt tormenta corporea patiantur. Animæ verò quæ puræ ſunt, nihilq; vllo pacto corporei ſecum trahunt, nullo prorſus ſitu corporeo cohibentur. Si igitur ad nihil eiuſmodi deſignantur, neq; enim vllo modo corpus habent, ibi proculdubio ſunt, vbi eſſentia ipſumq; ens atq; diuinum in Deo conſiſtens: hîc inquam & vnà cum his atq; in hoc ipſo anima eiuſmodi habitabit: ſin autem adhuc requiras vbi, quærẽdum tibi ſimiliter erit, vbinã ſint & illa. Id verò perquirens, neq; oculis, neq; tanquam corpora quærito.

D *In intellectu non eſt reminiſcentia, quia nihil noui illic accidit uel extrinſecus uel intrinſecus, quod conſeruandum ſit atque recolendum. Nec ulla de potentia in actum ibi fit commutatio, ſed recordationis officium ad animam pertinet.* Cap. XXVI.

OPeræpretium eſt de memoria ſimiliter perſcrutari, nunquid animæ cùm ex his locis abierint, recordentur: an aliæ quidem reminiſcantur, aliæ verò nequaquam. Et rurſus nunquid omnium, an potius aliquorum memoriam habeant, atque iterum vtrum ſemper meminerint, an fortè ad tempus ſcilicet emigrationi quamproximum. Verùm ſi rectè hac de re quæſituri ſumus, in primis accipiendum eſt, quid ſit hoc ipſum quod recordatur. Dico autem nõ quid ipſa memoria ſit, ſed qua in re potiſsimum naturaliter eſſe ſoleat. Quid enim memoria ſit, & alibi dictum eſt, & ſæpius prædicatur: ſed exponendum eſt diligentius, quid potiſsimum natura ſit ad memoriam inſtitutum. Si autem tota memoriæ facultas eſt aduentitij cuiuſdam ſiue diſciplinæ ſiue paſsionis, profectò reminiſcentia rebus quæ paſsione vacant, neque ſubijciuntur tempori, minimè
E conuenit: ideóque memoria circa Deum vel ens & intellectum ponenda non eſt: nihil enim eis accidit, neque tempus circa ens eſt, ſed æuum. Neque prius aliquid ibi eſt, & poſterius, ſed eſt ſemper vti ſe habet permanens in eodem, nullam prorſus admittens mutationem. Quod autem in eodem ſimilíque eſt ſemper, quomodo vtetur quandoque memoria? quippe quum neque habeat, neque teneat diſpoſitionem aliam poſt aliam quam prius habuerit: vel intelligentiam aliam poſt aliam ſortiatur, vt ita in alia quidem maneat, alterius verò meminerit quàm prius habuerat. At verò quidnam prohibebit, hunc intellectum aliorum mutationes cognoſcere, ipſum interim non mutatum, velut ipſos mundi circuitus? Forſan quia aliud quidem prius, aliud verò poſterius ſic intelliget, ſequens ſcilicet agitatæ rei mutationes. Præterea meminiſſe, aliud quiddã præter intelligentiam eſt, atque ipſas ſui intelligentias recordari non eſt dicendum. Non enim proceſsit vt contineat, ne forſan abeat, alioquin ita etiam metuet ne ipſa ſui eſſentia à ſeipſo diſcedat. Sed neque etiam animam dicendum eſt ea conditione meminiſſe, quemadmodum ſi dixerimus eorum quæ innata poſsidet meminiſſe. Sed poſtquam hic eſt, habere quidem illa, neque tamen ſecundum ipſa nunc operari, & maximè huc longè profectam. Veteres autem operari iam ſecundum illa quæ habebat, memoriam & reminiſcentiam appellaſſe
F videntur, ideoq; hæc altera quædam eſt memoriæ ſpecies. Quapropter tempus memoriæ huic minimè conuenit, ſed forſan circa hæc non tam conſideratè quàm facilè leuiterq; nos gerimus. Fortaſsis enim quiſpiam dubitabit, ne fortè non illius animæ ſit memoria reminiſcentiaq; eiuſmodi, ſed alterius vilioris, vel etiam huius compoſiti animalis. Præterea ſiue alterius animæ ſit, ambiget, quando & quomodo quæ recordatur acceperit: ſiue animalis, ſimiliter etiam dubitabit. Quamobrem inueſtigandum eſt, quidnam in nobis ptiſsimum ſit memoria præditum, quod etiam ab initio quærebamus: & ſiue anima recordetur, quænam vis ſiue pars animæ, ſiue animal ipſum vtatur memoria: quemadmodum & ſentiens idipſum eſſe quibuſdam apparuit, quærendum erit, quis nam ſit modus, quidue in ipſum animal ſit dicendum. Item vtrum ipſum idem ſenſibilia intelligibiliáque & alia quæuis percipiat: an aliud hæc, & aliud accipiat illa.

Animal eſt

A *Animal eſt unum quiddam, non unum dico factum ex tranſmutatione ambarum partiũ in aliquid tertium, ſed ex tranſmutatione corporis in formam actumq; animalem. Ad hoc unum commune pertinet effectus ſentiendi ferme ſicut & uegetandi. Sed effectus memoriæ, ideſt conſeruandi & recolendi ad animam propriè pertinet ſtabilem, non ad corpus inſtabile, quod eſt obliuionis occaſio: nam & multa per memoriam ſeruantur, & ſuggeruntur, quæ nunquam cum corpore ſunt percepta.* Cap. XXVII.

SI igitur animal eſt vtrunq; ſimul, in ſenſibus ſecũdum actum, oportet ipſum ſentire etiam aliquid eiuſmodi eſſe: quapropter & commune dicitur, quemadmodum texere atque terebrare: vt ſecundum artificem quidem anima in ſentiendo ſe gerat, ſecundum verò inſtrumentum ſe habeat corpus. Dum corpus quidem patitur & miniſtrat, anima verò ſuſcipit corporis ipſius formationem, vel eam quæ fit per corpus: aut ſaltem iudicium, quod ex corporis paſsione peregit: vbi certè ſenſus ſic communis actio diceretur, ſed memoria non ſic cogeretur eſſe coniuncti: quippe quum anima ſuſceperit iam figuram, atque vel cuſtodiat, vel abiecerit eam, niſi fortè quis memoriam quoque commune quiddam eſſe coniiciat, ex eo quod complexionibus quibuſdam corporum tum memores, tum obliuioſi fieri ſoleamus. Verùm dici quidem poteſt, corpus vel impedire, vel non impedire recordationis effectum, ſed nihilominus ipſum memoriæ munus eſſe ipſius animæ proprium. Iam verò meminiſſe diſciplinarum,
B quomodo non ipſius animæ, ſed coniuncti potius eſſe dicetur? Si autem animal ſic eſt vtrunq; ſimul, vt alterum quiddam ex vtriſq; proueniat, primò quidem abſurdum erit neq; corpus, neq; animam dicere animal. Non enim permutatis vtriſq; diuerſum quiddam animal eſt, neq; rurſus ita commixtis vt anima in animali ſit quadam duntaxat potentia, atqui & hac rurſum conditione memiſſe nihilominus ad animam pertinebit: Quemadmodum in cõtemperatione quadam ex vino melleq; confecta, ſiquid ſupereſt dulcedinis, guſtumq; delinit, id ipſum habet ex melle. Quid ergo? Si ipſa quidẽ meminit, ſed ex eo quod eſt in corpore, ideoq; nec eſt pura, imò tanquam ſic iam, aut ſic affecta ſenſibilium figuras poteſt imprimere, ac velut ſedem in corpore ſtabilire ad capiendas formas, atque ſeruandas. Sed primò quidem eiuſmodi figuræ non ſunt magnitudines: deinde neq; tanquam ſigillares impreſsiones, neq; reuerberationes vel figurationes quædam: quoniam neq; ibi eſt impulſio, neque fit ſicut in cera fieri conſueuit, ſed modus alter qualis eſt intellectio, etiam in rebus quæ ſentiuntur. At in intelligendo quenam impulſio vel impreſsio dici poterit? Aut quid opus eſt corpore, vel etiam corporea qualitate, qua cum intellectio peragatur. Quin-
C etiam neceſſarium eſt eam ſuorum motuum meminiſſe: ſicut eòrum quæ deſiderauit, quæue conſecuta eſt, vel minimè cõſecuta. Neq; dum ad corpus vſq; peruenit, quod tanquam deſiderabile nobis propoſitum eſt. Quo enim pacto corpus de illis dicere poterit, quæ ad ipſum non peruenerunt? aut qua ratione vnà cum corpore animus recordabitur, quod nullo modo natura corporis cognoſcere poteſt? Verùm dicendũ eſt, quædam in animam ipſam deſinere, quæcunque per corpus veniunt: quædam verò animæ ſolius exiſtere, ſi modò neceſſe eſt animam ipſam aliquid eſſe, & naturã eius quandam opusq; exiſtere. Si verò hoc inſuper deſiderium eius proprium, deſiderñq; memoriã, quamobrem conſecutionis quoq; & inanis voti reminiſcentiã: quandoquidem & ipſius natura in eorũ genere quæ fluunt, non numeratur. Niſi enim ita ſe habeat, neq; conſentſum, neq; conſequentiã animo cõcedemus: neq; conſpirationẽ, & quaſi ſuimet conſcientiã. niſi enim anima hæc ſuapte natura poſsideat, certè in corpore non acquiret, ſed profectò quaſdam actiones habet, quarum executio corporis indiget inſtrumẽtis, & harum omnino vires ſecum affert: quarundã etiam virium ſecũ affert & actiones. Quantũ verò ad memoriã pertinet, corpus impedimento eſt: quandoquidem & nunc ex quorundam adiunctione contingit obliuio:

D sed in ablatione & purificatione quadam memoria sæpe nobis emergit. Dum verò anima sola est, necessarium est, si natura corporis accesserit mobilis atque fluens, non memoriæ causam, sed obliuionis inferre: quapropter & Letheum flumen esse hoc potest existimari. memoria igitur ad animam pertinet.

Opinio quasi poetica esse geminas in homine animas per substantiam inter se differentes. Rationalem quidem ab ipso mundi opifice, irrationalem verò à mundi uita. Cap. XXVIII.

Hæc in textu Græco deficiunt vsque ibi. Cæterùm quærendum est. & fortè sunt Marsilij verba.

VTranq; sempiternam esse, ac post obitū posse rationalem esse apud deos, & interim irrationalem, quæ est eius Idolum apud homines, & hanc reminisci rerum in hac vita gestarum, plurimum quidem passionum suarum, minus autem rerum ad rationalem animam pertinentiū. Item in homine, nō dico temperato, sed continente uel incontinente, ambas simul animas commigrare, rerumq; humanarum memores esse: facilius quidem quatenus uiuūt in aerio corpore, difficilius autem si terrenū corpus quandoq; recipiant. Probabilius fortè foret dicere, unam nobis ineſſe animam. Atq; ex hac vitalem vim, vel actum viuificum corpori huic influentem apellari quasi alteram animam. Quæ ideo dicitur ab vniuersi vita fieri, quia ex nostra profluit sub vniuersæ vitæ virtute.

E Cęterùm quærendū est, vtrius animę cōditio sit memoria. Altera siquidē anima diuinior apellatur, secundum quam nos sumus: altera verò ab vniuerso dependet. Forsan dicendum est vtriq; memoriam conuenire, sed alteram quidem memoriam esse propriam, alteram verò communem. Et quando cōiuncta sunt vtraq;, simul omnes esse memorias: sin autem separentur, si modò vtraq; sint & maneant, alteram animam sua quidem diutius conseruare: quę verò ad nostram pertinent, breuius. hæc verò est quæ Idolum appellatur. Simulachrū igitur Herculis apud inferos existimandum nobis est, vt arbitror, recordari omnium quæ acta in vita fuerunt. eius enim potissimum vita hæc erat. Aliæ verò vtrunque simul existentes, nihil plus dicere habuerunt, quàm quæ ad hanc vitę spectant, & ipsæ vtrunq; simul factæ hæc ipsa nouerunt: vel præterea siquid quodammodo pertinet ad iustitiā. Hercules autem ipse segregatus à simulachro, quidnam dixerit, nōdum est dictum. Quidnā igitur anima diceret altera segregata quandoque, solaq; viuens? nam anima quidem cum hac simul tracta recolit quæcunque fecit, passusq; est homo. Procedente verò tempore sub ipsa morte, aliorum quoque recordationes ex antecedentibus vitis suboriuntur, adeò vt horū nonnulla per negligentiam dimittantur. Facta enim aliquando à corpre purior, &
F illa quæ hic non habuit in memoria, recolet: accedens verò ad aliud corpus, excurrit, profertq; externæ vitæ negocia, & quæ nuper obmiserat: item multa superiorum. Cùm verò longioribus temporum curriculis aduentitia multa contingant, semper in obliuione versabitur. At anima quæ sola iam euasit, quidnam meminerit? Forsan verò prius nobis inuestigandum est, ad quam potissimum animæ uim memoria ipsa pertineat.

Potentia sensitiua aliud quiddam est quàm potentia concupiscendi uel irascendi, atq; hæc utraq; excitatur à sensu, & ex frequenti incitamento acquirit inclinationem propensiorem, quæ tamen non est memoria. Memoria enim ad sensum pertinet atq; rationem. Cap. XXIX.

NVnquid eo meminimus, quo sentimus, & quo discimus? An etiam quo concupiscimus, concupitorum, & quo irascimur, singulorum ad iram pertinentium reminiscimur? Non enim aliud quidem frui dicet quispiam, aliud verò meminisse eorum quibus aliud fruebatur. Vis ergo concupiscendi suis aliquando

A quando potita delitijs, ſiquando deſideratum ei rurſus occurrerit, mouetur iterum per memoriã. Cur enim neq; alio quouis obiecto, neq; aliter quàm ita mouetur? Quid ergo prohibet quo minus ei ſenſum quoq; talium tribuamus? Et ſenſuali ſimiliter concupiſcentiam, per omniaq; ſimiliter, adeò vt ſecundum id quod præualet, quodlibet nominetur? An fortè ſenſum ſingulis aliter attribuimus? Velut vidit quidem viſio, non autem ipſa concupiſcendi natura. Incitata verò hæc eſt à ſenſu, quaſi ſuccedente quadam traductione, non ita quidem vt hæc dicat qualis omnino ſit ſenſus, ſed abſq; animaduerſione propria patiatur. Eadem ratione in his quæ ſpectant ad iracundiam, viſio quidem vidit iniuriantem, animoſitas autem irritata eſt: quemadmodũ ſi paſtore lupum proſpiciente gregibus imminentem irritetur canis, non ipſe quidem intuitus, ſed impetu quodam vel ſtrepitu lacesſitus. Etenim concupiſcendi quidem natura olim potita eſt, retinétque eius quod factum eſt, inſitam ſibi notam, non tanquam memoriam, ſed velut affectionem quandam & paſsionem. Aliud verò eſt quod conſecutionem potientis animaduertit, penesq; ſe rei geſtæ memoriam poſsidet. Huius verò argumentum eſt, memoriam ſcilicet ſæpe non cognoſcere quę vis ipſa concupiſcendi participauit, quamuis adhuc in hac ipſa reſideant.

B *Quando in ſenſu memoriam ponimus, hanc in ſenſu interiore, ideſt imaginatione locamus. Hæc enim abſentia repetit & conſeruat: & ubi hæc potentior eſt, memoria eſt etiam ualidior, præſertim ſi corporis qualitas & meditatio conducat ad idem.* Cap. XXX.

NVnquid igitur ſenſuali virtuti memoriã dedicabimus? atq; idem ſentiendi compos nobis erit, quod & memoriæ compos? At ſi & animæ ſimulachrum meminerit, vt dicebamus, duplex ſenſuale in nobis erit, ac ſi ſenſuale nõ ſit memor, ſed quoduis aliud: ſic etiã quodlibet aliud ſaltem dupliciter erit memor. Præterea ſenſuale ſi etiam ad diſciplinas pertinet retinendas, etiam cogitationes ipſas perſentiet, vel aliud potius ad vtraque pertinebit. Num igitur animaduerſorium commune ponentes, huic amborum memoriam concedemus? Verùm ſi vnum idemq; animaduerſoriũ eſt ſenſibiliũm atq; intelligibiliũ, nonnihil forſitan diceretur: ſin autem bifariam diſtribuitur, nihilominus duo quædam erunt. Quòd ſi vtriq; animæ attribuamus ambo, quatuor inde fient. Omnino autem quænam cogit neceſsitas, vt quo ſentimus, eodem etiam meminerimus, eademq; virtute ambo perficiamus: & quo cogitamus, eodem cogitationum etiam recordemur: quandoquidem non ijdem homines in excogitando
C memeriterq; retinendo potentiſsimi ſunt: & qui æquè valent ſenſu, non æquè memoria valent, atq; alij ſenſibus magis admodum vigent, alij verò magis memoria pollent, cùm tamen ad ſentiendum non ſint admodum perſpicaces. Sed rurſus ſi eſt vtrunq; diuerſum, oportebit quoq; aliud eſſe, quod meminerit quæ ſenſus antè perceperat, atque illud oportet ſentire, cuius & meminiſſe debebit. Fortè verò nihil prohibebit commemoranti virtuti ſentiendi actum, eſſe actum quendam imaginandi, atq; ipſi imaginali naturæ, quæ & diuerſa ſit, memoriam conſeruationemq; congruere: hoc enim eſt in quod ſenſus deſinit, ſenſuq; ceſſante, huic adeſt interea viſum. Si igitur penes hoc abſentis imaginatio relidet, certè memoriam habet, ac ſi ad breue permanet, exiguam habet memoriam: ſin autem prorogatur in longum, hi magis memoria pollent, hac videlicet poteſtate validius ſe habente, uſqueadeo vt non facilè peruertatur, notasq; memores amittere compellat. Imaginalis ergo virtutis memoria eſt, taliũq; eſt meminiſſe. Differẽtes verò ad reminiſcendũ animos eſſe dicemus, vel ob illius vites ſe differenter habentes, vel ob frequentiã actionum, aut vacationẽ, vel ob corporeas cõplexiones, quæúe adſint, quæúe deſint: & quæ permutatæ permutẽt, aut contrà, ſiue etiam quæ quaſi perturbent. Sed de his alibi dicendum eſſe videtur.

MARSILIVS.

D Sunt in nobis imaginationes geminæ, una in uita irrationali, altera in anima rationali, atque illa eſt ſummum ſenſuum, hæc infimum cogitationum. Suntq; cõtiguæ, & ad utranq; pertinet animad uerſio. Sicut ergo ſæpe nonnulla uidemus, nec tamen animaduertimus nos uidere, niſi huc imaginatio ſenſualis intendat, & niſi in hanc uiſio ipſa reſultet: ita nec intelligere, neq; cogitare nos animad uertimus, niſi actiones eiuſmodi quoquo modo attingant imaginationem ſibi continuam, & in ea quaſi reſultent. Ad hanc quoque imaginationem perueniunt & ſenſuum & imaginationis inferioris actus, atque in hac ipſa rationalis memoria collocatur. Cap. XXXI.

PLOTINVS.

VErùm quidnam cogitationum meminiſſe dicemus? Num has quoq; imaginatio ipſa conſeruat? Verùm ſi omnem intelligentiam imaginatio ſequeretur, forſan hac imaginatione manente velut quadam cogitationis imagine, ſic vtique rei cognitæ memoria erit: ſin minus, aliud indagandum. Forſan verò ratione ipſam intelligentiã comitante traductio & ſuſceptio quædam in imaginationem memoria erit. Ipſa enim intelligentiæ notio, ſiue (vt ita dixerim) intelligimen impartibile eſt, ac nondum quaſi proceſsit foras, ſed permanens intus latet. Ratio verò explicans & educens ex ipſa intelligentiæ notione in imaginandi virtutem, ipſum quod dicitur intelligimen, velut in ſpeculo demonſtrauit, eiusq; animaduerſio ita fit & permanentia atque memoria. Quam obrem quum anima ſemper ad intelligentiam moueatur, quotiens in hoc reE ſultat, fit in nobis animaduerſio. Aliud enim eſt intelligentia, & aliud intelligentiæ ipſius animaduerſio. Et intelligimus quidem ſemper, non tamen ſemper animaduertimus. Id autem inde cõtingit, quoniam id quod ſuſcipit, non ſolùm intelligentias, verùm ſenſus etiam aliunde ſuſcipit, idq; viciſsim.

MARSILIVS.

Si animæ noſtræ duæ locis inter ſe ſeparentur, duas habebunt imaginationes manifeſtas, atque memorias. Quatenus uerò ſunt ſimul, inferior præſtantiori cedit in corpore formando, ſicut lumini maiori minus lumen. Et ideo non ſunt hic animalia duo, quia ſuperior anima eſt quaſi inferioris forma, atque hæc ſub illius forma actuq; naturaliter agit in corpore. Præterea quamuis imaginatio memor naturaliter ſit in utraque, tamen quando una frequentius imaginatur, atque ualidius: altera uel uacat, uel ita remiſsè agit, ſicut ſæpe uiſus quaſi non uidet, imaginatione interim circa aliud attentius laborante. Decet autem, ut naturale eſt, & fit communiter, imaginationem inferiorem ſuperiori cedere. Quæ quidem ſuperior, quia comprehendit intelligibiliũ notas ſimul, & ſenſibilium formas, declarat in nobis animal eſſe unum: & quando egreditur corpore, ſi alterã ſibi educatione ſubegerit, uilia quidem mandat obliuioni, honeſtiora reſumit. Cap. XXXII.

PLOTINVS.

VErùm ſi imaginationis memoria eſt, vtraque verò anima meminiſſe dicitur, duæ quædam erunt imaginandi virtutes. Profectò ſi ſeparatæ inter ſe F animæ ſint, geminas habeant. Quum verò in eodem ſint apud nos, quomodo duas habebunt, & vtri earum fiet impreſsio memor? Si enim vtriſque, geminæ ſemper imaginationes erunt. Non enim dicendum eſt ad alteram quidem intelligibilium, ad alteram verò ſenſibiliũ memoriam pertinere. Sic enim duo prorſus animalia erunt inter ſe commune nihil habentia. Si ergo vtriſque impreſsio fit, quænam differentia eſt? Præterea quid obſtat, quo minus id agnoſcamus? Forſan quando altera conſentit, ſiue conſonat alteri: quippe quum imaginationes non ſint ſeorſum, ſiquidem tunc animæ potioris expreſsio ſuperat, vnum prouenit phantaſma, ideſt, viſum: quippe quum velut vmbra tunc alterum comitetur, minusq; lumen maiori cedat. Quando verò pugna fit atque diſcordia, tunc & altera emicat per ſeipſam: latet autem quod eſt in altera, quoniam & omnino latet nos duplicitas animarum. In vnum enim ambæ conſpirauerunt, alteraq; obfunditur. Emicuit igitur altera, viditq; omnia, & alia quidem habet excurrens ſiue egreſſa: alia verò dimittit ad alterã, videlicet pertinentia:

Quemad-

A Quemadmodum ſolemus cum vilioribus aliquando conuerſati, ſi deinde nos ad præſtantiorum conſuetudinem traducamus, exigua quædam priorum contubernalium memoria retinere, plura verò ſequentium ac meliorum.

MARSILIVS.

In utraq; anima poſt obitum, humanorum memoria remanet: ſed in inferiore, cum perturbatione, præſertim quando ſuperiori non prorſus obtemperauerit. In ſuperiore uerò ſine perturbatione, præſertim quando talia paruipenderit. Item in corpore aerio reminiſcimur mortaliũ quamplurimorum, in cæleſti pauciorum, extra cælum pauciſsimorum. Recordari uerò illic pauciorum non prouenit ex debilitate memoriæ, ſed ex attentione circa meliora, negligente dereriora, niſi quatenus hæc per illa conſpiciuntur.

Cap. XXXIII.

PLOTINVS.

QVid verò dicemus de amicis & filijs atque coniuge: item de patria, ſimiliterq; de alijs, quorum vir probus honeſtè recordaturus eſſe putabitur? Fortè illud quidem, ideſt animæ ſimulachrum cum perturbatione quadam reminiſcitur ſingulorum: hic autem abſque perturbatione horum memoriam retinebit: perturbatio enim forſan & ab initio erat in illo. atque etiam vrbani quidam affectus in anima præſtantiore ſunt, quatenus cum altera commertium habuit. Decet autem deteriorem animam appetere etiam officia melioris memo-
B riter retinere, præſertim quando ipſa quoque modeſta eſt: poteſt enim & à principio fieri melior, & educata ſub meliore proficere. hanc autem oportet libenter obliuioni mandare deterioris animæ nugas. Fieri quoque poteſt, quum altera proba ſit, vt altera quæ ſit natura deterior, per vim à meliore coherceatur: & profectò quatenus contendit ad ſupera, plura ex his ab hac quoque obliuioni mandantur, niſi fortè tota eius vita hîc quoque talis extiterit, vt optima duntaxat memoriæ cõmendauerit: quandoquidem & hîc præclarum eſt, ſe ab humanis ſtudijs ſegregare, idq; eſt abſolutæ virtutis officium: quocirca & neceſſariò rectum eſt talium memoriam poſthabere. Quapropter ſiquis probum animum eſſe dicat obliuioſum, hac vtique ratione rectè loquetur: fugit nanque à multis, & in vnum redigit multitudinem, infinitum prorſus incertumq; dimittens. Sic enim neq; viuit cum multis, ſed leuia hæc exiſtimans, paucis quibuſdam & his quidẽ uix retentis, ſecum habitat: quandoquidẽ etiam dum hîc habitat, quotiens ad ſupera ſe conferre contendit, cætera prorſus obmittit. Quum igitur illuc ad ſummum peruenerit, ex his pauca recolit: quum verò eſt in cælo, retinet plura. Iam verò Hercules ille virili in cælis ſua fortitudine gloriabitur: ille verò ſuperior talia etiã paruipendet, in locum auguſtiorẽ iam profectus, & in ipſo intelligibili receptus mundo: & profectò ſuperior Hercule, vtpote qui ſacratiora
C ſapientum certamina ſtrenuè exercuerit, & abundè peregerit.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVARTVS, DE DVBIIS ANIMAE SECVNDVS.

MARSILIVS.

ANIMA corpus omne uel cæleſte quandoq; exuta, & mente diuina tunc formata attentiſsimè diuina conſpicit ſimul cuncta ſine diſcurſu: ideo dicitur non recordari rerum humanarum, non quia ignoret inferiora, dum omnes inferiorum cauſas contuetur, ac ſe perfectiſsimè poſsidet: ſed quia negligentiſsimè repetit minima, quando eſt in maximis attentiſsima: ac etiam quia non repetit per modum diſcurrentem atq; mutabilem, quemadmodũ ſolet humana recordatio fieri. Contuetur autem & per intellectũ & per rationem quęcunq; cognoſcit uno quodam intuitu ſine motu, quoniã conſpicit per unam Dei formam. Verũtamen per ipſam ſeriem idearum habentem gradus non tempore, ſed ordine inter ſe diſtinctos, diſcernit alia alijs ordi

D ne ibi eſſe priorā. Quòd autem aliquis apud nos attentiſsimè cogitās aliquid, nequeat interim aliud perſpicuè cogitare, accidit cùm ex debilitate potentiæ, tum etiam ex eo quòd non cogitat principiū aliorum. Ibi uerò potentia & ualidiſsima eſt, & omniū principia contuetur: ergo & in illis omnia ſi mul, præſertim quia à motu ac tēpore iam eſt penitus ſeparata. Anima deniq; poſtquā mente diuina ideisq; formata fuit, attingit ipſum unū mēte ideisq; ſuperius, & tamē adhuc inde cōſpicit omnia: po teſtas enim ipſius unius cū primū in alio, ideſt mēte, uel aīa percipitur, in plurima deriuatur. Cap. I.

PLOTINVS.

ANima igitur ad diuinum mundum profecta, & in illa eſſentia conſtituta quidnam dicet? quorūmue memoriam conſeruabit? Fortè conſequens eſt, eam illa contemplari in quibus eſt, & circa eadem agere, alioqui ibi non eſ- ſe. Num ergo eorum quæ hîc ſunt nullo modo reminiſcetur? velut quòd philo ſophata fuerit, quódue etiam hîc habitans ſuperiora illa ſuſpexerit. Forſan ſi fie ri nequit, vt quando quis intentiſsimus intelligit aliquid, aliud quicquam agat interim contempletúrue aliud præter illud, atque in ipſa intellectione non in- cluditur actus aliquis, per quem ſe intellexiſſe cognoſcat, ſed poſterius aliquem dicere id contingit, quod quidem ſignificat hunc iam permutatum: non licebit ei qui purè mundo intelligibili fruitur memoriam eorum quæ hîc ſibi quando- que acciderint reuocare: atqui ſi quemadmodum apparet, intelligentia omnis eſt temporis expers: quippe quum quæ ibi ſunt, non verſentur in tempore, ſed
E in æternitate conſiſtant, impoſsibile eſt, illic eſſe memoriam non ſolùm noſtra- rum rerum, ſed etiam quarumlibet aliarum: eſt enim vnumquodque præſens, quoniam neque diſcurſus, neque ab alio in aliud tranſiens permutatio. Quid er go? Non erit diuiſio deſuper in ſpecies, vel ab infimo ad vniuerſale atque ſuper- num? Quod profectò dicitur deſuper, non ſit ibi actu ſecretum in intellectu o- mnia actu ſimul habente, in anima verò ibi exiſtente cur nō erit? Sed quidnam prohibet, hunc quoque intuitum totum vnà collectum fieri ſimul rerum ſimili- ter collectarum? Nunquid igitur ita fit tanquam ſimul alicuius intuitus? vel vt intellectiones ſimul omnes complurimorū? Quum enim ſpectaculum ipſum ibi ſit varium, conſequens eſt, variam quoque & multam ſimul intelligentiam fieri: intelligentiasq; multas tanquam ſenſus multos in uultum vnum, eundém que directos, vbi videlicet oculus ſimul nares, & oculos, & cæteras faciei parti- culas contuetur. Sed quando vnum aliquid diuidit & euoluit, quid dicemus? Forſan in intellectu id eſſe diſtinctum, ibiq; tale quiddam magis innixum quen dam eſſe atque firmamentum. Quod autem prius dicitur & poſterius in ſpecie- bus exiſtere non per diſtantiam temporalem: non enim prioris intelligentia poſterioriſq; ſit tempore, ſed quodam potius ordine, velut ſi arboris ordo exor
F diens à radicibus, & vſque ad ſumma perueniens, apud contuentem non aliter quàm ordine prius habeat atq; poſterius, ſiquidem plantam ſimul omnem con ſpicit. At quādo invnum inſpicit, ſi multa omniaq; habet, quónam pacto aliud quidem primum habet, aliud verò deinceps? Forſan verò poteſtas ipſa quę vna eſt, ſic erat vna, vt & multa eſſet in alio: neque ſecundum intellectionem vnam omnia. Intelligentiæ nanque non ſecundum vnum illic ſe habent, per omnem tamen ibi potentiam perpetuò permanentem, adeò vt in alijs efficiantur mul- ta: iam enim illud vtpote non exiſtens ipſum vnum, poteſt multorum in ſeipſo prius non exiſtentium naturam ſuſcipere.

MARSILIVS.

Anima in hoc quidem corpore dum attentior eſt ad aliud, ſeipſam interim nō cognoſcit, quia & potentia hic eius debilis eſt: & quod cogitatur abea non eſt principiū animæ: ſed quando diuinum mundum contemplatur, utpote quæ & corroborata eſt, & principia ſui conſpicit, ſeipſam habitūq; ſuum & geſta prorſus agnoſcit. Anima in hoc corpore ad imaginationem, & per hanc ad ſenſibilia plurimum eſt conuerſa, ſed poſt obitum ſi in corpore uiuat aerio, ad rationem poſtremò tota con- uertitur, perq; hanc ad intellectum ſuum ſemper omnia cōtuentem, & in diſcurſu interim temporali uerſatur.

A uerſatur. In corpore uerò cæleſti ratio quaſi effecta eſt intellectus & ſuus atque communis, præteritumq; diſcurſum ad intuitum fermè redegit. Hic ergo & quatenus ingenitas ſibi repetit formas, agnoſcit ſeipſam: & quatenus ſe, formas quoque uiciſsim, ipſa enim eſt ipſæ formæ. Anima denique extra cælum ſic formata eſt diuina mente eiusq; ideis, ſicut corpus anima uiribusq; animæ, & ſicut ignitum ferrum igne. Videt igitur, agitq; per ideas diuinæ mentis quaſi per uires quaſdam ſuæ formæ. Igitur & actu ſtabili & cognoſcens ibi principia ſui, agnoſcit profectò ſeipſam. Cap. II.

PLOTINVS.

SEd hæc quidem ita ſe habeant: Nunquid autem in memoria ſui reuertitur? Fortè neq; ſui ipſius reminiſcetur: neq; quòd ipſe ſit qui contemplatur, velut Socrates, aut alter, aut quòd ſit mēs vel anima. Quo enim modo circa hæc quiſpiam memor erit? Siquidem quando & hic contemplatur, præſertim acerrimè, non conuertitur tunc per intelligentiam ad ſeipſum, ſed habet quidem ſeipſam. Actus autem eius ad illud ſit & illud, quaſi materiam ſeipſum exhibens: formatus verò ſecundum id quod ſpectatur ab eo, & ipſe quidem tunc in potentia ſe ſe habens, tunc enim ipſe eſt actu aliquid quando nihil intelligit: vel forſan ſi duntaxat ipſe ſit, nimirum vacuus erit omnium, quando nihil intelligit. Sin autem ipſe talis eſt vt omnia ſit, quando ſeipſum intelligit, cuncta ſimul intelligit. Quamobrem ita conſtitutus & intuitu quidem in ſeipſum, & ſeipſum actu cer-
B nens, cuncta ſimul habet incluſa. Intuitu verò quodam in omnia ſeipſum ſimiliter habet incluſum. Verùm ſi ſic agit, permutat intelligentias, quod in ſuperioribus negabamus. Nunquid ergo dicendū in ipſo quidem intellectu hoc ipſum eodem modo ſe ſemper habere? Sed in anima tanquā in extremis mundi intelligibilis conſtituta, id mutationis poſſe contingere, quando & reuocare ſe ad intima datur: ſiquid enim circa permanens ipſum efficitur, oportet ipſum quandam ad permanens habere mutationem, quippe quum non æquè permaneat. Fortè verò neq; mutationem illic fieri eſt dicendum, quando à rebus ſuis ad ſeipſum vergit, & quando à ſeipſo viciſsim: omnia nanq; ipſe eſt, atq; ſecundum ambo per aliam animā in mundo intelligibili permanens, idipſum patitur quod aliud dicitur atq; aliud erga ſeipſam, & erga illa quæ fundantur in ipſa: aut certè in mundo intelligibili purè viuens ipſa quoq; habet ſtabilitatē. Eſt enim & ipſa quæcunq; eſt: quūdoquidem & quum in eo eſt mundo, neceſſe eſt ad vnionem peruenire cum intellectu, ſi modò conuerſa eſt. Conuerſa enim nihil patitur inter medium. In intellectū ergo profecta, cum eo contemperatur, & contemperata mox vnitur: ex hoc tamen minimè diſſoluta, ſed vnum ambo ſunt atq; duo. Sic itaque ſe habens minimè permutabitur, ſed ad intelligentiam immutabiliter ſe intendet, ſimul habens ſuimet conſcientiam ſiue conſenſum: vtpote quæ
C vnum iam ſimulq; idem cum mundo intelligibili ſit effecta.

MARSILIVS.

Anima extra cælum in mundo diuino conſtituta dicitur eſſe unum, quoniam agit duntaxat per intellectum. Deſcendit tandem in corpus cæleſte, quando ſuam ipſam in ſe explicat multitudinem, agens iam uidelicet per intellectum, rationem, imaginationem: tunc & ſui rerumq; ſuarum ita fermè iam reminiſcitur, quemadmodum apud homines conſueuerat, ſcilicet quum per rationis agitationem, quamuis ibi celerrimā, tum per imaginationis formationes, atq; ſimulachra. Plurimum uerò interest qualia cum affectu cogitat animus: nam quum formas ipſe ſuas in ſe latentes producendo in actum cogitet, nimirum euadit illa ipſa quæ cogitat, locumq; & conditionem eis conuenientem ſubinde ſortitur. Cap. III.

PLOTINVS.

EGreſſa verò inde quaſi vnum vlterius minimè ſubſtinens, ſed ſui proprietatem amans affectansq; eſſe alterum, tanquam quaſi emicans iam procumbensq; procliuius memoriam, vt videtur ſui ipſius aſſumit. Memoria verò ſi ſuperiorum ſit, continet adhuc animam ne longius prolabatur: ſin autem noſtrarum rerum ſit recordatio, ad noſtra præcipitat, ſed cæleſtium reminiſcentia gra

D dum ſiſtit in cælo. Omnino autem cuiuſcũq; meminit, idipſum eſt atq; efficitur: eſt enim meminiſſe, vel intelligere vel imaginari. Hæc autem ipſa imaginatio non in eo conſiſtit quod habeat aliquid, ſed quod videat diſponaturq;, taliſq; ſit ipſa. Quòd ſi ſenſibilia cernit, quatenus ea proſpicit, eatenus & profundum habet. Quum enim habeat omnia ſecunda quadam conditione, neque ſic quidem perfectè ſit & omnia: quumq; rerum confinium ſit, & velut in confinio poſita, nimirum transfertur in ambo.

MARSILIVS.

Anima in mundo ſupercæleſti contemplans diuinæ mentis ideas, per ipſam mentem uelut per diaphanum luminoſum cernit ipſum bonum uelut ſolem, atq; dum per principia ſui uidet ſeipſam, nimirum & ſe cognoſcit intelligentẽ eſſe, & ſeipſam prorſus agnoſcit: ſed per eundem penitus actum eiuſdemq; potentiæ diuina ſuam naturam actionem propriam contuetur: ideo non proprie dicitur ſeipſam ſuumq; actum & uitam priorem animaduertere, quia non utitur rationis diſcurſu atq; imaginatione, in quibus recordatio & animaduerſio conſueta uerſatur. Sed cùm primùm inde uenit in cælum, & poſt in aerem duo hæc exercet. Omnino uerò formæ rerum in potentia animæ cognitrice non ſunt accidentia quædam ſic animæ adiacentia, ut in tabella ſunt literæ, ſed rationes proprietates uires quædam eſſentiales, ſicut rationes ſeminales membrorũ qualitatumq; corporalium in potentia uegetali, & ſicut proprietates plantæ totius in ſemine. Anima igitur ſemper eſt hęc omnia, ſed alàis quidem potius in potentia quadam, alàs uerò magis in actu. Eſt autem anima magis res ipſæ diuinæ, ſi per ſolum intellectum agit in ipſis, quàm ſi interim per rationis quoque diſcurſum uel imaE ginationis figmenta id ipſum animaduertat. hæc enim diſtrahunt. Cap. IIII.

PLOTINVS.

ANima igitur in mundo intelligibili ipſum quoq; bonum videt per intellectum: neq; enim intellectus eam impedit, quo minus ad ipſum vſque percurrat: quoniam quod eſt medium, non eſt corpus, vt ex hoc valeat impedire: quamuis & medium in corporibus permittit ſæpe à primis ad poſtrema deſcendere. Proinde ſi anima ſeipſam dedat inferioribus, pro ipſa memoriæ imaginationiſq; proportione reportat protinus quod affectabat: iccirco memoria etiã quando rerum eſt optimarum, non eſt optima. Memoriam verò oportet accipere non ſolùm in eo quòd quiſpiam ſe recordari perſentiat, ſed etiam in eo quòd in præſentia ſit affectus ſecundũ priorum affectuum cogitationumq; ſimilitudinem: fieri enim poteſt, vt qui non animaduertit aliquid ſe habere, habeat id penes ſe validius quàm ſi agnoſceret: ſi enim agnoſcat, fortè tanquam aliud quiddam habebit, ipſe videlicet tanquã alius quiddam exiſtens. Qui verò non conſiderat ſe habere, videtur idipſum eſſe quod habet: quæ quidẽ affectio vehementius afficit animam, longiusq; inclinat. At ſi digreſſa iam ab ipſa regione diuina, refert quoquo modo memorias, habuit & ibi vis ipſa in ſe memoriam, ſed actus
F illorum quodammodo memoriam obfuſcabat. Non enim dicendum eſt, velut adiacentes ibi figuras fuiſſe, ne fortè abſurdum quid inde contingat: ſed erat potentia in actum poſtea emittenda. Quando ergo actus ille circa intelligibilia vigere ſolitus deſinit, agnoſcit iam anima, quæ antè quàm illic eſſet cognouerat.

MARSILIVS.

Anima in hac uita poteſt cognoſcere diuina, non per imaginationem, nec etiam per rationem ſumentem ab imaginatione principia, ſed per intellectum & rationem principia ſumentem ab intellectu. Quando anima per rationẽ ſurgit in mentem uelut in ſpeculam, quamuis autem memoria communiter dicta omni imaginatione uerſetur, tamen memoria quædam in ratione etiam & intellectu conſiſtit. In anima ſupra cælum actus intelligentiæ conſuetum rationis & imaginationis occupat uſum, ſed in cælo reſurgit uſus eiuſmodi, per quem reminiſcitur humano quaſi modo, humanq; quondam uitæ rerumq; humanarũ: nam hæc ſupra cælum modo quodam eminentiore proſpexit. Agnoſcunt igitur in cælo ſe inuicem animi, amici præſertim, atq; quondam noti, cùm per ipſos motus affectuſq; uiuidos animorũ, tum per corpora quæ ibi habere poſſunt figurã huiuſmodi ſimilem in materia liquida, cedente multò magis animo quomodocunq; formatori, quàm terrena materia nunc affectibus animæ. Tum uerò ſi corpora illic orbicularia ſint, differentia tamen erunt indifferentibus

ſigna in-

A ſigna indiciaq́ differentiũ animorũ, ſiue in figura, ut diximus, ſiue magnitudine, qualitate, motu, geſtu, nutu, luce, quemadmodũ fit in oculis ex affectib. animorũ, & in uarijs nubibus figuræ differentes atq́ colores. Sunt qui uelint cælicolas inter ſe uoces edere, nam & cęlos poſſe ſonare, ſaltem uerò mutuis inter ſe nutib. colloquentur: recordãtur uerò in cælis diuinorũ magis q̃ humanorũ. Lapſæ uerò in aerẽ è cõuerſo: poſſunt aũt & quãdo in cælo & quãdo in aere ſunt, ꝓpter motũ naturaliter liberũ & ibi per multa ſecula gradũ ſiſtere, & altius inde regredi. Deniq́ quidnã prohibet optima quadam electione in ſuperiorib. ſemper eſſe? nihil, apud Porphyrium & Iamblichũ atq́ Iulianum. Cap. V.

PLOTINVS.

QVid ergo? nunquid eadem ipſa cõmemorandi potentia nobis nunc illa reducit in actum? Forſan ſi non reducit eadem, id agit, qua non vidimus memoria. Si aũt eadẽ repræſentat, agit hoc eodẽ quo & ibi uidimus: hoc enim eſt quod excitatur in nobis quoties incitamur ad illa, atq́ hoc ipſum eſt quod in his quæ dicta ſunt, videt: non enim ſimilitudine quadam & imaginaria conditione vtentem illa oportet oſtendere: neq́ ratiocinatione principia aliunde ſumente: ſed licet de intelligibilib. (vt dicitur) & hîc exiſtẽti idem dicere, eo ipſo videlicet, quod ad illa ſuſpicienda vim poſsidet. Idem nanq́ excitantes oportet quæ illic ſunt contemplari, quod etiam excitare illic oportet: quemadmodum ſiquis ſpeculam aſcendens eminentiſsimam, oculis illinc intentis ea proſpiciat, quæ nemo alius eorum qui vnà cum ipſo non aſcenderunt. Quum ergo appareat ex ratione memoriã initium à cęlo ducere, vbi anima ſuperiorẽ iam reliquerit regionem, nihil mirum eſt, ſi illinc in cælum profecta reſidensq́, multarũ quę
B apud nos fiunt rerum memoriã recipit, qualium videlicet dictũ eſt: agnoſcitq́ multas antè cognitas animas: ſiquidem neceſſe eſt eas habere circa ſe corpora ſimilibus in figuris. At ſi figuras mutent, orbicularesq́ efficiant, per ipſos mores modosq́ vnicuiq́ proprios agnoſcere videbuntur: non enim id abſurdum eſt vel mirũ. Eſto quidem, vt paſsiones omnes procul abiecerint, mores autem nihil prohibet reſeruare: quod ſi etiam cõfabulari liceat, ſic quoq́ mutuò ſe agnoſcent. At quãdo ab intelligibili mundo labuntur, quanã conditione ſe habent? Forſan memoriam iterum ſuſcitabunt, minus tamen quàm ille circa eadem: alia nanque habebunt, quorũ reminiſcantur, atq́ longius deinde tempus integram multorum obliuionem afferet. Verùm ſi in mũdum ſenſibilem iam delapſæ, hîc in generationem cadunt: quodnam tempus memoriæ dabitur? fortè non neceſſarium eſt in profundum omne præcipitari. Fieri enim poteſt vt cõmotæ iam animæ ad certumq́ progreſſæ ſpatiũ pedem ſiſtant: neq́ quicq́ prohibet emergere, inde rurſus & regredi antequã ad imum generationis locum præcipitent.

MARSILIVS.

Conſeruatricis memoriæ miniſterium neceſſarium eſt, ubi præterire aliquid rurſumq́ accedere
C poteſt uicißim præteriturum. Animis ergo cæleſtibus non uidetur memoria neceſſaria: neque enim diſcurrunt ut nouum aliquid uel inueniant, uel acquirant. Cap. VI.

PLOTINVS.

ANimas igitur diſcurrẽtes, ſeq́ variè permutãtes vti memoria, facilè quiuis poteſt alleuerare: memoria nanq́ eorũ eſt quæ facta ſunt, quæue præterierunt. Animę verò quæ in eodem penitus conquieſcunt, quarũnam rerum reminiſcentur? Humana verò ratio ſiquidẽ in animis ſiderũ quidem omniũ, ſed præcipuè Solis & Lunæ requirit memoriã, hinc ſimili quadã cõditione ad animam vniuerſi ſe transferet, ac tandem audebit negocioſam in ipſo Ioue memoriam collocare. Hæc verò perquirens, conſiderabit præterea cogitationes ratiocinationesq́ eorũ, ſiquæ ſunt, quales præcipuæ ſint. Iam verò ſi neq́ quicquã requirunt, neq́ ambigunt, nulla eñ re indigent, neq́ diſcunt quę antea ignorauerint, quęnã ratiocinationes vel argumentorũ ſubiũctiones vel excogitationes in eis erũt? Sed neq́ ſollicitè de machinis cõſultabunt quibus humana & omnino terrena diſponant: altera enim ratio eſt qua ſuperi munificè vniuerſa diſpenſant.

D MARSILIVS.

Animis cælestium corporũ rectoribus non est necessarium recordationis obsequiũ uel in cognitio ne,uel uita,uel motu. Suspiciunt quidem diuina intuitu nunquam interrupto:ubi animaduertere quidẽ possunt se uidere,non tamen est opus repetere se uidisse,cùm ibi non sit ipsum uidisse,sed uidere nunquam intermissum:nunquam igitur resumendũ. Similis est & eorum uita semper eadem,similis & motus perpetuus in eorum corporibus,atq; continuus,ideoq; uniuscuiusq; illorũ semper unus quamuis nobis multiplex uel accidat uel uideatur. Prospiciũt res quoq; mutabiles intuitu quopiam non mutato, sicut & quispiã eadem inspectione ad aliquam horæ partem continuata cernit deambulantem in rectum,aliter aliterq; mutatum prospectu uidelicet non mutato. Quo quidem si iudicauerit illum hic esse, ibi fuisse,illic fore: mutationes eiusmodi non propterea in uisione contingent, quod iñ spectaculo contingere iudicentur. Cap. VII.

PLOTINVS.

QVid ergo? nónne Deum se vidisse reminiscuntur? an potius semper vident? quandiu non vident,non licet eis dicere se vidisse,alioquin hæc eorum conditio foret,qui aliquando uidere desiuerint. Quid ergo? neq; etiam recordantur se heri vel anno superiore terram circũcurrisse: neq; se heri & iamdiu vixisse,& ex quo tempore viuant. Quinimò semper viuunt. Quod verò semper idem est, semper & vnum. Quod autem in motione dicitur heri & anno superiore, perinde se habet, ac siquis impetũ motumq; vno pede factum patiatur in multa,vnumq; motum,ipse alium aliumq; esse multosq; confingat. Hîc etenim vnus est motus, penes verò nos mensurantur vt multi,diesq; alij quoniã & no-
B ctes intercidunt. Illic autem quum vnus sit dies,quomodo poterunt esse multi? quapropter neque superior annus. At verò obijciet aliquis,nõ vnum, sed aliud itemq; aliud interuallum esse: aliamq; esse & aliam zodiaci portionem. Cur igitur non dicat cælestis anima, hanc iam præterij partem: nunc uerò aliam occupo? Præterea si humana prospiciunt,quomodo non etiam videant mutationes humanas, atque alios nunc homines esse: quòd si ita, etiam antè alios extitisse aliaq; negocia,ex quo fit vt habere memoriam videantur.

MARSILIVS.

Anima cuiuslibet stellæ cõtemplans ideas principiaq; rerum omnium, habet semper in se certam uniuersi notitiam,siue intellectualem hanc siue rationalem appellare uolueris, atq; interea per corpus cæleste suum corporalia sentit: sed quod minima quæq; sentiat, interea nec per imaginationem animaduertit, ideoq; nec in memoria collocat, cùm quia hæc omnia altius iam comprehendit: tum quia apud ipsum nullius sunt momenti: tum etiam quoniam tandiu iam omnia sentit, ut nihil ultra sensum moueat tanquam nouum. Verũtamen per imaginationem animaduertit, ea particularia se sentire,quæ uniuerso sunt apprimè necessaria,ut stellę, cælestia,elemẽta. Profectò cùm propositum sit cælestibus animis, non per hanc quidem solùm partem, uel hucusq; tantùm, uel tandiu duntaxat moueri, sed contemplari, & simpliciter semperq; moueri, & cum quolibet in momento earum motio sit perfecta, sintq; animæ illæ certæ præscriptum in seipsis ordinem uniuersi ita proculdubio eua-
F surum: nulla nimirum eas cura tangit de parte quapiam loci, uel temporis,aut motus,uel de re,uel de quauis re mutabili. Itaq; neq; dum talia sentiunt,imaginationem attentionemq; talibus adhibere coguntur. Nota circularem cæli motum nec esse alterationem,quia non mutat formam:nec esse localem,quia non mutat locum:sed esse uitalem,ideſt,proprium uitæ interioris actum,pariter & indicium:nam agere in se moueriq; ex intimis proprium est uiuentiũ: cælestium uerò motus est eiusmodi,quemadmodum in animalibus pulsuum,cordisq; motus,nutritioq; in plantis. Cap. VIII.

PLOTINVS.

FOrsan verò non est necessarium vel quodcunq; aliquis intuetur commendare memoriæ,vel illa quæ omnino ex contingenti sequuntur, imaginatione colligere. Item quorum in animo intelligentia cognitioq; rerum certior insidet,siquando res eiusmodi sensibus offerantur,non necesse est eos intellectuali notitia prætermissa in id quod particulare sensibileq; obijcitur, intueri,nisi quis opere ipso dispensẽt aliquid,quod tametsi particulare sit, tamen in ipsa notione totius præcipuè includatur,Dico autem de quolibet hoc pacto: Principio non esse ne-

a esse necessarium, vt quæ videt aliquis collocet in seipso. Quando enim nihil interest, vel nullius est apud ipsum momenti, tunc sensus absque electione nostra eorum quæ videntur differentia motus, ipse quidem solus id patitur: anima verò interim id non excipit intra seipsam: quippe quum ea ipsa visibilium differentia neque curæ sit nobis, neque ad necessitatem vel vtilitatem aliam sit collatura. Iam verò quando quis omino ad seipsum agit, vel ad alia quædã, tunc rerum eiusmodi præteritarum memoriam minimè retinet, quando neq; præsentium quidem percipit sensum. Quinetiam non est necessarium ea quæ omnino ex contingenti proueniunt, in imaginatione locari: ac si locentur, non ita collocari, vt custodiantur atque obseruentur: sed eiusmodi rei figuram non afferre consensum, percipere quiuis poterit, si modò quod dicitur, sic acceperit: dico autem hunc in modum: Si nunquam principale nobis propositum fuerit, partem aeris hanc in præsentia deinde illam diuidere, dum loco mouemur, vel etiã magis pertransire: profectò nunquam in deambulando hoc ipsum obseruantes cogitaremus. Quandoquidem nisi præcipuè nobis decretum esset tantùm prorsus certæ cuiusdam viæ peragere: liceret autem per aerem nobis percurrere, nunquam curæ nobis foret in quo potissimum stadio terræ sumus, vel quantum iam spatij peregerimus. Tum verò si moueri quidem nos oporteret, neque tamen ad tempus propriè tantùm, sed moueri solùm. Item neque actionẽ aliam prorsus vllam referre soleremus ad tempus, certè nũquam in memoria tempus aliud aliudq; excogitaremus. Id verò ex eo patet potissimum, quoniam quando cogitatio vniuersum id quod agitur in se habet, confiditq; ita prorsus vt habet effectum iri, haud vlterius singulis quæ fiunt sese adhibet. Præterea quando quispiam idem semper agat, frustra nimirum singula sui operis obseruabit. Si ergo stellæ dum feruntur, sua quædam agunt officia, neque mouentur, vt hæc ipsa pertranseant quæ prætergrediuntur: opusque ipsarum neque est aspicere quæ pertranseunt, neque etiam præterire, atque ipse transitus acidentalis est illis, circa maiora interim occupatis: denique per eadem semper similique tenore discurrunt, nimirum apud eas tempus discreta quadam mensura minimè computatur, ac etiam si distinguatur, non necessarium est, vel locorum quę præ tereunt, vel temporũ memoriam retinere: præsertim quum vitam semper eandem penitus habeant, quando & circa eundem locum perpetuò reuoluuntur, adeò vt earum motio non tam localis quàm vitalis esse videatur: quippe quum animal vnum agat in semetipsum in statu quidem quantum pertinet ad externa, in motu verò per vitam in ipso propriam peruigentem. Proinde siquis cælestium motum choreæ similem esse dicat, si modò choreæ aliquando desinenti, tota quidem progressio motionis perfecta erit à principio ad finem vsque con
c tinuata: imperfecta verò vnaquæque erit in parte dinumerata. Sin autem tali choreæ comparetur, quæ sempiterna sit, perfecta semper erit. Si autem perfecta semper, non habebit tempus in quo perfecta sit quandoque futura, neque etiam locum. Quapropter neque sic etiam appetitum, ideoque neque temporali neque locali cõditione dimetietur: itaque neque horum memoria vlla continget. Præterea ea ratione magis etiam nobis ratio confirmabitur, quòd scilicet illi vitam agunt beatam in sui ipsorum animis vitam inspicientes: atque ipsa suarum animarum ad ipsum vnum conspiratione, & à se in totum cælum collustratione, tanquam fides in lyra motæ concorditer melodiam in naturali quadam harmonia mirificè concinunt: atque ita totum cælum voluitur, partésque eius ad ipsum, agitatur quidem ipsum aliter, & alia aliter, quamuis ad idem: quippe cùm positio quoque illis sit alia, atque vita omnium magis etiam vna sit atque persimilis.

MARSILIVS.

D Rector mundi Iupiter per unam ſimplicemq; ſui formam omniformem, uirtute infinitam infinitorum effectricem uidet, & efficit infinita: non duobus quidem actibus, ſed quo actu uidet, eodem efficit, atque uiciſsim. Abſurdū uerò foret dictu, eum notitiam rerum ex rebus ipſis colligere: nam per notitiam res antecedentem res efficit, neque poſſet infinita comprehendere, ſi notitiam ex infinitis aucuparetur: nunc uerò non aliter per unam ſui formam conſpicit infinita, quàm ſi ſol per unam ſui lucem radios innumerabiles micantes inde conſpiciat.

PLOTINVS.

IVpiter autem exornans omnia, & moderans, & diſponens, ſemper animam regiam mentemq; regiam poſsidens, & qua ratione vnumquodq; fiat prouidentiam, & in ea quæ fiunt imperiū: item ordine ſingula certò diſponens. Præterea circuitus multos euoluens, multosq; inceptos iam ad finem vſque perducens, cur non in his omnibus memoriā habeat, recordatus ſcilicet quot & quales reuolutiones actæ iam fuerint: rurſusq; quemadmodum in poſterum fiant, machinans & conſiciens & excogitans, atq; ita maximè omnium memor erit, eoq; magis quo & ſapientior architectus. Quantum igitur ad ipſam reuolutionum memoriam pertinet, etiam per ſeipſum dubitationem affert plurimam, videlicet quantus ſit numerus, & vtrum cōprehendatur. Si enim definitus ſit, temporarium dabit principium vniuerſo: ſin verò infinitus, non comprehendit ille rector quot eius opera ſint, niſi forſan dicatur eum in notitia vitaq; vna ſemper
E exiſtere, atque ita infinitum illic eſſe, & illic conſiſtere vnum, non quidem per cognitionem extrinſecus incidentem, ſed re ipſa conſiſtens: quippe cum ipſum ſic infinitū ſemper maneat ſimul totum, potius autem comitetur conſpiciaturq; non aduentitia notione: nam quemadmodum infinitum ſuæ vitæ cognoſcit, ſic etiam actionem diffuſam per vniuerſum infinitam eſſe, præſertim quum ſit vna, neque tamen ob hoc ipſum quod ad vniuerſum ſe conferat.

MARSILIVS.

Ordo uniuerſi qui paulatim euoluit in materia, ſimul totus eſt immutabilisq; in utroq; Ioue, tum in primo qui eſt intellectus purus mundi artifex ſegregatus: tum in Ioue ſecundo, qui eſt intellectualis anima, dux mundi cōiunctus. Neuter itaq; Iupiter cogitatione diſcurrit ambiguo more de rebus agendis: præſertim quia anima æterno quodam intuitu ſuſpicit uniuerſi ordinem in primo Ioue, tenetq; firmū totaq; mūdi materiā ſubiectā habet, & intrinſecus eā agitat, ex una ſui uita quaſi ex uno cardine cūcta facillimè uerſans, ut meritò nihil eius actioni reſiſtat, nulla incidat ambiguitas. Ca. X.

PLOTINVS.

EXornator autem eſt duplex: nam alterum quidem velut artificem dicimus, alterum verò vt animam vniuerſi: & quando nominamus Iouem, aliquando mundi artificem intelligimus, aliquando verò totius mundi ducem. Profectò ab ipſo totius architecto quicquid prius dicitur & poſterius, procul ſegre-
F gare debemus, vnicam ipſi & immutabilem temporisq; expertem vitam attribuentes. At mundi vita quæ hoc ipſum vt ducat, in ſe naturaliter habet, inquiſitionem adhuc rationēq; videtur exigere: nunquid & ipſa vitam ſuam in ratiocinatione nō habeat, neq; in perquirendo quidnam potiſsimum ſit agendum? Iam enim inuentum ordinatumq; eſt, quid faciendum ſit, non quidem per hæc ipſa quæ ordinantur: quæ enim ordinantur, hæc ipſa ſunt quę gignuntur: quod verò hæc agit, eſt ordo. Id autem eſt actio animæ dependentis à ſapientia permanente, cuius quidem imago eſt ordo, qui viget in anima. Quū verò non permutetur illa, neceſſarium eſt hanc quoq; non permutari: non enim aliquando quidem illuc ſuſpicit, aliquando verò non ſuſpicit: alioquin ſi intermiſerit, protinus ambiget. Sed enim vna eſt anima, vnumq; opus. Quod enim ducis vnius obtinet dignitatem, ſemper exuperat: neque alias quidem ſuperat, alias ſuperatur: vndenam plura illic ſint, adeò vt pugna illic oriatur, vel ambiguitas. Iam

verò

A Iam verò gubernator vnus ſemper affectat idem: quid enim in cauſa ſit, vt aliud rurſuſq; aliud cõcupiſcat, ita vt in plura diſtractus ambigere cõpellatur? Quinetiã & ſi exiſtens vna mundi anima quoquo modo permutet, tamen non dubitabit: non enim ex eo quòd mundus multa & partes & oppoſitiones habet ad partes, ob hoc tamen ambiget quomodo diſponatur: neq; enim ab vltimis, neque à partibus exordiſur, ſed à primis incipiens, & à primo via quadam ab impedimentis omnino remota per omnia ſe diffundit & ornat, atq; ob hoc ipſum dominat & ſuperat, quoniã ipſa eadem in eodem opere permanet & ad idem: ſin autem aliud velit & aliud, vnde nam aliud concupiſcet? Deinde ſic affecta, quid potius ſit agendum ambiget, atque ita debilitabitur eius officium in agendo, ſiquidem ratiocinando in agendi ambiguum diſtrahatur.

MARSILIVS.

Qua proportione ſingulæ naturæ partium ſingularũ in quolibet uiuente dependent ab una quadam uiuentis totius natura communi, eadem omnes mundanorum naturæ ab una communi totius mundi natura. Sicut ergo uiuentis cuiuſq; natura in ſe continens naturaliter ſeminales partium effectuumq; naturalium rationes nec laborat, neq; conſultat in agendo, neq; tranſmutatur, dum diuerſa producit, præſertim quoniam agit ex intimis, nec ex multis uelut partibus incohat opus, ſed ex uno uelut omnium cardine cuncta deriuat: ita neq; natura mundi conſultat in opere, uel laborat, uel per-
B mutatur: quippe cùm ſic ad opus ſe ſuum habeat, ſicut naturam particularem ad ſuum ſe modò dicebamus habere, atq; etiam multò præſtantius, præſertim quia inſtrumentum eſt æternæ infinitæq; ſapientiæ ductum ſemper ad eadem uiciſsim, eodemq; tenore, totiq; materiæ præſidet. Ars quinetiam quando per habitum naturæ ſimilem denique agit ſine conſultatione, uel electione, uel attentione iam agit: imò uerò ſi tunc ad attentionem eiuſmodi redeat, impeditur ſæpius & aberrat, quaſi attentio talis non pertineat ad naturam.

Cap. XI.

PLOTINVS.

EST enim gubernatio mundi tanquam animalis vnius, ſed hæc ipſa gubernatio animalis partim tractat extrinſecus, atq; partes: partim verò ab intrinſeco regit atq; principio. Medicus quidẽ incipiẽs ab extrinſeco, per partesq; procedens, incedit ſæpe dubius atq; conſultat. Natura verò quum ab intimo ducat principio, conſultatione non indiget: oportet autem mundi totius gubernationem atq; gubernatorem in diſpenſando non medici, ſed naturæ more procedere. Multò verò magis illic ſeruari ſimplicitatem, quo magis ibi intus comprehenſa ſunt omnia, velut animalis vnius membra: omnes nanque naturas vna natura complectitur, reliquæ verò ſequuntur, dependentes inde & prodeuntes, atque ita quaſi pullulantes, quemadmodũ naturæ ramorum ab ipſa arboris vniuerſæ
C natura. Quænam igitur ratiocinatio, vel numeratio, vel memoria? Cùm adſit ſapientia ſemper & agat & dominetur, atq; ſemper eodem tenore gubernet. non enim ex eo quòd varia ſunt & diuerſa quæ fiunt, putãdum eſt etiam effectorem cum ipſis eorum quæ fiunt mutationibus habere communionem. Quatenus enim varia ſunt quæ fiunt, eatenus effector ipſe eodem tenore conſiſtit. Multa enim ſunt quæ gignuntur in vnoquoq; etiam animalium naturaliter, neq; ſimul omnia. Diuerſæ quidẽ ætates & in certis temporibus germinationes certæ, velut cornuum barbæ papillarum: item argumenta certa floresq; ætatis: rurſus præſcripta propagatio prolis qua generantur alia, prioribus interim ſeminarijs rationibus nequaquam deficientibus, ſed alijs præterea genitis. Quod quidem ex eo patet, quod in animali inde genito eadem ſeminaria ratio totáque ſeruatur. Iam verò operæpretium eſt aſſerere, eandem ſapientiam hîc vigere, atque hanc eſſe vniuerſalem, velut mundi ſapientiam conſiſtentem: multam quidem ac variam, rurſuſq; ſimplicem animalis vnius omnium maximi, quæ quidem ex ipſa operum multitudine non euadat varia, ſed vna ratio ſit ſimúlque omnia: alioquin niſi ſit omnia, non erit ipſa, ſed potius quædam poſteriorum & partium ſapientia.

D

MARSILIVS.

Cogitatio per plura deinceps ordine currens eſt motus aliquis abſoluta noritia carens, atque ob indigentiam ueritatem ſapientiamq; appetens conſumatam, ideo diſcurſio eiuſmodi, uel conſultatio, uel electio nō pertinet ad mentem uel animam mundi rectricem, poſsidentem ab æuo habitum ſapientiæ plenum, & integram cum idearum, tum rationum ſeminalium plenitudinem, qua quidem plenitudine res futuras anticipat in præſentibus, & quibus modis ſint futuræ diſcernit, quarum ipſa met eſt opifex, ſola toti ſuæ materiæ dominans, nec impedimentis obnoxia: ideoq; nec ſollicita, uel ambigua, uel inquirens, ſed natura ſua omniformi uniuerſum ſibi conformans. Quum uerò hæc ipſa natura ſit intelligentia & uoluntas, meritò non conſilio tractat mundi materias, ſed ſapientia firma tum naturaliter, tum etiam uoluntariè fabricante. Cap. XII.

PLOTINVS.

FOrſan verò quod eiuſmodi eſt quiſpiā naturæ opus eſſe fatebitur: ſed cùm in vniuerſo ſapientia ſit, neceſſariò rationis quoq; diſcurſiones & memoriā eſſe putabit. Verùm id quidem hominū eſt, ſapere in non ſapiendo ponentium, putantiumq; idem eſſe inquirere ſapientiā atq; ſapere. Nam ratione diſcurrere quidnam aliud eſt, q̄ appetere ſapientiam inuenire, veramq; rationem mentis verè cōpotem? Qui enim ratiocinatur, ſimilis eſt pulſanti citharā abſolutè pulſa
E tionis gratia, atq; meditāti ad habitū conſequendū, & omnino diſcēti gratia cognoſcendi. Ratiocinator enim id quærit addiſcere, quod qui iam habet eſt ſapiens: quapropter in ſtatu quodā & ſtabili eſt ſapientia. Teſtatur id & ipſe ratiocinator: nam cùm primū inuenit quod optabat, ceſſat ratiocinari, & in ſapientia ipſa poſitus cōquieſcit. Si igitur ipſum mundi ducem vicem habere diſcentiū arbitremur, nimirū rationis diſcurſiones dubitationesq; illi & memoriam tribuemus, cōferenti videlicet præterita cum præſentib. & futuris. Sin autē ita potius ſe habere putemus, quemadmodū qui cognoſcat in ſtatu quodā ſuum terminū poſsidente, meritò ſapientiā ei potius conuenire cenſebimus. Præterea ſi futura nouit, abſurdū enim eſſet id negare, cur nō etiam quomodo futura ſint teneat? Quòd ſi quomodo etiam futura ſint nouerit, quidnā amplius opus eſt ratione perueſtigare, ac præterita cum præſentib. cōparare? Rurſus cognitio futurorū, ſi modò ei cōcedatur adeſſe, non vtiq; talis erit, qualis ineſſe vatibus conſueuit, ſed qualis effectoribus ipſis certò ſciētibus ita fore. Id verò eſt omniū auctoritatē habentibus, quibus nihil hæſitās, nihil contingit ambiguū, & quorum ſententia cui ſemel aſſenſis, perpetuò acquieſcit. Eadē igitur illic eſt ſapientia de futuris, quæ & de præſentib. ſecundū ſtatum. Id autem eſt à rationis inueſtigatione re-
F motum, ac niſi futura cognoſcat, quæ ipſe facturus ſit, neq; etiā ſciet facere, neq; ad aliquid ſpectans efficiet, ſed quod fortè inciderit, aget: id verò nihil aliud eſt quàm caſu facere. Permanet igitur qua ratione faciet: ac ſi permaneat qua ratione faciet, certè nō faciet aliter quàm deſignet, quòd in eo exiſtit exemplar. Vno itaq; tenore & eadem ſemper faciet ratione. Non enim nunc quidem aliter, alitérue in poſterum, alioquin quidnam prohibebit ab inſtituto procul errare? Sin autem opus ipſum ſe differenter habebit, non à ſeipſo quidem hanc differentiā poſsidebit, ſed qnatenus ſeminarijs ſeruiet rationibus: hę verò ab effectore dependent. quapropter opificium ſeriem ipſam ſequitur rationum. Effector itaq; nullo modo cogitur aberrare, aut ambigere, aut negocijs laborare, quemadmodum nōnulli opinati ſunt, putantes gubernationem omnium eſſe laborioſam. Profectò laborare in opere diſponendo, nihil aliud eſſe videtur, quàm alienas materias pertractare, ideſt materias quibus minimè dominetur: At quādo quis operi dominatur, & ſolus imperat, quanam re indigeat, niſi ſeipſo & propria voluntate? Id eſt autem ſapientia propria: penes enim hunc ita ſe habentem voluntas eſt ſapientia. Nihil itaq; huic deeſt ad fabricandum, quando neq; ſapientia huic eſt aduentitia, ſed eſt ipſemet nulla unquam re aduentitia vtens: igitur neque ratiocinatione neq; memoria, hæc enim aduentitia ſunt,

MARSI-

A

MARSILIVS.

Mens diuina idearum ſuarum ſigillo imprimit formas animæ mundi adeò uehementer, ut non ſolùm figuret ſupremum animæ, ideſt intelligentiam, ſed etiam medium eius, ideſt imaginationem: & uſque ad infimum eius, ideſt naturam formarum notas inurat. Formæ ſiue rationes rerum ſeminales in natura ſunt ultima quædam ueſtigia diuinorum, ideo cognitione carent, quamuis uita non careant, aguntq; in materiam ſicut ignis, atque ſimilia, & artificioſè quidem: quoniam ſunt uiuæ quædam expreſsiones diuinæ cuiuſdam intelligentiæ, atque huius uerba loquentis: Natura dum agit in materiam, pati dicitur non à materia, ſed ab anima. Anima uerò non tam patitur à mente quàm ſe agit ad ipſam. Cap. XIII.

PLOTINVS.

SEd quónam eiuſmodi ſapientia differet à natura? Hoc ſanè, quòd ſapientia quidem primum, natura verò eſt vltimum: natura enim ſapientiæ imago eſt. Quumq; poſtremum animæ ſit, vltimam quoque in ſe rationem habet deſu per emicantem. Quemadmodum ſi dum profundior cera imprimitur, vſque ad alteram eius ſuperficiem penitus figura pertranſeat, vbi quidem figura ſuperior perſpicua ſit: poſtrema verò veſtigium ſit obſcurum, ideoq; natura nihil nouit, ſed efficit tantùm: tradens enim abſque electione ſequenti quod habet: corpo reo materialiq; ſubiecto largitur, talemq; duntaxat actionem habet. Quemad-
B modum & calidum proximo ſuam exhibet ſpeciem debilius calidum reddens. Hanc ob cauſam imaginationem natura non habet. Intelligentia verò eſt imaginatione præſtantior, ſed imaginatio inter naturalem figuram intelligentiāq; eſt media. Natura enim nullius rei animaduerſionem cognitionemq; habet: Imaginatio verò rei peregrinæ cognitionem: dat enim imaginanti, vt quæ patitur & agnoſcat. Hæc autem ipſa progenies atque actio ex ipſo agente dependet: itaque mens quidem poſsidet: anima verò totius ſemper accipiebat, ſemperq; accepit, idq; ei viuere eſt: & quod in ea apparet fulgetq;, ſemper eſt ipſius animæ intelligentis agnitio. Quod autem ab ipſa in ſuperficiem materię micat, eſt natura in quam entia deſinunt, vel ante ipſam, quæ quidem idipſum præcedit, quod apparet: atque hæc ſunt ordinis intelligibilis vltima: iam enim poſt hæc ſunt quædam entium imitamina. At natura in materiam agens interim patitur aliunde. Anima verò hac ſuperior ſimulq; proxima faciendo non patitur: mens denique ſupernè conſiſtens in corpora materiámue non agit.

MARSILIVS.

Natura uniuerſalis, ideſt uiuifica quædam uirtus animæ mundanæ omnium plena ſeminum adeſt corporibus omnibus ex ſe genitis, non tanquam qualitas quædam his permixta factáque horum
C propria ſicut calor aeri, ſed tanquàm actus animæ quodammodo ſeparatus, ſeparabiliterq; præſens, ſicut aeri lumen. Natura quidem ſe habet ad animam ſicut lumen ad ſolem, forma uerò materialis ad naturam ſicut calor ad lumen ex lumine genitus in materia. Cap. XIIII.

PLOTINVS.

PRoinde corpora quæ gigni à natura dicuntur, elemẽta quidem ex hoc ipſo vel hoc ipſum ſunt corpora. Animalia verò & plantæ nunquid ad naturam ita ſe habent, vt eam quaſi adiacentem habeant in ſeipſis, quemadmodum & aer habet lumen? quo quidẽ abeunte, aer nihil luminis retinet, ſed ſeorſum quidem extat lumen, ſeorſum quoq; remanet aer, quaſi permixtio his facta non fuerit. An potius ita fit, ſicut & in igne & calefacto quodam fieri conſueuit? Nam abeunte hinc igne, calor aliquis permanet, aliud quiddam exiſtens præter calorem in igne vigentem, euadensq; iam quædam paſsio calefacti. Profectò formam quidem quam natura præſtat formato, exiſtimandum eſt, alteram quandam præter naturam ipſam ſpeciem eſſe. Reſtat verò quærendum, nunquid etiam aliud quiddam habeat quaſi medium inter formatum, ipſamque naturam. nam quæ potiſsimum differentia ſit inter naturam atque eam quam in mundo poſuimus ſapientiam, ſatis eſt dictum.

D

MARSILIVS.

Actio animæ mundi intima non tempore tranſigitur paulatim, ſed momento tota ſimul impletur. Extima uerò, ideſt proceſsio quædam uirtutis illinc in mundum, & ipſe mundi actus temporis ſucceſsione peragitur. Ipſa igitur propria huius animæ actio non eſt in tempore, ſed tempus generat in materia.

Cap. XV.

PLOTINVS.

ILlud autem circa hæc omnia quæ modò diximus, dubitari facilè poteſt. Si enim æternitas quidem eſt circa mentem, tempus autem circa animam: ſiquidem diximus naturam temporis circa animæ actionem verſari, & ab ipſa pendere: quónam modo fieri poteſt, vt diuiſo tempore præteritumq; habente, non ſimul & actio diuidatur, conuerſaq; ad præteritum in anima mundi memoriam faciat? Iam verò in æternitate quidem identitatem, in tempore autem diuerſitatem collocare debemus: alioquin æternitas idem erit & tempus, ſi modò actionibus animæ mutationem auferamus. An fortè animas quidem noſtras quum mutationem admittant, tum aliam, tum indigentiam tanquam in tempore eſſe dicemus? Animam verò totius generare quidem tempus, neque tamen eſſe in
E tempore: Sed eſto quidem, non ſit in tempore. Quidnam igitur in cauſa eſt, vt ipſa generet tempus, nõautem æternitatem? Fortè quoniam quæ generat, non ſunt ſempiterna, ſed tempore comprehenſa: quando neq; ipſæ quidem animæ ſunt in tempore, ſed paſsiones earum qualeſcunq; ſint atque opera. Sempiternæ nanque ſunt animæ, atque tempus poſterius eſt, & quod eſt in tempore, minus eſt tempore: oportet enim quod in tempore eſt, à tempore comprehendi, quemadmodum ille inquit, quo in loco eſt atque numero.

MARSILIVS.

Formæ rerum quæ in materia diſtant inter ſe loco, in anima mundi diſtant differentia tantùm inter ſe formali. Item quæ in materia priora ſunt inter ſe tempore atq; poſteriora, in anima ſolo quodam ordine diſcrepant, quo alijs alia cedunt, potius quàm ſuccedant. Eſt enim anima per eſſentiam omniformem ordo quidam ſpecialis, & firmus futuri ordinis uniuerſi exemplar pariter & effector: & quantum in ſe eſt, efficere poteſt ſimul omnia, ſi materia poſſet ſimul omnia capere. Moueri quidem dicitur anima hæc ad bonum, qua ratione per mediam mentem ad illud appetendo conuertitur: mens uerò in bono quieſcere, quoniam nullo ad id medio utitur: mundus uerò circa animam, imò intra animam tempore uoluitur. Plotinus in libro de tempore, & ſi non ponit tempus motumq; in anima mundi ſuperiore, ponit tamen in anima eiuſdem inferiore, ideſt in ueſtigio ſuperioris atque natura: non quia formas acquirat ullas uel amittat, ſed quia formæ in ea quædam quaſi è
F ſomno ſtatutis temporibus prodeunt in uigiliam.

Cap. XVI.

PLOTINVS.

CAeterùm ſi in ea deſignatum eſt hoc poſt illud, & prius atq; poſterius ſuorum operum: & ſi ipſa facit in tempore, etiam annuit in futurum. Si autem hoc ita ſe habet, annuit etiam in præteritum: forſan verò potius in his quæ fiunt, & prius eſt & præteritum, in ipſa verò nequaquam, ſed rationes omnes ſimul, vt diximus. Quæ quidem non ſimul ſunt in operibus tempore, quando neq; etiam loco ſimul, quamuis in rationibus ſimul loco ſint velut manus & pedes in ſeminario: in rebus autem ſenſui patentibus hæc loco ſeorſum diſpoſita ſunt: & ſi in ſeminario alia quadam ratione ſeparata dicuntur, ideoq; prius etiam alia ratione. Profectò quod ſeorſum dicitur, alteritate quadã ſeorſum eſſe cenſebitur: quod autem prius dicitur, quónam pacto? niſi ordinator ipſe ſic imperet: imperans verò edicet idipſum, ſcilicet, hoc eſto poſt illud: nam cur non ſimul omnia erunt? Sed certè ſi aliud quiddam ordinator eſſet atq; ordo, ſic res ageretur qua ſi dicendo. Sin autem imperator ipſe præſidens ordo primus exiſtit, non dicit vltrà, ſed facit tantũ, hoc poſt illud efficiens: ſi enim dicat, ſpectans ordinem dicet: quapropter aliud quiddam ſic erit præter ordinem. Qua igitur ratione eſt idem? Quoniam ordinator non eſt materia ſimul atque ſpecies, ſed ſpecies ipſa

duntaxat,

A duntaxat,atq; potestas & actus secũdus post mentem erit anima. Quòd autem dicitur,hoc post illud ipsis operibus accidit habere simul omnia nõ valentibus: Venerandum enim quiddam est & anima talis, scilicet qualis & circulus centro accõmodatissimus statim post centrum adauctus, interuallumq; indistans. Sic enim singula disponuntur,ac siquis ipsum bonum pro centro posuerit:mentem verò velut immobilem circulum adhibuerit, sed animam velut mobilem addiderit circulum,motum inquam per appetitũ. Mens enim proximè subitoq; bonum habet,atq; concepit:anima verò id quod etiã est superius,appetit. At mundi sphæra habens animam ea conditione appetentem,nimirũ qua ratione naturaliter appetere potest, mouetur. Sic verò natura comparatum est, qua corpus valeat naturaliter idipsum extra quod est,appetere:hoc autem est circunfundere sese illi,& vndiq; circuncurrere,quo efficitur,vt moueatur in orbem.

MARSILIVS.

In anima mundi non est ambigua consultatio tẽporalisq; discursio,quia quod optimũ est in ea ab æuo semper cæteris suis uirib.dominatur: Est tamen in nostra,quoniã è multis partibus uiribusq; nostris nunc una,nunc alia dominatur. Item quia & ignorantes sumus,tum etiam quoniã plurimis indigemus, tum denicq; quia plurimæ nobis ab externis incidũt passiones. Vis in nobis rationalis & si non est ipsa natura debilis,ac etiam si non sit cæca,tamen ab irrationali aliquando superatur:& quia hæc quieta est,illa uerò turbulenta: & quia hæc est unica,illa uerò multiplex. Homo pessimus similis est populari gubernationi pessimæ:minus uerò malus, populari minus malę. Bonus optimatum gubernationi,optimus regno:pessimum forsan diceret aliquis similem esse tyranno. Cap. XVII.

PLOTINVS.

B AT quonã modo non etiam in nobis intelligentiæ illæ quæ sunt ipsius animę,atq; rationes ita se habent? Sed hîc secundũ tempus est posterius,quæstionesq; hîc oriuntur:An quia multa sunt in nobis quæ dominantur, atque mouentur,neq; vnicũ imperat? An etiam quia aliud atq; aliud ad vsum atq; ad præsens succurrit,non definitum in seipso,sed ad aliud semper atq; aliud extrinsecũ pertinens? Itaq; & cõsilium aliud,quod & pro temporis opportunitate,quãdo necessitas postulat nobis adest. Præterea tum hoc, tum illud extrinsecus accidit: quinetiam ex eo quòd multa dominantur in nobis, necessarium est multas quoq; imaginationes accidere, & peregrinas & nouas aliis circa alia:vnde & alia impedimento sunt aliis admotionis actionisq; expeditionem. Quãdo enim vis cõcupiscendi mouetur,suboritur eiusmodi nobis imaginatio,quæ quasi quidam sensus nuntiat,defertq; passionem: requirens scilicet vt animus obsecũdet cõcupiscentiæ,eiq; ad votum suppeditet. Tum verò animus sic affectus, necessariò in controuersiam trahitur, siue obsecundet & suggerat, siue repugnet: atqui & vis irascendi irritans ad iniuriam propulsandã quotiens incitatur,eadem nobis infert. Proinde indigentiæ passionesq; corporis varias nobis opiniones C inducunt. Rursus ignoratio bonorum defectusq; inueniendi,quòd in iudicando definiat,vbi animus huc atq; illuc distrahitur,atq; ex horum cõmixtione alia resultantia ad idem pertinent,tametsi quod optimum est in nobis,alia opinatur quàm cõmunis ipsius defectio, opinionumq; diuersitas. Ab eo autem quod est optimum, recta ratio in nostrum commune traducta ob hoc ipsum degenerat, quod in ipso cõmixto debilis iam euadit, cùm tamen suapte natura non sit debilis. Sed quemadmodũ in plurima concionis turba vel consultor omnium optimus in orando non persuadet, sed deteriores potius ex ipso interturbantiũ vociferantiumq; numero superant:ille verò sedet quietus,nihil impetrare potens, vtpote qui tumultu deteriorũ est superatus: est enim in quouis deterrimo commune quiddam,& ex cunctis coaceruatus homo deterrimę cuiusdam gubernationis more. In homine autem medio sic se habet, quasi in ciuitate,in qua quidã aliquanto melius dominatur, vbi profectò popularis quædam gubernatio est non omnis expers obedientiæ. At in homine etiã meliore vitæ species est opti-

D matum gubernationi perſimilis: quippe cùm ipſum iam quod in homine commune dicitur, aufugiat, melioribusq; obtemperet. In optimo denicq; etiã à communi ſe ſeparãte vnus eſt princeps, à quo quidẽ in alia ordo profertur: quaſi duplex in nobis ſit ciuitas, quarũ altera quidem ſit ſuperior, altera verò ſit inferior ad ſuperioris ſimilitudinem exornata. Dictum eſt autem in ipſa quidem anima mundi vnum idemq; ſemper & ſimiliter imperare. In alijs verò ſe aliter rem habere, huiusq; rei aſsignatæ ſunt cauſæ: ſed de his hactenus.

MARSILIVS.

Sicut ex Sole micat lumen ab eo inſeparabile, quod non fit aeris propria qualitas, ſed à lumine generatur calor propria iam qualitas aeris: ſic ab anima noſtra emicat uiuificus actus: qui non fit quidem propria corpori qualitas, ſed generat uitale aliquid in corpore factum iam corpori proprium. Anima quidem ſubſtantia eſt & uita, actus ille ſuus inſeparabilis, ſubſtantiale aliquid eſt & uiuificum. Qualitas hinc tributa corpori accidentale quiddam eſt, & quaſi uitale: actum illum appellamus idolum animæ, in quo ſenſus eſt uegetalisq; natura. Qualitatem uerò illam imaginem animæ nominamus & umbram: ex hac & corpore fit compoſitum, in quo uoluptates doloresq; ſunt corporales, quarum paſsionum ſenſus ad idolum animamq; perueniunt, paſsiones uerò nequaquam. Superior comparatio magis propria fuerit, ſi idolum animæ ab anima non ſeiunctũ comparauerimus, radio uiſuali ab oculo nõ diſiuncto. Qui ſiquando ab oculo rubente proceſſerit, ruborem aſpicienti
E procreabit in oculo, cui ſimilem eſſe dixeris umbrã animæ in corpore reſultantem. Cap. XVIII.

PLOTINVS.

RElinquum eſt inueſtigare, vtrum corpus habeat aliquid in ſeipſo, atq; ita anima præſente viuat, vt iam propriũ aliquid in ſe poſsideat, an quicquid habet, ſit ipſa natura: idq; ſit quod ſe communicat corpori, ipſa ſcilicet natura duntaxat. Forſan verò corpus ipſum in quo anima eſt atq; natura, non oportet eſſe tale quale prorſus inanimatum, vel qualis aer illuminatus, ſed tanquam calefactus aer: ſic vtiq; animalium plantarumq; corpora quaſi vmbram animæ in ſe habent: itaq; dolores voluptatesq; corporeæ circa corpus tale verſantur. Nobis verò talis corporis cruciatus voluptasq; eiuſmodi in cognitionem peruenit paſsionis expertem. Nobis inquam, ideſt, alteri animæ, quaſi corpus eiuſmodi non alienum à nobis ſit, ſed noſtrum: quapropter & nobis curæ eſt, quaſi ſit noſtrum. Neq; enim hoc ipſi ſumus, neq; ab hoc nos ſegregati, ſed dependet ex nobis hoc, nobisq; appendet: nos autem per id quod eſt principale cenſemur: noſtrum verò ſimul et hoc eſt aliter. Quamobrem tum dolore afflicti, tum voluptate permulcti, eiuſmodi corporis curam habemus, & quo ipſi debiliores ſumus, eo diligentius & curamus, & tantò colimus accuratius, quãtò minus ab eo nos
F ſegregamus. Sed hoc ipſum quod in nobis eſt præſtantiſsimũ, quo & homines ſumus, quaſi in corpus tale ſubmergimus. Profectò putandum non eſt, paſsiones eiuſmodi omnino ad animam pertinere, ſed ad corpus tale & cõmune quiddam atq; coniunctum. Quando enim vnum aliquid eſt duntaxat, quaſi ſibiipſi ſufficit. Velut ſi corpus ſolùm ſit atq; inanimatum, quidnã patietur? Si enim diuidatur, nõ tam ad ipſum quàm ad vnionem quæ in eo eſt, paſsio eiuſmodi pertinet. Anima quinetiã ſola diuiſionem paſsionemq; patitur nullam: & ita ſe habens, totũ hoc aufugit. At verò quotiens duo quædam vnum eſſe contendunt, atq; ita vnione vtuntur extranea, nimirum ſæpe ex eo quòd vnum permanere non permittuntur, doloris initiũ ſubeunt. Dico autem duo, non ſi duo in vnum corpora coeant: vna enim in his eſt natura, ſed quãdo diuerſa natura cum diuerſa natura alioq; genere cõmertium inire conatur: & quod deterius eſt, à meliore aliquid ſuſcipit: neq; ipſum quidem poteſt accipere, ſed eius duntaxat veſtigium. atq; ita id totũ duo eſt, fitq; vnum, euadens profectò mediũ inter id quod erat antè, atq; id quod aſſequi nequit iam in difficultate poſitũ, quippe cũ commertium infelix inſtabileq; inierit, ſemper in diuerſa diſtractũ: ſiquidẽ ſurſum viciſsim deorſumúe reuoluitur, ac cùm ad inferiora delabitur, ſuum nuntiat cruciatum, &

A ciatum, & quum aliquantò vergit ſuperius, communionis ſuſcitat appetitum.

MARSILIVS.

Paſsio diſſolutiua uel uoluptas inſtauratiua non fit in ſenſu & anima, ſed in corpore per animæ præſentiã quaſi uitaliter iam affecto: in ſenſu autẽ & anima fit perceptio paſsionis illius minimè patiens. Duobus quaſi nodis anima cum corpore deuincitur: unus quidem uergit ad animã, ideſt uiuifi cus eius actus emicãs erga corpus: alter uerò declinat ad corpus, ideſt qualitas ipſa quaſi uitalis per hunc actum infuſa corpori. Itaq; corpus ſic affectum atq; ſic alligatum animę, ad animam pertinet, fitq; noſtrum. Id ergo curamus, & quando motio huic incidit diſſolutoria uel inſtauratoria, paſsionem hanc ſenſu percipientes ad ipſam uel uitandam inclinamur, uel proſequendam. Si in anima ſentiente fieret peremptoria paſsio, & impediretur ſenſus atque iudicium, & in quo membro præcipuè fit paſsio, non diſcerneret. Anima enim indiuidua ſimul eſt in quolibet tota. Si igitur patiatur ipſa, paſsio ubique totam animam occuparet. Cap. XIX.

PLOTINVS.

IDigitur eſt quod traditur de voluptatis doloriſq; natura, vbi dicitur dolorẽ eſſe quandam diſſolutionis perceptionẽ, dum videlicet corpus animæ expoliatur imagine, voluptatem verò perceptionẽ in animali: vbi rurſus imago animæ inſtauratur in corpore, ibi quidẽ paſsio eſt, cognitio verò in anima ſenſuali videlicet ipſa vicinitate paſsionem perſentiente, eiq; nuntiante, in quod ſenſus deniq; deſinunt. Illud quidem eſt cruciatum: cruciatum inquã, ideſt paſſum, velut in ſectione. Secto quidem corpore, diuiſio ſpectat ad molem: afflictio verò ad molem, quæ non ſolùm ſit moles, ſed eiuſmodi moles. ſimiliter de inflammatione dicendum. Anima verò ſentit quaſi per contiguam animaduertens vicini
B tatem. Tota verò paſsionem ſentit ibi naſcentem, ipſa quidem minimè patiens. Sentiens nanq; tota, illic eſſe pronuntiat paſsionem, vbi percuſsio fit & dolor. Sin autem pateretur ipſa, cùm tota in vniuerſo ſit corpore, neq; diceret, neq; renuntiaret, vbi potiſsimum paſsio inferatur: ſed pateretur quidem dolorem tota, & vndiq; penitus dolore angeretur, neq; iudicaret, neq; declararet locũ paſsionis determinatũ, imò verò vbicunq; eſt, ibi etiam diceret. eſt autem vbique. Nunc verò cõtrà contingit: nam dolet digitus, & dolet homo ob idipſum, quoniam hominis digitus angitur. Dicitur autem homo dolere digitum, quemadmodum & homo glaucus per colorem in oculo glaucum appellatur. Illud itaq; quod patitur, etiam cruciatur, niſi quis forte vna quadam notione cruciatũ vnà cum ſenſu ſtatim conſequente comprehendat. Ita verò comprehendens id planè ſignificat, ſcilicet dolorem eſſe quodãmodo, dolorem non latere ſenſum: veruntamen nullo modo dicendum, ſenſum ipſum eſſe dolorem, ſed doloris perceptionem: cùm verò cognitio ſit nimirũ eſſe paſsionis expertem, vt & cognoſcat planè, & ſincerè denuntiet. Nuntius enim in paſsione poſitus, dum occupa
C tus eſt paſsione, vel nihil omnino nuntiat, vel non ſanitatis nuntius aduenit.

MARSILIVS.

Sicut in corpore leui eſt ſtimulus ad aſcenſum, in radice ad humorẽ, in folio ad calorem: ſic in corpore per animam quaſi uitaliter iam affecto, inſurgunt naturalia quędam incitamenta, pro indigentia quidem ad impletionem: pro repletione ad euacuationẽ, pro alteratione nimia ad oppoſitã. Natura interim uegetalis quæ uitalem in corpore affectionem genuit & conſeruat, patiente tali corpore, laborat dum conatur, & agit intentius circa conſeruandam uel inſtaurandam affectionem in corpore naturalem. Quo quidem conatu dicitur concupiſcentia illa quæ exordiebatur in corpore tali, adoleſcere in naturã. Dum uerò natura hæc agit obnixius, peruenit perceptio paſsionis in ſenſum, atque hinc ad imaginationem atque iudicium. Cap. XX.

PLOTINVS.

COnſequens eſt preterea corporearum cupiditatum principium fieri ex eo quod ita eſt commune, & tali quadam natura corporea: neq; enim corpori quomodocunq; ſe habenti attribuendum eſt initium appetendi & impenſius proſequendi. Neq; putandũ eſt animam ipſam affectare ſalſa vel dulcia, ſed potius id quod corpus quidem eſt: nititur autem non ſolũ corpus eſſe, ſed plus ſibi

D quàm anima vendicat motionũ, atq; ob vendicationẽ eiuſmodi in multa tranſ- A
ferri compellitur: quapropter ita quidem affectum ſalſa, ita verò dulcia concupi
ſcit: item humefieri, rurſuſq; calefieri, quorum nihil ſibi curæ futurũ eſt, ſi ſolum
fuerit. Quemadmodum verò illic ex dolore cognitio nata eſt, animaq; ſtudens
ab inferente paſsionem corpus abducere, vertit in fugam: quod etiam admo-
nuit, quòd primò ſuſtinuit paſsionẽ, dum ipſum quoq; in ipſa cõtractione quo-
dammodo fugeret: ita & hîc ſenſus quidam perdiſcit, & anima quæ propè eſt,
quam vtiq; naturam dicimus veſtigium vitæ corpori tribuentem. Igitur natura
quidem concupiſcentiam reportat iam adultam, velut finem concupiſcentiæ in
tali corpore iam exorſæ. Senſus autem imaginationem, per quam anima iam cu
ius eſt proſequi, vel proſequitur atq; ſuggerit, vel repugnat & abſtinet: neq; con-
ſentit vel exordienti concupiſcentiam, vel ei quod poſt eiuſmodi exordiũ con-
cupiſcit. Verùm cur nam duas concupiſcentias ponimus, non autem ſolùm ta-
le quoddã corpus eſſe quod appetat? Profectò ſi aliud eſt natura, aliud verò cor
pus tale à natura iam effectum: eſt enim natura anteqaum tale corpus efficiatur,
cùm ipſa corpus efficiat tale, fingens ipſum atque formans: neceſſariũ eſt neque
E animam ipſam inchoare cupiditatẽ, ſed tale quoddam corpus quod & patitur
talia quædam: & quando dolet, cõtraria eorum quæ patitur appetit: tum ex lan
guore oblectamentũ, tum ſaturitatem ex indigẽtia. Naturam verò ceu matrem
quaſi cõiectantem deſideria patientis conari, neceſſe eſt dirigere, & ad ſeipſam
id reuocare, ac remedia languoribus quæritantem ob inquiſitionem eiuſmodi,
cum patientis cupiditate cõiungi, atq; ita affectionem hanc ab illo ad animam
penetrare. Quamobrem dicet quiſpiam, corpus quidem tale appetere ſuapte
natura, forſan videlicet quantum ſpectat ad appetitionis properationisq; incí-
tamentum: Naturam verò ex alio, & propter aliud affectare: at animam velut a-
liam eſſe quæ vel obſequitur, vel potius aduerſatur.

MARSILIVS.

Incitamentum ad concupiſcenda oblectamenta corporea non oritur in ipſa animæ uirtute concu
piſcente, ſed in corpore tali, ideſt per animam affecto uiraliter. Id ſanè conijcimus: primò, quia cùm
in corpore tali ſit indigẽtia ſimul atq; paſsio, meritò appetitus hinc incitantur. Secundò, quoniã qua
tenus aliter ſe habet corpus tale pro differentia ætatum, ualitudinis, habitus, loci, temporis, eatenus
diuerſi ſurrepunt appetitus. Virtus autem concupiſcendi in anima permanens non permutatur. Ter-
tiò, quia nonnuquam in tali corpore ſtimulus aliquis eſt ad aliquid, ad quod non ſtatim uis ipſa con
cupiſcendi ſe dirigit. Quartò, ſi etiam mox ad hoc intenderit, non tamen animus ſemper hoc admit-
[F tit. Quintò, ſurgit ſæpe in corpore deprauato ſtimulus ad aliquid naturæ minimè conſentaneum, ut
ad cinerem comedendum, quod natura corporeæ habitudinis moderatrix non adſciſcit, neque co-
aptat corpori, neque ſibi: denique nec implet, nec euacuatur, nec quomodolibet alterat uis ipſa con
cupiſcendi animæ inſita ciús ut idolo, ſed corpus tale. Hinc igit, nõ inde appetitus ad talia ſuſcitãtur.

PLOTINVS. Cap. XXI.

ESſe verò corpus tale, circa quod ſit principium appetendi, teſtãtur inſuper
differentes ætates: alij nanq; ſunt appetitus corporei puerorum, adoleſcen
tum alij, alijq; virorum: item bene vel malè valentium, dum ipſa concupiſcendi
virtus eadem interea permanet. Conſtat itaq; corporeum quiddam eſſe, corpus
inquam tale, quod dum modis plurimis permutatur, incitat ſimiliter quamplurí
mus appetitus. Declaratur idem, quòd nõ vbiq; in huiuſmodi incitamẽtis ſimul
excitatur omnis cõcupiſcentia, quum tamen corporea incitatio ſæpe ad finem
vſq; perduret. Præterea quòd & antè quàm ratio id deliberet, ſæpe animus non
vult comedere aut bibere, dum ad hæc cõcupiſcentia vehemens impellit, quan
tum eſt in tali quodam corpore. Quinetiam quòd natura ſæpe id ad quod tale
corpus incitat vel adſciſcit, non adſciſcit ipſa, neq; vult in naturæ ſedem adduce
re, quaſi oblectamentum eiuſmodi naturæ non congruat, & quaſi naturę ipſius
ſit ſtatuere quid naturæ conſentaneum ſit, quid non conſentaneum. Siquis au-

tem ad

A tem ad prius illud obiiciat, ſufficere corpus aliquando factum differens, differentes concupiſcentias virtuti concupiſcendi ſuggerere: haudquaquã dicit ſufficienter, quantum ſpectat ad id quod alio patiente, hæc ipſa virtus aliter alterius cauſa cupiditates habeat differentes, quando neq; ipſa eſt cui ex neceſsitate ſuggeritur. Non enim ad ipſam vim concupiſcendi pertinet nutriri, vel calefieri, vel humefieri, vel permutari, vel euacuatione leuari, vel ſaturitate repleri, ſed ad tale corpus hæc omnia pertinent

MARSILIVS.

Terra cùm animalia generet, ſitq; animalis mundani membrum & neceſſarium, & minimè contemnendum, eſt animal intellectuale atq; diuinum, habetq; ſenſum: nam in anima uis iudiciaria uiget, quæ coniuncta corpori ſuo percipit, & iudicat ſui corporis paſsiones, id autem eſt ſentire: quanquam Plotinus & multi uniuſq; elementorum ſuam tribuunt animam. Poterit tamen aliquis forſan non abſurdè dicere, ſphæras quidem cæleſtes, quia & immutabiles ſunt, & permanẽt in ſeipſis inuicem non confuſè, animas inter ſe diſtinctas habere: elementa uerò quoniam compoſiti gratia inſtituta ſunt, & in ſeipſis permutantur, & inuicem confunduntur, ſuntq; in globum unum redacta, numeriſq; competentibus in formam unam concorditer colligata, unicam cunctorũ animam poſsidere, uni eorum materiæ complexioniq; humorum quaſi quatuor prorſus accommodatam, uigentem in aere & igne quãplurimum, per hæc in aqua ſimul atque terra, cuius uirtute uitalem uim compoſita etiam illa reportent: in quibus elementorum portiones ſimili quadam ad totum proportione liganntur: in terra quidem & aqua animalia manifeſta, in aere uerò dæmones habentes corpora connexa ſimiliter, quamuis tenuia nobisq; occulta. Cap. XXII.

PLOTINVS.

B NVnquid etiam in plantis aliud quidem eſt quod quaſi propriũ earum corporibus inſeratur, aliud verò quod ſuppeditet? Quod in nobis quidem dicitur cõcupiſcendi virtus, in illis verò dicitur uegetalis: forſan verò in terra quidem eſt eiuſmodi virtus, cùm anima ſit in ipſa, in plantis autem eſt quod ab hac virtute procedit. Opportunè verò quiſpiam prius interrogabit, quænam anima ſit in terra, vtrum ex ipſa vniuerſi ſphæra quam Plato ſolam primò animare videtur, velut fulgur aliquis micet in terram: an potius dicendũ ſit, Platonem terræ animam tribuere qualem ſtellis: vbi rurſus ait, terram eſſe primam antiquiſſimamq; deorum omniũ qui cælo clauduntur. Quo enim pacto terra poterit iudicari dea, niſi habuerit animam? Vnde contingit, vt difficile ſit inuentu qua res hæc ratione ſe habeat, atq; maior, vel certè non minor ex Platonis dictis ambiguitas oriatur. Sed certè in primis, quónam pacto ſententiam rationi conſentaneam inueſtigare poterimus? Principiò terram habere animam vegetalem, per ea quæ ex ipſa naſcuntur, coniectare quis poterit? Quòd ſi animalia etiam multa ex terra generari vidẽtur, quidnam prohibet eam eſſe animal uidicare? Cùm verò tam ingens animal ſit, neq; exigua quædam mundi portio, cur non etiam
C habere mentem, atque ita Deum eſſe dicamus? Iam verò ſi quamlibet ſtellam eſſe dicimus animal, quid prohibet terram quoque, cùm ſit totius animalis pars animal confiteri? Non enim putandum eſt eam extrinſecus quidem ab aliena anima contineri, intrinſecus verò animam non habere, quaſi ipſa ſola animam habere propriam nequeat: cur enim ignea quidem poſsint, terrenum verò non poſsit? nempe vtrunq; corpus eſt, neq; ibi ſunt venæ, nerui, carnes, ſanguis, humor, tametſi terra eſt maiori admodum varietate munita, ex omnibusq; corporibus conſtituitur. Siquis autem obiiciat, quòd inepta ſit ad motum, id quidẽ dicere quis poterit ex eo duntaxat quòd è loco proprio nõ moueatur. Quæret & aliquis, quomodo terra ſentire poſsit: quæremus & nos ſimiliter, quo pacto ſentire poſsint ſtellæ. Iam verò neq; carnium eſt ſentire, neq; omnino tribuendũ eſt animæ corpus, vt inde ſentiat, ſed corpori potius anima tribuenda, vt ſit corpus atq; ſeruetur. Profectò cùm anima vim iudiciariã habeat, habet & facultatẽ per quam dum ſpectat in corpus, de paſsionibus illius valeat iudicare. Quænã verò

D passiones sunt terræ? quorũue iudicia? Præterea plantæ quatenus terræ aliquid sunt, non sentiunt. Quorumnã igitur sunt sensus? & per quæ fiunt? An fortè nõ audendum est asserere absque instrumentis fieri sensus? Item ad quem vsum sensus terræ cõducit? non enim ad cognitionem: sufficit enim fortè cognitio quæ consistit in sapientia, quibus ex actu sentiendi nulla est prouentura vtilitas: an fortè hoc quispiam non concesserit? Est enim & præter vtilitatem in rebus quæ sentiuntur, cognitio quædam à Musis nõ aliena, velut Solis & siderum reliquorum, cæliq; & terræ spectaculum: hæc enim spectare per seipsum etiam est iucundum. Hoc igitur in sequentibus erit considerandũ. In præsentia verò rursus inuestigandũ, num insint terræ sensus, & quorũ animaliũ sit sentire, & qua id ratione fiat. Forsan verò necessariũ prius est, quæ sunt dubitata resumere, & communiter intelligere, nunquid absq; instrumentis sensus effici valeat, & num vtilitatis gratia instituti sint sensus, etiam siquid aliud ex his accidat præter vsum.

MARSILIVS.

Sentire nõ est simpliciter cognoscere sensibilia, sed per passiones siue impressiones quasdam factas uel à rebus sentiendis prope animã, uel ab anima circa eas. Anima ab omni corpore separata sicut in se uiuit, sic ad se conuersa per formas sibi insitas, à diuinis diuina cognoscit: perq; illa uelut principia
E comprehendit & sensibilia, neq; tamen hoc est sentire: nequit enim sentire tunc corporalia, quia nullam habet cum eis proportionem, per quam impressio ulla, uel expressio inter hanc & illa fiat: sed quando corpori coniuncta est, spiritu utitur ut instrumento quodam medio inter eam, atque externa, proportionẽ inter utraque faciente, in quo qualitates uel passiones extrinsecas uenientes, in speciem spiritalem puramq; euadunt animæq; propinquam, adeò ut per hanc anima formas excitet sensibilium in se latentes: quæ quidem excitatio est sentire. Id uerò totũ diligentius in libro Theophrasti de anima unà cum Prisciano & Iamblicho declaramus. Cap. XXIII.

PLOTINVS.

ASserendum est itaq; sensum circa sensibilia esse perceptionẽ in anima vel animali: perceptionẽ inquam in virtute adhærentem corporibus qualitatem percipiente, speciemq; illorum sibi quodãmodo figurante. Si ita est, vel anima sola in seipsa permanens sensibilia, aut cum alio potius apprehendet: sola verò & in seipsa viuẽs, quonã pacto poterit? Dum enim in seipsa est, similiter quæ in seipsa sunt percipit, solaq; intelligentia vtitur. Quòd si tunc & alia percipit, oportet prius etiam hæc habuisse, siue similem his effectam, siue cõgredientem alicui aliquando facto persimili: similem quidem his eam effici in seipsa manentem est impossibile. Qua enim cõditione signum simile possit lineæ fieri? quando neq; intelligibilis quidem linea sensibili lineæ congruere ualeat: neq; ignis
F vel homo intelligibilis, sensibili, vel igni vel homini. Siquidẽ neq; ipsa quidem natura quæ generat hominem, in idem cum homine genito concurrere valet. Iam verò si anima secum ipsa viuens possit sensibile intueri, inde mox in cognitionem intelligibilis dirigetur, subterfugiente eam sensibili, non habentẽ videlicet quo excipiat ipsum. Quandoquidẽ & cum anima visibile quiddam prospicit eminus, quamuis maximè tanquam species in animam veniat, tamen quod exorditur penes animam velut impartibile desinit in subiectum colorem atq; figuram, quantũ id sit ibi discernens. Non igitur oportet sola hęc adesse, scilicet q extrinsecus est, & animã: sic enim nulla hic passio fieret, sed oportet tertiũ quiddam esse, quod sit passurum: id autem est quod accipiet formam. Oportet itaq; hoc vnà cum sensibili in quadam passionis cõmunione & in vna materia conuenire, & hoc quidem pati, aliud verò quiddã cognoscere passionem, talemq; fieri passionem, vt seruet quidem nonnihil efficientis, non tamen sit idem. Verùm id quod patitur tanq; medium quiddam inter passionis auctorẽ atq; animam, habere passionem inter sensibile & intelligile mediam: quod quidem congrua vtrinq; proportione inter se extrema conciliet, sitq; acceptor simul & nuntius: quippe cùm cõmodè reddi possit vtriq; consimile. Cùm enim cognitionis alicuius in-

A cuius instrumentum sit, oportet neq; cognoscenti, neq; cognoscendo idem esse, sed facilè admodũ vtriq; simile fieri, externo quidẽ obiecto propterea quòd patiatur, intimę verò virtuti, quia species quędã sit eiusmodi passio. Quamobrẽ si rectè loquimur, oportet sensus per instrumenta corporea fieri: hoc enim & ei cõsequens est quod diximus, animã si omnino sit extra corpus, nullum sensibile percepturã. Instrumentũ verò necesse est aut totum corpus esse, vel membrũ aliquod ad certum opus determinatũ, velut in tactu atq; visu videmus accidere. Tum verò facilè quiuis aspiciet artificũ instrumenta media inter iudicantes atq; iudicata, significãtiaq; iudicanti subiectarũ rerum proprietatẽ. Regula enim accommodata rectitudini, tum quæ est in animo, tum quæ est in ligno, recteq; in medio posita iudici dat iudicandi operis facultatẽ. Alterius verò disputationis esset inquirere, vtrum coniungere prorsus oporteat instrumento id quod est iudicandum, an etiam per aliquod medium procul à re sentienda distante fiat sensus: ceu si ignis sit procul à carne, medio nihil patiente: vel sicut si vacuum quiddam sit medium inter visum atque colorem, nunquid videri possit, instrumento præsente potentiæ. Constat autem sensum ad animam pertinere in corpore duntaxat viuentem, atque per corpus expleri.

MARSILIVS.

Cùm animã corpori coniunctã necessariò consequatur sensus, animę sphærarũ stellarũ mundi sentiunt. Mundus sentit per aliã sui partẽ, uicissim partẽ aliam: item per totũ partes. Præterea totius habitudinẽ quasi quodã sui cõsensu sentit: per amplissimã sphærã præcipuè quasi per oculũ intus omnia contuet. Si enim tu per oculũ tuum, quoniã animatus est, & diaphanus atq; lucidus quãplurima uides, ac per radiũ eius ad cælestia procedentẽ cælestia suspicis, cur non & mundus per cælestẽ oculũ suum uiuum, perspicuũ, lucidum, radiosq; suos ad omnia diffundentẽ omnia cernat? Cap. XXIIII.

B

PLOTINVS.

SEd nunquid vtilitatis solius gratia tributus à natura sit sensus, ita est indagandum? Profectò si animę, dum sola viuit, sensus minimè cõuenit, sed vnà cum corpore adhibent & sensus, nimirũ propter ipsum corpus, ex quo & sensus prodeunt, ac propter corporis societatẽ datus est sensus: siue ex necessitate aliqua consequatur, dũ quicquid patitur corpus, modò sit passio vehemens, ad animã vsq; pertrãsit: siue prouisum sit, quo videlicet caueatur, anteq; passio vsq; adeò inualescat vt perdat, vel prius q̃ nimis propinquet, quod passionẽ infert. Quod si ita est, gratia vsus dati sunt sensus: & si enim ad notitiã dati sint, non ei qui cognitionem possideat, ita sunt dati, sed ignaro ob infortunium, & obliuioso, vt quandoq; reminiscatur: sic vtique ei qui neque egeat, neque obliuiscatur, minimè fuerint attributi. Verùm si id ita se habeat, non solùm considerandũ erit nobis de terra, sed de omnibus stellis, præsertim de toto cælo atque mundo. Partibus enim ad partes quibus & pati contingit secundũ præsentem rationẽ sensus quoque cõueniet. Toti verò ad seipsum qúisnã sensus inerit, quum ad seipsum passionis vbique sit expers? etenim si oportet aliud quidem esse sentientis instrumentum, aliud verò præter instrumentum id esse quod sentitur; vniuersum verò est & totum, nimirũ nõ erit in eo aliud quidem per quod efficiatur sensus, aliud verò quod sensu percipiatur. Cæterùm oportet ei consensum quidem sui ipsius quendam tribuere, quemadmodum & nos quendam nostri consensum in nobis habemus: sensum verò qui semper intendatur in aliud, minimè: quoniam & nos quando præter habitum naturalem aliquid singulatim in corpore nostro percipimus, accedens quiddam ab externis tunc attingimus. Verùm quemadmodum in nobis non solùm externorum est apprehensio, verùm partiti etiam erga partem, qúidnam prohibet mundum etiam per inerraticam regionem erraticam intueri, pérque hanc prospicere terram, & quæ in terra sunt contueri? Quòd si hæc differentes ab alijs passiones habent, nihil prohibet

C

D differentes quoque ſenſus habere. Præterea viſionem inerraticæ regionis non ſolùm eſſe ſecundum ſeipſam, verumetiam hanc ipſam regionem eſſe quaſi oculum, ea quæ videt totius animæ nuntiantem: &ſi enim paſsiones alias non admittit, quid tamen obſtat quo minus videat tanquam oculus, cùm ſit lucidum quiddam & animatũ? Sed hîc obſtare Plato videbitur dicens, cœlum oculis non egere: verùm & ſi nihil relictum eſt extra videndum, ideoq; non eiuſmodi indiguit oculis, attamen intus ineſt quod videatur, nihilq; prohibet videre ſeipſum. At ſiquis obijciat, non expedire ſenſum, quia vanũ ſit ſeipſum cernere: eſto quidem non ex principali quodam conſilio mundus ſic viuendi gratia cõſtitutus, ſedenim ita natura comparatum, id quoq; neceſſariò conſequatur: ideoq; nihil obſtabit, quin per corpus eiuſmodi perſpicuum videatur.

MARSILIVS.

Animæ ſphærarum ſtellarumq; & anima mundi humana uident atque audiunt: ſed interim talia ſe ſentire minimè ſentiunt, quoniam imaginatio ad quam talis animaduerſio pertinet, intentiſsima ſemper eſt ad intelligentiarũ notas in ſe fingendas. Et ſi ſentire ſe noſtra forſan non animaduertunt, tamen precantibus beneficiunt, qualicunq; ſenſu & occulto quodam naturæ conſenſu. Hæc Plotini ſententia eſt inter obiectiones ex textu mendoſo. Dicet fortaſſe quiſpiam imaginationes cæleſtium
E animarũ adeò efficaces eſſe, ut uel intelligibiliũ notas deriuẽt in ſenſibilia, atq; ita intrinſecus quodãmodo ſentiant, uel ſimul ualeant tam ſenſibilia q̃ intelligibilia muris quibuſdam modis imaginari.

PLOTINVS. Cap. XXV.

FOrtè verò non ſatis eſt adeſſe inſtrumentum per quod agatur ad hoc vt videat, omninoq; ſentiat, ſed oportet animam ſic ſe habere, vt quodammodo ſenſibilibus annuat. Animæ verò ipſi cõuenit, vt ſemper penes intelligibilia ſit, ac ſi fieri poſsit, vt ſentiat, non propterea id ei conueniet, quòd intelligibilibus ipſis incumbat: quãdo & nos dum impenſius intelligendis incumbimus, latent interea viſiones ſenſusq; alij: & omnino ſi intendimus in aliud diligenter, cætera latent. Quinetiam ſi alia ſui parte partem aliam apprehendere ſtudeat, velut ſi ſeipſum perſpiciat, ſuperuacuũ id quidem etiam in nobis erit, ac niſi alicuius gratia id agatur, erit vanum: tum ſpectare aliud tãquam pulchrum, patientis eſt atq; indigentis. Olfactum verò atq; auditum, guſtumq; liquorum diſtractiones quaſdam & ductus quoſdam animæ circum ad exteriora tendentes quiſpiã ponat, Solem autẽ ſtellasq; alias per accidẽs videre atq; audire. Quòd ſi per vtraq; ponat conuerti, non erit abſurda poſitio: verũ ſi conuertantur, etiam rerum meminerint humanarũ: fortè enim abſurdum foret, niſi recordentur eorum quibus ſedulò benefaciunt: alioquin niſi ſint memores, quomodo benefacient?
F

MARSILIVS.

Sphæræ mundi ſtellæq; ſenſus habent, & preces noſtras exaudiunt. Cæleſtia uiſum quidem habent, etſi ſpecie differentem à noſtro uiſu, generali tamen natura conueniente m, natura ſcilicet uiua, perſpicua lucida. Dicuntur & auditũ habere, ſed genere quodam ab auditu noſtro longè diuerſum, quia uidelicet audientium exaudientiũq; more ſæpe uouentium preces impleant. Inter omnes mundi partes quaſi unius animalis membra dicitur eſſe communio quædam uel contiguitas, uel continuitas, aut unio, cuius quidem quinque fundamenta uidentur: Primum eſt una omnium ubique materiã. Secundum concordia qualitatũ: nam ſicut elementa quamuis diſcordia, quibuſdam tamen proximis inter ſe qualitatibus concordia ſunt, ſic & rerum omniũ gradus ſiue componantur ex elementis, ſiue non componantur, quamuis inter ſe differentes, tamen concordibus uicißim terminis ſe contingunt. Tertiũ ſpiritus ubiq; unus: nam ſicut cælum unus eſt ſpiritus in excelſis, ſic intra cælum unus inde ſpiritus uel cæleſtis omnino, uel cælo ſimillimus omnibus eſt infuſus, quo & cęlitus regantur omnia, & anima mundi inferioribus quoq; corporibus per ſpiritum coniungatur, & omnia per hunc uimentia coaleſcant: ſpiritũ intellige ſpiritui noſtro conſimilem. Quartũ eſt una natura genita Iis omnia fouens per ſpiritũ ſequentib. colligata. Quintũ anima mũdi ubiq; una per naturã ſpiritui cęterisq; cõnexa. Per hãc igiſ unionẽ fundamẽtis quinq; conſtantẽ, uehemẽtiſsimus quiſq; morus ſiue uouentiũ peruenit ad cæleſtia, ſiue cæleſtiũ peruenit ad uouentes: præſertim ſi nõ ſolùm aia mũdi, ſed etiam diuinæ omnes ſunt ubiq; præſentes: quibus alicubi potius actiones ſuas quandoq; declarent.

Quod

A Quod uelle uidentur Plotinus Porphyriusq; & Iamblichus. Præsentissimus autem singulis adest primus ipse Deus omnium potentissimus, imperioq; latissimus: anima terræ sensus omnes exercet per spiritum ibi quasi cælestem & cælestium radijs illustratum, suæq; naturæ subiectum, & terrena regentem: præterea preces exaudit. Cap. XXVI.

PLOTINVS.

COgnoscunt & vota nostra velut secundum quendam contactum certámque habitudinem cunctorum vbique contemperatam: eadémque ratione procedunt effectiones. Quinetiam in magorum artibus totum peragitur in contiguum. Hæc autem in viribus quibusdam consistunt, se inuicem mutua quadam compassione sequentibus. Si verò id ita se habet, cur non & terram sẽtire dicamus? Sed quos nam huic sensus attribuemus? Primò quidem cur non tactum? siue parti ad partem, sensu videlicet ad ipsum principale traducto: siue totum ipsum ignem & alia sentiat. Nam & si terrenum corpus ineptum est ad motum, non est tamen immobile: sentiet autem non minima quæque, sed magna. Sed cur ista sentiet? Fortè quoniã necesse est prẽsente hîc anima, motus maximos non latere. Obstat verò nihil ob hoc etiam terram habere sensum, vt videlicet quæ ad homines pertinent, bene disponat, quatenus scilicet ad ipsam humana officia pertinent. Disponet autem bene quasi quadam compassione, siue consensione: neque prohibet quicquam audire precantes precibúsque annuere, neque tamen qua ipsi conditione solemus. Alijs quoque sensibus vti ad seipsam atque alia velut circa odores atque sapores alijs notos. Fortè olfactu liB quorum vti expedit ad animalium prouidentiam atque culturam: item ad corporis proprij cultum. Non tamen exigẽda sunt talia, qualia in nobis sunt instrumenta. Neq; enim in omnibus animalibus eadem sunt, velut aures non in omnibus, & quæ non habent aures nihilominus sonos apprehendunt. Visus autem si modò huic lumine opus est, quonã modo terræ aderit? Etsi enim oculi requirendi non sunt, lumen tamen deesse non debet. At si postquam concessum est, vegetalem inesse naturam, consequenter est concedendum, hanc ipsam naturã esse quasi quendam spiritum, ideóque illam primò sic se habere. cur nam diffidẽdum sit, esse rem quoque perspicuam, cum sit spiritus? Imò verò fatendum, ex eo quòd spiritus est, esse perspicuum, & cum illustretur à circulo, esse actu perspicuum. Quapropter neque absurdum neque impossibile putandum est animam terræ videre. Meminisse verò oportet hanc ipsam non esse vilis cuiusdam corporis animam, ideóque intelligere esséque deam: omnino enim oportet animam ipsam bonam semper existere.

MARSILIVS

Terram habere animam apparet ex plantis lapidibusq; crescentibus, quidem quandiu terræ radiC citus inhærent, contrà uerò nequaquam. Sicut in animali dentes, ungues, pili, in plantis terræ hærentibus apparet uirtutis genitalis effectus: ipsa uerò uirtus in eis propria nulla uidetur esse, alioqui etiam auulsæ per uirtutem propriam pariter coalescerent. Vegetalis igitur ipsa uirtus non tam est propria quàm communis scilicet in anima terræ: item masculina uirtus & fœminina, idest, generandi & concipiendi quæ in animalibus sunt discretæ, coniunctæ sunt in plantis, in eodem plantæ corpore. ob hoc duntaxat, quia natura plantæ ita est inserta communi naturæ, sicut plantæ corpus communi corpori. Vis autem masculina & fœminina ad naturam pertinentes coniunctæ sunt in uniuersali natura, quamuis in alijs separatæ. Sicut uisus ubi perfectus est uim perspicacem habet cum illuminante coniunctam, similiter intellectus. Sic Orpheus naturam mundanúmque Iouem marem appellat & fœminam, similitérque Mercurius. Hac ratione aeris animam Iouem, Iunonémque appellant. Animam terræ non solùm Cererem atque Vestam, sed etiam Plutonem cũ Proserpina coeuntem. Coniunxit uerò natura utrunque sexum in arbore, quia nequit hæc ad aliam coeundi gratia progredi, quamuis alibi preualeat alter: tunc oportet plantas appropinquare.

Cap. XXVII.

PLOTINVS.

D Si ergo plantis tribuit vim genitalem, vel vim ipſam eis præſtat, vel in ſe quidem eam ſeruat, eius verò veſtigium concedit plantis, atque ita affecta iam erit planta, vt caro iam animata: & hac conditione plantæ ſi genitalem qualitatem habent, inde traxerunt. Quum verò inſit, præſtat plantæ corpori quod eſt melius, quo videlicet ab eo diſcrepat quod eſt amputatum: neque planta eſt vlterius, ſed duntaxat eſt lignum. Ipſi verò terræ corpori quidnam anima ipſius attribuit? nempe non eſt putandum idem eſſe terrenum corpus ab ipſo toto deciſum, atque illud quod eſt toti continuum, quod & lapides ipſi demonſtrant, creſcentes quandiu terræ quaſi radicitus hærent, qui ſi eruantur, vlterius minimè augentur: quo circa putandum eſt vnamquanq; partem quoddam in ſe habere veſtigiũ. Super hoc autem vniuerſum vegetale ſeipſum diffundere, quod quidem nõ amplius huius eſt, aut illius, ſed terræ totius: Deinde ſenſualis ipſius naturam non vltra commixtam corpori, ſed incubantem: Præterea aliam animam atque mentem, quam quidem Veſtam & Cererem nominant homines illi qui oraculo ingenioq; diuino freti, hæc ipſa vaticinantur.

MARSILIVS.

E Vegetalis genitalisq; natura animæ in complexione humorum imprimit quoddam uitale ueſtigium, ex quo corpus uitaliter euadit affectum: in quo quidem ſic affecto ſunt paſsiones animalis corporeæ perturbationumq; principia. In toto quidem uoluptas corporalis, & dolor in iecore potiſsimum concupiſcendi principium. In præcordijs maximè principium iraſcendi, ibi enim nutritio uiget & generatio, hic autem uigor igneus. Motus autem iracundiæ aut quaſi extrinſecus exordiuntur aut intrinſecus. Extrinſecus ira, quando illata foris corpori paſsione ad primum ſenſus motum feruet uigor igneus, imaginationemq; mouet, & per hanc prouocat rationem. Intrinſecus ira, quando ratio uel imaginatio iniuriam excogitans humorem feruentem incitat. Libido quinetiam prochiuitatem habet in corpore, & quandoque ex ipſo corpore ſeminibus quaſi turgido ſuſcitatur: quandoque ex primo aſpectu corpore incitato, imaginationemq; mouente uel etiam rationem: aliquando uerò ex imaginatione, uel etiam ratione oblectamentũ excogitante, corpusq; mouente. Sunt autem cõcupiſcendi & iraſcendi uires quaſi germanæ: nam procliues ad libidinẽ: ſunt etiam propenſiores ad iram, atq; uicisſim, ut non immeritò Martẽ cum Venere poetæ coniunxerint. Cap. XXVIII.

PLOTINVS.

DE his quidẽ hactenus ita ſit dictum. Regrediendũ verò iam vnde digreſſi ſumus, atq; de ipſa iraſcendi virtute quærendũ, nunquid ſicut principiũ cupiditatũ, doloresq; & voluptates, non dico quæ ſint ſenſus, ſed paſsiones, poſuimus in corpore certa quadam ratione iam affecto, ſcilicet tanquã viuificato, ſic & initiũ iraſcendi ponere debeamus? & nunquid omnem iracundiã in toto
F quodam tali corpore collocare, vel potius in parte quadã corporis velut corde ſic affecto, vel bile, non quaſi vita carentibus? Itẽ nunquid aliud ſit quod tribuat animale veſtigiũ? vel hîc animo ſitas ipſa vnum quiddam ſit non dependens ab altera iraſcendi vel ſentiendi virtute? Ibi quidem vis ipſa vegetalis toti corpori præſens imprimit corpori toti veſtigium: itaq; dolere & oblectari toti contingit, principiumq; appetendæ ſaturitatis verſatur in toto. De ipſa verò libidine Veneris nihil eſt definitum: ſed eſto circa membra ad munus eiuſmodi conducentia. Sit vtiq; locus iecoris concupiſcendi principium, quoniam vegetale illic agit quãplurimum: quod quidẽ iecori totiq; corpori animale præſtat veſtigiũ? Ibi verò ſit inquã, quoniã ibi incipit actio. Sed de iracundia quæritur, quid ipſa ſit, & quænam anima, & nunquid ab ea circa cor veſtigiũ imprimatur, vel aliud quiddam motum conferentẽ in ipſum cõmune perficiens: aut hic non veſtigiũ, ſed ipſam excandeſcentiam præbeat. Principiò igitur quidnam ſit ipſa vis iraſcendi, videtur inueſtigandũ. Conſtat verò nos iraſci ſolere, non pro his tantùm quæ corpus patitur, ſed pro his etiam quæ chari nobis homines patiuntur, atq; omnino eorum cauſa quæ indignè, aut nobis aut noſtris inferri putamus: quapropter

A propter in ipſa iracundia opus eſſe ſenſu & intelligentia quadam videtur. Itaque ad hæc aſpiciens aliquis, non ex ipſo vegetali, ſed ex alio quopiam iracundiam ducere originem arbitrabitur. At quãdo affectiones quaſdam corporum procliuitas ad iracundiã ſequitur, & quãdo ſanguine bileq; feruentes, ſunt proniores ad iram: contrà verò tardiores, qui bilem ſanguinémue habent frigidiorem. Item bruta vltra corporum compoſitiones ex eo duntaxat quòd aliquis læſurus appareat, prorumpunt in iram. Rurſus per hæc aliquis impetum iracundiæ ad corpoream præcipuè qualitatem, idq́ue quòd conſtitutionem continet, animalis facilè referet. Et quando ijdem homines quum ægrotant, ad iram propenſiores ſunt quàm quum bene valent: ſimiliter quando ieiuni iracundiores ſunt quàm ſaturi, patet ad corpus certo modo affectum, iram vel irę principium pertinere, atque bilem vel ſanguinem quaſi animatum hos impetus incitare: ideóque tali hoc corpore patiente repente moueri ſanguinem aut bilem, ſenſuq́ue excitato imaginationem etiam expergiſci: quæ quidem experrecta, prouocet animam cum tali corpore communicantem eum ipſum inuadere qui mo leſtiam intulit. Conſtat quinetiam animam deſuper ratione vtentem tunc moueri, quum illata videatur iniuria, etiam ſi affectio corporis tunc ad ſcandeſcentiam non impellat, quaſi hæc animoſitas naturaliter inſtituta ſit ad declaratum hoſtem protinus inuadendum, & more commilitonis imperante ratione pugnandum. Eſt igitur in nobis quod abſque ratione prouocari ſolet, prouocatúm
B que deinde per imaginationem conuocare ad idem etiam rationem. Eſt etiam quod exorditur à ratione, deſinítque in illud quod naturaliter excandeſcit. Proinde ab ipſa vegetali genitaliq́ue natura tam iraſcendi quàm concupiſcendi fomes pullulare videtur: quippe quum hæc ipſa natura ſic affecerit corpus, vt iucunda moleſtáque apprehendat: item amaram infuderit bilem, ſicq́ue affecto veſtigium impreſſerit animæ. Quod quidem quum in tali quodam ſit circa moleſta ad iracundiam irritatur, & quum ipſum malè à principio ſit affectum, cætera etiam nititur deprauare, & quaſi ſibi ſimilia reddere. Eſſe verò hoc animæ veſtigium alterius veſtigij cognatum eſſentia, id nobis argumento eſſe poteſt: quod qui oblectamenta corporea minus appetunt, corpúſque negligunt, minus ad iracundiam prouocantur, minúſque irrationali paſſione feruntur. Arbores verò iracundiam non habere, quamuis naturam habeant vegetalem, mirum videri non debet, quando neque ſanguinem neque bilem habent: vbi enim hæc inſunt abſque ſenſu æſtus tantùm ſuboritur, ac velut offenſio quædam. Senſu verò adueniente impetus iam inſurgit ad id quod offenderit expugnandum. Verùm ſi irrationalis animæ pars diuidatur in concupiſcendi & iraſcendi virtu
C tem, & illa quidem ſit vegetalis: vis autem iraſcendi ſit illius veſtigium circa ſanguinem aut bilem, aut vtrunque, non rectè è contraria parte diuiſio fiet: quippe quum horum alterum prius ſit, alterum verò poſterius. Forſan verò nihil prohibet vtrunque poſterius eſſe, diuiſionemq; eiuſmodi eſſe duorum naſcentium ab eodem: eſt enim diuiſio appetentium qua ratione appetentia ſunt, non autem eſſentiæ, vnde talia prouenerunt. Eſſentia verò illa ſecundum ſeipſam non eſt appetitus, ſed fortè perficiens appetitum, ſcilicet ſibi coniungens actionem ab appetitu prouenientem. Denicq; non eſt abſurdum dicere veſtigiũ animæ in animoſitatem excidens in præcordijs eſſe ſitum: nõ enim hîc animam propriè, ſed talis cuiuſdam ſanguinis fontem eſſe putandum.

MARSILIVS.

In corpore animato non ſolùm eſt anima & actus uiuificus animæ continuus, ſicut luminoſo lumen in corpus ſuum emicans: ſed etiam eſt quoddam uitale ueſtigium quaſi ſub lumine calor. Calorem dico naturalẽ ſpiritumq; moribus aptum, qui ad breue reſtare poteſt in corpore poſt diſceſſum animæ, & motum quendam edere: nulla uita, nullum uiuificum perit, ſed nunquid hoc uitale ueſti-

D gium? Profectò ibi naturalis calor breui eſſe deſinit, ſpiritus quoq; naturalis citò reſoluitur. Vitalis autem & animalis poteſt diutius ſupereſſe, & ſequi animã contentus ab anima uelut coagulo, futurum quaſi fermentum aerio corpori poſt obitum congregando, afficiendoq; uitaliter. Sin autem in ueſtigio hoc uitali cogites eſſe aliquid præter calorem atq; ſpiritum, quod ad animam lumenq; eius ſe habeat nõ ut calor, ſed ut ſplendor reſultans ex lumine animæ, id quidẽ non perit, ſed lumen abeuntis animę comitatur. Opinatur lumen nullo modo ab illuminato, ſed tantũ à luminoſo pendere, idq; ſemper ſequi unà cum ſplendore quomodolibet reſultante. Tangit opinionem dicentem, omniũ colorum uires & quaſi floſculos eſſe in lumine: neq; perire, ſed latêre potius, & iterum apparere. Item lumina quę uidentur extingui, non diſperdi, ſed in perſpicuum aeris lucidumq; eius occultum nobis obire: denicq; quicquid in nobis uitę inferioris eſt, noſtrã ſequi ſuperiorẽ, neq; perire, ueſtigiũq; uitale in corpore ſeruari ab alia uel ꝓpria uel cõmuni, ſaltẽ ad tẽpus, poſtq̃ propria deſeruerit. Ca. XXIX.

PLOTINVS.

CAeterùm ſi animatum corpus non illuminato, ſed calefacto corpori ſimile eſt, cúr nam poſt alterius animæ diſceſſum corpus nihil habet vitale? Forſan verò habet, ſed ad breue: citò enim euaneſcit, quemadmodum & à rebus calefactis quum ſemouẽtur ab igne, citò calor extinguitur: cuius quidem rei inde ſumitur argumentum, quòd etiam in corporibus defunctorum naſcuntur pili, & augentur ungues: Quódue animalia multa poſtquam ſecta ſunt, mouentur ad tempus, quod forſan propterea fit, quia adhuc vitæ nonnihil eſt reliquum: Quòd etiam ſi cum altera anima ſimul habeat, non tamen id ſignum erit ſufficiens ad probandũ nobis non id eſſe diuerſum. Etenim abeunte ſole, non ſolùm
E continuum ei lumen, penesq; ipſum quamproximè pendens, ſimul abit: verum etiam ſplendor qui ab hoc dependet, extra ipſum in ſubiectis inſpectus ab ipſo differens vnà diſcedit. Sed nũquid diſcedit vnà, an mox extinguitur? Id autem & in lumine tali iam facto eſt indagandum, atque in vita infuſa corpori, quam quidem eſſe propriam corporis arbitramur. Conſtat profectò nihil omnino luminis in corporibus illuminatis reliquum fieri. Sed quæritur, vtrum in ſuum refluat fontem, an diſperdatur. Sed quónã pacto eſſe prorſus deſinit, ſi prius erat aliquid? Et omnino quid erat? Putabit verò quiſpiam ipſorum corporum à quibus eſt lumen, eſſe aliquid lumen, quod & color dicitur. Et quãdo hæc ipſa corpora ſunt caduca, pereuntibus ipſis colorem quoq; lucidum ſimul perdi: ideóque nemo perquirit, igne iam extincto, vbi ſit eius color, ſicut neq; vbi ſit figura. An forte figura quidem habitudo quędam eſt, ſicut contractio manus atque dilatatio? color verò non ita, ſed ſicut dulcedo ſe habet. Quid enim prohibet, quominus perdito dulci corpore, dulcedo ſuperſit, odórque ſimiliter, deſtructo corpore odorato? atque in alio quodam reſtent corpore, neque ſentiantur tamen, propterea quod participantia corpora non ſint talia, vt qualitates acceptas ſenſibus referãt. Similiter quid obſtat, lumen deſtructis prioribus ſuis cor-
F poribus remanere? Nihil verò luminis, vt ſolebat, ad oculos alicũde reflecti? niſi forte quis dicat ſimiliter ſe mente videre illas etiam quæ qualitates dicuntur, in ſubiectis non eſſe. Verùm ſi id admittatur, admittemus etiam qualitates incorruptibiles eſſe, neque in ſubiectorum conſtitutionibus generari, neque rationes quæ ſeminibus inſunt, colores efficere, ſed velut in auibus quarum plumæ variæ nobis occurrunt, colores iam inſitos quidem, ſed diſtractos in vnum colligere, forte etiam facere, ſed inſuper vti coloribus qui in aere ſunt talium pleno. Eſſe enim in aere hæc, non tamen omnino talia, qualia quum in corporibus generantur, nobis apparent: ſed iam dubitatio talis hic ita iaceat. Si autem manentibus corporibus lumen inde pendet, neque ſeparatur, quidnam vetat, lumen vnà cum moto corpore commoueri, tum proximè pendens: & ſiquod dependet à proximo, quamuis quum abit, non videatur: quemadmodum neque quum accedit, apparet. De anima verò alibi diſputabitur, num ſequentia vbique præcedentia comitentur, & quæ deinceps ſemper eadem connexione. An

forte ſin-

A fortè ſingula in ſe conſiſtant, etiam ſi à prioribus deſerãtur, poſsintq; in ſeipſis perſeuerare? An potius nulla omnino pars animæ diſiungatur, ſed omnes animæ vna ſimul atq; multæ ſint, & qua potiſsimùm ratione? Sed quidnam dicemus de veſtigio illo animæ, quod iã corpori velut propriũ eſt impreſſum? Fortè ſi hoc ipſum eſt anima præcedentis animæ comitabitur rationem, ſiquidem ab ipſa animæ ratione minimè ſegregatur: ſin autem eſt velut vita corporis propria, eadem hîc erit conditio, quæ & cum de imagine luminis paulò antè dubitabatur. Eſt enim conſiderandum nunquid vita abſq; anima eſſe queat: niſi fortè id fieri poſsit, quatenus quædam aſsiſtat anima in aliud agens.

Hactenus in commentarijs Euſtochij ſecundus de anima, atq; hîc incipit tertius: In commẽtarijs verò Porphirij quæ ſequuntur, ſeptimo coniuncta ſunt.

MARSILIVS.

STellæ uiſum auditumq; habent, memoria uerò non indigent: præterea preces exaudiunt. Sicut qui corpus ſuum opportunè lumini Solis exponit, naturaliter inde fouetur, ita qui animum ſpiritumq; ſuum per uotum ſuperiorum influxibus applicat, ubiq; præſentibus beneficia inde reportat naturaliter influctia. Antiqui aliqui præter Solem ſtellas etiam adorabant: plurimi uerò præſertim Platonici atq; id genus Philoſophi, ſolùm adorabant inter cæleſtia Solem. Orationem ad Solem cõpoſuit Innianus & Iamblichus. Solem Plato filium & imaginem ſummi Dei uiſibilem appellauit:
B Solem Socrates orientem ſalutans extaſim ſæpe patiebatur: Orienti Soli Pythagorici hymnos lyra canebant. De cultu quidẽ Solis illi uiderint: Deus certè in Sole poſuit tabernaculũ ſuũ. Cap. XXX.

PLOTINVS.

POſtquam verò memoriam ſtellis eſſe diximus ſuperuacuam, dedimus autẽ ſenſus, neq; viſum duntaxat, ſed & auditum: præterea preces exaudire conceſsimus, quas ad Solem dirigimus: alij verò quidam ad alias quoq; ſtellas: Credunt enim multa precibus ſe ab illis impetraturos, atq; adeò facilè, vt non ſolũ iuſtis officijs, ſed ſæpe etiam iniuſtis patrocinentur. Cum inquam dubitationes eiuſmodi incidant, in præſentia nobis diligenter conſiderãdum. Habent enim hæc in ſeipſis maximas vulgatiſsimasq; dubitationes, apud eos præſertim qui grauiter ferunt cenſeri deos adiutores auctoresq; operum iniquorum, tum aliorum, tum etiam amoris incontinentisq; concubitus. Itaq; & horum cauſa, & maximè memoriæ illorum gratia, de qua eſt à principio dictum inueſtigandum eſſe videtur. Conſtat enim ſi modò faciunt quæ precamur, neq; illico faciunt, ſed in poſterum, ac ſæpe poſt longum tempus, humanas preces memoria conſeruare. Prior verò ratio nobis adducta id minimè concedebat: ſed quantum ad col-
C lata hominibus beneficia pertinebat, tale videbatur eſſe, quale ſi à Cere atq; Veſta, ideſt terra conferri dicantur: niſi quis forſan ex terra ſolùm beneficia hominibus conferri dixerit. Conandum eſt igitur vtraq; demonſtrare, & qua ratione memoriæ munus eis attribuamus, quantum videlicet ad nos ſpectat, non quantum ad ea quæ videntur alijs, qui memoriam ſtellis dare non vetant, & quid de illis dicendum ſit, quæ ab ipſis perperam fieri videntur. Quod quidem philoſophiæ officium eſt, conſiderare ſcilicet ſi quo modo ſoluere dubitationes datur aduerſus cæleſtem Deum hominibus incidentes: item & aduerſus vniuerſum mundum, in quem etiam criminatio eiuſmodi tendit, velut cauſam iniquorum: ſi modò præſtanda eis eſt fides, qui vniuerſum quoq; cælum audacia arteq; humana, quaſi magicis quibuſdam carminibus ad votum adduci putant. Quærendum erit inſuper de dæmonibus, quónam pacto talia ſubminiſtrare dicantur: niſi fortè ex ipſa ſolutione priorum, ſolutionem quoq; horum acceperis.

MARSILIVS.

ACtiones aliæ quidem naturales ſunt, aliæ autem artificioſæ. Naturales aut ſunt uniuerſi mundi erga partes ſuas, aut partium ad uniuerſum, aut partium uiciſsim erga partes. Artificioſæ actiones uel deſinunt in opus arte conſtructum, ut ſtatuaria in ſtatuam, uel ad opus naturæ miniſtrant, ut me

D dicina,agricultura,magia,cum qua ſimilitudinem quandam habet oratoria perſuaſio, & poetica muſicaq; lenocinia. Actiones cæleſtium ad inferiora non ſolùm fiunt per calorem & aliam elementis ſimilem qualitatem,ſed per uires quaſdam à notis qualitatibus longè diuerſas. Quòd enim differentiæ in nobis morum,ingeniorum,profeſsionum,fortunarum per cæleſtia uel fiant uel portẽdantur,non poteſt referri ad differentias qualitatum cæleſtium ſimiles elementis. Neq; etiam conſilio & electione cæleſtia in nos agunt ſingula,alioquin & illorum animi ſolliciti ſemper erunt, & quotidie miniſtri malorum. Cap. XXXI.

PLOTINVS.

OPeræpretium eſt generatim actiones omnes & paſsiones cõſiderare quę cunq; in vniuerſo fiunt,ſiue natura ſiue arte perficiãtur: & quæ natura fiũt partim ab ipſo toto erga partes fieri affirmare,partim à partibus erga totũ, partim deniq; à partibus ipſis in partes. Proinde quæ aguntur arte,duobus potiſsimum modis aguntur:aut enim ars ſicut operis dedit initium,ſic ipſa quoq; artificioſum operi finem imponit:aut viribus inſuper vtitur naturalibus ad operũ naturalium actiones paſsionesq; perficiẽdas. Vniuerſi verò actiones dico,quibus totus ipſe mundi circuitus in ſeipſum agit,aut in partes. Dum enim euoluitur,tum ſeipſum certa quadam conditione diſponit,tum partes ſuas ſecum ipſo
E componit: partes inquam,tum quæ in ipſo circuitu ſunt,tum quæ ſunt & inde diſtribuuntur in terris. Partium item ad partes actiones & paſsiones omnibus fermè manifeſtæ ſunt,Solis videlicet erga cętera ſuper habitudines & effectus, atq; etiam in terrena:rurſus, quæ in alijs elementis aguntur tam ab ipſo quàm à cæteris:præterea tam eorum quæ in terris,quàm quæ in alijs elementis mutuæ actiones paſsionesq; ſunt, de quibus ſingulatim conſiderandum eſſe videtur: Deinde artes quæ ædificia conſtruunt aliaq; opificia fabricant,in tale quiddam ſimiliter deſinunt. Medicina verò & agricultura & reliquæ generis eiuſdem miniſtræ ſunt naturæ,operibusq; naturæ quo naturaliter peragantur, adminicula ſuggerũt. Conſiderare etiam expedit artem oratoriam atq; muſicam, & quę cũ
que voluptate quadam allicit animos,quæ hoc potiſsimùm inter ſe diſcrepant, quòd vel ad melius ducunt,vel ad deterius: quarum in genere perquirendum eſt, quot artes ſint,& quam vim habeant,ac ſi fieri poteſt,in his omnibus id pertractandum,quod ad præſens inſtitutum nobis ſit conducturum,& quoad fieri poteſt in his cauſæ requirendæ. Conſtat proculdubio ipſum mundi circuitũ agere,primò quidem differenter ſeſe diſponentem: deinde etiam quæ intra ſe
F continet,& abſq; controuerſia terrena omnia moderantem,non tantùm corporum conſtitutiones,ſed affectiones etiam animorum:item vnumquodq; cæleſtium in terrena & ſequentia omnia facere. Vtrum verò inferiora hæc in ſuperiora viciſsim aliquid agant,in ſequentibus indagabimus: ſed in præſentia quæ apud omnes aut plurimos comprobata ſunt,ita vt videntur habere ſe permittentes,anniti debemus ea duntaxat quæ ratione nituntur afferre, modum effectionis ab initio repetentes. Non enim dicendum eſt,ſola calida & frigida, cæteraq; talia,quæ qualitates elementorum primæ dicuntur,vel quæ ex harum miſtione conficiuntur,aliquid facere poſſe:Neq; rurſus putandum eſt ſolem facere omnia per calorem,& alium quendam cæleſtium frigore cuncta peragere: quid enim frigidum ſit in cælo & igneo corpore,& igne nullo modo humido? Accedit ad hæc,quòd hac ratione cæleſtium naturarum & actionum differentiam accipere minimè poſſumus. Iam verò ab his multa fiunt, quę in aliquid talium velut in cauſam referri non poſſunt. Quòd ſiquis differentias morum viribus ſupernis attribuat,ſecundum certas conſtitutiones corporum, vel frigoris vel caloris exceſſu tales effectas,quònam pacto poterit etiam inuidias, ęmulationes,aſtutias in hęc ipſa reducere? Verùm ſi & hęc valeant fortunas certè deteriores vel meliores,diuitias,inopias,maiorum nobilitatem,generoſitatẽ propriam,repertos theſauros,quánam ratione in qualitates eiuſmodi referant? Nã

innui-

A innumerabilia quiuis enumerare poteſt, quæ longè remota ſint ab efficacia corporeæ qualitatis ab elementis in animaliũ corpora & animas veniẽtis. Neq; tamen conſilio electioniq; ſtellarũ & vniuerſi ſententiæ horumq; conſultationibus attribuenda ſunt ſingula, quæ ſingulis inferioribus accidunt. Nefas enim dictu eſt, ſuperos erga homines machinari, quo pacto alij quidem fures fiant, alij liberos in ſeruitutem redigant, muros ſuffodiant, ſacrilegia patrent: alij rurſus illiberales & timidi, & in actionibus paſſionibusq; muliebres, moribusq; turpibus deditiſsimi. Talia enim committere atq; machinari non ſolùm non eſt deorum, ſed neq; etiam hominum mediocriter honeſtorum. Fortè verò neq; etiam aliquorũ eſt talia perpetrare, ex quibus interim nulla eis ſit vtilitas prouentura.

MARSILIVS.

CAelum in omnia hæc inferiora agit, non conſilio quodam eligente talia uel taliter agere: neque tantùm corporeis qualitatibus, ſcilicet calefaciendo, humefaciendo, rarefaciendo, uel contrà: ſed naturalibus quibuſdam uegetalis animæ uiribus, ſimilibus quibuſdam uiribus inter conſilium & corporeas qualitates quaſi medijs anima noſtra corporis humores & membra, eorumq; figuras & qualitates quotidie reficit. Cum mundus ſit unum animal, omnia corporea duobus modis ſunt partes mundi: primò, quia ſingula corpora ſunt quædam uniuerſi corporis portiones: ſecundò, quia in quolibet corpore eſt & ipſa mundi anima, & propria quædã huius animæ uirtus efficacia dos huic
B corpori diſtributa. Quatenus ergo corporea ſingula ſunt animalis mundani membra, facilè tum à toto, tum inuicem patiuntur: quippe cum etiam quæ loco inter ſe diſtare uidentur, ſint propinqua, ob mirabilem naturæ unius communionem. Cap. XXXII.

PLOTINVS.

CVm igitur neq; corporeis cauſis, neq; cõſilijs attribuamus illa, quæ extrinſecus in nos cæteraq; animalia, & quæcunq; terrena è cælo proueniũt, quę nam probabilis cauſa reliqua nobis erit? Principiò vniuerſum hoc exiſtimandũ eſt eſſe animal vnũ animalia omnia intra ſe continens, vnam habens animã per ſingulas ſui partes ſe diffundentem, quatenus quodlibet pars eſt eius, pars autẽ eius eſt quodcunq; in ordine ſenſibili continetur: & certè quantũ ad corpus attinet, pars eſt omnino, quantũ etiam mundanæ eſt animæ particeps, eatenus & hac ratione pars mundi cenſetur. Iam verò quæ animam hanc ſolam participãt, vndiq; ſunt & partes: quæ verò aliam inſuper habent animã, ex hoc ipſo habẽt, ne omnino ſint partes. Patiunt autẽ ab alijs nihilominus, quatenus vniuerſi aliquid habent, & ſecundũ illa quę habent cõgruè patiuntur. Profectò vniuerſum hoc quia vnũ eſt, vnumq; animal, vndiq; ſibi ipſi cõpatitur: & quod remotũ in eo videtur eſſe, eſt & propinquũ: quemadmodum in vno quouis animaliũ vngues, cornua, digiti, & aliud quodlibet eorũ, quæ non ſunt proximè poſita, ſed
C quodam intercipiẽte diſtant: vbi patiẽte aliquo nihil patitur, quòd nullo ſit modo propinquũ. Vbi enim quę inter ſe cõſimilia ſunt, nõ cõtinuant ꝓximè, ſed interueniẽte alio diſtãt, tamẽ ſimilitudine ipſa viciſſim cõpatiunt, atq; in id quod ꝓcul eſt poſitũ neceſſe eſt peruenire effectũ etiã non propinqui. At in hoc vniuerſo quod & animal eſt, & vndiq; cõducit in vnũ, nihil adeo loco remotũ eſt, quin cenſeatur eſſe ꝓpinquũ ob ipſam animalis vnius naturã ſibimet vbiq; cõpatiente. Quòd igit ſimilitudinẽ habet erga id quod agit, paſſionẽ accipit non alienã: ſi verò agẽs diſſimile ſit, alienam ſuſcipit paſſionem atq; moleſtã. Neq; verò mirandum eſt in vno viuente actionem ab alio in aliud accidere noxiam, quando & in nobis in actionibus noſtris pars alia ab alia læditur: ſiquidem bilis & ira aliud vt videtur premit & pungit. Tum verò in vniuerſo eſt aliquid animoſitati biliq; quadam proportione perſimile, aliudq; ſimiliter alijs: quinetiam in plantis, alia impedimẽto ſunt alijs, adeo vt & perdant. Hîc verò mundus nõ ſolùm eſt vnũ animal, ſed & multa conſpicit. Quamobrẽ quatenus vnũquodq; cum vniuerſo eſt vnum, ex hoc ipſo ſeruat: quantum verò & multa atq; multa inter ſe concurrunt, paſſim læditur à diuerſo, vbi certè aliud ad propriũ vſum læ

D dit aliud,& pro nutrimento vtitur alio,cum cognatũ ſimul ſit & differens:nẽpe quodlibet ſibimet naturaliter conſulens, quantũ cũ altero congruit accipit in ſeipſum,& quantũ ſit alienũ perdit beneuolentia ſui.Præterea vnũquodq; dum proprium agit opus, interea prodeſt ei,quod opportunè poteſt in ſe aliquid operum eius admittere.Quod autẽ operis imperium ſubſtinere nõ valet,aut perdit,aut afficit detrimento:ſicut quæ igne prætereunte repente areſcunt: vel ſicut animalia minora maiorum curſu raptantur,ſiue calcãtur.Horũ verò omniũ generatio & corruptio.item permutatio ad melius vel deterius ipſam animalis vnius mundani vitã perficit ab impedimento remotã & naturaliter ſe habentẽ: quandoquidem fieri nõ poterat,ita ſingula ſe habere,vt ſola forẽt,vel vt ad ſeipſa fines eſſent,ſeq; duntaxat ſpectarent cum partes exiſtant:ſed ad illud ſpectãdum fuit velut finẽ, cuius & partes ſunt.Item cum differentia eſſe deberent,merito ſingula in vna vita cõprehenſa nõ debuerũt idẽ inter ſe omnino ,ppriúmue ſui perpetuò poſsidere:neq; fieri potuit,vt quicquã eodem ſemper modo peni tus permaneret,ſi mõ permanere debuit vniuerſũ ſuã habẽs in motu ſtabilitatẽ

MARSILIVS.

E TOtus mundus eſt animal unum ratione muſica ſaltans,& ſaltando conſequenter unã ſecum omnia uarians.Anima mundi habet in ſua intelligentia , cogitatione , imaginatione,natura deſcriptas quaſi præſentes futuras omnes reuolutiones mundi ſecundum muſicas earum proportiones: item deſignatos habet omnes euentus,qui uel reuolutiones neceſſariò comitantur in cælis, uél quo modocunq; ſub cælo conſequuntur eaſdem. Ad eiuſmodi muſicam deſignationem quaſi ad cantilenam ſonorumq; cõcentus per affectũ ſequuntur reuolutiones in mundo quaſi geſtus quidam arte tripudiantis. Ipſe quidem ſaltator intentione ſpectat primò inſitam ſibi muſicã:deinde per hãc membrorum mundanorũ reuolutiones:tertiò per eas proſpicit quodammodo quæ inde ſequuntur, uel ſaltem ſignificantur. Poteſt & ſapiens aliquis quaſi muſicus præuidere qualia ubiq; quales ſequũtur reuolutiones mundi,ſicut quales geſtus membrorũ ad quales ſequantur ſoni partes, præterquã ubi uel inepta ſuperis materia non omnino cedit,uel nimis debilis patitur ſupra modum : ſicut & arbitrium hominis poteſt non ſequi cæli tenorẽ,& uicißim humana debilitas ultra modũ inde pati. Denicq; ſicut in chorea paſsiones quædam membrorum uel aliorũ contingunt ultra geſtus artificioſos, ſic & ſimilia quædam ex tripudio mundi contingunt. Cap. XXXIII.

PLOTINVS.

CVm verò reuolutio mundi nihil in ſe fortuitũ habeat,ſed ratione quadam ſpectante ad animal peragatur,oportuit quandam agentis ad patiens eſſe concordiã, & ordinẽ quẽdam in ſe & ad ſe inuicẽ ordinantẽ:adeo vt ſecundũ quãlibet reuolutionis habitudinẽ,rurſus reuolutioni huic ſubditorum ,aliam aliamq; diſpoſitionem oporteat fieri,quaſi tripudium vnum in chorea longè varia faciant. In noſtris ,pfectò tripudijs explicare quis poteſt vtpote manifeſta
F quæ fiunt extrinſecus tripudio conſentanea in qualibet motione ſingulatim aliter ſe permutantibus his quæ conducunt ad choreã,tibijs videlicet & cantilenis cæterisq; coniunctis.Sed nõ ſimiliter tenere quiuis poteſt & declarare partes illius qui tripudium agit ſecundũ figuram quãlibet neceſſariò , dum corpus certa quadam ratione comitat & flectitur conſequendo:in quo quidem aliud premitur,& cohibetur,aliud rélaxatur,aliud quidem laborat,aliud verò reſpiratione quandam in figuratione recipit differẽti.Inſtitutũ ſanè tripudiantis aliud interea ſpectat,dum reliqua conſequẽter ad tripudium patiuntur, & ſaltationi miniſtrant,totamq; vnà perfectè conficiunt.Itaq; ſaltandi peritus poterit aſsignare,quemadmodum in tali quadam configuratione membrũ id corporis alt ius eleuatur,id verò cõtrahitur,illud oc culitur,aliud interim humi deprmitur dum ipſe tripudiator non aliter hoc agi deliberet,ſed in ipſo corporis vniuerſi tripudio diſpoſitionem hanc teneat neceſſariam,huic parti choream peragẽti Eadem ratione putandum eſt cæleſtia facere quæcunq; faciunt,& pleraq; ſignificare:imò verò totũ quidem mundum totam ſui vitam agere,mouentem in ſe

partes

A partes ingentes, semperq; transfigurantem. Habitudines uerò partium tum inuicem, tum ad totum, differentesq; earum positiones præbere cætera sibi consequentia, quasi unum animal moueatur, ita quidem se habentia secundum tales habitudines & positiones atq; figuras, ita uerò secūdū tales, perinde ac si nō sint auctores rerū qui figurant, sed figurator: neq; rursus figurator ipse aliud faciens faciat aliud. Non enim facit in aliud, sed existimandum est ipsum ea omnia esse quæ fiunt: ibi quidem figuras, hîc uerò consequentia figuris tanquam necessarias passiones circa animal sic agitatum: ac rursus circa ita compositum & consistens natura & patiens & agens necessarijs conditionibus in seipsum.

MARSILIVS.

COrpus nostrum tanquam mundi pars sequitur fatalem mundi circuitum. Anima quoq; quatenus obsequitur corpori, potest tamen & magnanimitate passiones corporis parui pendere, & eas arte declinare uel leuare. In uarijs mundi sphæris partibusq; earum, & stellis naturaliter uariæ sunt uirtutes. Sunt & uirtutes uariæ in differentibus ibi figuris ex stellis inuicem firmiter constituris: uirtutes inquam firmæ. Oriuntur & differentes deinceps uirtutes in differentibus figuris, quæ inter stellas perpetua motus diuersitate contingunt. Ad has utique uirtutes tam naturarum quàm figurarum, consequuntur quæ sub Luna fiunt, partim quidem uelut inde necessariò facta, ceu qui saltantis manucapti corripiuntur, partim uerò tanquam liberius consonantia, uelut qui ad sonum chorea mq; gestiunt, & canunt, saltantq; libenter. Figuræ quidem cælestes hæc inferiora significant: naturæ uerò unà cum figuris efficiunt pro dispositione materiæ, Multa uerò figurę significāt, quę nō cælitus, sed aliunde fiunt

B

Cap. XXXIIII.

PLOTINVS.

IVdicandum est præterea nos quando id duntaxat ex his quæ in nobis sunt, quod pars est corporis uniuersi tanquam passurum illi concedimus, neq; totum quod est in nobis, illius esse censemus, tunc ab illo moderata pati: quemadmodum prudentissimi quique ministrantium, partim quidem concedentes dominis, partim uerò sui iuris esse uolentes, modestiora ob hoc ipsum à dominis mandata reportant: utpote qui neq; mancipia sint, neque alieni iuris omnino. Differētiam uerò figurationum necessarium erat fieri, ut nunc efficitur, propterea quòd & currunt, neque pari uelocitate percurrunt. Proinde cum ratione ferantur, differentesq; habitus animalis euadant, ac deinde quæ apud nos fiunt illis compatiantur, rationi consentaneum est perquirere, utrum asserendum sit hæc illa consequi consonantia illis, an figuras habere uires efficiendorum: atq; utrum figuras simpliciter, an potius horum figuras. Non enim eadem figuratio in alio rursusq; in alijs eandem significationem uel effectum affert: quoniā quilibet etiam per seipsum differentem naturam habere uidetur. Fortè uerò rectè dicetur horum quidem figurationem, hæc talia esse dispositionemq; eiusmodi: aliorum uerò eandem existentem in figuratione aliam. Verùm si ita sit, nō figuris ulterius, sed ipsis potius figuratis auctoritatē dabimus, uel simul ambobus, naturis uidelicet eisdem nactis habitum differentem: sed etiam eidē solùm per locum differenti, alia concedemus. Sed quid nam dabimus? effectiones ne, an significationes? Fortè ipsi coniuncto, scilicet figurationi horum propriè ambo, tum effectiones, tum significationes in multis, alibi uerò significationes tātùm. Hæc itaque ratio uires quidem præstat figuris, uires & figuratis: quoniam & saltantium ludentiumq; in chorea habent quidem uim quandam, & manus ambæ, & cætera membra habent quoque figuræ permultam. Tertio uerò in loco sunt quę consequuntur, tum partes in tripudium assumptorum, tum ea ex quibus fiunt, uel quæ ex ijs eueniunt, velut quæ attrectendo confricantur, & nerui, ac uenæ compatientes.

C

D MARSILIVS.

ANima mundi in ipſa idearum ſerie uniuerſum hoc ab æuo contemplata, una ſemel communi elegit electione totum mundi curſum, ita fore comprobans: interea natura uegetalis eius imago ſibi ſubdita abſq; electione ſic totum tranſigit mundi curſum: Singulæ quoq; ſphærarum ſtellarumq; animæ ſe ſimiliter habent ad Deum atq; mundum: & uſque adeo cum anima mundi, tum uoluntate, tum natura conſentiunt, ut omnes in mundo actiones earum rectè poſsint animæ mundanæ actio nominari. Omnes ergo res corporeæ ſunt animalis mundani partes: Omnes rerum naturaliũ actiones ſunt animalis huius motus: Omnes reuolutiones mundanæ ſunt geſtus & quaſi ſermones eiuſdem. Nihil uel in eo, uel ex eo eſt, aut fit fortuitum: ad rationes enim omnia referuntur huic inſitas ſeminales, uel altius exemplares. Singula igitur uel ordine proficiſcuntur, uel ſtatim rediguntur in ordinem. Sol mundi cor plus admodum uitæ naturalis habet atq; affert, quã cæteræ mundi partes. In hoc igitur nonnulli ipſam mundi animam poſuerunt per radios eius uſquequaq; diffuſam: Virtutes rerum naturalium omnes primò ſunt in ſeminalibus rationibus naturæ cõmunis. Hinc mox traducuntur in mundi ſphæras, earumq; figuras tam uolubiles quàm firmas. Hinc in rerum naturaliũ ſpecies, in quibus inde latẽr uires ſuper elementa mirabiles. atq; ex ipſis cæli figuris in figuras inferiores uires quoq; mirificè. Habẽt & uultũ noſtrorũ figuræ proprias quaſdã alliciendi, uel deterrendi uirtutes, unde appareat uim propriã figuris nõ minus quã coloribus ineſſe poſſe. Cap. XXXV.

PLOTINVS

E QVo igitur modo hæ uires ſe habent? Planius enim iterum dicendum eſt, quid nam differentiæ habeat triangulus ad triangulum comparatus, quidue hic habeat agátue ad illum, & ſecundum quid hoc agat, & quouſque, poſtquàm neque corporibus neque conſilijs cæleſtium attribuimus actiones. Non corporibus, quoniam quæ fiunt, non corporis tantùm eſſe effectus apparuit: non conſilijs, quia nefas eſſet deos conſilijs turpia facere. Ad hanc igitur quæſtionem meminiſſe debemus, nos ſupra propoſuiſſe mundum eſſe animal vnum, cunque tale ſit, ipſum oportuiſſe compatiens ſibimet neceſſariò fore: item ſecundum rationem vitæ eius agi diſcurſum ſibimet omnino conſentientem: rurſus in ipſa vita nihil eſſe fortuitum, ſed concentum unum atque ordinẽ: Præterea figurationes omnes ſecundum rationem fieri, certisq; ſingulas numeris: atque animalis mundani partes utraſque quaſi choream agentes eſſe procul dubio quoſdam mundi ipſius actus, tum figuras quæ in eo fiunt, & figuratas ipſius partes, tum quæ hæc ipſa ſequuntur: Atque ita & hac ratione vniuerſum viuere uiresq; ſuas ad hoc ipſum conferre, quemadmodum ſe habentes factæ ſunt ab eo qui omnia rationibus efficit. Exiſtimãdum eſt præterea figuras eſſe quaſi rationes ſiue ſermones, aut animalis ipſius interualla, modosq; numeroſos, & habitus geſtusq; animalis ratione perfectos. Ipſa uerò quæ diſtant & figurantur, eſſe alia membra: eſſe quinetiam animalis uires alias ſeorſum ab electione tanquam animalis ipſius partes: quoniam electionis munus illic quaſi
F accedit extrinſecus, neque ad animalis huius conducit naturam. Vna enim electionis inſtitutio eſt animalis vnius, vires autem aliæ eius ad ſeipſum multæ. Quotcunque uerò in eo electiones ſunt, eódem tendunt, quò tendit & una totius: appetitus enim in his quæ in eo ſunt aliorum eſt ad alia. Accipere enim alia quid aliorum ſtudent, pars videlicet alia partem aliã illius ſcilicet indiga: quin etiam ira quædam naturalis inſurgit in aliud, quando aliquid lædit. Tum verò augumentum fit ex alio, & generatio in aliam partium: ipſum uerò totum in his etiam hæc quidem agit, ſed ipſum bonum ipſum quærit, imò uerò ſuſpicit. Hoc igitur & optio recta quæ paſsiones antecedit exoptat, atque in idem cum hac ipſa conſpirat: quoniam & in his qui miniſtrant alijs, multa quidem opera ad domini mandata reſpiciunt: appetitio uerò boni eodem modo, quo & dominus ipſe ſpectat. Si ergo Sol & aliæ ſtellæ in hæc aliquid agunt, exiſtimandum eſt Solẽ ipſum ſuperna ſuſpicere: In hoc enim vno exempli cauſa de alijs dictũ puta. Interea uerò ſub ipſo terrena caleſcere hac conditione, & ſi quid deinceps traductione quadam animæ quoad fieri poteſt: plurima enim illic eſt anima naturalis.

A turalis: ſimiliter & cæleſtia reliqua in hæc agere quaſi colluſtrando uim ſuam abſque electione præſtantia: atque omnia unum aliquid ita figuratum effecta diſpoſitionem aliam rurſuſq; aliam exhibere, adeo ut ipſæ quoque figuræ uim habeant. Nam ſecūdum ipſum quod ita uel ita ſe habeat, aliter agit, alitérue agitur: atque per ipſa figurata fieri aliquid eſt putandum: Ad hos enim aliud & ad illos iterum fit & aliud: quandoquidem & figuras ſecundum ſe uires habere in rebus quoque noſtris licet aſpicere. Cur enim aliæ quidem figuræ cernentibus ſunt terribiles, vbi etiam nihil paſsi antea fuerint qui terrentur, aliæ verò nihil terrent? Item alios quidem hæ figuræ, alios autem illæ perterrefaciunt. Forſan quia in illum qui ſic eſt affectus, figuræ tales agunt, in alium uerò aliæ, non potẽtes in illud agere, quod non eſt naturaliter huic expoſitum paſsioni: quinetiam ſpectaculũ ita figuratũ aſpectũ ad ſe trahit, ita verò non trahit eundẽ. Et enim ſi quis dixerit pulchritudinem eſſe quod prouocat, obijciemus, cur nam hoc quidem pulchrum hominem hunc, illud uerò alliciat illum, niſi differentia figurarũ in ſe vim habeat? Qua enim ratione fatebimur colores quidem habere vim atque facere, figuras verò non confitebimur? Abſurdum enim prorſus dictu eſt, eſſe quidem aliquid in rerum ordine conſtitutum, nihil tamẽ habere quod poſ-
B ſit: ipſum nanque ens tale eſt naturaliter vt agat aliquid, vel patiatur. Et quibuſdam ſanè attribuendum eſt agere ſolùm, aliis uerò utraque. Sunt & in ſubiectis vires vltra figuras, atque in rebus inferioribus multæ ſunt vires, quas neque calor præſtat, neque frigus: ſed ſubſtantiæ differentibus præditæ qualitatibus, & in ſpecie rationibus conformatæ, uirtutiſq; iam ipſius naturæ participes: quales ſunt naturę lapidũ, & effectus herbarũ multa nobis mirabilia demonſtrãtes.

MARSILIVS.

Sicut uegetalis uita noſtra ſingulis membris, quamuis aliis aliter ſe impertit, uiresq; articulis alias aliis mirabiles inſerit: ſic multoq; excellentius una mundi anima omnes licet aliter alias uegetat mundi partes, atque ipſa innumerabilium mirabiliumq; plena uirtutum quaſi grauida tumensq; exundat in totum: ſingula quidem ſed præcipuè ſuperiora mundi membra uiribus ubique mirificis implens: quas nec elementares uires æmulari ullo modo ualent, neque nos effari facilè poſſumus. Sunt autem eiuſmodi uires quaſi propriæ propagines quædam animæ mundanæ per corporis uniuerſi membra diffuſæ, quas quidem uota ſupplicum operaq; magorum conciliare ſibi, & quaſi per inſitionem quandam inſerere, quandoq; poſſunt. Cap. XXXVI.

PLOTINVS.

PRofectò vniuerſum hoc quamplurima eſt varietate refertum: huic omnes rationes inſunt: huic innumerabiles variæq; virtutes: nempe quemadmo-
C dum in homine tradunt aliã vim in ſe oculum continere, aliã verò vim oſſa, & diuerſa diuerſam. Os enim manus hoc hanc habet uim, ſed digiti os in pede poſſidet differentem, neque vlla omnino pars eſt virtute penitus deſtituta, quamuis non eadem vna quæque pars habeat: id verò nos latet, niſi quis forte talia diligenter fuerit perſcrutatus: Sic certè, atque multò magis res ſe habet in mũdo: imò verò hæc noſtra illorum veſtigia ſunt. Conſentaneum igitur eſt inexplicabilem ineſſe mundo atque mirandam virtutum varietatem, præſertim cæleſtibus naturis atq; progreſsibus. Non enim oportuit vniuerſum id eſſe factum velut ædificium inanimatum, præcipuè ingens atque multiplex, ex quibuſdam velut lapidibus atq; lignis & aliis quibuſcunq; placet ſecundum ſpeciem numeratis, congruoq; numero ad mundanum ornamentum vna conſtructis, ſed eſſe ipſum vbiq; vigilãs, ubiq; viuens, quanuis aliter alibi: neque quicquã eſſe poſſe quod nõ ſit & in eo. Quapropter hinc dubitatio illa ſoluetur, qua quęritur quo modo in viuente penitus animato ſit quicquam inanimatum. Sic enim præſens ratio dictat, aliud aliter in toto viuere: nos autem negare id viuere, quod inter hæc non manifeſtè per ſe moueri nobis apparet. Tametſi quoduis tale clam viuit: & quòd manifeſtè viuit, ex his componitur, quæ occultè quidem

D viuunt, mirabiles tamen uires animali huic largiuntur ad uitam. Non enim fieri poteſt, vt homo ad tot tantaq; moueatur, ſi vires ſuæ, quibus mouetur, ſint prorſus inanimes. Impoſsibile rurſus, totum ita viuere, niſi in eo ſingula propria vita uiuant, etiam ſi non inſit electio. Nam in agendo electione non indiget, utpote quod electione antiquius eſt, itaque ſæpe vires partium ſequitur.

MARSILIVS.

SIcut membra noſtra tam interna quàm externa uires ad actionem atque motum habẽt ab anima noſtra, ſic omnia mundi membra ab ipſa mundi anima. Mirabiles ſupra naturã elementarẽ actiones in lapillis, metallis, herbis, animam eſſe teſtantur in mundo, à qua minima quæq; uires ubique maximas habeant. Item quòd exiguus ignis tam procul agat, tam facilè cuncta in ſe abſumat, quòd luceat habet ab anima: imò ſingula quòd aliquid generent. Et ipſe ordo motuum atq; formarũ ab anima regitur, contrariorumq; cõnexio, & motus cæleſtis machinæ tam ingentis, in quam uelut animæ proximam genitalis anima potiſsimum propagatur: per hanc in ignem, per hunc in aerem, per hunc in cætera. Atqui genitalis hæc mundi uita non electione quaſi practica, nec actionis ſuæ animaduerſione in hæc: ſed ita naturaliter agit, ut Sol & ignis: imò ut & in nobis anima uegetalis. Naturalis autem actio eſt antiquior quàm electio practica, quamuis contemplatiua & uniuerſalis ipſa excelſæ mentis electio antiquior ſit quàm actio naturalis. Cap. XXXVII.

PLOTINVS.

NIhil igitur uniuerſo ex ſuis eſt reiectum uel deſt itutum. Nempe ſi quis eorum qui nunc uidentur ſapere de igne uel de alio quouis talium, quæ dicimus facere, indagauerit quidnam ſit ipſum facere, nõ prius ſe à dubitationibus explicabit, quàm uim ipſam efficiendi in ſingulis agnoſcat ex vniuerſo, idemq; dicat omnino de omnibus quæ ſunt in uſu. At nos de conſuetis quidem neque inueſtigandum quicquam, neque dubitandum eſſe cenſemus: de uiribus autẽ inſolitis dubitamus, quomodo vnaquæque ſe habeat, & noua tantùm admiramur: admiraturi ſimiliter quæ nunc conſueta ſunt nobis, ſi ad hæc ipſa nondum aſſuefactis, eorum quiſpiam uires exponendas adducat in medium. Exiſtimandum igitur unumquodq; occultam quandam in ſe uim habere in uniuerſo fictũ atque formatum, & quodammodo mundanæ ipſius animæ particeps, ab vniuerſo comprehenſum animato animatiq; membrum: quippe cum nihil in eo ſit, quod non ſit pars eius: alia uerò alijs ualentiora ſunt ad agẽdum, tum quæ in terra ſunt, tum quæ in cælo. Et profectò cæleſtia omnium ualidiſsima, utpote quæ expreſsiori natura fruuntur: proinde multa per has uires fieri iudicandum, nulla electione ad hæc accedente, uel in his, quorum opera ſæpe fieri electione uidentur. Eſt enim actus eiuſmodi uirium in his quoque quę nullam habent electionem: quinetiam neque uigoris ſui traditione uis ipſa naturæ in ſuũ conuertitur actum, etiam ſiquid ipſius animæ in effectum à cauſis traducatur. Gignuntur enim ab animalibus animalia, electione interim hæc minimè faciente: neque rurſus genitore interim comminuto, neque conuerſo tunc in actũ: alioquin ipſe electio ipſa foret, ſi eam haberet uelut generationis originẽ, alioquin ipſa non foret effectrix. Si quod uerò animal non habet electionem, multò minus habebit, ut in ſeipſum conuertatur agendo.

MARSILIVS.

INtellectualis anima mundi & ſphæræ cuiuslibet atq; ſtellæ ſubiunctam habet uegetalem uitam ſuo infuſam corpori: per quã non electione, ſed naturaliter generantur, mouenturq; ſequentia, & beneficia capacibus cõferũtur. Quicquid uſqua ex eiuſmodi uita profluit, uitale hinc affluit & beneficium: ſed euadit alicubi noxium, uel quia materia non eſt capax, ſicut infirmus ad Solis lumen ſe habet, atque calorem: uel quia ex diuerſorum mixtione aliud quiddam inde reſultat, ut aureum Solis lumen in nube rubrũ euadit, & uiride atq; fuſcũ. Vegetalis uita noſtra uitæ ſuperius dictæ admodũ ẽ cõformis. ſimiliter ſpiritus noſter radijs illius tã occultis quã manifeſtis oĩa penetrãtibus. Euadit ẽt lõgè cognatior, quãdo erga uitam illam uehemẽter afficimur, cõſentaneum illi beneficium exoptantes, atque ita ſpiritum noſtrum in illius radios transferentes amore: præſertim ſi cantum & lumen adhibemus, odoremq; numini conſentaneum, quales Orpheus hymnos mũdanis numinibus conſecrauit.

A ſecrauit. Item cælo incenſi thuris odorem, æteri feruentẽ crocũ, ſtellis aromata, Soli thus & manna Lunæ & Naturæ aromata, Saturno & Ioui ſtyracem, Neptuno myrrhã, Mercurio thus. Spiritus enim per affectum, cantum, odorem, lumen, cognatior effectus numini, uberiorem haurit illinc influxum. Cap. XXXVIII.

PLOTINVS

QVæcunq; igitur nullo mouente ab vniuerſo fiunt, ab altera vita eius efficiũtur, atq; omnino quotcunq; ab ipſo ꝓueniunt: ſed quæcunq; alio mouente contingunt, velut votis, ſiue ſimplicibus, ſiue arte cantandi cõpoſitis, hęc ſanè non in quẽlibet ſuperorum, ſed in eius quod ſit naturã eſt referendum. Iam verò quæ tanq; vtilia ad vitam aliũq; vſum conferunt, illorũ muneri attribuenda cenſentur. Quod quidẽ munus ex alia maiori parte in minorem aliã transfũdatur. Quòd verò noxiũ ab illis dicitur in generationes animaliũ deuenire, id propterea tale eſt perpendendũ, quòd ſubiectum nequeat, quod ſalutare eſt ſuſcipere. Non enim ſimpliciter quod fit, efficitur: ſed in hoc tale, & tali quadã cõditione. Tum verò oportet quod patitur, atq; paſſurũ eſt, ſubiectam quandam ac certã habere naturã. Multa quoq; miſtiones ipſæ conficiunt, quolibet ꝓſperum quiddã ad vitam in mediũ conferente. Accidet quoq; quiddã alicui etiam non conferentibus ſuapte natura vtilibus. Atqui & cõmunis omniũ ordo non
B præſtat vnicuiq; vbique quod optat. Multa etiã nos datis adiungimus. Cuncta denique ſimul cõtexuntur in vnũ, concordiamq; pariunt admirandã: quinetiã ab alijs alia, q̃uis à contrarijs prodeunt. Omnia enim animalis vnius ſunt membra. Ac ſi quid eorũ quæ fiunt, ab optimo deficit, quaſi non ad finẽ vſq; formatũ certè non ſuperata materia velut à generoſo degenerans, & genoroſitate priua tum in turpitudinẽ labitur. Quamobrẽ alia quidẽ efficiuntur á ſuperis, alia verò à ſubiecta natura in medium afferuntur, alia denicq; ab ipſiſmet rebus adduntur.

MARSILIVS

SVper uegetalem mundi uitã, quæ & natura, & rerũ naturaliũ ſeminarium appellatur, eſt intelligentia omnia latius ordinans quã natura. Ex intentione ſeminarij eſt quæcunq; ex ipſo naſcuntur, formoſa naſci efficaciaq; ad motũ: præterea ſolito quodã, & duntaxat naturali ad ſuum profectum tenore Procedere. Quòd ergo deformia debiliaq; contingant ob materialẽ quandã neceſſitatem, & alia interimantur ab alijs, impediantur q; ſolitũ peragere ordinẽ, & creſcere, ſuumq; tempus implere, ac ſuo uiciſsim ſemine alia propagare: id inquam totum ex nulla eſt intentione naturæ. Neque igitur id contingens ordinari poteſt intentione naturæ, cùm ſit eius ordini inimicum. Ordinãdum tamen eſt, omnia enim ſub uno rediguntur in unum. Per intelligentiã igitur natura ſuperior ẽ, accidentia eiuſmodi in ordinẽ reuocantur: per eandem arbitrij quoq; liberi motus & effectus pro meritis ordine diſponuntur. anticipantur noſtræ preces, ut ait Iamblichus, & implentur, nobis interim liberè obſecrantibus, nec diuina uoluntate mutata, nec rerũ ordine perturbato. Diſpoſitio itaq;
C rerum latior eſt in mente, quã in ipſa natura: in mẽte inquã non ſolùm prima, ſed etiã mundanæ cæleſtisq; animæ: diſpoſitionẽ uerò rerũ in mente prima legem Saturni Plato nominat in Politico: eandem in intellectu animali legem appellat Iouis in Politico, atq; Legibus: eandem in natura legẽ fatalem uocat in Politico & Timæo. Quoniã uerò ubiq; firma eſt ineuitabiliterq; procedit, in Phædro nominat Adraſtiæ legem. Tum uerò quoniã ſimul cum lege liberam conſeruat efficaciam animorũ, in legibus ait, in animis quidem exiſtere principiũ actionũ, in lege uerò terminũ: atq; in Phædro Timæoq; legis edictũ introducit ſemper cũ conditione quadã hũc in modũ: Si anima perpetrauerit talia quædã, reportet & talia. Quòd aũt inquit in Timæo, animas nõ prius fatales audiuiſſe leges, quã uehiculis iungerẽtur, declarat animas ex ſe liberas eſſe, fatũ uerò ad corpora pertinere. Pertinet uerò fatalis neceſsitas nõ ſolùm ad corpus, ſed ad uitã quoq; corporeã. Qualis utiq; uita in mũdano cæleſtiq; corpore latẽs, nõ electione libera, ſed neceſsitate fatali uim ſuã ad inferiora diffundit, quæ qui dẽ uis emicat inde benefica etiam à Martẽ, uel Saturno, ſtellisq; ſimilib Poteſt tamẽ magus maleficam reddere, non aliter, atq; ille, qui è concauo ſpeculo collectos Solis radios conijcit in oppoſitũ, atq; comburit. Siquis enim decem Saturni uires mundo nobisq; neceſſarias atq; ſparſas in materijs decem unà coniunctis cogat in unum, perdet eum, uidelicet non tolleraturũ, in cuius pernitiẽ cõgregauerit, innocens interim eſt Saturnus. Venus uarias fœcunditatis concialiationisq; proprietates uarijs paſsim rebus inſeruit. Magus igitur materias eligens omnes uirium eiuſmodi quomodocũq; capaces, adhibensq; regnante Venere collectas in unum homini huic & illi, immoderatos inter eos

D conflat amores, Venere non peccante. Dotes quoq; Iouis similiter accumulat alijs, Iouio interim animali non aduertente. Iouiale uerò animal, & Saturnium, & Venereum appellamus stellæ corpus uegetali uirtute uiuum: qualia quidem corpora excogitauit Pythagoras, ubi ait, inuocatos Deos influere nobis quadam necessitate compulsos. Cap. XXXIX.

PLOTINVS.

CVm igitur omnia simul ordinata sint semper, ad vnumq; conducant, nihil mirū est sigula indicijs quibusdam significari: sed virtus interea seruit nulli: attamen huius officia vnà cum cōmuni rerum ordine contexuntur: quippe cum quæ hîc sunt, inde dependeant, ab his videlicet quæ his vniuersi rebus diuiniora sunt. atq; id vniuersum particeps sit illorum. Fiunt igitur quæ in mundo fiunt, non secundum rationes duntaxat seminales, sed secundum rationes alias ampliores, quæ in se comprehēdunt vires rationibus seminarijs longè priores. Non enim in seminarijs rationibus inest quicquam eorum quæ præter ipsas seminarias rationes alicubi fiant, neque rursus eorum aliquid quæ ex ipsa materia mundo conferri censentur, neq; etiam quicquam eorum quæ à rebus genitis in uicem inferuntur: Quin potius ipsa totius ratio rationi similis est ciuitatem aliquam exornanti, legesq; condenti, & certè cognoscenti quæ facturi sint ciues: quibúsue de causis sint acturi, atq; ad hæc omnia instituta singula disponenti, connectentiq; legibus passiones omnes actionesq; illorum. Præterea merita
E singularum actionum premia passim atq; supplicia, omnibus interim quasi spō te in communem concordiam procedentibus. Significatio verò in natura contingit, nō quidem huius præcipuè ipsius gratia, vt significatio fiat, sed rebus ita dispositis atq; nascentibus alia significantur ex alijs. nempe quodcunq; hîc est, vnum quodammodo inter se est, & vnius. Itaq; ab alio cognoscitur aliud, ab effectu causa, ab antecedente consequens, cōpositū ab alterutro: quoniā alterū simul alterumq; conficit. Si hæc igitur certè dicuntur, dubitationes iam illæ soluētur: & illa quidem inprimis quæ cauendum admonebat, ne fortè cogeremur fateri, Deos mala facere. Huic igitur respondemus primò quidem hæc omnia nō electionibus, sed naturalibus necessitatibus fieri quæcunq; inde proueniūt, quasi à partibus transferantur in partes, vitamq; sequantur vnius: deinde, multa rebus quæ fiunt, ex ipsismet rebus adiūgi: tertiò, quæ dantur desuper, penes ipsos datores singulatim non esse mala, sed in mistione aliud quiddam contingere: Quartò non vnicuiusq;, sed totius gratia dari vitā atq; censeri: Quintò, subiectam naturam aliud quidem accipere, aliud verò pati: neq; posse vbiq; ab ipso munere superari, vel vim illius propriam retinere.

MARSILIVS.

F QVodlibet animalis membrum uim habet ad portionem nutrimenti propriam attrahendam, & cor ad aromata, iecur ad dulcia, uenæ ad sanguinem, ad spiritum arteriæ, ad semen uerò testiculi. Sunt & medicinæ quæ certos adsciscant humores, & membra quædam petere uideantur. eadem est animalis mundani cōditio: in quo passim dispersa sunt, quæ rem hanc aut illā ad se rapere possint, si congregata in unū admoueantur. Per sua enim retia uel illicia homines, per sua equi, & per propria similiter homines, hiuel illi clam illaqueari possunt: quemadmodū oblectamētis formarū atq; musicæ palam inescātur. Deniq; sicut ferro paleisq; cōpertū est, quòd trahat magnes, scilicet atq; suc cinū: sic diligens & fortunatus perscrutator inueniet escam omnibus attrahendis. Singulis enim animalis mundani membris coaguli uis est insita, connectēs in unū cuncta uiuū, temperatè quidem sua pte natura: inter pretatè uerò quotiēs undiq; cōgregata, in aliquid transferat, mundo nec patiēte interim, neq; peccāte. Sunt & differētes in hoc animali uires inter se à natura distinctæ, quę frequēter à Mago connectæ, & in membrū hoc coniectæ, uel illud uiolentius agāt, atq; perdāt in his, (ut dixi) non peccante mundo. Nominat Plotinus quatuor, quibus mirabilis insit uirtus, scilicet qualitates specierum occultas, & figuras, cōcētusq;, & uota: quippe cum qualitates illæ propagines quædam sint uirium in uita mundi latentium, & figuræ concentusq; inferiores cælestium figuras sæpe referāt & concentus. Votum uerò motus quidam est animæ nostræ uehemens erga numen, quod obsecramus: Si contrito sulphure subtilissimum eius puluerem proijcias uersus ignem, ignis in lōgum producta

A ducta flamma ſe pulueri huic protinus applicabit. Similiter qui ſtellam obſecrat opportunè paratus ad ſtellam, ſpiritum ſuum proijcit in radios ſtellæ manifeſtos pariter & occultos, ubiq; diffuſos atq; uiuificos, per quos uitalia ſibi ſtellæ munera uendicat. Deniq; ſicut omnes ſtellæ fixæ connexæ ſunt firmamento, ſic omnium ſtellarum numinumq; mundanorum uitæ connexæ ſunt uitæ mundanæ, cui & connexa eſt uita noſtra: ut non mirum ſit, uehementes animæ noſtræ motus effuſos per communem uitam ubiq; uigentem uſq; ad numina mundana producit, uiciſſimq; motus horũ numinum per eandem uitam ad nos uſq; deduci. Cap. XXXX.

PLOTINVS.

MAgicos verò attractus quánam ratione fieri dicemus? Profectò ex conſenſione quadam rerum in patiendo, ac lege quadam naturæ faciente, vt inter ſimilia quidem concordia ſit, inter diſſimilia verò diſcordia: item virium multarum varietate in vnum animal conferentium. Et enim nullo alio machinante multa ritu quodam magico attrahuntur: veraq; vis magicę eſt amicitia in vniuerſo, rurſusq; diſcordia. Ac primus veneficus (vt ita dixerim) incantator, eſt eiuſmodi: quæ homines obſeruantes, eius inter ſe philtris veneficijſq; vtũtur: nempe ex eo quòd pleraq; ſe mutuò naturaliter amare facilè poſſunt, inferuntq; amorem rebus inter ſe reciprocũ, nata eſt efficacia amatoriæ artis, philtris quibuſdam faſcinationibusq; vtentis: dum tangendas adhibẽt naturas aliis
B alias conciliantes inſitumq; habentes amorem: animamq; alteri alteram ita copulant, quemadmodum qui diſtantes inter ſe plantas vnà coniungunt. Præterea figuris vtuntur, vires certas habentibus: ſe quoq; ipſos ratione quadam propria figurãtes clam ad ſe vires ſurripiũt, eoq; facilius quod in vno ſunt, trahũtq; in vnum: nam ſiquis ita figuratus eſſe extra mundum eſſe fingatur, neq; traheret quicquã, neq; deduceret illecebris aut modulis, neq; nexibus implicaret. Nunc verò quoniã non tanquam ad alienũ rapit locum, vim ſortitur, vt rapiat: cognoſcit certè qua conditione aliud in eodem viuente trahatur ad aliud. Inſita enim traducendi vis eſt carminibus cantibusq;, & certò cuidam ſono figuræq; ipſius agentis: nã talia quædam mirabiliter attrahũt, ſicut flebiles quædã voces & accentus, miſerabilesq; figuræ. Trahitur verò anima, ſed quo pacto? neq; enim electio, neq; ratio, ſed irrationalis anima muſica demulceẽt. Et eiuſmodi quidẽ veneficia animas occupantia nemo miratur, quamuis deliniri ſoleant, etiã ſi id nõ exigatur à muſicis. Vim quoq; precibus inſitam nequaquã putandum eſt exaudiente conſilio ad exitum peruenire: qui enim alliciuntur carminibus, nõ ita mulcentur. Neq; quando ſerpens aliquis faſcinat hominem, hoc ipſum qui faſcinatur intelligit, neq; ſentit, ſed iam paſſus ſe paſſum animaduertit: ipſum verò animæ principale ſic pati nequit. Cui verò votum eſt inſtitutum, peruenit ad ip
C ſum aliquid ex illo, vel rurſus ad aliud.

MARSILIVS.

QValis eſt in quolibet animali perfecto textura neruorum atq; uenarum, talis in mundano eſt animali naturarum contextus, atq; uitarum. Sicut ergo motio paſsioq; pedis in nobis pertinet ad ceruicem, & ceruicis ad pedem, ſic & in mundano hoc animali motus inferiorum ad ſuperiora proueniunt, atq; uiciſsim, & quaſi æqualium ſimiliter ad æqualia. Motus autem omnis uenit quidem ſalutaris ex alto, dummodo qualis uenit, taliter capiatur, & capi poſsit. Neq; diſtantia loci prohibet, quin motus uiciſsim utrinq; proueniant, ubi ultra communem texturam res inferior cognatam habet cum ſuperiore proprietatem tam acquiſitam quàm naturalem: ſicut nerui motus in lyra ad neruum alterum peruenit, diſtantem quidem, ſed ſimiliter temperatum. Cap. XXXXI.

PLOTINVS.

SOl autem vel alia quæuis ſtella hoc ipſum nequaquam animaduertit. Conſtit verò voti poteſtas in conſenſione quadam partis ad partem compatiendi: quemadmodũ in neruo quodam tento contingit, vbi cum infima pars mouetur, mox mouetur & ſumma. Sæpe etiam alio quodam neruo pulſato tremit & alter, quaſi perſentiat ex concordia. Idq; potiſsimum, quoniam eadem prorſus contemperati ſunt conſonantia. Quòd ſi ab alia quoque

D lyra motus transfertur in aliam, id etiam ex compatiente quadam conſenſione proficiſci putandum: Igitur & in vniuerſo vna eſt harmonia, quamuis ſit ex contrarijs. nam eſt etiam ex ſimilibus omnibuſq; cognatis, etiam his quæ contraria ſunt. Proinde quæcunq; nocent hominibus velut animoſitas iracunda vnà cũ bile ad iecoris tracta naturam, ita prouenerunt non quaſi hominibus nocitura: quemadmodum ſiquis ignem ab igne rapiens læſerit aliud, nequaquam machinatus ignẽ illucusq; procedere. Forſan verò accipiens ille agit, ex eo quòd tradit aliquid quaſi ex alio translatum in aliud. Quinetiam procedens ignis id agit, vbi ab eo ſubiecto in quod transfertur, capi non poteſt.

MARSILIVS.

MAgi quondam multi uitæ præſentis amatores, bonorumq; corporeorum cupidi excogitauerunt corporea ſacrificia, uotaq; uiuis ſtellarum corporibus, & uiuo mundi corpori conſentanea, ut inde quod optabant, conſequerẽtur. Ad eadem corporea ſacrificia dedicata ſtellis populum aſſuefeciſſe uidentur. Dubitabant ergo nonnulli, utrum ſtellis ad hoc ipſum opus ſit ſenſu, imaginatione, memoria, electione, ut uota eiuſmodi impleant. Reſpondet Plotinus, non oportere: nam ex uiuis mundi corporibus uitalis uigor ſuapte natura deriuatur in alia: qui & in corpora ſpiritus, animas, quando per uotum & cætera competentia ad hauriendum aptius exponuntur, uberius affluit naturali ſcilicet proprioq; influxu, etiam ſi nõ adſit electio. Sed Plotinus uiuis ſtellarum ſphærarumq; corporibus intellectuales earundem animas anteponit à corpore quodammodo ſe-
E gregatas, ad quas non perueniat paſsio motioq; ulla per corporeas continuata naturas: ideoq; nec hauriantur inde bona eiuſmodi attractu quaſi magico: Idemq; Porphyrius & Iamblichus aſſerunt: qui unà cum Plotino in illis uoluntatem electionemq; collocant: electionem inquam non ab inferioribus perſuaſam, ſed ex ſeipſa ab æuo conſtituentem imitari quidem ſummum Deum, & ſequentibus omnibus prouidere, exaudire ſupplicum preces intellectuali uita imitantium intellectuales mundi rectores. In ſacrificijs quidem uotisq; corporeis ad corpora mundi directa reportant & eiuſmodi bona homines etiam corpori mancipati: bona uerò diuiniora per ſegregatum cultum, uiri tũtum diuini à diuinis mundi rectoribus. Addit Porphyrius ac Iamblichus hos etiã ultra intellectualia etiam corporalia quædam & externa bona referre, officio numinum mediorum ſuperioribus numinibus obſequentium, & eorundem tutela ſæpe mala imminentia deuitare. Adiungit aſtrologus Abrahã religioſas animas ex applicatione ad Deum cęlo ſuperiorem acquirere poteſtatem, per quã fatalia bona quidem augeant, mala uerò minuant. Proponunt Platonici intellectualibus animis mundi rectoribus intellectus puros, his intellectum diuinum, huic patrem eius ipſum bonum: mundanis Dijs ſacrificia corporea conſtituunt, ſuperioribus ſegregatam dedicant ſanctimoniam, primò ſegregatiſsimam. idq; confirmat Apollonius Theaneus. Adorationem præ cæteris eligunt ſuperioribus, & ſupremo deniq; conſecratam. illinc enim bona ampliora referri. De his apud Iamblichum & Porphyrium, quos nuper interpretati ſumus, legere latiſsimè poteris Cap. XXXXII.

PLOTINVS.

F NOn igitur opus erit memoria ſtellis exaudiendi voti gratia, cuius cauſa hęc tractauimus, neq; ſenſibus vota illic nuntiantibus: neq; putandum eſt ſtellas ſic annuere votis, ſicut nonnulli credunt quaſi deliberando, ſed vnà cum ipſo voto aliquid effici, ac etiã ſine voto ab ipſis, qua ratione ipſæ quoq; vnius eiuſdem ſunt partes. Iam verò vires etiam abſq; electione ſunt multæ, & ipſæ quidem tum abſq; machinatione, tum ex arte prodeunt in effectum: quemadmodum in vno quouis animali, vbi aliud aliquid reportat ab alio, & ſeruatur & læditur ex eo quòd ita ſunt naturaliter inſtituta: ideoq; artes tum medicorum, tum incantantium alterum alteri cogunt ſuę virtutis aliquid impartiri. Similiter vniuerſum ad partes tum ex ſeipſo munera ſua ſponte diffundit, tum alio attrahente ad aliquam eius partem demittit aliquid ſuis partibus inſitum, & illuc eodem naturali vigore protractum: quippe cum qui exoptat non ſit alienus. Si autem qui precatur eſt malus, nihil mirum eſt impetrare. nam ex fluminibus praui etiam hauriunt. Præterea quod largitur, quid largiatur ignorat: ſed largitur tantùm. Interea tamen munus ipſum cum natura vniuerſi connectitur. Quapropter ſiquis acceperit ex his quæ omnibus expoſita ſunt: non

oportet

A oportet hunc neceſſaria lege ſequi ſupplicium. Non igitur cõcedendum eſt vniuerſum pati. Fortè verò principale quidem ipſius dicendum eſt expers omnino paſsionis exiſtere. cum verò paſsiones eius partibus inferuntur, in illis quidem paſsionem ipſam reſtare: ſed cum nihil huic accidat præter naturã, ipſum nimirum abſq; paſsione manere, quando & ſtellis quãtum partes quidem ſunt, paſsiones conuenire videntur, ipſæ tamen conſiſtere paſsionis expertes, tum quia electiones eis abſq; paſsionibus inſunt, & corpora naturæq; earũ ſunt procul à detrimento: tum etiam quia & ſiquid per anima ſuam ad inferiora traducant, anima interim nõ minuitur, corporaq; eadem perſeuerant: ac ſiquid inde ſubterfluit, ſenſu interim non aduertente delabitur, & ſiquid illis accedit, clam ſimiliter affluit.

MARSILIVS.

Magica faſcinatio nititur uiribus naturalibus tam cæleſtium quàm inferiorum rerum ſcilicet atq; uerborum. Attingit igitur proximè ſpiritũ noſtrũ, & per hunc non ſolùm humores, ſed etiã uitã irrationalem dependentem etiã ab ipſo mundo: animam uerò rationalem naturam uitaq; corporea mundi ſuperiorem, & ſolùm à mente diuina pendentem nequit attingere, niſi quatenus cum uita inferiore conſentit.

Cap. XXXXIII.

B SI quis hunc quidem ſuccinea induat ueſte, illum uerò paleari ad hunc attrahet illum: ita perſcrutati Magi multa paſsim recondita non naturalia ſolùm, ſed etiam uerba quæ uim ſuam eminus effundentia trahere ualeant. Multa etiam quæ ab his trahi poſsint, & illa quidem uiro, hæc autem fœminæ clam adlubentes, fœminam ad uirum rapiunt. Admouent etiam quæ ſeiungere poſsint: ſicut & nautæ ſuſpendentes ferrum ita cum magnete librant, ut rapiatur ad Vrſam: atq; uicißim inficientes alleo raptum eiuſmodi ſoluunt. Qua uerò ſiderum poſitione quidam opportunius ad hæc utantur, & quas fingant imagines, quas ue materias conflent narrare non expedit: nec etiam quibus incantamentis clam alliciant. Verbis quidem præeſt Mercurius, cantibus uerò Phœbus, Incantamentis autem Mercurius cum Phœbo coniunctus: ſed ubi & qua ratione iunctus Soli, & quali ſtellarum aſpectu fretus uim præbeat cantionibus: item quo aſpectu malefica, quó ue benefica præſtet incantamenta docere iuſtitia uetat. Fortè uerò ſicut cæteræ materiarum qualitatumq; mixtiones uim nouam adipiſcuntur, ita certæ quædam iuncturæ uerborum & intra animam conceptæ, & extra animam prolatæ adhuc quaſi uiuæ uim quandoq; mirabilem conſequuntur, uel ex præſenti ſiderum poſitura, uel etiam ex ipſius hominis genitura, aut ex ſingulari quadam animæ poteſtate adeo ut in effectu uerborum hæc ipſa eorum iunctura proceſsioq; in obiectum intenta ſit quaſi directio & applicatio uirtutis intimæ ad externum: quemadmodum prægnantis cupidæ digitus genam ſignans rei nimium affectatæ nota. Procedit uerò in rem diſtantem incantamenti uigor motu quodam non ſolùm per aerem ſibi ſimilem propagatus, ſicut in aqua ſemel percuſſa circuli, ſed etiam per radios ſpiritus excantantis, quos quidem procul imaginatio uehemens affectusq; iaculatur. Radialis nanq; natura ſubitò procedit in longum, ſecumq; producit uires eiaculantis. Imò
C uerò res omnes infra lunam imitatæ ſtellas naturæ ſuæ uires, & quaſi uapores quoſdam radiorum inſtar emittunt foras, quibus obiecta etiam diſtantia pro natura ſua bene aut malè frequenter afficiant: idq; facilius quoniam ſingula eiuſdem ſunt animalis membra mundani: quod odores ipſi declarant longius & diutius à canibus apibusq; percepti. Mitto, quantam dæmones ueneficijs magicisq; operibus adlubeant poteſtatem, quod ſanè in ſympoſio Plato confirmat. Hos etiam Magus cultorq; diligens demulcendo ſibi conciliare poteſt, quemadmodum & abiectus mimmus muſicusq; puer Regem illaqueat generoſum, & beſtiæ quædam hominem quandoq; faſcinant. Sicut enim ſe habet ad hominem beſtia, ad uirum puer, ita uir magus ad inferiores dæmonas, nobisq; propinquos. Huc forſan tendit illud Abumaſar aliorumq; aſtrologorum ſcilicet preces uim habere quã plurimam, quando caput Draconis medium tenet cælum, & Iupiter uel in eo ſit, uel id aſpiciat: lunaq; uel coniuncta ſit cum Ioue, uel ab ipſo procedens coitum cum aſcendentis domino proſequatur: aut aſcendentis dominus congreſſum cum Ioue petat, capitisq; Draconis aſpectum. Putant enim ſidus eiuſmodi uel efficaciam proſperitatemq; ſpiritui noſtro uotisq; præbere ad dæmonas Ioui Capitiq; ſubditos allectandos: ſi modò cæleſtibus his influxibus ſubiungantur, ex omni genere ſenſibilium multa tam huic dæmoni, quàm ſuo illi ſideri competentia, quæ & perſcrutari laborioſum eſt, & obſeruare periculoſum. Tutius uerò de hoc Iouiali ſidere phyſicus aliquis opinabitur, ſpiritum hominis tunc bona cæleſtia uehementius affectantis beneficio Iouis cæleſtibus bonis largius hauriendis exponi: ad malignos autem ſpiritus loco mouendos, diuinationemq; per mortuos ex-

D plendam Ptolemæus in quadripartito conferre putat harmoniam cæleſtem quando Luna fuerit magiſterij domina, colatq; Iouis ædes, Sagittarium ſcilicet, aut Piſces. Hæc ad Plotinicum illud dicta ſint: ubi ait, Magum quodammodo Dæmonas irretire, ac per uniuerſum in partes agere, atque per ſuperiora facilè inferiora mouere. Ego uerò ſuſpicor ne fortè dæmones ſubdoli ſimulent magicis quibuſdam machinis allici uel expelli. Nam Porphyrius & Iamblichus aiunt, per Deum ꝓprié perq; bonos angelos aduerſus infimos ſpiritus imperiũ nos habere, qui alioquin nos fallere ſre quẽter ſoleãt, atq; lædere. Et quoniã perturbatione tangũtur, quod & Plotinus affirmat, merito Plotinus unà cũ Porphyrio atq; Iamblicho damnat eam ſuperſtitionẽ, quæ exquiſitis illecebris, ſtudeat fallacib. perturbatiſq; dæmonib. adulari. Qua uerò ratiõe ex corpore mũdi ubiq; uiuo, uiuiſq; tum ſtellis, tũ cæteris mundi partibus, naturali quodam quaſi agricolarũ medicorumq; more uitales carpere auras ualeamus, ſatis in libro de Vita tertio diſputamus. Platonici denique adorationem intentiſsimam ſacrificiorum omnium efficaciſsimam eſſe putant, præſertim ſi ad intellectus mundo ſuperiores, ſcilicet angelos dirigatur, maximè ſi ad Deum quoq; ſuperiorem: ſed ab his ſimiliter, atque ab hoc nihil impetrari naturali quodam cæleſtiq; fauore, cuius motus illucuſque non tranſit, ſed eleuatione quadam coniunctioneq; mentis ad illos. Quæ uerò in ſuperioribus de uirtute imaginationis faſcinationibusq; & de Magia prætermiſimus, in Theologia noſtra, & libro de Amore, & libro de Vita tertio latius pertractamus.

E PLOTINVS.

QVærendum videtur quo pacto vir probus magicis ſubduci machinis nec non medicamentis poſsit: Forte per ipſam animam illaqueari non poteſt, neq; vis ipſa rationalis patitur, adeo vt hinc mutetur opinione. Quantũ verò irrationale huic ineſt ex vniuerſo, per hoc pati poteſt. imò verò hoc ipſum propriè poteſt pati: ſed non id ſolùm quando quis amoribus irretitur ex philtris: ſiquidem amor ipſe viget, & feruet, anima videlicet altera conſentiente alterius animæ paſsioni. Quemadmodum verò carminibus incantantium pars irrationalis paſsionem ſubit: ſic & ipſe decantator viciſsim atque recantator vires ibi reſoluit: Proindè verò mortem ex his, aut languores, vel quælibet corporis detrimenta abſque controuerſia patietur. Pars enim vniuerſi ab alia parte, vel ab ipſo toto facilè patitur, ipſe verò quiſque ſui iuris exiſtens viuit indemnis. Quòd autem non ſubitò, ſed poſt certum tempus quod patitur ſuſcipiat paſsionem non ab ipſo naturæ ordine alienum: dæmones verò neque ipſi quidem in parte ſua irrationali ſunt paſsionibus liberi. Memoriam quinetiam atq; ſenſus his attribuere, non erit abſurdum: tum verò demulceri eos naturaliter, atque deduci, & exaudire vocantes. Dæmones inquam inter alios rebus humanis propinquiores, eoq; magis erga nos affici, quò & propinquiores exiſtunt.
F Quicquid enim aliqua cognatione ſe habet ad aliud, aliquando illaqueatur ab alio. Id enim ad quod ita ſe habet, quaſi magicorum ritu captat atque ſubducit: ſolùm verò quòd tantùm ſeipſum ſpectat irretiri rapiq; non poteſt. Quamobrem omnis actio vitaq; actiua omnis illaqueatur & trahit: fertur enim ad illa quæ prouocant & deliniunt. Hinc illud poeticum: *Magnanimi enim Erecthei populus uultu formoſiſsimus eſt.* Verùm quidnam paſſus aliquis cenſetur certòmodo ad aliud ſe habere? Profectò tanquam tractus non magorum artibus ſed arte naturæ mirabiliter ſeducentis, aliudq; cum alio valde conciliantis atq; iungentis non quidem loco, ſed adhibitis ab initio philtris.

MARSILIVS.

Vita contemplatiua libera eſt: actiua miniſtra actionum & rerum atq; fortunæ: uoluptuoſa ſeruitus corporis. Cap. XXXXIIII.

CVm mens rerum contemplandarum formas ingenitas habet, ipſaq; met ſit ipſæ formæ, merito quatenus in his contemplandis natiua uoluptate ſe uerſat, eatenus libera ſecum habitat. Qui uerò corpus & externa curioſè colit, corpori hominibus fortunæ ſeruit. Actio atq; paſsio inter ſe opponuntur. Omnis igitur motus noſter qui incitamentum ex corporea humanaq; paſsione habuit paſsio quædam eſt & ſeruitus. Denique natura ipſa uitaq; mundi quaſi maga imagines ipſius boni,

A boni,ueri,pulchri ubiq; fingit,uelut eſcas,quibus animas huic mudo per uoluptatem, auaritiam, inanem gloriam deditas fallit,& quaſi mancipia detinet atque trahit.

PLOTINVS.

SOla itaque contemplatio reliqua eſt, quæ ritu magico ſubduci non poſſit:nullus enim attrahitur ad ſeipſum. Vnus namque exiſtit,ipſeq; eſt id ipſum ſpectaculum quod ſpeculatur atque ratio non ſeducta:ſed quod ritè agendum eſt,id agit,ſuiq; ipſius uitã & opus agit. Illic autẽ non agit animus quod ſuum eſt,neque ratio præbet exordium,ſed initium ibi ab irrationali parte traditur,regulæq; agendi ſunt à paſsione propoſitæ. In appetitu procreationis curáque liberorum manifeſtus apparet attractus:ſimiliterque in omnibus quæ ſuauitate quadam alliciunt appetentes. Actiones quoque tum quæ per iram abſque ratione mouentur,tum quæ incitantur cupiditate,ciuilis quoque gubernationis auiditas & ſtudium imperandi, ſignificant dominandi cupiditatem nobis incitatam iam incitare. Tum verò ſtudia imperandi huc potiſsimum tendentia,ne iniuriæ nobis ab alijs inferantur, à metu ducunt originem: quæ au-
B tem vt ipſi plus alijs reportemus,á cupiditate ducuntur. Quæ denique neceſsitati vtilitatiq; ſeruiunt,naturæ indigentiam implere conantes, planè oſtendunt ipſam naturæ vim nos ſtudio viuendi prorſus conciliantem. Siquis autem obijciat actiones circa honeſta verſantes non eſſe magico ritu deductas: alioquin contemplationem quoque pulchrorum tali quadam conditione ſubduci, reſpondendum eſt ſiquis actiones honeſtas ſequatur vt neceſſarias, ſpectans videlicet aliud quiddam verè pulchrum,hunc nequaquam magicis modis illaqueari. Nouit enim neceſsitatem,neque ad id quod noſtris inelt actionibus aſpicit,neque ad alia huic vita dirigitur:niſi fortè per partem ipſius irrationalem vi quadam humanæ naturæ,& naturali familiaritate nos cum vita vel aliorum vel noſtra conciliante,hic irretitus eſſe dicatur. Videtur enim fortè rationale non educere ſeipſum è vita ob quandam cum vita neceſsitudinem nobis maximè propriam,qua penitus occupamur:Sin autem vir rebus gerendis deditis ipſa pulchritudine rerum eiuſmodi ſit contentus, ideoq; eligat actiones, hic iam deceptus ipſius pulchri veſtigijs quaſi veneficijs eſt irretitus: vnde pulchritudinem rebus inferioribus inſitam ſtudioſè proſequitur. Omnino enim negociatio omnis circa id quod eſt ſimile vero,tractusq; ad hoc ipſum omnis,
C eſt quidam raptus ingenij ab his decepti ad ſe rapientibus. Id verò ipſa naturæ magica ſubductio facit. Sequi enim velut ipſum bonum quod non eſt ipſum bonum,dum quis ſpecie ipſius allicitur,impetuq; irrationali prorumpit, paſsio quædam eſt ingenij clam quò nolebat attracti. Hoc autem quidnam aliud præter raptum quendam magicum eſſe dicemus? Solus ergo maleficijs eiuſmodi minimè rapitur,qui per alias ſui partes tractus nihil talium affirmat bonum,quę illis bona videntur:ſed ſolùm quod ipſe nouit,neq; deceptus,neq; ſequens, ſed iam poſsidens. Hic itaque nuſquam trahitur.

MARSILIVS.

Homo non ſolùm tanquam mundi pars quædam fataliter agit, patiturq; multa, ſed etiam ſubſtantiam habet propriam naturaliter quidem,partim ſuperioribus, partim inferioribus cognatam: ac libero motu poteſt inſuper affectionem & habitum induere tam cum ſuperioribus quàm cum inferioribus congruentem.

D *Eiusmodi habitus sit animo tandem quasi natura, cuius instinctu sub diuino iudicio fertur in sortem atq; locum aut superis, aut inferis competentem.* Cap. XLV.

PLOTINVS.

EX omnibus quæ dicta sunt manifestum est, quicquid comprehenditur uniuerso singulatim quemadmodum natura dispositioneq; præditum est, sic ad uniuersum conducere facereque & pati. Sicut & in quolibet animali unaquęque pars quemadmodum se natura affectioneque habet, ita confert ad totum atque subministrat, & tali quodam ordine usuque censetur. Tradit præterea ex se aliquid, & ab alijs accipit pro capacitate naturæ, ac uelut consensus quidam toti inest ad totum, ac si pars quælibet esset animal, haberet utique animalis opera à partis ipsius operibus differentia. Proinde id quoque constat qualis sit nostra conditio: quemadmodùm scilicet nos quoque in uniuerso aliquid facimus, non solùm quæ corpus erga corpus facit & patitur, uerùm etiam alteram quandam nostram in medium naturam adducimus, copulati per cognata nobis insita cognatis extrinsecus existentibus: nempe animabus affectionibusque nostris efficimur: imò uerò sumus contigui tum rebus infra nos proximè in loco dæmonico positis, tum rebus superioribus. Cumq; sic affecti simus, nimirum quales simus latere non potest: Igitur neque omnes
E eadem exhibemus, neque accipimus eadem. Quod enim non possidemus, quónam pacto præstare possumus alijs ceu bonum? Rursusq; natura nequaquam boni capace quonam modo bonum aliquid capiemus? Prauitatem igitur suam quisque adhibens & quisnam sit deprehenditur, & pro natura sua in id quod habet impellitur, tum apud nos, tum hinc in locum alium profectus similem quodam tractu naturæ. Vir autem probus accipit, dat, permutatur alia ratione, singulis uidelicet translatis quò decet tractibus naturæ quibusdã quasi funibus. Tam mirabilem uniuersum hoc potestatem habet & ordinem, in quo quidem silenti quodam occultoque iussu & uia iustè omnia dispensantur sub diuino iudicio, cuius sententiam nulli prorsus licet effugere: quam quidem malus intellígit nullus, sed fertur tãtùm insçius in quam potissimum decet partem uniuersi transferri. At uir bonus & nouit, & quò oportet accedit, & antequam accedat, præsentit ubi post accessum sibi necessariò sit habitandum, bonaque spe uiuit, se quandoque cum dijs ipsis habitaturum. In paruo quidem animali paruæ quoque sunt mutationes partium & consensus exigui, neque in eo partes ipsæ sunt animalia, nisi fortè in nonnullis ad breue. At in eo animali in quo tam ingentia sunt interualla, & quodlibet suorum inclinationem & permuta-
F tionem quandam subit, animaliaq; insunt multa, necessarium est motus translationesque esse maiores. Videmus profectò solem, lunam, stellas omnes ordine certò transferri, situmque mutare. Non igitur dissonat rationi animas quoque ab alio loco ad alium transmutari, non eundem semper seruantes morem, ordinatas denique & ut affectionibus suis conuenit congrua proportione dispositas: dum videlicet aliæ vicem quasi capitis obtinent, aliæ uerò pedum, uicem in quam congruam vniuerso. habet enim & hoc differentias ad melius atque deterius. Siqua uerò anima neque quod hîc est melius elígit, neque inquinatur deteriore, ad locum alium commutatur, & purum quem elegerat quandoque consecutura. Punitiones uerò animarum tales sunt, quales partium ægrotarum, ubi aliæ fomentis alligantur, alię circunciduntur, uel expurgantur, alię qualitatibus permutantur, ut sanum sit totum, singulis ubi expedit rite dispositis. Sanitas enim totius spéctatur in primis, hoc obligato, illo potius qualitatibus permutato, alio autem hinc expulso quasi hîc languente, illuc uerò translato, ubi minimè langueat.

Plotí-

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVINTVS DE DVBIIS ANIMAE VEL DE VISIONE.

MARSILIVS.

SENTIRE est percipere corporea singulatim per instrumenta corporea. In perceptione sensuali deprehendimus externorum corporum qualitates aut actus usque ad animam, uel circa animam quodammodo peruenire, necnon quandoq; uim actumq; animæ ad corporea se porrigere. Quod quidem fieri nullo modo posset, nisi anima proportionem quandam ad hæc haberet: hanc uerò non habet nisi ipsa per uim uegetalem suo quodam pacto formet manifestum corpus & præcipuè spiritum: atq; ita sibi conformet, ut uis eius actusq; per hoc suum corpus quasi instrumentum ad externa quandoq; se porrigat, & externorum motus ad hoc ueniendo quodammodo uideantur ad animam peruenisse. Denique ut uisus percipiat rem uidendam, non opus est foris corpore medio quasi ad uidendum necessariò adiuuante: satis enim per se uisus oculusq; natura paratus est ut uersetur circa luminosum atque hoc uicissim circa uisum. Corpus uerò medium siquidem opacum est impedit: sin diaphanum, hoc tantùm habet, ut uisioni non obstet sicut solet opacum, absq; hoc ergo fortè uidebitur. Cap. Primum.

PLOTINVS.

B QVoniam verò inuestigare constituimus: nunquid videre possimus, si nihil sit medium, ceu aer aliúdue perspicuum corpus inter oculum atq; id quod est videndum, operæpretium est hoc ipsum in præsentia prosequi. Principio quod per corpus aliquod oporteat videre & omnino sentire iam dictum est: nam animam absq; corpore prorsus in mundo intelligibili viuere. Cum verò sentire sit percipere non quidem intelligibilia, sed sensibilia tantùm, oportet animam factam quodammodo contiguam sensibilibus, per quędam iam sibi familiaria communionem quandam ad hæc cognitionis vel passionis inire equa propter & per instrumenta corporea eiusmodi cognitio fit. Per hęc enim quasi cognata siue continua, quasi in vnum quodammodo ad ipsa sensibilia oportet accedere, compassione quadam ad ipsa ita iam facta. Quòd ergo necessarium sit contactum quendam ad illa quæ cognoscenda sunt fieri, nimirum quantum spectat ad ea, quæ tactu quodam percipiuntur, nemo forsitan ambigat, de visione verò magis ambiguum. At vtrum idem in audiendo necessariũ sit, in sequentibus indagabimus. Nempe in presentia de visu tractandum est, nunquid oporteat medium quiddam corpus esse inter visum atq; colorẽ? Fortè verò corpus
C ex contingenti medium incidit, sed confert nihil videntibus ad videndum. At si corpora quo densiora sunt ceu terrena, eo magis impediunt visionem, quo verò tenuiora sunt media facilius peruidemus: poterit aliquis media hæc ad videndum conferentia dicere, aut si non conferentia, saltem non obstantia visioni. hæc autem aliquis obstantia dixerit. Sed nunquid medium corpus passionem prius accipiat, & quasi formetur, est quærendum. Signũ verò huius aliquis afferat, quòd si quis ante faciem nostram sit, vel penes colorẽ aspiciẽs etiam videt, id ipsum verò ad nos vsq; minimè peruenire, nisi passio quædã medio fuisset illata: sed fortè non necessariũ est pati medium, dum quod passioni naturaliter est expositũ, velut oculus patiẽ: aut si tunc mediũ patitur, aliud quiddam patitur: quandoquidem neq; calamus medius inter piscẽ illum stupefaciẽtem nomine Narcem, atq; manum patitur, quòd manus ipsa patitur: tametsi hic quoq; nisi calamus in medio situs, & seta siue capillus esset, manus minimè pateretur. Fortè etiã hoc est ambigendum: nam si intra rete sit piscator, patietur & stupefiet. Videtur autẽ hic sermo ad illas quæ dictæ sunt cõpassiones se conferre: nẽpe si hoc tale ab hoc tali naturaliter vicissim pati potest, ex eo quòd similitudinem ad ipsum quandam habet, nõ propterea quòd inter hæc mediũ est, patitur

D si dissimile fuerit: aut certè idem minimè patietur. Quod si ita se habet, multò magis vbi nullum sit medium patietur quod est naturaliter obnoxium passioni: tametsi medium tale fuerit, vt & ipsum aliquid patiatur.

MARSILIVS.

INter uisum atq; uisibile medium per se necessarium est lumen, uel commune externúmq;, uel proprium, siue oculi seu obiecti natura ualde lucentis: corpus autem non adeo necessarium inter hæc medium est. Visio fit potissimum, quia uel radius ab oculo uisualis proficiscitur ad uisibile, uel à uisibili iam luminoso nonnihil procedit ad uisum, uel utroq; si nul pacto, & omnino quoniam tam oculus, quàm uisibile ita in natura mundi uiuente sunt disposita, ut proprietatem habeant inuicem ualde conformem, per quam à se inuicem facilè moueantur, agantq; mutuò, uel patiantur. Corpus igitur nec est per se necessarium ad emicantem ex oculo radium substinendum, atq; perferendum, qui sine substentaculo in rectum profluit naturaliter: nec ad lumen ita uehendum, siue sit lumen obiecti, siue sit alienum: nec etiam ad compassionem inter uisibile uisumq; complendam: satis enim per se mutuæ sunt exposita passioni. denique nec necessarium est aerem medium ab obiecto colorari, figurariq; modo ceræ, per quam passionem uisus subinde similiter patiatur: alioquin ad cernendũ non oporteret oculum ad obiectum ipsum conuertere procul positum. Satis enim foret oculum attingi à contigua nobis parte aeris iam formata. Omnino uerò spirituales sub lumine uisibilium spe-
E cies peruenientes ad oculum absq; aeris passione peruenirent. Cap. 11.

PLOTINVS.

SI ergo sic visio fiat, vt visus ipsius lumen cum lumine medio coniungatur vsq; ad sensibile, oportet hoc medium esse lumen, atq; suppositio hæc medium id requirit: sin autẽ subiectũ corpus coloratũ aliquo modo mediũ afficit atq; permutat, quidnã phibet permutationẽ eiusmodi statim ad oculum peruenire, etiã si nullũ mediũ interuenerit? Siquidẽ nunc necessariò quòd interuenit, ob hoc ipsum quòd interuenit, prius quàm oculus permutat. Proinde qui dicũt per quãdã visus ipsius effusionẽ nos videre, nullaratione adducunt ad mediũ afferẽdũ, nisi fortè metuãt, ne radius ipse decidat: sed radius naturã habet luminis, lumẽ autẽ rectè diffundit. Qui autẽ insistẽtiã quandã in causa visionis assignãt, medio prius egebunt. At verò assertores simulachrorũ affirmãtes ea per vacuũ pertrãsire, expeditũ exigũt locũ, ne peruenire phibeant. Qua propter si multò minus impedientur, vbi nullum sit mediũ, nimirũ præsentẽ suppositionẽ in cõtrouersiã minimè trahent. Præterea quicunq; cõpassione quadã fieri asserũt visionẽ, minus vtiq; videre nos dicẽt siquod mediũ interciderit: propterea quòd hoc prohibebit impedietq; imperfectionẽ dum minorẽ reddet cõpassionẽ: imò ve-
F rò consentanea ratione dicere possumus, mediũ ipsum etiã si cognatum sit, atq; etiã patiens, cõpassionẽ tamen illam debiliorẽ facere. Nã & si corpus cõtinuũ in profundo ex accessu ignis vrat, tamen pars eius posita in profundo accessione superioris partis minus vtiq; patiet. Verùm si animalis vnius partes vicissim cõpatientes sint, nunquid patient minus, quia nõnihil sit mediũ? Fortè patient minus: nẽpe mediocris euadet passio quatenus natura voluerit: Quippe cũ mediũ interpositũ inhibeat passionis excessum, nisi fortè alicubi tale sit quod infertur, vt mediũ nullo modo id pati queat. Cæterùm si totũ propterea est cõpatiẽs quod est vnũ animal, atq; nos ideo patimur, quoniã in vno vniusque sumus. cur nõ oporteat quando sentitur aliquid procul positũ, inesse cõtinuitatẽ? Fortè cõtinuitatẽ quidem & mediũ ipsum oportet alicubi interesse, quia necesse sit animal esse cõtinuũ, passio verò per accidens est continui: alioquin omne ab omni pati fatebimur. Tum verò si hoc quidem ab hoc, aliud verò ab alio patitur, neq; patitur idem, non erit opus vbiq; medio. Quòd si in visione saltem aliquis opus esse dixerit, rationem assignare debebit: quandoquidem non ubique apparet quod procedit per aerem inferre aeri passionem, sed diuidere tantùm: ceu cum lapis cadit desuper nihil aliud aeri uidetur accidere, nisi quod cadentẽ non substinet lapidem. Neque enim uerisimile est, lapidem cadere per quendam circum

fusi

A fusi aèris subingressum, cum descensus ei sit naturalis, quoniam sic & ignis ascẽderet per similem aeris subingressum, quod dictu est absurdum: Ignis enim motus sui velocitate præcurrit aerem succedentem. Quòd si quis dicat ipsa velocitate etiam aeris accelerari successum, attamen secundum accidens id eueniet, neque propriè sursum, quoniam & à lignis impetus fit in altum, nullo impellente crescentibus. Atqui & nos euntes diuidimus aerem, neque tunc circũfusi aeris successio nos impellit, sed subsequens tantùm aer quod nos vacuum reddimus, implet. Si ergo aer per corporum eiusmodi motum distantiam inter suas partes admittit, nihil aliud interea patiens, quid nam prohibet etiam absq; distantia concedere speciebus transitum ad aspectum? Sin autem neque peruenium quidem velut quodam fluxu species, quænam necessitas pati cogit? Atq; per ipsum ad nos vsq; passionem, ex eo quòd ille passus antea fuerit, peruenire? Si enim ex eo quòd aer antea patiatur, sensus efficeretur, certè non aspiciẽdo ad ipsum visibile cerneremus, sed è proxima nobis aeris parte sensum reportaremus, quemadmodum in calefactione cõtingit. In hac enim non remotus ignis, sed proximus calefactus aer calefacere nos videtur. Sed enim passio hæc ad tactum pertinet, in visione autem non fit tactus: ideo neq; sensibile impositum oculis efficit visionem: sed illuminari medium necessariũ est, forsan quoniã aer
B est tenebrosus. Ac nisi esset obscurus, forsan lumine non egeret. quod enim tenebrosum est, cum impediat visionem, oportet lumine superari. Fortè verò & ob hoc ipsum res videnda proximè admota visui, nequaquam cernitur, quoniã secum affert quandam tum sui ipsius, tum aeris vmbram.

MARSILIVS.

INter uisum atq; uisibile non est necessarius aer medius ad hoc ipsum propriè, ut forma obiecti imprimatur deinceps per partes aeris succedendo, unde tandem imprimatur & oculo. Ratio ad hoc prima paulò superius assignata est. Sequuntur duæ, quarum una est eiusmodi: Quando nocte profunda igniculum longissimè distantem cernimus, non est putandum ex igniculo formam continuatis aeris partibus gradatim imprimi. Non enim potest hunc ita pingere, nisi & easdem partes illuminet, nec tamen illuminat eas: alioquin alia quoq; multa in recto hoc spacio cerneremus. Ratio altera talis est: Si aer modo quodam suo, id est corporeo, à persona uidenda pingatur, sequetur ut exigua illa pars aeris pupillæ proxima & æqualis, id duntaxat minimum de persona tota quod præfert, ostendat oculo: nunc autem in qualibet aeris portiuncula totum uidemus obiectum. Deniq; aer nihil patitur ab illa specie, si qua mittitur ab obiecto, sicut neq; patitur ab ipso lumine, per quod mittitur: ab ipso inquam, qua ratione lumen. Sic enim momento adest, & abest, neq; remanet illuminante subtracto, & est ubiq; totum. Ex quo apparet lumen neq; fieri propriam aeris qualitatem, nec
C esse reuera corporeum. Proinde incorporeum hoc non tam prouenit ex corpore quàm uita mundi. Nam & quando ad longissimum spatium scintillam uides, exiguum locustæ sonum audis: & animalia quædã audiunt minima quæq;: item apes & formicæ mellita olfaciunt remotissima: conchæ quinetiam distantia gustant: & torpedo piscis per longam sæpe uirgam stupefacit te quasi tangens, non est existimandum: præsertim in superioribus à minimo quoq; obiecto longissimũ spatium frangi, & materialiter affici: sed interuenire nescio quid quodammodo spiritale, quod per tam longum spatium agat in sensum, id est actum quendam specialem ab ipsa specie rei sentiendę prouenientem, A specie inquam, non tam quia in materia sit, quàm quia à spirituali uiuaq; dependet idea. Actum quoq; specialem inquam, & spiritalem, siue hic intra nos fiat in instrumento sensus, ut in tactu atq; gustu, siue etiam extra nos in aere, ut circa uisum, auditum, olfatum: siue etiam à uisu prouenial in obiectum: qui sanè actus in omnibus sentiendis sit ubiq; inter passionem etiam materialem ab obiecto in aere factam circa sensus inferiores. Fit igitur opportunè tunc uirtute quadam uitæ communis, cuius beneficio cuncta ligante tam facilè à rebus distantibus & mouetur sensus, & corpus conforme procul patitur à conformi. Quod etiam apparet in magia: & cælestia aliaq; multa uires suas impartiunt remotissimis: deniq; uita mundi cõmunis ita sensum hunc cum hoc sensibili temperat, ut agente sensibili, moueatur sensus & agat, sicut in lyra dum mouetur hæc corda, statim & contemperata mouetur: & te clamante, paries conclamat sic expositus. De superioribus diligentius in commentarijs Theophrasti tractamus,

Cap. III.

PLOTINVS.

D MAximum uerò argumentum eſt, non propterea cerni ſenſibilium formas quia iam aer illorum ſpecies per continuatam traductionem patiendo ſuſceperit, quòd ſub obſcura nocte ignis & ſidera, horumq; formæ cernunt: Neque afferet quiſpiã in aere tenebroſo impreſſas ſpecies ſic ad oculum uſque cõtinuari, alioquin non eſſent tenebræ vbi ignis illuminando ſuam ſpeciem traderet. Quando etiam ſub profundis tenebris occulentibus ſtellas & ignem horumq; lumen prorſus impedientibus, interim ex ſpecula facibusq; proſpicitur ignis, atque ex turribus quæ ſigna nauibus exhibent. Siquis autem in his quoque ignem tranſire dicat, repugnans uidelicet ſenſui, oportebit etiam minima quęque interim in aere cerni, neq; duntaxat ignem. Si ergo tenebris in medio prohibentibus, tamen quod eſt ultra tenebras peruidemus, multò magis ubi nullum ſit medium diſcernemus. Sed hîc aliquis fortaſsis inſtabit, aſſerens ubi nullum ſit medium uideri nihil, non quidem ex eo propriè quia deſit medium, ſed quoniam animalis compaſsio ad hæc ipſa prorſus auferatur, conſenſioq; partium inter ſe in eo quòd unum totum ſit conſiſtens. Videtur enim ob id ſenſus quomodocunque fieri: quoniam uniuerſum hoc animal ſibimet vbique cõpatitur. Niſi enim foret tale, quónam pacto aliud ab alijs etiam remotiſsimis vires acciperet? Hoc itaq; conſideratione dignum eſt: Si alter eſſet mundus, alterumq; animal cum hoc noſtro nullam habens communionem, eſſetq; viſus aliquis in cæli dorſo, nunquid eiuſmodi viſus ex ſpatio moderato mundum alterũ ſit viſurus, an potius nullum huic futurum ſit ad illum in agendo vel patiendo commertium? Sed de hoc tractabitur in ſequentibus. Nunc verò id inſuper aliquis afferre poterit teſtimonium, probans non propterea fieri viſionem, quia medium patiatur: nempe ſi patitur aer, neceſſariũ eſt conditione corporea pati, id autẽ eſt velut in cera imprimi figurã: Sic igitur| viſibilis obiecti pars certa in certa parte aeris figurabitur: Itaq; pars aeris contigua viſui tanta, quãta pupilla tem figuræ ipſius viſibilis pro quantitate propria accipiet atq; tradet. Nunc autem & videtur totum, & quotcunq; ſunt in aere tum ex directo poſiti, tum etiã ex obliquo ad longum vident, ſtantes etiam inter ſe à tergo, modò ne alij vndiq; alijs obſtent. Ex quo apparet quamlibet aeris particulam totum velut vultum in ſe inſpectum habere. Id autem non fit corporeæ paſsionis conditione, imò ſecundum maiores & animales, & animalis vnius vbique ſibimet compatientis neceſsitates.

E

MARSILIVS.

F SI quod medium neceſſarium eſt inter uiſum atque uiſibile, id quidem non corpus eſt, ſed lumen, uel natiuum oculo ſiue uiſibili, uel alienum. Confert autem ad uidendum non paſsio medij oculiq;, ſed actio quædam atq; lumen. Tres hic de uiſu tangit opiniones: Vna putat animam ita per radios uiſuales ſicut per capillos ſeſe propagare, uel manus: atq; ita ſenſibile tangere, & id quidẽ abſq; reflexione. Secunda, animam non propagari per radios, ſed eos quaſi uirgas extendere ad obiectum, eosq; ad animam inde reuerberari. Tartia, lumen figurari ab obiecto, atq; ita figuratum ad oculos peruenire. Circa primam ludit, ſecundam deridet, tertiam reprobat: & ubiq; tandem id molitur, tantam eſſe compatiendi conformitatem inter uiſum atq; uiſibile, ut ſatis circa ſe uiciſsim moueantur & agant, etiam ſi nulla paſsio contingat in medio, ſicut neq; patitur medium, uel ſaltem nõ tale quiddam patitur, quando tremente hac corda altera contremiſcit, oſcitante hoc, oſcitat ille, & imaginante aliquid amiciſsimo, imaginatur interdum idem & alter amicus. Cap. IIII.

PLOTINVS.

SEd contiguum viſionis lumen quomodo ſe habet ad lmen viſioni propinquum, & vſque ad ſenſibile? Fortè aere quidem non indiget medio, niſi forſan lumen abſque aere non dicatur: ſic autem medium hoc eſt ſecundum accidens. Ipſum verò lumen eſt medium minimè patiens, & omnino hîc non opus eſt paſsione, ſed fortè duntaxat medio. quòd ſi lumen non ſit corpus, non eſt o-

pus

A pus corpore medio. Atqui fortè dixerit aliquis, non ad ipſam ſimpliciter viſionem alieno opus eſſe lumine atque medio, ſed ad hoc ipſum duntaxat, vt longinqua cernantur. Vtrum igitur lumen abſque aere poſsit eſſe nec ne, in ſequentibus perquiremus, Nunc autem hoc in primis inueſtigemus. Profectò ſi lumẽ hoc contiguum viſui fit animatum, & anima per ipſum fertur, & in ipſo viget quemmadmodũ & in intimo, nimirum in percipiendo quoquomodo quale eſt videre lumine medio non egebit, ſed viſio ſimilis erit tactui, virtute videlicet videndi in lumine percipiente, dum medium nihil patitur, ſed illac viſus ipſe perfertur. Vbi ſanè quærendum eſt, nunquid ex eo quòd illic eſt interuallum, oporteat procedere viſum, an ex eo quòd in interuallo ſit corpus? Ac ſiquidem ex eo quòd corpus in interuallo ſit, ſi obſtaculum hoc auferatur, perſpicietur: ſin autem ex eo quòd ſimpliciter ibi ſit interuallum, viſibilis ipſius naturam oportet ſupponere ocioſam, & omnino nihil agentem. Sed enim hoc fieri nequit: tactus enim non ſolùm nuntiat atq; tangit, quòd aliquid ſit propinquum, ſed etiam quaſi paſſus tangibilis ipſius nuntiat differentias, ac niſi quid obſtiterit, id etiam ſentiat è longinquo. Simul enim medius aer atque nos percipimus ignẽ nõ expectantes ipſi quoad aer antè fuerit calefactus. Magis ergo corpus calefit ſolidum, quàm aer: quapropter per aerem potius, quàm propter aerem incaleſcit. Si igit̃ ſenſibile ad agendum vim habet, hoc autẽ ad patiendũ, vel etiã quomodocunq; viſus. cur nam alio indigeat medio, in quod vim habeat ad agendũ? Id enim nihil aliud foret, quã impedimẽto aliquo indigere. Iã verò quãdo ſolis lumẽ accedit, nõ prius oportet aerẽ, deinde nos, ſed ſimul illuminari. Et prius quã propinquet viſui, ſæpe dũ etiã adhuc eſt alibi, nos videre cõtingit, quaſi aer minimè patiat̃: dũ videlicet mediũ quidẽ hoc nihil eſt paſſũ, & lumẽ nõdũ, pfectũ, ad quod adhibere viſum oportet. Et, pfectò penes hãc ſuppoſitionẽ difficile fuerit cauſam aſsignare, ob quã & quomodo nocte ſtellas ignẽq; cernamus. Sin autẽ manet quidẽ anima in ſeipſa, indiget autẽ lumine, velut virga per quã ſe porrigat, oportebit violentã fore perceptionẽ ſecũdũ quandã porrecti luminis reuerberationẽ, atq; ſenſibilẽ colorẽ qua ratione color eſt, habere reflectendi virtutẽ. ſic enim per mediũ tactus efficient̃. Præterea & prius appropinquauit nullo tũc interueniẽte medio. Sic enim deinde per mediũ attingere, facit cognitionem, quaſi memoria quadã fiat & quodam potius argumẽto. nunc verò non ſit ita. Verũm ſi lumen ſenſibili propinquans oportet pati, deinceps verò id totum vſq; ad viſum continuata traductione procedere, eadem nobis ſuppoſitio

B

C fiet, atq; illa, quę tradebat medium prius à ſenſibili permutari & affici, aduerſus quam alibi diſputauimus.

MARSILIVS.

SIqua materialis paſsio à rebus ſentiendis affertur in medium, quia nimium diuerſa eſt ab incorporea natura ſenſus, ideo & ſæpe ſua uehementia confundit ſenſum, & nunquam eſt accommodata cauſa ſentiendi: niſi præter illam ſuboriatur ſpiritale aliquid uel in medio, uel ſaltem in inſtrumento ſenſus. Id quidem ſpiritale accommodatum ſenſui etiam apparet in uoce. Quod enim ubiq; totum circa uocem à multis eodem momento percipitur, ſignificaturq;, ſpiritale quiddam eſſe uidetur. Tale uerò aliquid circa quemlibet ſenſum non corporea cauſa generat, ſed procreat ipſa mũdi uita in ſubiecto tunc opportunè diſpoſito. Eſt autem hoc adeo cognatum ſenſui, ut cum primùm id circa ſenſum uiget actu, ipſe quoque ſenſus ipſius actus circa id ſimul expergiſcatur: Quemadmodum alijs hominibus alius præcipuè concentus eſt amicus, & alius alios ad cantum excitat, atq; tripudium. Quòd autem ad actum huius obiecti ſenſibilis ſtatim hic ſenſus agat, conficit eadem ubiq; uita mundi, hoc potiſsimum cum illo contemperans ſimulque mouens: ſicut ad talis humoris motum mouetur & imaginatio talis, atque uiciſsim. Item ad uarios Lunæ motus habitusq; uariè mouentur & afficiuntur humores: Ad motum ſulphuris mouetur & flamma: Quorſum intendis dextrum oculum, intenditur & ſiniſter. Cap. V.

D

PLOTINVS.

CAeterùm, nunquid circa ſenſus auditus concedendum eſt aerem quidem pati primum motum, & deinceps aerem proximum ab aere primûm ſonante, ſimiliterq; aerem vſq; ad auditum gradatim idem pati, atq; ſic ad ſenſum peruenire? An potius ſecundum accidens in his medium patitur, ob id videlicet quod interuenit? Quòd ſi inde tollatur, ſemelq; fiat ſonus, duobus inter ſe corporibus concurrentibus, ſenſum in nobis huius protinus excitari. Fortè verò opus quidem eſt pulſato aere ab initio, quod verò deinceps ſequitur, aliter ſe habet medium. Hic enim videtur aer dominus eſſe ſoni: quippè cũ neq; ab initio fieri queat colliſorum inter ſe corporum ſonitus, niſi aer in veloci eorum cõcurſu percuſſus atq; excuſſus eiuſmodi pulſum ſuccedenti aeri tradat vſq; ad aures auditũ: verùm ſi aer ſoni dominus eſt, huiusq; agitati pulſus eſt, quærẽdũ erit ſecundum quid potiſsimum differentiæ vocum ſonorumq; perpendantur. Aliter enim ſonat æs ære percuſſum, aliter alio, aliter alia corpora inter ſe colli dentia. Aer autem vnus eſt, vnaq; in eo pulſatio: non enim ſolùm per magnum atque paruum horum differentiæ perpenduntur. Sin autem aſſeueretur vocis ſoniq; auctoritas penes aerem, propterea quòd pulſus illatus aeri ſonum red-
E dat, reſpondendum eſt, nõ qua ratione aer eſt, id effici. Tunc enim reſonat, quãdo ſtatum ſolidi corporis adipiſcitur antè quàm effundatur, manens quaſi quid dam ſolidũ: Quapropter ſufficiunt hîc ea quæ mutuò ſe collidunt, dicendumq; eſt colliſionem pulſationemq; eiuſmodi eſſe ſonum ad ſenſum vſque peruenientem. Huic verò ſententiæ argumento videntur eſſe ſoni qui in animalium interioribus fiunt, non in aere, ſed parte animalis alia aliam collidente: quales ſunt quædam oſsium flexiones, attritionesq; mutuæ, aere nullo interueniente. item diſruptiones quædam & ſectiones. Sed de hoc quidem ita ſit dubitatum, cuius quæſtio ſimilis eſt quæſtioni de viſu ſuperiori. Et profectò de illa atq; de hac di cendum eſt vim ſentiendi conſiſtere in compaſsione quadam conſentioneque mutua rerũ, tanquam in eodem viuente manentium.

MARSILIVS.

LVmen non ab illuminato, ſed ab illuminante dependet: ſimiliter uita omnis non ab animato, ſed ab anima pendet tanquam proprius actus & regitur, etiam ſi omne foris defuerit ſubſtentaculum. Primum corpus eſt cæleſtis ignis: prima huius qualitas eſt lumen: ideo uſque adeo perfecta eſt, ut per modum actus potius quàm ocioſæ qualitatis exiſtat. Actus quidem tã efficax, ut per
F omnia ſe ſo porrigat à fonte proprio nõ diſiunctus. Appellatur & ignis eiuſmodi color, qui uſque quaq; diffuſus, colores omnium ocioſos ſuſcitat, atque circunfundit. Præterea in quocunque ſub cælo corpore præualet igneus quidam uigor cæleſti ſimilis: emicat & inde lumen, quaſi familiaris color. Sub præſentia Solis lumen calefacit aerem: Calefactio quidem utroq; indiget, ſcilicet & præſentia Solis, & aere. Hæc uerò calefactio competens medium eſt inter lumen atq; calorem: Calor ſanè poteſt etiam ſine præſentia luminis in aere ſupereſſe. Ergo lumen ſine aere penes Solem exiſtere potęſt: ſed calor quidem à lumine relictus in aere non multo tempore ſupereſt, quoniam eſt alienus: lumen uerò circa Solem ſemper, quia proprium. Propriũ enim inſeparabile eſt. Alicuius certè proprium eſt lumen, non diaphani per ſe quidem obſcuri: ergo Solis ipſius, corporisq; ſolaris. Et meritò ſicut eſt forma quædam in ordine rerum in ſeipſa conſiſtens, quædam alio ſubſtẽtata, ſic & actus eſt duplex: Alter quidẽ formæ dũraxat agentis, alter inſuper iacẽs in patiẽte. Lumẽ uerò nõ fieri propriã diaphani qualitatẽ alibi diximus, quia neq; ſuſcipitur paulatim, neq; etiã retinetur, neq; ſimul cũ hoc inficitur uel mouetur, neque confunduntur inter ſe lumina, neq; igitur cum cæteris qualitatibus cõmiſcentur. Non confundi apparet ex eo quòd ſi tribus luminibus corpus unicum opponatur, tres in oppoſitũ umbræ reſultant: qm̃ tria ibidem lumina ſunt diſtincta. Præterea ſi tribus candelis opponatur ingẽs tabula, in cuius medio ſit foramẽ, tria lumina in oppoſitum inde reſiliunt:

aliud

A aliud quidem in rectum, alia duo è transuerso se inuicem intersecantia, non confusa. Similiter mentes & animæ coniunctæ inuicem minimè confunduntur. Lumen meritò neq; subiecto capitur, neq; commiscetur alicubi, quoniam omne lumen cælestis luminis est imago: illud uerò animæ cælestis est actus. Sicut enim uerbum emittitur ab anima uelut actus imaginationis extra porrectus, in quo tria sunt, aer, motus, significatio: sic à luce intellectuali cælestis animæ per omnia efficacissimus actus effunditur, in quo tria sunt, lumen, calor, uis occulta: & aliquò peruenit lumen, quò non calor, & è cõuerso. Vis autem in hoc actu occulta, quæ in eo potissimum est, per omnia transit, facitq; mirabilia, non formaliter calefaciendo, uel palàm illuminando, sed speciales inserendo uirtutes.

PLOTINVS.

RElíquum est indagare, nunquid lumen futurũ sit alicubi, si nõ sit aer: velut si Sol in corporum superficie fulgeat, sed medium sit prorsus vacuũ. Quod quidem nunc secundum accidens illuminatur, ex eo quòd medium hoc corpus interuenire cõtingit. An fortè propter ipsum aerẽ patientem & alia pati, naturamq; luminis existere, ppter ipsum aerẽ, cuius quidem passio quædam sit? cumque sit eius passio, nimirum non fore nisi & patiens aer existat. Sed enim lumen non est aeris ipsius primò, neque qua ratione est aer. Est enim & vniuscuiusque corporis ignei atque splendidi, lapillorumq; similium color splendidus: sed hoc ipsum quod ab illo colorem eiusmodi possidente manat in aliud, num erit? Si
B aliud hoc minimè fuerit: profectò si qualitas est duntaxat, & qualitas alicuius, cum qualitas omnis sit in subiecto, necesse est lumẽ in eo cui inest corpore quærere. Si autem lumen est actus ab alio, cur nam si absit sub eo corpus, fingaturq; inane, non existet, & ad superius etiam se extendet? Cum enim intentum erectumq; sit, quid prohibet quo minus pertranseat etiam à nullo vectum neq; alicubi præcludatur? At si tale est, vt cadat, deferetur vltrò: neq; enim aer, neq; illuminatum quicquam erit, quod hoc trahat ab illuminante, & prodire compellat: quoniam neq; etiam accidens est, adeo vt sit prorsus in alio, vel alterius passio quædam, ita vt oporteat esse, quod patiatur: alioquin oporteret discedente eo quod illuminat, lumen in re illuminata manere. Nunc verò abit: itaq; fortè progredietur. Quó nam igitur? An fortè locum esse oportet solum? Alioquin ita corpus Solis actum suum perdet ex ipso pendentem. id autem est lumen. Si ita est, neq; lumen alicuius erit. Quod quidem est actus ex subiecto quodam emicans, non tamen transiens in subiectum: sed subiectum si fortè adsit sub eo aliquid patietur. Profectò quemadmodum vita, quæ & actus est, actus est animę, sub quo & aliquid velut corpus, si adsit, patitur: ac etiam non præsente corpo-
C re est actus eiusmodi, ita nihil prohibere videtur, ita se lumen habere: siquidem est actus quidam corporis luminosi. Non enim nunc ipsum aeris tenebrosum gignit lumen, neque tenebrosum ipsum terræ commistum prorsus impurum procreat lumen: sic enim perinde id se haberet, ac si dicatur aliquid fore dulce, si modò misceatur amaro. Proinde siquis lumen esse dicat permutationem affectionemq; aeris, dicendum huic insuper erit, oportuisse aerem ipsum in hac trãsmutatione aliter affici, tenebrosamq; eius cõditionem iam in aliud permutatã, non esse amplius tenebrosam. Nunc verò aer, qualis est, permanet vtpote qui reuera nihil est passus. Atqui passionem omnem illius esse oportet, cuius est passio. Neque igitur est color aeris, sed in se ipso consistit: adstat verò aer. Atq; de hoc hactenus ita sit dictum.

MARSILIVS.

SIcut reliqua corpora proijciunt semper foras ex se nõnihil, scilicet uaporẽ, uel uirtutẽ uel imaginẽ, ita sidereũ corpus atq; simile actũ suũ emittit foras: & quia efficaciter, ideo procul eiusmodi actus est lumen, attingens quidẽ externa, & interim fontẽ propriũ nõ relinquens. Inter lucẽ prorsus intimã lucido corpori, atq; calorẽ iam aeri factũ intimũ, est lumen partim quidẽ lucẽti intimũ, partim etiam extra procedens fermè sicut sermo inter cogitationẽ atq; fabricã. Lumẽ quo momẽto

D penetrat molle diaphanum, eodem diaphanum transuerberat uel duriſsimum. Incorporeum eſt igi tur cui duritia corporis non reſiſtit. Veruntamen quoniam eſt cæleſte, ideo obſtaculum natura terreum etiam ſi minus durum ſit, non capit lumen. Quoniam igitur incorporeum eſt, non debemus huic paſsiones corporis attribuere, ideſt accedere, recedere, refluere, transfluere, contrahi, dilatari: ſed potius ubi coram diaphanum exponitur lucido, ſtatim lumen illic exiſtere, illic agere, ſin minus non exiſtere, ibi non agere. neq; tamen ſimpliciter eſſe deſinere quamdiu corpus eſt lucidum. Lumini ſimile eſt radialis actus ſpectaculi directus in ſpeculum. Item uitalis actus animæ directus in corpus. Actus uitalis omnis eſt immortalis. Et qui ab anima noſtra in corpus intenditur, eam perpetuo comitatur. Et qui in corpus idem manat ab anima mundi, hanc quoq; animã aſsiduè ſequitur.

Cap. VII.

PLOTINVS.

QVærendum eſt, vtrum lumen eo quòd illuminat abeunte, protinus euaneſcat: an potius recurrat in ipſum. Fortè enim ex hoc etiam ad id quod propoſitum fuit, proficiemus. Profectò ſi lumen ſic inſit illuminato corpori, vt proprium iam eius euaſerit: fortè quis dixerit euaneſcere. Si autem eſt actus aliquis è fonte non effluens, alioquin circumflueret, atq; intus poſsideretur, plus etiam quàm quantum ab agente prouenerit, nimirum nõ deſtruetur, quatenus
E quod illuminat, in ſua ſubſtantia permanet. Quando verò transfertur illud, hoc quoq; in alio exiſtit loco: non quaſi refluxus fiat aliquis, ſiue transfluxus: ſed quia actus illius exiſtat, & adſit eatenus, quatenus nihil obſtat adeſſe. Quoniã etiam ſi longe maior diſtantia foret quàm nunc ſit Solis, à nobis lumen id totũ Solis impleret, nullo videlicet prohibente: neq; obſtaculo vſquam impediente. Eſt autem actus alter in luminoſo, & quaſi vita plurima corporis luminoſi, ac velut principium & foris agendi. Eſt & actus alter vltra terminos corporis luminoſi, qui eſt interioris imago, & ſecundus actus à primo minimè deſtitutus. Profectò res quælibet exiſtens habet actum, velut quandam ſui ſimilitudinem: adeo vt re ipſa exiſtente, actus exiſtat: & illa manente prodeat ad remotum: partim quidem longius, partim verò breuius, & partim debiles atq; exiles partim quoq; latentes: quorundam verò maiores ſunt actus, proculq; fundun tur. Et quando ad remota procedunt, ibi exiſtimandum eſt eſſe, vbi agens eſt & potens, rurſusq; quò currit. Proinde videmus in animalibus, quorum naturaliter lucent oculi, lumen extra ex oculis emicare: in animalibus quoq; quæ intus collectum ignem poſsident, quando ſe aperiunt, lumen in tenebris extra fulgere: & quando ſe concludunt, nihil luminis extra relinqui. Quod quidem nõ pe
F nitus euaneſcit, ſed aut eſt quidem, aut non eſt extrinſecus: quid ergo, nũquid in animal ipſum regreditur? An potius dicendum eſt, extra non eſſe? Quandoquidem neq; ignis ad externa proceſsit, ſed intrinſecis ſe inſinuat. Ipſum ergo lumen nunquid ſeipſum inſinuauit? Non fortè, ſed illud tantùm. Cũ verò quod illuminat ſeſe occulit, corpus iam aliud obſtat, adeo vt illud ad externa non agat. Eſt igitur ipſum manans à corporibus lumen, actus quidam lucidi corporis ad externa procedens: ipſum verò lumen omnino talibus corporibus inſitũ, quæ quidem primò talia ſunt, eſt eſſentia ſecundum ſpeciem corporis primò lucidi. Quando verò vnà cum materia corpus tale miſcetur, colorem exhibet: ſolus autem actus non exhibet, ſed velut colorationem quandam, vtpote qui ſit alterius, & ab ipſo continuè manans, à quo quidẽ quod abeſt, ab actu eius inſuper abeſt: Tũ verò oportet omnino lumẽ incorporeũ iudicare, quãuis ſit actus corporis. Quapropter nõ ꝓpriè de hoc dicit, & præcipuè vel accedere, vel diſcedere: ſed alio quodam pacto hæc ibi ſe habent, atq; eſt ipſius ſubſtantia tanquam actus. Siquidem ſimulachrum quoq; in ſpeculo actum nuncupare debemus eius quod videtur in ſpeculo, agentis in id quod pati poteſt. Vbi quidem nihil effluit: ſed ſi adſit, & illud illic apparet: atq; ita ſe habet, vt ſimulachrum coloris ſic figurati. Ac ſi abit, non ulterius perſpicuum corpus habet, quod prius

habebat,

A habebat, quãdo ſpectaculum ipſum agebat in ſpeculũ. Proinde in anima quoque quantũ eſt, animæ prioris actus, manente priore manet & actus comitans. Siqua verò vis ſit, quæ non ſit animæ ipſius actus, ſed ex actu, qualem diximus vitam iam corporis propriam, nunquid ita ſe habet, ſicut lumen corporibus iã permiſtum? Fortè lumen quidem hoc reſidere dicemus, quia & quod colorem facit eſt mixtum: De vita verò corporis propria quid? Fortè corpus hanc retinet altera videlicet adſtante anima. nihil enim expers animæ eſſe poteſt. Quando igitur corpus interit, neq; huic ſufficit, vel ipſa quæ ſuppeditauit hactenus, vel ſi qua etiam adſtet, quónam pacto adhuc vita permanet? Quid ergo? Periſt hæc? Fortè neq; hæc perijt: nam & hæc eſt quædam illuſtrationis imago: ſolum verò dicendum eſt ibi non eſſe.

MARSILIVS.

Cum mundus ſit uniuerſum corpus atq; ſenſibile, poni reuera non poteſt ſenſibile aliquid extrà mundum. Quòd ſi fingas corpus aliquod extra nulla in re cum mundo communicans, non ſentietur ſenſu mundano: ſin uerò quoquomodo communicans, iam non erit extra, ſed intra. Quòd patiente digito pedis, ſtatim compatiãtur inguina, & hæc quidem potius quàm genua, quãuis remotiora, inde contingit, quia & in eodem animali ſunt, & præcipuè inter ſe conformia. ſimiliter ad paſſionem cerebri patitur ſtomachus, atq; uiciſsim. Simili ratione quòd ſenſus etiam longè diſtantes ad leuiſsi-
B mos ſenſibilium ſuorum motus, etiam non patiente medio annuant, efficit una mundi inter hæc cõtinuata natura: Sicut continuitas longiſsimi intentiq; nerui facit ut uibrata parte uel infima, ſtatim uibretur, & ſumma. Hinc quoq; contingit, ut rerum ſeries cælitus imminentes, & adhuc futuras imaginemur uel occultiore quodam inſtinctu ſæpius imitemur, & amicum ad nos proficiſcentem ante quàm perueniat, occulto quodam ſenſu nonnunquam præueniamus. Cap. VIII.

PLOTINVS.

SI corpus ſit extra cælum, & mundo huic ad illud oculus dirigat, nihilo prohibente diſcernere, dubium eſt, vtrum illud videre poſsit, quoniam cum illo nequaquam in paſsionis cõmunione conſpirat: ſiquidem nũc cõmunio paſſionis rebus ineſt propter ipſam animalis vnius naturam cunctis vbiq; commu nem. Fortè ſi cõpaſsio circa ſenſualia ſenſibilia, ſenſus penes animalis vnius naturã eſſe cenſetur, ſic mundus hic corpus illud minimè cerneret, niſi fortè illud corpus externum animalis huius noſtri membrum eſſe dicatur. Si enim ſit eius membrum fortaſſe perſpiciet: verùm ſi non ſit huius membrum, ſit tamen coloratum corpus, qualitatesq; cæteras habeat, quales & mundus, ideoq; conformè ſit inſtrumento huius mundi ſenſorio, fortè viſurum aliquis opinetur. Sed neq;
C ita, ſi modò recta ſit ſuppoſitio: niſi quis hoc ipſo ſuppoſitionem ſtudeat è medio tollere: afferens perabſurdum forè, niſi viſus planè colorem præſentem intueatur, ſimiliterq; ſenſus alij circa præſentia ſibi obiecta ſua nihil agant. Nos autem dicemus vndè nam abſurdum hoc nobis appareat: fortè quoniam hîc & in vno & vnius nunc exiſtentes hæc agimus, atq; patimur. Id ergo conſiderandum, an præter hoc ſit aliud afferendum. Quòd ſi ſatis id nobis facit, iam eſt demonſtratum: ſin minus, per alia iterum demonſtrandum. Quòd igitur animal vnum ſecummet in patiendo conſentiat, ſatis eſt manifeſtum: atque ſi quodcunque dictum eſt vnum ſit animal, iam ſufficit, partesq; erunt vnius omnia, & quatenus viuentis vnius partes erunt inter ſe conſentient. At ſi quis aſſerat mundũ hunc ſenſurum corpus illud ob quandam duntaxat ſimilitudinem, ipſa tamen perceptio ſecundum animalis naturam erit atq; ſenſus, quoniam id ipſum ſimilitudinem poſsidet: inſtrumentum enim ipſius eſt ſimile. Quapropter ſenſus erit perceptio animæ per inſtrumenta ſimilia rebus percipiendis. Si igitur exiſtens animal ſentiat quidem nõ ea tantùm quæ in ſe ſunt, ſed ſimilia quoq; ſuis, profectò qua ratione animal eſt, percipiet: ipſa verò percipienda non quatenus ipſius ſunt, ſed quatenus ſimilia percipienda erunt. Sed fortè potius ipſa quoq;

D percipienda, ſiccirco ſic percipienda ob ſimilitudinem erunt, quoniam ipſa eadem anima ſimilia reddidit, adeo vt familiaria forent. Quapropter ſi auctor illic ſit anima omnino diuerſa, certè quæ ibi finguntur eſſe ſimilia, nihil ad eam pertinent, ſed enim abſurditas in ſuppoſitione repugnantiam eſſe declarat, tanquam hæc ipſa abſurditatis cauſa ſit: nempe animam ſimul dicit atq; non animam, cognata ſimul & non cognata, ſimilia hęc rurſus & diſſimilia. Quamobrem cum repugnantia in ſe prorſus includat, non erit ritè ſuppoſitio iudicanda. nã & ſupponit in hoc animãq; eſſe. Quare & vniuerſum ponit, & nõ vniuerſum, aliudq; rurſus, atque non aliud: item nihil, atq; nonnihil, ſcilicet extra ipſum: denicq; perfectum ſimul & imperfectum. Itaq; reijcienda eſt eiuſmodi ſuppoſitio, quia nõ liceat inde conſequentiã quærere: propterea quòd id ipſum quod ſupponitur in ſeipſo, per illam diſperdatur & pereat.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEXTVS. DE SENSV ET MEMORIA.

MARSILIVS.

E NON imprimuntur ſenſibilium formæ in anima. Non imprimi à ſenſibilibus formas in anima tanquam à ſigillo in cera Boetius noſter in Conſolatione probat: nos in Theologia & commentarijs Theophraſti. Plotinus exiſtimat formam animæ ſic impreſſam ſortiri iam obiecti ſenſibilis rationem: itaq; ſi in uiſu impreſſa fuerit forma cæli, quinq; abſurda ſequi, Primùm, non oportebit oculum ad cælum ultra dirigere. Secundum non metiemur quantum diſtet cælum ab oculo, imò neq; diſtare putabimus. Tertium, non apparebit cælum oculo latius. Quartum, non cælum uidebimus, ſed hanc forſan in nobis cæli formam. Quintum, non diſcernemus rem ſenſui ſic impoſitam. Cap. Primum.

PLOTINVS.

SI ſenſus dicamus non tanquam formationes quaſdam vel impreſsiones in anima fieri, conſequenter omnino dicemus neq; memoriã eſſe diſciplinarũ ſenſuumq; conſeruationẽ, quaſi figura quædam ſeruetur in animo, cum neq; prius quidem extrinſecus ſit accepta. Quapropter ad eundem ſermonẽ vtraq; pertinent. Aut enim dicendum eſt fieri formas in animo eaſdemq; ſeruari, ſi modò memineris: aut ſi alterutrum negaueris, neq; alterũ quidem debes admittere. Nos ergo qui neutrũ concedimus, quisnam vtriuſq; modus ſit, inueſtigare cõpellimur: quandoquidẽ neq; ſenſibilis rei figurã in animo fieri dicimus & animũ figurare, neq; memoriã eſſe fatemur impreſſæ aliquãdo permanẽtisq; figuræ cuſtodiam. Quòd ſi in ſenſu perſpicaciſsimo quid eueniat contẽplemur,
F fortè in alijs quoq; ſenſibus idem ſcilicet ad alios transferentes, quod deſideramus, inueniemus. Conſtat autem vbiq; quando aliquid cernimus, illic nos aſpicere viſuq; attingere, vbi eſt ipſum viſibile poſitum è conſpectu, quaſi illic perceptio fiat, & anima extra proſpiciat. Quod quidem (vt arbitror) indicat nullam in anima formam vel factam eſſe, vel fieri: neque animã ex eo videre, quòd admittat impreſsionem, qualem cera ſuſcipit à ſigillo. Nihil enim opus foret vlterius extra reſpicere, ſi iam in ſe rei videndæ ſpeciem poſsideret, atq; ob hoc ipſum quòd intrauerit in eam ſpecies, cerneret. Præterea quando animus interuallum adhibet rei quam videt, & quamprocul videat cernit, ſatis indicat nõ habere intra ſeipſum quod intuetur: alioquin cum nihilo diſtaret ab ipſo, non tanquam procul poſitum peruideret: Item iudicare non poſſet per formam intus acceptam, quanta ſit res externa, neq; etiã omnino eſſe quantam, ceu quàm magnum ſit cælum: quippe cum forma intus accepta eſſe tanta non poſsit. Quod verò eſt omnium maximũ, ſi figuras eorum quæ videmus, intus acciperemus, nõ liceret cernere ea ipſa quæ intuemur, ſed eorum imagines atq; vmbras. Itaq; continget, alia quidem eſſe quæ ſunt in rebus, alia verò quæ nobis apparent.

Omnino

A Omnino verò quod fertur, non poſſe nos rem impoſitam pupillæ diſcernere, remotam verò poſſe, idem quoque multoq; magis, eſt ad animam trasferendum. Si enim rei videndę figuram poneremus in anima, ſpectaculum illud, quo inſigniretur, minimè cerneret. Oportet enim hæc duo quædam eſſe, quod videt, & quod videtur: aliud igitur oportet eſſe, quod videt figuram alibi poſitam neq; poſitam in ſeipſo. Quare neceſſe eſt viſionem nõ quidem impoſitæ rei eſſe, ſed potius non impoſitæ, ſi modò futura ſit viſio.

MARSILIVS.

Sentire non eſt pati à rebus ſentiendis, ſed agere circa illas. Cap. II.

ANima quoniam rebus ſentiendis abſq; proportione excellentior eſt, neq; cum eis in materia uel natura communicat, formas ab eis nunquam ſuſcipit: & quoniam in ſentiendo rectè iudicatura eſt, paſsio uerò confundit iudicium, nihil patitur ab obiectis. Si qua uerò paſsio contingit ab eis in corpus peruenit, atq; ſpiritũ: quo quidem ſpiritu ſic ab externis, aut ſic pulſato, uel affecto ſtatim anima præſens affectiones eiuſmodi percipit. Id uerò percipere non eſt pati, ſed potius agere, ideſt aliter tunc ſpiritum, atq; aliter uegetare, & innatas (ut Iamblichus ait) ſenſibilium formas edere. Intelligentia multò magis quàm ſenſus eſt à paſsione remota: nam & interiores habet formas, nec extra conuertitur.

PLOTINVS.

B SI ergo nõ ita fit ſenſus, reliquũ eſt, quomodo fiat inquirere. An forte de his dicit anima quæ non habet? De his profectò. Hoc enim poteſtatis eſt propriũ non quidem pati aliquid, ſed valere, & opus ſibi proprium exequi. Sic arbitror diſcernetur ab aliquo viſibile, ſcilicet atq; audibile: non quidem ſi figuræ quædam vtraq; ſint, imò ſi non figuræ, neq; paſsiones vllæ, ſed actiones circa quod naturaliter ſunt inſtitutæ. Nos autem diffidentes vim quamlibet obiectum ſuũ, niſi pulſetur ab eo, poſſe cognoſcere, interea facimus admouendo, vt patiatur proximum, non cognoſcat: quod quidem ſuperare debet naturæ munere animus, non ſuperari. Eadem ratione de auditu etiam eſt iudicandũ: figurã, ſcilicet in aere fieri velut pulſationẽ quandam diſtinctã articulatim, quaſi literarũ illic ſcriptarum ab eo qui protulit vocem. Vim verò eſſentiamq; animæ, quaſi figuras legere ſcriptas in aere, proximè illuc accedentes, quò tandẽ profectę natura liter percipi poſſunt. Proinde circa guſtum & odoratum alia quidem paſsiones ſunt, alia verò paſsionum cognitiones, ſcilicet ſenſus & iudicia paſsionum, quæ quidem à paſsionibus differunt: intelligibilium verò cognitio multo etiã magis paſsionis formationisq; eſt expers. Hæc enim è conuerſo velut ab intimo prodeunt, ſenſibilia verò attinguntur extrinſecus, ideoq; illa magis actio-
C nes ſunt actionesq; præcipuę. Ipſius enim animæ ſunt, ipſaque anima horum quodlibet agit. Vtrum verò anima ſeipſam quidem, duo quædam videat, & velut alterum, intellectum autem velut vnum, & ambo, duo vnũ, alibi diſputãdũ.

MARSILIVS.

Meminiſſe & reminiſci non eſt conſeruare atque repetere rerum formas aliquando impreſſas animo. Cap. III.

QVando dicunt animam tanquam rerum incorporearum atque corporearum mediam utrarumq; in ſe formas habere, non intelligimus has formas tanquam accidentia quædam iacere in anima, ſicut literas in tabella, ſiue aliquando inſcriptæ ſint, ſiue ingenitæ. Nam animæ diuinæ natura neq; nouas ſubit impreſsiones, neq; rationes rerum quas habet ab initio, tam diuerſas habet ab ipſa ſui natura, ut accidentia referant: ſed ut alibi diximus, ſicut ſunt in anima naturales ſubſtantiæ uires, intellectus, ratio, imaginatio, ſenſus, & potentiæ uegetales, ita rerum quoq; cognoſcẽdarum rationes habet quaſi uires eſſentiales, quemadmodum & membrorum ſeminales poſsidet rationes. Quando igitur anima aliquid meditatur, ſeipſam ex naturali uirtute in actum naturalem circa id ipſum educit. Quòd ſi attentius diutiusq; meditatur idem, in hoc ipſum ualentius ſe conformat, idq; eſt meminiſſe: hinc & facilius reminiſcitur.

D PLOTINVS.

POst hæc autem de memoria dicendum eſt: Et ante omnia non eſſe mirandum, imò verò mirandum quidem, non tamen incredibile, quod tali poteſtati animæ attribuimus. eam ſcilicet nihil in ſe accipiente, ea tamen quæ non accipit, animaduertere. Animæ namq; natura eſt omnium: ratio inquam intelligibilium, & eorum quæ illic ſunt, vltima: eorum verò quæ ſunt in vniuerſo ſenſibili, prima. Quapropter ad vtraq; vergit: & à ſuperioribus quidem bene afficitur, atq; reuiuiſcit: ab inferioribus autem quadam ſimilitudine fallitur, & tanquam delinita prolabitur. Cum igitur ſit in medio cõſtituta, nimirum percipit, vtraq;, & ſuperiora quidem dicitur intelligere, in memoriam videlicet reuocata, ſi quidem illis incumbat. Cognoſcit autem propterea quòd quodammodo eſt hæc ipſa: nempe non cognoſcit ea collocando eadem in ſe velut in ſede, ſed quodammodo hæc habendo atq; intuendo: atq; ex eo quòd anima hæc ipſa eſt obſcurius, & ex habitu quodam obſcuriore velut experrecta euadit lucidius eadem, & ex potentia prodit in actum. Senſibilia quoq; ſimiliter quaſi coaptans hæc ipſa ſecum, efficit vt effulgeant, & ante oculos ponit: quippe cum vis
B animæ etiam prius ad id præparata ſit, eademq; parturiat. Quando igitur ad aliquid eorum quæ offeruntur, corroboratur, diu ad idem quaſi ad præſens afficitur, & quò magis corroboratur, eò diutius. Quamobrem pueri magis memores eſſe dicuntur, quoniam non citò deſiſtunt, ſed rem ipſam diu ante oculos habent: quippe cum nondum diſtrahantur in multa, ſed paucis vehementer incumbant: quorum verò cogitatio visq; circa multa verſatur, hi quaſi percurrunt, nuſquamq; inſiſtunt. Si autem formæ rerum in animo impreſſæ manerẽt, multitudo memoriam non minueret. Præterea ſi reſiderent formæ, conſideratione ad reminiſcendum nequaquam indigeremus: neq; cum prius eſſemus oblíti, ſubinde reminiſci nos oporteret, vbi figuræ manerent. Præterea meditationes ipſæ quæ conducunt ad recolendum atque reſumendum, declarant idipſum quod hinc acquiriẽ nihil aliud eſſe, quàm animæ corroborationẽ quãdã atq; vigorẽ. Quemadmodum exercitationes manuum, aut pedum adhibitæ ad nõnulla facilius peragenda, quæ neq; in manibus, neq; pedibus ſita ſunt, ſed ad quæ mẽbra hæc cõtinua quadã cõſuetudine promptiora redduntur. Præterea cúrnam cũ ſemel aut bis tantũ audiueris, nõ recordaris, ſed cũ ſæpius iam audiueris, & quod prius auditũ nõ tenebas, deinde poſt lõgum tẽpus iam tenes? Non
F enim hoc ideo fit, quia partes figuræ prius acceperis, nam & harũ recordareris, ſed velut repente hoc efficitur ex vltima quadã auditione ſiue meditatione id peragente. Hæc ſanè teſtanť vim animę prouocari, per quã recordamur, & quæ ſi corroborari vel ſimpliciter, vel ad aliquid: Tum verò quãdo memoria nobis ſuppeditat nõ illa ſolũ quæ meditati ſumus, ſed multa etiã ſuggerit ſiue reddit, inditijs videlicet quibuſdam aſſuefacta, vnde ex vnius reſumptione alia quoq; multa facilius reſumunť, quã aliam eiuſmodi memoriæ cauſam afferre quis poteſt, quã ipſam animæ vim iam eſſe corroboratã? Nempe rerũ formę inſidentes animo debilitatẽ potius quã potẽtiã indicarẽt. Quod enim formis eſt plurimis inſignitũ, cedendo factũ eſt tale: Cũq; figuræ impreſsio ſit quædã paſsio, ſequiť vt q maximè & paſſũ eſt ſit & maximè memor, huius autẽ contrariũ manifeſtè cõtingit. Nuſquã enim ad opus quoddã exercitatio id ipsũ quod exercitať reddit magis paſsioni ſubiectum: quoniã & in ſenſibus non quod eſt debile cernit velut oculus, ſed cui vis ineſt vberior ad agendum. Quare ſenes & ad ſenſus debiliores, & ad memoriam quoq; ſimiliter. ſenſus igiť & memoria vigor aliquis eſt & valor. Proinde cum ſenſus non ſint quædam figurarũ impreſsiones in animo quónam pacto memoria eſſe cõſeruatio poteſt eorum, quæ nec abinitio quidem penes eam depoſita ſunt? Verùm ſi memoria facultas quædam eſt

præ

A præparatioq; ad promptum, cur non ſimul & ſubitò, ſed deinceps reſumimus eadem: quia videlicet vim ipſam adhibere oportet, atq; intendere. Id enim in alijs quoq; viribus videmus accidere, quæ quidem ad id quod poſſunt, parantur efficiẽdum: & partim quidem ſubitò, partim verò ſi ſeipſas antè collegerint, ſuum munus expediunt. Plurimum verò non ijdem acuti vidẽtur & memores, quoniam non eadem eſt vtriuſq; poteſtas: ſicut neq; idem eſt pugil & curſor. aliæ namq; in alio dominantur ideæ. Tametſi nihil prohibet hominem habentẽ exceſſus quoſdam animæ, quaſi quædam ſita relegere, neq; hominem hac parte profluentem non eſſe expoſitum paſſioni: deniq; quòd cõſtat animam magnitudini non eſſe ſubiectam, oſtendit omnino quicquid eſt in anima non paſſionem eſſe, ſed efficaciam: & omnino quæcunq; ſunt circa animam, mirabili quadam ratione alia ſe habere, quàm ſuſpicentur homines, qui talia nunquam diligenter indagauerunt: & aliter quã ſignificent manifeſtè acceſsiones ab his quæ ſentiuntur tranſeuntes ad eos, ſimilitudine quadam decipientes. Vnde velut in tabellis quibuſdam ſiue libellis inſcribũtur literæ. ſimiliter de ſenſibus & memoria opinantur. Et profectò qui ſic afficiuntur, ſiue corpus animã ponant, ſiue incorpoream, quot ex illa ſuppoſitione abſurda ſequantur, prorſus ignorant.

B # PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEPTIMVS DE ANIMI IMMORTALITATE.

MARSILIVS.

Vnuſquiſq; noſtrûm totus eſt immortalis, ſi quidem eſt ipſe animus immortalis. Cap. Primum

ANima dupliciter ſe habet ad corpus, partim quidem ut ſubſtantialis quædam ſpecies ad materiam: quoniam per eius præſentiam certa quædam humorum temperatura ſpiritusq; uitalis in corpore naſcitur, partim uerò tanquam utens ad inſtrumentum quantum pro arbitrio mouet corpus: atq; eſt à corpore ſeparabilis, & iam quodammodo ſeparata.

PLOTINVS.

VTRVM verò immortalis ſit vnuſquiſq; noſtrũ, an totus intereat, an partimquidẽ ſit caducus, partim verò perpetuus, qua ſcilicet parte ipſe ſit, hũc in modũ quis diſcere poterit ordine quodam naturæ contemplans. Homo profectò non eſt aliquid ſimplex omnino, ſed habet animam, habet & corpus, ſiue tanquam inſtrumentum, ſiue alia quauis conditione nobis adiunctum. Omni-
C no verò proponendum eſt atq; concedendum, ita potiſsimum vtriuſq; naturã eſſentiamq; diſtingui. Corpus igitur cum ipſum quoq; compoſitum ſit, tum ratione monſtratur perpetuò permanere non poſſe, tum ſenſu deprehenditur diſſolui prorſus, & diſsipari, cum quodlibet eorum quæ in eo ſunt reuertatur ad ſuum, & aliud interimat aliud, commutetq; in aliud, atq; diſperdat: præſertim quando anima, quæ conciliare ſolet, molibus iam non adſit. Atqui ſi corpus quodlibet relinquatur ſolum, nondum tamen prorſus eſt vnum, cum ſolui adhuc poſsit in formam atque materiam, ex quibus neceſſarium eſt ſimplicia etiam corpora eſſe compoſita. Præterea corpora omnia cum neceſſariò habeant quantitatem, conſequenter in minima quæq; redacta diſpereunt. Quamobrẽ ſi corpus pars eſt nobis, non ſumus vndiq; immortales: ſin autem noſtrum eſt inſtrumentum, oportet ipſum ad tempus tributum nobis tale eſſe natura: Ipſum verò principale, atq; ipſe homo erit vtique, vel tale ad corpus, quale eſt ſpecies ad materiam, ſiquidem hoc vt ſpecies eſt ad corpus ceu materiam: vel erit velut vtens corpore tanqnam inſtrumento quodam. Vtroque deniq; modo anima præcipuè eſt ipſe homo.

MARSILIVS.

D *Nullum corpus, qua ratione corpus, propriâ & inſitam habet uitam: anima uerò habet. igitur anima non eſt corpus, ergo neq; fit ex corpore uel corporibus, cum ſit natura præſtantior.* Cap. II.

CORpus ſua proprietate diſſolubile eſt: Anima proprietate ſua connectit corpus, cõciliatq; cõtraria, dum certa quadam ratione commiſcet. Neq; igitur diſſolubilis eſt, neq; corpus neq; ex certa corporũ miſtura cõcipitur: imò uerò uiciſsim ordinata ratio miſtionis in corporibus procedit ab anima. Erimus in hoc libro breuiſsimi: nam circa eadem in Theologia latiſsimi ſumus.

PLOTINVS.

HOc ipſum igitur, quod nomine animæ nuncupamus, quã potiſsimũ naturam habere dicendum: Profectò ſi corpus eſt, omnino eſt reſolubile. Omne nanq; corpus compoſitũ eſt: ſin aũt non eſt corpus, ſed naturæ diuerſę, oportet hãc quoque naturã uel eodem modo, uel alio perſcrutari. Principiò quærendum eſt, in quódnam corpus reſoluere corpus hoc quod uocant animam debeamus. Nempe cum ubique animæ inſit neceſſariò uita, neceſſarium eſt, ſi id corpus quod fingitur anima, ex duobus pluribúsue corporibus componatur, aut ambo uel cuncta ſimul, aut etiam quomodolibet ſingulatim uitam inſitam poſsidere, aut hoc quidẽ habere uitam, illud uerò nequaquã, aut neutrum hãc habere. ſi igitur uni tãtùm inſit uita, vnicũ hoc erit anima. Sed quódnã corpus hoc eſt, quod vitam poſsidet ex ſe ipſo? Sanè ignis, aer, aqua, terra ſuapte
E natura carent anima, & cuicunq; horum adeſt anima, hoc uita utitur peregrina: alia uerò præter hæc nulla ſunt corpora. Tum uerò quicunque præterea elemẽta quædam horũ introduxerunt alia corpora, ea tamẽ eſſe animas nõ dixerunt, neq; vitam eis attribuerunt. Siquis autem dixerit nullo eorum habente vitã, cõgreſsum tamen cunctorũ vitã conſtituiſſe, abſurda loquetur. Item ſi vnũquodq; vitã habet, vnum iã ſufficit. Omnino verò impoſsibile eſt, confluentiã corporũ vitã facere, & quæ intellectu carẽt facere intellectũ. Atqui nec quomodocunq; miſta hæc dicẽt vel intellectũ, vel ſaltẽ animã, creare. Oportet itaq; eſſe quod ordinet, miſtionisq; ſit cauſa. hoc igitur potius auctoritatẽ gradumq; animæ obtinebit. Iam verò nedũ corpus cõpoſitũ, ſed neq; ſimplex quidem corpus erit in ordine rerum, niſi in vniuerſo ſit anima: ſiquidem ratio ſeminalis accedẽs materiæ facit corpus, ratio verò ipſa nõ poteſt aliundè quã ab anima proficiſci.

MARSILIVS.

Omne corpus efficit diſtantia partium ut parte alia patiente non ſtatim compatiantur & aliæ: Per ipſam uerò animam corpus uiuum habet, ut ad partis unius motionem paſsionemq; cunctæ ſtatim commoueantur: anima igitur nec eſt corpus, neq; forma diſtenta per corpus. Cap. III.

F NOn eſt corpus craſſum, alioquin non facilè penetrabit totum: Nõ eſt corpus labile, alioquin labiliſsimum corpus non cõtinebit: Non eſt impreſſa corpori forma, alioquin nec expeditè corpori dominabitur ad uiuificandũ, & mouendum, & continendum, & à forma præſtantiore pendebit in ſeipſa manente, uitamq; effundente per corpus. Atq; hæc ipſa forma præſtantior potius erit anima: quæ cum indiuidua ſit ubiq; tota, & extra contrariarũ qualitatum genus facilè contraria inter ſe conciliat, & diſtenta diſsipabiliaq; connectit in unum.

PLOTINVS.

SIquis autẽ non ita dicat, ſed atomos vel indiuidua quædam cõcurrentia corpora animã vnione conficere, is profectò ipſa paſsionis conſenſione naturæq; copula refelletur: quippe cum nõ ita fiat per totũ vnum vel cõpatiens ex corporibus nõ patientibus, nec vllam admittentibus vnionẽ: ipſa verò anima ſibimet compatiẽs eſt omnino. quinetiam ex indiuiduis neq; corpus neq; magnitudo fieri poteſt. Præterea ſi corpus ſimplex adducat in medium, certè quãtum in ipſo eſt materiale non dicet ex ſeipſo vitam habere, materia enim qualitatis eſt expers: ſed aſſeret potius quod in eo vicem gerit formæ vitam afferre. Si ergo ſpeciem hanc eſſe dicat eſſentiam, certè non vtrunq;, ſed horum alterum erit anima: quod quidem non amplius corpus exiſtit, Non enim hoc eſt etiam

ex

A ex materia, alioquin eodem rursus modo resoluere compellemur. Sin autẽ subijciat eiusmodi speciem non essentiamquidem esse, sed quandam materiæ passionem, reliquum erit, vt nobis assignet, vnde nam hæc passio vitaq; descenderit in materiam. Non enim ipsa materia seipsam format, neque sibimet comparat animam: oportet igitur aliquid esse quod huic suppeditet uitã, siue ipsi materiæ, siue cuiuis corporum uita suppeditetur: suppeditet inquam foris extans corporeaq; omni natura superius. Iam uerò neque corpus omnino erit ullum nisi animæ uis extiterit: nã fluit semper, & in motu ipsa corporis natura uersatur, citoq; periturum est uniuersum, si quęcunque sunt sint corpora, quamuis etiam alicui corporum quis animæ nomen accommodauerit. Sic enim anima eadem prorsus atque alia corpora patietur cum eadem cunctis materia insit, imò uerò nihil alicubi fiet, sed omnia in materia residebunt, ubi non adsit formator ipse materiæ: Fortè etiam nec ipsa quidem materia erit omnino: Soluetur & hoc uniuersum, siquis salutem eius corporis connexioni committat, huic attribuẽs ipsum animæ ordinem, uidelicet usque ad nomina solùm, aeri cuidam & spiritui penitus dissipabili, unionemq; ex seipso nullam prorsus habenti. Cum enim corpora omnia sint diuidua, siquis alicui corporum committat hoc uniuersum,
B necessariò fateri cogetur demens id totum esse, ac temerè nimium agitari. Quis nam ordo esse potest in spiritu, ceu vento quodam tantum ab anima ordinem expetente, uel ratio, uel intellectus? Cæterùm si adsit anima, hæc omnia huic ptinus subministrãt ad constitutionem mundi animaliumq; reliquorum, dũ alia passim ab alio uis conducit ad totum: absente uerò hinc anima hæc reliqua ne dum ordine careant, sed neque omnino consistere poterunt.

MARSILIVS.

Stoici et Epicurei animam esse spiritum suspicabantur, id est, subtilissimum corpus: Illi quidem potius igneum, hi uerò magis aerium: & utrique non quemlibet spiritum, sed certa quadam proprietate affectum, animam nominabant. Cap. IIII.

HAec ipsa certa proprietas & quodammodo incorporea corporeq; excellentior non à corpore generatur, sed à substantia penitus incorporea, quæ potius anima iudicabitur: Quæ quidem cum ad oppositas in corpore qualitates & motiones tam edendas quàm regendas æquè se habeat, meritò neque certum aliquod corpus uel corporeum est, neque ex corpore quodam corporibúsue dependet,

PLOTINVS.

C IPsi etiã naturę corporeæ assertores veritate cõpulsi fatentur atq; testãtur, oportere speciem quandã rerũ ad animã pertinentẽ præcedere corpora corporibus cunctis præstantiorẽ, quando spiritũ intelligentię compotem, & ignẽ intellectualẽ adducũt in mediũ, quasi gradus ipse naturæ summus absq; igne atq; spiritu in ordine rerum esse non possit, & locũ quendam quo stabiliatur naturaliter exigat, cum deceret potius locũ quærere vbi corpora collocarent: quippe cum hæc reuera sint ipsis animæ viribus collocanda. Proinde si vitam & animã nihil aliud esse dicant præter spiritum ceu ventum, quærendum est ab eis, quid nam sibi velit illud apud eos tritum, quando scilicet dicunt: anima est spiritus certo modò se habens. Ad id enim confugere solent, quotiens naturam aliam præter corpora efficacem introducere compelluntur. Si ergo non omnis spiritus est anima, quoniã innumeri spiritus sint inanimes, sed spiritus quidam certò modo se habẽs, interrogabimus vtrũ quod dicitur certò modo se habẽs, & eius modi habitudo res aliqua sit, an nulla. Si enim res nulla sit, certè solus extabit spiritus. Quod verò adiũgit se habens, nomẽ erit solùm. Ex quo efficietur, vt nihil aliud præter materiam esse concedant: animam verò & deum, & similia omnia esse duntaxat nomina fateantur, sed reuera tantùm corpus existere. Sin autẽ habitudo illa res quædam est, & aliud quiddã præter subiectũ atq; materiã, quod

D quidem ſit in materia, ſit tamẽ immateriale, ꝓpterea quod ex materia rurſus nõ cõponat̃, certè nõ erit corpus, ſed altera prorſus natura & ratio quædã. Præterea nõ minus ex his apparebit animã corpus eſſe nõ poſſe: ſic enim aut calidũ eſſet aut frigidũ, aut durũ aut molle, aut cõpactũ aut fluidũ atq; laxũ: itẽ vel nigrũ vel albũ ſimiliterq; de cæteris corporũ qualitatibus ꝓponet̃. Et ꝓfectò ſi calidũ tãtùm eſt, calefacit ſolũ, ſi frigidũ, frigefacit tãtùm: ſi leue, ſolum eleuat reddítq; leuia vbicunq; adeſt: ac ſi graue grauat, ponderoſaq; facit. Similiter nigrũ nigra, & album alba ꝓpriẽ parit. Neq; enim ignis eſt frigefacere, neq; frigidi calefacere. Verùm anima tum in alijs animalibus alia facit & alia, tum in eodem cõtraria parit: partim quidem cogens, partim verò fundens atq; liquefaciens: Item alia denſa, alia rara, alba, nigra, leuia, grauia pariter efficit: tametſi non alia per aliam, ſed vnum duntaxat ſecundum qualitatem corporis vnam fieri oporteret, atq; colorem ſimiliter. nuc verò multa pariter affert.

MARSILIVS.

Anima motus effectusq; omniformes tam uegetali uirtute per rationes ſeminales quàm electione profert: Et corpus certo quodam ordine ad certum auget terminum. permanetq; ipſa interea eadem. Item tota anima eſt in qualibet uel ficta portione animæ, uel uera corporis portione. Totaq; uirtus animæ in qualibet ſeminis gutta ſeruatur.

E *Hæc autẽ munera ad molẽ uel qualitatẽ corporeã pertinere nõ poſſunt: Anima igit eſt incorporea. Cap. V*

PLOTINVS.

MOtus autem quónam pacto non vnũ tantùm, ſed differentes aſſerere poterunt, cũ vna corporis vniuſcuiuſq; ſit motio? Si autẽ cauſas motionum partim quidem ad electiones, partim verò ad rationes referant ſeminales, rectè quidem hoc ipſum aſſeuerabunt. Sed neq; corporis ꝓpria eſt electio, neq; rationes præſertim cum differentes ſint, corpus autẽ hîc vnum ſit atq; ſimplex, neq; corpus omnino rationis eiuſmodi cõpos eſſe queat, niſi quantũ ſibi conceſſum eſt ab eo quod reddit ipſum calidum aut frigidum. Augere verò certis temporibus & ad certum terminum, quánam virtute conueniet corpori? Cui quidem naturaliter cõuenit augeri, augere verò nequaquã, niſi fortè quantũ in mole materiæ ſimul adſummitur, velut miniſtrans ei quod per ipſum perficit augmẽtũ. Etenim ſi anima corpus exiſtens augeat, neceſſe eſt ipſam quoq; pariter augeri, quadam ſcilicet corporis ſimilis adiunctione: ſi modò tanta penitus euaſura ſit, quantum quod augetur ab ea: tum verò quod adiungitur, aut anima erit, vel inanimatum corpus. Ac ſi anima ſit, quærendum erit, vndénam & quomodo ingrediat̃, & qua conditione admoueatur. Sin autẽ quod adiungitur inanimatum ſit, quónã modo hoc animabitur, & præcedenti conſentiet, venietq; in
F vnũ, & priori anima in opinionibus cõgruet. Ac nõ potius hæc anima velut peregrina ignorabit ea quæ altera nouit. Et quemadmodum altera noſtra patitur moles, partim quidẽ ab ea defluet, partim etiã influet, nihilq; in nobis idem penitus permanebit. Quonã igitur pacto in nobis erit memoria, & agnitio propriorũ nunquã eadem vtentibus anima? Præterea ſi anima corpus eſt, ſicut natura corporis conſueuit, in plures diſtribuitur partes, quarũ nulla idem eſt atq; totum. Si ergo anima tãta quædam fuerit magnitudo, quæ ſi minor aliquanto fuerit, non vlterius futura ſit anima, certè ſicut & omne quantum, per quandam partium detractionem ex priori eſſentia permutabitur. Siquid autem corũ quę magnitudine protenduntur, aliquando cõminutum mole, interim idem permaneat qualitate, profectò qua ratione corpus eſt, & quantum iam cuaſit alterum, qualitate verò quæ differt à quantitate, idem ſeruare interea poteſt. Quid ergo dicent, qui animam corpus eſſe putant? Nunquid quamlibet animæ partem in eodem viuentis corpore eſſe animam perinde atq; tota eſt, fatebun-

tur?

A tur? ac rursus partis vniuscuiusque partem? Quòd si id fateantur, nihil vtique magnitudo ad essentiam animæ conferebat: tametsi conferre oportuit, vbi anima sit quantum quiddam: veruntamen totum ipsius animæ hîc erit vbique: quod corpori conuenire non potest, scilicet vt queat idem totum simul in pluribus esse, atque pars idem penitus esse valeat, quod & totum. Sin autem partium quamlibet animam esse negent, certè ex inanimatis apud illos componetur. Præterea si hunc in modum vniuscuiusque animæ magnitudo definita erit, neque consequenter ad vtrunq; tracta, siue ad maius, siue ad minus, erit amplius anima. Quando igitur ex vno coitu vnoq; semine fœtus gemini procreantur: vel quemadmodum in cæteris animalibus etiam plures concipiuntur, semine videlicet in plures particulas distributo, vbi vnũquodq; est totum, cur non euentus eiusmodi eos qui discere volunt admoneat? vbi pars idem est atque totum, hoc ipsum in essentia sua conditionem quantæ molis excedere, ipsumq; oportere esse prorsus à quantitate semotum. Nam ita duntaxat idem permanere potest quanto quouis subtracto, vtpote cui nihil opus sit quantitate vel mole: quippe cum eius essentia aliud quiddam prorsus existat. Anima igitur quantitatis est expers, rationesq; similiter.

MARSILIVS.

B *Necesse est diuersa per sensus uarios influentia ad intimum & unum indiuiduumq; sensum redigi omnia inter se comparantem.. Cap. VI.*

NIsi ad indiuiduum denicq; colligantur, non poterunt comparari per iudicium prorsus eundem: colligi uerò ibi sic apparet, quoniam colliguntur fermè similiter in pupilla. Sensus hic intimus neq; diuidi ad sensibilium diuisionem potest, neq; quantitate illis æquari, neq; esse humidus, alioquiu cessaret memoria: neq; durus, periret namq; docilitas: Et omnino si sit corporeus, formæ ibi rerum se inuicem impedient, atq; confundent.

PLOTINVS.

QVòd autem si anima corpus sit, neque sentire nobis dabitur, neque intelligere, neque scire, neque virtus omnino, neque quicquam egregium nobis inerit, ex his apparebit: siquidem enim sentire quicquam debet, vnum esse ipsum oportet, & vno quodam eodemq; omne percipere. Et si per plura sensuum instrumenta ingrediantur plura, vel multæ circa vnum sint qualitates, ac etiam per vnum videatur varium aliquid ceu vultus. non enim aliud quidem videt nares, aliud autem oculos, sed idem cuncta simul. Ac si aliud per oculos penetret, aliud per auditum, vnum tamen oportet esse ad quod perueniunt vtraque: alioquin non posset animus horum inter se differentiam iudicare, nisi in-
C tentiones sensuum sensibiliumq; in vnum æquè confluerent. Oportet igitur hoc esse quasi centrum, sensus verò singulos vndique non aliter ad hoc ipsum quàm lineas à circumferentia ad centrum vsque protendi, atque vim eiusmodi cuncta comprehendentem, reuera vnum aliquid esse. Nam si diuiduum aliquid esset, & quasi adextrema lineæ vtraq; intẽtiones sensuũ pertinerẽt, aut rursus in vnũ idemq; cõcurrerẽnt quasi mediũ, aut aliud ibi esset, & aliud, atq; alterum alterius tantùm habere sensum: ceu si ego aliud sentiam, tu verò sentias aliud, etiam si vnum sit spectaculum ceu vultus, aut potius in vnum congregabuntur. Quod & apparet: congregantur enim & in pupillis, alioquin non possent per eas maxima quæque videri. Quamobrẽ quæ ad ipsum animæ principale proueniunt, multò magis velut notiones quædam sunt indiuiduæ: ideòque id quoq; erit indiuisibile: alioquin si habeat magnitudinem vnà cum re sensibili diuidetur. Itaque pars alia sentiet aliam, nihilque in nobis sentiendam rem totam percipiet: At enim vnum est id totum: quo enim pacto diuidi potest? Nam si diuidatur, nequit tanquam æquale æquali prorsus accommodari: quoniam principale nostrum cum omni re sentienda æquale esse non potest.

D In quot igitur diuiſio fiet? nũquid in tot ſecabitur, in quot partes numero quod incidit ſenſibile diſtribuitur? & quælibet partium animæ particula ſentiet idẽ? An fortè particulæ partium ſenſu carebunt? At verò id fieri nequit. Sin autem quodlibet totum ſentiat, cum magnitudo diuidi queat in infinitum, nimirum in numerabiles quoq; ſenſus circa vnumquodq; ſenſibile in vnoquoq; cõtingẽt, quaſi innumerabiles in principali noſtro rei eiuſdem ſint imagines. Præterea ſi corpus ſit quod ſentit, non alio modo ſentire continget, quàm ſi quædam ab anulo in cera imprimantur imagines, ſiuè in ſanguine, ſiue in ære quodam ſenſibilia imprimantur. Ac ſi tanquam in corporibus humidis, quod & probabile eſt, certè tanquam in aqua confundentur imagines, neq; memoria erit vlla. Quòd ſi figuræ permaneant, aut non licebit alias ibi fingi prioribus permanentibus, ideoq; ſenſus alij minimè fient: aut ſi fiant alij, priores protinus delebuntur. quapropter memoria iam ceſſabit. Si autem poſſumus meminiſſe, ac præter alia ſentire rurſus & alia, prioribus nequaquam impedientibus, impoſsibile eſt animam eſſe corpus.

MARSILIVS.

E

Principalis ſenſus paſsionum iudex paſsiones cuiuslibet membri ſubitò percipit, in qua particula membri ſint diſtinctè diſcernit, huc oculos manusq; ſtatim admouet. Id autem efficere non ualeret, niſi eſſet ubiq; totus. Non eſt ergo corporeus. Cap. VII.

PLOTINVS.

IDem prẽterea ex dolore doloriſq; ſenſu declarari poteſt, vtpote quãdo quis dicitur dolere digitum: tunc dolor quidẽ eſt in digito, ſenſum verò doloris circa ipſum animæ principale contingere fatebuntur, vbi pars quędam ſpiritus animati dolet, principale verò id percipit, atq; anima tota idem tunc quodammodo patitur. Quónam igitur modò id accidit? Reſpondebunt arbitror, ſucceſſoria quadam traductione, dum videlicet primò patitur ſpiritus animalis circa digitum, atq; hinc deinceps ad partem continuam, rurſusq; ad aliam traduci tur paſsio, donec ad principale perueniat. Neceſſarium eſt igitur, ſi primò patiens ſenſit, alium ſenſum eſſe ſecundi, ſi modò per ſucceſsionem quandam ſenſus amplificatur: tertij quoq; patientis tertium eſſe ſenſum, multosq; ſenſus atq; innumeros in eodem dolore contingere, ipſumq; principale poſtremò ſentire
F ſuam duntaxat paſsionem. Et profectò ſingulos ſentiendi actus non paſsionẽ quidem digiti perſentire, ſed eam quæ ſequitur citra digitum: vt puta tarſon digito proximam, percipere ſequentem mox poſt digitum paſsionem: partem verò remotiorem, paſsionem quoq; remotiorem, multosq; dolores accidere. Tunc certè principale non paſsionem quæ premit digitum, ſed propriam ſentiet, feretq; de hac ſola iudicium ceteris omnino dimiſsis, digitum dolere prorſus ignorans. Si ergo ſenſus paſsionis eiuſmodi per ſucceſsionem fieri nequit, & corpus cum ſit moles non id habet, vt in eo patiente alio id perſentiat aliud: in omni enim magnitudinẽ hoc quidem aliud eſt, illud rurſus eſt aliud, nimirũ oportet quod ſentit eſſe tale, vt ipſum vbiq; ſibi ipſi ſit idem. Id autẽ aſſequi ad aliud quiddam in ordine rerum pertinet potius quàm ad corpus.

MARSILIVS.

Intelligentia frequenter attingit & penetrat incorporea, formasq; ſeparat à corporibus, Fit igitur abſque corpore: intellectus ergo non eſt corporeus. Cap. VIII.

CVm indiuiſibile non aliter quàm per indiuiſibile poſsit attingi, intellectus attingens indiuidua eſt indiuiduus: et ubi ſeparatis ſe coniungit, eſt à corpore ſeparatus: & quando coniuncta ſeparat, maximè ſeparatum ſe eſſe declarat.

PLO

PLOTINVS.

A QVòd autem animati corpus quoquo modo ſit, intelligere nequeat, per hæc nobis eſt demonſtrandum. Profectò ſi ſentire eſt animam vtētem corpore percipere ſenſibilia, intelligere nō erit per corpus apprehendere: alioquin idem futurum eſt intelligere atq; ſentire. Si ergo intelligere eſt abſq; corpore comprehendere, multò prius oportet ipſum quod intellecturum eſt, non eſſe corpus. Præterea ſi ſenſibilium ſenſus eſt, conſequenter intelligibilium eſt intellectio. Quòd ſi nō omnino receperint, erunt tamen intelligibilium quorūdam intellectiones, & indiuiſibilium apprehenſiones in nobis. Quónam igitur pacto intellectus ſi fuerit magnitudo, intelliget quod eſt à magnitudine liberū, & cum natura diuidua indiuiduum apprehendet? An fortè parte quadam ipſius indiuiſibili? quod quidem ſi ita ſit, id ipſum quod intelligit, nō erit corpus. Non enim opus eſt toto ad attingendum: nam ſatis eſt vno quodam attingere. Si ergo concedent primas intelligentias, quod & verùm eſt, eſſe rerum à corpore prorſus abſolutarum, ſcilicet ipſius vniuſcuiusq;, vt dici ſolet, abſtracti, neceſſarium eſt naturam quoq; intelligentem eatenus intelligere, quatenus vel eſt, vel fit à corpore libera. Si autem intelligentias dixerint verſari circa formas materiæ adhærentes, fatebuntur tamen eas tunc duntaxat intelligi, quando à cor-
B poribus ſegregātur, intellectu ſcilicet ſegregante. Non enim cum his carnibus ipſe homo, vel omnino cum materia ipſe circulus & triāgulus lineaq; & ſignū, eo ipſo quo à mente ſegregantur gradu conſiſtunt: quamobrem animum quoque neceſſe eſt ſeipſum à corpore in hoc habitu ſeuocare. oportet igitur neq; ipſam corpus exiſtere. Profectò ab omni magnitudine exemptum eſt ipſum pulchrum, ipſumq; iuſtum, ſimiliterq; horum intelligentia. Quapropter accedentia nobis impartibili quodā animi apprehēdent, atq; in hoc ipſo impartibili ſita manebunt. Deniq; ſi anima corpus ſit, nō video quomodo tēperantia & iuſtitia uirtutes eius ſint, quæ & hanc eatenus ſeruent, quatenus capiunt ab ipſa.

MARSILIVS.

Eſſentia corporea tanquam imperfecta dependet ab incorporea perfecta, quæ quidem cum ex ſeipſa primoq; ſit & uiuat, ſemper eſt & uiuit, in cuius genere anima continetur. Cap. VIIII.

ANima quoniam in genere diuinorum eſt ultima, ideo cum caducis uidetur inire commertium, ex quo optimus eius habitus intermittitur. At quoniam in diuinorum genere comprehenditur, naturam aſsiduè ſeruat, ſeq; poteſt in dignitatem priſtinam reuocare.

PLOTINVS.

C OMnino verò neceſſe eſt alteram quandam eſſe naturam præter corpora, quæ eſſe habeat ex ſeipſa, taleq; eſſe omne quod verè ens iudicatur, quod quidem neq; fit, neq; perit: alioquin cætera omnia dilabent, neq; gignētur iterū ſiquando eiuſmodi natura perierit: quæ profectò his omnibus ſalutē prębet, & ipſi etiā vniuerſo ſeruato per animā atq; exornato. Hæc enim motus principiū eſt, alijs exhibēs motionē, mouēs interim ſemetipſam, & vitā animato corpori præſtās: ipſa verò ex ſe ipſa poſsidēs, amiſſura nūquā, vt pote quæ hāc habeat à ſeipſa. Non enim omnia peregrina vtunt vita, alioquin in infinitū pgreſsio fiet: ſed oportet naturā quādā exiſtere primò viuētē, quā incorruptibilem immortalēq; eſſe neceſſariū eſt: vtpote quę alijs ſit vitæ principiū. Hoc ſanè in gradu omne diuinū atq; beatū oportet conſiſtere, ex ſeipſo viuēs atq; exiſtēs, primò exiſtēs, primoq; viuēs, mutuationis ſecūdū eſſētiā expers, neq; oriēs, neq; occidēs. Nā vnde naſcat, vel in quod reſoluat, ac ſi oportet verā huic ipſius entis appellationē ineſſe, nō debet alias quidē eſſe, alias verò nō eſſe: quemadmodum color ipſe per ſe albus, non tum quidē albus eſt, tum verò nō albus. Si autē ipſum album eſſet ipſum ens, nimirum vnà cum eo quod album eſt, eſſet & ſemper. nunc verò ſolùm hoc habet, vt ſit album. At illud cui ens ipſum adſit ex ſeipſo

A quod prius erat agnitione, velut diuinas imagines in ſe ſitas iam intuetur, quas antè per tempus rubigine obſitas iam rite deterſit: velut ſi aurum fortè animatum foret, & quia terra obſitum, ideo non ſe intuens aurum, ſeipſum penitus ignoraret: aliquando verò à ſe terram excutiens, cernensq; purum, ſeipſum admiraretur, cognoſceretq; non ſibi opus eſſe extrinſeca pulchritudine, optimè ſe cum agi putans, ſi quis ipſum in ſe tantùm manere permittat.

MARSILIVS

Corpus animatum ipſius animæ beneficio habet, ut ex ſe quodammodo moueatur. Igitur anima potiſſimum habet idem: igitur & uitam ex ſe habet: igitur & in ſe à corpore non dependentem: ſemper ergo uiuit etiam à corpore ſeparata. Cap. XI.

Animam ex ſe & in ſe moueri, uiuereq; etiam ſine corporis ſubſtentaculo apparet, præterea maximè quando contra inclinationes corporis ſeſe mouet. & quando ſe ad incorporea transfert. ſiquod uerò accidentele uitæ ueſtigium corpori eſt impreſſum, redigendum eſt ad ſubſtantialem animæ uitam in ſe exiſtentem, ſicut calor uel pallor nubis ad lumen: atqui ut lumen ad ſolem, ſic anima refertur ad mentem.

PLOTINVS

NEmo igitur ſanę mentis rem talem intuitus dubitabit, quin ſit immortalis, cui ex ſe ineſt vita, quæ interire non poteſt: quo enim pacto interibit, cũ
B non ſit aduentitia? neque ita ſe habeat, vt calor ad ignem? Non equidem hoc ideo dico quòd calorem igni aduentitium eſſe putem, ſed quia calor non igni ſed materiæ ignis inſit. Ob hoc itaque diſſoluitur ignis, anima verò non ſic habet vitam, vt ibi quidem materia ſit ſubiecta, vita verò illi accedens declaret animam: aut enim eſſentia eſt ipſa vita, atque eſt eſſentia talis ex ſeipſa viuens, quod quidem eſt id quod quærimus, anima: idq́ue ſanè eſſe immortale confitebuntur: aut reſoluent velut compoſitum, idq; rurſus quouſq; ad immortale perueniant, ſeipſum mouens, quod nefas eſt mortem ſubire: aut ſi fortè vitam eſſe dicant affectionem quandam materiæ accidentem, illud tandem à quo talis affectio tradita eſt materiæ, fateri immortale cogentur: quippe cùm contrarium eius quod affert, ſuſcipere nequeat, ſed re vera eſt vna natura actu viuens.

MARSILIVS

Anima noſtra mundi animam motu rerumq; intelligentia imitans ſempiterna eſt, ſicut & illa præſertim: quoniam dum reuocando ſe ad intima ſui res intelligit, declarat abſolutas rerum formas ſibi ingenitas ſe habere. Cap. XII.

Denique cum anima ſit forma ſimplex, indiuidua, non alligata materiæ, neque diſſolui poteſt,
C neque diuidi, neque diſperdi,

PLOTINVS

PRoinde ſi omnem animam eſſe caducam dicant, iandiu oporteret omnia fuiſſe deperdita: ſin autem aliam quidem animam eſſe caducam, aliam verò nequaquam, ceu vniuerſi animam immortalem, noſtram verò mortalem: differentiæ huius cauſa illis eſt aſſignanda. Vtraque ſanè motionis principium eſt, & vtraque ex ſeipſa viuit, atque eodem attingit eadem, intelligens tum quæ in cælo ſunt, tunc quæ ſupra cælum, & omne quod ſecundum eſſentiã eſt, & quid perquirens, & denique vſque ad ſummum principium omnium proficiſcens. Præterea ex eo quòd per ſeipſam ex notionibus intimis quid ipſum vnũquodque ſit, inuenit, quondam ſcilicet reminiſcentiæ munere, conſtat animam ante corpus viuere, ſcientijsq; ſempiternis vtentem ipſam eſſe pariter ſempiternam. Accedit ad hæc quod omne ſolubile cùm ex compoſitione ſuſceperit eſſe, hac conditione naturaliter diſſolui poteſt, qua eſt & compoſitum. Anima verò vnus eſt & ſimplex actus, & natura in viuendo conſiſtens, non igitur hac ratione poterit interire. Sed nunquid diuiſa quandoque in partes & diſſipata peribit? At anima vt demonſtratum eſt, neque moles eſt, neque quantum quicquam,

D Num fortè permutata, & (vt dici ſolet) alterata perdetur? Verùm alteratio quidē cùm interimit, ſpeciē aufert relicta materia. Hęc autem eſt compoſiti paſsio. ſi ergo nullo ex his modo corrūpi poteſt, incorruptibilem eſſe neceſſarium eſt.

MARSILIVS

Anima noſtra & ſi eſt in genere diuinorum, tamen quia in eo genere vltimum tenet gradum, meritò deſcendit in corpus, & id quidem caducum, ad diuinum gradum iterum reuerſura. Cap. XIII.

Natura intellectus longè diuerſa eſt à corpore: agit enim in ſeipſa fugiens interim â corporeis. Igitur inter puros intellectus & corpora ſunt naturę habentes partem quidem intellectualem, partem etiam animalem, ideſt ad corpora ſibi conformanda uergentem. Sunt in his tres gradus: nam in animis quidem cæleſtibus intellectuale ſuperat animale: in noſtris uerò uiciſsim: in dæmonicis æquè ſe habent. nihil ergo mirum eſt animam noſtram quamuis diuinam in corpus mortale deſcendere, quando in ſeipſa deſcendit ad tertia, ideſt ſub intellectu per rationem, & imaginationem ad potentiam uegetalem.

PLOTINVS

CVm igitur ipſum intelligibile ſit ſeparatum, qua nam ratione anima procedit in corpus? Quoniam quantūi intellectus eſt ſolus paſsionis expers in gradu intelligibilium intellectualem ſolùm vitā habens, ſemper ibi permanet. Non enim ineſt impetus vllus nec appetitus: quod autē appetitū adhibet, proximè deinceps intellectum illū comitans, appetitus adiunctione quaſi iā longè
E progreditur, atq; exornare appetens ad exemplar eorum, quæ in intellectu nouit, ac velut inde pregnans, atque parturiens affectat facere, & deniq; fabricat. Hoc itaque ſtudio ſeipſam anima circa ſenſibile pertrahens iam gubernat, ac dū vnà cum cōmuni vniuerſorum anima gubernacula gerit, collega eius viuēs in cōmuni totius gubernatione, tanquam extrinſecus præſidet ſuperans gubernatum. At cùm gubernare partē affectat, iam gubernat ſola, eiq; infuſa in quo viuit, non tota neque omnis ipſa fit corporis, ſed interim aliquid poſsidet extra corpus: igitur neq; etiam huius intellectus eſt paſsioni ſubiectus. Hęc autē aliâs quidem in corpore, aliâs autem viuit extra corpus, nempe impetu quodam exorditur à primis, & ad tertia vſque progreſſa deſcendit ad noſtra quodam intellectus actu: dum intellectus ipſe permanet in ſeipſo, intereàque per animam pulchris omnia complet, immortalis exornator per animam immortalem: ſiquidem ipſe quoque ſemper exiſtens per actum inceſſabilem cuncta diſpenſat.

MARSILIVS

Omnes animæ proprias immortalesq; uitas habent. Cap. XIIII.

Quicquid uitæ ab anima noſtra in noſtrum corpus emicat, abeuntem hinc animam comitatur.
F Quod uerò in fœtu uitale cælitus impreſſum fuerat, cælitus conſeruatur, circa quod & noſter animus hinc impurus emigrans amore ſe uerſat, purus uerò relinquit.

PLOTINVS

QVæritur præterea de anima etiam animalium reliquorum. Et profectò quæcunq; inter eas tales ſunt, vt à ſuperioribus degenerātes vſq; ad brutorum corpora ſint prolapſæ, hæ quoque neceſſariò ſunt immortales: ſi aūt eſt alia quædam animæ ſpecies, oportet hanc inſuper non aliunde pendere, quàm à natura viuente: quippe cū ipſa etiam animalibus vitæ ſit cauſa. ſimiliter & plātarum animam ſe oportet habere. Omnes enim ab eodē principio proceſſerūt propriā habentes vitam, atq; hæ quoq; ſunt incorporeæ indiuiſibilesq; & eſſentiæ. Si autem oporteat animā hominis exiſtentē trimembrē compoſito ſolui, & nos dicemus animas quidē quæ puræ abeunt, quod adiunctū in generatione fuerat dimiſſuras: alias autē concretam eiuſmodi labem longis temporum curriculis abſterſuras. Dimiſſum verò id quod eſt deterius dicemus, neque ipſum quidem perdi, quandiu ſit vnde ducit originem. Nihil enim ex eo quod ens cēſetur, vnquam diſperditur.

Mar-

MARSILIVS

A *Animæ defunctorum noſtra hæc memoriter tenent, ſentiunt, curant, malefaciunt, benefaicunt.* Cap. XV.

Quandiu corpus habent qualecunque uel aeriam, uel ætherium, proprios habent & ſenſus: ſin omne corpus exuant eminentia quadam intelligentiæ ad ſingula diſcernenda uti pro ſenſibus iudicantur. Nam & imaginatio præſertim perfecta ſenſus præfert, & ratio imaginationem agit, atque ſenſus, & intellectus rationem atque ſequentia modo quodam præſtantiore.

PLOTINVS

HActenus dicta ſunt, quæ ad illos qui demonſtrationem exigunt dicenda erant, quæ verò opportunè dicēda ſint illis, qui fide quadam ſenſu permiſta potius indigent eligenda ſunt ex hiſtoria quæ eiuſmodi rebus abundat: præſertim ex his quæ dij oraculis mandauerunt, iubentes indignationem animorū qui iniuria quondam ſunt affecti placari, meritoſq; honores reddi defunctis, tā quā talia ſentientibus, quemadmodū & omnes erga defunctos obſeruant. Animæ præterea multæ, quæ quōdam vitam egerunt humanam, deinde à corpore ſegregatæ non deſtiterunt beneficijs humanum genus afficere: quæ profectò vaticinijs & oraculis, tum ad alia nobis conferunt, tum etiam per ſeipſas demonſtrant nec aliorum animas extinctas eſſe.

MARSILII EPILOGVS

DESIDERAS Magnanime Laurenti breuem tandem longæ diſputationis ſummam, diſputationis inquam de immortalitate, & in Theologia, & in præſentia in lōguiu iam pro
B ductæ. Deſiderabat & idem noſter ille Bernardus, cùm Veneti ſenatus hic orator, nos ac dere latiſſimè diſputantes audiret. Bernardus inquam Bembus, uir apprimè doctus, doctorumq; patronus atque meus in ſidere genioq; frater. Tibi igitur atq; illi pariter hæc erit ſumma quatuor diſtincta capitibus: primò quidem, quòd anima rebus caducis dominari poteſt, incitamentisq; corporeis repugnare: ſecundò, quòd multa à corporibus ſeparata frequēter excogitat, ſiue res ipſas attingat per ſe ſeparatas, ſiue ſeparet ipſa: tertiò quòd naturaliter æterna deſiderat, ac ſæpe æternorū fiducia negligit temporalia: quartò, quòd æternum colit Deum uitæ ſempiternæ gratia

Tota denique religio naturalis homini firmiſſimum
immortalitatis eſt fundamentum.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER OCTAVVS, DE ANIMAE DESCENSV IN CORPORA

MARSILIVS

Animæ noſtræ intellectuales in corpus deſcendunt per naturam uiuificam intelligentiæ ſuæ ſubiunctā & corpus naturaliter adſciſcentem ſicut flamma ſulphur: ſimiliter & cæleſtium intelle
C *ctuales animæ corporibus ſuis per eiuſmodi medium copulantur.* Cap. I.

Voluit Deus ad ſui intellectus exemplar in qualibet mundi ſphæra & in cælo & infra cælum animalia quædam intellectualia fore: ac ne intellectus quaſi per uiolentiam forēt ad corpora protrahendi per naturam animalem, ideſt uegetalem eis adnatam quaſi plantam, corporibus libenter adſciſcendis conciliauiſſe uiderur.

PLOTINVS

AEPE Quidem experrectus è corpore ad me ipsū, & extra cætera poſitus intraq; me receptus pulchritudinē intueor admirandā: ideoq; tunc confido q; maximè ſortis me eſſe præſtātioris: quippe cū vitā tunc optimā agam, & in idem cū diuinitate conſpirē, in qua etiā ſitus ad illam peruenio actionē, perquā meipſum ſuper omne aliud intelligibile iam conſtituam. Verū poſt hanc in diuinitate quietē in ratiocinationē ex mēte delapſus, ambigo equi

filius plurimiq; Græci theologi putauerũt: tum uerò ſi uerum ſit illud Damaſceni, ultimos tantùm
A angelos cecidiſſe, atque euaſerint animalia, ualde ſimilis erit Platonicus animarum lapſus dæmonibus, apud Hæbreos Chriſtianosq; cadentibus. Proinde ubi apud Plotinũ atq; Proculum legis, particulares animas agere particulares uiciſsitudines, tum ad ſuperiora, tum ad inferiora, ne intelligas animam tuam infinita corpora mutaturam, finitæ nanque ſunt & paucæ unius animæ mutationes in anno mundi magno, atque in anno ſequenti, ut aiunt, eadem penitus retexuntur. Præterea nec oporteret omnem animam omnes induere ſpecies, nec quamlibet animam pariter aſcendere uel deſcendere. Sunt enim (ut Platonicè loquar) inter animas hominum differentiæ quædam quodammodo ſpeciales, ſicut in ſtellis, quæ uidentur aſpectu conſimiles: differuntq; inter ſe animæ noſtræ, non ſicut pyrum à pomo perſico, ſed ſicut à pyro pyrum. Sunt ergo determinati ſingulis pro natura progreſſus. Excellentiores igitur animæ aſcendunt quidem altius, minusue deſcendunt: deteriores uerò uicſsim: Humanas dico animas, & ad corpora tantùm humana deſcendere, ſic enim opinionem Platonicam moderamur, quæ erit inſuper moderatior, ſi ab Hebræis accipiatur, exiſtimantibus ter ſolùm animam in hominem deuenire, poſtremò ſemper fore uel miſeram, uel beatam.

PLOTINVS

DVm igitur apud Platonem de anima noſtra perquirimus, neceſſariò contingit nobis ſimul omnino de anima perſcrutari, qua nã ratione ſic natura inſtituta ſit, vt eſſet cũ corpore cõmertium habitura. Itẽ de natura mundi, qualẽ potiſsimum hunc aſſerere debeamus, in quo anima poſita eſt res diſpenſatura corporeas, ſiue ſponte ſeu coacta, ſiue alia quadã cõditione. Quærendũ etiã de harum rerũ effectore rectè ne, an aliter, & vtrũ præſtãtius agat, an ſicut animæ noſtræ, quas forſan oportuit deteriora corpora gubernaturas interius penetra
B re per illa, ſi modò ſuperare cõtinereq; debeant: quippe cũ vnumquodq; corpus diſsipetur, locũque repetat propriũ, ſed in ipſo toto omnia propria in ſede naturaliter collocentur. Præterea corpora noſtra plurimã ſollicitãque prouidẽtiã exigunt, quibus multa alienaq; incidunt: quibus ſemper opus eſt multis: quibus in ſũma difficultate & diſcrimine poſitis omni opus ẽ patrocinio. Corpus verò mundi cũ ſit perfectũ, plenum ſibi ſufficiens, nihil vnq; patiens præter naturã, quaſi iuſſu quodã breui & facili regitur: atque ut anima naturaliter inſtituta eſt velle, ita ſe ſemper habet, neque cupiditatibus incitaẽ, neque perturbationibus vllis afficitur: nihil enim diſcedit, nihil rurſus accedit. Quamobrẽ animã quoque noſtrã inquit Plato, ſiquando cũ illa perfecta viuat, ipſam quoque fore perfectã, ſeque ipsã per ſublimia collaturã, totũque mundũ gubernaturã. Quãdo enim inde non abſit, neque ſe ꝓrſus immergat corporibus, neque ſit alicuius tunc eã quoque velut animæ mundanæ collegã, vniuerſum æqua facilitate rectura: quaſi non ſit animæ malũ quomodocunque præbere corpori eſſendi, & bene eſſendi potentiã. Non enim ꝓuidentia omnis in deterioribus diſpẽſandis inhibet interim prouidentẽ in optimo ſtatu perſeuerare. Duplex ſanè in vni-
C uerſo ꝓuidentia eſt, cõmunis & propria: & cõmunis quidem iuſſu quodã à ſollicitudine libero, regióque imperio cuncta cõponit: propria verò ſingulatim iã opera quadã, vt ita dixerim, manuaria opificiũ attrectãdo, opificẽ ipſum opificij conditione implet, atque contaminat. Cùm verò anima diuina, eo quo dixi modo, totũ cælũ ſemper gubernare dicaẽ, ſupereminens quidẽ quod deterius eſt, vim autẽ vltimã huic intus infundens, non poterit quiſpiã cauſari Deũ, qua ſi totius animã in ipſo deteriori poſuerit. Iã verò & hæc ipſa anima naturali munere priuatur nunq;, ab æuo id ipſum poſsidens, ſemperque ſimiliter habitura. Quod quidẽ huic præter naturã ipſius eſſe non poteſt: quippe cũ huic aſsiduè ſemper adſit, neque inceperit vnq;. Stellarũ quoq; animas eodẽ modo ad corpus habere ſe dicit, quo & totius animã: nã & harum corpora animæ diſcurſionibus admonet: vbi certè ſtellis etiã decentẽ ſeruat felicitatẽ. Cũ enim duo quædã ſint, ꝓpter quę potiſsimũ comertium animæ ad corpora alculpari ſolet, tũ quia intelligentiã impedit, tum quia voluptatibus, libidinibus, doloribus, ob-

D ruit animũ,neutrũ profectò incõmodum accidit animæ, quæcunq; neq; corporis penetralibus ſe prorſus immerſerit,neq; ſit alicuius, neq; euaſerit corporis,,ſed viciſsim animæ corpus,quod quidẽ tale ſit,vt neq; re vlla indigeat,neq; defectũ alicubi patiatur:quo circa neq; animã concupiſcentijs timoribusq; inficiat. Nihil enim incõmodi,nihil diſcriminis tali corpori occurrit animo metuẽdum:neq; occupatio prorſus vlla ad inferiora declinans,à ſublimi beatáque cõtemplatione detorquet:imò verò eiuſmodi anima ſemper diuinis incumbit, facultate interim nequaquam ſollicita, nec operoſa moderans vniuerſum.

MARSILIVS

Quoniam omnis natura præter primã ſimpliciſsimã infinitã multiplicabilis eſt,ideo in genere intellectuali multi ſunt intellectus:in genere animali multæ ſunt animæ:in ordine animarũ multæ ſunt intellectuales:quales ſunt cæleſtes,dæmonicæ, noſtræ. Cap. III.

Animæ noſtræ præter intellectum in mundo intelligibili ſemper agentem,habent rationem, imaginationem,ſenſum, uim uegetalem,quas ſanè uires officijs proprijs quandoq; oportet uti. His autem utuntur in corpore:itaque conſentaneum eſt eas in corpora quandoque deſcendere.

PLOTINVS

In præſentia verò ſermo nobis eſt de anima noſtra, quæ fertur in corpore mala omnia pati,miſerãq; uitã ducere,doloribus,cupiditatibus,timoribus,cæterisq; malis oppreſſa,cui corpus vinculũ eſt,atq; ſepulchrum:cui mundus eſt ſpelunca & antrũ. Quæ quidẽ ſententia de anima vtraq; diuerſa ſentiens, veritati non diſſonat,cũ non ſit in vtraque eadẽ ratio deſcendendi:principio cũ ſit intellectus omnis in ipſo intelligentię loco,totusq; & omnis,quẽ mundum intelligibilẽ arbitramur:item cũ ſint ibidẽ cõprehenſæ vires intellectuales intellectusq; ſinguli:nõ enim vnus ſolus eſt intellectus,ſed vnus & multi,nimirũ multas quoque animas vnãque oportuit eſſe, multasq; ex vna inter ſe differentes, ſicut ex vno quodã genere ſpecies,partim quidẽ præſtantiores,partim verò deteriores & partim magis intellectuales,partim minus actu tales. Etenim illic in mente hoc quidẽ eſt intellectus alia omnia potentia comprehendens,velut animal ingens: alia verò actu ſunt vnũquodq;, quæ potentia alterũ cõprehendit:velut ſi qua ciuitas animata foret cõplectens alias animatas, perfectior quidẽ & potentioreſſet ipſa ciuitatis cõmunis anima, nihil tamen phiberet,alias quoq; animas ciuitatũ eiuſdẽ eſſe naturæ: vel ſicut ſi ex vniuerſo igne,alius quidẽ magnus ſit ignis:alij verò parui. Eſt enim ipſa omnis eſſentia ignis videlicet vniuerſi: imò verò à qua & omnis ignis eſſentia eſt. Opus autẽ animæ quæ rationalior eſt,certè eſt intelligere,neq; tamen intelligere ſolũ, alioqui quo differat ab intellectu non video,ſed præter id quod intellectualis eſt,aſſumens inſuper aliud, ſecundũ quod propriã ſortitur naturã non permanet intellectus. Habet autẽ opus & ipſa,ſiquidẽ quicquid inſentiũ ordine numeratur,,proprium opus habet. Iam verò ſuſpiciens anima ad id quòd ipſa ſuperius eſt,intelligit:reſpiciens autẽ in ſeipsã, ſeruat profectò ſeipſam. At verò ad id quod inferius eſt iã vergẽs exornat ipsũ, & gubernat,& regit:fieri ſanè non poterat, vt in mũdo intelligibili omnia cõquieſcerent: quippe cũ aliud deinceps aliudq; effici poſſet,quod quidẽ cõtinuè minus euaderet, neceſſariò tamẽ exoriretur,q; diu quod ſuperius eſt,cõſiſtat.

MARSILIVS

Intellectus diuinus impreſſit intellectui noſtro omniformem uniuerſi formam,quæ facilè in rationem uocantem inde ſubrutilat. Quando igitur ratio ad eam penitus ſe conuertit,ſecumq; rapit imaginationem,in eodem ſtatu quo & mundi anima permanet. Cap. IIII.

ID eſt ſimili diuinorũ contẽplatione fruitur,& interim cælũ habitans ad uniuerſalem mundi gubernationem intuitum conuertit ſimiliter & affectum. At quando ratio unà cũ imaginatione, uniuerſali mundi forma neglecta,particularẽ quandã diligentius intuetur,& amat ardentius, iamq; & uegetalis ipſa natura eandẽ prorſus affectat, tunc anima facta iã anguſtior corpus aſciſcit anguſtũ, paſsio-

paſsionibusq; ſubiectum. Hinc igitur curis innumerabilibus ſollicitata uexatur.

PLOTINVS.

A OPortet itaq; ſingulas animas appetitu vtētes intellectuali in ipſa ad auctorē ſuum conuerſione, habentes quinetiā facultatē ad ſequentia diſpenſanda, quemadmodū lumen deſuper quidē Soli ſuſpenſum, ſed interim ſe inferioribus ſine inuidia porrigēs: oportet inq; illas indemnes illęſasq; ſeruari, quatenus vnà cū anima tota in mundo intelligibili vitā agunt. In cælo præterea vnà cū tota quaſi collegas ſimiliter gubernare, ſicut & reges alij vnà cū ipſo rege omniū cōgregati ceu collegæ vna cum ipſo cuncta cōponunt, nec ipſi quidē è ſedibus regijs deſcendentes, tunc enim in eodē cum ipſo rege ſunt ſtatu. Cùm verò animę ab ipſo toto ad id deueniunt, vt pars quædā iam ſuiq; iuris euadāt, quaſi iam redeat res vna cum alio gerere, ſingulæ tunc ſe ad propria reuocant. Quando itaq; id diutius talis animus agit, fugiens totū, & inde diſcrepantia quadā iā ſeiūctus, nec vlterius intelligibile ſuſpicit, pars aliqua iam euadens, nimirum ſolus relinquitur, & veluti deſtitutus fit impotens, negocijsq; diſtrahitur. Nam parti cuidā eſt addictus, dum ſegregatus à toto vni cuidā ſe mancipat, omne reliquū fugiens: & profectus conuerſusq; ad vnicum illud á toţis omnibusq; concuſſū, ſic itaque à toto degenerat, & propriū quiddam circa illa quæ vndique incidūt diſtractus curat, contrectans colensque externa, nec ſolū aſsiſtens corpori, ſed intra valde progreſſus. Hinc igitur ſicut dicitur, animus pennis abiectis ſiue cō fractis alligatur in corpore, poſtq; ab incolumi innoxioq; habitu melioris ,puin
B ciæ gubernandæ longius aberrauit: qualis quidem habitus penes ipſam totius animam ante vigebat. Quod verò ante hoc eſt, omnino melius contingebat animo ad ipſum refugienti. Quamobrem deuinctus eſt animus ſcilicet delapſus ab alto, & inde cōpedibus alligatus, & agendo ſenſibus vtens, propterea quòd prohibetur ab initio vti mente: fertur quoq; ſepultus eſſe, & conditus in ſpelunca. At cum ad intelligentiam ſe conuertit, ſoluí ex vinculis iudicatur, altiusq; aſcendere, quando videlicet ex quodam reminiſcentiæ munere ad entia contē-planda facit exordium, habet tamen nihilominus aliquid interea ſupereminēs. Animæ igitur neceſſariò vtranque viciſsim vitam experiuntur, tum ſuperiorē illam, tum rurſus inferiorem alternæ ducentes: & diutius quidem vitam ſuperiorem agunt, quæ plus poſſunt cum mente verſari, diutius verò ducunt inferiorē, quibus contrarium vel natura vel fortunis acciderit. Quæ quidem Plato clam ſignificans, quando animarum exordia ex ſecunda patera diuidit, facitque iam partes, tunc quoque ait neceſſarium fore in generationem labi, poſtquam tales factæ ſunt partes. Vbi verò ait, Deum animas ſerere, ſic eſt nobis intelligendū, ſicut quando loquentem, & quaſi concionantem Deum ipſum inducit. Quæ enim in cōmuni rerum natura ſunt, hæc ipſa tractādi conditio gignit, & facit or
C dine quodam ſuccedente declarās, quæ ita ſemper fiunt, & quæ ita conſiſtunt.

MARSILIVS

De animæ deſcenſu Empodoclis, Heraclíti, Platonis dicta conſentiunt. Cap. V.

Anima quoniam diuina eſt, in hac regione caduca ſæpe conuertitur ad diuina: & quoniam eſt ultimum diuinorum, per inſtinctum affectumq; naturalem uenit in corpus, ideo uoluntate uenit ſcilicet naturali, inſuper electione quadam: uenit & neceſsitate, quoniam diuina lege neceſſarium eſt, animas quæ ſic affectæ ſunt,, ſic eligunt è ueſtigio deuenire. Sponte ueniunt, uelut ad bonum, non ſponte interim incidunt & in malū. Venire huc animas, ad ordinem pertinet uniuerſi, ad exercitationem inferiorum animæ uirium, ad mali peritiam, peccantes animæ leuius, cōmutatione puniuntur ex feliciore homine in hominem felicē minus, uel infelicē. Peccātes uerò grauius uexātur etiā à dęmonib. quòd Mercurius & Orpheus Iamblicusq; confirmāt. Vir puerū atrocitate uultus perſonatiſq; terriculamētis facilè terret. Saturni Martiſq; influxus atræ bilis uel croceæ motibus imaginationes uexāt: Saturnij quidā, Martijq; dæmones horrēdis imaginationibus ſuis quaſi uultibus perſonatis imaginationes peccantiū miſerabiliter agitant: poſſunt quin etiā eas humorū motibus affli ctare.

PLOTINVS

D NOn igitur inter ſe diſſentiunt, animas in generationẽ ſeri, atq; eas ad perfe
ctionem vniuerſi deſcendere: item ſub iudicio pœna atque ſpelunca. Rur
ſus neceſsitas & ſpõtanea motio: quando quidẽ neceſsitas ſecũ habet etiã volũ
tarium. Præterea quod dicitur, animã in malo eſſe dum eſt in corpore, neq; re-
pugnat inſuper Empedoclis fuga illa erroráq; à Deo, neq; q̃ peccauerit animus
vnde iudicialis pœna ſequat̃: neq; rurſus Heracliti in fuga requies: neq; omni-
no voluntaria deſcendendi cõditio, rurſusq; inuolũtaria. Quicqnid enim deue-
nit ad deterius, nõ ſponte peruenit ad hoc ipſum, motione tamen ꝓpria vadens
& interea deteriora patiens, dicitur ꝓ his quæ fecit, merita reportare: quando
quidẽ hæc pati & facere ſit neceſſariũ lege naturæ perpetuę ſempiterna. Siquis
aũt dicat, quòd in alterius cuiuſdã contingit vſum, deſcendens ſcilicet ab ipſo ſu
periore, id ipſum à Deo mitti, is neq; veritati neq; ſibi diſſonare cenſebitur. A
quo enim principio ducũtur ſingula, in idẽ vel extrema, q̃uis multa ſint media,
referuntur. Cũ verò duplex ſit pecatũ, & alterum quidẽ in ipſa cauſa deſcenden
di, alterũ verò dũ in hoc vitæ ſtatu delinquitur, illud ſanè eſt hoc ipſum, quod ẽ
perpeſſa deſcendens. In hoc autem id minus eſt, ſcilicet alia ingredi corpora, at-
que id quidẽ ocius ex iudicio ꝓ dignitate cenſente: quod vtiq; inſtituto factũ
E diuino, per iudicij nomẽ ſignificatur. Species verò improbitatis immoderatior
maiori ſupplicio digna perpenditur, quadã ſcilicet punientiũ dæmonũ præfe-
ctura. Sic igitur anima q̃uis diuinũ quiddã ſit, regionibusq; ſuperioribus orium
da, in corpus tamen immergitur. Cũq; Deus quidã ſit poſterior volũtaria qua
dã inclinatione & cauſa poteſtatis, & poſterioris exornandi gratia, huc ita de-
ſcendit: ac ſi citò hinc afugerit, nullo hinc affecta detrimento ob id potiſsimum
iudicatur, quòd in notitiã mali peruenit, maliq; ipſius cognouit naturã: itẽ vires
ſuas ꝓduxit in lucẽ, & opera effectionesq; declarauit: quæ quidẽ omnia ſi in ha-
bitu ſemper incorporeo conquieſcerent, & fruſtra forent, nunq; ſcilicet in actũ
ſuum prouenientia, & animã ipſam laterent quæ poſsidet, nunq; ſcilicet emicã-
tia neq; procedentia in effectũ: ſiquidẽ vbiq; actio potentiã patefacit, alioquin
ꝓrſus occultã & obſcurã, nec exiſtentem quidẽ, nõ verè ſic exiſtentẽ. Iam verò
vnuſquisq; nunc admiratur intrinſeca propter externorum varietatẽ, dum qua
lia ſint illa coniectat, per hæc quæ inde admodũ varia pulcherrimaq; ꝓueniũt,

MARSILIVS.

Anima uenit in corpus non ſolùm infirmitate quadam in diuinis ultra conſiſtere non ualente, ſed etiã poteſtate naturæ fœcundæ pullulantis in germen: forma nanq; corporea eſt animæ fœcundæ
F *propago.* Cap. VI.

SImili quadam fœcunditate primum bonum in mentem exuberat omniformem: hæc in ſimilem mundi animam: hæc in mundum ſimiliter omniformem. Item cauſę omnes in effectus ubiq; ſuos. deniq; ſuperiorũ prouidentiã imitatus animus ad inferiora ſe transfert quodam ſtudio prouidendi.

PLOTINVS

SI igitur oportet non ſolũ exiſtere vnũ, alioqui abſconderẽtur omnia formã
illo propriã non habentia, neq; ens vllũ ꝓrſus extaret, illo ſcilicet in ſe cõſi-
ſtente: neq; horũ entium multitudo foret ab vno natorũ, niſi ſequẽtia deinceps
inde progrederentur, quę quidẽ animarũ ordinẽ ſortiuntur. Oportet etiã ſimili
ter animas non tantũ ipſas exiſtere, ſed etiã effectus earũ perſpicuè apparere: ſi-
quidẽ vnicuiq; naturæ hoc ineſt, vt ſequẽs aliquid faciat, explicetq; in lucẽ, ve-
lut ex ſemine quodã indiuiſibili, & principio in finẽ ſenſibilẽ ꝓcedente, dũ ſcili
cet ſemper q̃ prius eſt, manet in ꝓpria ſede: quod verò ſequit̃ procreat̃ ex potẽ
tia ineffabili, q̃tum ſuperioribus inſit, quã ſterilẽ permanere nõ decuit quaſi in
uidia cohibitã generare, ſed ꝓcederere sẽper, quouſq; ad vltimũ q̃tum fieri po
teſt cũcta ꝓgrediantur, cauſa. s. virtutis inexhauſtæ munera ſua per omnia diffũ

dentis,

A dentis,neq; patientis quicq̃ ſui expers alicubi circunſpicere. Neq; enim eſt aliquid quod prohibeat vnũquodq; particeps fore boni,quatenus ſua cuiuſq; natura compos eſſe poſsit. Siue igitur ſemper fuit natura materię, impoſsibile erat eam cũ eſſet nequaq̃ participare, quòd omnibus bonũ,quantum vnũquodq; capere poteſt,abundè ſuppeditat: ſiue materiæ ortus præcedentibus cauſis eſt neceſſariò conſecutus: neq; ſic quidẽ oportuit eam munerum expertẽ eſſe ob ipſam eius imbecillitatem,qua cenſetur antequã munere in eam deſuper deſcẽdere cogitentur:quando ſcilicet in ſe ipſo maneret tantũ, quod velut gratis & eſſe largitur. Demonſtratio igitur eorũ quæ in mundo intelligibili optima ſunt, eſt potiſsimũ,quod eſt in ſenſibili mundo pulcherrimũ,declaratio inq̃,tum poteſtatis illornm,tum etiã bonitatis. Nempe ſic ſemper omnia connectuntur, tũ quæ intelligibilia,tumq; ſenſibilia iudicantur:& illa quidẽ per ſe exiſtentia,hæc autem illorum participatione eſſe ſemper accipientia, naturámque intelligibilem pro viribus imitantia.

MARSILIVS

Sicut aer inter ignem aquamue medius,illinc quidem igneus,hinc uerò fit aqueus,ac uiciſsim ad utraque fertur:ſic animus ad diuina ſe habet atque caduca. Cap. VII.

Omnia corpora ſui aliquid inferioribus largiuntur, ſed cæleſtia quidem nihil interim accipiunt à ſequentibus,elementaria uerò dando uiciſsim quoq; recipiũt, ſimiliter cæleſtes animæ inferiori
B bus prouidentes,inde nequaquam inficiuntur. Dæmonicæ uerò quædam,atque noſtræ,dum perficiunt corpora,quodammodo inficiuntur inde,propter curioſiorem prouidentiam, circa prouincia duriorem,ſed loci malignitas & mundi ſuperioris felicitatem commemorat,& admonet illum uehementius affectare.

PLOTINVS

CVm verò duplex ſit natura,& altera quidem intelligibilis,altera verò ſenſibilis,ſatius eſt animæ in ipſa intelligibili viuere:neceſſarium tamẽ eſt eam cum eiuſmodi natura ſit prædita,ſenſibilem quoq; naturam participare, neque grauiter ferre debet,ſi non omnino eſt ipſum optimũ:quippe cũ medium in rebus obtineat ordinem,& diuinæ quidẽ ſortis ſit particeps,in poſtremo aũt gradu intelligibilis naturæ poſita,velut affinis naturæ ſenſibili, ſic naturaliter inſtituta,vt de ſuis aliquid huic exhibeat,recipiat etiam hinc quoque nonnihil, niſi ppria integritate ſeruata gubernet,ſed affectu ſtudioq; plurimo naturæ inferioris ingrediatur interna,neq; cũ tota anima tota permaneat. Verũtamen poteſt viciſsim hinc aſſurgere peritiã eorũ quæ hîc cognouit paſſaq; eſt reportans, vnde didicerit q̃ beata ſit apud ſuperos habitatio,& quaſi contrariorũ cõparatione tanq̃ planius meliora perceperit. Cognitio enim boni perſpicacior prouenit experientia mali, præſertim vbi iudicium infirmius eſt,q̃ vt abſque experiẽ
C tia mali ſcientiã conſequatur. Quemadmodũ verò intellectualis diſcurſio quædã ad vltimũ deteriusq; deſcenſio eſt, non enim ſuperius ꝓgredi licet, ſed neceſſariũ eſt ex ſeipſa agentẽ,neque potentẽ in ſeipſa quieſcere,neceſsitate naturæ legeq; ad animã vſque procedere. Hîc enim ei terminus eſt, & hac conditione ſua ſequentibus tradere,rurſusq; recurrere:ſic animæ quoque actio eſt, tum ad ſequentia corporea gubernando, tum ad præcedentia ipſa videlicet entia contemplando. Expletur autem hoc in plerisque animis quadam viciſſitudine temporum,ac tandem conuerſio à deterioribus ad meliora cõtingit:animæ verò quæ dicitur vniuerſi,conuenit proculdubio,vt nunquam deteriori opere occupetur,neq; mala ſubeat,ſed quæ ſequũtur excelſa contemplatione proſpiciat,& interim ſuperioribus ſemper incumbat. Quod quidẽ ſimul in ea poteſt impleri,muneris vtriuſq; cõpote, accipiente quidẽ deſuper, inferioribus verò ſuppeditante:fieri nãq; nõ poterat,cũ ſit anima,quin ſe ad utraque propagaret,

anima vna,atque in vniuerſo,quæ in cunctis vna, non tanq̃ diſtributa per mo-
A lem,ſed habens vbiq; idem. Cur enim anima quidem mea vna eſt, quæ verò in mundo,non ſit vna? Neq; enim moles ibi eſt,neq; corpus, ſicut nec eſt in mea. Profectò ſi ex ipſa mundi totius anima & mea eſt & tua, illa verò vna eſt, has quoq; oportet vnã eſſe:ſi aũt tum anima mundi tum mea ſunt ex vna,rurſus sũt omnes vna. Quærendum eſt igitur quænam potiſsimũ ſit hæc vna. Sed prius in ueſtigandũ eſt,num rectè dicatur, omnes animas eſſe vnã, ſicut vna eſt ſua cuiuſq; anima:abſurdum namq; eſt vnam eſſe animã meam & animã cuiuſcunq; Nã ſi vna eſſet,oporteret vtiq; me ſentiẽte,aliũ quoq; sẽtire,ac me bene viuẽte. alium bene viuere,& appetẽte me,appetere: atq; omnino nos tum inter nos,tũ cũ ipſo toto vndiq; paſsionibus conuenire, vſq; adeo vt patiẽte me,conſentiat vniuerſum. At quonã modo,ſi vna omnino ſit anima,alia quidẽ rationalis eſt,ir rationalis alia? item alia in animalibus,in plantis alia? ſed rurſus niſi ponamus vnam,neq; vniuerſum erit vnum, neque vnum inuenietur principium animarũ.

MARSILIVS

Conceſſurus re uera Plotinus animas eſſe diſtinctas,non facilè cedit rationi iã dictæ,ſcilicet paſsionem animalis unius mox in aliud uniuerſumq; tranſituras. Cap. II.

Dici mallet animalium corpora, neq; ſibi inuicem,neq; toti continua, diſtinctas animas poſtula
B re.Item ubi tota prorſus animalis uirtus congregatur in uno,hanc ipſam animam ſummum in animali genere poſsidentem, meritò paſsiones defectuſq; in animalibus apparentes ipſam in ſe minimè perpeſſuram.

PLOTINVS

PRincipio quidem ſi vna ſit mea alteriúsque anima, non ſtatim ſequetur vt vtræque cum vtroque ſit idem,nam idem in alio exiſtens atque alio, nõ eaſdem in vtroque paſsiones habebit:ſicut & homo idem in me moto,& in te non moto,in me quidem moto mouetur, in te verò non moto quieſcet:neque abſurdum neque præter opinionem eſt, quod in me eſt & te,idem eſſe: neque neceſſarium eſt me ſentiente alium quoque paſsionem eandem prorſus habere: ſi quidem nec in eodem corpore manus alterius paſsionem altera ſentit, ſed anima quæ eſt in toto. Quòd ſi tu meam paſsionem ſis cogniturus,vnum quiddã ex ambobus corpus oportebit eſſe conflatum. Sic enim coniunctæ vtraque sẽtiet idem. Meminiſſe verò decet, multa interdum latere totum, eorum etiam quę in vno eodémque corpore fiunt,eoque magis quo maiorem corpus habet molem,quemadmodum in cætis vaſtioribus, beluíſque ſimílibus dicitur euenire: in quibus patiente parte, nullus toti propter motionis exiguitatem incidit
C ſenſus. Quapropter nõ neceſſarium eſt vno quodam patiente perſpicuum forma mox inde ſenſum toti omníque contingere. At compati quidem non eſt abſurdum,neque negandum:ſenſualem verò formationem fieri non eſt neceſſarium. Proinde animam eandem in me quidem habere virtutem,ſed in altero vitium,non eſt mirandum:ſiquidem nec eſt impoſsibile idem aliquid in alio moueri,in alio conquieſcere. Non enim ſic vnam eſſe dicimus, tanquam multitudinis omnis prorſus expertem : id ſanè natura ſibi præſtantior vendicat, ſed vnam ſimul multitudinémque dicimus, participémque eſſe tum naturæ huius quæ circa corpora fit partibilis, tum illius quæ indiuidua permanet:vnde rurſus vnam eſſe animam conſequatur. Quemadmodum verò paſsio quæ in me parti contigit, non neceſſariò totum occupat, ſed quæ accidit principali, diffũditur quodammodo & ad partem, ſic quæ ab vniuerſo ad vnumquemque deueniunt, manifeſtiora contingunt: quippe cum ſingula toti compatiantur. Quæ verò nobis accidunt,vtrum ad totum mox pertineant,eſt nobis occultum.

D MARSILIVS

Ludit adhuc Plotinus noſter. Cap. III.

VErùm ſicut mutuus hominum amor unionem ſignificat animarum, ſic & perpetua diraq; inter ſe odia diuerſitatem. Non enim minus diſſidet homo ab homine, & animal quoduis ab animali, quàm ignis ab aqua, neque minus ergo diſtinguitur. Magicus uerò raptus magna ex parte confictus eſt, & quas habeat cauſas in ſuperioribus declarauimus. Alibi diximus formalem rei cuiuſdam rationem eſſe in eſſentias plures multiplicabilẽ excepta cauſa prima: igitur ſicut ratio formalis corporis, qualitatis, naturæ in plura corpora, naturas, qualitates diſtincta eſt, ſic & animæ intellectusq; & animas intellectusq; plures. Tum uerò ſi anima excellentior formaliorq; eſt quã qualitas, certè prouidentia diuina conſtitutum eſt, eſſe multos animarum gradus, ſicut & qualitatũ formaliter inter ſe diſtinctos, non ſicut hic calor ab illo ſubiecti cauſa, ſed ſicut calor à frigore, ſiccitas ab humore. quod & Plotinus in fine capituli iam innuit, ubi ait intellectus eſſe multos, atque ſenſus ipſos iudiciales ſimul eſſe cum intellectibus, ideſt cum intellectualibus animis. Significat uerò diſputationem hanc annuere, unam eſſe in cunctis corporibus animam, non rationalem quidem, ſed uegetalem ſenſus cuiuſdã confuſi participem: uerumtamen rationalem quamlibet animam poſſe corpus ſuum uita irrationali formare, ſi non ſit ab anima mundi formatum.

PLOTINVS

PRoinde ratio dictat, nos ex oppoſito mutuis inuicem paſſionibus affici, ipſoq; aſpectu miſericordia tangi, atque diffundi, rapique naturaliter ad amandum: & profectò conſideratione dignum eſt, num inter nos hic amor mu-
E tuus oriatur. Iam verò ſi carmina quædam veneficiaq; magica plures in vnum rapiunt, paſſionemq; communem habitantibus etiam procul incutiunt, id totũ omnino per animã vnam confici poſſe videtur: atqui & ſermo ſubmiſſa voce prolatus longè remotum afficit, cogitque exaudire, quòd interuallo etiam longiſsimo diſtat, ex quibus licet cunctorum intelligere vnionẽ, velut per vnã animã conſpirantium: ſed quonam pacto ſi vna eſt anima, alia quidem rationalis ẽ, irrationalis alia, & alia vegetalis? Fortè quoniam quod in anima impartibile ẽ, virtuti rationali eſt tribuendum in corporibus minimè diſtributæ: quod autem eſt circa corpora diſtributum, ipſum quoq; vnum exiſtens, ſed diuiſum per corpora, & ſenſum exercens vbique, ponendũ eſt aliam eſſe animæ partem: deniq; partem aliam per id quod corpora effingit & facit: neque verò anima minus vna eſt, ex eo quòd plures ibi ſint uires. Nam & in ſemine vires ſunt plures, & ſemen vnum, atque ex hoc vno multa ſunt vnum: ſed cúr nam non vbiq; ſunt omnes? Atqui & in anima quæ in quolibet vna eſſe dicitur, ſenſus non in omnibus
F partibus eſt perſimilis, & ratio non eſt in toto, & vegetalis virtus ineſt, quibus ſenſus ipſe non adeſt, & ſimul in vnũ corpore ſeiuncta recurrunt. Si autẽ vim nutriendi à toto habet, atq; ab illa, cur non igitur ab anima quoq; noſtra nutriẽdi vim habet? Quoniã quod nutritur pars eſt vniuerſi, quod paſſiua quadã conditione ſenſuale cenſetur: ſenſus verò ipſe iudicialis eſt cũ quolibet intellectu, cui non opus fuit formare quod ab vniuerſo formatur. Nã & formauiſſet vtiq; niſi oportuiſſet in toto hoc formante connumerari.

MARSILIVS

Opinionem dicentem cunctis ineſſe animam numero unam iam reſpuit: tangit uerò dicentem eſſe unam ſpecie diſtinctam numero, atq; ſingulas eſſe deriuatas ex una diuiſa. Cap. IIII.

HAnc quoque refutat: nam anima eſt ſubſtantia incorporea, indiuidua, in ſe conſiſtens. Non poteſt igitur una communis anima in plures deriuari, ſicut uel continuũ in partes, uel albedo in plures albedines diuiſione cõtinui, uel ſicut ex uno ſigillo plures in multis ceris fiunt impreſsiones.

PLOTINVS

HAec igitur ideo dicta ſunt, ne quis miretur ipſam ad vnũ reductionẽ, ſed enim diſputandi ratio exigit, quonã modo ſit vna, nunquid omnes ſint vna tanquam procedentes ab vna, an ipſæ omnes penitus vnæ? Quod ſi tanq; ab v-

A ab vna,nunquid illa diuiſa,vel tota quidem permanente, ſed nihilominus multas ex ſe faciente:tum verò quomodo eſſentia manens ex ſeipſa multas efficiat. Dicamus igitur diuino in primis auxilio inuocato, oportere profectò vnam prius exiſtere:ſiquidem multæ ſint animæ,atq; ex hac vna procedere multas. Si ergo hæc vna ſit corpus,neceſſarium eſt hac diuiſa fieri multas, & aliam omnino eſſentiam ſic aliamq; fieri,ac ſi ſimilibus ſit partibus conſtituta:conformes quoq; fieri cunctas,ſpeciem vnam eandemq; ipſo toto ferentes,molibus verò diuerſas. Quòd ſit ſecundū ſubiectas moles hoc ipſum habeant,vt ſint animæ, alias inter ſe eſſe:ſi autem ſecundum formam id potius habeant,vnam ſpecie animas eſſe. Hoc autem eſt vnam eandemq; ineſſe multis corporibus animā & ante vnam hanc inſitam multis, rurſus aliam eſſe in multis non exiſtentem: aqua,quæ in multis eſt vna,dependet,tanquam ſimulachrum paſsim delatum vnius exiſtentis in vno:quemadmodum ſi ex vno quodam ſigillo multæ ceræ figura eadem imprimerentur. illo igitur modo in multa ſigna diſpenſaretur. Si autem ſecundo modo res ſe habet incorporeum quidem aliquid anima eſt: ac ſi paſsio quædam ſit,nihil mirum erit,qualitatem vnam ex vna quadam factā multis ineſſe. Ac ſi ſecundum vtrunq; ſimul iunctum anima iudicetur,nihil id mirū fuerit. nūc verò animā tum incorpoream eſſe,tum etiam eſſentiam arbitramur.

B MARSILIVS.

Animæ quamuis per eſſentias inter ſe diſtinctæ ſint,omnes tamen quodammodo una ſunt animatribus uidelicet modis. Cap. V.

PRimò quia omnibus præeſt una animarum generalis idea, & tota ſingulis ineſt:Secundò quia quælibet anima eſt forma penitus omniformis, ideo quælibet anima cæteras complectitur animas. Differt tamen hæc ab illa,quoniam ſub differenti actu proprietateq; hæc & illa ſunt omniformes, ſicut conueniunt & differunt propoſitiones inter ſe geometricæ. Tertiò quia omnes in eodem puncto eſſe poſſunt,ſicut lumina imagines q; colorum abſq; confuſione. Nō eſſe unicam in ſingulis animam aut mentem,ſatis in Theologia probauimus. Hæc ergo tibi ſit ſumma. Caue ſuſpiceris ſuſpicari Plotinum non diſtingui inter ſe eſſentias animarum:id enim omnibus eius libris, & huius etiam fini aduerſaretur:quinetiam diſputationem propriam fecit in hac enneade contra eos qui animam eſſe unicam opinantur. Sed memento Plotinum ubiq; conari omnia quantum fieri poteſt, ad unum quiddam redigere,ſeruata interim proprietate naturæ. Ad unum quiddam dico, ideſt ad communionem affectionis actionisq; & paſsionis:ut concors in uniuerſo harmonia ſeruetur,& tra ductio uirtutis & actionis mutuò,facileq; per ſingula fiat:quod quidem fieri non poſſet, niſi ſingulæ animæ quamuis ſeruata eſſentiæ diſtinctione contineantur & regantur ab una,fermè ſicut uirtutes omnes membrorum à uirtute cordis,& à ceruice nerui. Adducit igitur multa ad unionem eiuſmodi ſigna,quæ ut tanquam ualidiſsima confirmet.cōcedere uidetur etiam tanti uigoris uideri poſ
C ſe,ut ualeant adduci non ſolùm ad talem unionem,ſed ad maiorem etiam ſuſpicandam : quaſi dicat: ſi poſſet quiſpiam per hæc ſigna ſuſpicari unionem eſſentiæ,quod tamen ego non probo,multò magis nos poſſumus per eadem ſigna unionem inter animas affectionis & actionis conſenſionisq; & compaſsionis aſſeuerare.

PLOTINVS

QVònam igitur modo vna in multis eſſentia? aut enim vna in omnibus tota,aut à tota vnaq; ſunt multæ,illa manente. Illa igitur vna eſt: multæ verò ad hanc referuntur vt vnam,dantem ſe multitudini,rurſusq; non dantem. Sufficit enim omnibus exhibere ſeipſam,& nihilominus vna perſeuerare. Poteſt enim in omnia ſimul,& ab vno quoq; non omnino ſeiungitur. idem ergo ſeruatur in multis. Neq; in hoc diffidere quiſquam debet:nam ſcientia quoque tota eſt & partes eius,adeo vt tota permaneat,& partes ab ipſa. Item ſemen eſt totum & partes ab eo in quas naturaliter diuidi poteſt,& vnaquæq; totum, manetq; totum nihilo alicubi diminutum. Materia verò diuiſionis præbet occaſionem:attamen omnia vnum. Sed in ſcientia quidem dicit aliquis,partem non eſſe totum:ſed hîc quoq; actu quidem pars eſt quod præceteris eſt expromptum,

D quatenus vſus exigit,idq; alijs eſt præpoſitum. Sequuntur tamen & reliqua po tentia quadam ibi latentia, ſuntq; in parte omnia,& fortè hac conditione ipſa tota dicitur:pars autem ibi quidem tanquam actu, ſed ſimul omnia. Eſt igitur præſto paratũ quicquid aggredi expedireq; velis. In ipſa verò parte ineſt quod dicimus præparatum,ſed eſſe in potentia iudicatur,quatenus toti cohęret. Nec exiſtimandum eſt,notionem hanc quam dicimus ſcientiæ partem, eſſe aliarum vacuam notionum,alioquin non erit notio quædam artificioſa, nec ſcientiæ propria,ſed perinde ac ſi puer aliquis fortè loquatur. Si ergo ſcientiæ accomodata eſt,omnes potentia poſsidet. Sciens itaq; vir cum propenſior ad hæc incumbit,vno quodam inprimis poſito, deinceps per conſequentiam quandam reliqua quoq; producit. Hinc & Geometra in ipſa reſolutione declarat, vnumquodq; præcedentia in ſe cuncta complecti,per quæ agitur reſolutio, complecti etiam conſequentia,quæ inde quodam ordine deducuntur. Verùm hæc ob debilitatem noſtram non creduntur,& mole corporis obſcurantur: illic autem clara omnia ſunt,ac etiam vnum quodq; perſpicuum.

E LIBRORVM ENNEADIS QVINTÆ PLOTINI PHILOSOPHI SERIES. AB EODEM MARSILIO

Liber primus,De tribus principalibus ſubſtantijs
Secundus, De generatione & ordine eorum quæ ſunt poſt primum.
Tertius, De cognoſcentibus ſubſtantijs, & de eo quod ſuperius eſt.
Quartus, Quomodo à primo ſit quod eſt poſt primum atque de uno.
Quintus,Quòd formæ intelligibiles & intelligibilia non ſunt extra intellectũ: atque de ipſo bono
Sextus, Quòd quod eſt ſuperius ente non intelligit, & quid ſit primò intelligẽs, & quid ſecundò.
Septimus, Vtrum ſingulariũ ſint ideæ.
Octauus,De intelligibili pulchritudine.
Nonus,De intellectu & ideis & ente.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER ENNEADIS QVINTAE PRIMVS.

De tribus principalibus ſubſtantijs,habentibus principij rationem.

MARSILIVS.

Anima in patria ſub ipſa mentis diuinæ forma potius quàm ſua uiuit & agit ſicut corpus nũc ſub animæ forma:ſed cũ primũ confert ſe ad uiuendum agendumq; ſub propria forma per diſcurſionem ſcilicet rationalem,deinceps prolabitur paulatim in diſcurſionem imaginalem,& actionem ſenſualem atque uegetalem
F *ut iam quaſi ſub forma corporea uiuat.* Cap. Primum.

Hinc poſtremo contingit,ut ſe corpoream opinetur, ac de ſua diuinitate diffidens diuina nec quærat vnquam nec uereatur.

PLOTINVS.

QVIDNAM in cauſa eſt, vt animæ quæ diuinæ ſortis ſunt, Deiq; omnino, tamen Dei patris obliuiſcantur,ignorantes & ſe ipſas,& illum? Principium igitur mali eſt animis audacia,generatio,prima diuerſitas,& quia volunt ſui iuris eſſe. Poſtquã igitur libertate hac ſiue licentia delectari cæperunt, fretæ plurimum ſuo quodam ex ſe ipſis mouendi munere, & iter contrarium incuntes,factæq; iam remotiſsimæ,iam ſeipſas illinc exortas eſſe prorſus ignorant: velut pueri ſtatim nati à parentibus ſegregati,proculq; diutius educati,& ſe,& parentes ignorant. Cum igitur neq; patrem neque ſeipſas videant, ſuiq; generis ignorantia ſe paruifaciant,honorantes alia, & quicquid occurrit magis quàm ſe admirantes,atq; ſtupidæ hinc & admirabundę pendentes,nimirum ſe iam longiſsimè proiecerunt,diſiunxeruntq; à patre atq; ſeipſis,dum ſcilicet ea à quibus nimiũ auerſę ſunt,parui facerent. Quamobrẽ extrema diuinitatis inſcitia ex inferiorũ honore ſuiq; ipſius cõtemptu animæ videtur accidere.

Simul

A Simul enim prosequitur,admiraturq; aliud,& interim confitetur se admirantẽ & prosequentem hoc ipso deteriorem esse.Cum igitur deteriorem seipsam rebus nascentibus occidentibusq; existimet,ideoq; abiectissimum quiddam maximeq; caducũ omniũ quæ honorat esse se putet,meritò neq; Dei naturã,neq; potentiam animo concipit.Quapropter geminum ad eos qui sic affecti sunt, sermonem habere debemus,si modò conuersuri eos simus ad opposita quædã atq; prima,& vsq; ad summum vnumq; & primũ deniq; reducturi. Quisnam igitur est vterq;? Alter profectò qui demonstrat quam ob causam anima nunc inferiora hæc honoret,quam rem alibi longè percurrimus:alter verò qui docet atq; cõmemorat quàm generosa stirpe sit animus procreatus, & quanta præditus dignitate.Qui certè sermo prior est quàm ille,atq; declaratus declarabit & illum,de quo sanè nunc est dicendum.Proximè enim hic ad naturam eius quod quærimus videtur accedere,atq; illi opportunè præponitur. Ipsum enim quod quærit est anima,cui profectò cognoscendum est, quid existens iam ipsa in se perquirat,vt discat inprimis, num ipsa vim habeat ad talia quædam inuestiganda,& nunquid eum habeat oculũ quo perspicere valeat,& omnino nũ hęc cõueniat indagare.Si enim aliena nobis sunt,cur nã hæc indagemus? Sin autẽ cognata,meritò decet,expeditq; perquirere,& potest quãdoq; animus inuenire.

B MARSILIVS.

Quanta sit mundanæ animæ dignitas ostendit ex eo quòd nisi in mundo sit ipsa,mundus nihil aliud quam materia quædam informis erit. Cap. II.

ANima rerum formas gignit,motiones omnium & actiones ipsa citat,uitam omnibus inserit & progressum,est ubiq; tota,nutu regit:atq; ita se habet ad mundanum corpus accedens, sicut sol exoriens ad aerem tenebrosum . Similes anima nostra uires, similemq; fermè dignitatem habet,præsertim si corporeis sordibus expurgata redierit in seipsam.

PLOTINVS.

COgitare debet in primis omnis anima,animam ipsam animalia omnia effecise inspirantem eis vitam:feciſſe inquam viuentia omnia quæ nutrit tellus, & quæ mare,quæ in aere sunt,& quæ in cælo stellæ diuinę. Anima solẽ,anima ingens hoc cælum exornauit,ordineq; perpetuo ducit, existens profectò natura quædam ab his diuersa,quæ ornat,quæ mouet, quibus suggerit vitam. ideoq; necesse est his omnibus esse præstantiorem: quippe cum hæc & oriantur quando anima suppeditat vitam,& occidant quando destituit:ipsa verò sit semper,propterea quòd nunquam deserit semetipsam. Quis autem modus sit vitæ suppeditandæ tum vniuerso,tum singulis animantibus,ita potissimùm co

C gitetur. Consideret itaq; ingentem animam alia quædam anima nõ paruam in considerando dignitatem adepta,à deceptione videlicet libera, & ab his omnibus quæ cæteras animas fascinare consueuerunt:ideóque in habitu quodam quietissimo constituta, non solùm verò quiescat illi circumfusum corpus corporisq; procella,verùm etiam quicquid extrinsecus ambit, vndiq; cõquiescat. Torpeat ergo terra,& mare,aerq;,& cælum.Excogitet mox in torpentem eiusmodi molem vndiq; animam extrinsecus influentem penitusq; infusam, & omnia penetrantem,nec aliter illustrantem,quàm solis radij obscuram caliginem illuminare soleant,nubesq; sæpe aspectu aureas reddere:sic itaq; anima cęleste corpus ingressa dedit vitam, dedit immortalitem,torpens protinus excitauit. Hoc autem motu perpetuo agitatum sapientis animæ ductu,beatum animal est effectum,omnemq; cælum adeptus est dignitatem, cum primùm inhabitauit anima,cùm prius esset corpus vita vacuum,terra scilicet atque aqua: imò verò materiæ tenebrositas,atque non ens:quódue (vt inquit ille) dij odio habẽt. Fiet autem clarior atque perspectior vis animæ atque natura, siquis in his animaduertat,quemadmodum ipsa sua voluntate cælum complectatur & ducat.

A

MARSILIVS.

Mundus cum ſit ab intellectu diuino, certè totus eſt in eo. Et quoniam ille eſt ens, uita, intellectus perfectiſſimo modo, ideo quicquid mundanum eſt in eo, perfectum eſt, atq; eſt ens, & uita, & intellectus. Cap. IIII.

PArtes temporis pertinentes ad mundana referuntur ad totum tempus, quod paſsiuè eſt in mũdo: atq; hoc ad tempus quod in anima eſt actiuè, & illud ad ipſam diuinæ mentis æternitatẽ: in ipſa tamẽ mẽte differũt inter ſe quadã ratione formali intelligere atq; intelligi. Itẽ quod intelligit & quod intelligit, ſubſtãtia temẽ cõueniũt. Ibi rurſum intelligere ipſum methaphoricè eſt moueri, intelligi uerò quaſi mouere, atq; ſtare. Cum igitur intellectus ille & omniformis ſit, & differẽtiã in ſe aliquam, & quaſi compoſitionem habeat, meritò redigendus eſt ad ſuperius aliquid ſimpliciſsimũ.

PLOTINVS.

COgnoſcere idem præterea per hæc aliquis poterit, ſiquis mundum hunc ſenſibilem admiretur, intuitus magnitudinẽ eius & pulchritudinem, motuſq; ordinem ſempiterni: itẽ deos in ipſo partim quidem cõſpicuos, partim verò latẽtes: dæmones quoq; & animalia, & omnes denicq; plantas, mox ad ipſum mundi huius principiũ & exemplar mundumq; veriorẽ prorſus aſcendat: ibiq; intelligibilia cuncta conſpiciat, ac penes ipſum ſempiterna in propria intelligẽtia atq; vita horumq; omniũ præſidem intellectum prorſus intemeratũ, & ineB ſtimabilem ſapientiam, & reuera vitam auream ſub Saturno: nempe Saturnus ipſe intellectus eſt prorſus immaculatus. Omnia enim in ſe immortalia comprehendit, intellectum omnem, deum omnem, animam omnem, & hæc omnia penitus conſiſtentia. Quid enim permutare quærat, cum bene ſe habeat? quóue pertranſire, cum penes ſe cuncta poſsideat? Sed neq; exigit incremẽtum, cum ſit perfectiſsimus. Quapropter & quæcunq; ſunt apud ipſum perfecta ſunt, vt ſit omnino perfectus, non habens quod non ſit tale: neq; quicquam in ſe habẽs quod non intelligat: intelligit autem non quęrendo, ſed poſsidendo. Neq; peregrinam habet felicitatem, ſed omnia habet in æuo. atque vera eſt æternitas quam imitatur tempus circa animam ſeſe verſans, alia quidem dimittẽs, alia verò attingens. Etenim alia rurſusq; alia ſunt circa animam. Nam aliquando Socrates, aliquando equus, & vnum aliquid ſemper eorum quæ ſunt, intellectus autem omnia. Habet igitur in eodem omnia conſiſtentia in eodem, atq; eſt dũtaxat, ſemperq; præſens, neq; vllo modo futurum. Eſt enim iam tunc quicquid eſſe poteſt, neque habet præteritum. Non enim ibi quicquã præterijt, ſed ibi cũcta in præſenti conſiſtunt: vtpote quæ ſunt ſemper eadem, tanquam quæ præſenti habitu ſunt cõtenta: proinde quodlibet illorum eſt intellectus atque ens.
C Et vniuerſum omnis eſt intellectus, ensq; omne: intellectus quidem, propterea quòd intelligit, atque ita ens ſibi vendicat: ens autem, propterea quòd intelligitur, atque hoc ipſum quod intelligitur, intelligere & eſſe exhibet intellectui. Intelligendi verò cauſa aliud eſt: quod quidem enti quoque cauſa eſt eſſendi: amborum igitur ſimul aliud cauſa eſt. Ipſa enim & ſimul exiſtunt, & nũquam ſe mutuò deſerunt. Sed cum duo ſint hoc ipſum vnum ſimul eſt intellectus, & ens, & intelligens ſimul & intellectum. Intellectus quidem quatenus intelligit, ens autem quatenus intelligitur. Non enim eſſe poſſet actus intelligendi, niſi eſſet (vt ita loquar) alteritas, atque identitas. Sunt ergo prima intellectus, ens, alteritas, & identitas. Oportet autem motum quoque ſtatumq; adiungere: Et motum quidem, ſi intelligit, ſtatũ verò vt idem: ſed alteritatem, vt ſit intelligens atque intellectum: alioquin ſi diuerſitatẽ hanc abſtuleris, vnum iam prorſus euadens ſilebit omnino. Oportet autem quæ intelligunt & quæ intelliguntur inter ſe ſic eſſe diuerſa, eſſe quoque idem, quatenus in eodem, & commune vnum aliquod omnibus: Atqui differentia ipſa alteritas eſt. Hæc autem dum plura fiunt, numerum quantitatemq; faciunt, ac denique tale aliquid vniuſcuiuſq; horũ proprietas efficit, ex quibus velut principijs cætera quoque proficiſcuntur.

D MARSILIVS.

Pytagorici fingunt in quadam quaſi proceſsione ipſius unius oriri binarium, in quodam binarij termino ternarium ſuboriri, ſimiliterq; deinceps: Platonici ſimiliter de prima eſſentia iudicant. Cap. V.

HAec enim cum perfectiſsimè ſit, ideoq; ſimiliter uiuat uitali quodam quaſi motu progreditur intus. Cum uerò progreſsio ſit oppoſita regreſsioni uel termino, nimirum aliunde, & id quidem deſuper habet ut regrediatur, uel terminetur: ſicut cælum ut moueatur, habet ab anima, ut in orbem, habet ab intellectu, uel anima iam intellectuali. Terminatur autem uitalis ille actus ih intellectum, & hunc clariſsimum omniformemq; uigores ſcilicet interim accepto diuinitus, ſicut & oculus natiuo quodam nixu aſpicit, ſed uirtute luminis fit actu uidens atq; formatus. Deniq; cum in ipſo intellectu primo ſeipſum intelligente ratio quidem formalis ipſius intelligentis ſit quaſi procedentis atq; formabilis, ratio autem intellecti ſit quaſi terminantis atq; formantis: ideoq; inter ſe opponantur, meritò ibi eſt numerus aliquis, non accidentalis ille quidem, ſed prorſus eſſentialis. Eſt & illic numerus idearum ratione formali inter ſe differentium, ſi modò per eas intelliguntur & fiunt formæ rerum re ipſa inuicem diſcrepantium. ideo intellectus adeo multiplex à principio dependet penitus ſimpliciſsimo.

PLOTINVS.

E HIc itaq; Deus plurimus in anima hac exiſtit rebus eiuſmodi copulata, niſi fortè hinc velit abire. Propinquans ergo ipſi & quaſi vnum effecta ita perquirit: Quiſnā igitur ille eſt qui hunc genuit? qui ſimplex & antè eiuſmodi multitudinem: qui auctor huic eſt, vt & ſit, ſitq; multiplex: qui procreat numerū. Numerus enim non eſt primus. Nam ante duitatem eſt ipſum vnū: ſecundum verò duitas quæ ab vno facta, ipſum habet definitorem. ipſa verò ſuapte natura eſt quiddam indefinitum. Quando verò definita eſt, iam eſt numerus. numerus autem vt eſſentia: nam & anima quoq; numerus eſt. Non enim moles ſunt prima naturæ, neq; magnitudines vllæ. Craſſa enim hæc poſteriora ſunt, quæ ſenſus exiſtimat entia. Iam verò nec in ſeminibus hoc ipſum humidum eſt quod dignum æſtimatione cenſetur, ſed quod ſenſibus non apparet. id autem numerus eſt atq; ratio. Qui ergo numerus illic dicitur atq; etiam duitas, intellectus eſt & rationes quædam: ſed indefinita quidem duitas eſt quatenus ſubiecto conſideratur: numerus autem qui ex ipſa eſt atq; vno, iam eſt ſpecies vnuſquiſq;, quaſi ſic intellectus ipſius eſſentia per ſpecies in eo factas formata iam fuerit. Formatur autem alio quidem modo ab ipſo vno, alio autem à ſe ipſo, velut viſio quæ eſt iam actu videns. Eſt enim intelligentia viſio videns, & ambo vnum.

F MARSILIVS.

Deus ſummus abſq; ullo uoluntatis uel naturæ motu diuinū generat intellectum tanquam uerbum ſuum, ſola alteritate quadam à patre differens: Intellectus ſimiliter immobilis uerbum ſuum generat ipſam ſcilicet mundi animam. Cap. VI.

SI primum principium eſſet ullo modo mutabile, omnino mutarent omnia. Item ſi fingatur per motum quaſi medium generare mētis ſubſtantiam, motum tandem generabit ſine motu accidens tam imperfectum, ut ſit accidentium omnium imperfectiſsimum, cum partes in ſe ſuas ſimul poſsidere nunquam poſsit. Itaq; ratio dictat ſine eiuſmodi accidente perfectiſsimam illam à Deo ſubſtantiam generari, cum agentia partim natura, partim uoluntate faciant, & in primo agente omnis agendi facultas contineatur, & quæ in ſequentibus ſunt diuiſa in primo ſint unita: nimirum Deus uoluntate res facit pariter atq; natura. idemq; in eo natura eſt atq; uoluntas. Ab illo igitur nec per uoluntatem nec per naturam mutato emicat intellectus quaſi lumen, & cum primùm emicat naturali quodam inſtinctu uergens ad patrem, idearum ſplendore repletur. Euadit igitur intellectus hinc abſolutè formatus: ſimiliter ad intellectum diuinum anima mundi ſe habet. Notabis orationem tunc efficaciſsimam fore, quando animus ad intellectum ſuum omnino ſe reuocans, ſolùm ſe offert ſoli Deo, ad ſolum uidelicet illum amore flagrans,

PLOTINVS.

QVomodo igiť videt? quid ve videt? Et quomodo prorſus extitit & proceſsit ab illo, vt & videat? Nunc enim neceſsitatem ipſam per quā hæc fiant

A fiant animus tenet. Affectat autẽ iterum intelligere, quod etiam inter antiquos ſapientes eſt diuulgatum, quonam pacto ex vno exiſtente tali, quale dicimus vnum ipſum exiſtere, habuerit vnumquodq; ſubſtantiam, ſiue multitudo, ſiue duitas, ſiue numerus: neq; illud in ſeipſo quieuerit, ſed tanta illinc effluxerit multitudo, quanta conſpicitur quidem in ordine rerum, reducendam verò cenſemus ad illud. Sic itaq; dicendum nobis eſt, Deum ipſum inuocantibus, non oratione quidem ad aures pertinente, ſed animo ſe ipſum ad Deum voti gratia impenſiſsimè reuocante: quippe cum hac tantùm conditione vouere precariq; poſsimus, ſi ſoli accedamus ad ſolum. Oportet igitur Dei contemplatorem in ipſo penetrali velut templo quodam, intra ſeipſum inquam tranquillè quieſcere ſuper omnia prorſus extantem, ibiq; velut ſtatuas extra vniuerſum conſtitutas, imò verò ſtatuam primò effulgentem, hoc modo quo naturaliter inſpici poteſt, inſpicere. Circa omne quod mouetur oportet aliquid eſſe ad quod mouea tur: nam ſi nihil eiuſmodi fuerit, moueri minimè affirmabimus: ſed ſiquid poſt efficiens ipſum fiat, id omne ipſo ſemper ad ſe conuerſo effici neceſſarium eſt. Procul eſto nunc à nobis generatio temporalis, verba de ſempiternis inpræſentia facientibus: & ſi quando inter loquendum generationem eis attribuamus, ratione cauſæ ordinisq; cuiuſdam generationem in medium adducenti-
B bus. Quod igitur inde gignitur, dicendum eſt ſuperiore non agitato gigni: alio quin ſi moto illo aliquid generetur, certè id quod gignitur, non ſecundum, ſed tertium erit ab illo poſt motũ. Quamobrem neceſſarium eſt, cum illud ſit prorſus immobile, ſiquid ſecundum poſt ipſum naſcitur, id profectò illo neque annuente, neque voluntate decernente, neque vllo pacto commoto ſubſiſtere. Quonam igitur pacto quidue nobis eſt circa illud ſtabile cogitandum? Lumẽ vndiq; circumfuſum ex ipſo dependens, ex ipſo inquam penitus quieſcẽte, ceu fulgorem circa ſolem, quaſi circumcurrentem, ex ipſo ſemper manente progenitum. Iam verò res omnes quatenus naturaliter perſeuerant, ex ipſa ſui eſſentia præſenteq; virtute neceſſarium circa ſe foras naturam producunt ab ipſis dependentem, quæ quidem imago ſit velut exemplaris ſcilicet virtutis illius vnde manauit. Ignis quidem ex ſe foras emittit calorem, nix quoque frigus non intrinſecus tantùm cohibet, ſed & aliis exhibet: præcipuè verò id res odoratæ teſtantur. Quamdiu enim ſunt, nonnihil ab eis circum effunditur: cuius inde ſit particeps quod eſt propinquum. Atqui quæcunque perfecta iam ſunt, aliquid generant. Quod autem ſemper eſt perfectum, ſemper gignit & ſempiternum, minus autem genitum genitore. Quidnam igitur de per-
C fectiſsimo eſt dicendum? Nunquid nihil prodit ab eo, an potius ab eo prodeũt quæ omnium maxima ſunt poſt ipſum? Maximum verò poſt ipſum eſt intellectus, atque ſecundum. Inſpicit enim intellectus illud, ſoloq; illo indiget: illud verò primũ hoc minimè indiget. Oportet profectò quod fit ab eo quod eſt mẽte melius, eſſe mentem: melius verò omnium quæ fiunt eſt intellectus, quoniam alia ſunt poſt ipſum. Iam verò & anima mentis eſt verbum & actus quidam, ſicut mens eſt Dei verbum. Verùm obſcurum eſt animæ verbum: Quatenus enim eſt imago mentis, hoc ipſo ei aſpiciendum eſt in mentem: eadem ratione. Deũ ſuſpicit mens imago Dei, vt ita ſit intellectus: videt verò Deum minimè inde ſeparata: ſed quoniã eſt poſt ipſum, nihilq; eſt medium, quemadmodum nihil medium eſt inter animam atque mentem. Omne verò genitum appetit genitorem, in cuius cõſecutione ſit contentum, præcipuè autem quando ſoli ſunt genitor atque genitus. At vbi quod genuit eſt omnium optimum, neceſſariò genitum ipſi cohæret vſque adeo, vt alteritate (vt ita dixerim) quadam ſolùm videatur inde ſecretum.

D

MARSILIVS.

Quemadmodum intellectualis anima dependet ab intellectu puro, qui non eſt anima: ita & hic intellectus emanat ab ipſo bono quod non eſt intellectus, ſed ſupereminet intellectum. Cap. VII.

INtellectus hic primò quidem à patre manat, tanquam eſſentia uiuens, mox uerò naturaliter illuc aſpiciens intellectus euadit. Intellectus enim eſt ipſa ſubſtantialis uiſio ex aſpectu ſiue affectu naturali reſultans. huius quidem pater eſt ipſum ſimpliciter unum. Hic autem unum eſſentiale ſiue uitale, ubi uidet eſſe binarius, ſed aſpectu addito iam ternarius. In ternario eſt par & impar omnisq; numerus. Similiter hic per aſpectum ſiue affectum naturalem iam ternarius, ſimul numerus omnis efficitur. Aſpiciendo enim ſiue naturaliter aſciſcendo corroboratur à patre: confirmatus uiuentem eſſentiam ſuam iam comprehendit in qua fœcunda uiget uirtus eſſentiarum omnium genitrix. Sic igitur in ſeipſo in formas omnium ſe deriuat, dum ſuam hanc intelligendo in ſe explicat poteſtatem Effectus eſt igitur omniformis, & omnia fomẽto patris: qui cum nulla rerum forma definiatur, merito uel nihil agit quod dictu nefas, aut pariter omnia, dum ex ſe uno ſuper omnia exiſtente unum generat omniforme. Hic Cælio genitus, Saturnus eſt appellatus, conceptus ſuos ipſe deglutiens à Rhea, ideſt natura & materia ſegregatos. Huius filius Iupiter mundi anima filios, ideſt formas generat in natura, atq; per hanc ad materiam poſtremò producit.

E

PLOTINVS.

IMaginem verò illius eſſe dicimus intellectum. Oportet enim apertius explicare. Primò quidem oportere id genitum eſſe, ſeruareq; mul a in ſe genitoris, ſimilitudinemq; talẽ fermè ad ipſum habere, qualem lumen habet ad ſolem: genitorem verò illum non eſſe mentem. Quomodo igitur gignit mentem? Quia videlicet genitum conuerſione quadam ad genitorem inſpicit: hæc autem ipſa viſio eſt intellectus. Quod enim percipit aliud vel ſenſus eſt, vel intellectus. Cõparari verò ſolet ſenſus quidem lineæ, quòd verò reliquum eſt in cognoſcẽdo circulo. Verùm eiuſmodi circulus eſt quaſi partibilis, ipſum verò non ita ſe habet: Fortè verò hic quoq; eſt vnum, ſed vnum poteſtas omnium. Quorũ igitur eſt poteſtas, hæc ab ipſa poteſtate velut partita intelligentia conſpicit, alioquin intellectus minimè foret: quandoquidem & ipſe per ſe habet iam velut poteſtatis ſuæ conſenſum animaduertentẽ quantũ valeat, in quo quidem ſua conſiſtit eſſentia. Ipſe igitur per ſeipſum & definit eſſe ſibimet poteſtate quadam ab illo prorſus accepta: vbi ſanè animaduertitur eſſentiam eſſe velut partem quandam vnam eorum quę ſunt illius atq; ex illo, & corroborari ab illo, ab eodemq; & ex eodem perfici in eſſentiam. Videt autẽ inde ſeipſum velut partibili quodam ex

F impartibili, tum viuere, tũ intelligere, ac prorſus omnia: quoniã ille nihil eſt omniũ. Ob hoc enim ab illo fiunt omnia, quoniã illud vna quadã forma minimè circũſcribit. Illud enim vnũ eſt duntaxat, intellectus autẽ in ordine rerũ eſt omnia. Ob hoc itaq; illud nihil eſt eorũ quæ ſunt in mente, ſed ex ipſo cũcta in rerũ ordine manãt: quamobrẽ hæc eſſentiæ ſunt. Determinata enim iã ſunt, & vnumquodq; habet iam velut formã: ipſum verò ens nõ eſt quaſi in quodã indefinito cõſiderandũ, ſed termino quodã ſtatuq; firmatũ. Status autẽ in rebus intelligibilibus determinatio eſt atq; forma, quibus ſuã ſubſtantiã fortiunt. Hic igit huius generis intellectus puriſsimæ mentis appellatione dignus, nõ aliunde quã ex primò principio naſci eſt iudicãdus: atq; hũc iã genitũ cũcta ſecũ ſimul entia genuiſſe, vniuerſam pulchritudinẽ idearum, intelligibiles Deos omnes. Exiſtimandum præterea hũc eſſe plenum omniũ quæ progenuit, & quaſi genita protinus abſorbentẽ: propterea quòd in ſe omnia cõplectatur, neq; in materiam labi ſinat, neque nutriri apud Rheam, quemadmodum myſteria fabulæq; de dijs fingunt, Saturnũ quidem ſapientiſsimum Deum ante Iouem genitum: quæ generat in ſeipſo iterum cohibere: quatenus ſic & plenus ſit & purus cum plenitudine intellectus. Poſt hæc tradunt generare Iouem puerum iam exiſtentem, ideſt purum atque vegetum, & quaſi iam ſaturum. Animam enim generat intellectus

A tellectus, intellectus inquam perfectus exiſtens. Quando enim perfectus ſit, oportet & generare, potentiamq; tantam non eſſe ſterilem. Sed hic quoq; quod gignitur genitore melius eſſe non poterat. Cùm verò foret minus, fore & illius imaginem indefinitam quoq; ſimiliter: ſed definiri à generante atque formari. Progenies verò mentis ratio quædam eſt, cuius ſubſtantia in excogitando conſiſtit: id autem eſt, quod circa intellectum ſeſe verſat, intellectusq; ipſius lumen eſt atq; veſtigium ſemper inde dependens: inde quidem illi cõiunctum, atque ita repletum & fruens, & compos eius atq; intelligens: inde verò viciſsim ſibi ſubdita tangens: imò verò generans: quæ quidem neceſſarium eſt anima deteriora contingere: de quibus in ſequentibus eſt dicendum. Hucuſque tandem diuina procedunt.

Ex Platonis Parmenidiſq; uerbis probatur ipſum bonum, & ſimpliciter unum, eſſe ſuperius ipſo ente, atq; intellectu, quod eſt unum multa appetitq; bonum. Item intellectum diuinum eſſe ſuperiorem anima mundi: quoniam hæc eſt unum & multa quaſi iam magis diuiſa, atq; per participationem eſt intellectus. Cap. VIII.

PLOTINVS.

B HAc de cauſa apud Platonem omnia circa omnium regem triplici ordine diſponuntur, præcipuè verò per prima: ſecunda deinde circa ſecundum: tertia denicq; circa tertium. Tum verò dicit eſſe & cauſæ patrẽ: cauſam quidem intellectum appellans: nam mundi artifex apud Platonẽ eſt intellectus: hũc verò ait animã in illa patera procreare. Cum verò cauſa ſit intellectus, patrẽ appellat ipſum bonũ, & quod intellectu eſt eſſentiaq; ſuperius. Sæpe etiã ipſum ens atq; intellectũ appellat ideam. Quapropter apud Platonẽ cognoſcere licet ex ipſo quidem bono mentẽ atque ideam, ex mente verò animã. Atqui ſermones eiuſmodi non eſſe nouos, neq; nuper inuentos, ſed quondam dictos fuiſſe licet non explicatos: præſentes verò ſermones eſſe velut interpretes antiquorũ, idq; teſtimonijs cõprobari, aſſerentibus opiniones eiuſmodi eſſe priſcas, quòd ex ipſis quoq; Platonis libris liceat coniectare. Parmenides igitur prior opinionẽ eiuſmodi attigit, vbi in idem ens intellectumq; reduxit: atq; ens ipſum in rebus ſenſibilibus minimè collocauit, dicens, intelligere atq; eſſe idem prorſus exiſtere, idq; immobile, tametſi adiũgat illic intelligere. Omnẽ ſanè corpoream inde ſubſtulit motionẽ, vt eodem ſemper modo permaneat, cõparat inſuper ſpheræ globo, quoniã cuncta in ſe inuoluta cõplectitur: & quoniã intelligentia non petitur ab extrinſeco, ſed in ſeipſo perficitur. Vbi verò in libris ſuis vnũ nominat,
C attingit cauſam, quaſi vnum hoc deprehenſum ſit eſſe multa. Parmenides autẽ loquens apud Platonẽ, exactius inter ſe diſtinguit primum ipſum vnum, quod & præcipuè vnũ eſt ſolumq; vnum: item ſecundum vnum multa nominat: tertium denicq; vnum atq; multa. Hic itaq; ſic tres dictas confirmat naturas.

MARSILIVS.

Anaxagoras, Heraclitus, Empedocles, Ariſtoteles unà cum Platone conſentiunt, primum omnium principium eſſe unum atq; ſimpliciſsimum. Cap. IX.

QVòd enim omnia in mundo, quanuis diuerſa, in unam totius formam, unumq; finem, effectumq; ordine certo conſpirent, inde prouenit, quòd omnia ſunt, & ducuntur ab uno: cunctaq; unum imitantur, & appetunt. Si poſito uno quodam principio, primò omnium æquè ponatur & alterum æquè primum omnium, & ſuperflua erit alterius huius poſitio, & contingenter hoc etiam principium apellabitur, cum nulla aſsignari ratio poſsit, quare hoc alterum etiam principium ſit, uel illud primò poſitum. Non enim quia neceſſarium ſit, non quia hoc ſit ab illo, non quia hoc & illud ſint ab uno quodam tertio: Omnino contingens, & temeraria, & diuulſa, & impoſsibilis eſt multitudo quæ non eſt ab uno,

PLOTINVS.

D ANaxagoras autem vbi mentem puram miſtionisq; expertem adducit, ipſe quoq; ſimplex ponit primum vnumq; ſeparatũ, exactam verò diſcuſſionem antiquitatis cauſa prætermiſit. Heraclitus præterea nouit vnum intelligibile ſempiternũ: corpora namq; fieri ſemper inquit & fluere. Proinde apud Empedoclem diſcordia quidem diuidit: in ipſa verò concordia vnum ſignificatur. Iam verò & ipſe id poſuit incorporeum: Elementa verò vicem materiæ obtinent. Ariſtoteles autem poſterius ipſum quidem primum intelligibile dicit & ſeparatum: ſed vbi in telligere ſeipſum affirmat, viciſsim facit eſſe non primum. Profectò & vbi alia quoq; multa intelligibilia producit in medium, totidem numero, quot & in cęlo ſunt ſphęrę, vt ſingula ſphæras ſingulas moueant, aliter intelligibilia quàm Plato diſponit, & cum probabilem non habeat rationem, adducit neceſsitatem. Inſtabit & aliquis, nũquid recta ſic ratione dicat̃ inquirens: Rationabilius eſſe dicens, omnes ſphęras ordinesq; rerum ad coordinationem vnam mutuò conferentes, ad vnum ſimul primumq; conſpicere. Interrogabit & aliquis, nunquid intelligibilia multa apud Ariſtotelem ex vno primo ſint, an potius in rebus intelligibilibus multa principia ſint? Ac ſi ex vno E ſunt omnia, congruenti quadam proportione comparabuntur, perinde atque in rebus ſenſibilibus inter ſe ſphęræ ſe habent: alia ſcilicet aliam complectẽte, & vna tandem extrinſecus velut dominam continente. Quamobrem primum ibi reliqua comprehendet, mundusq; intelligibilis erit. Tum verò quemadmodum hîc ſphęræ vacuæ non ſunt, ſed prima quidem ſtellarum plena, ſingulæ verò ſequentes ſtellas ſingulas poſsident: ſic & ibi mouentia illa, multa in ſeipſis habebunt, verioraq; cæleſtibus illic omnia erunt. Sin autem vnumquodque in numero intelligibilium eſt, æquè principium certè per contingentiam quandã principia erũt. Et quæri poterit, quã ob cauſam conſpirent in vnũ, & ad opus vnum, communem ſcilicet totius cæli conſentiant harmoniam. Item quónam pacto quæ in cęlo ſenſibilia ſunt, illis ſint ęqualia numero. Deniq; quomodo multa ita ſint, cum ſint incorporea, neq; materia vlla diſcernat. Quamobrẽ quicũq; veterum Pytagoram ſectatoresq; eius, & Pherecydem ſuosq; ſimiliter ſecuti ſunt, circa naturam eiuſmodi ſtudioſè verſati videntur: ſed alij quidem ſua in libris ſenſa poſteris reliquerunt, alij verò non in ſcriptis, ſed in viua vocis conſuetudine tradidere, aut penitus dimiſerunt.

F MARSILIVS.

Subſtantiam animæ ratiocinantis eſſe à corpore ſeparabilem apparet, quoniam ratiocinari poteſt etiam abſq; inſtrumento corporeo: idq; deprehendimus tum quando in conſilijs concludit & eligit contra incitamenta corporea, tum etiam quando inſpeculando formas uel ſeparatas attingit, uel non ſeparatas ipſa ſeparat. Cap. X.

PLOTINVS.

IAm verò demonſtratum eſt oportere ſuper ens eſſe vnũ, quale deſiderabat ratio demonſtrare, quantum ſcilicet de rebus talibus demonſtrari poſsit: eſſe autẽ poſt ipſum vnum ens atq; intellectum: tertiò deniq; loco naturam animæ. Quemadmodum verò in ipſa natura tria hæc ſunt, quæ diximus, ſic quoq; exiſtimãdum eſt, hæc nobis ineſſe. Dico autẽ non in rebus, quæ ſenſibus offerunt̃. ſeparata enim hæc ſunt, de quibus in pręſentia loquimur, ſed de rebus quæ ſenſuum vires excedunt, extraq; eos ſunt, eodemq; modo extra, ſicut & illa in vniuerſo naturæ ordine omnino ſunt extra cælum: ſic itaque tria quædam ſunt in homine, in homine inquã, quẽ Plato interiorẽ nominat hominẽ. Eſt igit̃ noſtra inſuper anima diuinũ quiddam, alteriusq; naturæ, qualis eſt vniuerſa natura animæ: perfecta verò eſt: quæ mentẽ habet, ſed mens altera quidẽ in ratiocinãdo verſatur, altera vim ratiocinandi ſuppeditat. Hanc vtiq; ratiocinandi virtutem animæ nullo prorſus inſtrumento corporeo ad diſcurſionẽ propriam indigẽtẽ,

ſed

A ſed actionem ſuam in puro quodam gradu ſeruantem, vt & purè poſsit ratiocinari: Siquis ſeparatam neq; miſtam corpori & in primo illo rerum ſcilicet intelligibili gradu locauerit, minimè aberrabit. Non enim quærendus nobis eſt locus vbi ponamus, ſed extra locum omnem vis talis conſtituenda. Sic enim dun taxat habere poteſt, quod dicitur per ſe exiſtere, atq; agere & extrinſecus & ſupra materiam, quando ſola fuerit à corporea natura nihil penitus habens. Hanc ob cauſam Plato in Timæo Deum, inquit, mundi animam etiam extra mundũ circumfudiſſe, oſtendens vim animæ in ipſo intelligibili permanentem. De anima quoq; noſtra in Phædro ait, tum condere caput intra cælum, tum extra cælũ caput attollere. Atqui cum in Phædone potiſsimum & Theetheto ſeparare animam iubet à corpore, non loco præcipit ſegregare. quod enim ita ſeparatum eſt, naturaliter eſt ſeiunctum, ſed monet, ne corpori animus annuat, neq; imaginationi conſentiat, neq; ob cõmertium corporis alienetur à mente, coneturq; ſiquo pacto valeat ſubditam ſibi animæ ſpeciem vnà ſecum ad ſuperiora perducere: Quódue ex ipſa hîc eſt ſitum, quod quidem ſolùm corporis eſt opifex atq; formator, aſsidueq; ad hoc ipſum incumbit.

MARSILIVS.

B *Sicut in uniuerſo ipſum unum eſt ſuperius intellectu, & hic ſuperior anima, ſic in anima noſtra ipſa animæ unitas eſt eminentior eius mente, hæc altior ratione.* Cap. XI.

SAtis in Theologia & primis Plotini libris ipſum unum enti & hoc animæ præpoſuimus. Item oſtendimus in animis ſicut in lineis eſſe ſuam unitatem quaſi ſignum quo Deum uniuerſi unitatẽ, quaſi centrum attingere poſsint. Præterea notiones rerum communes artiumq; regulas ſtabiles mẽtibus noſtris ſemper ineſſe, per quas de ſimilibus pro arbitrio ratiocinari poſſumus.

PLOTINVS.

CVm igitur animus de iuſtis pulchriſq; conſultet, inquiratq;, num hoc ſit iuſtum nunquid hoc ſit pulchrum, neceſſarium eſt, ſtabile quiddam iuſtum eſſe ſimiliterq; pulchrũ, vnde ratiocinatio in animo ducat exordium: alioquin diſcurrere nunquam poſſet. Ac ſi animus interdum circa hæc diſcurrit, alias verò minimè oportet non naturam quidem hanc diſcurrentem, ſed mẽtem in nobis eſſe, quæ iuſtum pulchrumq; ſemper habeat: Adeſſe præterea mentis principium & cauſam atq; Deum, illo quidem nullo modo partibili, ſed penitus cõſiſtente, non in loco inquam manente, ſed in ſeipſo atq; interim in multis quoq; conſiderari in ſingulis eorum quæ capere poſſunt ipſum velut aliud quiddam præter ipſa, quemadmodum & centrum eſt in ſeipſo. Habent autem ſingula quæ ſunt in circulo ſignum in centro ſuum, & lineæ huic pũctum proprium ad
C hibent. Tali enim quodam eorum quæ nobis inſunt, nos quoq; diuinum tangimus, congredimur, copulamur: eatenus illic innitimur, atq; figimur, quatenus nos illuc intentione conferimus.

MARSILIVS.

Et ſi intellectus noſter circa diuina ſemper agit, non tamen animaduertimus: quoniam ratio & imaginatio nobis ad oppoſita diuinorum & uaria diſtrahuntur Cap. XII.

PLOTINVS.

CActerùm cur nam talia tãtaq; poſsidentes, nequaquam animaduertimus nos hæc habere, ſed plurimum ſeorſum á talibus actionibus ociũ agimus? Sunt & multi qui circa hæc nihil vnquam agunt. Illa quidem in actionibus ſuis aſsiduè perſeuerant, intellectus ſcilicet, & quod ſuperius intellectu in ſeipſo ſemper: ſic quoq; & anima vim habet immobilem, ſiue perpetuò mobilẽ. Neq; verò quicquid eſt in anima propterea iã ſentit, peruenit ſanè in nos, quando ad ſenſum vſq; procedit: at quando agens in nobis quodlibet actionẽ ſuã nõ traducit in ipſam ſentiẽdi virtutẽ, nõdũ per totã animã ſe actio eiuſmodi ,ppagauit, quare nodum agnoſcimus: vtpote qui vnà cum ſentiendi virtute ſumus id

D quod ſumus,neq; pars animæ quædã ſolùm,ſed vniuerſa potius anima ſumus. Iam verò vnumquodq; in nobis animatum quamdiu viuit, tandiu per ſeipſum munus efficit proprium:ſed tunc demum id nobis contingit agnoſcere, quando mutua quędam fit traductio,& inde animaduerſio prouenit. Oportet igitur ſiquando ita præſentia nobis animaduerſuri ſimus, vim ipſam animaduerſoriã ad interiora conuertere,operamq; dare,vt ibi tota prorſus intendat:perinde ac ſiquis affectans vocem vnam præ cęteris haurire,à cæteris ſe vocibus ſegreget, ad vocemq; omnium optatiſsimam attentior porrigat aures, quando propinquet. Sic itaq; hîc oportet dimiſsis omnibus quæ ſenſibus inſtrepunt, percq; ſenſus animum interpellant,niſi quantum extrema cogat neceſsitas, vim ipſam animæ animaduertẽdis ſuperioribus aptiorem puram penitus conſeruare, audiendisq; ſupernis vocibus paratiſsimam.

MARSILII SVMMA SECVNDI LIBRI.

TRinitatem hanc principiorum maximè Platonicam & Zoroaſtricam cõfirmat Trinitas Chriſtianorum. Ipſum enim bonum includit paterna fœcunditas, intellectum intellectualis ipſa filij emanatio,animam proceſsio ſpiritus per uoluntatis modum,& quaſi motum uitalem. Prętereà firmamentum refert ipſum bonum fœcunditate ſiderum,intellectum Saturnus à generatione remotus & alienis,animam Iupiter generationi fauens, mundum Mars diſcordem iam atq; pugnacem. Rurſus bonum Sol, intellectum Mercurius inceſſu Soli proximus, animam Venus cupida genitu-
E ræ,mundum hunc Luna uaria in ſe iam atq; mutabilis. Iterum bonum ignis,intellectum aer perſpicuus & ſerenus,animam aqua humorem generationi ſuppeditans, mundum terra ex omnibus iam comiſta. Deniq; ſingulatim fœcunda cuiuſq; eſſentia bonum,firma eſſentiæ uirtus intellectum, inclinatio,motio,actio animam.Summatim circa animam,memoria fœcunda bonum, rationis diſcurſus intellectum,imaginatio & affectus animam. Nihil ergo certius hac trinitate principiorũ, quia nihil maioribus & pluribus teſtimonijs confirmatum, meritò uniuerſum principiorum ſuorum imaginem repræſentat.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SECVNDVS DE GENERATIONE ET ORDINE EORVM QVAE SVNT POST PRIMVM

MARSILIVS.

Sicut unitas principium numerorum non eſt numerus, & ſignum principium continui non eſt continuum,et lux principium caloris coloriſq; non eſt calor atq; colores:ſic ipſum bonum entium principium non eſt ens aliquod,aut entia:ergo nec uita nec intellectus. Cap. Primum.

F ONEnim continendo hæc omnia in ſe prius quaſi prægnans ſubinde parit,ſicut intellectus,anima,natura:ſed ſimpliciter ſu pereminendo creat,ſicut vnitas,ſignum,ſiue cẽtrũ,lux. Quod autem ex ipſo bono proximè procreatur,quantum ex illo manente ſtatim hoc exiſtit,ens efficitur: quantum ſubitò vergit naturaliter,& quaſi mouetur ad illud,ſit viuens: quãtum mox corroboratum inde,quaſi circulo quodam conuertitur in ſeipſum, intellectus euadit. Similiter ex intellectu manente anima intellectualis exiſtit: ex hac autẽ non manẽte,ſed per potẽtiã diſcurſiuam ab intellectu intelligibilibusq; diſtracta ad imaginabilia & ſenſibilia,profluit in actũ eius imago,vita videlicet quædam rationis expers,ſenſu & vegetali potentia prædita. Inter hæc quod ſequitẽ tandiu perſeuerat,quamdiu quod ſuperius extat. Anima noſtra in eodem corpore eodemq; tempore agit plantam,quibus in membris tantùm vegetat: agit brutum,in quibus inſtrumentis ſolùm ſentit:agit hominem,interim ratiocinando:agit dæmonem,aut Deum ſimul,intelligendo. Idem rurſus homo diuerſis

tempo

A tẽporibus, quanuis ſub humana perſona varios eiuſmodi mores exercet. In ſpecie quoq; humana nõnulli quaſi plãtæ vitam degũt, alij vt bruta, alij vt homines nõnulli tanquã dij, vel dæmones. Quicunq; igitur dixerint, noſtras animas quę habitum huius, vel illius vitæ iam obduxerunt, reuerſuras mox in hominem vel aerium vel terrenum, quaſi ſimiliter victurum, probabilius opinabuntur, quàm ſi humanam ſpeciem licentius in bruta permutauerint, aut plantas. Tanta enim permutatio & apud naturam impoſsibilis eſt, & apud iuſtitiam ſuperuacua.

PLOTINVS.

IPSVM vnũ eſt omnia, rurſusq; nullum eſt ex omnibus. Principium namq; omnium non eſt omnia, ſed illo quidem modo eſt vniuerſa, quòd ibi quaſi cuncta concurrunt: imò verò nondum quidem ſunt, ſed erunt. Quo igitur modo ex vno ſimplici, in quo varietas apparet nulla, vel cuiuſcunque duplicitas ſiue forma, multitudo procedit? Forſan quia nihil erat in ipſo, iccirco ex ipſo ſunt omnia: atque vt ens ipſum fiat, ob hoc ipſum vnum non eſt ens, ſed ens progenies eius eſt, primaq; genitura: nempe cum ſit perfectum, propterea quòd nihil quærat, neq; habeat aliud, neque egeat, nimirum exuberauit, exuberantia q; ipſius aliud procreauit. Quod verò inde factum eſt, in ipſum conuerſum eſt, & impletum: taleq; euaſit, vt reſpicere in ſeipſum, intellectusq; prodiret. Atqui
B ſtatus quidem ipſius erga illud ens effecit: aſpectus autem ad ſeipſum fecit mẽtem. Quando igitur incumbit erga ſeipſum vt cognoſcat, ſimul intellectus atq; ens euadit: Sic itaq; ens, quemadmodum & ille ſimilia facit ſecundum potentiam profuſionis quamplurimam: ſpecies autem ipſius hæc quoq; eſt, quemadmodum ipſum ex ipſo antè profudit. Atq; hic ex eſſentia actus eſt anima, id vtique ex illo manente facta: & enim intellectus ſuperiore manente eſt effectus. Hæc autem non permanendo facit, ſed ſimulachrum commota producit. Suſpiciens itaq; illuc vnde manauit, impletur: progreſſa verò in motum alium & oppoſitum, ſuum efficit ſimulachrum, ideſt ſenſum in animalibus, naturamq; in plantis. nihil autem à ſuo ſuperiore ſegregatur, atq; diuiditur. Quamobrem hominis quoq; anima progredi ad plantas vſq; videtur. Modo enim quodam illuc ſuſque progreditur, quoniam & ipſius eſt quod eſt in plantis: non tamen vniuerſa eſt in plantis, ſed illis inſinuata ſic ineſt, quoniã eatenus ad inferiora proceſsit, ſubſtantiã aliã proceſsione curaq; deterioris efficiens: quoniam & quod hoc ſuperius eſt ab intellectu dependẽs, intellectũ permittit in ſeipſo quieſcere.

MARSILIVS

Singulis hominibus intellectus proprij præſunt: ab his manant potentiæ animæ gradatim inferiores,
C *inter quas ſequens ubiq; ſeruatur in antecedente, fermè ſicut ſplendor in radio, radius in luce, lux in natura Solis.* Cap. 11.

ATqui intellectus, unde omnes ordine animæ uires effluunt, quodammodo eſt, & quodammodo non eſt omnes. Anima tandem omnesq; uires eius, quoniam certis loci limitibus nec extenduntur, neq; circumſcribuntur, facilè ſunt ubiq;.

PLOTINVS.

PRoceſsio itaq; fit à principio ad poſtremum, & interea vnumquodq; ſemper propriam ſedem retinere permittitur: quod verò fit, alium ſortitur ordinem, & hunc quidem deteriorem: veruntamen vnumquodq; illi demum euadit idem, quod & ſequitur quouſq; proſequitur. Quando igitur anima plantæ, inſeritur, aliud quidem eſt velut pars quędam in planta, quod videlicet temerarium maximè atq; demens eſt, & huc vſq; digreſſum: quando verò inſinuatur bruto, tunc ſentiendi poteſtas dominata perduxit: at quando ingreditur hominẽ, tuc vel omnino in natura rationali motio prævalet, vel ab intellectu proceſsio quædam, vtpote quæ propriam habet mẽtem, voluntatemq; ex ſeipſa intelligendi, vel omnino mouendi. Iam verò viciſsim nobis conuertere licet, quãdo quis in planta vel quædam inde propagata, vel ramos quoſdam amputat,

A ſuorum cognoſcat & reliqua, veluti ſi ſenſu formam noſtram reliquamq; naturam corporis cognoſcamus, nequaquam id conſequitur, vt ſeipſum reuera cognoſcat. In eo namq; quod ita ſe habet, totum erit cognitum, niſi & illud quod intelligit alia ſibi coniuncta, intelligat etiam ſemetipſum: alioquin non proueniet quod eſt quæſitum, vt ſcilicet aliquid idem ſeipſum animaduertat, ſed vt aliud potius percipiat aliud. Aſſeuerãdum igitur & ſimplicis ipſius eſſe, ſeipſum animaduertere: atq; hoc quomodo fiat, ſi quidem fieri poſsit inueſtigandum: alioquin dimittenda eſt opinio, per quam putemus ſeipſum quippiam reuera cognoſcere. Abijcere quidem opinionem eiuſmodi haud admodum facilè eſt: quippe cum multa hinc ſecutura videantur abſurda. Et enim ſi fortè id muneris animæ nequaquam attribuamus, quaſi non admodum ſit abſurdum: veruntamen neq; id quidem mentis naturæ tribuere eſt proculdubio abſurdiſsimũ: ſi inquam aliorum quidem notitiam habeat, ſui verò ipſius notitiã ſcientiamq; non habeat. Atqui externorum quidem perceptionem ſenſus, non intellectus habebit: ac inſuper ſi vis, cogitatio, & opinio. Vtrum verò intellectus horũ cognitionem habebat, nec ne, expedit indagare. Certè quæcũq; intelligibilia ſunt intellectus ipſe cognoſcet. Num igitur ea ſolùm, an etiam ſeipſum qui hæc ipſa cognoſcit? Et nunquid ſeipſum ita cognoſcet tantùm, quoniam videlicet hæc
B ſe noſſe cognoſcet? At quisnam exiſteus ipſe hæc interea nouerit, non apprehẽdet? ſed fortè ſua quædam cognoſcere comprehendet. Quis verò ſit ipſe dum percipit, non percipiet? an potius & ſua & ſeipſum nouerit? Item quisnam modus, & quouſq; id fiat, eſt nobis conſiderandum.

MARSILIVS

Potentia rationalis, quæ ſemper in diſcurrendo uerſatur, media eſt inter imaginationem & intellectum: & utrinq; formas quaſdam in ſe admittit, easq; componit, & diuidit, formasq; nuper ab imaginatione uenientes accommodat formis antiquis in mente, uel à mente exiſtentibus, atque in hac accomodatione intellectualis efficitur. Hinc duo in nobis intellectus apparent, permanens ſcilicet & diſcurrens, qui & conſequitur diſcurrendo. Cap. II.

PLOTINVS.

PRimò igitur de anima quærendum eſt, an tribuenda ſit ei cognitio ſui, quidue in ipſa ſit tale cognoſcens, & qua ratione. Senſualem quidem virtutem iudicamus ex ipſa ſui conditione ſolùm circa externa verſari: atqui quamuis quæ intra corpus fiunt perſentiantur, perceptio tamen eiuſmodi ad illa pertinet, quæ ſunt extra ſenſum. tunc enim paſsiones quæ ſub ipſo fiunt in corpore ſentit. Eſt inſuper in anima virtus ratiocinandi circa imaginationes incidentes
C à ſenſu diiudicans, easq; coniungens atque etiam diuidens: intuetur quinetiam quaſi figuras eorum quæ ab intellectu deſcendunt, habetq; circa eas vim prorſus eandem: aſſumit quoque intelligentiam, vtpote quod perpendat, accomodetq; figuris antiquis nouas nuperq; venientes: qua quidem in re animæ reminiſcentiam conſiſtere arbitramur. Et profectò intellectus animæ huc vſque ſua virtute ſe ſiſtit. Quærendum igitur, num hæc ratiocinandi virtus in ſe conuertatur, ſeq; cognoſcat, an potius id ad intellectum ſit referendum? Si enim ſui ipſius cognitionem huic animæ parti attribuamus, hanc ipſam confitebimur eſſe mentem: & quonam potiſsimum à ſuperiore differat mente, perquirere compellemur: Sin autem nequaquam attribuamus, ratio nos ad illam perducet mentem, quidue ſit ſeipſum noſſe conſiderabimus. Quòd ſi & hîc inferiori id munus attribuerimus, rurſus inueſtigabimus, quónã differant in ſe cognoſcẽdo intellectus ſuperior & inferior. Nempe ſi nihilo, iam hic noſter intellectus eſt purus. Sed enim vis ipſa animæ diſcurrendi, nunquid ipſa quoq; ſe in ſe conuertit? an potius non conuertitur, ſed habet formarum notitiam, quas vtrinque nanciſcitur? Ac ſanè primò quærendum eſt, quónam pacto notitiam eiuſmodi conſequatur.

MARSILIVS.

D *Ratio nuntiante ſenſu & imaginatione iudicat obuium eſſe Socratem: ſi addit eſſe bonum, iuſtum, ſapientẽ, perpendit hæc, definitq; per regulas bonitatis, iuſtitiæ, ſapientiæ: quæ primò lucent in mente, atq; inde ſubrutilant rationi circa talia ſe uerſanti. Cap. III.*

CVm rationis proprium ſit in motu agere, & motus tendat in aliud, meritò ratio communiter circa alia potius quàm circa ſeipſam ſe uolutat, ideo non eſt eius proprium ſe cognoſcere. Pleriq; tres in cælo ponunt eſſentias, ſcilicet in corpore materiam atque formam, & præter hoc ipſam cæli animam, & materiam ſuæ ſemper ſubeſſe formæ, corpus animæ. Similiter tres circa animam, noſtrã eſſentias: animã ſcilicet, irrationalẽ rationali ſubditã, rationalẽ uerò menti perpetuò coharẽtẽ, quaſi cælũ omnia cæleſti perpetuò copulatũ. Hãc Plotinus hic opinionẽ uidetur attingere. Atqui & eiuſmodi copulã Theophraſtus, Themiſtius, Auerois excogitauiſſe uidẽtur. Poſſumus etiã Platonico magis more Plotinũ interpretari, dicẽtes, ideo negare intellectum eſſe partem animæ, quia uidelicet nõ ſit pars, id eſt, potẽtia huius ſubſtãtiæ, qua ratione dicit anima. Dicit enim anima, quatenus pertinet ad diſcurſum, ſiue per uniuerſalia, ſiue per particularia diſcurrat. Sed intellectus ipſa mera ſubſtãtia eſt, cui eſt ſubnexa potẽtia, quæ appellatur anima. Iã uerò & ipſa ſubſtãtia nominatur anima ſecundum potentiam diſcurrentem: nominatur & intellectus ſecundum ipſam ſubſtantiæ rationem. Idem enim eſt eſſe atque intelligere, non tamen idem eſſe atq; diſcurrere: ideo ſemper intelligit æquè, non tamen ſemper æquè diſcurrit.

E PLOTINVS.

SEnſus quidẽ uidit hominem, figuramq; eius tradidit cogitandi uirtuti: hæc autem quid nam dicit? Fortè nondum ait quicquam, ſed nouit tantùm, atq; ita quieuit: niſi forſan ita ſecum ipſa percurrat, quisnam hic eſt? ſiquidem prius aliquando in hunc inciderit, dicatq; de illo nunc, memoria utens, illum ſcilicet, eſſe Socratem: ſi autem euoluat inſuper explicetq; formam, diuidit iã quæ imaginatio tradidit. Quòd ſi dicat inſuper, utrum ſit bonus, tunc per illa quæ ſenſu nouerat tale aliquid dicit. Quòd autem ſuper his dicit, à ſeipſa iam habet, regulam ſanè boni penes ſe poſsidet. Bonum verò quónam modo apud ſeipſam habet? Quatenus videlicet eſt (vt ita dixerim) boniformis, atque corroborata iam eſt ad tale aliquid ſentiendum, mente ſibi deſuper rutilante. Ipſum nanq; animę purum hoc exiſtit, accipitq; impreſſa à mente veſtigia. At cúrnã hoc ipſum non eſt intellectus: ſed anima eſt quod reliquum eſt totum à virtute ſenſus exorſum? Quia ſcilicet animam oportet in quadã rationis diſcurſione verſari. Hęc autem omnia ſunt diſcurrentis virtutis officia. Sed cur nõ parti huic ſui cognoſcendi munus attribuentes inquirẽdi finem efficiamus? Quia videlicet munus ei conceſsimus in externis conſiderandis, dum in plura inſuper ſollicitè diſtrahatur: mentis verò proprium iudicamus, ſeipſum ſibiq; intima contemplari. Si quis autem dixerit, quídnam prohibet, ſollicitum illud per aliam quandam animæ vim ſua interdum animaduertere, is certè non ipſam cogitandi ratiocinandiq; virtutem exigit, ſed purum iam accipit intellectum. Quidnam igitur prohibet, purum eſſe in anima intellectum? nihil ſanè prohibere dicemus. Præterea num intellectum purum eſſe aliquid animæ aſſeremus? Profectò nõ animę quidem dicemus eſſe, noſtrũ verò intellectum eſſe fatebimur: qui aliud quiddam ſit præter ipſam cogitandi naturam, eiq; ſuperimpoſitum, noſtrum tamen, tametſi vná cum animæ partibus hunc minimè numeremus. Forſan verò noſtrũ affirmabimus, iterumq; non noſtrum: quapropter hoc vtimur, rurſus non vtimur, cogitatione verò ſemper, itaq; noſtrum quidem dum vtimur, non noſtrũ verò quando non vtimur. Sed enim quídnam vti intellectu dicendum eſt? An fortè nos illum effectos pronuntiare iam vt ille, aut ſaltem ſecundum illum? Nõ enim nos intellectus ſumus: imò igitur ſecundum illum prima videlicet diſcurrendi virtute illum ſuſcipiente. Iam verò & per ſenſum ipſi ſentimus, nosq; ipſi ſentientes ſumus. Nunquid ergo ſic etiam cogitamus, atq; cogitamur? An fortè nos ipſi ratione diſcurrentes ſumus, intelligimusq; ipſi quoque intelligentiæ

F notiones

A notiones in ipſa cogitatione ſubrutilantes? Hoc enim nos ipſi ſumus: actiones verò mentis ita nobis ſunt deſuper, ſicut propria ſenſus nobis inferiora. Sumuſq; hoc ipſum animæ proprium, & quantum ad ipſam pertinet principale, duas inter vires medium, deteriorem ſcilicet atque meliorem, ideſt ſenſum inter & intellectum. At ſenſum quidem concedere videmur ſemper eſſe noſtrũ, ſemper namq; ſentimus: de intellectu verò id eſt ambiguum: & quia non ſemper hoc vtimur, & quia eſt ſeparatus. Separatus inquam propterea quòd ipſe non annuit ad nos, ſed potius nos ad ipſum ſuperne ſuſpicientes. Senſus denicq; nobis eſt nuntius: rex verò noſter eſt ille.

MARSILIVS.

Rationalis potentia ſecundum quam nos ſumus, dupliciter utitur intellectu: per participationem ſcilicet atq; formam: & utrobiq; cognoſcit ſeipſam. Cap. IIII.

PEr participationem quidem, quatenus formas, notiones, regulas quotidie ſuſcipit ab intellectu ubi tanquam ab effectu per actiones ſuas cognoſcit & ſuas uires: per uires agnoſcit eſſentiã, atq; hanc dependere illuminariq; ſempet à mente: per formam uerò quando poſt frequentem huiuſmodi acceptionis uſum mentem penitus induit ſicut materia formam, agitq; ſub mentis ipſius actu, ſicut materia poſtquam ſæpius accepit ab igne calorem, ſubit denicq; flammam. Tunc demum tanquã
B à cauſa ratio ſeipſam unà cum mente perfectè cognoſcit. Rationem Peripatetici intellectum poſſibilem, mentem uerò intellectum agentem nominauerunt.

PLOTINVS.

REgnamus præterea nos quando agimus ſecundum illum. Duobus verò modis ſecundum illum agimus: vel quia velut literæ & quaſi leges inde inſcriptæ ſint nobis, vel quia impleamur eo, aut quoniam eo præſente videre ipſum, & perſentire poſsimus. Cognoſcimus ſanè nos ipſos tali quodam ſpectaculo alia per ipſum diſcere: aut etiam vim ipſam eiuſmodi aliquid cognoſcentem, eadem ipſa vi perdiſcentes: aut illud quoque nos facti: adeo vt quod ſeipſum cognoſcit, duplex iam exiſtat: aliud quidem ſe cognoſcens, ſit natura ipſius animæ cogitatrix, aliud verò hac natura ſuperius, vbi ſcilicet qui ſe cognoſcit, ſecundum intellectum illum iam euaſit, rurſusq; illo ſe conſpicit, non tanquam adhuc hominem, ſed omnino aliud quiddam factum, ſeipſumq; ad ſupernum corripientem, ſolumq; trahentem ſecum quod præſtantius eſt in anima: quod & ſolùm conceptis alis volare ad intelligentiam poteſt, vt illic aliquis, quæ nouit, iam deponat. Sed nunquid ipſa vis cogitandi non nouit ſe eſſe
C cogitandi virtutem, externorúmque intelligentiam cumulare? Item iudicare quę iudicat: iudicare inquam regulis quibuſdã ſibi ab intellectu deſcriptis? Eſſe denique præſtantius aliquid ſupra ſe, quod quidem nihil vltra perquirit, ſed habet omnino? Verùm etimvero quidnam eſt hoc ipſum, quod ſe minimè nouit, ignorans quale ſit ipſum, & qualia ſint ipſius officia? Si ergo dicit ſeipſum à mente pendere, & eſſe à mente ſecundum, mentisq; imaginem habentem in ſe omnia velut inſcripta, quemadmodum illic qui ſcribit, quiue iam ſcripſit: numquid is qui ita ſeipſum nouit, ſiſtet gradum huc vſque progreſſus? nos autem vi alia freti, intellectum rurſus ſeipſum cognoſcentem perſpiciemus? vel illum ſanè nobiſcum aſſumentes, quandoquidem ille quoque eſt noſter, viciſsimque nos illius, ita demum intellectum noſq; ipſos percipiemus? Fortè ita potius neceſſarium eſt: ſiquidem percepturi ſimus, quidnam potiſsimum in intellectu, noſſe ſeipſum. Tunc itaque aliquis ipſe intellectus euadit, quando reliqua ſua dimittens, hoc ipſo intuetur hunc ipſum, & ipſo quoq; ſeipſum: quemadmodum & intellectus ipſe ſe contemplatur.

D

MARSILIVS.

In eo quod rationali potentia, id est intelligentia mobili superius est, idem re ipsa est intellectus, intelligentia, intelligibile: ideo seipsum semper intelligit. Cap. V.

SVpra sensum qui tantùm spectat, externa est imaginatio interna respiciens: super hanc, quæ aduentitia solùm prospicit: extat ratio, quæ præterea domestica conspicit: super hanc iterum, quæ ab alijs cognitis ad se denique reuertitur agnoscendam, est intellectus uicissim exordiens à seipso, ac dum se inspicit omnia contuens, non dico rerum figuras, sed res ipsas, ut uerissima cognitio fit. Si se ipsum tangens contingit omnia, ipse nimirum est & omnia: eodemq; prorsus actu, quo se intuetur, contuetur & omnia, eodem quoq; simul agnoscit cognoscere seipsum atq; omnia. Præcipuè uerò primus diuinusq; intellectus, nec ad aliud intelligendum conuertitur quàm seipsum, nec intelligentiam habet accidentalem: imò uerò essentia eius absolutè uiuens intelligensq;, hoc ipso essentiali ui taliq; intelligentiæ actu fruitur semetipsa, comprehendens interea se existẽtem, uiuentem, intelligentem, uniformem prorsus, & omniformem.

PLOTINVS.

NVnquid igitur intellectus altera sui parte alteram intuetur? Verùm sic quidem alterum erit videns, alterum verò visum. Hoc autem non est vnum
E aliquid nosse seipsum. Quid igitur? Si totum tale sit, vt consimilibus partibus sit compositum, adeo vt videns à viso nõ differat: sic vtique videns partem illam sui sibique eandem, interea quoque se videt. Videns namque á viso ibi nihilo discrepat. Sed primò quidem absurdum foret intellectum ita diuidere: nam & quomodo diuisio fiet? Non enim casu quodam est & temere diuidendus. Tu verò, quisnã est qui diuidit? Num fortè qui in eo se ordine ponit, in quo est videre, an potius qui in eo, quòd est videri? Præterea quomodo videns ille cognoscet seipsum, dum secundum ipsum videre, se in eius gradu constituit, quod videtur? non enim in ipso viso inest videre. An cognoscens ita seipsum potius tanquam visum, quàm tanquam videntem considerabit? Ideóque neque omnem, neque totum seipsum animaduertet. Quem enim nouit hunc quidem visum, sed non videntem nouit, atque ita non seipsum, sed alium potius intuebitur. Sed nunquid per se adiunget ipsum quoque videntem, vt seipsum perfectè comprehendat? Verùm si complectitur & videntẽ, simul quoque visa complectitur. Si igitur in ipsa perspectione perspectæ res continentur, quæritur nunquid rerum figuræ, an res ipsæ contineantur. Si figuræ tantùm, res ipsæ non possidentur: sin autem hæ possidentur, certè qui eas perspicit, non ex eo quòd seipsum diuiserit, habet: sed erat etiam antequam se diuideret & contemplator & possidens. Si res ita se habet, oportet contemplationem idem esse
F cum ipso (vt ita dixerim) contemplabili, & intellectum intelligibili similiter idem: alioquin si non sit idem, non erit contemplatio vera. Qui enim entia dicitur possidere, figuram potius eorum habebit ab eis proculdubio differentem, quod quidem non est veritas. Veritatem enim non alterius oportet esse, sed quod dicit, hoc & existere. Sic ergo vnum est intellectus, intelligibile ens, & hoc est ens primum, primúsque intellectus entia possidens: imò verò ipse atque entia idearum. At si intelligentia & intelligibile vnum est, quónam modò ob hoc intelligens intelliget semetipsum? Intelligentia enim velut complectetur intelligibile, vel idem vnà cum ipso erit, nondum tamen constabit intellectum perspicuè se cognoscere. Cæterùm si intelligentia & intelligibile idem est, actus enim quidam est ipsum intelligibile: siquidem non potentia quædam tantùm est ipsum intelligibile, neque vita vacans, neque ibi rursus viuere aduentitium est, vel intelligere subiecto diuerso velut lapidi, vel cuipiam vita carenti, & essentia prima est ipsum intelligibile. Si ergo inquam illic est

actus,

A actus, actusq; primus, nimirum & actus optimus intelligentia est, & intelligentia (vt ita dicam) essentialis. Etenim verissima intelligentia est eiusmodi, & prima, primoq; existens: ideoq; intellectus primus hæc erit. Hic enim intellectus neq; in potentia est, neque aliud quidem ipse, aliud autem intelligẽtia: alioquin ita rursus ipsum eius essentiale in potentia quadam erit. Quamobrem si actus est & essentia eius actus, vnum idemq; actui esse censebitur. Cùm verò sit vnum actui ens ipsum atque intelligibile, vnum simul erunt cuncta, intellectus, intelligentia, intelligibile. Si igitur intelligentia eius est ipsum intelligibile, atq; ipse est intelligibile ipsum, nimirum ipse intelliget semetipsum. Intelliget enim per ipsam intelligentiam, quod quidem existit ipse, & intelliget intelligibile, quod est & ipse similiter. Vtrinque igitur se prorsus intelliget, tum quatenus ip se intelligentia est, tum quatenus est ipse rursus intelligibile, quod quidem per intelligentiam hanc intelligit quæ est ipse.

MARSILIVS.

Intellectus ipse cum in se permaneat, nec actione nec affectu inclinetur ad alia, meritò circa se agit intelligendo seipsum. Anima verò cum contrà sit affecta, contrà se habet ad cognoscendum. Cap. VI.

B IN toto cognitionis ordine gradum infimum tenet sensus, intellectus verò summum. Cum igitur sensus rectam in cognoscendo lineam teneat, alia tantùm attingendo, meritò intellectus circularem agit omnino, seipsum suaq; penitus contemplando: ratio verò plurimum est obliqua. Formæ rerum quæ sunt in mente essentiales sunt omnino. Quæ verò illinc impressæ rationi sunt ab æuo quasi essentiales sunt: quæ autem à mente quotidie resultant in ratione, minus adhuc essentiales existunt: quæ denique in rationem ab imaginatione redundant, essentiales minimè. Anima igitur tunc demum se cognoscit, quando inferiores formas superioribus formis accomodat.

PLOTINVS.

RAtio igit demõstrauit aliquid esse debere quod seipsũ propriè precipueq; intelligat, intelligit autem se aliter quod est in anima, aliter verò principaliusq; quod est in mẽte. Anima quidẽ cognoscit seipsam quod sit alterius: mẽs verò quod sit ipsa, & qualis ipsa, & quæ nam sit, & id quidem suapte natura videlicet in se conuersa. Videns enim entia se se videt: atque videns est in actu, ipsaq; est actus. Intellectus enim & intelligentia idem & toto se conspicit totum, non partem parte discernit. Num igitur talem ratio demonstrauit, qualis credulam habeat actionem? Profectò sic habet necessitatem, credulitatem verò non habet persuasione deductam: Etenim necessitas quidem in mẽte, persuasio verò versatur in animo. Quærimus vtique vt videtur persuasionem po-
C tius reportare, quàm mente pura perspicere veritatem. Atqui quamdiu in superna extitimus regione, in ipsa mentis natura sufficiẽter inde nos habebamus, eóque statu contenti tunc intelligebamus, & in vnum omnia colligentes contemplabamur. Intellectus enim erat, qui tunc intelligebat, ac de seipso dicens: Anima verò quietem tunc agebat actioni officioque mentis rite concedens: Postquam verò huc deuenimus, vicissim animo persuasionem inducere exoptamus, tanquam in imagine exemplar contemplari volentes. Forsan ergo oportet nostram animam edocere, qua potissimùm ratione seipsum intellectus intueatur: docere inquam hanc ipsam naturam animæ, quæ intellectualis est quodammodo, ponentes eam cogitatricem, atque ipsa denominatione latenter significantes eam intellectum quendam esse, vel vim quandam per intellectum, ipsumq; munus ab intellectu sortiri. Hanc inquam nosse decet, se quoque quæcunque videt cognoscere, & nosse quæ dicit. Atq; si ipsa foret illa quæ dicit, cognituram sanè ita seipsam. Cum verò adsint, vel saltem fiant ei desuper illinc, vnde pendet & ipsa, conuenit nimirũ huic quoq; cum sit ipsius ratio

A anima verò quatenus ad intellectum vergit, quasi habitat intus: quatenus autē mente egreditur, ad externa porrigitur. Aliunde igitur euadit illi similis, vnde venit: aliunde rursus quāuis dissimilis quodammodo prodeat, tamē ibi quoq; similitudinem quandam retinere videtur, seu agat, siue faciat: nempe etiā dum agit interea contemplatur: & cum facit, tunc species efficit, velut intelligentias quasdam à primis intelligentijs longo ordine ductas: adeo vt omnia intelligentiæ intellectusq; vestigia sint secundum exemplar primum, gradibus prodeuntia, illudq; pro viribus imitantia, propinquiora quidem magis, postrema verò imaginem quandam exiguam præseferentia.

MARSILIVS.

Cum anima per uegetationem, sensum, imaginationem se porrigat foras, solùm uerò per intellectuales quasdam scintillas fiat compos in se reflectendi, constat intellectum ipsum esse lumen perpetuò in seipsum per se reflexum. Cap. VIII.

SI oculi angulum leuiter digito presseris, lumen intimum sibi ipsi protinus emicabit: Multò id facilius uberiusq; efficeret, si tantum in oculo lumen haberes, quantum animalia quæ nocte uident. similiter ad se intellectus ipse se habet. Formæ quidem in materia adeo cum materia sunt unitæ ut opus unum unam efficiant actionem: multò magis seminales formarum rationes in natura: multò
B etiam magis intelligibiles in intellectu rationes unitæ sunt intellectui: sicut radij lumini per quos intellectus & anima perspicacius sensibilia cernit quàm per sensum. Iam uerò & Auicenna, & Enricus Magnus Scoti præceptor, natura Platonicus, intellectuales formas in intellectu uel anima, siue ingenitas illi, siue huic acquisitas non tam modo caracterum, quàm habitus cuiusdam naturalis inesse putant: que quidem habitu animus ad hoc uel illud facilè sese uertat.

PLOTINVS.

QVærendum est præterea, quale potissimum intellectus intelligibile videat, qualem quoq; seipsum. Forsan verò intelligibile quidem ipsum nō oportet quærere tale, qualis est in corporibus siue color, siue figura. Priusquam enim hæc sint, existunt illa. Atqui & ratio seminibus insita hæc facientibus non est hæc ipsa: inuisibilia enim sunt hæc etiam ipsa natura, multoq; magis illa, eademq; est natura illorum, illaq; habentium: quemadmodum ratio quæ est in semine, atq; anima ipsa hæc habens. Sed hæc quidem quæ habet, nequaquam inspicit, neq; enim ipsa genuit, sed est ipsa quoq; simulachrum, rationesq; similiter seminales. Illud autem vnde venit perspicuū est, & verum, primoq; existens: vnde & sui ipsius est, & sibi viuit. Hoc autem nisi fiat alterius, & in altero, neque manet quidem. Imagini nanq; cōuenit, vt quoniā alterius est, & in altero fiat, ni si forsan sit illi connexa. Quamobrē neq; aspicit, vt pote quod sufficiens non ha
C beat lumen: ac si aspiciat, quandoquidem in alio quodam factum est perfectū, non seipsum, sed aliud aspicit. Cæterùm nihil horum illic est, sed visio simulq; visibile suum. Et tale quidem est visibile, qualis est & visio, viciſsimq; visio talis, quale visibile. Quisnam igitur quale ipsum sit affirmat? Certè qui videt. Intellectus verò videt: quoniam & apud nos visio ipsa cum sit lumen, imò verò lumini copulata videt lumen: videt nanq; colores: illic autem non per aliud, sed per seipsam cernit, quoniam neq; foras aspicit. Alio ergo lumine lumen aliud intuetur, non certè per aliud. Lumen igitur aliud aspicit lumen, ipsum igitur conspicit semetipsum. Hoc verò lumen refulgēs in anima animum illustrauit: hoc autem est, intellectualem effecit, hoc verò est, similiter est in seipso atq; sublime lumen. Si ergo quale est vestigium luminis impressum animæ, tale multoq; etiam pulchrius, maiusq;, & clarius supernum lumen existimaueris, propius iam accesseris ad ipsam intellectus intelligibilisque naturam: nam & hoc infusum vitam præstitit animo clariorem, vitam inquam non genitricem: nam è contrà conuertit animum in seipsum, neque dissipari permisit, sed effecit, vt claritatem menti insitam adamaret. Neque rursus vitam attulit sensualem:

D Hæc enim proſpicit extra, neque propterea certius apprehẽdit. Sed qui lumẽ illud verorum fontem haurit quaſi videt clarius uiſibilia, quamuis contraria ratione. Reliquum eſt igitur, ut vitæ mẽtis veſtigium intellectualem induat uitã. ibi enim ipſa vera conſiſtunt. Atqui vita actusq; in mente lumen eſt primum ſibimet primò refulgens, ſplendorq; ad ſeipſum aſsiduè micans, lucens ſimul & illuminatum. Ac reuera intelligibile intelligens intellectum, ſibiq; met perſpectum, neque alio indigens quo perſpiciat, ſed ſibimet ſufficiens ad cernendum: nempe quod videt id ipſum eſt quod cernitur. Apud nos quoq; fermè illud idem, adeo vt cognitio ipſius apud nos per ipſum efficiatur: alioquin vnde nam de ipſo proferre poſſemus? quemadmodum videlicet illud quidem tale ſit, quale poſsit ſeipſum apprehendere perſpicacius: nos autem idem per ipſum ſimiliter valeamus. Iam veò conſtat per argumentationes eiuſmodi, nos animũ ad illud attollere, animum inquam, aſſeuerantem ſe eſſe illius imaginẽ, vitamq; ſuã circa illud imaginem eſſe, ſimilitudinemq; illius, & quando intelligit, formam ſe quandam intellectus ipſius deiq; ſubire. Conſtat ruſus ſiquis optauerit noſſe qualis precipuè ſit intellectus ille perfectus & omnis primoq; ſe comprehẽdẽs, oportere in primis animum in mentem redigere, vel ſaltem actionem ſuam mẽti concedere, actionem inquam circa illa ſe verſantem, quorum in ſe memoriã retinet. Animo ſanè hæc habenti & ſic affecto eum licet demoſtrare ſeipſum,
E qui per ſe velut imaginẽ illum quodãmodo valeat intueri, ob vitam, præcipuè animi illud expreſsiori quadam ſimilitudine referentis: quatenus videlicet pars animæ quædam ſeipſam poteſt ad mentis ſimilitudinem reuocare.

MARSILIVS.

Si ſeiunctis ab anima inferiorum uirium motibus, ipſam eius rationalem uirtutem acceperis omnibus ſub intellectu intellectualibus notionibus corruſcantem, ſubitò in hac uelut imagine contemplaberis intellectum ſicut in luna plena ſolem. Cap. IX.

EST autem rationalis anima naturaliter etiam imago mentis, ut lumen exiſtens proximum lucis inſitæ ſoli à ſolo intellectu dependens. Quinq; mundos Timæus nominat, & Plutarchus inducit. Mundus omniforme ſignificat ornamentum. Infimus igitur mundus eſt qui conſpicitur in materia longè ſuperior, qui in natura uiget: aliquanto ſublimior qui in imaginatione formarum quãdoq; pleniſsima: multò præſtantior qui in ratione quaſi ſpeculo intellectus æmulo: excelſus qui fulget in mente. In mundo ſequẽte præcedentem gradatim uelut in ſpeculo ſpeculabere, atq; uiciſsim ex ſuperiore inferiorem tanquam ex ſpecula contemplabere.

PLOTINVS

ANimam igitur vt videtur, & quod eſt in anima diuiniſsimum cogitare debet quid intellectus ſit cogniturus. Forſan verò hac quoq; conditione id
F aſſequeris: ſi primò quidem corpus ab homine, præcipuè à teipſo ſeiunxeris: Deinde animam id formantem: præſertim verò ſenſum cupiditatemq; & iram, & reliquas eiuſmodi nugas tanquam ad mortale nimium declinantes. Sic vtiq; reliquum animæ eſt, quod præ ſe ferre diximus imaginem intellectus lumen ipſius aliquod reſeruantẽ inſtar luminis, quod poſt ipſum Solis globum proximè micat, circa ipſum ex ipſo refulgens. Lumen profectò Solis penes ſeipſum & circa ipſum nemo cõceſſerit eſſe Solem. Ex quo quidem pendens permanet circa ipſum. Aliud autem ex alio deinceps ab antecedente continuè propagatur, quouſq; ad nos terramq; deſcendat. Sed enim omne lumen etiam quod eſt circa ſolem quiuis ponet in alio, ne fortè ſpatium quod ſoli ſubeſt corporis vacuũ, concedere compellatur. Anima verò lumen quiddam eſt ex mente productũ & circa mentem menti connexum: neq; ſedet in alio, ſed extat prope mẽtem. Neq; huic locus eſt vllus, neq; enim locus eſt menti. Quamobrẽ Solis quidem lumen eſt in aere. Ipſa verò anima talis eſt adeo pura, vt in ſe ipſa cernatur, tum à ſeipſa, tum ab alia ſimiliter ſe habente. Et ipſa quidem anima de intellectu argumen

A mentari compellitur, qualis videlicet ille ſit ex ſeipſa perſcrutans: ipſe verò intellectus ſe contuetur de ſe nequaquam argumentatus. Adeſt enim ſibi ipſi ſemper: nos autem nobis illiq; adſumus, quando conferimus nos ad mentem. Vita namque nobis diuiſa eſt, multæq; ſunt vitæ: ille verò neq; alia quadam vita, neq; alijs indiget, ſed quas præbet non ſibimet, ſed alijs exhibet. Non enim deterioribus indiget, neq; ſibimet adhibet, quod eſt minus, quippe cum habeat vniuerſum: neq; prima rerum habet in ſe quaſi veſtigia quædam, imò verò non poſſidet hæc, ſed eſt hæc ipſe. Siquis autem primam animam talem habere nequeat purè prorſus intelligentem, ſaltem aſſummat opinatricem, & inde ad ſublimiora conſcendat. Quòd ſi neq; id quidem poſsit, ſaltem accipiat ſenſum latiores quaſdam in ſe ſpecies afferentem: ſenſum inquam etiam in ſeipſo vnà cum his quæ valet, iamq; præditum ſpeciebus. Tum ſi quem iuuat ad inferiora deſcendere, ad genitricem vim deflectat iter, & ad illa quæ gignit poſtremò deueniat: ſed viciſsim hîc aſcendat ab vltimis ſpeciebus rurſus ad vltimas, imò verò ad primas accedens.

MARSILIVS.

In primo intellectu ſunt formæ omnium: tum ſecundum eſſentiam eædem, tum formali ratione diſtinctæ. Cap. X.

B

FOrmæ rerum quoniam ibi ſunt primæ: ideo & perfectæ, modoq; perfecto. Igitur eſſentiales exiſtunt: differunt tamen ab intellectu ratione quadam. Ille enim eſt intellectus unus: hæ uerò formæ ſunt multæ. Differunt igitur inter ſe ratione formali: præſertim quoniam intellectus eas tantũ inſpicit: atq; inſpiciendo diſtinctè intelligit, facitq; omnia longius etiam inter ſe differentia, ideſt re ipſa, loco q;, & tempore. Intelligentia ſicut & uiſio eſt quaſi nixus quidam & apprehenſio atq; dicretio: quæ quidem tria etiam propria ſunt luminis atq; ignis. Intellectus igitur quatenus intelligendo conuertitur in ſeipſum, hæc tria erga ſe exercet, & omnino multiplicem ſe declarat: alioquin ſi nulla prorſus in eo differentia ſit, uel eſſe poſsit, nõ erit ibi quod & ad quod annitatur: nec opus applicatione, uel nixu: Non erit quod apprehendat, quód ue comprehendatur, nec opus apprehenſione, uel ulla quaſi partium unione, uel ſui ipſius amplexu: non erit ullus diſcretioni locus. Hactenus Platonici. Chriſtiani uerò probant intellectum primum talem formarum multitudinem non habere, quoniam per unam ſui formam unoq; actu intelligens omnia, quatenus ſe uariè participabilem ad omnia refert, multitudinem non in ſeipſo, ſed extra diſponat.

PLOTINVS.

DE his quidem ita ſit dictum. Si autem non ſolùm ſpecies in mente factæ ſunt, alioquin non eſſent hæ quidem noſtræ poſtremæ: illic autem primæ, ſpecies id eſt efficientes, ideoq; primæ: oportet ſanè tum ſpecies factas illic eſſe,
C tum pariter effectorem amboq; vnũ exiſtere: ſin minus, intellectus ille alio quodam iterum indigebit. Quid ergo? nonne quod ſuperius eſt rurſus egebit? Nõ certè: nam hoc ipſum quod eſt egenum, eſt intellectus. Sed nonne ſupernum illud ſeipſum videt? Nequaquam. non enim indiget viſione. Verùm de hoc tractabitur in ſequentibus. In præſentia verò eadem de re iterum pertractemus. Non enim paruifaciendum eſt, de quo nunc agitur. Aſſeuerandum itaq; rurſus hunc intellectum hoc ipſo ſcilicet ut ſe videat indigere, imò verò id ipſum aſsiduè poſsidere: Itaq; primo quidem hinc id habet vt ſit multiplex: deinde vt ſit alterius: tum neceſſariò vt ſit videndi compos, illius inquam videndi, cuius & eſſe dicitur: præterea vt eius eſſentia ipſa ſit viſio. Etenim ſi aliud quiddam ſit, oportet exiſtere viſionem: ſin verò non ſit aliud, viſio erit inanis. Oportet itaque illic plura eſſe quàm vnum, vt ibi ſit viſio, & viſionem ipſam cum viſibili congredi: quódue à ſeipſo videtur, multitudinem quandam eſſe, neque pænitus vnum. Quod enim prorſus eſt vnum, non habet in quid operentur, ſed ſolum ſingulareque exiſtens quieſcit omnino. Quia enim ratione operatur, aliud reſultat & aliud. Nempe ſi non aliud ibi ſit & aliud, quidnam fa-

D ciet? quo ve procedet? Quapropter oportet quicquid agit, vel circa aliud quiddam agere, vel ipſum eſſe multiplex: ſi modo in ſeipſo aliquid eſt acturum. Quòd ſi in aliud non proceſſerit, conquieſcet. Quando verò penitus conquieſcet, nihil prorſus intelliget. Quamobrem neceſſe eſt intelligẽtem, dum intelligit, in duobus ſaltem omnino verſari: atque aut duorum alterum externum eſſe, aut vtraque in eodem, ſemperque intellectionem in quadam (vt ita dixerim) alteritate verſari, & in quadam rurſus identitate. Item quæ propriè præcipueq; intelliguntur ad mentem ſe habere tanquam eadem ſimul atque diuerſa. Rurſúsque intellectorum quodlibet identitatem alteritatémque quandam ſecum ſimul afferre: alioquin quidnam intelliget, niſi aliud in ſe aliud que contineat? Etenim ſi vnumquodq; ſit ratio quędam, nimirum iam eſt multa. Percipit ergo ſeipſum veluti varium quendam oculum, vel aliquid variis coloribus inſignitum. Si enim vni prorſus impartibiliq; ſe applicet, ſermone ratio neq; vacabit. Quid enim de hoc ipſo vel dicere vel perpendere poterit? Atqui ſi ipſum indiuiſibile oporteat ſe omnino indiuiſibile affirmare, oportebit prius quæ ipſum non eſt, numerare. Quapropter ſic quoque eſſe multa continget, vt ſit & vnum. Præterea quando dicit de ſe, ego id ſum: hoc ipſum id vel tanquam aliud quiddam præter ſe profert: atque ita mentitur, vel tanquam aliquid ſibi accidens: & ita ſe multa decernit, vel fortè ita dicet, ſum inquam, ſum ego,
E inquã ego. Quid ergo? Aut duo quædam hîc ſolùm erunt: itaq; dicet de ſe ego atque hoc: aut neceſſe erit eſſe aliquid multiforme. Iam verò hæc tanquam diuerſa diſcernet, & qua ratione diuerſa. itaq; numerus hîc iam, & alia multa contingent. Eſt igitur neceſſarium intelligentem aliud aliúdque accipere: atque id quod intellectum eſt, velut intelligentia ipſa diſcretum in ſe eſſe diuerſum: alioquin nulla ipſius erit intelligentia: ſed tactus & velut ictus quidam ſolùm talis, vt neq; dici poſsit, neq; dicere, & abſq; intellectu (vt ita dixerim) præintelligat: quippe cum nondum natus ſit intellectus, & qui illic attingit, nõdũ intelligat. Oportet autem intelligẽtẽ neq; ipſum quidem ſimplicẽ permanere, præſertim quando ſe prorſus intelligit. Diuidit nanq; ſeipſum, etiam ſi intelligentiã ſilentium eſſe quis dixerit. Præterea quod eſt omnino ſimplex, varia non indiget cura per quam ſeſe apprehendat. Quid enim apprehendet, ſi quando ſe intellexerit? Prius enim quã mente vtatur ad ſeipſum intelligendum, penes ſeipſum omnino quod eſt exiſtit. Deniq; cognitio ipſa deſideriũ quidam eſſe videtur, & quaſi inuentio quædam indaginem comitans. Quod igitur nullã ad ſe intra ſe differentiam habet, vndiq; conquieſcit, neq; de ſe aliquid inueſtigat: quod autẽ ſeipſum explicat & euoluit, nimirum eſt in ſe multiplex.

F

MARSILIVS.

Cum in intellectu primo ſit numerus multorum abſolutè inter ſe differentium, neceſſe eſt ſuper hunc eſſe principium aliud ſimpliciter unum, ideſt penitus ſimpliciſsimum. Cap. XI.

NIſi in prima eſſentia, uita, intelligentia inter ſe aliqua ratione differrẽt eſſe, uiuere, intelligere, nõ facilè in ordine rerum tria hæc tam diuerſa colent, ut eſſe quidem maximè omnium commune ſit, intelligere uerò minimè, uiuere mediocriter. Intellectus ipſe nihil aliud eſt quã uiſus aliquis ad primũ lumẽ ſuũ ita directus, ut uiſus corporeus eſt ad ſuũ: qualũcunq; perfectione corporeus uiſus augeatur, ſemper lumine inferior erit. Similiter intellectus tandem conſummatiſs. à lumine ſuo, ideſt ueritate ipſoq; bono uidetur adhuc eſſe ſecundus. Eſſentia tanquã omniũ cõmuniſsima, ideoq; poſt ipſam ſimplicitatẽ prima ſtatim ex unitate procedit, ac præter ipſam eſſentiæ rationem præfert unitatis illius imaginẽ quodãmodo ab eſſentia differẽtẽ. Itẽ huius imaginis auxilio cõuertitur ad ipſum unũ atque bonũ, non intellectuali primũ inſtinctu, ſed naturali potius & uitali. Ante hũc conuerſionis actum iam erat eſſentia pariter & imago: in ipſo conuerſionis actu apparet uiuens, poſt hunc intelligens, dum ita conuerſa ſuſcipit ab ipſo bono donũ. Cunq; bonum ipſum ſit ſuper omnia

A omnia ſe ad omnia æqualiter habens, non ſuſcipit illinc aliqd omniũ, ſed pariter omnia, præſertim cũ ſit proximũ ſuſceptaculum. Fit igitur forma hinc omniformis, ideales rerum formas habens inter ſe abſolutè diſtinctas: unde poſt ſe procedit diſtinctio longè maior. In eodem momento multiformis, & intellectus efficitur. Intellectus denique cum multitudinem rerum abſolutè differentium ſecum ferat, meritò à ſimpliciſsimo quodam principio ſuperiore dependet.

PLOTINVS

HIc igitur intellectus multiplex euadit, quando ſupernum nititur intelligere. Tunc enim nitens ad ipſum dum ſe illi tanquam ſimplici applicare conatur, ab ipſa protinus illius ſimplicitate prolabitur, aliud ſemper accipiens in ſeipſo multiplicatum. Quapropter exorſus quidem eſt inde non tanquam intellectus ſed velut aſpectus nondum videns. Progreſſus eſt autem inde, quod interea multiplicauit in ſeipſo reportans, ideóque aliud indeterminatè deſiderauit, habens in ſe nonnihil ipſius imaginarium: ſed tandem inde procedens reportauit aliud, quod ipſe multum reddidit in ſeipſo. Iam verò habet in ſe rurſus quandam ſpectaculi ipſius figuram, alioquin nunquam exponeretur ad hoc ipſum ſuſcipiendum. Sic itaque ex vno multiplex iam euaſit: atque ita velut iam intellectus ſeipſum animaduertit, factuſq; tunc eſt aſpectus denique videns. Id autem eſt tunc demum intellectus quando poſsidet, & tanquam intellectus habet. Antè hac verò deſiderium tantùm, & aſpectus informis: hic igitur intellectus ſeipſum intẽdit in illud: adeptus verò iam intellectus euaſit, ſemper autẽ
B afficitur efficitúrque eſſentia. Item intellectus intelligentiáque poſteaquam intellexit, ſed prius non erat intelligentia, quando intelligibile non haberet: neq; dum intellectus, cùm nondum aliquid intelligeret. Quod autẽ ſuper hæc extat horum principium eſt, non inſitum inquam his principium: ipſum nãque principium à quo hæc fiunt, his minimè ineſt, ſed elementa ex quibus conflantur inſunt. Id autem à quo ſingula fiunt nón eſt aliquid ſingulorum, ſed ab omnibus alienum. Non igitur eſt vnum aliquid omnium, ſed ante omnia: igitur & ante mentem, nam intra mentem ſunt omnia. ideóque hac inſuper ratione eſt ſupra mentem. Quinetiam ſi quæcunque ſunt poſt ipſum, omnium habent ordinem, & ſic quoque omnibus eſt ſuperius, nimirum oportet nullum eorum quibus ẽ ſuperius eſſe. Ipſum ergo mentem non appellabis, ſed neque etiam ipſum bonũ ſi fortè ipſum bonum vnum aliquid ſignificet omnium, ſin autem ſignificet ſuper omnia, ita liceat appellare. Quamobrem ſi intellectus quatenus euadit multiplex fit intellectus, atque ipſa intelligentia ſui etiam ſi ex ipſo procedat, tamẽ velut accedendo multiplicat, oportet quod eſt omnino ſimplex omniúmque primum, eſſe mente ſuperius. Etenim ſi intelligat, nequaquam ſuperius intellectu, ſed intellectus erit. Præterea ſi intellectus erit, erit etiam multitudo.
C

MARSILIVS.

Agit contra illos qui in primo rerum principio eſſentiam quidem unam ponunt, actus uerò multos inter ſe abſolutè diſtinctos. Cap. XII.

AUt enim eſſentia & actus inter ſe differunt, aut non. Si differunt, eſſentia ſecundum ſe imperfecta eſt, uidelicet perficienda per actum: ſi nullo modo differunt, ſicut actus eſt multiplex, quia uidelicet abſolutè multiplex, ſic & multiplex eſt eſſentia. Argumentatio hæc Plotini ad diuum Thomã trinitatẽ relationibus diſtinguentem nihil pertinet. Vtrum uerò Scotum tangat ſui uiderint, & reſpondeant: ſpero enim optimè reſponſuros. Super multitudinem neceſſariò unum eſt, ac ſuper unũ aliquid eſt ipſum ſimpliciter unum. Quoniam igitur eſſentia, uita, intelligentia eſt aliquid unum id eſt, una eſſentia, una uita, una intelligentia: ideo Plotinus his anteponit ipſum abſoluti ſimè unum, quod nullo actu uel affectu medio procreet omnia, ſed ipſomet ſimplicitatis abſoluti ſimæ ſtatu. Plotinus de Deo negat omnem eum numerum, qui naturam multiplicat compoſitamq; declarat. Relationum uerò numerus apud Chriſtianos inuentus id minimè facit: negat certè omnem numerum qui eſſe poſsit in entibus, & qui definiri. Numerus uerò in diuina unitate poſitus à Chriſtianis

D non eſt in entibus. Neque enim in prædicamentis ullis, neque in tranſcendentibus reperitur. Tum uerò quicunque fingatur, non eſt ille, neque eſſentiarum numerus eſt, neque formarum uel qualitatum uel ſimilium: ac ſi dixeris perſonarum, diuina id auctoritate dices: uerumtamen quid uelis explicare non poteris: ſimiliter ſi dicas proprietatum, & qui inquit relatione diſtingui, ipſemet fatebitur, myſterium ſic illud ſe non aſſequi: item qui dixerit abſolutè differre, id definire uerebitur: myſterium denique diuinitati credendum. quod & Nicolaus Græcus philoſophus defendit ſtrenuè contra Proculum.

PLOTINVS

OBijciet autem ſic fortè aliquis. Quidnam ipſum ſic multitudinem eſſe, modò vna interim ſit eſſentia? Multitudo enim non compoſitionem huic inducit. Actus enim quidam ipſius ſunt multitudo. Sed huic ita reſpondeatur: Si actus quidem eius non ſunt eſſentiæ, ſed ex potentia quadam prodit in actum, non multitudo quidem erit, ſed ens tamen nihilominus imperfectum, quantum ad eſſentiam ſpectat, anteq; agat. Sin autem eſſentia ipſius eſt actus, actus verò eſt multitudo tam multiplex eius eſſentia erit, q; multiplex eius eſt actus. Hoc aũt menti quidem concedimus, cui ſui ipſius cognitionem attribuimus, omnium verò principio minimè. Neceſſarium enim eſt ante multitudinem eſſe vnum, à quo multitudo proueniat. omni nanque numero prius eſt vnum. Sed obijciant
E hîc aliqui, in numero quidem ita ſe rem habere: quippe cùm quæ ibi deincepſ ſecuntur vnum, compoſitiones quædam ſint, in ordine verò rerum neceſſariũ non videri vnum exiſtere, à quo multa proficiſcantur. ſed his ita nos reſpondebimus: Si rerum ordini non præſit vnum, multa inter ſe fore diſperſa, aliudq; aliunde ſorte quadam in congeriem concurſurum. Proinde afferent ex vno quodam intellectu in ſe ſimplici, actus progredi multos. Verumtamen id quod antè hos actus exiſtit, eſſe ſimplex aſſeuerabunt: deinde cognoſcent actus ſemper exiſtentes eſſe ſubſtantias quaſdam, ſiue ſuppoſita quædam. Cùm verò ſuppoſita quædam ſint, nimirum diuerſa erunt ab eo, à quo procedunt: manente quidem illo ſimplici dum quod procedit ab eo, multitudo quædam in ſe euadit, pẽ detq; ex illo. Quòd ſi illo quodammodo operante, actus eiuſmodi inde ſubſiſtunt, illic quoque multitudo continget: ſin autem hi ſunt actus primi ſecundũ quiddam conſtituentes, nihil prohibet illud actibus his ſuperius in ſeipſo conſiſtere, ſecundò autem ipſi proximè inde mananti ex actibúsque compoſito, actuum numerum aſsignari: aliud nanque ipſum eſt, aliud ſunt actus ab illo, quoniam illo non agente proueniunt: alioquin intellectus non erit actio prima, nõ enim ipſum vnum exoptauit quidem primò mentem fieri, deinde facta mens
F eſt, quaſi affectus eiuſmodi velut medius interuenerit inter genitorem ipſum, mentemq; inde naſcentem. neque enim illic affectus eſt vllus. Sic enim & exoptans ille imperfectus foret, & ſtudium eius nondum quod optat prorſus haberet: neque rurſus partim quidem voti compos eſt, partim verò non compos: quippe quum nihil ſit vſq;, ad quod flectat affectum. Sed profectò ſi quid poſt ipſum ſubſtitit, manente illo in habitu, prio, ſubſtitit. Oportet itaque vt aliud quiddam inde ſubſiſtat, illud prorſus in ſeipſo quieſcere: alioquin ante moueri, mouebitur, & ante intelligere intelliget, vel ſaltem primus illius actus imperfectus erit: quippe quum impetus aliquis tantùm ſit futurus. Sed ad quidnam ſic ferri poteſt? quidue nuper aſſequi? Iam verò ſecundum rationem potius licet aſſerere actũ quendã ab illo conſiſtente profluere, ſicut à ſol lumen, intellectum ſcilicet, omnémque naturam intelligibilem, ipſum verò in ſummo intelligibilis mundi vertice conquieſcens in eo regnare, nõ ſegregans à ſeipſo quod inde micat: vel lumen aliud ponemus ſuper lumen, quod quidem ſemper manendo intelligibili fulgeat. Quod enim ex ipſo micat, neque ſegregatur ab illo, neque rurſus eſt idem, neque etiam tale eſt, vt non ſit eſſentia, vel quaſi quiddam cæcum,

ſed

A ſed videt quidem, cognoſcitq; ſeipſum, primumq; cognoſcens eſt. Illud autem quemadmodum eſt ſuperius intellectu, ſic eſt & cognitione ſuperius, & ſicut nulla re indiget, ſic neque etiam eget cognitione, ſed ipſa cognitio collocatur in natura ſecũda. Cognitio enim vnum aliquid eſt, illud autem vnum ipſum eſt, non aliquid vnum: ſi enim vnum aliquid eſſet, non amplius eſſet ipſum vnum. Quod enim ipſum dicitur, ſuper hoc eſt quod aliquid appellatur.

MARSILIVS

Ipſi bono non eſt addenda intelligentia, quæ uidelicet ab ullo intellectu creato quamuis ſummo intelligi poſsit. Cap. XIII.

RAtio ipſius boni atque intelligentiæ tam diuerſa eſt, ſicut diximus, ut illud quidem ſit communi ſimum, hæc minimè: illud nihil apperat, hæc appetat bonum. Item intelligentiæ quidem oppoſita eſt amentia, bono malum. Non idem eſt penitus amentia atque malum, non idem igitur intelligentia atque bonum. Quando igitur ipſi bono addis intelligentiam, rem alteram & diuerſam uideris & bonum hactenus egenum iudicauiſſe, & quaſi compoſuiſſe. Hoc paradoxon, ſcilicet primum principium eſſe ſuper eſſentiam, uitam, intelligentiam, à Dionyſio Areopagita frequenter aſſeritur. Qui addit præterea ipſum modo quodam pluſquam intellectuali, quem ſuper intellectualem nominat ſeipſo frui: item præintelligere ineffabili quadam ratione præter & ſuper intellectu quaſi ſeipſo fruatur per modum tactus potius quàm uiſionis. Intelligentia enim uiſio quædam eſt, neque per modum aliquid de ſe dicendi, ſed potius per modum ſimpliciter id ipſum quod eſt exiſtẽdi. Si qua uerò conditione intelligentiæ gradibus procedendo fingi poſsit ipſum bonum, non fingatur intellectus aliquis qui intelligentia egeat, non intelligentia, quæ ſit actus ipſius intellectus circa bo
B num, ſed potius ipſum bonum ad quod intelligentia uergit, uel forſan ipſum lumen, quod intelligẽtia quærit, in quod definit intelligentia cõſummata, lumen quidem non in hac, ſed in ſeipſo cõſiſtẽs. Hæc ipſa claritas neque propriè quidem uidens eſt, nec orbata uiſionis bono quaſi cæca: ſicut uiſio ipſa neque uidet proprié, neque cæca eſt. Nempe claritas ipſa uiſionis omnis cauſa multò remotior eſt à priuatione uiſus quàm ipſe uiſus: neque claritas eſt ad intellectionis genus determinata. Quod enim eſt omnium cauſa ſuper omnia, per nullum ex omnium numero definitur. Non ergo per eſſentiam, uitam, intelligentiam, non per claritatem intellectualem, aut intelligibilem, ſed per claritatem ipſam ſimpliciter per ſe in ſe exiſtentem, omnis potentiæ actus claritatis cauſam: fingitur autem ſecundum potentiam efficacem potentiarum actum, actuum effectorem. Anima & ſi manus pedesq; nõ habet, tamen quia his non indiget, habetq; uim horum genitricem eminentioremq;, neque mãca dicitur, neque clauda. Simili ratione neque ratio cæca, & ſi non habet oculos, neque mens irrationalis, & ſi nunquam ratiocinatur: momento enim poſsidet, quod ratio quærit tempore. Neq; Deus amens, & ſi non habet mentem: eſt enim id totum quod mens habere conatur, imò fieri.

PLOTINVS

QVamobrem reuera ineffabile eſt. Quicquid enim dicas, propriũ aliquid dixeris. Sed enim quod eſt ſuper omnia ſuperq; mentem apprimè venerandam, ab omnibus ſegregatum nõ habet verum nomen aliud, neque aliquid omnium. Et omnino nullum eſt nomen eius, propterea quòd de eo nihil dici-
C tur: ſed nos quoad poſſumus nonnihil de illo nobis ſignificare conamur. Cæterùm quando ſic ambigimus, dicentes videlicet, ſic ergo ſeipſum minimè ſentit, ſic neq; ſeipſum animaduertit, ſic neque quid ſit nouit omnino, tunc ſanè decet conſiderare, nos, quoties talia dicimus ad oppoſita retorqueri. Facimus enim quantum in nobis eſt, ipſum eſſe multũ, dum ipſum inducimus cognoſcendum, cognitionemq; tribuimus: nam quando damus intelligentiã, vt egeat intelligẽtia facimus: atq; ſi vná cũ ipſo intelligentia ſit, ſuperuacuũ erit ſibi intelligentiã adhibere. Videtur enim omnino intelligẽtia eſſe conſenſus quidam totius, vbi multa concurrunt in vnũ, quando aliquid intelligit ſemetipſum, quæ quidẽ propria præcipuaq; intelligentia eſt: quodlibet verò vnũ ipſum aliquid eſt, neque quicq; quærit. Sin autem intelligentia ad externa porrigitur, indiga erit, neq; intelligentia principalis. Quod autẽ eſt omnino ſimplex, ac re uera ſufficiens, nihilo indiget: quod verò ſecũdo loco ſufficiens eſt, ſed ſui ipſius egenũ hoc nimirũ indiget intelligentia ſui: atqui quod eſt ad ſeipſum indigẽs, ipſo toto reddit

D se sufficiens, ex cunctis nactum sufficientiam, secum habitans, & in seipsum vergens intelligendo: quando quidē & ipse consensus multi alicuius est sensus. quod quidē nomen ipsum quoq; testatur. Tum intelligentia cū sit prior, ipsum intelligentē, vt pote multū, intus in se reflectit: etenim si hoc ipsum solū dicat, equidē sum ens, tanq; inueniens hoc ipsum dicit, dicitq; conuenienter: ens nāq; multum est. Nam & quādo tanq; in aliquid simplex tendat, dicatq; sum ens, nō consequitur vel seipsum, vel ens & verum. Non enim tanq; lapidē dicit ens, quā do verè dicit, sed dictione vna multa pronuntiat. Hoc enim esse quod reuera ē esse, neq; tanq; vestigium entis habens appellatur, quale neq; est ens, ideóque dici debet velut imago quædam ad exēplar, proculdubio in se multa complectitur. Quid ergo? num vnumquodq; ipsorum nequaq; intelliget? Profectò si semotum atq; solū velis accipere, nō intelliges, sed ipsum esse in seipso multū est. atque si aliud quiddam præterea dixeris, habet esse. Quod si ita se habet, si-quid est omnium simplicissimum, non habet sui ipsius intelligentiam: si enim habeat, habebit quoque quodammodo & alicubi esse. Neque igitur ipsum intelligit, neque vlla alicubi est ipsius intelligentia.

MARSILIVS

Quoniam intellectus non excludit multitudinem, quam excludit ipsum unum, ideoq; unum ipsum tā-
E *quam simplicius est eminentius intellectu, consequens est, vt per intellectum apprehendere & explicare ipsum minimè ualeamus.* Cap. XIIII.

Loquimur tamen de illo, ut Parmenides & Dionysius ait, per negationes atque relationes. Ipsum enim habemus quodammodo, quatenus unitatem quandam habemus mentis nostræ caput unitatis diuinæ characterem, qua tunc diuinam attingimus unitatē, quando mente nostra formati sumus, perq; hanc mente diuina à nobis alienati, factiq; iam uates.

PLOTINVS

QVo igitur modo de illo nos dicimus? Certè de illo quidem aliquid dicimus, ipsum tamen minimè dicimus: neq; cognitionē, neq; intelligentiā illius habemus. Sed quonam pacto de illo loquimur, si nō habemus illud? Quia & si non habemus illud cognitione, non tamen propterea nullo modo illud habemus: sed habemus ita, vt de eo quidē loqui possimus, ipsum verò eloqui minimè valeamus. Quod enim non est, pronuntiare solemus: quod autem sit nequaq;: quapropter ex posterioribus verba de illo facere consueuimus: habere tamen ipsum nihil prohibet, cuius explicare non valeamus. Iam verò quēadmodum hi qui diuinitus afflātur, atq; rapiuntur, animaduertunt quidē se grandius aliquid in se habere, cuius quid illud sit minimè nouerint. Ex quibus autem con
F citati sunt, etiam loquuntur, atq; ex his sensum quendā mouentis accipiunt, cū ipsi ab eo diuersi sint, qui concitauit: sic & ipsi ad illud nos habere videmur, quo quoties mentem puram adepti sumus, qua freti vaticinamur: hunc quidē esse intimum intellectum, qui autor est essentiæ, aliorumq; generis ordinisue eiusdē illum verò non esse hæc prorsus agnoscimus, sed præstantius quiddā eo, quod ens appellamus, & amplius maiusq; hoc ipso quod ens nominamus: quoniam superior ille præstantior est sermone, ratione, mente, sensu: hæc quidem præbens, non tamen hæc existens.

MARSILIVS.

Ens ipsum intelligens nascitur ab ipso uno, sicut lumen Soli proximū, à luce Solis intima Cap. XV.

Verùm sicut à natura nec oculos habente, nec pedes, sed præstantius aliquid oculi generantur, atq; pedes, sic ab ipso uno non habente propriam essentiæ, uitæ, mentis, intelligentiæ formā, sed aliquid eminentius ista fiunt. Sed quomodo statim à simplicissimo multiplex? Quoniam quod ab ipsa unitate creatur, est quidem aliquid, nec tamen est ipsa unitas est: igitur multitudo quædā: est & unum aliquid, sed minus unum quā ipsa, ergo multiplex. Habet illius aliquid, simulq; ab illa degenerans, multiplex iam euadit. Quicquid est post primum, est aliquo modo compositum, atq; tum ipsa figillatim unitate partium, tum mutua earundem unione suum esse accipit, & conseruatur in eo.

Ipsum

A Ipſum ergo primum meritò eſt unitas ipſa: nec unitatis ipſius ratio atq; entis eſt eadẽ. Vnitati enim opponitur multitudo, enti uerò nõ ens. Nec ratio entis ſuperior eſt unitate, alioqui unitas participatione entis foret multiplex. Nec rurſus entis ratio par eſt unitati: alioqui ens non fieret unum. Eſt igitur unitas ente ſuperior, imò uerò eſt ipſa (ut ita dixerim) ſupremitas, atque primitas: ſiquidem ratio unitatis & ſimplicitatis eſt eadem. Quò uerò ſimpliciora in quouis genere ſunt, eò priora, atq; uiciſsim. Multitudo autem proximè naſcens ex unitate omniũ æquè prima eſt & omniformis multitudo, & ſecum unita quãmaximè, ideo in qualibet eius forma cunctę eiuſdem formæ quodãmodo cõprehenduntur. Eſt igitur diuina mens unum omnia: ab hac anima naſcens, non tam eſt unum omnia, quã unum multa. Non negat omnino Plotinus in primo eſſe omnia, ſed eſſe ibi diſtincta ſcilicet rationibus abſolutis: unde rationibus relatiuis conſiderari illic diſtinctio poteſt. Sed in ſecundo diſtinctionem formarum ponit rationibus abſolutis inter ſe differentium.

PLOTINVS

SEd quonam modo talia præbet? Nunquid habendo hæc, an potius non habendo? Sed quæ non habet, quonã pacto præbuit? Sin verò habet non eſt ſimplex. Si ergo non habens hæc tradidit, quonã modo ex ipſo multitudo profluxit? Vnum quidem ex ipſo ſimplex effluere aliquis fortè conceſſerit, q̃uis & hoc inſuper inquiretur, quomodo id etiã ex eo quod omnino vnum eſt, veniat. Verũtamen licet dicere ſic, id ex ipſo profluere ſicut ex lumine circa ſe emicat ſplendor. Sed quomodo multa ſint ab eo, vltra quæretur: ſed certè quod ſit ab illo non debuit eſſe idẽ, atq; illud. Si ergo non idẽ, & certè non melius. quid enim
B melius vno, vel omnino ſuperius? ergo deterius illo, id autẽ eſt indigentius. Verũ quídnam eſt indigentius vno, niſi quod non vnũ? Hoc igitur eſt iam multa, deſiderat tamen vnũ: eſt igitur vnum multa. Ipſum nanque vnum ſeruat omne quod non eſt vnum, idq; omne eſt, quicquid eſt per vnum. Niſi enim ſiat vnum q̃uis ſit ex multis, non poteſt aliquis id ens appellare: tametſi poſsit quodlibet ſingulatim quod eſt dicere, ex eo quod vnum ſit vnumquodq; ſitq; in ſe quodammodo idẽ. Quod autem in ſe multa non habet, iã non participatione vnius eſt vnũ, ſed ipſum vnũ exiſtit, neq; de alio. Conſtat autẽ id ipſum eſſe, á quo habent & reliqua vnitatẽ, partim quidẽ propius, partim verò remotius. Quod verò hoc quidẽ illi proximum maximè in ſe idem ſit, atque ſit poſt ipſum, patet, propterea q̃ multitudo huius vnum aliquid eſt vbique. Cum enim multitudo ſit, in eodẽ tamen exiſtit, neq; diſcernere licet, quoniã cuncta ſimul exiſtunt: quinetiã quodlibet eorum quæ ſunt ab ipſo, quatenus vitæ participat, eſt vnũ multa: nõ enim poteſt ſeipſum oſtendere velut vnum omnia. Ipſum verò vnde hoc oriẽ eſt vnum omnia: quoniã à magno principio ducitur. Principiũ nanque eius eſt ipſum re ipſa vereq; vnũ. Quod autẽ ex principio ſequitur, ita quodãmodo prægnãte exuberanteq; vno fit omnia, ſed interim particeps eſt vnius, & quicquid
C eſt in eo, eſt omnia rurſus & vnũ. Quænã igitur omnia? nempe omnia quorum illud eſt principiũ. Quomodo aũt illud omniũ principium eſt? Nunquid ex eo quòd vnum ipſum illa conſeruat, dum videlicet efficit, vt quodlibet eorum ſit vnum? an etiã quia procreauit illa? ſed quomodo? nunquid ex eo quòd prius habeat illa? Verũ dictum iã eſt, illud ita multa futurũ: ſed profectò ſic habet omnia tãq; nondũ inter ſe diſcreta. Quæ verò in ſecũdo ſunt, ratione inter ſe diſcernũtur: actu enim iam cernuntur: illud aũt omniũ eſt poteſtas. Sed quiſnam potentiæ modus? Non enim ita eſſe in potentia dicitur ut materia, quia capiat: patiẽ nanq; quod ſuſcipit, atq; ita oppoſito modo ſe habet potentia ad id quod eſt efficiens. Quo igitur modo facit quæ non habet? Non enim vtcunq; contigit, feciſſe putandũ, neq; etiã ſecum animo reputans quid facturũ ſit, mox ita facit. Dictum ergo iam eſt, ſi quid ex vno manat, aliud quiddã eſſe præter illud: aliud verò exiſtens, nõ eſt vnum, id enim erat illud. Si autẽ non vnũ, duo igitur, neceſſarioq; iã multa: &.n. in ſe iã habet alterũ, atq; idẽ, & quale, & reliqua. Atqui quod inde pendet non eſſe vnũ ipſum quod pertinet ad ſuperius, demonſtratum iam

D ortè videbitur. Quod autē multitudo ſit, multitudoq; talis qualis in ſequēti cō
picitur, adhuc eſt dubitandum: atque neceſsitas ob quam ſequens ipſum inde
procedat, eſt vlterius indaganda.

MARSILIVS.

Quo præſtantior cauſa eſt, eo plura facit. Prima igitur efficit omnia: item in quouis genere primum eſt ſimpliciſsimum: omnium itaque primum ita ſimpliciſsimum eſt, ut non ſit certa quadam res ſimplex, ſed ipſa ſimplicitas Cap. XVI.

ITem ſicut natura genitrix corporis non eſt corpus, ſic intellectus pater animæ, non eſt anima, ſic bonum intellectus ipſius pater, non eſt intellectus, nec intelligibilis mundus, ſed ſimplicius, atque ſublimius, ſimiliter excelſius ente. Entis enim proprietates ſunt ſtatus atq; motus: moueri autem appetitur non ſimpliciter, ſed ad bonum: ſtare quoq; non ſimpliciter, ſed in bono. In ipſo igitur ente ſtatus, motus, uita, intelligentia, non ſunt ipſum bonum, ſed aliquid boniforme, quatenus ad ipſum bonum uergunt, implentur eo, & in eodem ſummopere conquieſcunt.

PLOTINVS

OPortere quidem aliquid eſſe poſt primū, alibi nobis eſt dictum, atq; omni
no poteſtatem eſſe, poteſtatē in q̄ inæſtimabilē idq; ex alijs omnibus aſſe-
E uerandū eſſe, quoniam nihil ſit vel inter infima, quod non habeat potentiā ge-
nerandi. In præſentia verò dicendum eſt, inter illa quæ gignuntur nō patere ad
ſuperiora, ſed ad inferiora proceſſum: atq; id quidē ita, vt in maiorem gradatim
multitudinē procedatur, ideoq; principium ſingulorum ſit vbique ſimplicius,
idēq; in ſe manens, dum datur in plura progreſſus. Quamobrē quod mundum
ſenſibilem ꝓcreauit, non eſt ſenſibilis mundus, ſed intellectus intelligibilisque
mundus exiſtit: ideóque ſimiliter quod eſt intelligibili mundo ſuperius eiúſque
origo, neque intellectus eſt, neque mundus intelligendus, ſed ſimplicius intelle
ctu, ſimplicius intelligibili mundo. Non enim multum fit ex multo, ſed multum
hoc ex non multo ꝓcedit. Si enim illud quoque ſit multum, principium ꝓfectò
non erit, ſed aliud quiddā ſuperius illo. Colligenda itaque cuncta ſunt ad ipſum
quod verè ſit vnum extra omnē numerum & quālibet ſimplicitatē: ſi modò re
uera ſit ſimplex, & in eo tandē ſiſtendus nobis eſt gradus. Conſiderandum præ
terea qua ratione quod factum eſt ab illo, ſit ratio multa iam atque omnis, illud
autē ratio non exiſtat. Quod ſi ratio non ſit, qua conditione ex non ratione ſit
ratio: & quopacto boniforme ꝓcedat ex bono, quídue illius habens, boniforme dicatur. Nunquid igitur iccirco quandā boniformā habere cenſetur, ꝓptea
F rea quòd habeat ſtatum quendā ſecundum eadem, & ſimiliter ſe habentē: Verùm quidnam hæc ad bonum conferunt: quippe cùm talem quendā habitum ſecundum eadem & ſimiliter ſe habentem tunc demum cùm adſunt bona exigere ſoleamus: atque prius exoptemus illud, à quo nunquam ſit diſcedendum, propterea quod ſit bonum: ſin verò non bonum, præſtat inde diſcedere. Num igitur id nobis velut bonum eſt exoptandum, ſcilicet eodem ſemper modo viuere in ipſo bono ſponte manendo: Si igitur hoc eſt menti potiſsimum exoptandum, ſcilicet ita viuere, nimirum nihil vltra requirit, & conſtat vtique propterea expeti habitum illum ſemper ſimiliter ſe habentem, quoniam ſatis præſentia faciant. Sed omnibus iam huic præſentibus, viuere tanquam ſummum eſt expetendum: ſic inquam præſentibus, vt ab ipſo diuerſa non ſint. Si igitur omomnis huic adeſt vita, vita inquam vigens atque perſpicua, iam perfecta omnis in hoc anima & mens vniuerſa, nihilque ipſi vel vitę, vel intelligentiæ deeſt. Eſt ergo ſibi ipſi ſufficiens, nihilque vltra deſiderat. Si autem nihil exigit, in ſe iam poſsidet, quod quidem niſi ineſſet prorſus appeteret. Habet igitur inſeipſo bonum, bonum inquam vel tale, qualem diximus vitam atque mentem, vel aliud quiddam his contingēs. Verùm ſi hoc ſit ipſum bonum, nihil ſanè his ſuperius erit: ſin verò eſt ſuper hæc ipſum bonum, profectò huic erit bonum, vita

ver-

A vergens ad illud, & illi prorſus innitens, indéque ſubſtantiam poſsidens, & ad illud ſeſe prorſus intendens: illud namque eius principium eſt. Oportet itaque illud vita mentéque præſtantius eſſe: nam ita demum ad ipſum conuertetur vita in mente vigens, vtpote quæ imitatio quædam ſit ipſius quod extat in illo, ſecundum quod viuit & ſequens. Conuertetur & huius intelligentia tanquam imitatio quædam eius quod exiſtit in illo, quicquid hoc ipſum denique ſit,

MARSILIVS.

Nec eſſentia perfecta eſt, niſi in uita, nec uita perfecta niſi in intellectu, nec intellectus perfectus niſi in ipſa uerorum omnium multitudine dependente, uidelicet ab ipſo bono. Cap. XVII.

INtellectus igitur multis indiget, ut ſit abſolutus: & ubi eſt abſolutus eſt multiplex. igitur dependet à ſuperiore quodam per ſe ſufficiente, atque ſimpliciſsimo. Nec eſſe ſimpliciter appetitur, ſed bene eſſe, nec uiuere quomodocunque, ſed bene, nec intelligere quomodolibet, ſed bene, & bona, & ita, ut tibi ſit profuturum: nec uerum ſimpliciter exoptamus: non enim ueram febrem, ſed uerũ bonum. Ipſum ergo bonum horum omnium finis eſt, atque principium. Finis uitæ noſtræ eſt ipſum bonum uidere per ipſum: ſed quoniã hoc eſt ſtabiliſsimum atque ſimpliciſsimum, nec rationis diſcurſu attingimus, nec actione intelligentiæ componente uel diſcernente, ſed ictu quodam ſubitò, atque ſimplici. Huius autem fruitionis ſignum nobis eſt, quando præter ſolitum & nullo conſueto ingenij machinamento influit nobis ſubitò lumen, ideſt claritas læta, quæ eſt ſplendor quidam claritatis in ſeipſa conſiſtentis, quæ eſt ipſe Deus. Influit autem quando illi dediti ipſius gratia auferimus omnia, ideſt inclinationes circa omnia ab appetitu, imagines à phantaſia, diſcurſiones à ratione, intellectuales ſpecies, & compoſitiones, & diſcretiones ab intellectu. De his
B ſatis & Plato & nos in magna Platonis epiſtola.

PLOTINVS.

QVid nam igitur melius eſt vita ſapientiſsima, quæ labi, quæ errare non poteſt? quid melius intellectu omnia complectente? & quid melius tota vita totáque mente? Si reſpondeamus id melius eſſe quod hęc effecit, & quomodo fecit, quódue nihilo ipſo præſtantius nobis occurrat, non procedet ad aliud rationis noſtræ diſcurſio, ſed reuoluetur ibidem. Verumtamen altius nobis ꝓgrediendum eſt, tum ob alia multa, tum etiam quia ſufficientia huic ex cunctis accumulata pendet extrinſecus, vbi ꝓfectò vnumquodque in ſe eſt indigũ tum etiam quia vnumquodq; eiuſdem vnius eſt particeps, participatq; vnius, vtpote quod non ſit ipſum vnum. Quidnam igitur illud eſt, cuius hoc eſt particeps? quod quidem efficit, vt hoc ſit ſimulq; ſit cũcta. At enim ſi facit vt vnũ quodque ſit, vniusque præſentia multitudo ſequentis huius euadit ſufficiens, ipſum videlicet eſt origo eſſentiæ omnis atque ſufficientiæ: ipſum inquam eſsẽtia non exiſtens, ſed & hac ſufficientia ipſa ſuperius. Dic agè, num ſatis hæc nobis faciant, liceatq; iam quæſtionibus finẽ imponere? An potius animus adhuc
C nobis quaſi parturiens vltra vexetur? Et certè nũc vehementius ſtimulatur Forſan igitur oportet animũ iã noſtrũ parare ad ipſum ardentius concitatũ, multisq; q̃ſi parturiẽtis doloribus agitatũ. Verũtamẽ nõnullis iterũ q̃ſi magorũ. carminibus præſtat opitulari, ſi quẽ modò cantu iueniamus huic partui conferentẽ. Forſan verò ex his quæ dicta ſunt ſi quis incantet ſæpius, id denicq; cõſequemur. Sed quiſnã alius quaſi nouus eſt cantus? Nempe cantus ipſe ſupergrediẽs omnia vera, quorum ipſi participes ſumus, aufugit protinus, ſiquis dicere excogitareq; velit: ſiquidẽ neceſſe eſt cogitationẽ, vt aliquid dicat, aliud interim aliudq; aſſumere: vbi certè in quadã diſcurſione verſatur. At in eo quod ſimplex eſt omnino, nullus poteſt eſſe diſcurſus: ſufficit aũt modo quodã intellectuali illud attingere. Oportetq; attingentẽ ipſũ dũ attingit, omnino neq; poſſe quicq; loqui, neq; ociũ habere dicendi, ſed poſterius de ipſo ratiocinari. Credendũ verò eſt tũc demũ nos vidiſſe illud, quãdo animus repentè lumẽ acceperit. Hoc n. hoc inq; lumen ab ipſo bono manat, hoc eſt ipſum bonum. Tunc certè putandum eſt id nobis adeſſe, quãdo tanq; Deus alius inuocante aliquo, domũ intrãs

D ꝓrſus illuminat: alioquin niſi intrauerit, non illuminat. Sic itaq; anima vacua lumine eſt, & vacua Deo: illuminata verò, habet iã tota quod mente petebat. Hic certè, hic finis eſt animo verus, lumen ſcilicet illius accipere, & ipſum ipſo perſpicere, non alterius inquam lumine contueri, ſed per ipſummet aſpicere, quod & ſuſpicit. Per quod enim illuminatus eſt, id ipſum eſt nobis perſpiciendũ. Neque enim Solem per lumen alienum intueri ſolemus. Verũ ſi quæras, qua id ratione conſequi poſsis, omnia prorſus è medio tollẽ.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVARTVS, QVOMODO QVOD EST POST PRIMVM FIAT A PRIMO, ATQVE DE VNO

MARSILIVS.

Res in uniuerſo inter ſe diuerſæ concordiam, ordinem, unionem inuicem non haberent, niſi omnes proficiſcerentur ab uno. Cap. Primum.

QVod quidẽ tandẽ non ſit unum hoc aut illud, ſed ipſum ſimpliciter unũ. Quod rurſus propter ipſam ſummã ſimplicitatem habet ut ſit primum ſufficientiſsimũ potentiſsimum. Eſt autem ipſa omnium poteſtas, per quam cætera ſunt potentia ad agendum, quæ quo potentiora, eo plura faciunt. Vnde apparet ipſam poteſtatem primam omnia facere, habere imperium omnium ubique latiſsimum, eſſe omnibus omnium præſentiſsimam.

E

PLOTINVS

QVICQVID præter primum eſt, neceſſariũ eſt ab ipſo primo pendere, atq; id quidẽ vel ꝓximè, vel ſaltẽ per media quædam: eſſeq; ordinẽ ſecundorũ quorundã & tertiorũ. Vbi certè quod ſecundũ eſt, reducatur ad primũ, quod verò tertium ad ſecundum. Oportet enim aliquid ſuper omnia eſſe, idq; ſimplex omnino diuerſumq; ab omnibus in ſeipſo conſiſtens, neque miſtũ ſequentibus, rurſusq; alio quodã pacto, cæteris facillimè præſens. Quod & verè ſit vnũ, non ita quidẽ vt alterũ quiddã primò in ſe ſit, deinde ſit & vnũ: ſic enim de hoc vnũ falſò prædicaretur. Id ipſum præterea neq; ſermo ſiue ratio, neque ſcientia vlla ꝓrſus attingit: quod etiã eſſentia ſuperius iudicatur. Niſi enim omnino ſit ſimplex ab omni ꝓrſus concurſione & cõpoſitione ſemotũ, penitúſque vnũ, principiũ eſſe non poterit: quippe cũ ob ipſam ſummã duntaxat ſimplicitatẽ ſufficientiſsimã eſſe queat, omniũq; primũ: nẽpe & quod nõ eſt primũ indiget eo, quod eſt ante ipſũ: & quod non eſt ſimplex, his indiget, quæ in ipſo ſimplicia ſunt, vt ex eis conſtituat. Iam verò quod tale cenſetur, vnum tantũ eſſe vnicũq; oportet. Si enim aliudquiddã eſſe dicatur eiuſmodi, ambo crũt penitus vnũ: nõ enim duo hæc eſſe duo quædã corpora dicimus, vel ipſum vnũ primũ eſſe corpus: ſiquidẽ nullũ corpus eſt ſimplex. Itẽ corpus omne ſit, ideoq; principiũ eſſe nõ poteſt, quippe cũ principiũ ſit ingenitũ: cũ igitur pricipiũ corporeũ eſſe nequeat, ſed verè ſit vnũ atq; vnicũ, nimirũ illud ipſum exiſtit primũ. Siquid igiẽ aliud quiddã ſit præter primũ, nequaq; erit ſimplex: erit igitur vnum multa. Vndenam igitur hoc pendet? ꝓfectò pendet à primo. Non enim talia fortuita quadã ſorte contingunt, atque concurrunt: neq; ſic quidẽ illud omniũ eſſet principiũ. Quonã igitur pacto omne aliud ſit à primo? Profectò ſi primũ eſt perfectum & omnium perfectiſsimum, primaq; poteſtas, oportet eſſe rerum omniũ potentiſsimum, cæterasq; potentias quatenus poſſunt, illud ꝓ viribus imitari. Quicquid autẽ ex alijs ad perfectionẽ ſuam peruenit, compertum habemus, iã aliquid generare, neque poſſe in ſeipſo ſterile conquieſcere, ſed aliud ex ſe quicquam facere. Neque id ſolùm in his quæ electione quadam agunt, exploratum habemus, verùm etiam quæcunque abſque electione naſcuntur, & gignunt:

F

& quæ

A Et quæ carent anima, ex ſuis nonnihil cæteris quoque tradere quoad poſſunt. Sic & ignis calefacit, ſic & nix ſimiliter frigefacit. Pharmaca etiã veneficiáque in aliud agunt ad naturæ ſuæ ſimilitudinẽ. Sic omnia deniq; primum principiũ imitantur ad perpetuitatẽ bonitatémque complendã. Cùm igitur ſic natura cõparatum ſit, quanam ratione credendũ eſt, ipſum omniũ perfectiſsimũ, atq; primum bonum, in ſeipſo tantũ ſe quaſi per inuidiã detinere? Aut fortè ſeipſum ꝓpagare non poſſe, quòd ipſa poteſtas omniũ eſſe reuera cenſetur. Denique ſi nihil procedat ab illo, non poterit eſſe principiũ. Quamobrẽ oportet aliquid ab ipſo fieri, ſi modò ſit aliquid præter ipſum, fiátque quicq; ab eis, quæ ab ipſo fiunt. Quòd enim quædam ab eo proxima ſint, neceſsitas ipſa demonſtrat: tum verò neceſſarium eſt, quod reliqua gignit, eſſe ſequentium præſtantiſsimũ. Præterea ꝓximè inde gignitur, ſecundũq; obtinet locum, cæteris eſſe præſtantius.

MARSILIVS.

Intellectus dependet ab intelligibili fermè, ſicut uiſus à uiſibili, ideo non eſt primum. Cap. II.

TAngit hic duplex intelligibile: unum coniungatum cum intellectu, alterum uerò ſuperius. Conſidera in oculo animalis die nocteq; per ſe uidentis, ſubſtantiã oculi ualdè lucidam, & ab ea uirtutem uidendi pendentem, quæ per ſe informis quidem eſt, formatur autem à ſubſtantia lucida coniugata ſibi. Talem cogita intellectum etiam primum, etiam ubi ſe conſpicit, perinde ac ſi oculus quidam lucidiſsimus digito quodammodo preſſus ſeipſum intueatur. Iam uerò in intellectu primo ſua
B ipſa ſubſtantialis unitas eſt ipſum intelligibile ſuum, unde pendet intelligendi uirtus ad ipſum cõuerſa, & inde formata. Virtus eiuſmodi unà cum conuerſione eſt indefinita duitas: ſed definita per ſuum intelligibile euadit intellectus in actu & omniformis idea. Hinc quoque conuertitur per ſuã unitatem ad ipſum ſimpliciter unum: quod etiam intelligibile præſtantius nominatur. quod Plotinus hic non omnino priuat cognitione, ſed intellectuali duntaxat.

PLOTINVS

SI igitur qui generat ipſe intellectus eſſet, oporteret ſanè quod inde primò gignitur eſſe inferius intellectu, propinquius tamen atque ſimilius. At quoniã quod primò gignit eſt intellectu ſuperius, iccirco quod primò gignitur neceſſariò eſt intellectus. Sed cur nam primus ille genitor non eſt intellectus? quoniam intellectus ipſius actio intelligentia eſt, intelligentia inq; ſpectans intelligibile ad ipſumque conuerſa, & ab eo velut definita atq; conſummata, ſuapte quidem natura indefinita tanq; viſus, ſed ab intelligibili definita. Quamobrem ſicut traditum eſt, ex indefinita duitate atque vno ſpecies numeríque gignũtur. Id autẽ eſt intellectus, itaque non ſimplex eſt, ſed multiplex, cõpoſitionem quãdam præſeferens, cuius intelligibilẽ, multáque iam conſpiciens. Iam verò & ipſe eſt rurſus intelligibile, ſed & intelligẽs: ideóque iam eſt duo. Eſt & aliud præter
C hoc rurſus intelligibile: ſed quónam pacto ab intelligibili intellectus hûc dependet? Nempe intelligibile in ſeipſo conſiſtens neque ſic egenũ ſicut eſſe ſolet, ꝓ videt atque intelligit: egenũ inq;, quod intelligit, quantum ad intelligibile ſpectat: illud inq; in ſe quieſcens non eſt quaſi ſenſu vacuũ, ſed ſunt ipſius omnia, & in eo, & vnà cum eo ſui ipſius omnino diſcernendi compos. Item vita in ſeipſo cunctáque in eo, atq; animaduerſio ſui ipſummet exiſtit, tanq; cum quodã ſenſu ſuique conſenſu in ſtatu perpetuo, & intelligentia quadam aliter ſe habente, quã intellectus ipſius intelligentia. Si quid igitur illo in ſe manente gignitur, id prorſus generatur ab illo, quando illud potiſsimum id ipſum quod eſt, exiſtit. Manente itaque illo in habitu proprio, ex ipſo quidem quod oritur generatur. manente inquam gignitur. Quoniam igitur illud intelligibile permanet, ideo quod fit euadit intelligentia. Proinde quum intelligentia ſit, idque à quo generatur intelligat, neque enim habet aliud, nimirum fit intellectus tanquam intelligibile aliud, taléque quale illud exiſtit, imitatio quædam & illius imago. Sed quonã modo fit illo manente? Actus ſanè alter quidẽ eſt eſſentiæ, alter aũt

D ex ipſa vniuſcuiuſque eſſentia pendens,,&qui eſſentiæ ipſius actus eſt, ita ſe habet,vt vnumquodq; tale ipſum ipſe actus exiſtat. Actus autem ab eſſentia manans ille eſt,quem neceſſarium eſt ex vnoquoque ſequi differentẽ ab illo,à quo effluxit: quemadmodũ & in igne, altera quidẽ caliditas eſt ignis eſſentiam cõplectens,altera verò ab ipſa procedens,exercente interim igne calorẽ eſſentiæ inſitum,quatenus permanet ignis.Sic ergo illic multoq; prius, manente quidẽ illo in habitu proprio ex ipſa ſibi inſita perfectione & comitante intrinſecus actu,prodit actus genitus accipiens ſubſiſtentiam, vt pote qui ex ingenti naſcitur poteſtate:nempe ex poteſtate potentiarum omnium maxima in eſſe eſſentiãq; proceſsit. Illud namq; ſuperius eſt q̃ eſſentia,omniumq; poteſtas exiſtit. hoc aũt iam eſt omnia. Si aũt hoc eſt omnia,nimirũ illud eſt ſuper omnia:igitur & ſuper eſſentiam extat. Atqui ſi hoc inq̃ eſt omnia,ante omnia verò exiſtit vnũ,non æqualem vnà cũ omnibus admittens conditionẽ,hac quoq; ratione neceſſarium eſt illud eſſentia ſuperius eſſe, ideſt, mente ſuperius.aliquid igitur eſt antiquius intellectu.Ipſum nanq; ens non eſt quaſi quiddam mortuum: neque velut vita intelligẽtiaq; orbatum,ideoq; intellectus & ens eſt idem: neq; enim ſicut ſenſus ſe habet ad ſenſibilia, tanq̃ ad præcedentia quædã, ſic ſe habet ad res ipſas intelligendas intellectus tanq̃ ſimiliter procedentes:imò verò ipſe in-
E tellectus ipſe res exiſtit,ſiquidẽ ſpecies rerum intelligendo nõ haurit: Vnde.n. has hauriat? Sed vnà cum rebus ipſis ,pdit,idemq; eſt vnà cũ ipſis & vnum, atq; viciſsim, neq; res ipſæ quidem intelligibiles omnino ſunt abſque materia ſcilicet ſua,ideſt,intellectu.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVINTVS, QVOD INTELLIGIBILIA NON SVNT EXTRA INTELLECTVM: ITEM DE IPSO BONO

Sicut ſenſus qui eſt cognitio infima proſpicit ſolum extima, ſic intellectus, qui eſt cognitio ſumma, inſpicit tantùm intima. Cap. Primum

SICVT Ergo in ſenſu ſunt tantũ imagines rerum, quæ ſentiuntur,ſic in intellectu ſunt res ipſæ, quas intelligit: alioqui ſi à rebus intelligendis ſit imagines acceptarus, neq; res ipſas adęquabit cognitione facta per imagines rebus ipſis ualdè deteriores, neque certus erit ſincerum de rebus ſe habere iudicium: quandoquidem imagines in naturam ſuſcipientis translatæ non meram aſſerunt obiecti naturam. Super rationẽ
F diſcurrentem poſitus intellectus ſtabiliter agens præſentia pro arbitrio habet obiecta. Intus itaque poſsidet nec ſolũ principia quædam artium atque rerum, ſed etiam in principijs quæcunq; neceſſariò inde ſecuntur. Neque putare debes ipſa intelligibilia eſſe propoſitiones, & quaſi dictiones quaſdam,ſed rationes & formas eſſentiales:neq; eſſe ſpectacula quædam inter ſe diſtincta, ſed formas in una quadam immateriali forma:quemadmodum formæ ſenſibiles cunctæ in eadem informi materia,denique formas intelligibiles multò magis unitas eſſe cum intellectu,quàm ſenſibiles cum materia:& cæleſtes cum ſubſtantia cæli. Eſſe uerò rerum formas naturaliter animis noſtris infuſas,in Theologia latius diſputamus.

PLOTINVS

ANFore quenquam putamus,qui mentem veram vereq; exiſtẽtem exiſtimet aliquando mentituram, resq́ue re uera non exiſtentes opinaturam? Certè neminem:Qua enim ratione mens illa foret, ſi quando (vt ita dixerim) dementiret? Oportet igitur eam ſemper cognoſcere, neque hanc tanquam obliuioſam aliquando quicquã latere, cognitionem verò huic inelle nõ tanq; imaginãti,vel ambigenti,vel rurſus tanq̃ ab alio mutuãti. Non igitur quaſi per demonſtrationem quandam perpendere debet.Nam & ſi quis

non-

nonnulla per demonſtrationem comparare conceſſerit, idem tamen non nega
A bit aliquid interea menti per ſe notum eſſe, tametſi ratio vera dictat huic omnia ſuapte natura eſſe perſpecta. Iam verò quærendum eſt, quopacto quiſpiam diſtinguere poſsit: qúænam ſint, quæ per ſe naturaliter ei nota ſint, quæ verò quæ ſita. Item quæ concedent aliqui, menti per ſe cognita eſſe, vnde nam dicent horum certitudinem adeſſe menti? vnde nam mens eiuſmodi perſpicuè hinc credere poterit, ita potiſsimum ſe habere? quoniam & circa illa, quæ ſenſibus offeruntur, quorum fides certior eſſe videtur dubitari ſolet, ne fortè non tam in ſubiectis rebus, quàm in paſsionibus quibuſdam naturam habeant apparentem: vbi certè mentis iudicium vel ſaltem cogitationis exigitur. Nam & ſi fortè concedatur naturas eorum quæ ſentiuntur rebus ſubiectis ineſſe, quas percipit ſenſus, quod tamen cognitum eſt per ſenſum, imago quædam rei eſt, neque rem ipſam ſenſus apprehendit. foris enim res ipſa manet. Intellectus autem cognoſcens & intelligibilia ipſa cognoſcēs, ſi hæc tanq̃ alia quædam præter ipſum exiſtentia nouit, quónam pacto in hæc incidit? Fieri enim poteſt, vt in ea non incidat, ideóque vt non cognoſcat accidere poteſt: vel forſan tunc demum quādo incidit, ſtatim nouit, neque ſic quidem notitiam ſemper habebit. Proinde ſi qui fortè dixerint intelligibilia eſſe intellectui coniugata, reliquum erit quærere, quídnam id coniugium ſibi velit. Præterea ipſæ intelligentiæ figuræ quædā erunt: quod quidem ſi ita ſit, erunt & aduentitiæ & pulſationes quædam. Quo
B autem modo figurabitur intellectus? Aut quæ potiſsimum talium erit forma? Intelligentia deniq; ſicut & ſenſus erit perceptio externorum. Quo igitur duo hæc inter ſe diſcrepabunt? An fortè in eo quòd horum alterum minora perſpiciat? Item qúonā modo intellectus agnoſcet reuera ſe aliquid percepiſſe? qúo ue pacto iudicare poterit hoc eſſe bonum, aut pulchrum, aut iuſtum? Horum enim quodlíbet erit ab ipſo diuerſum, neque in ipſo erunt ipſa iudicandi principia, quibus credat, ſed hæc quoque extra erunt, & veritas erit ibidem. Rurſus intelligíbilia ipſa vel ſenſu, vita, intellectu carent, vel intellectum habent. Si intellectum habent, in eis pariter erunt ambo, & ipſum verum hîc exiſtet, primusq; erit hic intellectus. Atqui & de hoc ipſo quæremus, qúanam conditione hîc ſe veritas habeat, & intelligibile ipſum, & intellectus. Nunquíd in eodem atque ſimul, duo autem atque diuerſa, an alío quodam pacto? Sín autem ipſa intelligibília intellectu vitáque careant, quidnam ſint inquiremus. Neque enim propoſitiones quædam ſunt, neque regulæ quæ dignitates appellantur, neque velut dictiones quæ proferantur, ſic enim hæc de alijs quidem dicent aliquid, neque ipſæ res erunt: velut ſi dicant quod iuſtum eſt, eſſe pulchrum, quum aliud quiddam ſit iuſtum ipſum atque pulchrum. Sín autem ſimplícia hæc eſſe dixerint, iu
C ſtum ipſum ſeorſum atque pulchrum, primò quidem ipſum intelligibile neque vnum quiddam erit, neque erit in vno, ſed vnumquodque ab alijs ſegregatum. Vbi certè quærendum erit, vbi nam ſint, & per quæ loca potiſsimùm ſeorſum diſpoſita ſint: deinde quónam modo intellectus paſsim circuncurrens, hæc reperiet, vel inueniet: & quopacto manebit in eis: item quomodo in eodem perſeuerabit: præterea quam formam omníno figuramq; habebunt. Niſi fortè velut imagines quædam ſitæ ſint aureæ, vel ex alia quadam materia à fictore quodā vel pictore cōpoſitæ. Verúm ſi hoc íta ſe habeat, mens talia contuēs erit ſenſus. Proinde quanam ratione inter hęc hoc quidē eſt iuſtitia, illud verò potius aliud quiddam? Illud denique omnium validiſsimum eſt: nempe ſi quis prorſus admiſerit, hæc extrinſecus eſſe, mentémque ea ſic ſe habentia contemplari, neceſſariò ſequitur, mentem veritatem horum non poſsidere, ſed in ſingulis contemplandis falli atque mentiri. Verè nāque res erunt externæ: proſpiciet ergo eas, neque ipſas habebit, ſed earum imagines in cognitione eiuſmodi poſsidebit,

D Cùm igitur verum ipſum non habeat, ſed veri quaſdam imagines penes ſe teneat, nimirum non accumulabit vera, ſed falſa potius reportabit. Si ergo cognoſcat ſe falſa duntaxat habere, proculdubio confitebitur ſe eſſe veritatis expertē: ſin autem & hoc ignoret, cùmq; particeps veri non ſit, eſſe tamen ſe veri cōpotem opinetur, mendacio iam duplo falletur, longiſsimeq; à veritate diſtabit: ob hoc enim (vt arbitror) & in ſenſibus non eſt veritas, ſed opinio, quoniam conditio ſenſus in accipiendo verſatur, vnde opinio doxa græcè ab accipiendo nomen accepit: ideoq; præter ſe aliud accipit, cùm aliud ſit & aliud, à quo poſsidet quod accepit. Si igitur veritas in mente non ſit, mens quidem hæc talis neque veritas erit, neque re uera mens, neque omnino mens erit: imò verò neq; vſquam alibi ueritas habitabit.

MARSILIVS.

Obiecta intellectus non ſunt imagines rerum uel imaginamenta quædam, ſed uerè res exiſtunt: quippe cùm etiam obiecta ſenſus ſint res quædam. Cap. II.

Quo enim intellectus præſtantior & uerior eſt quàm ſenſus, eo intellectus obiecta præſtantiora ueriorag; ſunt quàm ſenſus obiecta, ut Timæus ait: Sunt autem intelligibilia in ipſa intellectus eſſentia, ſiquidem non quærit argumentando, neque uagatur extra, ſed intro conuertitur & ſtabiliter intuetur quaſi poſsidens: & ipſam uniuſcuiuſque ſubſtātiam penetrat & definit. At uerò per imagines rerum non poſſet aliud quàm qualitates & externa conijcere.

E

PLOTINVS

IGitur neque extra intellectum perquirere decet intelligenda, neque fateri menti rerum figuras ineſſe, neque eam veritate priuare, dum videlicet & hāc intelligibilia ipſa neſcire, & ipſa quæ offeruntur intelligenda concedimus in rerum ordine non exiſtere, atque ita mentem ipſam è medio tollimus. Sed neceſsarium eſt omnia veræ menti tribuere, ſi modò oportet cognitionem veritatem q́ue inducere entiàque ipſa ſeruare, & notitiam illam qua quid ſit vnumquodque cognoſcitur, neque illi notitiæ acquieſcere, quæ quale vnumquodque ſit, duntaxat apprehendit, quando ſcilicet ſolū rei cognoſcendæ ſimulachrum veſtigiúmque habemus, neque tenemus ipſam, neque habitamus vnà, neque cū ea conſpiramus in vnum. Nam illa quidem ratione mens cognoſcet, & reuera cognoſcet, neque quicquam latebit eam, neque vnquam obliuiſcetur, neque paſsim indagando vagabitur: ſed erit in ea veritas, ſedéſque rerum, uiuetq; atq; intelliget. Quæ quidem omnia beatiſsimæ naturæ oportet ineſſe, alioquin vbi nam honorandum quicquam erit & venerandum? Tum verò hac ratione neq;
F indigebit demonſtratione, neque fide ſic eſſe perſuaſura. Ipſe namque intellectus eſt, qui ſic omnino ſe habet: ipſe ſibimet prorſus eſt manifeſtus: & ſi quid ante ipſum ſimiliter eſt compertum, quod ipſe ſit ab illo: item ſiquid eſt poſt illud, quod ipſe ſit hoc ipſum, nulluſq; ſibi q̄ ipſemet fide ſit dignior, & profectò exploratum habet hoc ibi eſſe veréque exiſtere. Reuera igitur illic ipſa veritas habitat, non alteri cuiquam, ſed ſibimet conſonans, neque præter ſe aliud quicquam dicit, atque exiſtit, & quod exiſtit id prorſus & dicit. Quis nam igitur redarguere poterit? & vnde nam redargutionem inferet? Nempe argumentum quod adducetur, reuoluetur eodem, quo & prior argumentator. Et quamuis inferatur velut diuerſum, referetur tamen ad argumentatoris primi propoſitum, vnúmque erit omnino. nihil enim poteſt veritate verius inueniri.

MARSILIVS

Sicut lux intima ſoli effundit circa ſe lumen, radijs innumeris uirtutibuſq; refertum, ita principiū omnium omniformē penes ſe procreat intellectum, hic animam ſimiliter omniformem. Cap III.

Illud antiqui Cæliū nominauerūt, hunc uerò Saturnū, hanc denig; Iouē. Omnes intellectuales animæ per intellectū ſuū ad intellectū diuinū aſcendere quandoq; poſſunt. Poſſunt quinetiā atq; debent, tū per unitatē ſuam, tum etiā per diuinū intellectū ad principium omniū quandoq; pg red-

Plotinus

A PLOTINVS.

VNa igitur hæc natura intellectus eſt entia cuncta: eſt & veritas: eſt & magnus quidam Deus, imò verò non aliquis Deus, ſed omnis: nec indignè exiſtimat ſe hæc omnia eſſe. Natura igitur hæc eſt Deus: Deus inquam ſecundus, ſeipſum præferens indagantibus, antequã ſuperiorẽ illum intueantur: nempe ſuperior ille eminentius ſedet in præclaro hoc eius ſolio ab ipſo pendente. Decebat enim illum non in curru quodam inanimato, neq; rurſus in anima ſtatim incedentẽ nobis occurrere, ſed pulchritudinẽ quandam inæſtimabilem ante conſpectũ eius mirabiliter præfulgere, quemadmodũ ante magni regis aſpectum. Sic enim natura comparatũ eſt, vt ad illum progrediẽtibus minora prius occurrant, & maiora deinceps præſtantioraq; gradatim ſe vltra procedentibus offerãt, & quæ circa regem adſtant, magis regia ſint, deincepsq; ſimili quodam ordine reliqua. Poſt hæc autem omnia magnus ille rex ſubitò fulget: reliqui verò regem ipſum ſupplices venerãtur, quotcunq; videlicet non prius inde retrogreſſi ſunt, quàm ad vltimũ vſq; progreſſi, ſicut illi ſolent quibus quæ coram rege præfulgent, ſatisfactura putantur. Illic igitur rex alius imperat, & qui coram ipſo deinceps occurrunt, alij profectò ſunt quàm ille. Veruntamen rex ille ſupernus non tanquam alienis imperat, ſed iuſtiſſimum naturaleq; habet imperium, habet & regnum verum: quippe quum ipſe ſit rex veritatis, atque ſuapte natura ſit vniuerſi ſimul fœtus ſui, diuiniq; collegij dominus: rex certè regis atque
B regum, atqui & pater deorum iuſtiori nomine nũcupatus. Quem quidem Iupiter hac quoque ratione imitatus eſt, quòd patris ſui cõtemplationi non penitus acquieuit, ſed vltra proceſſit ad auum, velut ad illius actum in ipſam (vt ita dixerim) eſſentiæ ſubſiſtentiam.

MARSILIVS.

Principium omnium quod propter inæſtimabilem ſimplicitatem eminentiamq; ipſum unum cognominatur, neq; ullum in ſe æſtimabilem habet numerum, neq; cum rebus in aliquo conuenit. Cap. IIII.

SIqua enim conditio ſit huic cum re ulla cõmunis, duo ſequentur abſurda. Primum quòd hoc erit ex communi conditione & ſua quadam proprietate compoſitũ. Secundum quòd hæc ipſa natura cõmunis tanquam ſimplicior uniuerſaliorq; erit ipſo ſuperior. Præterea nec numerũ in ſe habet eſſentialem, qualem Plotinus excogitat in eſſentia prima, uidelicet multitudinem rationum formalium abſolutè inter ſe diſtinctarum etiam abſq; intelligentiæ actu. Nec numerum habet in ſe in quantitatis genere cõprehenſum: numerum pertinentẽ ad quantitatem, qui conſtat ex unitatibus, reducit ad ipſum unum proprium principium quantitatis, numero quouis excelſius. Numerum quoq; formarum eſſentialium ad unum ſimiliter reducit eſſentiale: hoc demùm ad ipſum ſimpliciter unum.

PLOTINVS.

C SAtis iam dictum eſt, aſcendendum eſſe tandem ad ipſum vnum, quod quidem verè ſit vnũ, neq; ſicut alia vnum, quæ cùm in ſe multa ſint, vnius tamẽ participatione ſunt vnum. Accipiendũ nanq; eſſe vnum ipſum, quod non participatione ſit vnum, quale ſolet eſſe quod nõ magis vnum eſt, q; multa. Dictum quoq; mundum intelligibilem intellectũq; magis vnum eſſe q; cætera, nihilq; hoc eſſe propinquius vni: non tamen purum hoc vnum exiſtere. In præſentia verò cõtemplari deſideramus, ſi quo modo poſſimus, quidnã ſit purum ipſum verumq; vnum: quod quidem non ſecundũ aliud, ſed ſecundũ ſe ſit vnum. Operæ pretium eſt igitur, hîc ad vnum ipſum vndiq; nos transferre: neq; quicquã illi vlterius addere, ſed in eo penitus conquieſcere, cauentes prorſus ne vel minimo quodam ſpatio ab ipſo digrediamur, ideoq; ex vno prolabamur in duo. Sin minus caueris, duo protinus reportabis, neq; in duobus vnum ipſum habebis: ambo enim poſteriora ſunt vno. Vnum nanq; non ſubſtinet cum alio quopiã, ſiue vno quouis, ſiue quãtocunq; alio ſe vſquam cõnumerari, neq; omnino numerari ſe patitur: ipſum enim mẽſura eſt minimè menſuratũ: neq; alijs eſt vllis æqua-

D le,adeò vt vnà cũ eis in aliquo cõgruat, alioquin cõmune aliquid erit in eo, atq; ſimul in his quæ vnà cum ipſo cõnumerantur, atqui cõmune illud vno ſuperius erit,tametſi nihil poteſt eſſe ſuperius. Proinde neq; eſſentialis numerus,neq; numerus hoc poſterior ad quantitatẽ propriè pertinens de vno prædicari poteſt: neq; eſſentialis inquã,qui eo quod dicitur,intelligere ſemper exhibet eſſe: neq; qui ſpectat ad quantitatem,qui eam cum alijs vnà complectitur: neque etiam ſi non cum alijs concurrat generibus, ſiquidem hic eſt ipſe numerus. Quandoquidem & natura numero pertinente ad quantũ inſita imitans naturam numeris prioribus inditam,ipſumq; verè vnum reſpicientem,proculdubio ſimiliter ipſa reſpiciendo vnum numerorum principium ſubſtantiam ſibi vendicat,neq; diſperdens ipſum,neque alicubi diuidens, imò verò binario iam exorto, extat adhuc vnitas ipſa ante binarium, neque vnitas vtraque binario comprehenſa, neque alterutra eſt vnitas ipſa. Cur enim vel binarius ſit ipſa vnitas? vel altera binarij vnitas potius quàm altera eiuſdem vnitas, ipſa ſit vnitas? Si igitur neque vtraque ſimul,neque alterutra eſt vnitas ipſa,certè vnitas quæ numeri eſt totius origo, ab his omnibus eſt diuerſa, ac reuera manens quodammodo etiam non manere videtur. Quo igitur modo vnitates illæ aliæ ſunt quàm ipſa? & quo pa-
E cto dualitas quódammodo vnum eſt? & nunquid idem vnum eſt quod in vtraque comprehenſa vnitate ſeruatur? Fortè dicendum eſt vnitates vtraſque primæ vnitatis participes eſſe, ſed ab illa cuius participes ſunt, eſſe diuerſas: atque dualitatem quatenus vnum quiddam eſt, vnitatis ipſius eſſe participem, non tamen eodem vbique modo, nempe non ſimiliter exercitus atque domus eſt vnum: atque hæc quidem eadem ratione ad continuũ comparata, neque quoad ſpectat ad eſſe vnum, neque quoad pertinet ad quãtum vnum. Nunquid igitur aliter quidem vnitates quæ ſunt in quinario, aliter verò quæ in denario ſe ad vnum habent? Ipſum verò vnum quod in quinario, ad vnum quod eſt in denario prorſus eſt idem? Forſan etiam ſi tota quædam nauis parua ad totam alterã, ſed magnam: & ciuitas ad ciuitatem, & exercitus ad exercitum comparetur, idem in his quoque erit vnum. Quod ſi neq; illic, neque hîc etiam. Si quæ verò de his dubitationes reliquæ ſunt, in ſequentibus abſoluentur.

MARSILIVS.

Ens,eſſentiam,eſſe procedere ab ipſo uno Græca etiam appellatio declarat,rei ipſius naturam ſequens. Cap. V.

F COgitare poteſt aliquis ens quaſi compoſitum quiddam atque binarium, in quo eſſentia ſit & eſſe,atque id quod dicit eſſe,ibi actum eſſentiæ nominari. Ens ergo natum ab uno eſſentiam quidem habere tanquam unius umbram,eſſe uerò uelut unius imaginem. Quoniam uerò ipſum unum eſt ſuperius ente, ideoq; latius ultra proprietatem entis ſuam dilatat potentiam, factum eſt ut materia,& ſi propter priuationem extremam formarum ens non dicitur, tamen dicatur una. Non enim eſt propter informitatem minus unica in mundo materia. Factum etiam, ut priuatio qualibet non minus una dicatur,quàm habitus unus: ens tamen minus priuatio quàm habitus iudicatur. Sed hæc alibi diximus.

PLOTINVS.

SEd ad primum illud nobis regrediendũ, aſſeuerantibus ipſum manere ſemper idem,quamuis ex illo cætera profluant. In numeris quidem manente vno,ſecundum ipſum fit numerus alio faciente: in eo autem quod eſt ſuper entia, manet multò magis ipſum vnum. Illo verò manente non aliud ſecundum ipſum entia facit: illud nanque eſt ad entia facienda ſufficiens. Atqui quemadmodum in numeris ſpecies vnitatis principij numerorum ſeruatur in omnibus primo quodam ſecundoq; gradu: neque ſinguli ſequentes numeri vnitatem æquè participant, ſic & in ordine rerum vnumquodq; ſequentium primum habet in ſe illius aliquid velut ſpeciem. Et in numeris quidem participatio vnitatis quantitatem pro-

A tem producit in numeris. Hic autem ipſius vnius veſtigium eſſentiam rebus inſtituit, adeò vt ipſum eſſe veſtigiũ ſit vnius. Vnde hoc ipſum Ine, ideſt eſſe, quæ quidem denominatio eſt declarans vſiam, ideſt eſſentiam, ſiquis dicat deriuari ab ipſo en, ideſt vno, à veritate forſan non aberrabit. Iam verò quod dicitur on. ideſt ens, hoc certè primum inde micans, & quaſi non longè progrediẽs noluit vltrà procedere, ſed ad interiora conuerſum conſtitit, vbi facta iam eſt eſſentia, exiſtitq; eſſentia omnium, & qui pronutiat hæc, quaſi in ſono nitens ſeipſum cõtinet: natumq; eſt on en, ideſt ens vnum, ipſa prolatione declarans ſe ab ipſo en, ideſt vno profluere: & certè ipſum on, ideſt ens ita pronuntiatum idipſum ſignificat quoad poteſt. Sic vtique quod factum eſt vſia, ideſt eſſentia, atque ine, ideſt eſſe, imitantur pro viribus auctorem ex eius virtute manantia. Mens verò hæc animaduertens, & ſpectaculo ipſo perducta, & imitata quod nouit, voces eiuſmodi ſubitò protulit, on, ine, vſiam, eſtian. Hi nanque ſoni ſubſtantiam geniti conantur exprimere, ipſo pronuntiatore ad id enitente, imitantes profectò quoad poſſunt entis ipſius originem.

MARSILIVS.

Quoniam dicendo ſpeciem uel eſſentiam, concipis & definis aliquid intellectu, ſcito id non eſſe rerum principium: illud enim nullo modo comprehendi poteſt. Cap. VI.

IPſum unum uel unitas nomen eſt à Pythagoricis adinuentum, quo principij rerum ſimplicitatem eminentiamq; pro uiribus deſignarent, negantes quidem multitudinem compoſitionemq;, & de-
B terminationem prorſus omnem ab ipſo nihil interim affirmantes, quod & Apollinis nomine confirmabant. Sicut ſenſibile genus cum ſenſu proportionem habet, ita intelligibile cum intellectu. Principium ergo rerum non habens cum intellectu proportionem, ſupereminet genus intelligibile: igitur eſt ente ſuperius.

PLOTINVS.

SEd hæc quidem vt cuique placet, accipiantur. Quum verò eſſentia genita ſpecies ſit, neque enim aliud quicquam quod inde gignitur quiſpiam appellauerit: ſit inquam non ſpecies quædam, ſed ſpecies omnis, adeò vt nihil aliud ſpeciei reliquum ſit, neceſſarium eſt ipſum vnum ſpeciem non habere. Cùm verò à ſpecie ſit alienum, neque etiam eſſe poteſt eſſentia: oportet enim eſſentiam hoc aliquid eſſe: id autem determinatum iam eſt, illud verò non licet tanquam hoc aliquid cogitare: alioquin iam non eſſet principiũ, ſed illud duntaxat quod hoc aliquid appellabas. Si igitur in eo quod inde genitum eſt omnia ſunt, nihil eorum quæ in hoc ipſo ſunt, eſſe reuera dices ipſum omnium auctorem. Cumq; horũ nihil ſit omnino, ſolùm dici poteſt eſſe quod ſuper hæc exiſtit. Hæc autem ſunt entia atq; ens ipſum: illud igitur ente ſuperius. Iam verò quod eſt ente ſupe-
C rius, non dicit hoc aliquid: neque enim ponit aliquid, neque nomen ipſius dicit, ſed affert ſolùm hoc ipſum, ſcilicet non hoc. Id autem agens nuſquam comprehendit ipſum: ridiculum eſt enim moliri, immenſam illam complecti naturam. Quiſquis autẽ id molitur, ſeipſum vel à minimo quoq; illius veſtigio procul admodum amouet: profectò quemadmodũ cognoſcere naturam intelligibilẽ cupiens, tunc demum cognoſcet quod eſt ſuper ſenſibile genus, quando nullam prorſus rei ſentiendæ tenebit imaginem. Sic etiam qui naturam intelligibili natura ſuperiorem contemplari deſiderat, ſi modò intelligendum omne dimiſerit contemplabitur, per hoc inquam diſcens illam exiſtere, qualis verò ſit omnino dimittens. Hoc ipſum verò quod dicitur quale, ſignificat reuera non quale. cui enim non ineſt quod dicere quid conſueuimus, neq; conuenit etiam quod quale appellare ſolemus. At nos noſtris quaſi cuiuſdam parturientis anguſtijs laborantes quid potiſsimum dicere deceat, ignoramus: & de illo quod dici non poteſt, dicimus atque nominamus, ſignificare aliquid nobiſipſis quoad poſſumus affectantes. Forſan verò & nomen hoc quod dicitur vnum, per reſpectũ quen-

D dam ad multa negationem eleuationemq; ſignificat. Quapropter Pythagorici quoque Apollinem ſecretiori quadam ſignificatione inter ſe nominabant, ipſa ſcilicet negatione multorum. Si autem nomen hoc vnum ſignificatione ſua ponat aliquid & affirmet, tum nomen tum etiam nominatum erit obſcurius, quàm ſiquis nomen illius eſſe minimè dixerit: nam fortè nomen id dictum eſt, vt indagator exordiens ab eo quod maximè omnium ſignificare poteſt ſimplicitatem, eò tandem perueniat, vt hoc ipſum præterea neget, quaſi quanto melius à nominante poni potuit, impoſitum fuerit: neq; tamen & hoc dignum ſit quo natura illa ſignificetur: nempe illud auditu attingi non poteſt, neque ab audiente vllo poteſt intelligi, ſed ſi cui patere poteſt, occurrit potius intuenti. Verùm ſi intuens ipſe contendat ſpeciem intueri, neq; hoc tanquam ſpeciem intuebitur,

MARSILIVS.

Sicut per ipſum lumen & oculus eſt perſpicax, & colores ſunt conſpicui, in quibus oculus uidet lumen, quod in ſeipſo non uidet: ſic per primum principium & mens intelligere poteſt, & uera ſiunt intelligenda, in quibus mens ipſius principij lumen intelligit, in ſeipſo uerò nequaquam. *Cap.* VII.

E POteſt tamen intentionem à ſingulis ueris retrahere, conuerterèq; ad principij lumen, quo & hæc uera ſunt, & hic intelligens: atq; ita ipſo quoquo modo tanquam lumine frui. Similiter ſi uoluntatem à ſingulis bnis amandis reuoces ad amandum ipſum bonum quo & tu amas, & illa ſunt amabilia, frueris ſtatim ipſo bono, uidelicet inſoliro quodam gaudio.

PLOTINVS.

PRoinde duobus modis ſecundum actum videre cõtingit, quemadmodum accidit circa oculum. Sanè aliud quidem oculo ſpectaculum eſt, ipſius ſcilicet rei ſentiendæ ſpecies: aliud autem illud eſt per quod ſpeciem illius videt: quod quidem ipſum quoq; ei ſenſibile eſt, diuerſum certè ab ipſa ſpecie: cauſa verò per quam ſpecies ipſa perſpicitur, atque exiſtens in ſpecie, & mox cum ea conſpectum: quapropter tunc non admodum clarè perſpicitur, quippe quum oculus ad illuminatũ intentius ſeſe dirigat. Quando verò nihil ſit aliud præter ipſum, ſubitò quodam totoq; ſimul intuitu contuebitur, quamuis & tunc ipſum adhærens alteri ſentiet: ſin autem ſolùm ipſum ſit nulli prorſus adiunctum, non poterit ſenſus accipere: quãdoquidem ſolis lumen in ſole ipſo vigens fortè ſenſum effugeret, niſi moles ipſa ſolis eſſet ſubiuncta ſolidior. Siquis autem totum ſolem lumen eſſe dicat, id aliquis forſitã pro illius quod dicitur, declaratione ſuſcipiet: erit nanq; lumen in nulla aliorum ſpecie quæ videntur, ac fortè viſibile
F ſolùm atq; lucidum, alia enim viſibilia non ſolùm lumen exiſtunt. Simili ratione mentis aſpectus videt quidem & ipſe per lumen aliud res illuminatas prima illa natura, atq; in illis reuera videt & illud: veruntamen ad naturam rerum illuminatarum impenſius ſe conuertens, minus ipſum interea cernit. At ſi viſas quandoq; res dimiſerit, & lumen illud per quod videt attentè reſpexerit, lumen iam ipſum luminisq; principium peruidebit. Quoniam verò mentem oportet eiuſmodi lumen non tanquam extrinſecum aliquid intueri, rurſus ad illum oculum accedamus, qui ipſe quoque quandoque non extrinſecum lumen, nec alienum videat, ſed ante lumen externum intueatur: proprium aliquod & lucidius in ſe de quadam inuiolata puraq; perlucens, aut nocte in tenebris coram ſe ex ſe proſilientem quendam aſpiciat radium: aut quando nihil volens aſpicere aliorum, ſeipſum cohibeat tegmine palpebrarum, atque interim proferat ex ſe lumen. vel quum premens aliquis angulos palpebrarum, lumen quod latebat intus inſpiciat, tunc ſanè non videndo videt, & tunc maximè videt: videt nanque lumen: cætera verò quæ antè viderat, lucida quidem erant, lumen verò nõ erant. Sic itaque mens ſe ab alijs ſegregãs atque cohibens ad interiora, nihilq; videns cernit protinus lumen, non in alio aliud, ſed ipſum ſecundum ſeipſum ſolùm purum ex ſeipſo repentè coruſcans.

MAR.

A MARSILIVS.

Expelle ab animo tria, motum, multiplicitatem, determinationem, ſcilicet per quam certæ cuidam rei ſe addicit uel cogitandæ uel affectandæ. Cap. VIII.

STatim animus factus principio proximus immobili, ſimplici, abſoluto, impletur nouo eiuſdem lumine, mox ſeipſum animaduertit mirabiliter ſolito pulchriorem. Quod ſanè nouæ pulchritudinis lumen inſpicit tanquam intimum: ſubinde animaduertit hoc ipſum ſibi ex principio prouenire, ubi etiam lumen agnoſcit ut extimum.

PLOTINVS.

ID autem ita ſit, vt dubitari contingat, vndenã hoc effulgeat: vtrum ab extrinſeco aliquo, an potius ab intrinſeco: & quum diſceſſerit, accidat dicere, intimum erat hoc, rurſuſq; non itimum, ſed profectò non eſt quærendũ vnde contingat, nempe non datur hîc vnde: neque enim hoc accedit, vel aliò rurſus hinc abit, ſed vel apparet nobis, vel nõ apparet: quapropter non decet proſequi, ſed potius requieſcere, donec nobis effulgeat, ita nos ad id ſpectaculum præparantibus, ſicut & oculus ortum ſolis expectat, cui ſol ipſe ex orizonte reſurgens, & vt poetæ aiunt, ex Oceano exhibet ſe ſpectandũ. Hîc autem hîc inquam, quem ſol imitatur, vndenam ſupernè fulgebit? quòuſque tranſcendens nobis perſpicuè rutilabit? Profectò mentem deſuper occupans ſuſpicientem illuminabit. Intellectus itaque in ſuſpiciendo ſe ſiſtet, nihil aliud quàm pulchrum ipſum ſpectãs, ſeq; totum illuc conuertens, eiq; omnino ſe dedicans. Itaq; conſiſtens ac velut vigore repletus, primò quidem ſeipſum reſpicit pulchriorẽ iam effectum, iámB que fulgentem, quippe quum iam ſit ſummo propinquus. Deus autem non accedit vt forſan aliquis expectauerit, ſed venit quaſi non veniens. Apparet enim non veniens, ſed antè ſuperq; omnia præſens, priuſquam intellectus acceſſerit: intellectus autem eſt proprie qui accedit, & qui diſcedit: diſcedit inquam quando non nouit vbi ſit permanendum, & vbi ille permaneat: quoniam videlicet reuera manet in nullo, ac ſi poſſet & intellectus eſſe nuſquam, non in loco duntaxat inquam: nam & ipſe non eſt in loco, ſed omnino nuſquam, proculdubio illum ſemper aſpiceret: tametſi non aſpiciens attingeret illum, ſed in illo conſiſtens: neque id quidem tanquam duo. Nunc verò quoniam eſt intellectus, ita videt quando videt, eo ſcilicet quòd in ipſo non eſt intellectus: & profectò mirum eſt quonam modo adſit non accedens, quóue modo dum exiſtit, nuſquam ob id ipſum interim ſit vbique. Accidit ſanè id ex ipſa ſui conditione mirari, ſed apud eum qui rem ipſam cognouerit, admirationi potius foret, ſiquando contrarium diceretur: imò verò neque poteſt aliter ſe habere, adeò vt quis vehementius admiretur: ita verò ſe habet.

C MARSILIVS.

Quoniam omnia dependent à Deo, ipſe uerò à nullo: ideo omnia ſunt in ipſo, ſed ipſe eſt in nullo: continet omnia, non continetur. Cap. IX.

QVia continetur à nullo, nuſquam eſt: quia uerò continet omnia, omnibus adeſt. Sic mundi corpus eſt in anima mundi, hæc in mente, hæc in bono, neque uiciſsim. Sicut igitur anima tanquam libera ſingulis corporis partibus tota ſimul adeſt, ita bonum ab omnibus limitibus abſolutum adeſt omnibus. Omnino uerò quod ad ſuam exiſtentiam non dependet à certo ſubiecto, uel loco, nec à certa natura ubique eſt & nuſquam, ſicut anima, & mens, & Deus.

PLOTINVS.

QVicquid ab alio fit, aut in ſuo eſt auctore, aut in alio quopiam, ſiquid modò præter auctorem ſit reliquum: nam cùm ab alio fiat, & ad genituram indigeat alio, nimirũ vbiq; alio indiget, quapropter requieſcit in alio. Ita igitur natura comparatum eſt, vt vltima paſsim ſint in penultimis: rurſuſq; priora his ſimiliter in prioribus, aliudq; ſemper in alio, quouſq; perueniatur ad ſummum. Summum verò principium vtpote cui nihil præſit vlterius, eſſe nequit in alio.

D Quum verò ipſum quidem non ſit in alio, cætera verò ſuperioribus inſint, nimi A
rum ipſum reliqua cuncta complectitur. Complectens autem neq; diſſipatur in
illa, & habet omnino non habitum: & profectò cùm habeat, nec habeatur, non
datur aliquid vſquam vbi non ſit & ipſum: niſi enim adeſſet, nec haberet: rur-
ſuſq; ſi non habetur, nec vtique adeſt. Adeſt igitur, atq; non adeſt, nempe ex eo
quidem quòd non comprehenditur, nequaquã adeſt: ex eo autem quòd eſt à
quolibet liberum, nuſquam prohibetur adeſſe: ſi enim cohiberetur, certè defi-
niretur ab alio, & quæ deinceps ſequuntur, ipſius relinquerentur expertia: &
huc vſque Deus ipſe regnaret, neq; amplius quicquam eſſet in ipſo, neque ipſe
in ſeipſo conſiſteret, ſed reliquis iam ipſe ſeruiret. Quæcunq; igitur ſunt in ali-
quo, ibi propriè ſunt, cuius & ipſa iuris ſunt. Quæcunq; verò non propriè ſunt
alicubi, talia ſunt, vt non ſit aliquid vſquam vbi ipſa non ſint. Si enim aliquid hic
non eſt, alius ſanè locus id complectitur, atq; in alio quodam eſt tanquam loco,
quare falſum eſt non eſſe id alicubi. Si igitur verum eſt nõ alicubi eſſe, & falſum
eſſe alicubi, ne fortè ſit in alio, nimirum nuſquam abeſt. Si autem abeſt à nullo,
certè non exiſtens alicubi, in ſeipſo erit vbique: non enim aliud quidem ipſius
B hic erit, aliud autem erit ibi, neque tamen totum ibi tantùm, quamobrem erit v-
bique totum: quippe quum nullum alicubi vnum habeat ipſum, neque rurſus
non habeat, nempe ſic habet, vt reuera potius habeatur. Age iam hunc cõſidera
mundũ, hic profectò ſi nullus alter mundus eſt, eſt ipſo ſuperior, nõ eſt in mun-
do, neque rurſus in loco. Quis enim locus ſit prius quàm mundus exiſtat? Mun
di verò partes ad ipſum rediguntur, & locantur in ipſo. Anima verò non eſt in
mundo, ſed mundus in anima: neque enim animæ locus eſt corpus, ſed anima
quidem eſt in mente, & corpus in anima. Mens denique conſiſtit in alio, quod
quidem non dependet ab alio, in quo propterea conquieſcere compellatur:
in nullo igitur propriè requieſcit, atque hac ratione dicitur eſſe nuſquam. Vbi
nam igitur alia ſunt? proculdubio ſunt in eo. Itaq; nec abeſt ab alijs, neq; eſt rur-
ſus in illis, neq; quicquam eſt quod habeat ipſum, ipſum tamen omnia continet.
quapropter & hanc ob cauſam id bonum omnium eſſe cenſetur: quoniam &
ſunt per ipſum omnia, & referuntur ad ipſum. Refertur inquam aliud alia ratio-
ne, ideoq; alia ſunt alijs meliora, quia & alijs alia ſunt magis ad ipſum.

MARSILIVS.

Compoſita in ſimplicia reſoluuntur: ſimplicia multa in unum ſimpliciſsimum: hoc in ipſam ſimplicitatem.
Hanc tu ſi quando apprehenderis, nec partem aliquam eius accipies: non enim habet partes, nec
F *tota eius ratione totam, alioquin ipſi & tu æqualis eris.* Cap. X.

APprehendes autem eam, etſi non ſub omni, ſed ſub quadam ratione eius atque uirtute, tamen per
unicum ſimul actum atque ſimpliciſsimum percipies, quotcunq; & quantumcunq; fueris perce-
pturus. Nam & ipſe Deus momento totus ſimul occurrit, & tu ſiqua in percipiendo utaris compoſi
tione, teipſum à ſimplicitate protinus ſeparabis.

PLOTINVS.

VErùm tu noli, precor, Deum per alia intueri, alioquin ſcito te non Deum,
ſed eius veſtigium inuenturum: ſed ipſe tecum reputa, quidnam hoc ſit po
tiſsimum, quod fas eſt percipere tantùm in ſeipſo conſiſtens, purum, nulli per-
mixtum, vbi certè omnia quidem participant ipſum, nihil tamen id habet: pro-
fectò nihil aliud poteſt eſſe tale, & proculdubio neceſſarium eſt tale aliquid
eſſe. Quiſnam igitur potentiam eius omnem ſimul apprehendat? Siquis enim
ſimul apprehendat omnem, quonam ab eo differre cenſebitur? Num acci-
pit ergo ſecundum partem? ſed enim tu ipſum intuens ictu quodam toto
ſimul & vnico contuebere, neque tamen tibi totum renuntiabis, alioquin in-
tellectus eris intelligens, ſiquid modò fueris conſecutus: Deus autem te proti-
nus aufugiet: imò verò tu Deum. Cæterùm quando inſpicis, conſpice totum,
& cùm primũ hunc intellexeris, quicquid ex eo memoria cõſeruaueris, bonum

ipſum

a ipſum eſſe memento. Vitæ nanque ſapientis intellectualiſq; cauſa eſt: quippe quum ſit ipſa poteſtas à qua vita intellectusq; naſcitur, nempe eſſentiæ entisq; eſt auctor, quoniam eſt ipſum vnum. Eſt enim ſimplex, eſt & primum, quoniam eſt principium. Ab eo nanq; omnia profluunt: ab eo motus primus exoritur, neque tamen eſt in eo: ab eo quoq; ſtatus, quoniam ipſe nihilo indiget: neque enim mouetur, neq; quieſcit, cùm nihil habeat in quo requieſcat, in quo reuoluatur. Nam circa quid, aut ad quid potiſſimũ, aut in quo præcipuè vel mouebitur, vel requieſcet? eſt emm ipſe primus. ſed neq; poteſt definitus eſſe, alioquin à quonam poterit definiri? neque rurſus ſic eſt infinitus, vt immenſa moles ſolet excogitari. Tum verò quonam progredi debet? ac ſi dicatur progredi nunquid vt aliquid inde reportet, qui nullo penitus indiget. Ipſam verò infinitatem habet ipſa poteſtas: neque enim aliter eſt infinitus, nec aliter vnquam ſe habet, neque deficiet unquam: quandoquidem quæcunque non deficiunt, hoc ipſum ab eo propriè habent.

MARSILIVS.

Principium primum ob ineſtimabilem ſimplicitatem eminentiamq; qua dicitur unum, nec extrinſecus nec intrinſecus eſt finitum. Cap. XI.

NEque quieſcit, neque mouetur, neque figuram habet, neque formam, infinitum eſt poteſtate, non quantitate. Falluntur qui corpora propter quantitatem, & maximè eſſe, & eſſe maxima putant: nam propter eandem infinitè licet dicere, neq; pars hæc, neq; illa ipſum totum eſt: infinitè quoque dicere, hæc pars in hoc eſt parua, & illa parua: corpus igitur infinitè non eſt ipſum, & eſt infinitè par-
b uum. Denique de ueritate rerum ſeparatarũ diffidimus, ob nimium commercium cum materianamæ quidem in hoc corpore ſomniant, extrà uigilant.

PLOTINVS.

ATqui hoc infinitum ex eo dicitur infinitũ, quòd nõ ſit plura quàm vnum, neque habeat aliquid ad quod ſuorum aliquid terminet. Profectò ex eo quod vnum eſt, neq; menſuratur, neq; procedit in numerũ, neq; igitur ad aliud quicquam, neq; ad ſe terminatur, quoniam ſic vtiq; foret & duo. Neq; rurſus figuram habet, quoniam neq; partes, nec habet formam. Noli igitur id mortalib. oculis indagare, tale videlicet omnino quale ratio probat. Noli hoc inquã confidere ita poſſe cognoſci, quemadmodum aliquis opinabitur, qui quæcũq; ſunt eſſe ſenſibilia opinetur: atq; ita quod maximè omnium eſt, è medio tollat. Quæ enim forſan exiſtimet aliquis eſſe quãmaximè, hæc maximè non ſunt. Quod autem eſt quãtitate magnum, id minus exiſtit: at verò quod primũ eſt, principiũ eſt eſſendi, eſſentiaq; præſtantius, quamobrem in oppoſitum nobis eſt opinio commutanda, alioquin deſtituemur à Deo: quemadmodum qui in feſtis ſolenniter celebrãdis ingluuie quadam ventrem impleuerint epulis quas intraturos
c ad deos nefas eſt delibare: quippe qui putent alimenta ventris eſſe admodum certiora ipſa contemplatione Dei, cui decet ſolemnia celebrare, ideoq; abeunt ſacrorum expertes: etenim in eiuſmodi ſacris quum non inſpiciatur Deus, iam non eſſe putatur apud illos qui ſolùm id eſſe certum exiſtimãt, quod ſolùm carne guſtatur & cernitur: perinde ac ſi qui per totã vitam fortè dormierint: ideoq; ſola quæ videntur in ſomnis, credenda tãquam certa prorſus exiſtiment. Siquis autẽ eos excitet, vtpote qui his quæ per apertos oculos ſentiuntur, fidem nequaquam adhibeant, ſubitò rurſus obdormiant.

MARSILIVS.

Quàm diuerſus eſt intellectus à ſenſu, tam diuerſa ſunt intelligibilia à ſenſibilibus. Nõ negas eſſe uoces, etſi non uides. Ne ergo neges eſſe ſeparata, propterea quòd nec ſenſu nec ſenſuali intelligentia cõprehendas. Deniq; ſcito ſuper intellectũ atq; intelligibile eſſe ipſum bonum. Cap. XII.

BOnum omnia omnino ſemper appetunt: pulchrum uerò nec omnia, nec omnino, nec ſemper. quapropter naturali quodam iudicio bonum ipſum ipſo pulchro præſtantius eſſe cenſetur, atque ita bono poſterior eſt pulchritudo: ſicut amor pulchri aduentitius eſt, & poſt naturalem appetitum bo

D ni nobis incidit. Quum verò pulchritudo ſit forma quædam, ibiq; pulchritudo prima ſit, ubi ſumma & omniformis eſt forma, intellectus atque intelligibile, meritò ipſum bonum ſuperius pulchritudine, ſimiliter intellectu intelligibiliq; excelſius iudicatur.

PLOTINVS.

OPeræpretiũ eſt ad ſingula percipienda eo potiſsimũ ſe accingere, quo ſingula percipi debent. Oculis nanq; alia, auríb. alia, alijs ſimiliter alia: credendumq; eſt mentem præter alia cõprehendere, neque putãdum intelligere idem eſſe quod audire atque videre: ceu ſiquis aures cernere iubeat, vocesq; ideo eſſe neget, quia minimè videantur. Proinde cogitandum eſt eos eſſe illius oblitos, quod ab initio in hunc vſque diem deſiderant & affectant: omnia enim illud appetunt neceſſitate naturæ, quaſi quæ vaticinentur, ſe abſque illo eſſe non poſſe. Præterea ipſius pulchri notitia animis iam experrectis & cognoſcentibus accidit. Contingit ſimul & ſtupor, & ad amorem pertinens excitatio. Ipſum verò bonum, vtpote quod iam ab initio præſens eſt ad ingenitum appetitum, etiam dormientibus adeſt, neque vnquam ſtupore occupat intuentes, propterea quod ſemper adeſt, nec propria quadam ad hoc reminiſcentia indiget: neq; tamen ipſum animaduertentibus id occurrit, quoniam & dormientibus immi-
E net. Pulchri verò ipſius amor cùm primũ ſeſe offert, moleſtias infert, quoniam oportet pulchrum appetere cognoſcendo: atqui amor eiuſmodi cùm ſit ſecundus, eorumq; qui iam intelligunt, planè indicat pulchrum ipſum eſſe ſecundum: appetitio verò boni cùm ſit antiquior, neq; ſenſibus egeat, teſtatur ipſum bonum antiquius & ſuperius eſſe quam pulchrũ. Accedit ad hæc quòd omnes exi I ſtimat ſatis quandoq; ſibi fore, ſi bonum ipſum fuerint conſecuti, quaſi tunc demùm ad finem vſq; peruenerint: pulchrum verò non omnes ſatis ſibi facturum exiſtimant. Præterea nonnulli præſentem quoq; pulchritudinem paruifaciunt: item quod pulchrum eſt, ſibimet potius quàm ipſis iudicant eſſe pulchrũ, quem admodum pulchritudinẽ hanc noſtram propriè habentis eam eſſe cenſent. tum verò pleriſq; ſatis ſibi factum videtur, ſi videãtur pulchri, quamuis minimè ſint: bonum verò nõ opinione duntaxat, ſed reuera cupiunt poſſidere. Omnes nanque quod primum omnium eſt potiſsimum ſibi comparare contendunt. Quid dicemus ad hæc? quod animi vnà cum pulchro quaſi quodam victoriæ ſtudio certant? quaſi & ipſum factum aliunde ſit, ſicut illi aliunde ſunt facti: Ceu ſiquis à rege poſterior ſtudeat alium quendam qui ſtatim ſequatur regem dignitatib. adæquare: vtpote qui ab vno eodemq; atq; ille dependeat, ignorans ſcilicet ſe
F quoq; à rege pendere, illum verò præcedere. Cauſa verò erroris ea eſt, quòd ambo eiuſdem participes ſunt, vnumq; ambobus eſt prius. Conſtat inſuper ipſum bonũ pulchro minimè indigere, ſed bono pulchrum. Proinde bonũ ipſum manſuetũ eſt, lene, placidum, delicatũ, atq; ſicut optat quiſq; ſolet occurrere. Pulchrũ verò vel ſtupidũ reddit animũ, vel concitatũ voluptatemq; cũ dolore cõmiſcet. Deniq; incautos ſæpe animos à bono deflectere conſueuit, ſicut amatũ ſæpe à patre ſeparat amatorẽ. Pulchrũ nanq; iunius eſt, bonũ autem eſt antiquius, non quidem tempore, ſed veritate, quod quidem potentiã quoq; priorem habet, habet nanq; omnẽ: quod verò poſt ipſum eſt, nõ poſſidet omnem, ſed tantã duntaxat, quanta poſt ipſum eſt & ab ipſo. Quapropter pater ille huius quoq; potestatis eſt dominus, nullo modo indigens his quæ generantur ab ipſo, ſed omne totumq; dimittens quod eſt genitum: quoniam nulla prorſus conditione hoc indiget, ſed exiſtit prorſus idem, qui & prius quàm hoc ex ſe generaret: atqui ſua quoque nihil intereſſet, ſi hoc genitum non fuiſſet: quandoquidem & ſi potuiſſet ex illo aliud inſuper generari, non inuidiſſet ei quoque munus eſſendi. Nunc verò nihil vlterius effici poteſt: nihil enim reliquum eſt quod iam non fuerit procreatum, quum iam facta ſint omnia. At ipſe Deus non exiſtit cuncta,

ſic enim

A sic enim omnibus indigeret, sed omnia supergrediens potuit omnia constituere, atque permittere sibi ipsis omnia, ipse quidem omnia supereminens.

M A R S I L I V S.

Entia omnia minus inter se magis ue bona desinunt in ens aliquod maximè bonum, hoc tandem resoluitur in ipsum bonum, ideſt ipsam simpliciter bonitatem, ente superiorem. Cap. XIII.

QVando hanc ipsam nominas, noli cogitare duo quædam, ideſt rem quandam unà cum bonitate: alioquin principium rerum compositum erit, eritq; non bonitas absoluta, sed bonitas quædam, & tanquam particeps boni: referetur tandem ad superius bonum, non ultra participatione bonum. De essentia uita, mente prædicari potest aliquando malum, aut saltem non bonum, aut certè magis minùs ue bonum. Talia uerò de ipsa simpliciter bonitate prædicari non possunt. Ratio igitur bonitatis ipsius & alia est, & simplicior, ideoq; prior quàm ratio essentiæ, uitæ, mentis. Noli igitur fingere Deum primùm contineri in communi entium ordine sub entis ratione communi, atque insuper habere propriam bonitatem, alioquin compositus erit, nec formaliter, sed participatione quadam superioris simpliciorisq; boni bonus. Ipsum denique bonum quod ab omnibus essentijs, uitis, mentibus appetitur, eaq; perficit, atque efficit, non est dicendum habere propriè essentiam, uitam, mentem, sicut neque solem dicimus ea propriè in se habere, quorum in elementis causa est, ideſt calorem eiusmodi & argumentum & generationem, similesq; formas atque figuras.

P L O T I N V S.

QVum verò Deus sit ipsum bonum, non autem bonus, oportet ipsum nihil prorsus in se habere, quando nec habet bonum. Siquid enim habeat, aut bonum habebit, aut non bonum: at neque in eo quòd propriè præcipuè primò bonum est, potest esse non bonum, neque ipsum bonum habet bonum. Si ergo neque non bonum neque bonum habet, nihil penitus habet: sin habet nihil, solum est ab omnibusq; secretum. Si igitur alia vel bona sunt, non tamen ipsum bonum, vel fortè non bona, neutrum verò horum habet, certè nihil habens habendo nihil, est ipsum bonum. Siquis igitur huic aliquid addit vel essentiam, vel mentem, vel pulchrum, ipsa nimirum additione demit ab eo idipsum, quod ipsum exiſtit bonum, cuncta auferens, nihilq; de hoc affirmans, neq; quicquam mentiens, quasi sit aliquid apud ipsum, ritè permittit tantùm quod est, dici solet: nihil eorum quæ non adsunt, de ipso testificatus. Qua quidem in re errare plerique cõsueuerunt, qui quum laudare quempiam nesciant, laudatorum gloriæ detrahunt, dum ea illis adiungunt, quæ dignitate illorum minora sunt, ignorantes scilicet veras laudes laudatis personis accommodare. Quamobrem & nos in primis cauere debemus, nequid posteriorum minorúmque addamus, ac penitus obseruare, vt Deus ille hæc omnia supereminens, horum causa sit, neque tamen ille hæc exiſtat. Iam verò natura boni non est esse vel omnia, vel aliquid omnium. Profectò si sit aliquid omnium, erit sub vno quodam eodemq; B C vnà cum cunctis. Si autem sit sub eodem vnà cum cæteris, differet vtiq; ab alijs proprio quodam tantùm differentiaq; & additione quadam. Erit ergo duo iam non vnum, quorum alterum quidem sit non bonum, scilicet quod sibi cum reliquis est commune: alterum verò bonum. erit itaque mixtum ex bono simul atque non bono, ideóque nec purè, nec primò bonum erit. At illud erit primò bonum, cuius & hoc particeps vltra communem conditionem iam euasit bonum. Hoc ergo participatione quadam bonum erit: illud autem cuius hoc est particeps, nullum est ex omnibus: quare nullum omnium est ipsum bonum. Verùm si in ipso bonum hoc est, differentia enim est per quam hoc compositum est bonum, necesse est hoc ab alio dependere, quod quidem simplex omnino sit solumq; bonum. Hoc itaque velut multiplex ab eo pendet quod bonum est duntaxat. Quamobrem quod exiſtit primò, bonumq; ipsum est, constat super omnia entia esse, solumq; bonum, nihilq; in se habere, sed nullis omninò permixtũ, cuncta supereminere, & causam esse cunctorum. Nõ enim ex malo fit pulchrũ,

D neque entia ſunt ex malo, neque rurſus ex aliquibus quæ indifferentia ſint: melior enim eſt effector effectu. eſt nanq; perfectior.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEXTVS, QVOD ILLVD QVOD EST SVPER ENS NON INTELLIGAT: QVIDVE SIT, intelligens primò, quidue ſecundò intelligens.

MARSILIVS.

Intellectus & unitus eſt cum re intellecta pariter & diſtinctus. Cap. I.

SI cognoſcit externa foràs aſpiciendo, manifeſta eſt inter intellectum intelligibileq; diuerſitas, et intellectus formam induit peregrinã, interea tamen per hanc formam cum intelligibili intellectus unitur: ſin autem intelligit ſeipſum, eadem quidem eſt inteligentis intelligibilisq; eſſentia. Eſt tamen huius atq; illius oppoſita inter ſe ratio: igitur diſtincta formaliter. Adde quòd ratio ipſius intelligibilis ratione intelligentis eſt ſuperior: ſicut ratio uel luminis, uel diaphani, uel luminis purioris atque minus puri. Ratio enim intellectus ad intelligibile, ubi ſeipſum intelligit, eſt tanquam inchoati cuiuſdam luminis annitentis ad abſolutum lumen accipiendum, cui pro uiribus adæquetur.

PLOTINVS.

E DVPLEX intelligentia eſt, aut enim aliquid intelligit aliud, aut ſeipſum: quod quidem longius illam deuitat diuerſitatem, per quam duo quædam euadat intelligendo. Quod autem intelligit aliud, vult ipſum quoq; diuerſitatem fugere, ſed minus id valet: habet quidem apud ſe quod videt, ſed à ſe diuerſum. Verùm quod ſeipſum intelligit, nõ eſt ab eo quod intelligitur eſſentiâ ſeparatum, ſed coexiſtens ſecum, ſeipſum & intuetur: vtrunq; itaque ſimul ens vnum efficitur: imò verò magis intelligit, quoniam quod intelligit habet. Primoq; intelligit, quia ipſum intelligens oportet vnum duoq; exiſtere: ſiue enim nõ ſit vnum, ideoq; aliud quidem ſit intelligens, aliud intellectum, non erit vtique primò intelligens. Aliud nanque intelligendo, intelligẽs primò non erit, nempe quod intelligit non habet tanquam ſuum aliquid, & iccirco neque tanquam ſeipſum id habet: aut certè ſi tanquam ſeipſum habuerit vt præcipuè intelligat, duo hæc vnum erunt. Oportet itaq; ambo vnum exiſtere, ſiue vnum quidem non ſit, rurſus verò ſit duo, certè quod intelligat non habebit: quapropter neque erit intelligens. neceſſarium igitur eſt, quicquid intelligit eſſe ſimplex, ſimulatq; non ſimplex. Proinde ſiquis ab anima ſurſum aſcendat, apertiùs
F comprehendet quod intelligit eſſe tale. Hîc enim diuidere facilè eſt, ideoq; facilius aliquis deprehendat duplicitatem. Siquis igitur lumen duplex efficiat, animam quidem ſecundum minus purum, intelligibile autem animæ ſecundum eiuſdem purius: deinde faciat vt ipſum videns æquale ſit lumen lumini viſo, quum non habeat vltrà qua differentia ſeparet, duo hęc eſſe aſſeret vnum, quod quidem ideo ſit intelligens, quoniam exiſtit duo: at iccirco ſit iam videns, quoniam iam eſt vnum: ille igitur intellectũ ſic intelligibileq; apprehendet. Quamobrem nos quidem ratione noſtra ex duobus confecimus vnũ: illud autem contrà ex vno exiſtit duo, quoniam ſcilicet intelligit reddens ſeipſum duo: imò verò quia intelligit exiſtens duo: item quia ipſum eſt vnum intelligere poteſt.

MARSILIVS.

Intellectus ſeipſum intelligens in ſe multiplicitatem habet. Cap. II.

OMnis intellectus eſt quodammodo intelligibilis, non tamen omne intelligibile neceſſariò eſt intellectus. Ratio igitur ipſius intelligibilis alia & cõmunior & prior eſt quàm ratio intellectus. Intellectus igitur ſe intelligens diuerſas in ſe rationes habet. Præterea cum ipſo entium ordine eſſentia ſit etiam tempore prior q̃ intelligentia, meritò in primo ente eſt ſaltem origine prior. Ipſa igitur eſſentia in primo originis ſigno, ſecundum ſeipſam, nec dum eſt intelligens, nec intelligibilis actu, niſi ſubo-

A niſi ſuboriatur ei facultas intelligendi, quæ ſanè facultas non ſit intelligens actu, niſi cum intelligibili copuletur. Concludè, ſi ipſa entis eſſentia ad ipſam exiſtendi perfectionem non indiget intelligentia, hanc etiam præcedit, multò minus quod eſt ſuperius ente. Superius autem eſt illud, in quo non eſt prius aliquid & poſterius: nec abſolutarum duplicitas rationum, ſicut in ente & intellectu eſſe comperimus.

PLOTINVS.

SI igitur aliud quidem eſt primò intelligens, aliud autem eſt intelligẽs aliter, certè quod eſt primò intelligente ſuperius, non intelligit: intellectum nanq; oporteret eſſe vt intelligeret: ſi autem intellectus foret, intelligibile oporteret habere, ac ſi primò intelligeret habere intelligibile in ſeipſo: non tamen neceſſarium eſt quicquid intelligibile eſt, habere in ſe intellectum, & intelligere: eſſet enim non intelligibile tantùm, ſed & intelligens. Quumq; duo iam ſit, non eſſet vtique primum. Iam verò intellectus qui intelligibile poſſidet, nunquam conſiſtere poſſet, ſi non eſſet eſſentia eius quod eſt intelligibile purum, quod ad intellectum quidem intelligibile erit. Secundum verò ſeipſum neque intelligens, neque intelligibile propriè erit: nempe quod intelligibile dicitur, alteri intelligibile iudicatur: atqui & intellectus ſuam illam vim per quam intelligentia nititur, habet vacuam, niſi acceperit comprehenderitq; ipſum intelligibile quod intelligit. non enim abſque intelligibili habet intelligentiam: tunc itaque perfectus eſt, quando iam habet. Oportet autem antequam intelligat, perfectam penes ſe habere eſſentiã. Illud ergo ex quo ſecundũ eſſentiam perfectus exiſtit, idipſum
B eſt ante intelligentiam: quamobrem nihil huic opus eſt intelligentia, quum antè hanc ſufficienter exiſtat, itaq; nõ intelligit. Eſt igitur ſupremum aliquid quod non intelligit: eſt inſuper quod intelligit primò: eſt denique quod ſecundam quandam intelligentiam habet. Præterea ſi primum illud omnium principium intelligat, aliquid iam illi aderit: non erit itaque primum, ſed ſecundum: neque vnum, ſed iam multa, & profectò totidem quot & intelliget: quinimò ſi ſolùm intelligat ſemetipſum, multa rurſus euadet.

MARSILIVS.

Quouſq; fingis intellectum, ob id ipſum quod intelligat uel ſe uel alia ita multiformem euadere, ut ſint in eo multæ formæ inter ſe ex ipſa natura rei formaliterq; diſtinctæ, etiam ſi nulla illic relatio illis acceſſerit, nondum principij ſimplicitatem adinueniſti. Cap. III.

RVrſus ubicunq; multa inuicem componuntur, atq; ex multis conficitur unum, eiuſmodi multitudo eſt poſt ipſum unum. Deniq; omnis multitudo quæ aliud quiddam eſt quàm ipſa uanitas, & quodammodo opponitur unitati, neceſſariò eſt poſt ipſum unum, & particeps eſt unius. Platonica hæc Chriſtianis Theologis non aduerſantur, apud quos primum principium non habet formas plures, intelligendo plura, quomodocunq; intelligat, ſed per unam ſui formam actu unico ſe inſpiciens,
C omnia conſpicit, uidelicet ſimpliciſsimam formam ſuam conſiderans aliter ab alijs atque aliter imitandam. Præterea diuina Trinitas (ut Dionyſius Areopagita confirmat, & Gregorius Nazianzenus aſſerit) idem ibi eſt quod & ipſa unitas: ſanè ſicut lux & calor ſub cælo quidem diſtincta duoq; ſunt, in cælo ſunt unum. Quinetiam progreſsio & quies hic quidem diuerſa ſunt: ibi autem quies in progreſsione uerſatur, & progreſsio in quiete: ita in diuina natura qua ratione infinita eſt, motus cum ſtatu concurrit: nam ſi fingas infinitam motus uelocitatem reſolues in ſtarum, imò & tarditas atque uelocitas infinita dum in ſtatu deſinunt, in unum etiam inter ſe conueniunt. Virtus enim infinita omnia ſibi ſubitò unens, in ſe unit & mutuum, ut non mirum ſit apud Dionyſium & Nazianzenum, in natura diuina idipſum quod eſt unitas, ipſam quoque Trinitatem exiſtere, atque uiciſſim. Infinitudo enim uirtutis illic & propaginem agit intimam, æqualémque uſque in Trinitatem, ut aiunt, & ſeruat interim unitatem. Non eſt igitur ibi Trinitas tanquam multitudo quædam particeps unitatis, in ſuperiorẽ uidelicet unitatem referenda: eſt enim hæc unitas ipſa. Siqua uerò in diuinis diſtinctio eſt, per relationem quandam agitur, ut placet plurimis Chriſtianorũ, propterea quod relatio ſoleat differentiã afferre quãminimam, nihilq; componere. Addunt ſectatores Scoti, ſolam multitudinẽ illam Deo indignam eſſe, quæ per potentiã & actum compoſitionis alicuius eſt cauſa. Illic autem multitudinem ſiue perſonarũ, ſiue idearum non ita conſiderari, ſed omnia uelut

D actus quoſdam componentes nihil, neq; ex potentia exeuntes, imò tanquam radios quoſdam lucis ipſi luci penitus intimos atq; perpetuos, in quos lux ipſa ſimpliciter ſe propagat.

PLOTINVS.

CAeterùm ſiquis obiecerit, nihil obſtare quò minus primum hoc idem ſit et multa, reſpondebimus, oportere his multis vnum conuenire ſubiectum: nequeunt enim multa vel eſſe, vel vnum cõficere, niſi ſit vnum à quo vel in quo ſint: aut certè niſi vnum ſit omnino, idq; primum præter numerum reliquis inter ſe numeratis: quod quidem in ſeipſo ſolùm accipiendum eſt. Si autem vnà cum alijs ipſum ſit, oportebit hoc quidem acceptum vnà cum alijs, differens tamen à reliquis, iam cæterorum cõgregationi permittere: ipſum verò ſubiectum cunctis, non vlterius vnà cum cum cæteris, ſed ſecundum ſeipſum potius indagare. Quod enim in alijs idem eſt, ſimile quidem erit huic, neq; tamen hoc erit, verùm oportet ipſum eſſe ſolum, ſi modò ſit in alijs etiam deprehendendum, niſi forte quis dixerit eſſe ipſius nihil aliud exiſtere, quàm vnà cũ alijs habere ſubſtantiam. Quod ſi ita ſit, non erit vſquam ipſum ſimplex, ideoq; nec erit alicubi aliquid ex multis compoſitum: nempe tum quod nequit eſſe ſimplex, ſubſtantiam non habebit, tum quod compoſitum cenſetur ex multis, quum nuſquam ſit aliquid ſimplex, ipſum quoque non erit: nam quum vnumquodq; ſimplex
E eſſe nequeat, neque vnum aliquid ſimplex ſuo quodam fundamento ſubſtineat quod ex multis dicitur conſtitutum, vbi ſanè nullum eorum ſubſtantiam habere ſecundum ſe queat, neque etiam poſſit ſeipſum alicuius commercio adhibere, propterea quod omnino non ſit: quum igitur hæc ita ſe habeant, quonã modo poterit aliquid ex cunctis eſſe compoſitum? quod quidem ex his quæ non ſunt cõfectum fuerit: non dico quæ non ſint aliquid, ſed quæ omnino non ſint. Quamobrem ſiquid multa eſt, oportet ante multa vnum eſſe. Si igitur quod eſt intelligens multitudo quædam eſt, neceſſarium eſt, vbi nulla eſt multitudo, intelligentiam quoque non eſſe: id autem eſt ipſum primum. In his igitur quæ ſequuntur illud, intelligentia erit & intellectus.

MARSILIVS.

Quando bonitatem ipſam dicis, ſummam ſufficientiam prorſus intellige: igitur neque partibus eam componentibus, neque ullo prorſus eget additamento. Cap. IIII.

E St igitur & ſimplex in ſeipſa penitus, & nihil habet additum, quod non ſit ipſa bonitas. Noli igitur uel multitudinem ibi talem fingere, quæ conficiat ibi compoſitum, uel intelligentiam addere bonitati, ſic ibi diſtinctam, ut non ſit ipſa bonitas. Quandiu igitur intellectum conſideras, ut Plotinus, tanquam Solem, in quo intelligentia ſe habeat ad naturam ſuam, ſicut lux ad ſubſtantiam Solis luce priorem longeq; differentem, tandiu Deum ſummum intellectum eſſe nega. Cogita potius Deum tanquam lucem ſolam nõ in aliqua præter ſe natura, ſed in ſeipſa manentem, quam nihil uſquam latear, quandoquidem per ipſam ubique ſunt, patentq; omnia, quamuis intellectum nullum abs te intellectum, eſſe Deum ſummum debeas affirmare.

PLOTINVS.

PRoinde ſi ipſum bonum oportet eſſe ſimplex, nulliusq; egenum, nullo modo intelligentia indigebit. Illud autem quod ei neceſſarium non eſt, ipſi certè non aderit, quandoquidẽ ipſi omnino nihil adeſt. Non igitur huic intelligentia prorſus ineſt ulla, quãdo nec aliud quicquam. Præterea aliud intellectus eſt, aliud ipſum bonum: Intellectus enim boniformis euadit, ex eo quod intelligat bonum. Item quemadmodum in duobus ubi unum eſt & aliud, impoſsibile eſt hoc vnum quod eſt cum alio, vnum eſſe præcipuum, ſed oportet ipſum in ſe vnum eſſe ſuper illud vnum quod cum alio copulatur: ita neceſſariũ eſt, vbi vna cum alio aliquid vnũ coniungitur, quodãmodo accedens ad ſimplex, ſuper hoc extare ipſum ſimplex, nihil in ſe habens eorũ quæ ſunt in eo quod cum alijs copulatur. Vnde eñ aliud fit in alio, niſi prius exiſtat ſeorſum illud à quo fit aliud?

Quod

A Quod enim eſt ſimplex, fieri non poteſt ab alio: quod autem multiplex, aut ſaltem duo neceſſariò eſt ad aliud referendum. Iam verò comparare licet primum quidem ipſum lumini, ſecundum verò Soli, tertium deniq; Lunæ lumen à Sole trahenti. Anima enim aduentitiũ intellectum habet, qui eam cùm intellectualis ſit, colorat: intellectus autem in ſeipſo intellectuale lumen habet propriũ, neq; ſolùm lumen eſt, ſed hoc ipſum quod eſt, exiſtit in ſua eſſentia lucidũ. Quod aũt lumen hoc infundit, non aliud quidem in ſe exiſtens eſt & lumen, ſed ſimplex lumen exiſtit, præbens illi potentiã, vt hoc ipſum quod eſt exiſtat. Cũrnã igiť hoc indigeat aliquo? nõ enim idem eſt cum eo quod eſt in alio: Aliud nãq; eſt quod iacet in alio, quàm illud quod eſt penitus per ſeipſum ab omnibus expeditum.

MARSILIVS.

Si intelligere ſeipſum excogitas eſſe tanquam ad ſe reuerti, multitudinemq; ſibi innatam colligere ſecum, citò actionem eiuſmodi ſimpliciſſimo rerum principio minimè conuenire. Cap. V.

SI quomodocunq; intelligere putas eſſe ſtudium quoddam appetens ipſum bonum, uel tanquam uiſionem quærentem lumen, ne putes eiuſmodi intelligentiam competere illi quod ipſum bonum & lux ipſa infinitã cenſetur: nec enim ipſi bono appetitus ineſt boni, nec luci neceſſaria uiſio lucis cupida. Sicut numeri ad unitatem ſuam numeris priorem, & continua ad ſuam continuitate ſuperiorem, ſic eſſentiæ ad unitatem ſubſtantialem ſuperiorem eſſentia referuntur. Quæ ſi eminentior eſt quàm eſſentia, nimirum intelligentiam ſuperat illam quę eſt actus eſſentiæ: ſin autem ipſam boni & infinitæ lucis exiſtentiã intelligentia meliorem appelles intelligentiã quaſi cauſam intelligentiæ in
B ſe exiſtentem, quicquid ab intelligentibus exoptatur, ſic appellando forſan non aberrabis.

PLOTINVS.

PRæterea quod eſt in ſe multiplex, meritò ſeipſum quæret, optabitq; conſpicere ſecum, ſeq; mutuò vndiq; perſentire. Quod autem eſt penitus vnum, quónam ſe conferet ad ſeipſum, ſeq; excipiet? Vbinam ſenſu ſuiipſius intimo indigebit? Eſt enim idem ipſum omni conſpiratione ſenſus omniq; intelligentia melius: ſiquidem intelligentia non eſt primum. Neque enim primum obtinet gradum, ſiue quantum ad ſimpliciter eſſe ſpectat, ſiue quantum ad eſſe pertinet venerandum: imò verò ſecundum occupat locum, nataq; eſt poſtquam ipſum bonum extitit, ortaq; in eſſentia ſtatim eam prouocauit ad bonum. Hæc autem prouocata iam proceſſit ad illud, atque nouit: idq; ipſum eſt intelligere, moueri ſcilicet ad bonum, ipſius deſiderio boni: nempe deſiderium intelligentiam procreauit, eamq; ſedulò comitatur. Viſio nanque in appetitu quodam viſus ipſius conſiſtit ad videndum alliciente. Quamobrem ipſum bonum intelligere neque ſe neque quicquam oportet: neque enim præter ſe eſt aliud quicquam ipſi bonum: ſiquidem & quando aliud quicquam præter ipſum bonum intelli-
C git ſeipſum, ex eo prorſus intelligit quod eſt (vt ita dixerim) boniforme, & ſimilitudinem quandam habet ad bonum, & tanquam bonum ſibiq; euadens appetendum intelligit, & quaſi imaginationem boni iam nactum. Quòd ſi ita ſe ſemper habeat, ſemper idem efficiet: quinetiã in ſuiipſius cognitione ſorte quadam cognoſcit & illud. Cognoſcit nanq; ſeipſum interim ad bonũ ſuſpiciendo: nam rurſus ſe intelligit iam agens, actio verò omnium refertur ab bonum.

MARSILIVS.

Quum omnes potentiæ appetant actus primos, ideſt formas tanquam bonum aliquid, & actus primi ſecundos, ideſt actiones ſimiliter tanquã bonum, meritò principium rerum ſummopere ab omnibus exoptatum actus cognominatur, forma qualibet & actione ſuperior. Cap. VI.

INfinitus hic actus etſi non propriè dicitur agere, uel actionem rurſus habere, tamen hinc aguntur, huc agunt omnia: Hunc actum ne appelles intellectum uel intelligentiam qualem Plotinus ubiq; definit: nam apud eum in intellectu uel primò aliud eſt natura intelligens, aliud actus intelligendi: item eſſentia, uita, intelligentia ſunt ibi diſtincta. Rurſus differẽtes rerum ideæ inter ſe formaliter ab-

D ſolutáque ratione: differentes ſimiliter ab intelligentia per quam eas ipſa mens intelligit. Eiuſmodi differentias nec Platonici, nec Chriſtiani ſummo competere putant: denique ſummus ille non ideo ſe intelligit, ut ſibimet ſe copulet quaſi diſiunctum: nec ideo rurſus alia, ut ſic inde intelligendo proficiat: nam & melius aliquid rebus cognitione largitur, ideſt fruitionem ſui, & meliori modo quàm cognoſcendo ſe fruitur: & qui Deo fruuntur, per unitatem intellectu ſuperiorem fruuntur Deo. quod & Areopagita Dionyſius aſſerit.

PLOTINVS.

SI hæc rectè dicuntur, intelligentia nullum in ipſo bono locum habet: aliud nanq; oportet intelligenti bonum eſſe. Ipſum itaq; bonum ab actione penitus eſt expeditũ. Quid enim oportet actum agere? Nam omnino nullus actus iterum habet actum. Quòd ſi cæteris actibus qui referuntur in aliud, aliquid inſuper adhibemus, primò certè omnium actui in quem actus reliqui referuntur, nihil vltrà fas eſt adiungi, ſed ipſum id quod eſt duntaxat exiſtere. Talis itaque actus eſſe non poteſt intelligentia: non enim habet quod intelligat. Eſt enim primum. Rurſus intelligentia nõ intelligit, ſed quod intelligentiam habet. Duo itaque rurſus in intelligente fiunt: illud autem nullo modo eſt duo. Præterea magis adhuc aliquis id cognoſcet, ſi conſideraverit quomodo in vniuerſo ipſum in
E telligens certius naturam hanc geminam complectatur. Dicimus itaque entia ipſa vt entia, & ipſum vnumquodq; & quæ veræ exiſtunt, in mundo intelligibili eſſe: non ſolùm quia illa quidem eſſentia ſua ſemper eodem modo ſe habent: quæ verò ſenſibus offeruntur continuè fluunt. Forſan enim in genere quoque ſenſibili nonnulla ſunt quæ maneant, ſed potius quoniam eſſe ipſius perfectionem penes ſe habent. Oportet enim illam quæ primò eſſentia nuncupatur, non eſſe quandam eſſe ipſius vmbram, ſed eſſe plenum habere. Eſſe autem tunc plenum eſt, quando intelligendi viuendiq; ſpeciem accipit. Simul igitur in ipſo ente ſunt hæc, intelligere, viuere, eſſe. Si ergo ens eſt, conſequenter eſt intellectus, viciſſimq; ſi intellectus eſt, ens quoq; exiſtit: ibiq; intelligere ſimul eſt vnà cum eſſe. Ex quo fit vt intelligentia iam multa ſit, non vnum. Neceſſarium igitur eſt apud ipſum quod non eſt tale, neque etiam intelligentiam eſſe. Iam verò per ſingula in mundo intelligibili diſcurrendo, ibi quidem occurrit vbique notio gemina, ſcilicet hominis intelligentia, atque homo: item intelligentia equi & equus: rurſus intelligentia iuſti atque iuſtum. Omnia igitur duplicia ſunt. Illic vnum duo: illic viciſſim duo regrediuntur in vnum: ipſum verò primùm nec eſt ſingulatim horum aliquid, neque ex omnibus quæ duo ſunt: neque omnino
F duo. Quo autem modo ex vno duo fiant, alibi diſputatur. Verùm quum illud ſit per eſſentiam ſit, haud ab re ſuper intelligentiã eſſe cenſetur. Nec illud igitur abſurdè dicetur, ſi dicatur primum illud ſeipſum minimè noſſe. Quum enim omnino ſit vnum, nihil prorſus habet in ſe quod diſcat: ſed neque etiam alia oportet ipſum noſſe. Melius enim quiddam atque maius tradit illis, quàm ſit ipſa cognoſcere quod bonum eſt aliorũ. Potius enim tribuit vt in eodem quoad poſſent, illud attingerent.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEPTIMVS, VTRVM SINGVLORVM ETIAM SINT IDEAE.

MARSILIVS.

Quot numero homines naſcuntur in anno mundi magno, totidem ſeminales hominum rationes ſunt in natura uniuerſali, totidem fermè ideæ hominum in mente diuina. Cap. I.

VNaquæq; etiam rationalis anima numeratas in ſe naturaliter habet, quod ex ſe uitas uarias producturа eſt. Verùm ſicut quando dicimus omnia cęleſtia eſſe in terra, uiciſſimq; omnia terrena in cælo, intelligimus omnia pro natura loci, ideſt, in cælo quidẽ ratione cæleſti, in terra rurſum qualitate terrena

A terrena: ſic quando audimus animam noſtram eſſe omnia, accipere debemus ſecundum humanæ rationalisq; animæ proprietatem. Nunquã igitur anima tua producet uitas ipſas figurasq; brutis animalibus proprias, ſed humanas ſemper: quamuis ſimiles quodammodo brutis, & quandoque dæmonibus. Paucas ergo uitarum mutationes in anno mundi magno edere anima tua poteſt: præſertim cùm uitam in terris quidem breuiſſimam, ſuper terram uerò longiſſimam agat. In anno autem mundi ſequente non fit uitarum mutatio, ſed eorundem omnino hominum reſurrectio. Interim homines inter ſe differunt, non per materias tantùm, ſed per proprias etiam formas atque figuras, modosq; uarios genituræ. Differentia uerò formalis & ordinata quum nec à materia neq; caſu fiat, dependet ex formalibus quibuſdam rationibus, quæ & in natura & in mente uniuerſali conſiſtunt, neque ſunt infinitæ numero. Finitæ enim formæ in anno mundi magno gignuntur, in ſequente uerò eædem reuertuntur, cauſis eiſdem uidelicet reuertentibus. Verùm quonam modo ſunt res in materia plures quàm in anima, & in anima rurſum plures quàm in mente? Ita profectò quia res quædam in materia inter ſe numero differunt, uel per defectum formæ ex materia alicubi contingentẽ, quæ forma alibi eſt perfectior: uel per quantitatis diuiſionem. Differentiæ uerò ſimpliciter formales rationibus ſeminalibus adæquãtur. Rationes autem eiuſmodi ſunt in anima plures, quàm in mente ideæ: quoniam in natura animę ſemper eſt abſoluta diſtinctio rationum: mens autem minorem habet numerum idearum abſolutè inter ſe differentium. Poteſt enim mens eandem ideam ad diuerſa referre per actum intelligentiæ ſimul & uoluntatis, referens inquam foras aliter, & aliter imitabilem. Ex qua quidem relatione plura proficiſcuntur, idea interim non diuiſa.

PLOTINVS.

B NVNQVID etiam vniuſcuiuſq; eſt idea? Forſitan ſi ego & vnus quiſq; ad intelligibilem reducimur ordinem, ibi quoque eſt vniuſcuiuſq; principium. Forſan etiam ſi ſemper eſt Socrates, & Socratis anima ipſe Socrates erit, quatenus anima ſingulatim, ſic ibi Socrates & quilibet ſingulatim: ſin autem nõ ſemper eſt Socrates, ſed aliâs alia quodãmodo euadit anima, adeò vt animus qui nunc eſt Socrates, prius Pythagoras aliúsue fuerit, futuruſque ſit alius, non amplius vnuſquiſq; eorum qui hîc ſunt, eſt & ibi. Verũtamen ſi vniuſcuiuſque anima ſeminarias rationes habet omnium quæ exequitur atq; explet, rurſus ibi ſunt omnes. Nam fatemur quot mũdus rationes habet, totidem quoque ſingulas animas poſſidere. Quare ſi mundus nõ hominis tantúm, ſed ſingulorum etiam animalium complectitur rationes, anima quoq; rationes continet ſingulorum. Quamobrem infinitus ſequetur numerus rationũ, niſi certis temporum curſibus in idem reſtitutio fiat. Ita profectò infinitas ipſa finita demùm erit, quãdo eadem mundo reddentur. Cæterùm ſi quæ fiunt, omnino plura ſunt quàm exemplar, cúrnam oportet omniũ quæ in vna mundi reuolutione fiunt, rationes exemplariaq; extare? Videtur enim ſufficere homo vnus ad omnes homines, quemadmodum & animæ numeratæ ad innumerabiles homines effingendos: ſed enim non poteſt vnà eſſe ratio differentium, neque ſufficit homo
C ad exemplar multorum hominum inter ſe differentium, non materia tantùm in quam, ſed quamplurimis inſuper proprijs differentijs diſcrepãtium. Non enim hæc ita ſe habent, vt imagines Socratis ad exemplar, ſed differentem effectionem neceſſarium eſt ex differentibus rationibus proficiſci. Vniuerſa verò reuolutio omnes complectitur rationes: eademq; rurſus per eaſdem rationes regenerantur. Neque verò ſuſpicandum eſt, ne hinc in mundo intelligibili infinita multitudo ſequatur: tota enim illic multitudo in quodam indiuiſibili continetur, & quaſi illinc ſingula prodeunt quando agit.

MARSILIVS.

Quælibet anima naturaq; particularis ſeminales in ſe rationes continet omnium, quæ inde generanda ſunt, formalibus differentijs inter ſe diſtincta. Cap. 11.

p OSſunt autem hæc ita diſtingui, etiam ſi in eadem communiter ſpecie compatentur. Eiuſmodi uerò propria formarum diſtinctio in ipſa etiam naturæ uniuerſalis intentione præſcripta eſt: quoniam in eiuſmodi etiam diſtinctione ordo, decus, bonum uniuerſi cõſiſtit. Materia uerò nullam affert

D propriam formarum uarietatem, ſed formæ defectum. Quantitas quinetiam diuiſione ſua in rebus omogeneis facit alicubi numerum, nuſquam uerò uarietatem. Deniq; in anno mundi uno quæcunq; naturali ordine etherogenea generantur, inter ſe formaliter diſſimilia ſunt, ideo per differentes rationes efficiuntur: in ſequente uerò eadem omnia per eaſdem rationes ſub eiſdem cauſis recreantur.

PLOTINVS.

VErùm ſi rationum maſculi & fœminæ mixtiones fœtus differentes efficiunt, non amplius vniuſcuiuſque geniti ratio quædam erit. Et alteruter generantium velut maſculus non per differentes faciet rationes, ſed per vnam duntaxat ſuiipſius videlicet, aut patris. Sed fortè nihil prohibet etiam per differentes efficere, propterea quòd omnes ipſi poſſideant, quamuis alias temporibus alijs promptiores. Quid verò, quando ex eiſdem genitoribus diuerſi naſcuntur? Fortè quia nõ æqualis ſemper fit exceſſus, atque dominatio: ſed enim illud ita ſe habeat, ſi modò non tantùm in apparendo differentia ſit, imò aliquando quidem ſecundum maſculum fiat exceſſus, aliquando verò ſecundum fœminam: aut fortè ſecundum æqualem partem tradat vterque, totum tamen tradatur, ſitq; naturaliter inſitum, dominetur autem vtrique materiæ parti aut alteri.

E Verùm quonam pacto differentes fore iudicantur, qui in alia parte concipiuntur? Nunquid igitur ipſa materia differentiam affert, diſſimiliter ſcilicet ſuperata? Quod ſi ita ſit, proles omnes vna excepta præter naturam erunt: ſi autem ipſa varietas vbique pulchrum quiddam eſt, meritò non vna vbique ſpecies extat. Atqui quod ſecundum materiam eſt, deformitati ſoli attribuendũ eſt: nempe in cauſa ipſa rerum artifice perfectæ rationes occultæ quidem ſunt, totæ verò traduntur. Sed eſto quidem rationes ſint differentes, quid præterea oportet eſſe totidem, quot ſunt quæ in vna mundi reuolutione gignuntur? Siquidem fieri poſſit, vt eiſdem adhibitis rationibus, differentes tamen extrinſecus euentus appareant. Sed profectò conceſſum eſt ita fieri, etiam vbi rationes totæ traduntur. Quæritur autem vtrum ita etiam fiat, vbi rationes eædem dominantur: An igitur totidem rationes eſſe neceſſarium eſt? Quoniam effectus omnino idem, in altera duntaxat mudi reuolutione reddi poteſt: in hac autem reuolutione nihil omnino ſit idem.

MARSILIVS.

Natura quoniam non per aliquid additum eſſentiæ ſicut ars, ſed per eſſentiam agit, ideo in eſſentialibus rationibus uarietatem generandorum meritò continet. Tota igitur ſingularum rerũ diſpoſitio in anno mundi tranſigenda deſignata eſt ab

F *initio in mente opifice mundi, & in mente animæ mundanæ eiuſdemq; natura.* Cap. III.

ANnum uerò mundi magnum expleri plerique putant, quando cæleſtia omnia ad eandem prorſus, & in ſeipſis & inuicem diſpoſitionem quam habent hodie reuertentur. Hoc ſpatium alij triginta ſex, alij trigintanouem annorum ſolarium numero, alij aliter metiuntur, alitérue putant.

PLOTINVS.

AT quonam pacto in multis geminis rationes differentes eſſe dicemus? Quòd ſi per alia inſuper animalia quis diſcurrat, præſertim quæ multos fœtus coitu vno concipiunt, quidnam dicemus? An fortè vnam illic eſſe iudicabimus rationem, vbi fœtus inter ſe minimè differunt? At ſi ita ſit, nõ vlterius quot ſingula fiunt, totidem & rationes erunt. Nunquid quot differentia fiunt ſingula? differentia inquam, non ex eo quòd ſecundum ſpeciem ipſam deficiant, totidem rationes eſſe cenſebimus. Verùm quidnam prohibet quo minus fœtibus quoq; minimè diſcrepãtibus, differentes tamen rationes exhibeamus, ſiqua modò fiant prorſus indifferentia? nempe artifex, quamuis indifferentia faciat, interea tamen ipſum quod dicitur idem, differentia quadam accipit rationali ſecundum quam diuerſum facit, adhibens ſcilicet ei quod eſt idem aliquid differens. Sed penes naturam vbi rerum diuerſitas non ratiocinatione varia, ſed varijs tantùm pro-

A tùm prouenit rationibus, oportet ſpeciei connexam eſſe diuerſitatem. Nos autem differentiam diſcernere non valemus. Profectò ſiquid temeritatis in generatione rerum admitteretur, ratio alia foret: ſin autem menſura definitũ eſt quot quæque proueniant, certè quantitas & multitudo determinata erit ipſa rationum omnium euolutione atque explicatione, adeò vt quando finem acceperint omnia, aliud iam exordium retexatur. Quantum enim oporteat eſſe mundum, quót ue in eius vita tranſigi debeant, conſtitutum eſt ab initio in eo qui omnium continet rationes. Nunquid igitur & in cæteris animalibus in quibus vnico partu plurima procreantur, rationes totidem aſſeremus? Fortè non eſt timendum, ne propterea in ſeminibus rationibuſq; infinita multitudo cõtingat, quum anima omnia cõplectatur. Neq; etiam in intellectu vel anima turba continget innumerabilis: quippe quũ rationes horum illic omnes viciſſitudine quadam expeditè quandoq; in promptũ eædem ſtatutis temporibus reuertantur.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER OCTAVVS, DE INTELLIGIBILI PVLCHRITVDINE.

MARSILIVS.

Pulchritudinem eſſe naturalem in intellectu etiam humano apparet, quia materiam rudem reddit pulchram. Cap. I.

B NEque ſolùm imitatus foris opera naturalia id efficit, ſed etiam uſus rationibus intimis, quando uidelicet emendat quoſdã naturæ defectus. Hinc concludimus, formam pulchritudinẽq; in mente præſtantiorem eſſe, quàm in nullo artis opere. Adde potentiorem, quoniam in opere quidem diſtracta eſt, in mente uerò prorſus unita.

PLOTINVS.

QVVM fateamur animũ qui mundum intelligibilem contemplatur, veriq; intellectus pulchritudinem intuetur, poſſe quandoque huius quoque patrem mente ſuperiorem animaduerte re: agite iam, conemur pro viribus cernere, nobisq; ipſis expri mere quantum talia explicari poſſunt, qua potiſſimum ratione pulchritudinẽ mentis mundiq; illius perſpicere valeamus. Finge itaq; moles duas lapideas prope ſe poſitas: quarum altera quidem incompoſita ſit & artificioſi muneris expers: altera verò per artem in ſtatuam iam exſculta, ſiue diuinam ſiue humanã: ac ſi diuinã, alicuius Gratiæ ſtatua ſit, vel Muſæ: ſin humanam, non ſit homínis alícuius, ſed cuiuſdam potius quem ars ex pul
C chris omnibus congregauerit. Lapis igitur ab arte in pulchritudinem ſpeciei diſpoſitus, pulcher protinus apparebit, ſed non propterea quòd ſit lapis: alioquin altera quoq; moles ſimiliter formoſa foret: ex eo igitur quod ſpeciem habeat quam ars adhibuit. Hanc itaq; ſpeciem materia non habebat, ſed erat hæc in excogitante prius quàm in lapidem deueniret: Erat autem in artifice, nõ qua ratione ille oculos & manus habebat, ſed quoniam arte præditus erat. Erat igitur in arte pulchritudo hæc multò præſtãtior. Non enim ſpecies ipſa in arte conſiſtens venit in lapidẽ, ſed manet illa quidem, alia verò ab illa interim prodit ea minor, neq; pura permanet in ſeipſa, neq; qualis optabat artifex, ſed quatenus arti materia paruit. Si autem ars, quod eſt & habet tale quoq; facit, facit autẽ pulchrum ſecundũ rationem qua & agit: profectò magis veriusq; pulchra eſt artis pulchritudinem poſſidens, maiorem excellentiorẽq; omni eo quod prodit exterius. Quatenus enim forma procedens in materiã iam extenditur, eatenus debilior ea ſit quæ manet in vno. Quicquid enim in ſe diſtantiã patitur, à ſeipſo diſcedit: ſi robur, in robre: ſi caliditas, in calore: ſi omnino potentia, in potentia: ſi

D pulchritudo, prorſus in pulchritudine. Iam verò primùm omne efficiens ſecundum ſeipſum oportet præſtantius eſſe facto: non enim in muſica muſicum, ſed muſica facit, & muſicam in ſono ſenſibili procreat muſica ſuper ſenſum. Siquis autem artes contempſerit, quoniam naturam imitantes faciunt, reſpondendum erit, primò quidem naturas quoque alia imitari: deinde artes non ſimpliciter quod cernitur oculis imitari, ſed ad ipſas recurrere rationes, ex quibus conſtat, agitq; natura: præterea multa ex ſeipſis facere, & adiũgere inſuper aliquid, vbi quicquam perfectioni deeſt, vtpote quæ in ſe habeant pulchritudinem. Denique Phidias ipſe Iouem finxiſſe poteſt, nullum ſpectaculum propriè ſenſibus imitatus, ſed imaginatus talem, qualis ipſe Iupiter appareret, ſiquando noſtris oculis occurrere vellet.

MARSILIVS.

Pulchritudo in opere naturali eſt forma quædam, non quomodolibet impreſſa materiæ, ſed tunc impreſſa ab ipſa natura, quando natura excellentius materiæ dominatur. Cap. 11.

NOn enim hoc opus eſt pulchrum per materiam uel quantitatem: alioquin quod materialius aut grandius, idem foret & pulchrius, ſed ratione excellentioris cuiuſdam formæ quaſi iam immaterialis effectæ. Hinc ergo fit, ut ſpecies tunc primùm quaſi pulchra te rapiat, quando uiſum ingreſſa
E iam eſt ibi ſpiritalis effecta: & tunc maximè quando uehementius cogitatur. Denique ſpecies in moribus atque diſciplinis, quæ immaterialis eſt omnino, tanquam pulchra nos capit amore. Eſt autem immaterialis in natura formoſitas naturali admodum mirabilior. Natura enim nec aduentitio quodam habitu, nec extrinſecus elaborans ſicut ars, ſed eſſentia ſua intrinſecusq; dominans facilitate mira exhibet materiæ pulchritudinem.

PLOTINVS.

SEd in præſentia miſſas faciamus artes. Quorum verò opera imitari dicũtur, pulchra naturaliter effecta conſideremus, rationalia ſcilicet animalia & irrationalia cuncta, præſertim quæcunq; inter hæc exactius ſunt abſoluta: vbi ſcilicet fictor ipſorum atq; faber materiæ dominatus, ſpeciem quam optabat adhibuit. Quidnam igitur in his eſt pulchritudo? Non enim ſanguis & menſtrua, ſed color atq; figura ab his diuerſa, aut nihil, vel aliquid ſine figura & inconcinnum, aut velut quod continet ſimplex aliquid, ceu materia. Vndénam orta eſt pulchritudo Helenæ, pro qua tam ingens certamen eſt ſuſcitatum? vnde cæteræ formę Veneri ſimiles illuxerunt? Atqui & ipſa Veneris forma vnde ſurrexit? Aut ſiquis hominũ ex integro pulcher, vel Deus, ſiue eorum qui nobis veniunt in aſpectum, ſiue eorum qui non veniunt quidem, habent tamen in ſe conſpicuam pulchritudinem. Nonne igitur ſpecies vbique hæc eſt, deſcendens in id
F quod naſcitur ex ipſo quod generat, ſicut in artibus dictum eſt, pulchritudinem in artificia ab artibus proficiſci. Quid ergo? pulchráne opera quidem ſunt, ratioq; in ipſa materia? Ratio verò quæ non eſt in materia, ſed in agente, prima & à materia libera non eſt pulchritudo, ſed in vnum hæc ipſa redigitur. Cæterùm ſi moles qua ratione moles eſt, pulchra foret, ſequereť certè rationẽ ipſam agentem, quoniam non eſt moles, non eſſe pulchram: ſin autem ſiue in parua, ſiue in magna quadam mole ſit ſpecies eadem ſimiliter mouet, afficitque ui ſua animum intuentis, certè pulchritudo non eſt magnitudini molis attribuenda. Hinc rurſus ad idem ſumitur argumentum: quoniam quatenus forma eſt extra animum, non percipimus, neque inde mouemur: quum verò animo iam concipitur, afficit. At verò per oculos ipſa rerum ſpecies tantùm influit, alioquin non poſſent per anguſtiſſimum ampliſſima penetrare. Contrahitur verò etiam magnitudo, non magna quidem in mole, ſed ſpecie potius magna. Præterea, ipſam effectus pulchri cauſam oportet aut eſſe deformem, aut indifferentem, aut pulchram: Si deformis eſſet, certè contrarium non efficeret: Si indifferens, cúr nam pulchrum aliquid potius faceret quàm deforme? Sed profectò natura rerum artifex tam pulchrarum, multò prius magisq; eſt pulchra. Nos autem quum nihil

intimum

A intimum inſpicere ſoleamus, & intima penitus ignoremus, nimirum extrinſeca ſequimur, ignorantes interea intrinſecus latêre quod mouet, perinde ac ſiquis ſuam videns imaginem, & ignorans vnde venerit, eam ipſam ſequatur. Eſſe verò aliud quiddam quod ad ſe attrahit proſequentes, neque in magnitudine conſiſtere pulchritudinem, teſtimonio nobis eſt pulchritudo, quæ diſciplinis ineſt & officijs, & prorſus in animo: vbi certè reuera magis pulchritudo viget, quando ſcilicet in animo quodam ſapientiam contemplaris, & contemplatus delectaris, & amas, faciem tunc corporis non aſpiciens, quæ forte non ſit formoſa, ſed tota corporis forma poſthabita, intimam pulchritudinem ſequens. Sin autem nondum animus ille te mouet vt appelles pulchrum, neque etiam interiorem te intuitus, teipſo delectaberis velut pulchro. Quapropter fruſtrà ſic affectus, veram intimámque pulchritudinẽ indagabis: ſic enim non puro quodam, ſed turpi perquires: ideoque verba de rebus eiuſmodi non ad omnes habentur. Quòd ſi & tu teipſum inſpexeris pulchrũ, hinc iam ipſius pulchritudinis reminiſcere.

MARSILIVS.

Pulchritudo apparens in materia eſt imago quædam pulchritudinis, quæ præſtantior in natura viget: Hæc autem eius imago quæ eſt in anima intellectuali maior: Hæc tandem illius quæ prima eſt in mente diuina.

Cap. III.

B FVlget autem pulchritudinis ſplendor ex intellectu diuino in intellectum animæ caput, quemadmodum lumen à Sole ſemper in ſtellam, ſubinde in uirtutem animæ rationalem ſicut in Lunam, quatenus ad ſuperiora conuertitur. Fruſtra uerò quid ipſa pulchritudo ſit quærit animus, qui ſe per eiuſmodi conuerſionem pulcherrimum non reddiderit. Si uerò reddiderit, quandoque ſuam inſpiciens pulchritudinem, ſuſpiciet inde ſuperiorem: ac per ſuum intellectum iam purgatum uelut per aurum quoddam quod erat in mole, diuinum intellectum uelut aurum uniuerſum, ſincerumq; contemplabitur, aliter non quærendum. Denique prima pulchritudo eſt prima intelligentiæ plenitudo. Dij ſimpliciter intellectuales per ilius participationem pulchri dijq; ſunt: per eandem dij quoq; cæleſtes, ideſt mundani omnes, qui ſanè cæleſtes dij directo quodam intuitu diuina cognoſcunt, humana uerò deflexo proſpiciunt, atque gubernant. Dij tandem ſimpliciter intellectuales qui in intellectuali cælo ſunt, non gubernare ſaltem qua ratione ibi ſunt, ſed contemplari dicuntur. Quicquid eſt in cælo intellectuali, eſt ſimiliter intelligibile cælum, ibi uerò ſunt omnia.

PLOTINVS.

EST igitur pulchritudinis ratio in natura exemplar pulchritudinis huius quæ apparet in corpore: exemplar autem pulchritudinis naturalis eſt ratio quædam in anima pulchrior, à qua profluit pulchritudo naturæ: Clarior autem hæc eſt in anima proba & pulchritudine iam ipſa progrediens: nempe exornans animum, luménque præbens à maiori lumine quod prima etiam eſt pulchritudo.

C Sic inquam exiſtens in anima ad ratiocinandum inducit, qualiſnã ſit ratio ſuperior pulchritudinis, quæ in nullo fit amplius nec in alio iacet, ſed in ſe permanet. Itaq; nec ratio quidem eſt, ſed primæ rationis auctor: quippe quum ratio prima ſit pulchritudo quædam in anima ceu materia: Ipſe verò auctor intellectus eſt, qui et ſemper eſt intellectus, nec intellectus aliquando, quoniã ipſi non aliunde aduenit intellectus, ſed quãpotiſſimum imaginẽ intellectus ipſius accipiemus. Quæcunq; enim aliunde quæretur, à deteriori quodã proculdubio requiretur. Imago igitur intellectus eſt ab intellectu quærenda, adeò vt non per imaginẽ de ipſo loquamur, ſed tanq; de auro vniuerſo aurum quoddã accipiamus indiciũ. Ac niſi acceptum aurum adhuc ſit purum, aut re ipſa, aut ſaltem oratione purgemus, demonſtrantes hoc à nobis acceptum, non eſſe aurum vniuerſum, ſed aurum quiddam duntaxat in mole. Sic itaque ab hoc qui in nobis eſt intellectu iam purgato, ad intellectum ipſum altius aſcendamus: ac ſi placet à dijs ipſis progrediamur, inſpicientes videlicet qnalis in eis ſit intellectus.

D Dij nanque omnes pulchri, venuſti, venerandi, inæſtimabili decore pollentes. Verùm qúidnã eſt quo dij ſunt tales? Eſt vtique intellectus: intellectus inquam potiſsimum in eis agens vt videantur. Non enim ex eo quòd eorũ pulchra ſunt corpora: nam & quibus corpora ſunt, non hoc ipſum eſt eſſe deos, ſed ſecundum mentem hi quoq; dij ſunt, non inquam ex eo quòd pulchra illis adſunt corpora, dij pulchri cenſentur. Non enim aliâs quidem ſapientes ſunt, aliâs verò ne quaquam, ſed perpetuò ſapiunt mente tranquilla ſtabiliq; & pura, intelliguntq; omnia, & cognoſcunt non humana propriè, ſed ſua, ideſt diuina, & quotcunq; intellectus ipſe cernit. Deorum verò hi quidem qui cælum habitant, ocio nanque abundant, aſſiduè contemplantur, ſed quaſi eminus quæ in primo ipſo ſunt cælo, ſupereminenti ceruice: hi verò qui in illo ſunt, quotcunq; habitationem illic ſortiti ſunt, contemplantur, totum illic cælum habitantes. Omnia enim ibi ſunt cælum, illic terra cælum eſt: illic mare, animalia, plantæ, homines cælũ ſunt: quicquid denicq; eſt illius cæli, cæleſte. Dij verò illic habitantes non dedignãtur homines, neque aliud quicquã eorum quæ ibi ſunt, ob hoc ipſum quod ex diuinorum numero ſunt: omnem nanque regionem illam diſcurrunt, locumq; com
E prehendunt conquieſcentes.

MARSILIVS.

Supra cælum corporeum in cælo incorporeo ſunt dij duplices, ſcilicet intelligibiles atq; intellectuales. Illi quidem ſunt ideæ, hi uerò intellectus omnes æterna idearum contemplatione beati. Cap. IIII.

INtellectus diuinus ſic in ideas ſe deriuat, ut totus conſeruetur in ſingulis, ſed ſub alia in alijs proprietate. Nec tam dicendum eſt ideas eſſe in intellectu, quàm intellectum ipſum ipſas ideas exiſtere, omniformẽ uidelicet ex uniformi ſeipſo mirabiliter prodeuntẽ. Si cælum ſimiliter ſe deriuat in ſtellas, in qualibet ſtella & cælum eſt totum, & ſtellæ omnes, ſed proprietate diuerſa. Quod igitur Anaxagoras ait, quodlibet eſt in quolibet, non tam in mundo ſubcæleſti, uerumetiam ubi unio minima quàm in mundo ſupercæleſti, ubi unio maxima: quodammodo etiam in cæleſti, ubi mediocris eſt unio. Vbi uerò Plotinus probat, diuinorum contemplatores inde nunquã diſceſſuros. Accipe quod Porphyrius & Iamblichus attigerunt: animos etiam noſtros ad ſimilem poſſe beatitudinem peruenire. Non commouebitur in æternum qui habitat in Hieruſalem. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te.

PLOTINVS.

F HVc tendunt quæ à Platone in Phædro traduntur, facilem ſcilicet illic ſuperos vitam agere, veritatemq; ipſam eorum genitricem eſſe atq; nutricem, & eſſentiam & nutrimentum: item illos omnia cernere, non illa quidem quæ generationi ſubiecta ſint, ſed quæ ſint in eſſentia: videre quoque ſeipſos in alijs. Omnia enim illic vndique perſpicua ſunt. Nihil ibi tenebroſum, nihil obſiſtens, ſed omnis illic omnibus eſt conſpicuus, intrinſecus atque per omnia. Lumen nanque lumini occurrit vbique. Quilibet in ſe habet omnia, & omnia rurſus in alio conſpicit. Cuncta igitur vbique ſunt. Omne illic eſt omne. Illic quodlibet eſt vniuerſum. Splendor ibi micat immenſus. Quodlibet enim ibi magnum eſt, quandoquidem & paruum illic eſt magnum. Ibi ſol ſtellæq; omnes. Vnaquæque ſtella ſol eſt, & ſtellæ ſimiliter omnes. Præcellit autem in quolibet aliud, ſed interim in quouis cuncta conſpiciuntur. Eſt ibi motus proculdubio purus: non enim procedentẽ confundit motum motor alienus à motu. Status etiã illic nulla mutatione turbat: nõ enim inſtabili naturæ miſcetur. Pulchrũ ptæterea ipſum pulchrũ eſt, quoniam nõ iacet in pulchro. Permanet verò quilibet non quaſi in alieno pauimento quodam, ſed vniuſcuiuſque fundamentum eſt, idipſum quod vnũquodq; eſt: cumq; ipſo concurrit quaſi ſurgenti idipſum vnde extat: neque ipſum quidem aliud eſt, ſedes verò eius eſt aliud: nam & ſubiectum intellectus eſt, & ipſum eſt intellectus: velut ſiquis cogitet cælum

hoc ocu-

hoc oculis manifeſtum atque lucidum, per lumen hoc ſuum germinare coaleſce
A req; in ſtellas. In rebus quidem corporeis non prodit ex alia parte vbique pars
alia, ſed vnaquæque pars ſola ipſa eſt. Illic autem ex toto quodlibet vbique prodit, ſimulq; extat quodlibet atque totum. Apparet quidem pars: inſpicitur quo
que ab eo qui acutè cernat & totũ, ceu ſiquis talis ſit viſu qualis fertur fuiſſe Lyn
ceus, qui intima terræ traditur radijs oculorum penetrare conſueuiſſe. Hanc e-
quidem fabulam ſupernorum oculorum perſpicaciam ſignificaſſe arbitror. Exi
ſtimandum preterea eos qui illa vident, nunquam in videndo defatigari, neque
ſatietate vlla vnquam adduci, vt videre deſiſtant. Neque enim vacuitas erat in
aliquo, vt deinde impletus & ſatur finem faciat intuendi: neque hoc quidem
aliud eſt, illud verò ſic aliud, vt alteri eorum quæ ſunt in eo illa quæ ſunt alterius
minimè placeant. Præterea indomita illic & indefeſſa ſunt omnia. Quód ue ibi
dicitur inexplebile, propterea tale dicitur quòd plenitudo eius nunquam ef-
ficit, vt ſpernat implentem: videndo nanque magis aſsiduè cernit, atque perſpi
ciens infinitum ſeipſum & quæ videntur naturam ſuam ducem ſequitur. Iam ve
rò nullius vita laborioſa eſt, quando eſt vita pura, quódue optimè viuit, cúrnam
laboret? Vita verò illic eſt ſapientia, ſapiẽtia verò nullis argumentationib. com-
parata, quoniam ſemper tota fuit, nec vlla parte deficiens, ex quo indagine indi
geret: ſed eſt ſapientia prima, neque ab alia ſapientia pendens, atque ipſa ibi eſ-
ſentia ſapientia eſt: neque prius quidẽ intellectus ipſe eſt, deinde ſapiens. Hanc
igitur ob cauſam nulla eſt ſapientia maior, atqui illic ipſa ſcientia mentis ipſius
collega eſt, propterea quòd ſimul pullulant: quemadmodum imitatione qua-
B dam tradunt, iudicium iuſtitiamq; Iouis ipſius eſſe collegam. Omnia enim hu-
ius generis ibi velut ſimulachra, imò exemplaria quædam extant ex ſe & in ſe-
ipſis vbique perſpicua, adeò vt horum ſpectaculum proprium ſit pluſquam fe-
licium ſpectatorum. Ipſius igitur ſapientię magnitudinem & potentiam ex hoc
potiſſimum conſiderare licet, quoniam vna ſecum habet, fecitq; entia: nam quę
verè ſunt omnia, ſecuta ſunt ſapientiam, perq; ipſam cuncta conſiſtunt, vnáque
cum ipſa ſunt exorta, vnũq; ſunt ambo: eſſentia denique illic eſt ſapientia. Nos
autem ad hanc ipſam cognitionem nondum accedimus, quoniam ſcientias eſ-
ſe putamus ſpeculationes quaſdam, atque regulas, propoſitionúmque conflu-
xum: quod quidem neque ſcientijs quidem noſtris eſt tribuendum. Siquis au-
tem de noſtris ſcientijs ambigat, miſſas in preſentia faciamus, ſed operę pretium
fore videtur, exordio hinc iterum ſumpto, de illa ſcientia diſputare, quam illic re
gnantem Plato ſuſpiciens inquit: Scientia quidem illa non alia eſt in alio. Quo-
modo verò ſe habeat, perquirere atque inuenire nobis reliquiſſe videtur, ſi mo-
dò appellatione eiuſmodi nos dignos profiteamur.

C MARSILIVS.

Quum ars naturam imitetur, & natura Deum, atq; ars quidem per ſapientiã quandam agat, Deus autem per ipſam ſimpliciter ſapientiam, conſequens eſt, ut natura per ſuam quandam agat ſibi inſitam ſapientiam. Cap. V.

SI omnia per ſapientiam ſuam reportant eſſentiam, ſequitur ut ſapientia prima ſit eſſentia prima. Sapientia per induſtriã comparata, quæ eſt ars humana, dependet à ſapientia nobis innata, & natu
ræ ſapientiã imitatur. Hæ uerò tres ſapientiæ quia ſunt in alio, referendæ ſunt ad ſapientiã primam, quæ in ſeipſa ſit, ubi uidelicet ſapientia ipſa eſt eſſentia. Sapientia quidem artis humanæ coaceruata eſt ex multis actibus meditationum atque ſermonum: ſapientia uerò naturaliter nobis inſita, & ſa-
pientia ipſius naturæ atque Dei, eſt una quædam forma ſe præferens omniformem ceu uultus unus, non ſicut oratio uel diſputatio una: nam ante unum ex multis coaceruatum eſt unum, quod ſeipſum euoluit in multa, & ante hoc ipſum ſimpliciter unum.

D PLOTINVS.

QVæcunque vel arte vel natura fiunt, ſapientia quædam facit, & vbique actionem ſapientia ducit. Sicubi verò ſapientia quædam fiat, ſint ſane artes eiuſmodi. At artifex ipſe rurſus in naturalem ſapientiam reuocatur, ſecundum quam ars & quodlibet opus agitur: ſecundum quam inquam non amplius ex ſpeculationibus congregatam, ſed totam vnum quiddam: neque compoſitam ex multis in vnum, ſed ab vno potius in multa ſe reſoluentem. Siquis igitur ſapientiam hanc primam eſſe poſuerit, iam ſufficiet, quum enim non ſit ex alio, neque etiam erit in alio. Sin autem rationem quidem in natura, huius verò principium naturam eſſe dixerit, interrogabimus vndenam natura habeat rationem: Quòd ſi habere dicatur ab alio, de alio rurſus illo quæremus: ac ſi ex ſeipſo habeat, iam ibi conquieſcemus. Proinde ſi in mentem ipſam confugiant, ibi rurſus inueſtigandum, nunquid mens genuerit ſapientiam. Quod ſi fateantur, vndenam quæremus? Si autem ex ipſa conceperit, non poteſt id feciſſe, niſi mens ipſa ſapientia ſit. Vera igitur ſapientia eſt eſſentia: ac vera viciſſim eſſentia ſapientia eſt, ipſaq; eſſentiæ dignitas à ſapientia vendicatur. Conſtat enim
E eſſentiam veram à ſapientia eſſe. Quamobrem quæcunque eſſentiæ ſapientiam non habent, ex eo quidem quòd per ſapientiam quandam factæ ſunt, eſſentiæ ſunt: ex eo autem quòd in ſeipſis nullam poſsident ſapientiam, non ſunt eſſentiæ veræ. Nemo igitur exiſtimare debet in mundo intelligibili vel deos ipſos, vel habitatores illic alios pluſquam felices ibi quaſdam propoſitionum regulas contemplari, ſed ſingula quæ illic eſſe dicuntur, velut exemplaria quædam & ſpectacula pulchra intuẽtibus ſe offerre, qualia forſan imaginetur aliquis in animo ſapientis exiſtere. Dico autem non ſimulachra depicta, ſed exiſtentia: quapropter ideas antiqui entia & eſſentias appellabant.

MARSILIVS.

Sacerdotes Aegyptij ad ſignificanda diuina myſteria non utebantur minutis literarum characteribus, ſed figuris integris herbarum, arborum, animalium: quoniam videlicet Deus ſcientiam rerum habet non tanquam excogitationem de re multiplicem, ſed tanquam ſimplicem firmamq; rei formam. Cap. VI.

EXcogitatio temporis apud te multiplex eſt et mobilis, dicens videlicet tempus quidem eſt velox, & reuolutione quadam principium rurſus cum fine coniungit: prudentiam docet, profert res, & aufert. Totam verò diſcurſionem eiuſmodi una quadam firmáque figura comprehendit Aegyptius alatum ſerpentem pingens, caudam ore prenſantem: cæteráque figuris ſimilibus quas deſcribit Horus.

PLOTINVS.

VIdentur verò mihi ſapientes Aegyptiorũ ſiue conſummata quadã ſapientia ſiue naturali etiam mentis inſtinctu, vbi conſtituerunt ſapientiæ myſteria nobis ſignificare non vſi fuiſſe figuris literarum ſignificaturis ſermonis diſcurſiones & propoſitiones quaſdam, & imitaturis voces pronuntiationéſque regularum, ſed potius deſcribentes imagines rerum ſingulas ſingularum, eáſque depingentes, in ſacris clam rei ipſius diſcurſum ſignificauiſſe: quod videlicet ſcientia & ſapientia quædam ſit vnaquæque imago ſiue exemplar & ſubiectum illud ſpectaculum totum vnà collectum, neque ſit excogitatio quædam, neque conſilium. Poſtea verò ab ipſa imagine exemplari ſiue ſapientia ſimul tota, ſimulachrum in alio quodam fiat iam euolutum, atque loquens in diſcurſione quadam & cauſas, propter quas ita res inſtitutæ ſint inueniens, dum videlicet diſpoſitio rerum quod ita bene ſe habeat, mouet admirationem. Hinc ait eum admiraturum ſapientiam qui conſiderauerit, quomodo ipſa non habens eſſentiæ ſuæ cauſas propter quas ita ſe habeat, ſiue agat, ſic ſe habere præbeat, vt ſe habent his quæ ſecundum ipſam efficiuntur. Hoc

ipſum

ipſum igitur quod dici poteſt diſpoſitionem rerum, ita vt eſt bene ſe habe-
A re, quod quidem ex inquiſitione vix tandem aut nullo modo fit manifeſtum, quod videlicet ſic habere ſe res oporteat, ſi quis modò inueniat hoc ipſum inquam, oportet in mundo intelligibili ante omnem inquiſitionem & argumentationem ita ſe habere atq; conſtare: ſed accipiamus iam in vno quod loquor magno quod omnibus quoq; ſit conſentaneum.

MARSILIVS.

Scientia Dei non eſt argumentationi uel conſilio ſimilis, ſed diſpoſitioni potius naturali. Cap. VII.

NOn enim uel poſito principio deinceps per media concluſionem colligit, uel conſtituto fine conſequenter uias modosq; ad finem conſequendum eligit, deinde agit ſicut deliberauit: ſed quoniam ipſe eſt ſuapte natura omnifariam ita diſpoſitus, ideo naturaliter ſic & agit: quemadmodum ſemen multiformiter ſic affectum, prolem ita generat multiformem. Sed omniformis illa natura Dei ipſa eius intelligentia eſt ideis omnibus inſignita, non ſicut tabella figuris, ſed ſicut cælū ſtellis, quæ & ipſæ ſunt cælum. Facillimè uerò facit, quoniam ſuapte natura facit, atque ipſa eſt uniuerſum. Fermè ſimiliter agit anima noſtra, quando ad habitum ſe reuocat omniformem.

PLOTINVS.

NVnquid putamus hoc vniuerſum quod ab alio confitemur eſſe, taleq; exiſtere, eo pacto à fabro ſuo fuiſſe compoſitum, vt ille excogitauerit apud ſe terram, eamq; in medio quieſcere oportere: deinde aquam terræ continuam cæteráque deinceps vſque ad cælum ordinatè diſpoſita: tum verò animalia o-
B mnia talesq; & tot ſingulorum viuentium formas, quales & quot nunc habent ſingula, diſpoſitionémque tum viſcerum tum exteriorum partium atque membrorū: deinde ſicut apud ſe ſingula diſpoſuerat, ſic aggreſſum fuiſſe opere iam ipſo diſponere? Sed profectò conſideratio apud illum talis eſſe non potuit. vnde enim incidiſſet in eum qui nondum talia viderat? neque verò fieri poterat vt ille ab alio quodam accipiens fabricaret, quemadmodum nunc artifices noſtri fabricant, manibus & inſtrumentis vtentes: poſterius enim manus & pedes accedunt. Reliquum eſt igitur omnia in alio eſſe, & quum nihil ſe medium interponat, ipſa propinquitate ipſius entis ad aliud, velut ſubitò illius imaginem & ſimilitudinem emicare, ſiue ex ipſo per ſe duntaxat, ſiue per animam miniſtrantem. Nihil enim in præſentia intereſt, ſiue per animam proprie quandam, ſed enim cuncta hæc omnino inde manarunt, & pulchriora ſunt ibi. Hîc enim permixta ſunt, ibi verò ſunt pura. Vniuerſum verò hoc inde profectū à principio ad finem cõprehenditur ſpeciebus: Primò quidem materia formis elementorum, quibus & aliæ accedunt formæ, formisq; alijs ſimiliter aliæ, adeò vt difficilè ſit inuenire materiam multis ſub formis occultam. Quoniam verò & ipſa ſpe-
C ciem quandam habet vltimam, omnem ſpeciem ſubire facilè poteſt. Ille verò faber penes quem exemplar operis ſpecies eſt, omnes efficit ſpecies, & has quidem abſque difficultate & violentia vlla, quoniã agens ibi eſt vniuerſum eſſentiaq; & ſpecies. Quãobrẽ hac quoq; ratione facilis & ſine labore fabricatio fuit, & fabrica totius extitit, ſicut & ipſe faber eſt vniuerſum: nihil igitur erat impedimenti, & nunc etiã in fabricando liberè dominatur. Et quamuis alia paſſim alijs impedimento ſint, ipſi tamen vniuerſi fabricæ ne nunc quidem obſtare quicq; poteſt: nam tanquam vniuerſum conſtat. Arbitror equidẽ ſi nos eſſemus prima ipſa exemplaria rerum eſſentiæq; ſimul & ſpecies, atque ſpecies ipſa quæ hîc facit noſtra eſſet eſſentia, fabricationem noſtram abſque labore dominaturam: tametſi homo vtpote quod nunc eſt effectus, ſpeciem fabricat à ſeipſo diuerſam. Nunc enim factus homo, eſſe deſtitit vniuerſum: at quando deſinit eſſe homo, vt Plato inquit, ad ſublimia ſe attollit, totúmque gubernat mundum. Factus enim totius, facit et totum. Verùm vt ad inſtitutum noſtrum regrediamur,

D potes tu quidem afferre cauſam ob quam terra ſit in medio poſita, & cur rotunda : cúrue obliquus circulus in certa plaga ſit inſtitutus : in mente verò diuina non quia ſic oportebat, iccirco ſic deliberatum fuit, imò verò quia ſic ſe habet ſicut exiſtit, propterea & hæc ita bene ſe habent: veluti ſi ante argumentationem per cauſas diſcurrentem, concluſio ipſa abſq; vllis propoſitionibus certa conſiſteret. Nihil enim illic ex conſequentia pendet, nihil ex conſideratione fit certũ, ſed ante conſequentiã, ante conſiderationẽ totum conſtat. Hæc nãq; omnia poſteriora ſunt, ratio, demonſtratio, fides. Eo enim ipſo quod exiſtit principiũ inde ſuapte natura hæc omnia ſunt, atq; ita diſpoſita. Iam verò quod dicitur, non eſſe quærendas principij cauſas, ſic rectè dicitur, præcipuè de tali quodam principio quod eſt perfectũ, quod idem eſt atq; finis: nempe quòd principium ſimul eſt & finis, hoc vniuerſum ſimul eſt, nulla parte deficiens.

MARSILIVS.

Quum ipſa pulchritudo ſit forma quædam multiformis, aſpectui accommodata, meritò principium primum pulchritudine ſuperius eſt. Cap. VIII.

E MEns diuina eſt primum totum, ergo in qualibet ſui parte totum: eſt & pulchritudo prima, igitur in quauis ſui parte pulchritudo tota. Tria ſunt ſub ipſo bono pulcherrima, mens diuina, anima mundi, mundi corpus: quemadmodum in cælo Sol, Iupiter, Venus. Venere capti neſciunt quid pátiantur, quoniam non aduertunt pulchritudinem inferiorem propter ſuperiorem ſe admirari.

PLOTINVS.

HOc igitur primò pulchrũ eſt: eſt totum: eſt vbiq; totum, ne vel in parte quidem vlla ſit pulchri defectus. Quid ergo pulchrum ipſum eſt dicendum? Non certè quicquam quod nõ ſit ipſum totum, ſed vel partem habeat tantùm, vel nihil ipſius habeat. Profectò niſi illud ſit ipſum pulchrum, quidnam aliud id eſſe poteſt? Quod enim eſt ante ipſum, pulchrum eſſe non vult: nam quod primò in aſpectũ venit, propterea quòd ſpecies ſit, mentisq; ſpectaculũ, hoc aſpectu amabile eſt atque iucundũ. Quamobrem Plato id nobis ſignificare volens, inducit architectum mundi perfectum ſuum opus approbantem ad quiddam aliquanto noſtris ingenijs manifeſtius, per hoc oſtendere volẽs ipſam exemplaris ideæq; pulchritudinem velut amabilem. Quoties enim aliquis admiratur opus ad exemplar aliud fabricatum, exemplar ipſum potiſsimũ admiratur. Neque mirum videri debet, ſi interim quid patiatur ignoret: quandoquidem & amatores, & omnino quicunq; hanc noſtram pulchritudinem admirantur, ignorant ſe propter ſupernam pulchritudinem ſic affectos eſſe: & profectò propter
F illam ita ſunt affecti. Quod autem ad diuinum exemplar Plato referat, quòd dicit architectum mundi opus ſuum amauiſſe, ipſo ſpectaculo delectatum declarat, vbi dedita opera ita ſubiungit. Ait enim. delectatus quidem eſt opificio ſuo, atque etiam magis ad exemplar ipſum reddere ſimile voluit: hoc ipſo demonſtrans qualis pulchritudo ſit exemplaris, propterea quod inquit, opus hoc ex illo pulchrum eſſe, quia ſit illius imago: nempe niſi illud eſſet mirificè pulchrum, inæſtimabili pulchritudine pollens, quidnam vniuerſo hoc oculis manifeſto pulchrius eſſe poſſet? Quamobrem nõ rectè ſentiunt qui mundi huius pulchritudini detrahunt, niſi fortè in detrahendo id ſentiant, videlicet mundum hunc non eſſe ſupernum.

MARSILIVS.

Quum acceperis totam hanc ſimul formarum mundanarum uarietatem, ſtatim conſeruatis formis earumq; motibus dimenſionẽ localem deme. Habes ergo mundi animam penes quam in qualibet forma ſunt cunctæ: deme deinde motus formis in ſtatu ſeruatis, mentem iam diuinã habes, ubi quæuis idea omnes continet. Demiq; idearum diuerſitate in lucem unicam reſoluta, primum es principium conſecutus. Cap. IX.

CORporeus mundus non eſt reuera magnus, quoniam ubique dependet ex paruis. Incorporeus mundus eſt infinitus. Infinitè enim licet dicere, in hac idea ſunt omnes. Atque his omnibus compu

tatis, in

A tatis in qualibet rurſum omnes, ſimiliterq; deinceps. Quum eſſentia & pulchritudo prima ſit idem meritò quatenus aliquid eſt particeps pulchritudinis, eatenus & eſſentiæ, atq; uiciſsim: item cum prima eſſentia ſit ipſa ſimpliciter ſpecies, nimirum ſpeciei participatione eſſentiam habent omnia.

PLOTINVS.

ACcipiamus igitur noſtrum hunc mundum cogitatione ſic ſe habentem, vt pars vnaquæque maneat quidem quod eſt, ſed ſingulæ ſibi inuicem inſint. Fingamus inquam in vnum cuncta ſimul pro uiribus congregata, adeò vt quodcunq; ſingulorum prius ſeſe oculis offert, velut ſi ſphæra ſit exterior, continuò ſequatur Solis quoque ſpectaculum, ſimulq; reliquarũ ſtellarum imago, intusq; uideantur terra, mare, animalia omnia velut in ſphæra quadam vbique perſpicua: & denique re ipſa contingat cuncta in vnoquoque conſpicere. Eſto igitur in animo lucida quædam imaginatio ſphæræ in ſe habens omnia, ſiue agitata, ſiue manentia, aut partim quidem mobilia, partim verò ſtabilia. Tu verò hanc animo ſeruans alteram præterea finge, hinc auferendo molem: detrahe quoque locum, ſimulq; prorſus omnem imaginationem materiæ abs te procul expelle: neque tamen interea alteram finge altera in mole minorem: tum verò Deum ipſum inuocans qui eam fecit, cuius nunc habes imaginem, ſuppliciter vt veniat obſecra. Veniat ille ſubitò, mundum ornatumq; ſuum ſecum ferens vnà cum dijs omnibus qui in eo ſunt omnes: veniet vnus exiſtens ſimul atque omnes: occurret vnuſquiſque omnes vnà ſecum ferens congredientes in v-
B num. Ibi ſanè dij omnes viribus quidem inter ſe varij ſunt, ſed vnà illa poteſtate complurima omnes ſunt Deus vnus, imò verò Deus vnus eſt omnes: neque enim vnus ipſe deficit, vt omnes illi naſcãtur. Simul verò ſunt cũcti, & vnuſquiſque rurſus ſeorſum eſt ab alio in ſtatu quodam nullo modo diſtante, nullam ſubiectam ſenſibus formam præferens: alioquin alius quidem alibi, alius autem alibi foret, nec vnuſquiſque in ſe exiſteret omnis: neque rurſus illorum aliquis partes alias habet alijs vel ſibijpſi: neque iterum vnumquodque illic totum eſt poteſtas diuiſa tantaq; duntaxat exiſtens, quot partes ſunt menſuratæ: imò verò eſt vniuerſum vniuerſa poteſtas procedens quidem in infinitum, in infinitum verò virtute. Atqui mundus ille vſqueadeò ingens eſt, vt & partes eius infinitæ rurſus euadant. Vbi enim eſſe quicquam dici poteſt, quo non ille præcurrerit? Magnus hic quoque mundus eſt, omnesq; in eo ſimul potentiæ ſunt: ſed maior inſuper foret, & quantus explicari non poſſit, ſi nulla in eo corporis foret potentia parua. Et ſi magnas quiſpiam dixerit ignis reliquorumq; corporum vires, tamen veræ potentiæ infinitate conſtant, eiuſdemq; ignoratione videntur eſſe aliquid atque agere, interimendo, confringendoq;, & ad genituram animaC lium miniſtrando. Sed hæc quidem interimunt, quoniam ipſa quoque interimuntur, & viciſſim generant, quoniam generantur. Potentia verò quæ viget illic, eſſe ſolùm habet, ſolumq; eſſe pulchrum. Vbi enim pulchrum eſſet quicquam, quod ipſo eſſe priuatum foret? Vbi rurſus eſſe poteſt eſſentia, ſi pulchritudinis præſentia careat? Dum enim tollitur pulchritudo, aufertur eſſentia. Quapropter eſſe ipſum deſiderabile eſt, quoniam idem eſt eſſe atq; pulchrum: ac viciſſim pulchrum eſt amabile, quoniam eſt & eſſe. Vtrum verò vtrius cauſa ſit, non expedit indagare, quum vna ſit vtriuſque natura. Hæc igitur falſa eſſentia corporum indiget quadam imagine pulchri extrinſecus accedente, vt & pulchra videatur, & omnino ſit aliquid. Et eatenus eſt, quatenus particeps facta eſt pulchritudinis ſpecie ipſa conſtantis: et quò plus ſpecioſæ accipit pulchritudinis, eò perfectior: ſic enim magis ei propria fit eſſentia pulchra & ipſa denique pulchritudo.

D

MARSILIVS.

Vnà cum Ioue, ideſt anima mundi, omnes animæ cæleſtes dæmonicæq; & humanæ iam purgatæ toto fruuntur mundo diuino. Cap. X.

ET ſi ibi ſinguli cunctas contemplantur ideas, alij tamen alias attentius & auidius, ad quas præcipuè cæteras quodammodo referunt. Ipſa pulchritudo ibi potiſsimum eſt uniuerſus ille ſplendor ex cuncta idearum quaſi ſtellarum ſerie micans. Tota intelligentiæ poteſtas niſi ardentiſsimus amor acceſſerit, hucuſque fortaſſe peruenit, ut pulchritudinem illam proſpiciat ut externam. Accedens amor contemplantem in eam transfert, ac uiciſsim: uſqueadeò ut contemplator amator iam ſeipſum inſpiciat pulchrum, imò pulchritudinẽ euaſiſſe. Annuit Plotinus quod ait Plato, philoſophos cum Ioue ſolos incedere, ab Ioue miſſos. Cæteri enim homines ſingulis propriè ſunt addicti: ſolus philoſophus uniuerſum ambit, uniuerſi uerò anima Iupiter.

PLOTINVS.

SVperioribus de cauſis Iupiter ipſe & ſi aliorum antiquiſſimus deorum quos ipſe ducit, primus incedit ad mundum intelligibilem contemplandũ. Hunc deinde ſequuntur cæteri dij, dæmones, animi, quicunque hæc cernere poſſunt. Diuinus autem ille mundus deſuper illis effulget ex occulto quodam & ab excelſo illis exoriens, illuſtrat omnia numina implens ſingula lumine: tum verò
a ad ſe inferiores animos excitat, qui deinceps conuertuntur ad ipſum cernere non valentes ceu Solem. Sed alij quidem perſpiciunt erecti ab ipſo, eiuſq; intuitum facilè perferentes, alij verò turbantur quotcunq; longius ab ipſius natura diſtant. Quum verò quicunq; poſſunt ſinguli videant, omnes quidem ipſum, & quod ipſius eſt ſuſpiciunt, neque tamen ſpecimen ſemper idem vnuſquiſque reportat: ſed dum attenti conſpiciunt, alius quidem ſplendentem cernit ipſius iuſti fontem atque naturam, alius autem abundè temperantiam intuetur, non quales penes ſe homines quando habent. Imitatur enim hæc noſtra quodammodo illam: illa verò in omnibus circa omnem quaſi magnitudinem ipſius ſe diffundens poſtrema diſcernitur, & quidem ab illis qui ſpectacula iam multa perſpicua peruiderunt. Proinde dij tum vnuſquiſq; ſeorſum, tum ſimul cuncti conſpiciunt: conſpiciunt & animæ quæ illic omnia vident, ex omnibusq; tales euadunt, vt ipſæ quoque cuncta à principio ad finem vſque contineant. Hæ quidem illic habitant, & quantum ineſt eis quòd illic naturaliter valeat habitare, & ſæpe totum quod eſt in eis ibidem habitat, quotiens inde minimè ſegregantur. Hæc igitur & ipſe Iupiter, & quicunque noſtrum vnà cum Ioue hæc amat, felici
F ter contemplatur, poſtremamq; omnium pulchritudinem vniuerſam ex omnibus effulgentem & quod pulchritudinis illius eſt particeps. Rutilant enim illic omnia, ſpectatoresq; illos ſplendore colluſtrant, adeò vt ipſi quoque pulchri prorſus efficiantur: quemadmodum ſæpe accidit his qui altiſſimos montes aſcendunt, vbi flauum terra colorem habeat: colore nanque illo ſtatim inficiuntur, facti ſimiles terræ ad quam aſcenderant: In mundo verò diuino florens ille color ipſa eſt pulchritudo, imò verò quicquid ibi eſt, totum color & funditus pulchritudo. Non enim aliud quiddam pulchritudo illic extat quaſi ſuperficie florens: verùm apud illos qui non inſpiciunt totum, ſolùm quod in ſuperficie micat aſpectui cenſetur nominatúrque pulchritudo. Qui verò per totum quaſi mero perfuſi nectare prorſus implentur, quum per totam animam ſe infuderit pulchritudo, non ſolùm ſpectatores euadunt. Non enim vlterius hîc quidem ſpectator extrà eſt, ibi verò ſpectaculum ſimiliter extrà: ſed qui acutè perſpicit, rem habet in ſeipſo perſpectam. atqui & habens ſæpe habere ſe neſcit: nam qui tanquam externum aliquid aſpicit, iccirco velut externum, quia tanquam viſibile reſpicit, & quia ſic videre conſtituit. Quicquid autem aliquis intuetur vt ſpectandũ, extrà videt: verùm operæpretiũ eſt in ſeipſum iam ſpectaculum transferre diuinum ac velut vnum prorſus inſpicere, & tanquam ſeipſum pe-

A ipſum penitus intueri; ceu ſiquis occupatus à Deo, ſeu Phœbo, ſiue Muſa potiſſimùm aliqua raptus, in ſeipſo Dei ipſius intuitum iam efficiat, ſiquidem in ſeipſo Deum valeat intueri.

MARSILIVS.

Tres gradus in contemplatione diuina, ac tres ad eam præparationes. Cap. XI.

DEo fruiturus debet per communem Dei notionem atque fidem ſeipſum in primis diuina quadam ſimilitudine conformare: deinde tota ad Deum cogitationis intentione contendere: tertiò tota Deum ſolùm uolũtate ardenter amare. Huic igitur ſic affecto Deus influit, ut perſpicuo ſtatim factò lumen ubique præſens. Tum uerò animus occupatus Deo, quandiu adhuc Deo minus eſt copulatus deſuper afflari & impleri ſe perſentit & cogitat. Quando uerò arctius copulatur, Deum ipſum inſpirantem ſuſpicit, & qua ratione affluat iam excogitat. Denique quando Deo penitus eſt unitus, non ultrà occupatum occupantém ue diſcreta conditione conſiderat: ſed actu potius ſimpli ci unum aliquid intuetur. Nec intuetur proprié, aut audit, uel ſimili cogitatione cognoſcit: imò per ſenſum quendam uniuerſum intimum occultũ fruitur ſeipſo pariter atque Deo tanquam uno, conſciuſq; ſibi eſt tunc demùm ſe ualere quãoptimè. Quæ quidem conſcientia ſui non diſcreta quædam perceptio eſt, ſed fermè idem eſt atque hæc ipſa ualitudo quamoptima.

PLOTINVS.

SIquis verò noſtrûm non potens videre ſeipſum, ab illo Deo penitus comprehenſus, in aſpectum ſpectamen ſiue ſpectaculum proferat, profert ſanè ſeipſum, atque imaginem ipſius videt factam iam pulchriorem. Dimittens ve-
B rò imaginem quamuis pulchram, & vnà ſecum conſpirans in vnum, nihilq; vltrà ſecernens, vnum ſimul exiſtit cuncta vnà cum illo Deo, qui tacitus influit & quietus: præterea cum ipſo eſt quoad poteſt atque vult. Si autem reuertatur in duo, & interea purus ſit, deinceps ipſi proximus habitat, adeò vt illo rurſus modo adeſſe quandoque poſſit, ſiquando rurſus conuertatur ad ipſum. In ipſa verò conuerſione id lucri reportat: Nempe quum primùm id aggreditur, ſentit ſeipſum quandiu eſt alter, quum verò ad intima penetrauerit, poſſidet vniuerſum, ſenſuq; retrò dimiſſo, metuens videlicet ne fiat alter, ibi vnus exiſtit: ac ſi cupiat vt alterum quicquam cernere ſeipſum extra ponit. Oportet autem animum numen eiuſmodi percepturum figuram quandam illius habere, atque ita perſeuerare, dum perſpicuè ipſum noſſe molitur, atque ita cognoſcens qualem quantamq; rem ingrediatur, certoq; confidens ſe rem beatiſſimam intraturum, ſic denique ſeſe prorſus immergere vſqueadeò, vt euadat pro ſpectatore iam ſpecimen alterius ab eo perſpecti, qualis inde venit notionibus abundè refulgens. Sed quónam pacto erit quiſpiam in ipſo pulchro, niſi videat ipſum? Profectò ſi videat ipſum tanquam alterum, nondum erit in pulchro: verùm ſi pul-
C chrum ipſum ſit effectus, ita erit in pulchro potiſſimùm. Si igitur viſio ad rem ſpectat externam, non expedit viſionem illic eſſe, vel ita eſſe, vt idem cum eo quod videtur exiſtat. Id autem eſt velut conſcientia quædam ſuiq; conſenſus, ca uentis ne fortè ſi magis perſentire velit, à ſeipſo diſcedat. Neque latêre nos debet malorum quidem ſenſus pulſationes habere maiores, cognitiones verò minores, vtpote quæ vi quadam pulſationũ excutiantur. Morbus enim vehementius pulſat & excitat: ſanitas autem quietior nobiſcum habitans, notitiam ſui exhibet planiorem, ſilens profectò inſidet & tranquilla tanquam familiaris nobiſq; conſpirat in vnum. At morbus nihil habet domeſticum, ſed eſt penitus alienus, propterea manifeſtior incidit, quia maximè diuerſus nobis occurrit: quæ verò noſtra nos quæ ipſi ſunt, vel abſque manifeſto ſenſu nobis inſunt. Sic verò nos habentes maximè omnium nobiſmet noti ſumus: quippe quum ſcientiam noſtrûm atque nos vnum ſic effecerimus. Igitur in mundo diuino quando mente ſcientes ſummopere vtimur, quodammodo ignorare videmur, ſubſti-

D nentes videlicet ſenſus paſſionem: qui profectò ait nequaquam vidiſſe: neque enim vidit: neq; enim talia videre vnquam poteſt. Quod ergo vidiſſe diffidit, ſenſus eſt: alter verò eſt qui vidit. Aut ſi ille quoq; diffidat, neq; etiam ſeipſum eſſe eſt crediturus. Neq; enim & ipſe poteſt, quando ſeipſum extra poſuerit, velut ſenſibilem oculis corporis intueri.

MARSILIVS.

Quicunq; intellectum ſuum totus ingreditur, per hunc ingreditur & diuinum: qui boni quidem ipſius filius eſt, pater autem animæ mundi. Cap. XII.

GEneratur uerò intellectus à bono, & anima mundus q; ſimul ab intellectu, non cõſilio deliberante, ſed natura fœcunda: natura uerò tum in bono uoluntas eſt, ſiue uoluptas, tum in intellectu primo ipſa eius intelligentia. De uoluntaria creatione mundi alibi.

PLOTINVS.

DIctum eſt autem quomodo tanquã alter id agere poſſit, & quomodo tanquam idem ipſe videns. Ipſe verò videns ſiue tanq; alter, ſiue tanquã ipſe idem manens, quidnam potiſſimũ nuntiat? nempe ſe Deum vidiſſe pulchrum filium, & omnia in filio generantem, conceptumq; abſque labore in ſe habentem. Deus enim delectatus his quæ genuit, ſuosq; partus amans, penes ſeipſum cuncta continuit, tum ſui ipſius, tum ſuorum ſplendore congratulans. Quum verò hæc omnia pulchra ſint, & quæ intus permanent pulchriora, ſolus omnium Iupiter filius foràs emicuit. Ex quo etiam vltimo filio videre licet tanq; ex quadam illius imagine quãtus ſit ille pater, quantiũe Iouis fratres apud patrem perſeuerantes. Hic autem non fruſtrà dixerit ſe à patre veniſſe: Eſſe nanque ſe alterum ab eo mundum, qui pulcher ſit effectus, velut pulchri ipſius imago: nefas enim eſſe imaginem pulchri ipſius atque eſſentiæ non eſſe pulchram. imitatur itaque exemplar vbique. Vitam nanque habet & eſſentiæ donum tanquam imitatio quædam: habet & pulchritudinem quatenus inde prodit: habet etiam vt ſit ſemper tanquam æternitatis illius imago: alioquin quónam pacto aliâs quidem illius imaginem præferet, aliâs verò nequaquam? quippe quum imago eiuſmodi facta non ſit per artem, imago verò omnis natura conſtans tandiu eſt, quandiu manet exemplar. Quamobrem non rectè ſentiunt, qui mundum hunc interiturum putant manente diuino, atque ita genitum opinantur, vt eius auctor quandoque de mundi fabrica conſultauerit. Hi ſanè quiſnam effectionis huiuſmodi modus ſit, neque intelligere volunt, neque ſciunt, quatenus F diuinus ille lucet mundus, eatenus inde mundum hunc emicare, neque defecturum vnquam, ſed ex quo ille eſt, & reliqua inſuper eſſe. Erat autem mundus ille ſemper, & erit. His vtique nobis interea nominibus vti licet ſignificãdi nonnihil voluntate compulſis.

MARSILIVS.

Intellectus diuinus qui & Saturnus cognominatur, caſtrat Cælium, ideſt ipſum bonum. Cap. XIII.

DIuidit enim penes ſe in plures formas uniforme patris donum: permanet uerò in ſe abſque motu, & à commertio corporis ſegregatus: nam mundanam diſpenſationem motus generationes Ioui, ideſt animæ mundi conceſſit, cuius natura genitalis appellatur Venus. Pulchritudo mundi corporei umbra quædam eſt ad ipſam mundi incorporei pulchritudinem. Illic rurſum mundanæ animæ pulchritudo imago quædam eſt ad miram primæ intelligentiæ pulchritudinem. Hæc tandem eſt primæ lucis ſplendor foras exuberans.

PLOTINVS.

DEus igitur ille Saturnus qui ligatus fingit, propterea quòd penes ſeipſum eodem ſemper habitu perſeueret: qui & traditur mundi huius imperium Ioui filio conceſſiſſe, neque ei conſentaneũ erat illud imperiũ dimittenti, iuniorem poſterioremq; ſe proſequi principatũ: quippe quum pulchrorũ omnium plenitudi-

a plenitudinem complectatur. Saturnus inquam, his omiſſis, patrem ſuum Cælium in ſeipſo firmauit, & illuc vſque ſe erexit in altum. Firmauit rurſus quæ deinceps inde ſequuntur à filio iam exordium nacta poſt ipſum. Sic itaq; tenet inter vtrunque medium, tum quia alteritate quadam paterna ſecat, tum quia ab inferioribus abſtinet in ſublime conſurgens, dum fingitur ab inferiori cura vinculis cohiberi, medium certè gradum obtinens inter maiorem patrem filiumq; minorem. Quoniam verò Cælius Saturni louisq; progenitor maior admodum eſt, quàm vt eſſe pulchritudo dicatur, iccirco Saturnus, ideſt intellectus primò pulcher extat, quamuis anima quoque ſit pulchra: ille tamen hac eſt pulchrior, quoniam hæc veſtigium eſt illius, atque hoc ipſo naturaliter exiſtit pulchra, pulchrior autem quando illuc intuetur. Si anima igitur vniuerſi (vt notioribus aliquando verbis vtamur) & ipſa Venus pulchra eſt, qualiſnam eſt intellectus? Si enim anima Venusq; à ſeipſa id habet, quantúſnã eſt ille? Sin ab alio, à quónã potiſſimum anima tum accedentem, tum eſſentiæ naturaliter inſitã pulchritudinem habet? Iam verò quotiens nos pulchri ſumus, propterea quòd noſtri iuris facti ſimus ſumus, & pulchri: turpes verò, quando in naturam inferiorem præcipitamur. Atqui quum noſipſos agnoſcimus, pulchri ſumus: turpes verò, cùm ignoramus. Illic ergo pulchritudo lucet, illinc emicat pulchritudo. Sed nũquid hactenus iſta ſufficiunt ad diuinum mundum perſpicuè cognoſcendũ? An potius altera rurſus ad idem via nobis ſic eſt incedendum?

b

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER NONVS, DE INTELLECTV ET IDEIS ET ENTE.

MARSILIVS.

Animus diuinorum contemplator iam eſt in patria. Actiui homines & uoluptuoſi ſunt exules: ſed actiui facilius quàm uoluptuoſi in patriam reuertuntur. Cap. I.

PLOTINVS.

QVVM omnes homines ſtatim nati ſenſu prius quàm mente vtantur, rebusque ad ſenſum ſpectantibus neceſſariò prius incidant, affectumq; applicent, alij quidem eodem in habitu perſeuerantes ita vitam tranſigunt: hæc & prima exiſtimantes & vltima, & quod in eis moleſtum eſt, malum, quod verò iocundum, bonum eſſe cenſentes. Atq; ita demũ ſatis ſibi factum ar-

c bitrantur, ſi per omnẽ vitam iocunda proſequantur, & contraria reſpuant. Proinde quicunq; inter eos rationem ſibi aliquam vendicant, hanc eſſe iudicant ſapientiam: ita prorſus affecti, quemadmodum grauiores aues, quæ quum è terra multa rapuerint quorum pondere prægrauentur, per ſublimia vltra volare non poſſunt, quamuis à natura pennas acceperint. Alij verò aliquantum ab inferioribus eleuãtur, quos ipſa animi natura melior à voluptate reuocat ad honeſtũ. Cũ verò non poſſint intueri ſupernũ, ideoq; nihil aliud habeãt vbi quieſcãt, transferuntur vnà cum ipſo virtutis nomine ad actiones inferiorũq; delectus, à quib. attollere ſe ab initio conabantur. Tertium deniq; genus hominũ eſt diuinũ, in quo quidem illi ſunt, qui & maiore potentia & perſpicacia oculorũ freti, ſupernã lucem acutè ſuſpiciũt, ad eamq; perſpectã ſe prorſus attollunt, inferiores nebulas & caliginẽ tranſcendentes, & cũ tranſcenderint ibi permanent, hæc omnia prorſus deſpicientes, nec aliter regione ſuperna tanquã vera & propria delectantur, quàm peregrinus poſt longos errores legitimæ tandem patriæ reſtitutus.

MARSILIVS.

D *Quod eſt primò pulchrum, id pulchrum eſt ſeipſo, ſe toto, ſemper.* Cap. II.

NOn eſt igitur prima in corpore pulchritudo. Hoc enim non per ſe totum, ſed per formam pulchrum, atque mutabiliter, nec rurſus in anima. Nam hæc intellectuali participatione mutabiliterq; fit pulchra: ſed prima in intellectu primò pulchritudo eſt ſplendor quidam & figura boni. Plotinus Apoſtoli Ioānis, & Pauli myſteria ſæpe tangit, myſterium tamen Trinitatis non tam aſſecutus uidetur, quàm perſcrutatus, & prouiribus imitatus.

PLOTINVS.

QVænam igitur hæc regio eſt? Et quo pacto ad eam quis aſcendere poteſt? Profectò huc ille poteſt aſcendere, qui natura potiſſimùm ad amandam trahitur pulchritudinē, & natus eſt reuera philoſophus. Qui ſanè velut amator circa pulchrum ipſum quodam quaſi partus labore vexatur, neq; tamen pulchritudine corporis eſt contentus, ſed ab hac confugit ad animi pulchritudinem, virtutes videlicet, ſcientias, officia, leges. Atq; inde rurſus ad cauſam aſcendit eorum quæ in anima ſunt pulchrorum: & ſiquid adhuc ſuperius extat, quouſque tandem ad primum vſque peruenerit, quod à ſeipſo ſit pulchrum. Quò ſa-
E nè perueniens vexari iam deſinit, prius verò nequaquam. Verùm quónam pacto illuc aſcendet, & vnde facultas eiuſmodi dabitur? Et quænam potiſſimùm ratio amorem hunc quaſi manu perducet ad finem? Forſan eiuſmodi ratio pulchritudo hæc corporibus indita corporibus aduentitia eſt. hæ nanque formæ corporum in eis ſunt ceu materia. Subiectum igitur permutatur, & ex pulchro fit turpe: vnde ratio corpus participatione quadam pulchrum eſſe conuincit. Quidnam igitur illud eſt, quod corpus efficit pulchrum? aliter quidem id pulchrum facit præſentia pulchritudinis, aliter autem anima quæ finxit, talémque fingendo corpori formam adhibuit. Quid ergo? Nunquid anima ſuapte natura pulchrum ipſum eſt? minimè: alioquin non alia quidem ſapiens foret & pulchra, alia verò inſipiens atque turpis. Per ſapientiam igitur animo pulchritudo contingit. Sed quiſnam eſt potiſſimùm qui tradit animo ſapientiam? Hic profectò neceſſariò eſt intellectus: intellectus inquam, qui non aliâs quidem intellectus ſit, aliâs verò expers intelligentiæ, ſed verus potius intellectus, qui hanc ob cauſam ex ſeipſo ſit pulcher. Sed nunquid in hoc velut primò nobis eſt quieſcendum? An potius ſuper mentem quoque progrediendum? Nempe mens ipſa nobis in altum progredientibus prior occurrit quàm principium omnium
F primum, quaſi in ipſius boni veſtibulo conſtituta omnia in ſeipſa nuntians & ſignificans, velut quædam ipſius boni figura in multitudinem potius diſtributa, quum illud prorſus in vnitate conſiſtat.

MARSILIVS.

Formæ quæ ſunt in materia tanquam ſubiecto dependent à formis, quæ ſunt in anima mundi uelut earum fonte: atque hæ rurſus à formis quæ ſunt in mente prima tanquam fonte formarum animæ. Cap. III.

SI anima ſuapte natura intellectualis foret, animæ tum omnes, tum pariter intellectuales forent: quum uerò non ſint ita, meritò anima uel prima intellectualis euadit participatione quadam intellectus excelſioris.

PLOTINVS.

CONſiderare verò debemus de hac ipſa mentis natura, quam ratio eſſe ſignificat ens ipſum verum veramq; eſſentiam, in primis aſſeuerantes, licet alia procedentes via, oportere talem quandam eſſe eſſentiam atque mentem. Sed fortè ridiculū videri poteſt, vtrum intellectus in rerum ordine ſit indagare. Fortè etiam nonnulli de hoc ambigerent, ac de ipſo potius, num talis ſit intellectus, qualem ipſi deſtribimus. Et nunquid ſit aliquis ſeparatus, & ille quidem entia ſit, atque in eo ſpecierum ſit natura: qua de re ſtatuimus in præſentia diſputare.

Cernimus

Cernimus itaque omnia quæ eſſe dicuntur, eſſe cõpoſita, nihilq; eorum eſſe ſim plex, tum ſingula quæ arte fiunt, tum etiam quæ natura cõſtituuntur: ſiquidem artificia es habent, lignumq; & lapidem, neque dum tamen ex his perfecta proueniunt, antequàm ars vnaquæque agat, hæc quidem ſtatuam, iſta verò lecticam, illa denique domum: agat inquam ſuam materiæ ſpeciem adhibendo. Quinetiam quæ ſunt naturaliter conſtituta, præcipuè quæ ex multis compoſita ſunt et congeſta commixtaq; dicũtur, reſoluere licet in ſpeciem cunctis compoſitis inditam, velut hominem in animam atque corpus, & corpus in quatuor humores & elemẽta. Quum verò horum quodlibet inuenias eſſe compoſitum ex materia ſimul atque formante, materia enim elementorũ ex ſeipſa eſt informis, inquires vndénam ſpecies materiæ adſit, quæres quoque de anima, vtrum ipſa ſit iam ſimplex, an potius ſit aliquid & in ea, partim quidem ceu materia, partim verò velut forma, intellectus ſcilicet qui ſit in ea: alter quidem ſicut in ære forma, alter autem velut qui formam fecit in ære. Eadem quoque quiſpiam transferens ad vniuerſum, in eo ſimiliter perueniet tandem ad intellectum, cognoſcẽs eum effectorem reuera totiusq; artificem: affirmabitq; ſubiectam huic materiam inde formas accipientem, partim quidem ignem, partim verò aquam aut aerem euaſiſſe vel terram, has vtiq; formas ab alio proficiſci: id verò exiſtere a-
B nimã: rurſusq; animam quatuor membris vniuerſi formam tradere: Iam verò mentem ipſam animæ rationes infundere, quemadmodum & artificum animis artes ipſę rationes exhibent ad agendum. Proinde mentem alteram quidem velut animæ ſpeciem, mentem videlicet ſecundũ formam, alterã verò, quæ ita formam animæ præbeat, ſicut artifex ſtatuæ formam, cui quidem menti inſunt omnia quæ largitur. Et quæ largitur animæ, veritati proxima ſunt: quæ verò corpus accipit, imagines iam ſunt & imitationes quædam.

MARSILIVS.

Super animas quæ ex potentia in actum intelligendi procedunt, & paſsionem aliquam ſubeunt, & habent cum deteriore commertium, eſt ipſe intellectus actu ſemper intelligens, paſsionis expers, à corporis contubernio ſegregatus. Cap. IIII.

QVum ex materia rebus mutabilitas accidat, profectò niſi eſſent res quędam à materia ſegregatę, ordo conſequens perpetuaq; ſucceſsio, ſimilium in trãſmutatione rerum conſeruari non poſſet,

PLOTINVS.

CAeterùm cúr nam poſtquam ad animam vſque perueneris, non potes in
C ea tanquam primò quieſcere, ſed vlterius procedere cogeris? quoniam primò quidem intellectus ipſe aliud quiddam eſt meliusq; quam anima. Quod verò melius eſt, natura prius exiſtit. Neque enim, ſicut multi putant, anima cùm iam perfecta eſt, generat intellectum. Quod enim aliquid in potentia eſt, vndénam quandoque erit in actu, niſi cauſa quædam præſit quæ perducat in actum? Si enim caſu quodam prodiret in actum, contingere poſſet ne in actum quandoq; progrederetur. Quamobrem neceſſariũ eſt prima in actu cõſiſtere, neq; in diga, ſed perfecta. Quæ verò imperfecta ſunt poſteriora eſſe perfectis, perficiq; ab illis quæ genuerunt, ritu quodã iureq; paterno quandoq; perficientibus quę imperfecta ab initio genuerunt. Iam verò quod genitum eſt, oportet ad effectorem habere primò quidem ſe velut materiam, deinde verò formari. Proinde ſi anima paſſionem quandã in ſe admittit, oportet autem extare aliquid procul ab omni paſſione ſemotũ: alioquin omnia tempore dilabentur: oportet aliquid anima ſuperius eſſe. Præterea ſi anima eſt in mundo, atq; eſſe oportet aliquid extra mundum, hac quoq; ratione neceſſarium eſt ſuper animam aliquid eſſe. Si enim quod in mundo eſt idipſum eſt quod in corpore atq; materia, nimirũ nihil idem permanet, ſi tale quiddam duntaxat extiterit, quapropter homo & reliqua non

D ſemper erunt. Seminariæ quoq; rationes neque ſempiternæ neque ſemper eædem permanebunt. Oportere igitur ſuper animam eſſe mentem, ex his quæ diximus alijsq; permultis intelligere licet.

MARSILIVS

Intellectus natura perfectus, per ſe ſemper intelligit, quoniam ex ſeipſo intelligit, tàdelicet, in ſe conuerſus. Eſt rurſum talis, quoniam per eſſentiam ipſe eſt hæc ipſa entia quæ intellligit.

Cap. V.

INtellectus perfectus, cum ſit eſſentia perfecta, pro obiectis habet entia quoque perfecta. Horum uerò multitudo talis nec eſt in principio rerum primo, neque rurſus in mundo. Vbi & materia in ſimum eſt, & forma non eſt prima forma. Quoniam cum ſit in alio, dependet ab alio. Eſt igitur perfectorum entium multitudo in intellectu eam intelligente: præſertim quia omnis multitudo rerũ extra ipſum ab eis intelligentia proficiſcitur. Nec igitur antecedit nec comitatur eam, ſed ſubſequit, ſicut uerba loquentem, ſicut proles generantem. Virtus quidem generandi atque intelligendi quæ diuerſæ ſunt in anima, eadem ſunt in mente: intelligendo igitur generat, imò & naturaliter exiſtendo: ſicut ignis calendo, ſol lucendo, anima uiuendo. Deniq; rationes rerum, quæ ſunt in anima naturaliter mobili, non ſunt per ſe ab omni mutatione tutæ, niſi reducantur ad firmas intellectus Ideas.

E PLOTINVS

INtellectum verò debemus accipere (ſi modò vera ipſius appellatione ſimus vſuri) non in potentia intellectum, neq; ex amentia in mentem progredientẽ, alioquin alterum rurſus ſuperiorem inueſtigare cogemur: ſed intellectum accipere decet exiſtentem in actu perpetuo, qui & ita ſemper intellectus exiſtat. Si verò intellectus eiuſmodi aduentitiam non habet intelligentiam, quicquid intelligit à ſeipſo prorſus intelligit, & ſi quid habet, poſsidet à ſeipſo: quod ſi à ſe & ex ſe intelligit, ipſe profectò exiſtit hæc ipſa quæ & intelligit. Si enim eſſentia quidem eius eſt altera, quæ verò intelligit rurſus & altera, ipſa certè huius eſſentia erit muneris intellectualis expers: neque amplius in actu, ſed in potẽtia intellectus. Non decet igitur horum alterum ab altero ſeparare, tametſi conſueuimus rebus noſtris adducti, illa quoque inter ſe noſtris cogitationibus ſeparare. Quidnam igitur agit, quidue intelligit? Vt illa illum quæ intelligit eſſe ponamus. Profectò cum ſit intellectus atque ens, per verum eſſendi modum entia in intelligit & inducit: eſt igitur entia. Aut enim illa alibi exiſtentia intelliget, aut in ſeipſo tanquam exiſtentia ipſum. alibi quidem impoſsibile eſt. Nam vbi potiſsimum? Seipſum igitur & penitus in ſeipſo. Non enim intelligit hæc in rebus

F (vt multi putant) quæ ſenſibus offeruntur. Nam vnumquodque primum non eſt ex eorum genere quæ ſenſibus attinguntur. Quod enim in his eſt, tanquã forma in materia eſt, & entis ipſius imago: ſpecieſq; omnis quæ in alio iacet, etiam dependet ab alio, referturq; ad illud, atque eſt illius imago. Præterea ſi neceſſe eſt intellectum eſſe vniuerſi huius artificem, hic certè nõ intelliget ea, quæ in eo quod nondum eſt exiſtant, vt ipſum efficiat. Igitur ante mundũ illa oportet exiſtere non tanquam figuras impreſſas ab alijs, ſed præcipua quædam exẽplaria, primáque & mentis eſſentiam. Si qui verò dicant, ſeminales ad id ſufficere rationes, proculdubio aſſerent ſempiternas: ac ſi ſempiternæ ſunt & procul ab omni paſsione ſemotæ, eſſe eas oportet in mente, & illa quidẽ tali, quæ habitu, & natura, & anima prior exiſtat. Sunt enim hæc in potentia quadam, & in illius poteſtate conſiſtunt. Mens itaque entia ipſa eſt, ſecundum verum eſſendi modum non ea quæ alibi ſint intelligens: hæc enim neque ſunt ante ipſam, neque poſt ipſam: ſed mẽs eſt tanq; legislator primus, imò verò ipſa lex ipſius eſſe. Rectè igitẽ dictũ eſt: idem ſanè intelligere eſt atq; eſſe: itẽ ſcientia eorũ quæ ſunt abſq; materia idẽ eſt atq; res ipſa. Rurſus inueſtigaui equidẽ meipſum tanq; vnũ aliquid entiũ: teſtantur idẽ reminiſcentiæ. Nullum uanq; entiũ eſt extra mẽtem neque rurſus in loco: manent verò perpetuò in ſeipſis, neq; mutationem

neque

A neque interitum ſubitura, ideóque per verum eſſendi modum entia eſſe cenſen
tur: alioquin ſi oriantur & occidant, eſſe aduentitium ſortientur: neq; hæc vlte-
rius entia ipſa erunt, ſed illud potius ens ipſum erit, nempe quæ ſentiuntur, par-
ticipatione quadam ſunt idipſum quod eſſe dicuntur: quippe quum ſubiecta na
tura formam accipiat aliunde, ſicut æs accipit ab arte ſtatuaria formã, & lignum
ab arte fabrili, dum videlicet ars in materias tales progreditur per imaginem:
ipſa verò ars interim extra materiam in eodem habitu perſeuerat, habetq; ve-
ram in ſe ſtatuam atque lecticam. Sic ergo vniuerſum hoc in genere corporum
particeps duntaxat imaginum manifeſte teſtatur, entia ipſa à corporibus eſſe di
uerſa: illa enim immutabilia ſunt, hæc verò mutantur: illa in ſeipſis firma conſi-
ſtunt, loci nullius egena: illa enim nulla magnitudine protenduntur, ſed intel-
lectualem ſubſtantiam habent ſibi ſufficientem: corporum nanque natura alio
quodam ſemper indiget ſeruatore. Mens verò quum mira quadam natura ſub-
ſtineat, & conſeruet ea quæ ſuapte natura cadunt, meritò vbi ipſa fundetur, de-
ſiderare non cogitur.

MARSILIVS.

Ideæ in intellectu ſunt propriè quædam poteſtates eius per quas ipſe eſt aliter, aliter ue definitus. Cap. VI.

QVoniam uerò eadem ibi eſt intelligendi & generandi facultas, ideo illic ideæ non ſolùm ita ſe ha-
bent ut uariæ notiones, ſed etiam ut multæ uires ſeminales in anima: inde quidẽ dicuntur exem
B plaria, hinc uerò principia rerum, rationes & ſpecies utrobique. Proinde qualitates omnino mate-
riales, calor, frigus, & ſimiles nequeunt unionem habere mutuam ſine confuſione: aut enim ſeiun-
ctæ manent, aut ſi commiſcentur, uel una confundit alias, uel cunctæ à ſe inuicem cõfunduntur, adeo
ut alia quędam reſultet ex cunctis. Qualitates minus materiales ut ſapores uniri poſſunt, ut illę cum
confuſione quidem, ſed non tanta. Odores autem quaſi adhuc minus materiales uniuntur in eodem
medio differentes, & aliquanto minus alter confundit alterum, confundit tamen. Voces diuerſæ
magis adhuc uniuntur in medio, minusq; confunduntur, quia materiales minus. Species uerò colo-
rum etiam contrariorum, quia immateriales ſunt in eodem punctò uniuntur, & ſine ulla mutua con
fuſione diſtinctiſsimè illic extant, unde concluditur unionem formarum ſine confuſione, ideſt con-
iunctarum quidem & interea diſtinctarum eſſe in anima poſſe tanquam eſſentia quadam immate-
riali, & multò magis in mente adhuc magis à materia ſeparata, quum enim per diſceſſum à mate-
ria gradatim creſcat unio formarum, pariterq; diſtinctio, conſequens eſt in mente unitiſsimas eſſe ſi-
mul atque pariter diſtinctiſsimas.

PLOTINVS.

INtellectus igitur ipſa eſſentia ſit, habeatq; omnia in ſeipſo nõ tanquam loco,
ſed tanquam ſeipſum habens, vnumq; cum ipſis exiſtens. Sunt autem illic o-
mnia ſimul, ſed nihilo minus inter ſe diſtinguuntur, quando & anima multas ſi-
C mul ſcientias habens, nihil tamen habet in ſe confuſum, ſed vnaquæq; ſcientia,
quando res poſtulat ſuum munus exequitur, neq; interim ſecum alias contra-
hit. Vnaquæq; verò notio agit pura ab aliis intimis notionibus expedita. Sic igi
tur multoq; magis intellectus eſt ſimul omnia, rurſusq; non ſimul: quoniam illic
vnumquodq; poteſtas quædam propria eſt. Vniuerſus verò intellectus omnia
ſicut genus ſpecies cotinet, & ſicut totum partes. Quinetiã vires ipſæ ſeminum
huius quod modò dicebam, imaginẽ referunt. In toto enim ſemine indiuiſa ſunt
omnia, ibiq; rationes inſunt, velut in vno quodam centro collectæ, ſed alia illic
oculi, alia manuũ ſeminalis ratio eſt, quódue diuerſæ ſint ex diuerſis inde geni-
tis patefaciunt. Vires igitur ſeminibus inſitæ id certè habent, vt earũ vnaquæq;
vna tota ſit ratio, vnà cum partibus in ſe neceſſariò cõprehenſis. Iam verò quod
ibi corporeum eſt, materiam habet quantũ illic eſt, velut humidum. Ipſa verò ra
tio ſpecies quædã eſt vndiq;, & ratio quidem ipſa eadẽ eſt cum ſpecie animę ge
nerante: quæ quidem anima imago eſt animæ melioris. Hanc nõnulli naturam
vocant ſeminibus inſitam, quæ quidem iude exordiens ab his quæ ſuperiora

D sunt, quemadmodum ex igne lumen permutat materiam atq; format, non quidem per violentiam impellendo: neq; tanquam quibusdam iam diuulgatis vectibus agitando, sed rationem seminariam adhibendo.

MARSILIVS.

Notiones sensibilium in anima nuper acquisitæ uel editæ, non sunt ipsa sensibilia: Absolutæ uerò intelligibilium notiones in potentiam rationalem uenientes ab intellectu, quodammodo ipsa intelligibilia sunt.

Cap. VII.

QVoniam uidelicet intellectus est intimus animæ tum proprius tum communis: in proprio quidem notiones & intelligibilia idem magis sunt, in communi sunt maximè idem. Intellectus proprius (ut sæpe Plotinus ait) animæ inest ut forma: communis autem tanquam agens adest animæ. Quum uerò ipsum intelligile se habeat ad intelligentiam fermè uelut motor, ideoq; quodammodo antecedat, non debemus dicere intellectum fieri intelligibilia postquam intellexerit ea, sed potius è conuerso: præsertim quoniam alioquin intelligentiæ casu quodam exorirentur, & quasi quædam figmenta forent.

PLOTINVS.

PRoinde scientiæ quæ in rationali anima sunt, quæ quidem ad sensibilia pertinent, si modò horum notitiæ nobis sunt scientiæ nominādæ, quippe cùm
E opiniones potius deceat nominare: ipsæ inquam, cum rebus posteriores sint, earundem sunt & imagines: quæ verò spectāt intelligenda, quæ & reuera scientiæ sunt, ab intellectu in animam rationalem peruenientes, sensibile quidem nihil intelligunt. Quatenus verò scientiæ sunt, singula ipsa sunt quę & intelligunt, ipsumq; ab intimo intelligibile & intelligentiam habent: quoniam intellectus est intimus, qui est ipsa prima perpetuò secum habitans, actusq; existens: neque aciem intendens quasi non habeat: neque acquirens aliquid, siue discurrens per ea quæ in promptu antea non habuerit: nam conditiones eiusmodi animæ potius esse videntur, sed in seipso penitus conquiescit, cuncta simul existens, neque ad id vtens intelligentia, vt singula in se in esse perducat. Non enim quando intellexit Deum factus est Deus: neque postquam intellexit motum factus est motus. Quapropter quod dici solet, species intelligentias esse, si ita dicatur, vt postquam intellexit hoc ipsum factus sit vel existat hoc ipsum, non rectè dicitur: oportet enim hac intellectione prius esse quod intelligitur. Alioquin quónam pacto ad ipsum procedet intelligendum? neque enim fortè quadam in ipsum incidit, neq; temerè vel frustrà contendit.

MARSILIVS.

F *Intellectus quidè absolutè sumptus est omnes ideæ. Idea uerò quælibet nō est intellectus absolutè sumptus, sed intellectus eiusmodi. Item idea quælibet differt ab intellectu ratione quadam intellectuali tantùm. Ideæ uerò inter se differunt ex natura rei & ratione formali.* Cap. VIII.

POtius enim licet dicere: Idea hominis est intellectus, & idea equi est intellectus, quàm ideam hominis esse ideam equi: quamuis sub unuscuiusque ideæ actu cæteræ sint uirtute uel consequentia quadam, quemadmodū propositiones in geometria deinceps dispositæ se ad geometriam habent, atque inuicem. Præterea quum ens naturali quodam ordine antecedat intellectum, meritò necessaria distinctio entis in suos essendi modos atque in etia quodammodo præcedit usum intelligentiæ: quàlem sanè distinctionem neque Platonici, neque Christiani in primo rerum principio libenter admittunt. Sicut cōsideramus ibi naturam entis intelligentiamq; communem, ita in quauis idea propriam quandam entis naturam intelligentiamq; propriam, quæ sunt quasi duo quædam, non ut materia & calor, ut diaphanū atq; lux, sed ut calor atq; calere, ut lux atq; lucere, quorū utrunq; est actus, ideoq; re ipsa sunt unum. quamuis igitur intelligentia sit intimus entis actus, tamen est actus utrunq;.

PLOTINVS.

QVum igitur quod intelligitur intimū sit, hoc ipsum intimum vnum quiddam est & species & idea. Quidnam igitur hoc est? Sanè est intellectus intellectualisq; essentia, & idea quælibet ab intellectu non differens, sed vna-

quæq;

A quæque eſt intellectus, atque omnino intellectus quidem ipſe communis eſt ſpecies omnes: vnaquæq; verò ſpecies vnuſquiſq; eſt intellectus. Quemadmodum tota quædam ſcientia cunctæ contemplationes ſuæ atque notiones: & notio quælibet pars eſt totius non diuiſa loco, ſed habens vnaquæque in toto virtutem. Hic igitur intellectus eſt in ſeipſo in eodem ſecum habitu conquieſcens æterna omniũ plenitudo. Si autem intellectus ipſe cogitaretur ipſo ente prior, oporteret inde dicere, intellectum agendo intelligendoq; generare entia, atq; perficere. At quoniam neceſſarium eſt ens intellectu prius excogitare, fateri oportet entia ipſa intelligenti in primis ineſſe, actum verò intelligentiamq; entibus ipſis accedere, quemadmodum igni iam ignis actum, adeò vt entia in primis ſic penitus inſita intellectum in ſeipſis velut actum proprium habeant. Eſt autem ens quoque ipſum actus. Vnus igitur vtriſque actus eſt: imò verò ambo ſunt vnum. Vna igitur natura ens ipſum eſt atque intellectus, quapropter entia & entis actus & intellectus talis vnum ſunt, atque intellectiones eiuſmodi ſpecies & forma actusq; ſunt entis. Veruntamen à nobis talia partientibus, alia illic ante alia cogitantur: alter enim eſt partiens intellectus, ille verò & impartibilis, & minimè partiens ens ipſum eſt atq; omnia.

MARSILIVS.

Si mens formas diſponit in mundo per intelligentiam naturalem, eas ipſas formas in ſe modo quodam naturali complectitur. Cap. IX.

B SIcut animæ eſſentia ſuas uires ex ipſa fluentes, ſicut natura genitalis rationes membrorum ſeminales: ſicut ſpecies ignis lucem, calorem, ſiccitatem, leuitatem, raritatem, atque ita fermè ideæ conueniunt inuicem atque differunt. Neceſſe eſt enim differre ideas ratione formali, ne alioquin diſtinctio formarum ordoq; in rebus proueniat ex materia, uel accidat ex fortuna, uel contingat ex diuerſis agentibus fortuitò concurrentibus. Sin autem Deus extra ſe agit libera uoluntate, quod in Theologia probamus, more architecti & geometræ, rerum habet ideas.

PLOTINVS.

SEd quænam ſunt in vna illic mente, quæ cogitantes ipſi partimur? Oportet enim ea quieſcentia proferre, ac velut ex quadam ſcientia in vno manente pronuntiare, atque ita quæ inſunt planius intueri. Quum igitur mundus hîc ſit animal, animalia cuncta complectens, & ab alio accipiat eſſe atque eſſe tale: illud autem à quo eſt redigatur in mentem, neceſſarium eſt & in mente vniuerſum in primis totius exemplar extare, atque hunc intellectum mundum ipſum intelligibilem eſſe, de quo Plato in Timæo inquit: Intellectus in eo quod eſt viuens ſiue animal ideas intelligit. Sicut enim vbi adeſt ratio ſeminaria, quæ animal quoddam eſt, ſimulq; ſubeſt materia rationem ſeminariam ſuſceptura, neceſſarium eſt animal generari: ita quum adſit natura intellectualis omnipotentia pollens, nihilq; impdiat, quippe quum nihil inter hanc & ſuſceptaculũ ſe medium interponat, neceſſarium eſt hoc quidem ornari, illud autem hoc exornare: ſedenim quod exornatũ eſt, ſpeciem iam diuiſam habet, alibi quidem hominem, alibi verò ſolem. exornator ille contrà in vno quodam omnia poſſidet.

C

MARSILIVS.

Quælibet idea communiter & ſimiliter eſt eſſentia uiua intellectualis, ſpecies, actus: Cæteris autem inter ſe proprietatibus differunt. Cap. X.

FOrmalia in mundo omnia & motus actionesq; & effectus eorum naturali & ſpeciali quodam ordine procedentes, proprias illic habent ideas. Defectus uerò formarum progreſſionumq; naturalium nequaquam, ſed aliunde contingunt, & per ideas formalium cognoſcuntur.

PLOTINVS.

QVæcunque igitur in mundo ſenſibili ſunt tanquam ſpecies inde procedunt, alia verò nequaquam. Quamobrem nihil eorum ibi eſt quæ præter naturam ſunt: quemdmodum neque quicquam præter artem artibus ineſt,

D neque eſt in ſeminibus claudicatio: clauda nanque conditio pedum in generatione contingit, vbi ratio ſeminaria minimè ſuperat, nempe ſpeciei iactura caſu accidit & fortuna. Qualitates autē ipſi naturæ conſentaneæ, quantitates, numeri, magnitudines, habitus, profectus, actiones, paſſionesq; videlicet naturales, & motus, & ſtatus tum vniuerſali tum particulari conditione ex eorum numero ſunt quæ ſunt ibi, & inde proueniunt. Pro tempore autem illic regnat æternitas, ſed pro loco illic ratione quadam intellectuali aliud reperitur in alio. Cùm igitur illic ſimul omnia ſint, quicquid potiſſimum ex illis acceperis, eſſentia eſt, intellectualisq; natura & vitæ compos exiſtit. Sic vtique ibi eſt idem & alterum motus & ſtatus, mobile & conſiſtens eſſentia, qualitas, & omnia prorſus eſſentia. Non enim in potentia, ſed in actu ens eſt vnumquodq; : quamobrem qualitas ab vnaquaque eſſentia non ſecernitur. Sed nunquid hæc ſola illic ſunt quæ mundo ſenſibili continentur, an potius & alia multa? Verùm prius de his quæ artibus pertractantur, videtur conſiderandum: nam malum quidem ibi vel inde nihil: malum enim hîc accidit ex indigentia, priuatione, defectu. Malum ſanè eſt paſsio quædam infortunatæ materiæ formā minimè cōſequentis: itemq;
E eius quod materiæ ſimile videtur euadere.

MARSILIVS.

Artificia quæ uel ſolùm imitatione quadam rerum motionumq; naturalium fiunt, uel etiam ab ingenio naturaliter artificioſo proueniunt, non habent proprias illic ideas. Cap. XI.

SEd partim rediguntur ad ipſas naturalium ideas, partim ad rationes rerum, numerorum, menſurarum, modorum, animo rationali ingenitas, & ab ideis ſimilibus dependentes. Contemplatio rerum philoſophica diuinam ſapientiam habet ideam, prouidentia priuatim uel publicè gubernans diuinam prouidentiam ſuſpicit pro idea tempus, æternitatem.

PLOTINVS.

SEd vt ad artes iam & artificia veniamus: artes quæ ſic imitatorię ſunt, quemadmodum pictura, ſtatuaria, tripudiū, geſticulatio manuum, quum hîc quodammodo comparentur atq; conſiſtant, & ſenſibili vtantur exemplo, ſpeciesq; imitentur & motus: item concinnitates quas aſpiciunt ad propria transferant, non rectè illuc reduci poſſe videntur, niſi ipſa hominis ratione. Siquis autem habitus ex ipſa concinnitate quæ animalibus ineſt, generatim decorum in cunctis conſideret animalibus, pars vtique facultatis illius erit, quæ illic quoq;
F conſiderat in mundo diuino, concordiamq; omnium contemplatur. Quinetiam muſica omnis circa conſonantiam & modulorum numeros occupata, quatenus numerorum concentusq; rationes quaſdam intelligibiles contemplatur, eodem ſe modo habet quo & ratio illa, quæ numerum ipſum & concentum in ſeipſa habet intelligibilem. Quæcunq; verò artes res ſenſibiles fabricāt ſicut architectus & faber, quatenus vtuntur proportionibus menſurarum, initium inde & nonnihil ſapientiæ illius habere videntur. Quum verò regulas menſurarum cum materia ſenſibili miſceant, non omnino inde dependent, niſi fortè quantum in homine ſunt: quinetiam neque agricultura corporeis plantis afferens auxilium: item medicina ſanitatem curans humanam, rurſus quæ robur firmumq; corporis habitū præſtat hominibus. Alia enim poteſtas illic viget & ſanitas, per quam animalia omnia firmitatem habent ſufficientem: Proinde ars oratoria, & exercitus præfectura, diſciplinaq; rei familiaris & publicæ, ſi quando in actionibus honeſtum ipſum obſeruant, ſupernamq; cōſiderant honeſtatem, ſortem ſanè inde ad ſcientiā habent, ex illa quę ibi viget ſcientia: Tum verò geometria ad intelligibilia pertinēs, illic eſt collocāda: Sapiētia quoq; ſimiliter quæ circa ens ipſum per excelſa verſatur, ac de artibus quidem artiumq; muneribus hactenus.

MAR-

A MARSILIVS.

In ipſa hominis rationalis intellectualiſq; idea ſummatim continetur omnis artificioſa facultas & ingenio proceſſura. Cap. XII.

Omnes formales inter indiuidua differentiæ non contingentes ex diuerſitate materiarum uel locorum, illic ideas habent, ſed uirtute quadam potius quàm actu proprio, ſcilicet quatenus in ſpeciebus ipſis, quarum propriè & præcipuè ſunt ideæ, continentur uarij quidam ſingularésque formarum modi, inde quandoque pullulaturi.

PLOTINVS.

IAm uerò ſi hominis illic eſt idea, eſt & rationalis, eſt artificioſi ſimiliter. Sunt illic præterea artes quæ mente concipiuntur, & pariuntur vt proles. Dicendũ quoque eſt vniuerſalium ſpecies illic exiſtere non Socratis videlicet, ſed potius hominis: tametſi de homine præcipuè conſiderandum eſt, numquid ibi ſingularis etiam ſit idea. Singularis inquam, propterea quòd non idem eſt vel habet aliud atque aliud ſingulare. hic quidem ſimus eſt, ille verò eſt aquilinus. Eiuſmodi verò proprietates ponendæ in hominis forma ſunt, tanquam formarum differentiæ quædam, ſicut & animalis ſuæ differentiæ ſunt. Sed à materia proficiſci, quòd hic quidem hac conditione, ille verò illa potius ſit aquilinus: & colo
B rum ſimiliter differentias alias quidem exiſtimare debemus in ratione & forma conſiſtere, alias autem ex materia locíque diuerſitate contingere.

MARSILIVS.

Res quælibet materialis ad ſuam ideam ſe habet, ut imago picturáque ad ſubſtantiam uiuam. Cap. XIII.

ANimæ uerò mentesq; & conſummatæ uirtutes earũ extra ideam ueræ res exiſtunt, quemadmodũ in idea: neq; tam æquiuoca quàm uniuoca denominatione ſunt eadem, nec differunt ut homo pictus à uiuo, ſed potius ſicut puer à uiro.

PLOTINVS

RElíquum eſt indagare num ſola illic ſint, quæ ſenſibili ordine continentur: an etiam ſicut aliud quiddam eſt noſter hic homo, aliud ipſe homo, ſic aliud ibi ſit ipſa anima, quàm hæc anima: ſimiliter hæc mens, & ipſa mens aliud. Dicendum igitur primò quidem, non omnia quæ hîc ſunt exiſtimanda eſſe exemplarium ſimulachra, neque animam eſſe ipſius animæ ſimulachrum, verum tamen alteram alteri dignitate præſtare: atque hic quoque eſſe: forſan verò non quatenus hic eſt, animam ipſam eſſe. Cùm verò anima quælibet reuera ſit, eſſe
C quoque iuſtitiam quandam & temperantiam in animabus quoque hîc habitantibus & ſcientiam preterea veram, neq; imagines duntaxat neque ſimilitudines illorum tanquam in ſenſibili loco verſantes, ſed eadem illa alio quodam pacto hîc exiſtentia: non enim in loco quodam determinata ſunt illa. Quapropter vbi anima emergit è corpore, ibidem ſunt & illa: mundus nanque ſenſibilis vno tantùm loco determinatur: mundus autem intelligibilis eſt vbique. Quotcunque igitur anima talis hîc habet, eadem rurſus & ibi. Quamobrem ſi ea quæ in loco ſenſibili eſſe dicuntur, intelligantur eſſe quæ in genere viſibilium numerãtur, non ſolùm quæ ſunt in mundo ſenſibili ſunt & ibi, ſed plura illic exiſtunt. Si autem ſic in mundo eſſe dicantur, vt ſimul & anima, & quæ inſunt animæ comprehendantur, nimirum hîc ſunt omnia quæ ſunt & ibi.

MARSILIVS.

Multa putrefactione caſu quodã præter ideas accidunt & deformia: quoniam uegetalis animæ pars quæ eſt ultimum diuinorum non poteſt omnino materiã ſuperare. Cap. XIIII.

NEc etiam ideas habent quæ abſq; ordine certo ad finẽ directo nõnunquam in unũ conſluunt. In ipſa hominis idea continentur artes ingenioſæ atq; neceſſariæ. Ipſa anima eſt idea animæ: huic

D proxima eſt anima penitus intellectu formata. Longius uerò diſtat anima eadem uniuerſalem quã doque mundi prouidentiam in ſe fingens, longiſsimè tandem eadem anima particulari prouidentiæ iam addicta.

PLOTINVS

NVnquid igitur hanc naturam in genere intelligibili omnia continentem, eſſe principium ipſum exiſtimare debemus? Sed quonam pacto? quippe cum ipſum reuera principium omnino vnum ſit, atque ſimplex, in ipſa verò entiũ plenitudine ſit neceſſariò multitudo. Sed iterum quónam modo natura plenitudoq; talis præter ipſum vnum eſt ab vno? & quomodo hæc inde profluit multitudo? quáue conditione hæc omnia? Item cur intellectus hæc, & vnde? De his ſanè alibi, alio quodam exordio eſt dicendum. Vbi verò quæritur nunquid ibi ſit ſpecies eorum etiam quæ ex putrefactione fiunt, difficiliumq; & admodum moleſtorum: itemſordium atq; cœni, dicendũ eſt: quotcunq; meſ ducit à primo omnia eſſe optima in quibus vtiq; ſpeciebus hæc non inſunt: neque ex his mentem accipere, ſed animam à mente quidem accipere multa, admittere inſuper à materia plurima, in quibus hæc accidunt. Verùm de his apertius explanabitur, ſi ad dubitationem illam regrediamur, qua quæritur, quomodo ex vno profluat multitudo. Iam verò conſtat illa compoſita quæ temere fruſtraq; fiunt, nec mente, ſed ſuo quodam impetu in hoc ſenſibilium genere con-
E fluunt, ſpeciebus ipſis minimè contineri. Præterea quæ putrefactione fiunt, ex quadam animæ ſorte contingere tunc forſan aliud non potentis: alioquin feciſſet proculdubio aliquid naturæ potius conſentaneum. Facit igitur vbi & quomodo poteſt. Patet quinetiam eas artes in ſuperna ipſa natura hominis contineri, quæcunq; referuntur ad illa, quæ ſunt generi hominum naturalia: priorem verò cæteris vniuerſaliorem eſſe, & vniuerſali priorem ipſam animam, aut vitam in mente priusquam euaderet anima, vt & fiat inde hæc anima, & contingat illam præcipuè ipſam animam appellare.

LIBRORVM PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS SEXTAE SERIES AB EODEM *MARSILIO FICINO FLORENTINO.*

Primus liber de Generibus entis.
Secundus quoque de Generibus entis.
Tertius etiam de Generibus entis.
Quartus, Quòd ens vnum idemq; exiſtens ſimul ſit vbique totum.
Quintus iterum, Quòd ens vnum idemq; exiſtens ſimul vbiq; ſit totum.
Sextus, de Numeris.
Septimus, Quomodo multitudo idearũ extat: atque de Ipſo bono.
Octauus, de Libertate, & voluntate ipſius vnius.
Nonus, de Ipſo bono vel vno.

MARSILIVS.

Multas de rerum generibus quæſtiones tangit: nihil uerò in hoc capite definire uidetur. Cap. Primum.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI ENNEADIS SEXTAE LIBER PRIMVS.

DE GENERIBVS ENTIS.

ETVS admodum quæſtio eſt, quot nam & quæ ſint quæ eſſe dicuntur. Alij quidem ens vnum tantùm, alij verò plura, ſed definita: alij denique infinita dixerunt, horumque ſinguli, alij aliud in medium attulerunt, ſiue vnum, ſiue finita ſiue infinita poſuerint. Cũ verò opiniones eiuſmodi à poſterioribus ſatis iam examinatæ fuerint, nobis ſunt in præſentia dimittendæ: eorumq;

A eorumq; duntaxat opinio conſideranda eſt, qui diſcuſsis antiquioribus determinata quædam rerum genera poſuerunt: qui ſanè neque ſuſceperunt vnum, quoniam multa etiam in rebus intelligendis eſſe viderunt, neq; rurſus infinita admittere voluere, quoniam, neque id fieri poſſet, neque vlla prorſus ſcientia foret. Finita verò in ipſorum numerum redigentes, cum non rectè poſſent hæc elementa dicere, quoniam ſubiecta ſibi multa comprehenderent, nimirum hæc genera quędam potius appellarunt: alij quidem decem, alij verò pauciora. Forſan etiam non deeſſent qui plura inſuper nobis adducerent. Eſt autem in generibus etiam differentia: nam alij genera eſſe principia voluerunt: alij res ipſas totidem eſſe genere. Principiò igitur eorum ſententia, qui res omnes partiti ſunt in decem, nobis accipienda videtur, inueſtigaturis nunquid de cem genera eſſe velint, commune nomen entis habentia, ſiue prædicamenta decem. Nam & ipſi fatentur ens ipſum non eſſe in cunctis vniuocum, & rectè fatentur: imò verò, illud prius interrogandum, num illa decem tam rebus intelligendis quàm ſentiendis ſimiliter inſint, an potius in ſentiendis omnia? In his verò quæ ad intelligentiam pertinent, alia quidem ſint, alia verò nequaquam? Viciſsim autem hæc ſe habere nemo vtiq; dixerit. Vbi certè videtur inueſtigandum quæ potiſsimum è numero decem intelligibili naturæ cõueniant. Et nun-
B quid quæ illic ſunt ſub eodem genere, ſub quo hæc noſtra ſint colligẽda, an potius quæ illic eſt, & quæ hîc, equiuocè dicatur eſſentia? Verùm ſi æquiuocè plura ſunt genera: ſi autẽ vniuocè, ſtatim abſurdũ eſt eſſentiã idẽ ſignificare, tum in his quæ primò ſunt, tũ in his quæ poſterius: quippe cũ nõ vnũ in eis cõmune ſit genus, in quibus aliud quidẽ prius eſt, aliud verò poſterius: ſed de rebus ad intelligentiã pertinentibus ſecundum diuiſionẽ nõ loquũtur. Non igitur omnia omnino quæ ſunt diuidere voluerunt, ſed quæ maximè ſunt potius dimiſere.

MARSILIVS.

Non facilè concedendum eſt res incorporeas ſimul atq; corporeas, item formam atq; materiam, & compoſitum, & ſingulare atq; vniuerſale in vno ſubſtantiæ genere conuenire. Cap. II.

PLOTINVS

QVærendum eſt iterum, nunquid hæc exiſtimãda ſint genera: & quomodo ſubſtantia vnum genus ſit. Ab hac enim omnino videtur incipiẽdũ: Dictum quidem eſt, non poſſe genus vnum ſubſtantiæ eſſe commune intelligibili ſenſibiliq; naturæ. Nam ſic etiam aliud quiddam erit ſuper intelligibilẽ ſenſibilemq; ſubſtantiam de vtriſq; communiter prædicatum, quod quidem neq;
C corpus, nec incorporeũ erit: alioquin ſiue genus illud corpus ſit, ſequetur quod ſub eo incorporeum dicitur, eſſe corpus, ſiue ſit incorporeum, ſequetur iterum quod ſub eo corpus dicitur incorporeum eſſe. Quinetiam in his quæ hîc à nobis ſubſtantiæ appellantur, quærendum eſt, quid nam commune ſit materiæ & formæ atque compoſito. Hæc enim omnia ſubſtantias eſſe aiunt, neque tamen æquæ ſubſtantias eſſe: quandoquidem forma magis quàm materia ſubſtantia dicitur, & rectè quidem: quanquum alij fortè dicerent materiam magis eſſe ſubſtantiam. Præterea ſubſtantiæ quæ primæ dicuntur, quidnam commune cum ſubſtantijs ſecundis habebũt? quandoquidem ſecundæ ſubſtantiæ à primis id ipſum habent vt ſubſtantiæ appellentur. Omnino verò apud eos quidnam ſit ſubſtantia explicare non datur. Neq; enim ſiquis etiam propriũ ſubſtantiæ nobis aſsignet, iam quid ipſa ſit aſſecutus erit: ac fortè quod tãquam proprium ſubſtantiæ aſsignatur, ſcilicet quòd vnum atq; idem numero contraria viciſsim ſuſcipere poſsit, ſubſtantijs omnibus conuenire videtur.

MARSILIVS.

Quas Peripatetici ſubſtantias nominant, probabilius eſt in una ſerie deinceps ab vno dependente diſpoſitas eſſe, quàm in eadem natura congruere. Cap. III.

D PLOTINVS

VErùm nunquid vnum quiddam prædicamentum esse dicendum est, sub quo communiter comprehendamus intelligibilem substantiam, & formam & materiam, atque compositum? Perinde ac si quis Herculidum genus vnum aliquid dixerit, non tanquam commune quiddam sit cunctis, sed tanquã ab vno descendant. Primo namque substantia est illa: secundo verò gradu, atq; minus reliqua. Verùm quidnam prohibet omnia prorsus esse vnum predicamentum? Etenim & reliqua omnia quæ esse dicuntur, à substantia esse quid prohibet? An fortè reliqua quidem passiones quædam ipsius substantiæ sunt, ipsæ verò substantiæ alio quodam pacto deinceps dispositæ sunt? Sed enim neque dum hoc pacto in substantia gradum sistere possumus, neque quod eius potissimùm sit accipere, adeo vt ab illo substantias quoque alias capiamus. Proinde cognatæ iã quidẽ ita sint inter se omnes quæ substantiæ nominantur, habẽtes aliquid præter reliqua genera. Quidnam igitur sibi vult hoc ipsum quod dicitur, quid atque quod, & subiectum, & non subiectum, neque esse in alio velut subiecto, neque id ipsum quod est, alicuius alterius ita esse, sicut albedo est corporis qualitas, & quantitas essentiæ aliquid? Item motionis tempus, & motio ipsius
E mobilis aliquid? At verò substantia secunda de alio prædicatur. Sed forsan alio modo hæc de alio dicitur, quàm reliqua soleant, videlicet tanquam genus, quod velut pars quædam insit, sitq; ad illius in quo est substantiam attinens: albedo verò sic de alio prædicatur, vt in alio iaceat. Cæterùm hæc quidem propria dicet quis ad alia, ideóque ita congregabit in vnum, & substantias appellabit. Vnum verò quoddam genus non ritè dicet, neque notionem & naturam substantiæ declarabit: sed hæc quidem hîc iam finem habeant: ad quãtitatis naturam proficiscamur.

MARSILIVS.

Numerus, continuum, locus, tempus, quæ Peripatetici in uno quantitatis genere collocant, non uidentur habere unam naturam cunctis æquè communem, sed potius in communi quadam serie deinceps disponi per gradus reductos ad quantitatem primam. Cap. IIII.

NVmerus quidem solus uidetur esse per se quantus, ipsaq; quantitas, in hoc ipsa uniras unitatem deinceps unamquamq; definit: ad hunc comparata dimensio, quanta sit perpenditur: ad dimensionem locus atque corpus.

PLOTINVS.

NVmerum profectò primum quantum dicunt, & omnem continuam magnitudinem, locumq; & tempus: reliqua verò quęcunque quanta dicunt,
F ad hæc omnia referunt. Sic motum quantum esse aiunt quantum & tempus quo transigitur. quamuis fortè vicissim videatur agendum: quippe cum tempus continuitatem à motu suscipiat. Iam verò si continuum, qua ratione continuum est, quantum esse dixerint, sequetur quod discretum est non esse quantũ: si autem secundum accidens continuum quantum sit, quid commune ambobus erit in hoc ipso quod sint quanta? Numeris quidem ipsis id communiter insit, vt quanti sint: tametsi hoc ipsum, quod quanti dicantur satis constat, nondũ tamen constat quæ potissimum sit ipsa natura per quã quanti dicuntur: verũ linea & superficies & corpus nõ ita dicunt, sed magnitudines dicunt quidẽ, quãta verò nequaquã. Siquidẽ tunc demũ assequunt vt quãta dicant, quando ad numerũ rediguntur, per quẽ bicubitũ tricubitúmue perpenditur: quoniã & corpus naturale cum redigitur ad mensurã, quantũ quiddã iã euadit, atq; locus per accidẽs, nõ qua locus est quãtus. Oportet autẽ non secundũ accidens quãtũ accipere, sed quod quantũ sit per seipsum, ipsam scilicet quantitatẽ. Quoniã neq; tres boues velut quantum admittere decet, sed ipsum qui in eis est numerum.

Boues

A Boues enim tres, duo prædicamenta iam ſunt. Sic & linea tanta, prædicamenta duo. Tanta quinetiam ſuperficies ſimiliter duo quædam prædicamenta, & quã titas quidem ſuperficiei, ipſum quantum eſt: ipſa verò ſuperficies curnam ſit quantum? Quamobrem cum iam determinata eſt velut tribus lineis aut quatuor, quantum eſſe cenſetur. Quid ergo? ſolos ne numeros eſſe quantum ipſum aſſeuerabimus? Verùm ſi numeros ſeorſum per ſe exiſtentes ad id admittimus, hi certè ſubſtantiæ iudicantur: præſertim quia ſecundum ſeipſos exiſtant. Si autem numeros acceperimus, qui ſuis participantibus inſunt, ſecundum quos numeramus, non quidem vnitates: ſed decem equos, decemq; boues, primò quidẽ abſurdũ eſſe uidebitur, ſi illi ſubſtãtiæ ſunt, non hos quoque ſubſtantias eſſe: deinde rurſus abſurdum, ſi metientes ſubiecta, eis inſint, neque extra ſic exiſtant dum metiuntur, quemadmodum regulæ quædam atque menſuræ, quando metiri videntur. At ſi in ſe ipſis interim exiſtentes, ad metiendum accipiantur, neque tanquam ſubiectis alicubi inhærentes, nimirum neque illa ſunt quanta, quæ ſubiecta ſunt, cum per ſe non participent quantitatem. Ipſi uerò cúrnam quantum eſſe cenſentur? mẽſuræ enim ſunt. Menſuræ uerò cur quanta ſunt, uel quantitas? An forſan quia in rerum ordine exiſtentes etiam ſi nulli aliorum naturæ accommodentur, hoc ipſum tamen quod dicuntur, erunt? atq;
B in ea quæ quantitas dicitur, locabuntur? Etenim vnitas ipſa eorum determinat vnum: deinde ſe confert ad aliud, & numerus quanta ſint ibi deſignat, & anima vtens numero multidinem ipſa metitur. Dum ergo metitur, non quid ſit vnum quod que, menſurat: vnum namq; dicit & duo, qualiacunq; ſint illa, etiam ſi contraria ſint. Neq; rurſus qualem res quæq; affectionem habeat: velut num calida pulchráue ſit, ſed quoad quantum propriè ſpectat. Quamobrẽ ſiue ſecundum ſeipſum, ſiue in participantibus numerus aſſumatur, non participantia quantũ ſunt, ſed ipſe. Neque igitur tricubitum erit quantum, ſed tria potius hoc ipſum erunt. Si ita eſt, cur nam magnitudines quoq; quantæ dicuntur? An forte quia ipſi quanto ſunt proxima, & quibuſcunque adſunt, ea quanta dicimus? tametſi non ipſo principali quanto ſic illa perpendimus. Sed magnum quidem dicimus, tanquam multi numeri particeps: paruum verò, quoniam pauci ſit particeps numeri. Veruntamen magnum ipſum atque paruum non cenſentur eſſe quanta propriè, ſed ad aliquid: ſed etiam ad aliquid aiunt quatenus quanta eſſe videntur. Conſiderandum tamen eſt de his inſuper diligentius. Non igitur erit vnum aliquod genus aliud, ſolus numerus: hæc autem ſecundo loco. Non ergo principaliter genus vnum, ſed vnum predicamentum congregans quoque
C propinqua inter ſe quodammodo, & quæ primo & quæ ſecundo loco ſe habent. Nobis autem inueſtigandum eſt, quomodo numeri qui ſecundum ſeipſos exiſtunt, ſubſtantiæ ſint: an forte & ipſi quantum quiddam ſint. Vtro autem modo ſe habeant, non vnum aliquid commune illi cum his habebunt, niſi forte duntaxat nomen.

MARSILIVS.

Ipſa quantitas eſt quæ non per aliud quanta ſit, ſed per quam cætera fiunt quanta. Sermo igitur & motus & tempus cum id muneris non habeant, non ſunt quantitas, nec etiam in ſua formali ratione quantitatem includunt, quamuis quantitatis participia ſint. Cap. V.

PLOTINVS

PRoinde ſermo, & tempus, & motus quomodo ſe habent ad quantum? Primum verò de ſermone, ſi placet, interrogemus. menſuratur enim. At ſermo quidem exiſtens tantus eſt: ſed qua ratione ſermo eſt, non eſt quantum: vim namq; ſignificandi habet ſicut nomen atq; verbum. Materia verò eius eſt aer, ſicut nominis atq; verbi ex quibus ſermo componitur. At verberatio ipſa potius ſermo eſt, neq; ſimpliciter verberatio, ſed figuratio quædam facta velut formãs.

A dum videlicet comparamus quę in ſeipſis exiſtunt id quod ſunt, dicimusq; hoc atq; hoc magnitudinem eandem habent, eandemq; qualitatem: item hic progenuit illum, hic ſuperat illum. Seſsio quoque & ſtatus præter ipſum ſedentem, atque ſtantem quidnam aliud habet? Habitus autem qui ſecundum id quod habet dicitur, habere ipſum potius videtur ſignificare: qui autem ſecundum id quod habetur, quale quiddam potius eſt dicendum. eadem de diſpoſitione ratio eſt. Quidnam igitur præter hæc erunt, quæ inuicem referuntur? Quid vltra comparationem quandam noſtra intelligentia factam? Præterea quando ſuperans refertur ad ſuperatum, hæc quidem tanta magnitudo eſt, illa verò tanta. At hoc aliud, illud verò aliud: ſed comparatio apud nos eſt, nec eſt in eis. Item vbi dexter ad ſiniſtrum, & anterior ad poſteriorem præſtat, forſan hæc in ſitu quodam conſiſtere, prout ille quidem hîc eſt, ille verò ibi. Nos autem dextrum & ſiniſtrum excogitauimus: at in illis eſt nihil. Item quod prius dicitur & poſterius, reuera duo ſunt tempora: ſed quod prius & poſterius nominatur, in noſtro eſt iudicio poſitum.

MARSILIVS.

Concedit tandem in omnibus quæ inuicem relatiuè dicuntur eſſe ueram aliquam & mutuam
B *habitudinem, & præter noſtræ comparationis effectum, quamuis alicubi ſit firmior, in*
firmior alibi. Sed ualdè obſcurum eſſe dicit, quidnam ſit hæc habitudo cõmunis, & naturam uniuocam eſſe diffidit. Cap. VII.

Concedit relationem eſſe propriè nonnihil, cuius exiſtentia ſiqua eſt, in ipſa mutua rerum habitudine conſiſtat, ut in habitudine bicubiti ad cubitale cõſiſtit, relatio dupli ad dimidiũ & uiciſsim

PLOTINVS.

SI igitur nihil dicimus, ſed dicendo mentimur, nihil vtiq; horum erit, ſed habitudo vanum quiddam: ſin autem verè loquimur, quando dicimus, hic prior eſt illo, ille verò poſterior, duo inter ſe tempora comparantes, aliud quiddam præter ſubiecta intelligimus eſſe ipſum prius ac poſterius. Similiter de dextro atque ſiniſtro, & circa magnitudines præter ipſum earum quantum habitudinem quandam eſſe volumus, quatenus hoc quidem ſuperat, ſuperatur illud. Iam verò ſi nobis etiam nihil dicentibus, nihil intelligentibus, ita ſe res habet, vt hoc duplum ſit ad illud, hoc habeat, illud habeatur, antequam nos id aduertamus, & æqualia inter ſe ſint ante cognitionem noſtram, & quantum ad qualitatem ſpectat, mutuam vnionem habeant, & in omnibus quæ ad aliquid referri dicimus, præter ſubiecta mutua quædam habitudo conſiſtat, qua nos
C iam exiſtentem animaduertimus, ſimiliterq; ſe habeat cognitio ad rem cognoſcendam: qua quidem in re etiam manifeſtius eſt, eſſe quandam ex habitudine ſubſiſtentiam: ſi hæc inquam ita ſe habent, non eſt vlterius inquirendum, vtrum in his habitudo quædam exiſtat necne: ſed concedendum ex talium numero, in aliis quidem quamdiu manent ſubiecta in ſeipſis quomodo ſe habebant, quamuis inter ſe interim ſeparentur, habitudinem ipſam perſeuerare: in aliis autem, quando congrediuntur, habitudinem fieri: in aliis iterum etiam manentibus deſinere habitudinem vel omnino, vel alia fieri: quemadmodum in dextro accidit & ſiniſtro, atq; propinquo: ex quibus potiſsimum orta ſuſpitio eſt, in talibus nihil exiſtere. Hoc itaq; conceſſo perſcrutandum eſt, quidnam ſit in omnibus idem, & nunquid ſit ibi commune ipſum tanquam genus, non autem accidens. Deinde poſtquã in his idem aliquid inuentũ fuerit, indagandum eſt, quã habeat ſubſiſtentiã. Iam verò dicendum eſt aliquid relatiuũ, quod & ad aliquid nominat, nõ ſi ſimpliciter dicat alterius, velut aliquis animæ vel corporis habitus, neq; perinde atq; ex eo, quòd anima alicuius ſit, vel in aliquo: ſed illa p-priè dicẽda ſunt talia, quibus exiſtẽtia ſua nõ aliunde quã ex habitudine naſcit.

D Exiſtentiam verò hanc dico, non quæ ſubiectorum ſit, ſed quæ ad aliquid propriè dicitur: quemadmodum duplum ad dimidum, exiſtentiam tradit, neque bicubito vel omnino duobus, neq; cubitali, vel prorſus vni: ſed his exiſtentibus, illico ſecundum eorum habitudinem, præter id quod hoc quidem eſt duo, illud autem vnum, ipſum quidem duo, conſequitur vt duplum dicatur & ſit, ipſum verò vnum aſſequitur, vt dimidium ſit viciſsim, atq; dicatur. Ambo igitur vnà conficiunt ex ſeipſis aliud eſſe duplum atq; dimidium: quæ quidem ad ſe inuicem facta ſunt, eorumq; eſſe nihil aliud eſt, quàm ad ſe inuicem eſſe. Duplo quidem eſſe ineſt, ex eo quod excedat dimidium: dimidio autem, ex eo quod excedatur. Quapropter non eſt aliud quidem illorum prius, aliud verò poſterius, ſed ambo ſimul exiſtunt. Quæri præterea poſſet, nunquid & reliqua ſimul exiſtant, an quædam potius non ſimul ſint, ſicut de patre filioq; accidit, atq; ſimilibus. Nam poſtquam deceſsit pater, filius ſupereſt: & obeunte fratre, reſtat frater: quando quidē etiam ſolemus dicere hūc aut illum ſimilem eſſe defuncto.

MARSILIVS

Communis deſcriptio relationis eſt mutua duorum habitudo. Sed hæc in differentibus relatiuis tam diuerſa eſt, ut non ſit uniuoca. Inter aliqua relatiua una cum habitudine eſt actio quædam, ut inter generantem atq; genitum; alicubi nulla, ut inter ſimilia & æqualia. Cap. VIII.

PLOTINVS

E CAeterùm ad hæc quodammodo digreſsi ſumus: inde verò in primis quærendum eſt, quam ob cauſam hæc ſe diſsimiliter habeant. Sed iam igitur hoc ipſum quod dicitur ad ſe inuicem eſſe declarare debent, quam communem habeat exiſtentiam. Profectò id ipſum commune non poteſt eſſe corpus: Conſequens eſt igitur, ſi modò eſt, incorporeum eſſe: & id quidem vel in ipſis eſſe ſubiectis vel extra: ac ſi eadem ſit habitudo, vniuocā eſſe: ſin minus, ſed alia aliorū eſſe æquiuocam iudicandam. Non enim ex eo quod dicitur habitudo, ſtatim eandem habet eſſentiam. Num igitur habitudines ita partiri debemus? dicentes videlicet alia quidem habere habitudinem ocioſam quaſi iacentem, atque ſimul omnino ſubſiſtentiam inter ſe habere: alia verò vnà cum potētia ſimul & opere ſemper quodammodo habitudinem poſsidere, & antea quidem paratā potentiā haubiſſe, deinde in congreſſu etiā actu ſubſiſtere? An verò ſummatim ita dicendum, alia quidem efficere, alia verò ſubſiſtere? atq; quod ſubſiſtit, nomen ſolùm alteri exhibere? at illud quod efficit, etiam ſubſiſtentiam alteri tradere? Tale vtiq; eſt pater & filius, agens & patiens. Habent enim quandam velut vitam & actionem. Num igitur ita habitudinem diſtinguere decet: diuidere in quam, non tanquam idem in differentijs aliquid & cōmune, ſed omnino tāquā
F habitudo in vtroq; altera ſit natura, quam dicere æquiocam debeamus: & illam quidem quę efficit, nominare actionem & paſsionē, quaſi vtraq; vna ſit motio? aliam verò ponere quę nō faciat ipſa, ſed aliud quiddam ſit in ambobus efficiēs velut æqualitas, quæ æqualia faciat? Aequalitate enim æqualia fiūt, & omnino identitate quadam fiunt eadem. Vbi autē magnum dicitur atque paruum, illud præſentia magnitudinis, hoc viciſsim paruitatis præſentia ſic appellatur. Sed vbi hoc maius perpenditur illud minus, quantum ad illos qui participant ita cenſetur: maior quidem actu iam apparente quæ in ipſo eſt magnitudine, minor autem paruitate ſic apparente.

MARSILIVS

Relatio eſt nonnihil incorporeum & ratio quedam, quæ conſiſtit uel in actione, ut inter mouens ac motum, uel in ſpecie, ut hic pulchrior illo, uel in priuatione ſpeciei, ut turpior illo. Cap. VIIII.

ALiquando in ſpecie eadem, ut ſimilia & æqualia: aliquando in oppoſitis ſpeciebus, ut diſsimilia & inæqualia. Difficile eſt in eodem genere collocare rationes adeo diuerſas, item habitus & priuationes eorum, item abſtracta & concreta.

PLO-

PLOTINVS

A IGitur operæpretium èſt in illis quidem quæ prius narrabamus, velut in efficiente atq; ſcientia, habitudinem ponere certam & efficacem, atq; actum, in actuq; rationem, in reliquis autem participationẽ quandam ſpeciei rationisq; aſſerere. Etenim ſi oporteret res omnes eſſe tantúm corpora, deceret dicere, habitudines eiuſmodi quæ inuicem relatiuè dicuntur, nihil eſſe. Si autem rebus in corporeis rationibusq; principalem tribuimus eſſendi prouinciam, atq; habitudines eſſe rationes quaſdam, ſpecierumq; participationes aſſeueramus: nimirũ cauſas ſic aſsignare conſentaneum eſt: huius videlicet quod duplum eſt, ipſum duplum cauſa eſt, vt ſit duplum: atq; viciſsim quod aliquid ſit dimidium, cauſa eſt dimidium. Iam verò alia eadem ſpecie, alia ſpeciebus oppoſitis eſſe hæc ipſa quæ dicuntur. Simul igitur huic quidem contigit duplum ipſum, illi verò dimidium: huic magnitudo, illi paruitas: vel vtraq; ſunt in quolibet, ſimilitudo ſcilicet, atq; diſsimilitudo, rurſus idem & alterum: quapropter idem aliquid paſſim eſt ſimile ſimul atq; diſsimile, idemq; & alterum. Quid igitur, ſi hic quidem turpis eſt, ſed ille turpior? Nunquid participatione ſpeciei eiuſdem ſic appellantur? Fortè verò dicendum, ſi turpes ſint, omnino æquales eſſe inter ſe abſentia ſpeciei: ſi autem in hoc quidem magis ſit, in illo verò minus, dicendum ſic ſe ha-
B bere, vt participatione ſpeciei materiã parum ſuperantis hic minus ſit turpis: ille verò magis turpis, vbi ſpecies etiã minus materiã ſuperat: vel etiã priuatione quadam, ita ſunt iudicãdi, ſiquis velit eos inuicẽ cõparare, perinde ac ſi ſpecies illis ineſſet. Proinde ſenſus ſpecies quædã eſt ex ambobus, & cognitio ſimiliter ſpecies ex vtrisq; reſultans: tũ verò habitus erga id quod habetur, eſt actus quidam quaſi continens tanquam effectio quædam. Præterea menſuratio, quæ eſt actio metientis ad menſuratũ, ratio quædam eſt. Siquis igitur habitudinem ipſam relatiuorum velut formam quandam ratione generica tanquam vnũ quiddam ponat, haud ab re in his vnum genus erit, & vbiq; ſubſiſtentia erit velut ratio quædam: ſin autem rationes oppoſitæ ſunt differentiasq; habent, quas diximus, fortè genus vnum eſſe non poterit, ſed ad quandam ſimilitudinẽ, vnumq; prædicamentum omnia redigentur. Verùm ſiquo modo quæ dicta ſunt, in vnum redigi poſsint, non tamen in genus vnum colligi poſſunt cuncta, quæ ab illis ſub eodem prædicamento ponuntur. Etenim negationes quoq; ipſorum in vnum vnà cum ipſis congregant, & quæ ab eis ita denominantur vt ab ipſo duplo hic vel ille duplus. Sed quónam pacto in vnum idemq; genus tum vniuſ cuiusq; natura, tum eiuſdem negatio colligi poteſt? Duplum & nõ duplum, ad
C aliquid & non ad aliquid, perinde ac ſiquis cum animal genus poſuerit, ſibidem quoq; non animal audeat collocare. Item quomodo ipſum duplum, & hic duplus eodem in genere numerantur, ſimiliterq; albedo ſimul & albus, cum hoc & illud idem ſic eſſe non poſsit?

MARSILIVS.

Poſita deſcriptione qualitatis apud Peripateticos ſcilicet, qualitas eſt id quo quale aliquid nominatur, non poſſunt quæcunq; qualitates dicentur ſub uno quodam generatione uniuoca contineri. Cap. X.

NEc facilè poſſumus explicare quidnam id ſecundum ſe ſit, per quod alia denominantur qualia. Nam per potentiam pariter atq; impotentiam: item per habitũ æqualiter priuationemq;, quale aliquid appellatur, ac paſsim ſimiliter per oppoſita.

PLOTINVS.

POſthac autẽ conſiderare decet qualitatẽ, à qua rite qualis aliquis nominatur. Et in primis inueſtigandum, quidnam exiſtens ipſa, alia reddat qualia: & nunquid vna eadem exiſtens ratione communi, ſpecies exhibeat differentijs, an potius adeo inter ſe diuerſæ qualitates ſint, vt vnum earum genus eſſe non poſsit? Verùm quidnam cõmune eſſe poteſt in habitu, & diſpoſitione actiuaq;

D qualitate, figuraq; & forma? Quid dicam de craſſo ac tenui, de pingui & macilento? Si enim ipſum cõmune dicamus potentiam, quæ conueniat habitibus & diſpoſitionibus potentijsq; naturalibus, á qua id ipſum quod habet eam, poteſt quæcunq; poteſt, nõ amplius impotentiæ cũ his genere congruẽt. Deinde figura & quæ circa quodlibet forma eſt, quónã modo potẽtia eſt? Præterea ſi ita ſit, ens qua ens eſt, potentiã nullam habebit, ſed quando ei quale acceſſerit: ipſi verò actus eſſentiarũ, qui potiſsimũ actus ſunt, ſecundum ſeipſos agẽtes, & actus viriũ propriarũ, quatenus ſunt id quod ſunt, ad quale ſic pertinebunt. Verùm ſecundum potentias illas, quæ poſt eſſentias ſunt, qualitas cenſenda dicẽt, ceu facultas pugilis, non hominis iudicat vt homo, ſed vis ipſa rationalis: quæ facultas iccirco non eſt qualitas, ſed illa potius, quam aliquis induſtria cõparauerit. Quamobrem rationalis potẽtia æquiuocè qualitas appellat. Erit itaq; qualitas vis quædam eſſentijs addita poſt ipſam eſſentiæ rationẽ, per quã deinde quales cognominantur. Differẽtię verò per quas inter ſe inuicem eſſentiæ diſcrepant, qualitates æquiuocè nuncupantur: quæ quidem ſunt actus potius rationesq;, vel partes aliquæ rationum, nihilominus ipſam rei ſubſtantiam declarantes, tametſi eſſentiam qualem dicere videantur. At illæ, quæ qualitates præcipuè iudicantur, per quas quales efficimur, quas & notione communi potentias appellamus, forſan erunt rationes quædam, & tanquam formæ, tum circa animam, tũ
E circa corpus pulchritudo quædam, vel turpitudo. Sed quonam pacto qualitates omnes erunt potentiæ? Eſto ſanè pulchritudo & ſanitas propriè qualitas: at verò turpitudo, morbus, infirmitas, impotentia, quomodo qualitas? An quia ſecundum hæc quoque quales aliqui nominantur? Sed quidnam prohibet, quominus qui appellantur quales, non vnica ratione, ſed æquiuoca nuncupentur? Neq; ſolùm modis quatuor appellentur aliqui quales, ſed quolibet etiam quatuor modorum, ſaltem dupliciter appellentur. Forſan verò non ſecundum ipſum agendi vel patiendi motum qualitas iudicatur. Quapropter aliter quidem id quod poteſt facere cenſetur & dicitur, aliter verò patiens: tũ verò ſanitatem, diſpoſitionem, habitum, ſimiliterq; morbum: item robur paritérque debilitatem appellare qualitatem conſueuerunt. Verùm ſi ita ſit, non amplius commune ipſum in eiuſmodi rebus erit ipſa potentia, ſed oportebit commune quiddam aliud indagare: neque rurſus ſic qualitates omnes æquè rationes nominare licebit. Quo enim pacto morbus, qui eſt habitu confirmatus ratio vlla erit? Num igitur affectiones, quæ in ſpeciebus viribusque conſiſtunt, qualitates cognominabimus? Oppoſitas verò priuationes ideoq; non vnum genus, ſed v-
F num aliquid dicemus ſemper, velut vnum prædicamentum: velut ſcientiã quidem ſpeciem quandam atque potentiam, inſcitiam verò priuationem & impotentiam appellamus. An fortè impotentia inſuper & infirmitas forma quædam eſt? atque ita & morbus & prauitas poteſt, facitq; multa, ſed male. Sed enim cũ nihil aliud hæc ſint quàm ab intentione finis excidere, quónam modo potentiæ rite cognominant? Fortè quoniã vnumquodque eorum ſuum quiddam agit, non ad rectum ipſum ſpectans. nec profectò quicquam faceret, quod minimè potuiſſet. Pulchritudo certè alicuius vim habet, num igitur & triangulus? An fortè neque ad potentiam quidem in iudicanda qualitate decet aſpicere, ſed potius ad id quod aliquo modo diſponitur, vel afficitur? Quamobrem ſecundum quaſdam quaſi formas & characteres nobis eſt qualitas perpendenda: atque in eius ordine ipſum commune omnium forma qædam eſt, & ſpecies in eſſentia quidem iacens, ſed veniens poſt eſſentiam. Sed rurſus quomodo ad id ſe habent potentiæ, perquirendum. Fortè & qui natura eſt pugil, ex eo quòd afficiatur quodammodo, id ipſum habet: ſimiliterq; qui naſcitur ad aliquid impotens, & omnino character quidam qualitas eſt, iue ſignaculum, atque nota,

ad

A ad eſſentiam minimè pertinens. Quod autem videtur idem tum conferre ad eſſentiam, tum accedere præter eſſentiam, ſicut calor & albedo omnisq; color, ita ſe habet, vt quod ad eſſentiam confert, aliud ſit velut actus eſſentiæ: quod verò non conducit, ſecundo loco ſe habeat, ſitq; ab illo, aliudq; in alio, imago ſimilitudoq; illius. Cæterùm ſi qualitas ſecundum formationem & notam rationemq; iudicat, quónãpacto ad qualitatẽ attinent, quæ impotentiam turpitudinemq; ſignificant? Fortè reſpondendum eſt, talia quædam rationes imperfectas eſſe, ſicut patet in turpi. Sed in morbo quomodo ratio? Fortè in hoc etiam rationem ponimus ſanitatis, quodammodo è ſuo ſtatu permotam: fortè verò non omnia hæc in ratione ponenda ſunt. Sufficit autem communis quædam conditio ſecundum affectionem & diſpoſitionem extra eſſentiam ſic quodam modo ſe habentem, & poſt eſſentiam accedentem, adeo vt qualitas quædam ſit ſubiecti. Triangulus verò eius in quo eſt, qualitas iudicatur, non quidem triangulus ipſe ſimpliciter, ſed & qui in hoc eſt, & quatenus format. Sed & humanitas forſan format, imò verò præſtat eſſentiam.

MARSILIVS.

Admiſſa Peripateticorum deſcriptione, difficillimum eſt quæ qualitates dicuntur inter ſe ritè
diuidere: & impoſsibile diuidendo eas ſub eodem genere uniuoca
B *ratione colligere.* Cap. XI.

PLOTINVS.

CAeterùm ſi ita ſe habent, cur nam plures ſunt ſpecies qualitatis? atq; habitus aliud quiddam eſt, & aliud diſpoſitio? Non enim in manendo vel non manendo conſiſtit differentia qualitatis, ſed ſufficit affectio quædam quomocunq; ſe habeat ad quale reddendũ: permanẽdi verò munus extrinſecus additur: niſi quis fortè dixerit, ipſas quidem duntaxat diſpoſitiones quaſi formas imperfectas eſſe, habitus verò perfectos. At ſi imperfectæ ſunt, nondum qualitates exiſtunt: ſin autẽ iam ſunt qualitates, permanendi munus eſt quædam extrinſecus adiecta conditio. Naturales verò potentiæ quónam pacto ſpeciem aliam præſtant? Si enim ſecundum id ipſum quod potentiæ ſunt, qualitates exiſtunt, profectò conditio ipſa potentiæ non conueuit omnibus, vt eſt dictum: ſin autem hominem natura pugilem, ex eo quòd certò modo ſit diſpoſitus vel affectus, qualem eſſe dicimus, nihil efficit potentia inſuper addita: quandoquidem & in ipſis habitibus potentia continetur. Proinde cur nam ille, qui ſecundum naturalem potentiam pugil eſt, ab eo differet, qui ſcientia pugil euaſerit? Fortè qua ratione ſunt quales, nimirum hę non ſunt differentiæ qualitatis, ſi hic
C quidem induſtria comparauit, ille verò eſt natura ſortius, ſed ab extrinſeco accidit differentia. At verò ſecundum ipſam pugilis facultatis ſpeciem quomodo differunt? Quinetiam ſi aliæ quidem ex quadam paſsione proueniunt, aliæ verò nequaquam, quam ex hoc differentiam habent? Neque enim intereſt vnde qualitas oriatur: quantum inquam ad permutationem qualitatis & diſcrepantiam pertinet. Quærere præterea licet, etiam ſi quæ ex paſsione fiunt, partim quidem ſic, partim verò aliter aliorumq; fiant, quomodo poſsint in eadem ſpecie collocari. Ac ſi dicatur alias quidem ex paſsione fieri, alias verò facere paſsionem, æquiuocè ſimul qualitates appellabuntur. Præterea quídnam ſibi vult, quod dicitur circa vnumquodque forma. Si enim qua ratione ſpecies eſt vnumquodque ita dicitur, id ad qualitatem minimè partinet: ſin autem qua vnumquodque poſt ipſam ſubiecti ſpeciem, pulchrum vel turpe dicitur, quale dictum intelligatur, rationem aliquam habere poteſt. Tum verò aſperum & lene, rarũ atq; denſum, non rectè qualia nuncupanẽ. Non enim ob quaſdã inter ſe diſtantias, vel ꝓpinquitatẽ quandam, rarũ, denſum, lenitas, aſperitas iudicatur:

D nec vbiq; hæc ex inæqualitate positionis vel æqualitate ꝓueniunt. Quòd si ex his quoque proueniant, nihil prohibebit, quo minus qualia iudicentur. Si denique leuis ipsius & grauis conditio cognoscatur, patebit iam nobis, vbi hæc sint potissimum collocãda. Licet præterea circa leue naturam æquiuocã inuenire: nisi fortè libratione quadam & ipsa pluris pauciorisue pensatione leue aliquid perpendatur: in quo quidem ordine macilentũ quoq; & tenue reperitur, quod sanè in alia quadam specie præter quatuor numeratur.

MARSILIVS.

Non licet qualitates Peripatetico ritu partiri: neq; fas est qualitates corporis, animæ, mentis sub eodem genere collocare. Cap. XII.

PLOTINVS.

VErùm siquis non ita qualitatem existimet diuidendam, qua nam ratione diuidere poterit? Considerandum igitur, num deceat alias quidem corporis, alias autem animæ qualitates asserere: deinde corporis qualitates pro sensuum distributione diuidere, vt aliæ ad visum pertineant, ad auditum aliæ, vel ad gustum: aliæ ad olfactum, aut tactum. Qualitates autem animæ quomodo partiemur? nunquid per concupiscendi, irascendi, consultandi virtutes? Aut per differentias actionum, quæ secundum eas agũtur, quoniam hæ harum sint
E effetrices? An secundum vtile noxiumq; diuidemus? rursusq; vtilitates & damna? Similiter qualitates corporeas diuidemus per id ipsum quod differentia faciãt, vel secundum vtilitatem aut damnum? propriæ namq; sunt eiusmodi differentiæ qualitatis. Aut enim vtilitas & damnum à qualitate & quali videntur accidere, vel modum adhuc alium & aliter indagare debemus. Inuestigandum verò quo pacto fieri possit, vt qui secundum qualitatem qualis est, in ea ipsa proprie sit qualitate. non enim genus vnum est vtriusque. Item si pugil in qualitatis est ordine, quomodo non etiam in eodem sit & effector? Atq; si ita sit, quomodo non rursus & ipsum efficiens? Quapropter nequaquam oportet ipsum efficiens ad ordinem relationis traducere, neq; rursus ipsum patiens, si hic aut ille patiens in qualitatis ordine continetur. Ac forsan præstat effectorem hîc collocare, si secundũ potentiam existimatur effector. Est autem potentia qualitas: sin autem secundum essentiam ipsa potentia est, quæcunq; potentia sit, neq; sic quidem refertur ad aliquid, neq; etiam ad ordinem redigitur qualitatis. Non enim efficiens ipsum ita se habet sicut maius. Ipsum namq; maius, subsistentiam, quatenus maius est, habet ad id quod minus esse perpenditur: efficiens autem ex eo quod iã tale est iudicaẽ efficiens: sed forsan quatenus quidẽ tale est in qua
F litatis ordine collocaẽ: quatenus verò potest in aliud, ideoq; dicitẽ effectiuum, inter relatiua meritò numeraẽ. Cur igitur non etiã pugil inter relatiua censetur? similiterq; peritia pugilis? Facultas nãq; pugilis omnino refertur ad aliud. Neque enim vlla eius consideratio est, quæ non ad aliud referatur. Iam verò & de cæteris artibus, aut certè plurimis cogitandum est, atque fortè dicendum: quatenus quidem disponunt & afficiunt animam, qualitates existere: quatenus autem nonnihil efficiunt, effectrices existimari, atq; ex hoc ipso referri ad aliud, & in relatiuorum ordine collocari: quandoquidem alio quoque modo ad aliud referuntur, prout habitus appellantur. Sed nunquid alia quædam subsistentia est secundum ipsum quod dicitur effectiuum, cum effectiuum non ob aliud quàm quia quale est, sit effectiuum? Fortè enim aliquis in rebus animatis, præsertim consilio quodam vtentibus, ex eo quòd declinent ad faciendum subsistentiam esse, concedet etiam secundum effectiuæ virtutis conditionem: In viribus autẽ inanimatis, quas diximus qualitates, quidnam est ipsum effectiuum? Fortè quando tali cuidam occurrit aliud, accipit ab eo, euaditq; sui muneris

particeps

A particeps. At ſi idem agit in aliud, atq; patitur, quomodo amplius effectiuum proprie ipſum ſubſiſtit? Quando quidem & maius ipſum quod forte ſecundum ſe eſt tricubitum, maius & minus in cõcurſu ad aliud euadere conſueuit. Sed dicet aliquis, maius ac minus participatione quadam magnitudinis paruitatisq; fieri. Forte etiam hoc quod patitur ſimul & agit participationem quandam habet effectiui ſimul atq; paſsiui. Quærendum hîc quoq; videtur, nunquid qualitates, quæ in hoc mundo ſunt vnà cum illis quæ ſunt in mundo diuino ſub eodem genere numerentur. id autem erga eos dicatur, qui & ibi talia quædam ponunt. An forte ſimiliter quærendum eſt etiam ſiquis ſpecies non admiſerit? nẽpe ſi interim intellectum admiſcerit, habitumq; in eo aliquem eſſe conceſſerit, interrogabitur, nunquid commune aliquid huic habitui ſit ſimul & illi? conceditur ſaltem ſapientiam illic exiſtere. Atqui ſi illa æquiuocè ſe habet ad noſtram, meritò inter eiuſmodi qualitates non numeratur: ſi autem ſe habet vniuocè, ipſa certè notio qualitatis noſtris erit illisq; communis: niſi quiſpiam omnia quæ illic ſunt, eſſe affirmet eſſentias: ideoq; intelligentiam ipſam ſimiliter eſſe concedat eſſentiam. Verùm eiuſmodi quæſtio de cæteris quoq; prædicamentis agi poteſt: nunquid quod hîc, & quod ibi eſt, diuerſa ſint genere, an potius ambo ſub eodem genere collocentur.

B MARSILIVS.

Quod apud Peripateticos nominatur prædicamentum quando, ideſt, hæri, cras, & ſimilia, tempus propriè temporisue partem formali ratione comprehendi. Cap. XIII.

SI ergo nihil aliud ſignificat, non debent in alio prædicamento ipſum quando, in alio tempus ponere: ſin autem præter tempus ſignificat aliud, non unum hoc iam prædicamentum erit, ſed ex pluribus congregatum.

PLOTINVS

DE illo autem prædicamento, quod ipſum aliquando, ſiue quando nominant, deinceps ita conſiderandum. Profectò ſi heri & cras & anno præterito, ſiue iandiu, & talia quædam temporis partes ſunt, quidnam prohibet quominus hæc in eodem ſint, in quo eſt & tempus? Siquidem ipſum erat, & eſt, & erit, cum ſpecies temporis ſint, non iniuria in eodem in quo tempus ponitur, collocantur: tempus autem eſſe in quãtitatis genere dicitur. Quapropter quidnam opus eſt nouo quodam prædicamento? Si autem dixerint, hæc non ſolùm tempus eſſe, ſcilicet erat, & erit: item heri, & iamdiu, quæ ſub ipſo erat, ponũtur: ſubĵci enim talia oportet ipſi, quod dicitur erat: ſi inquam id ipſum dixerint non ſolùm eſſe tempus, ſed aliquando tempus, ita protinus reſpondebitur.

C Primò quidem, ſi eſt aliquando tempus, certè eſt & tempus: deinde ſi heri tempus præteritum eſt, compoſitum quiddam erit: ſi modò aliud quiddam ſit ipſum præteritum, aliud verò tempus. duo ergo prædicamenta hæc erunt, neque ſimplex aliquid. Sin autem ipſum aliquando dicant non eſſe tempus, ſed in tempore, hoc ipſum quod dicitur in tempore, ſi rem ipſam ſignificat, quaſi dicat, Socrates iandiu erat, ſanè Socrates extrinſecus erit, neque vnum aliquid dicent. Verùm Socrates, vel actio in hoc ipſo tempore quidnam erit potiſsimum? An forſan in parte temporis? Sin autem quoniam partem temporis dicunt, & qua ratione pars eſt exiſtimant non tempus quiddam, vel partem eius ſimpliciter, ſed præteritam temporis partem dicere, plura conficiunt: nempe partem quatenus pars eſt, ad aliquid ſe habentem adſumunt. Atque ipſum præteritum apud illos adiectum aliquid erit, vel idem cum ipſo, quod dicitur erat, quod eſt temporis ſpecies. Verùm ſi hoc intereſſe dicant, quod ipſum erat indefinitum ſit, ſed ipſum heri & anno ſuperiori ſit definitum, nos quidem primò ipſum erat conſtituemus alicubi: deinde heri, cenſebitur ipſum erat iam definitum: vnde ſequitur, vt heri tempus ſit definitum, hoc autem eſt temporis

D quantitas,vel quantum quiddam tempus. Quapropter ſi tempus eſt in quanti ipſius ordine conſtitutum,horum quodlibet erit quantum iam definitum: at ſi quotiens dicunt heri,id dictum intelligamus,quaſi id in tempore præterito definito ſit factum,multò adhuc magis multa ſimul adducent in medium. Deniq; ſi oportet alia inferre prædicamenta,ex eo quòd aliud ſit,fiátue in alio,quemadmodum inpræſentia de hoc ipſo accidit,quod in tempore ſit,vel fiat. Multa inſuper alia prædicamenta eadem conditione inueniemus, quia videlicet aliud quoquomodo exiſtat in alio. Sed de hoc apertius in ſequentibus,vbi de hoc ipſo quod ipſum vbi dicitur,diſputabimus.

MARSILIVS.

Superuacuum eſt propter id quod dicitur aliquid alicubi eſſe, nouum inferre prædicamentum: Nam hoc ipſum ubi, propriè locus eſt. Siquid autem huic adiectum conſideratur, non nouum prædicamentum affert, ſed relationem aliquam uel ſubſtantiam. Cap. XIIII.

LOTINVS.

SOlent de prædicamento,quod nominant vbi,tractantes dicère: Vbi profectò eſt,ac ſi dicatur, in Lycio eſt vel Academia. Academia igitur Lyciumq; loca ſunt omnino,partesq; loci,ſicut ſurſum,deorſum,hîc ſpecies ſunt loci, vel partes: intereſt autem,quod alia alijs magis determinata ſunt. Si igitur ſurſum, deorſum,medium ſunt loca,velut Delphica regio media eſt,& prope medium
E Actica,& Lycium & reliquæ regiones, quidnam oportet vlterius præter locũ quærere,præſertim cum dicamus hæc ſingulatim locum ſignificare? Si autem aliud in alio dicimus,quando dicimus vbi,non vnum dicimus neque ſimplex. Præterea ſi quotiens hunc eſſe hîc affirmamus,non ſimplicẽ eſſe dicimus, habitudinem aliquam procreamus,tum huius in hoc,tum eius quod ſuſcipitur ad id quod ſuſcipit,cur non hoc ipſum in relatiuorum genere ponimus? ſiquidem ex vtriuſque habitudine ad vtrunq; aliquid generatur. Item nihilo differt, ſi Athenis habitans dicas hîc ſum, aut ſum Athenis. Sed hoc ipſum quod dicitur hîc cum ſignum demonſtratiuum ſit,locum ſignificare concedent, ideoq; & illud quod dictum eſt Athenis,deſignare locum confitebuntur. Quapropter Athenis ad ipſum propriè locum pertinet. Rurſus ſi Athenis idem eſt atq; in vrbe Athenienſi eſſe,nimirum vltra locum,ipſum quoq; eſſe etiam prædicatur: non tamen ita decebat,quemadmodum neq; pro genere qualitatis fas eſt aſsignare, qualitas eſt,ſed qualitas ipſa duntaxat. Accedit ad hæc, quod ſi oportet quod in tempore vel loco dicitur,aliud afferre prædicamentum, præter tempus atq; locum,cur non etiam quod eſt in vaſe,aliud inducat prædicamentũ? Item quod in materia,aliud? Rurſus aliud,quod eſt in ſubiecto? Item quod vt pars in toto, vel ſicut totum in partibus,genus in ſpeciebus,ſpecieſue in genere ſimiliter a-
F liud? atq; ita plura adhuc nobis prædicamenta numerabuntur.

MARSILIVS

Rectius fortaſſe pro prædicamento poneretur effectio, aut actus, aut motus, quàm facere. Cap. XV.

PLOTINVS.

IN eo autẽ prædicamẽto,quod facere nominant,hæc conſiderare licet. Traditur ſanè,poſt ſubſtantiã ponẽda eſſe quæ ſunt circa ſubſtantiã,quemadmodũ quantitas numerusq; ſe habent: ideoq; quantitas apud illos aliud genus aſſeritẽ. Item quia qualitas circa ſubſtantiã eſt, iccirco ipſum quale genus aliud ponitur: ſic itaq; cum circa eandem ſit & effectio,aliud quoq; genus eſſe hoc ipſum facere arbitrantur. Num igitur ipſum facere ponendum eſt,an factio potius, à qua facere proficiſcitur? Quemadmodũ & qualitas ponenda eſt,à qua fit quale ſimiliter. An potius hîc factio,facere,faciens,vel facere atq; factio in vnũ accumulãda ſunt? Iam verò ipſum facere magis deſignat efficiẽtẽ,factio verò nequaquã. Atqui & facere planè ſignificat in quadã effectione verſari: id autẽ eſt in actu ſe habere. Ex quo efficitur, vt actus prædicamentum potius ſit, Qui ſanè actus

con-

A conſiderari circa eſſentiam affirmatur, quemadmodum ibi qualitas: qui rurſum actus verſatur circa eſſentiam tanquam motus. Et profectò motus vnum aliquod rerum genus exiſtit. Cur enim qualitas quidem vnum aliquid eſt circa eſſentiam: et quantitas ſimiliter vnum quiddam: item relatio propter quandam alterius ad alterum habitudinem: Motus autem, qui ſimiliter circa eſſentiam eſt, non ſit ſimiliter vnum genus:

MARSILIVS.

Rectius fortè pro prædicamento poneretur actus: atq; ſub eo actus alter quidem perfectus, ut habitus atq; forma: alter autem imperfectus, ut motus ad habitum atq; formam. Cap. XVI.

MOtus non ratione ſui dicitur imperfectus actus: quo enim momento incipit iam actus eſt & motus, ſed ratione alicuius alterius poſt motum perficiendi. Sicut actus ac ſæpe mutatio fit momento, ita motus exordiens in momento ſimpliciter iam eſt motus: ſubit uerò tempus quatenus ſubit & quantitatem.

PLOTINVS

SIquis autem obijciat, motum eſſe actum imperfectum, nihil adhuc prohibere videbitur, actum quidem primo loco ponere, motum verò tanquam ſpeciem eius, & imperfectum quiddam illi ſubijcere: prædicando quidem de motu actum, addendo verò pro differentia imperfectum: nam imperfectum de motu dicitur, non quia non ſit actus, ſed actus quidem eſt omnino, ſortitur autem repetitam quandam ſucceſsionem, non quidem vt motus ipſe ad actum quandoq; perueniat: iam enim actus exiſtit, ſed vt efficiat aliquid, quod aliud quiddam eſt vltra motum: neq; tunc motus ipſe perficitur, ſed res ipſa potius, ad quam motor animum intẽdebat: ſicut inceſſus ſtatim ab initio erat inceſſus. Si autem opporteat ſtadium pertranſire, nec dum tranſactum fuerit, certè hoc ipſum quod deeſt, neq; inceſſui neq; motui deeſt, ſed potius inceſſui tanto: inceſſus autem erat etiam quantuſcunq; fuerit, atq; iam motus. Profectò qui mouetur, iam eſt motus, & qui diuidit, iam diuiſit. Et ſicut qui actus dicitur, non indiget tempore, ita neq; etiam motus, ſed motus propriè eouſq; productus: atqui ſi actus fit in non tempore, certè & motus qui omnino motus eſt atq; ſimpliciter: ſin autem motum dicant iccirco prorſus in tempore fieri, quia cõtinuitatem ſibi vendicet: reſpondebitur, viſionem quoq; non intermiſsam habere continuitatem, agíque in tempore. Argumentum verò huic præbet facultas quoque proportionis: quæ quidem tradit, poſſe ſemper ex quocunque motu aliud aliúdque accipere, neque eſſe initium temporis, in quo & à quo
C inceperit: neque rurſus motionis exordium, ſed licere ſemper altius motum diuidere, adeo vt contingat motum nuper incohatum iam etiam ex infinito tempore proceſsiſſe, ipſumq; motum ſimiliter infinitum quantum ſpectat ad exordium, extitiſſe. Id autem ideo accidit, quoniam actum á motu ſeparant: & actũ quidem fieri in non tempore dicunt, motum verò tempore indigere fatentur. Motum inquam non ſolùm tantum propriè aut tantum, ſed omnino motus ipſius naturam neceſſariò eſſe quantam: tametſi ipſi fatentur, tantum aut tantum per accidens motioni contingere: ſiquidem motus ſit diurnus, vel quanticunq; ſit temporis. Sicut igitur actus fit in non tempore, ita nihil prohibet motum quoq; in non tempore incepiſſe, tempus autem ob id motui contigiſſe, quoniam motus tantus euaſerit: quandoquidem mutationes quoque in tempore fieri conceduntur, quando dici ſolet, mutationem partim quidem peragi ſimul totam, partim verò nequaquam. Si ergo mutatio, cur non etiam motus agitur in non tempore: Aſſumpta verò mutatio eſt, non in eo quòd iam facta fuerit permutatio, non enim mutatione illa indigebat, quæ propriè in eſſe quodam permutato conſiſteret.

D MARSILIVS.

Probabilius ſub motu tanquam genere ponerent actionem & paſſionem, quàm duo hæc tanquam prædicamenta duo. Eſſe relatiuum non eſt ſimpliciter eſſe alicuius, uel ad aliquid uergere, ſed hoc ipſum quod eſt, ex mutua duorum habitudine confici. Cap. XVII.

PLOTINVS.

SIquis autem attulerit, neque actum neque motum eſſe per ſe genera, ſed in relatiuorum genere cõputari, propterea quòd actus quidem ſit alicuius potentia quadam actiui, motus autem ſit alicuius potentia motiui, qua ratione ſit motiuum, dicendum eſt. Relatiua ſemper ipſa habitudine generari, non autẽ ex eo duntaxat, quòd dicantur ad aliud. Quando verò ſit ſubſiſtentia quædam, quæ ſiue alterius, ſiue ad alterum ſit, naturam tamen ipſam ſortitur ante relationem: hîc vtiq; actus & motus & habitus inſuper exiſtens alterius, non caret interea ea facultate, per quam ante relationem ſit reipſa, atq; intelligatur: alioquin ſic omnia pariter ad aliud referentur. Quodlibet enim habitudinem quandam ad aliquid habet, quod quidem animæ quoq; contingit. Iam verò hoc ipſa factio, & hoc ipſum facere, cur non in relatiuorum numerũ referantur? Aut enim motus, aut actus quidam erit omnino: ſin autem effectionem quidem in relatiuorum ordine collocent, ipſum verò facere genus vnum conſtituant, quidnam prohibet quo minus & motum ad aliquid referant, ipſum verò moueri vnũ eſſe genus affirment? Atqui moueri eis diuidere licet tanquam vnum, in ſpecies
E præcipuè duas: in ipſum ſcilicet facere atque pati, non tamen ſicut nunc efficiunt, dicentes videlicet hoc quidem genus eſſe facere, illud autem genus eſſe pati.

MARSILIVS.

Motus ipſe non tam ut ſimpliciter ſit, quàm ut ſit longus, indiget tempore. Item non omnis actio refertur ad paſſionem, qualis inceſſus & intelligentia eſt. Præterea motus, actio, paſſio, ſenſus, intelligentia, præter id quod ſunt alicuius actus, & diriguntur ad aliquid, exiſtunt abſolutè aliquid in ſeipſis. Cap. XVIII.

PLOTINVS.

COnſiderandum eſt præterea, num ritè dicturi ſint in ipſo facere alios quidem eſſe actus, alios autem eſſe motus: & actus ſimul totos expleri, motus autem tales eſſe, quále ſit & diuidere. Diuidere nanque verſatur in tempore, an forte actus omnes dicturi ſint eſſe motus, vel certè cum motu? Item nunquid effectiones omnes ad ipſum pati ſint relaturi, an potius quaſdam abſolutas affirmaturi, ſicut incedere atque loqui? Rurſus num omnes impetus ad paſſionem relatos motus nominaturi ſint, abſolutos autem ſimpliciter actus, vel forſan in vtriſq; pariter vtrunque collocaturi? Iam verò incedere quidem ipſum, quod & abſolutum quiddam eſt, motum facilè appellabunt: intelligere verò cui patiens non reſpondet, actum vel actionem (vt arbitror) nuncupabunt: alioquin intelligere atque incedere non erit aliquid facere. Verùm ſi hæc in genere faciendi non ſint, vbi dicendum? Forſan verò intelligere ad intelligibile ſicut & intelligentiam referent: nam & ſenſum ad ſenſibile dirigunt. Quòd ſi & ſenſum dirigunt ad ſenſibile, cur non ipſum quoq; ſentire ad ſenſibile referant? Atqui ſenſus, qui & refertur ad alterum, habitudinẽ quidem habet ad illud, ſed habet interea nihilominus præter habitudinem aliquid, hoc ipſum ſcilicet actũ quendam eſſe, vel paſsionem. Si igitur paſsio præter id quod alicuius vel ſub aliquo ſit, eſt & aliquid aliud, nimirum ſic & actus atq; actio: tum verò inceſſus cum ipſe quoq; alicuius ſit, ſitq; pedum, atque ſub aliquo, habet tamen in ſeipſo interim vt ſit motus. Quod ſi ita eſt, intelligentia quoq; præter id quod ſpectat ad aliquid, id in ſe muneris habet, vt motus quidam ſit aut actus.

MAR-

A MARSILIVS.

Probabiliter motum ponemus pro genere: quem diuidemus in motum exorientem intrinſecus atq; in motum extrinſecus incidentem. Cap. XIX.

PRimum quidem nominabimus actionem, ſiue maneat intus, ſiue etiam in aliud exeat. Secũdum uerò paſsionem: ſiue quis putet hos inter ſe motus actionemq; & paſsionem re ipſa diſcrepare, ſiue tantùm ratione differre.

PLOTINVS.

POſt hæc autem conſiderandum eſt, nunquid actus aliqui videantur imperfecti fore, niſi tempus aſſumpſerint, adeo vt cum motibus vnà conſpirent, velut viuere atq; vita. In tempore namq; perfectò conſiſtere videtur ſuum cuiuſq; viuere: ipſa quinetiam beatitudo actus quidam eſſe, non in aliquo indiuiſibili conſiſtens, ſed tanquam motum quendam eſſe putant. Ex quo dicendum ſit, vtraq; motus eſſe, atq; motum ipſum genus vnũ exiſtere: quod quidem perſpicere liceat vnum ſecundum ſe genus vltra quantitatem, quæ in ſubſtantia eſt, & vltra qualitatem: adeo vt motus ſimiliter ſit vnum quiddam circa ſubſtantiam: quem quidem communem motum, ſi placet, in duas diuidas motiones, quarum aliæ quidem ad corpus, aliæ verò pertinere ad animam videantur: aut aliæ penes ipſa mouentia ſint, aliæ ſub alijs aliunde in ipſa per-
B ueniant: vel aliæ ex ipſis propriè, aliæ autem ex alienis. Tum verò quæ ſunt ex ipſis, actiones ſint, ſiue in alia tranſeant, ſiue ſint abſolutæ. Quæ verò pendent ex alijs, paſsiones, quamuis motus etiam in alia tranſeuntes, ijdem eſſe videantur, atque motus qui ex alijs pendere dicuntur. Diuiſio namque ſiue penes diuidentem, ſiue in re diuiſa conſideretur, eſt vna: ſed diuidere aliud eſt, quàm diuidi. Forſan verò neq; vna quidem eſt ipſa diuiſio, quæ infertur á diuidẽte, & quæ in diuiſo ſuſcipitur, ſed diuidere ipſum atq; diuidi nihil aliud eſt, quàm ex tali quadam actione & motione, alteram in re diuiſa ſuccedentem fieri motionem: aut fortè non ſecundum hoc ipſum, quod diuidi dicitur, differentia ipſa perpenditur, ſed ſecundum aliud ex motione reſultans, velut dolere: in hoc enim conſiſtit pati. Quid ergo dicendum, vbi nihil doleat? Quidnã aliud, niſi quod actus efficientis in hoc exiſtens, ſit loco doloris vel paſsionis? Sic enim accidit & tale quiddam eſt, quod dicitur aliquid facere: atq; ita duplex videtur eſſe quod facere nominatur: aliud quidem non in alio, aliud autem in alio collocatum. Neq; ſic vlterius diuidetur, vt aliud quidem facere ſit, aliud verò pati: ſed ipſum quod eſt in alio facere occaſionem præſtitit, vt duo quædam eſſe hîc apparerent, quorum aliud ſit facere, aliud contrà ſit pati. Iam verò ſcriben-
C di munus, quamuis admittatur in alio, non affert præterea paſsionem ſibi è contrario reſpondentem, quoniam nihil aliud efficit in ſcribendo, præter ſcribentis ipſius actum, quod quidem perinde ſe habeat atq; dolere. Siquis autem dixerit tale quiddam afferre præterea, quale ſit, quod fuiſſe ſcriptum dicatur, non propterea paſsionem aliquam in medium introducit. Atqui & in ipſo inceſſu, quamuis terra ſubſit, quæ inceſſu calcatur, non tamen hîc addi debet, terram aliquid inde fuiſſe perpeſſam. Sed quãdo quis ſuper corpus animalis pgredit, paſsio iã perpenditur, dum videlicet quiuis excogitat dolorem inſuper inde prouenientem, dolorem inquam reputans non inceſſum: alioquin id ipſum prius etiam perpendiſſet. Sic & in omnibus ſecũdum ipſum facere, vnum quiddam genus, dicendum eſt vnà cum eo quod pati dicitur & oppoſitum. Quod autem pati dicitur, id ipſum eſt quod factum eſt poſterius, non quidem quòd ſit oppoſitum perinde atq; ei quod eſt comburere, ipſum quod eſt comburi: ſed paſsio potius dicitur atq; pati, id ipſum quod ex comburere comburiq;, velut vno quodam exiſtente, in re ipſa reſiliat, ſiue dolor id ſit, ſiue aliud quiddam, quaſi cõſumptio quædam. Quid ergo? ſiquis hoc ipſum ſic agat, vt dolorem inferat, nònne hic

D quidem agit, ille verò patitur: atq; ex vno quodam actu duo conficiuntur, vbi hic facit, ille patitur. Forsan verò in ipsa actione non amplius computatur doloris inferendi propositū: sed facit aliud quiddam, per quod afficit dolore. Quod quidem in ipso dolituro factum, vnumq; & idem existens efficit vt aliud præterea sit dolore quodam affici. Quid igitur de illo dicendum? quod vnum quiddam sit prius quàm etiam dolore afficiat? vel etiam vbi dolor nullus infertur, nōne passio est, illius ipsius, in quod infertur? velut audire. Sed fortè ipsum audire non est passio, neq; omnino sentire vlla passio est: at dolore premi, est in passione constitui, quod quidem effectioni non est oppositum iudicandum.

MARSILIVS.

Aliquam actionem passio non comitatur, ut intelligentiam atq; sensum: aliquam comitatur intus, ut conterere conterentem uicissim, & calefacere mutuò frigefacientem: aliquam comitatur extrinsecus: Et hoc quidem dupliciter: Aut enim actionem manifesta passio comitatur foris, ut secantem, aut occulta, ut incedentem: imò & occultissima, ut augeri, & formari corpus ab anima. Cap. XX.

PLOTINVS.

SEd esto, si placet, non sit oppositum: veruntamen cum aliud quiddam sit quàm facere, non in eodem genere vnà cum effectione locatur: vel fortè si ambo sunt motus, sunt in eodem, velut alteratio ipsa secundum qualitatem motio. Num igitur quando ab ipso quali progreditur alteratio, est ibi factio atque
E facere, cum ipsum quale sit passionis expers? aut fortè si sit à passione remotum in faciendo versatur. Sin autem in aliud agens veluti verberando mutuo patitur, non amplius facit: an potius nihil prohibet faciendo pati? Si igitur secundum ipsum pati velut atterere id habet, curnam facere magis quàm pati censetur? An quia vicissim atterendo conteritur, atq; patitur? Nunquid ergo quoniam mutuò agitatur, geminos circa ipsum motus esse dicemus? At quomodo duos? Num igitur vnum? Sed quónam pacto motio eadem actio simul est atq; passio? & ita quidem actio dicetur quatenus ab alio manat, passio verò quatenus inde fluit in aliud, dum tamen vna motio est. An igitur motionem aliam esse dicemus? Et quónā pacto aliud quiddam disponet, aut afficiet patientem alterans ipsa motio? atqui ipsum agens non patitur ab illo secundum idem. Quo enim pacto patiatur hoc ipsum quod in alio facit? Num ergo hoc ipsum scilicet in alio motum esse, in causa nobis est, vt passio sit? quæ quidem penes effectorem passio minimè fuerat. Verùm si hoc quidem album efficit ceu seminaria, Cigni ratio: hoc autem efficitur albū, nascēs videlicet Cignus, an pati dicemus Cignum in essentiam interim procedentem? Sin autem deinde etiam natus efficiatur albus: item si hoc quidem augeat illud autem augeatur, auctum ipsum pati assuescerabimus? an potius in ipso quali quodam locabimus passionem? Præterea si hoc quidem pulchrum facit, hoc verò fit pulchrū, an quod pulchrū efficitur, pati interea confitebimur? Si igitur quod pulchrum reddit, interea fit deterius, vel obscuratur, velut stamnū, aliud autem euadit melius, velut æs, nunquid æs pati dicemus, stamnū verò facere? Deniq; discentem quomodo dicemus pati? videlicet ipso efficientis actu in ipsum iam prodeunte. At verò quomodo hæc erit passio, cum vnus sit actus? Fortè ipsa quidem non est passio: qui autem habet, est patiens: quippe cum ipsum pati perinde tanquam sit alicuius accipiatur. Neque enim ex eo quòd qui addiscit, nihil ipse egerit, pati dicitur. Nam discere non est tanquam pulsari vel percuti: quippe cum in quadam apprehensione discretioneq; consistat: sicut neq; videre perinde se habet atq; pulsari.

A MARSILIVS.

Tam actionem quàm paſsionem per motum quẽdam uel actum definire poſſumus. Sed illud quidem agere dicitur, cuius motus ex ipſo ſumit exordium, ſiue hinc aliquid in alio fiat, ſiue nihil. Illud uerò pati, cuius motus ſolùm incidit aliunde, ſiue ad deterius eat ſiue ad melius. Item ſeu ab agente ſeparato incidat, ut uerbe ratio, ſiue à coniuncto, ut alteratio in corpore ab opinione affectuq; animæ ſuæ, & affectus ipſi extrinſecus incitati. Cap. XXI

PLOTINVS

QVa nam igitur notione ipſum pati propriè deſignabimus? Non certè diſcernemus actu quodam, quia ab alio pendeat: ſiquidem qui actum ſuſceperit, ſibimet ipſum velut proprium vendicauerit: ſed nunquid vbi nõ actus quidem ſit, ſed tantùm paſsio? Quid ergo ſi id quod pati dicitur, melius fiat, actus autem ſe deterius habeat? aut ſi per prauitatem agat quiſpiam, & intemperatè alteri dominetur? an fortè nihil prohibet actionẽ quidem eſſe prauam, paſsionem verò honeſtam? Quónam ergo potiſsimùm diſtinguemus? Nunquid definiemus ipſum facere per actum quendam ab ipſo quolibet in aliud tranſeuntem? pati verò per effectum aliunde in alio reſultantem? Quid ergo dicemus? ſi ab ipſo quouis extet quidem, in aliud autem minimè tranſeat? qualis certè eſt actus intelligendi atq; opinandi. Quid item? quando quis ex ſeipſo
B protinus incaleſcit? ſiue ex cogitatione vehemẽti id accidat, ſiue ira potius, quã nullo prorſus alicubi laceſſente opinio propria ſuſcitauerit. Fortè verò ipſum facere eſt, ſiue in ſeipſo maneat, ſiue in aliud agat impetus quidam ex ſeipſo quouis erumpens. Cupiditas ergo & appetitus omnis quidnam eſt? Forte ſi appetitus incitatur ab appetibili, paſsio quædam eſt, etiam ſi nullus adiecerit à quónam incitetur, ſed id ipſum duntaxat, quod poſt illud fuerit excitatus. Hæc igitur appetitio non aliter ſe habet, quàm ſiquis impulſus fuerit, vel etiam impulſu quaſi præcipitatus. An igitur appetitus diuidere debemus, dicentes, illos quidem actiones eſſe, quicunq; menti parẽt: alios autem paſsiones, videlicet quod in illis rapiatur animus, atq; trahatur? ipſum verò pati nõ ex eo quòd ab alio inferatur potiuſquam ex ſeipſo. Agere nanq; poſſet non nihil etiam in ſeipſo: ſed quando nihil ipſum conferens alterationem ſubſtineat, quæ quidem ad eſſentiam non perducat, ſed deducat potius ad deterius, vel ſaltem ad melius non cõducat: eiuſmodi inquam alterationem in ſe paſsionem & pati habere dicemus. Verùm ſi calefieri nihil aliud eſt, quàm accipere calorem atque habere. eſt autẽ calefactio partim ad eſſentiam conferens, partim contrà, nimirum idem pati erit atq; non pati. Et quidnam prohibet calefactionem eſſe geminam? Fortè verò ipſum calefieri quando ad eſſentiam confert, tunc etiam alio quodam patien
C te ad eſſentiam confert, velut quando ære calefacto atq; patiẽte, eſſentia quedã fit, quã ſtatuã nominãt, quæ quidẽ ipſa nõ eſt calefacta niſi fortè per accidẽs. Si ergo æs euadat pulchrius ex eo quòd ipſum calefiat, vel ſecũdũ ipſã calefactionẽ, nihil prohibet quo minus pati cõfiteamur. Duobus enim modis paſsionem accipere ſolent, dicentes aut ad deterius, aut ad melius ducere, vel ad neutrum.

MARSILIVS.

Motus idem poteſt ſi referatur ad agens, dici actio: ſi ad patiens, paſsio nominari. Vbi propriè loquimur actionẽ ab effectione diſtinguimus: dicentes poſt actionem opus inde procreatum aliud nõ extare quale per effectionem fieri extareq; conſueuit. Cap. XXII.

PLOTINVS.

FOrtè igitur pati quidem accidit ex eo quòd aliquid in ſe motum habeat, motum inquam alterationis per quam quoquomodo alteretur, agere verò eſt vel habere in ſe & à ſeipſo motum abſolutum, vel edere motum à ſe in aliud tranſeuntem: qui & incipiat ab eo ipſo quod agere dicitur. Atqui motus quidem eſt in vtriſque: differentia verò diſtinguens agere inter ſe & pati, talis eſt, vt agere ipſum ſeruet, qua agere eſt paſsionis expers: pati verò in eo

D quod aliquid aliter quàm prius afficiatur, dum ipſa patientis eſſentia nihil ad eſſentiam pertinẽs adipiſcitur, ſed aliud quiddam interea patitur, quando aliqua eſſentia generatur. Quamobrem idem aliquid, in habitudine quadam facere eſt, in alia verò habitudine pati. Nam penes quidem hoc conſideratum erit facere, cum idem ſit motus: penes autem illud erit pati, quoniam ille iam ſic afficitur. Vtraq; igitur ad aliquid referri videntur, quatenus ipſa faciendi conditio ſe habet ad ipſam patiendi proprietatem: nempe aliquid idem penes hoc quidẽ eſt facere, ſed penes illud pati, & vtrumq; ſanè conſideratur, non tam ſecundum ſeipſum, quàm vnà cum ipſo faciente atq; patiẽte, vbi hic quidem mouet, ille verò mouetur, & vtrunq; eſt duo quædam prædicamenta. Atqui & hic illi tradit motum, ille viciſsim motum recipit: quapropter traditio & acceptio relatioq; ibi contingit. Aut certè ſi ille qui accipit habet, vt dicitur colorem habere, cur non dicatur & habere motum? Iam verò & abſolutus motus velut incedere, habet inceſſum, & intelligere habet intelligentiam. Proinde conſiderare operæpretium eſt, vtrum prouidere ſit facere, ac viciſsim prouidentia gubernari ſit pati: in aliud enim atq; de alio quodam prouidentia eſſe videtur. Fortè verò prouidere nõ eſt facere, tametſi de alio quodã ſit intelligere: neq; regi prouidentia pati eſt. Forſan etiam nec intelligere quidem eſt facere. Non enim in ipſum quod intelligitur ſeſe transfert: ſed potius eſt de ipſo: neq; prorſus eſt effectio: neq; oportet actiones omnes eſſe effectiones aſſerere, aut quicquam facere: poteſt autem ibi ſecundum accidens eſſe factio. Quid ergo dicendum? Si quis incedens veſtigia ſignet, nonne feciſſe aliquid confitebimur? Sed enim ex eo quod ille aliquid ſit, vel agat, aut decernat, ſequi inde ex contingenti quodã facere, actionemq; per accidens: quoniam ad hoc ipſum animum minimè aduertebat: quandoquidem & in rebus inanimatis etiam facere dicimus, velut ignem calefacere, & feciſſe aliquid medicinam. Sed de his hactenus.

MARSILIVS.

Peripatetici rationem ſufficientem aſsignare non poſſunt, cur habere quidem ueſtes nouum prædicamentum faciat: habere uerò qualitates in ſe, & habere pecunias, non facit prædicamentum nouum. Item habere ueſtes, armaria, non unum ſed duo prædicamenta ſignificat. Cap. XXIII.

PLOTINVS.

RElíquum eſt de prædicamento quod habere nominant, diſputare. Profectò ſi habere multipliciter aiunt, quidnam prohibet, quo minus omnes habendi modi in hoc prædicamentum pariter rediganturꝰ Quapropter & quantum ipſum huc facilè reducetur, quoniam habeat magnitudinem: item quale eó dẽ pariter referetꝰ: quia colorẽ habeat. Rurſus pater atq; ſimilia: quia & pater habet filiũ, & filius habet patrẽ: atq; ſummatim poſſeſsiones omnes, & ſupellectilia quæ habentur. Si dixerint alia quidem quæcunq; habentur in ſuis illis prædicamentis eſſe: arma verò & calceos atq; veſtes in proprio hoc habendi prædicamento, primò quidem quæret aliquis, quam ob cauſam ita fiat: deinde cur nam habens quidem ipſa aliud quoddam vnum prædicamentum efficiat. Comburens verò illa, vel diuidens, vel abſcondens, aut abijciens, non aliud rurſus prædicamentum, aut alia faciat. Si reſpondeant iccirco prædicamentum fieri, quoniam corpori circundantur, ſequetur, ſi quando veſtis in lectica ponatur, prædicamentum inde aliud fieri, aliudq; rurſus ſi veſte quiſpiam prorſus fuerit adopertus. Quòd ſi prædicamentum ipſum fieri aſſerant ſecundum ipſum propriè continendi & habendi actum, profectò ſic cetera omnia, quæ ſecundum hoc ipſum habere cognominantur, huc eadem referri conditione neceſſarium erit, atque ad ipſum habitum illa omnia, vbicunque ſit ipſe habitus redigenda erunt. nihil enim intererit, quidnam id ſit, quod habeatur. Proinde ſi in prædicamento eiuſmodi deſcribendo, non eſt dicendum habere qualitatem, quo-

niam

A nſam qualitas ipſa iam ſuo loco ſit dicta: rurſus nec habere quantitatem, quoniã quantitas locum ſuum antea obtinuerit: item nec habere partes, quia iam ſubſtantia deſcripta propriè fuerit, cur igitur dicere licet, habere arma, cum iam definita ſubſtantia fuerit, cuius in genere arma propriè contineantur? Nam calcei, veſtes, arma ſubſtantiæ ſunt. Præterea quónam pacto ſimplex aliquid eſt hoc ipſum, vniuſq; duntaxat prædicamenti, quando videlicet dicimus, hic habet arma? Id namq; ſignificat quod dicitur armari, vel armatum eſſe. Deinde nũquid in viuente ſolùm id habendi prædicamentum habet locum, an etiam ſi ſtatua quædam habeat eadem? Aliter enim viuens quàm ſtatua videtur habere, ac forte æquiuoca quadam conditione: quoniam & quando dicimus de vtriſq;, ſtat ille viuens, ſtat & viuentis ſtatua, non eadem ratione ſtare vtrũq; volumus. Denicq; quod conſiſtit in paucis & differentia minima, quænam admittit ratio generale aliud prædicamentum efficere?

MARSILIVS.

Poniſic aut aliter in tali quadam figura uel loco non uidetur nouum afferre prædicamentum præter figuram, locum, actionem, paßionem, relationem. Cap. XXIIII.

PLOTINVS.

B SEquitur poſtremò prædicamentum illud quod poni vel in ſitu quodam eſſe nominãt, quod quidem in paucis quoq; conſiſtit & differentia minima, vbi ſolent dicere, accumbere, diſcumbere, ſedere: tametſi nõ ſimpliciter, ſed modo quodam poni vel obtinere ſitum prædicamentum eſſe nouum velint: velut quãdo dicitur, in tali quadam figura poſitus eſt, vbi aliud quidem eſt figura, poſitio verò ipſa vel poni ſignificat aliud. Et profectò cum id ſignificet in figura quadam eſſe vel loco, atq; figura alibi deſcripta iam ſit & locus, quîdnam oportet vlterius prædicamenta duo in vnum accumulare? Præterea ſiquod dicitur ſedet, actum actionemue ſignificat in actionum genere collocandum: ſin verò paſsionem, in genere paſsionum. Deinde quod dicitur ſuſpẽdi, quídnam aliud ſignificat, quam poni ſurſum? quemadmodum & oppoſitum ſignificat poſitũ eſſe deorſum, & aliud in medio poſitum. Præterea cum accubitus fuerit in relationum genere collocatus, cur nõ ibidem ſit & qui dicitur ſurſum poſitus? quãdoquidem cum ibi ſit ipſum dextrum, ibidem eſt hic dexter atq; ſiniſter. Sed de his iam ſatis fuerit diſputatum.

MARSILIVS.

Non ſunt ponenda prædicamẽta quatuor ſub uno genere, quemadmodum pleriq; Stoicorum Cynicorumq; poſuerunt. Luſit hactenus contra decem Ariſtotelis & Architæ prædicamenta exercitandi for
C *ſitan ingenij gratia. Deinceps uerò ſeuerius agit aduerſus illos, qui materiam loco principij poſuerunt: deinde unà cum ſequentibus ſub eodem genere collocarunt.* Cap. XXV.

PLOTINVS.

POſt hæc autem aduerſus eos qui prædicamentis quatuor introducũt, res videlicet ipſas quadrupliciter diuidentes in ſubiecta, & qualia, & quodammodo ſe habentia, & ad aliquid quodammodo ſe habẽtia: atq; vnum quiddam commune cunctis attribuentes, dum videlicet cuncta vno quodam genere cõplectuntur: aduerſus eos inquam multa licet afferre, cõtra id præſertim quod aiunt commune genus vnum omnibus conuenire. Etenim inconſideratè admodum & abſque ratione introductum eſt apud eos, quòd ſolent hoc aliquid appellare: neque incorporeis corporibúſque ſimul accommodari poteſt: ſed neque differentias reliquerunt, quibus hoc aliquid diſtinguere valeant. Atqui id ipſum hoc aliquid aut ens eſt, aut non eſt: ſi ens eſſe dicitur, vna quædam eſt è numero ſpecierum: ſin verò non ens, ſequitur ens fore non ens, & quamplurima generis eiuſdem. Hæc ergo miſſa in præſentia faciamus:

D ipſam verò diuiſionem conſideremus. Principiò ſubiecta in primo gradu ponẽ tes, ibidemq; materiam anteponentes alijs, abſurdè admodum id ipſum quod primum putant eſſe principium, in vno quodam ordine cum his connumerãt, quæ poſt ſuum principium collocantur. Et in primis quidem priora vnà cum poſterioribus in vnum aliquid congregant, cum alioquin fieri nequeat, vt in eodem genere aliud quidẽ prius ſit, aliud verò poſterius. In illis enim in quibus prius eſt atq; poſterius, id certè quod poſterius eſt à priore habet eſſentiam: at in eis quæ ſub eodem genere ſunt, quodlibet penes idem genus æqualitatem habet eſſendi: ſiquidem hoc eſſe genus oportet, quod in eo quod quideſt prędicatur de ſpeciebus: quando quidem & ipſi cætera omnia habere eſſentiã à materia, vt arbitror, fatebuntur. Deinde vbi ſubiectum in numerando vnicum introducunt, non res quidem ipſas enumerant, ſed rerum principia quærunt: intereſt autem rerum principia, atq; res dicere. Sin autem materiam quidem ſolã ens eſſe velint, cætera verò quaſdam materiæ paſsiones, certè non oportebat entis ipſius & aliorum genus vnũ præponere: ſed melius fortè dixiſſent, ſi hoc quidem velut eſſentiam poſuiſſent, reliqua verò tanquam paſsiones illius aliquas poſuiſſent ea imposterum partituri. Deniq; abſurdum eſt, quod aiunt alia quidem eſſe ſubiecta, & alia reliqua: quippe cum vnicum ſit ſubiectum, neque
E vllam in ſe differentiam habeat, niſi fortè ita diuidi poſsit, ſicut aliqua moles in partes: quamuis neq; diuidere quidem liceat, propterea quòd continuam eſſe ſubſtantiam arbitrantur. Melius itaq; dixiſſent, ſi non ſubiecta nobis, ſed ſubiectum introduxiſſent.

MARSILIVS.

Materiam per ſe informem aliunde formabilem nefas eſt pro rerum principio ponere. Cap. XXVI.

PRæſertim quia omnia actum appetunt tanquam bonum: actum dico, formam & actionem. Actus igitur ipſe ſummus & ſimpliciſsimus, cui nihil potentiæ materialis inſit, eſt finis ultimus & principium: Actum dico, etiam forma ſuperiorem. Omnia enim actum aliquem appetunt ultra formam. Ridiculum eſt, poſtquam ſimplicem materiam loco principij poſuerunt, addere materiam in quam continuam & extenſam. Hæc enim non iam foret ſimplex, ſed cum quantitate & qualitate permiſta. Deniq; quicquid conſtat ex multis, cum fiat participatione unum, dependet ab aliquo, per ſe ipſum uno, ideoq; penitus indiuiduo.

PLOTINVS.

PRæ cæteris autem abſurdiſsimum eſſe videtur, materiam quæ in potentia eſt, omnibus anteponere, neq; actum ipſum potius potentiæ anteferre. Neque enim fieri poteſt, vt quod eſt in potentia ad actum aliquando prodeat, ſi
F modò id quod eſt in potentia ordinem in rebus principij teneat. Non enim ipſum quod in potentia tantùm eſt, ſeipſum vnquam perducet in melius. ſed oportet vel ante ipſum eſſe quod eſt in actu, atque ita non amplius id ipſum erit principium, aut certè ſimul eſſe dixerint, infortuita quadam ſorte rerum principia collocabunt. Item ſi ſimul ponant, cur non & illud præferunt? Cúrue hoc, ideſt materia potius quàm illud eſſe ens iudicatur? At ſi illud eſſe poſterius aſſerant, quærendum erit, qua conditione id fieri poſsit. Nempe meteria ſpeciem minimè generat, quia nec informe formoſum, neq; ex eo quod in potentia ſolùm eſt, id quod eſt actu, vel actus quandoq; procedit, alioquin prius etiam tanquam actu quodam illic extitiſſet, neq; amplius ſubiectum apud eos illud atq; materia foret ſimplex. atqui & Deus apud illos materia poſterior eſt. Corpus enim eſt apud eos ex materia & ſpecie conſtans. Vbi certè quærendum eſt, vnde nam ei ſpecies adſit: ſin autem etiam abſq; materia Deus exiſtit, quippe cum ratio quædam ſit, principij obtinens proprietatem, nimirum eſt incorporeus, atq; principium efficax eſt incorporeum. Quòd ſi etiam ſine materia compoſitam habet eſſentiam, vtpote qui corpus ſit, conſequens eſt, vt aliam materiam

quæ

A quæ Deo conueniat, introducant. Præterea quónam pacto materia principiũ eſt, cũ ipſa ſit corpus? Fieri nanq; nõ poteſt quin corpus ſit multa. atqui omne corpus ex materia & qualitate cõponit̃. Si autẽ corpus hoc ſe aliter habet, equiuocè materiã corpus appellãt: atſi cõmunẽ corporis proprietatẽ trinã eſſe dicãt dimẽſionẽ, certè corpus afferent mathematicũ. Verùm ſi dimenſionẽ triplicem cum reſiſtentia quadam cõiũgant ad ipſam corporis plenitudinem, nõ vnũ aliquid dicẽt. Præterea reſiſtendi ꝓprietas quale quiddam eſt, vel à qualitate proueniẽs: iam verò quærẽdum eſt, vnde ſit reſiſtentia: vnde diſtantia triplex: quis diſtare cõpulerit. Non enim in ipſa ratione trinæ dimenſionis materia cõtinet̃, neq; viciſsim in ratione materiæ dimenſio trina. Quapropter cũ ita materia magnitudinis ſit particeps, haud amplius erit ſimplex. Præterea vnde nam vnitas? Non enim ſubiectũ hoc eſt ipſa vnitas, ſed vnitatis participatione cõſiſtit. Operæpretiũ erat cõſiderare, nõ poſſe molem omnibus anteponi, ſed anteponẽdũ aliquid à mole ſecretũ, ipſumq; vnũ. Atq; decere ab vno exordientes in multa deſcendere, & ab eo incipientes quod eſt à magnitudine ſegregatũ, in magnitudines deuenire: ſiquidẽ neq; multa eſſe poſſunt, niſi ſit vnũ: neq; magnitudo poteſt eſſe, niſi ſit aliquid à magnitudine liberũ: quippe cũ magnitudo ita ſit vnũ, non ex eo quòd ſit ipſum vnũ, ſed propterea quòd vnius ſit particeps, & ſecun
B dum quandam congreſsionẽ. Eſt itaq; neceſſariũ, eſſe ipſum quod primò præcipueq; tale eſt ante illud quod fit tale ſecũdũ quãdã cõgreſsionẽ forte etiã cõtingẽtèr: alioquin quónã pacto cõuẽtus effici poteſt? Tũ verò quærẽdũ eſt, quæ nã cõueniẽdi conditio ſit. Quod quidẽ ſi quæſiuiſſent, fortè vnum ipſum quod nõ ſecundũ cõtingentiã vnũ eſt, inueniſſent. Dico autẽ ſecundum contingentiam illud, cui non per ſe ineſt vt ſit vnum, ſed ab alio quodam vnum eſſe contingit.

MARSILIVS.

Materia prima ſi omnibus tam mouentibus quàm formis ſubiecta eſt, non poteſt eſſe rerum principium. Cap. XXVII.

NEc materia per ſe informis parit formas, nec ulla forma in materia iacens poteſt ex ſe exiſtere, quando in ſe ipſa conſiſtere nunquam poteſt: nec earum principium eſt forma quædam materiæ miſta, alioquin non poterit dominari materiæ. Oportet uerò motorem tandem efficaciſsimum eſſe ab impedimentis materialibus expeditum. Siquis uerò fingat materiam eſſe formarum principium, negaturus eſt eam eſſe ſubiectam, affirmaturusq; hanc per ſeipſam formas omnes exiſtere. Ac tandem quicquid reuera eſt in mundo, eſſe materiam, formas uerò imaginamenta quædam. Sed reuera cum ex materia naturaliter informi effici forma non poſsit, multò minus uita, quæ eſt forma præſtantior: minimè uerò mens, præſtantiſsima forma. Deniq; principium materia-
C lis formæ uita quædam eſt non pullulans ex materia, quamuis ſit infuſa materiæ. Atq; huius uitæ principium ipſa uita eſt, materiam longius ſupereminens.

PLOTINVS.

FAs autem erat ipſum omniũ principiũ in ſede admodum veneranda aliter obſeruantes, nullo modo principiũ affirmare, quod informe ſit, quod obnoxiũ paſsioni, quod vita carẽs, mente captũ, tenebroſum, indefinitum, atq; huic ipſius eſſentiæ munus adſcribere. Nẽpe Deus ipſe apud illos honeſti & decori cuiuſdã gratia eſt introductus, habens eſſentiã à materia, & cõpoſitus & poſterior, imò verò exiſtens materia ipſa quodãmodo ſeſe habẽs. Proinde ſi materia ſubiectũ eſt, neceſſariũ eſt aliud quiddam eſſe extra ipſam, quod quidẽ in eã agens adhibet eam muneribus ab ipſo traditis ſubditã. Sin autẽ & ipſe qui materiæ dicitur agitator in ipſa materia ſit velut ſubiectus vnà cũ ipſa, haud amplius materiã ſubditã adhibebit: ſed certè nõ poteſt ipſe vnà cũ materia eſſe ſubiectũ: alioquin cúinã ſubiecta hæc erunt, cũ nõ vlterius adſit aliquis qui ea faciat eſſe ſubiecta? Quippe cum omnia in hoc ipſum quod ſubiectũ dicitur, abſumpta iã fuerint. Nẽpe ſubiectũ ad aliquid neceſſariò pertinet, nõ quidem ad illud quod ſit in ipſo, ſed ad illud potius quod in ipſum agat expoſitum. Sanè ſubiectum

D exponitur ad illud quod nõ eſt ſubiectum: ſi hoc, igitur ad externum. Quapropter prætermiſſum hoc fuiſſe videtur. Cæterùm ſi nihilo illi egent externo quodam, ſed ſubiectum ipſum per ſe poteſt omnia fieri, quaſi variè figuratum illius more qui tripudio ſe fermè in omnia transfigurat, certè non amplius ſubiectum erit, ſed hoc ipſum potius omnia. Sicut enim tripudiator ipſe non figuris ſubiectus eſt, nam geſtus quidam ipſius figuræ ſunt: ita neque quam materiam nominant, ſubiectum omnibus erit, ſi ab ipſa omnia fuerint: imò verò neq; omnino quidem erunt alia: ſiquidem reliqua nihil aliud ſunt præter materiam ipſam quodammodo ſe habentem, quemadmodum & ſaltator in ipſo tripudio certo ſeipſum modo habens figuræ ipſe omnes exiſtit. Sin autem alia non ſint, nec omnino ipſa materia ſubiectum erit: neq; erit materia rerum, ſed materia tantùm: ideoq; nec etiam ipſa materia: Ad aliquid enim materia referri videtur: et quod refertur ad aliquid, ſpectat ad aliud, atq; ex eodem genere ducitur velut duplũ ad dimidium, nec ſubſtãtia quidem ad duplum. Ens autem ad nõ ens quo nam modo refertur, niſi fortè per accidens? Quod autem ſecundum ſe ens exiſtit, atque ipſa mareria tanquam ens referetur ad ens. Si enim potentia quædam eſt quod eſt futurum, illud autem non eſt eſſentia, neq; ipſa etiam eſſentia eſt. Quã obrem illis accidit, vt dum illos vituperant, qui ex non eſſentijs eſſentias procreant, ipſi interim ex eſſentia faciant non eſſentiam. Mundus enim quantum
E mundus eſt, apud eos non erit eſſentia. Nefas autem dictu eſt, materiam quidẽ quæ ſubiectum eſt, eſſentiam eſſe, corpora verò non eſſe magis eſſentias: multoq; magis abſurdum eſt, mundum ipſum eſſentiam non exiſtere, ſed aliquid ſolum quod pars eius eſt, eſſentiam eſſe: tum verò animal non ab anima habere ſubſtantiam, ſed à materia tantùm, atq; ipſam animam paſsionem quandam eſſe materiæ, poſterioremq; materia, A quo nam igitur materia vt animaretur, accepit? Et omnino animæ ipſius ſubſtantia vnde nã eſt? Item quomodo materia ſubſiſtit atq; formatur? Nempe quando hæc ipſa fit corpora, anima aliud quiddam eſt quam ipſa. Etenim ſi aliunde quàm ab anima ſpecies proueniret, nullo modo anima fieret accedente materiæ qualitate, ſed corpora prorſus inanimata. Siquid autem materiam format, & procreat animam, conſequens eſt, vt ante animam procreatam ſit & anima procreans.

MARSILIVS.

Materia quanto magis ſub formarum mutationibus permanet, tantò magis patitur. Et iccirco eſt omnium infima. Mens ſi poſterior eſſet quàm materia, nec materiam poſſet tranſcendere, nec materialia etiam perfectè comprehendere. Cap. XXVIII.

PLOTINVS.

F VErùm cum multa ſint opinioni huic palàm repugantia, quæ afferri in medium facilè poſsint, iam dictis contenti eſſe debemus: ne fortè nobis etiã turpe ſit cõtra tam apertos errores obnixius decertare. Satis verò fuerit oſtendiſſe, qui nã & quemadmodũ nõ ens tanquã maximè ens affirmẽt atq; conſtituant, & quod infirmũ eſt tanquã primũ collocare nõ dubitent. Cauſa verò tãti erroris hæc extitit, quoniã illi ſenſum velut ducẽ ſecuti ſunt, cui fidẽ in principijs, et reliquis ſtatuẽdis nimiã adhiberẽt. Nẽpe cũ corpora dũraxat eſſe res veras exiſtimarẽt, ac deinde corporũ cõmutationẽ mutuã in ſe inuicẽ formidarẽt, nimirũ quod ſub eis manet id ipſum eſſe ens putauerũt: perinde ac ſiquis locũ magis quã corpora ens eſſe putaret, exiſtimãs videlicet, locũ minimè deſtrui. Et quamuis hìc apud eos maneat, oportebat tamẽ nõ quomodocũq; manens eſſe ipſum ens arbitrari, ſed cõſiderare prius, quæ nã entis veri ſint dotes, quibus iã præſẽtibus adſit ſimul ſemper manẽdi facultas. Iam verò & ſi vmbra quædam maneat, ſemper aliud quiddam comitãs cõtinuè permutatũ, nõ tamẽ magis erit vmbra quàm illud. Atqui & ipſum ſenſibile vnà cũ illo alijsq; numero multis, magis

vtiq;

A vtique ens cum & totũ ſit videbitur iudicandum, quã vnũ aliquid eorum quæ continentur in ipſo. Sin autẽ & totum ſubiectũ illud non ens, quónammodo illud? Omnium verò maximè mirãdum eſſe videtur, illos qui ſenſui de omnibus præſtabant fidem, nõ etiam affirmauiſſe ens ipſum ſenſu poſſe comprehendi. Sed neq; etiam rectè ſoliditatem vel reſiſtentiam illi tribuunt: id enim qualitas quædam eſt. Sin autẽ mente id ſe percipere dicant, abſurda mens hæc erit, quæ materiam ſibi præfecerit, verumq; eſſendi munus non ſibi, ſed materiæ dederit. Cum igitur mẽs apud illos non ſit ens, quánam conditione vllam habebit fidẽ, cũ vbiq; de his quæ præſtãtiora ſunt, quã ipſa loquat & iudicet, neq; vllã cũ eis cognationẽ habeat? Sed de hac ipſa natura ſubiectisq; ſatis etiã alibi diſputatũ.

MARSILIVS.

Poſuerant prædicamenta quatuor, ſcilicet ſubiectum primò, deinde quale, tertiò quodammodo ſe habens, quarto quodammodo ſe ad aliquid habens. Cap. XXVIIII.

HOc ipſum quod additur quale, ſi ſimplex quiddam eſt, ſicut eſſe debet, ſi ſeorſum facit prædicamẽtum, certè eſt incorporeum, quod quidem ipſi nolunt: ſin autem compoſitum ſignificat, uana eſt diuiſio, diuidens uidelicet res in ſubiectum, atq; iterum in ſubiectum quale. Et omnino quando dicunt quale & quodammodo ſe habens, aut rem nullam addunt præter materiam ſic ſe habentem,
B aut addunt: ſi nullam, unicum reuera prædicamentum erit: ſi aliquam, quidnam hæc ipſa ſit interrogati nunquam explicant: nec diſcernunt unquam inter materiam qualem, atq; materiam quodammodo ſe habentem, hac uidelicet diſcretione plura prædicamenta facturi. Deniq; ſi nihil in natura ſit præter materiam ſic ſe habentem, mens ipſa materialis erit, neq; de materia, neq; de ſeparatis expeditè poterit iudicare.

PLOTINVS.

QVæ verò qualia dicuntur apud illos, alia quædam oportet eſſe præter ipſa ſubiecta, quod quidem & ipſi fatentur, alioquin nunquam ipſa velut ſecunda numerauiſſent. Si igitur alia ſunt, neceſſe eſt inſuper ea eſſe ſimplicia: ſi hoc, nequaquam compoſita: ſi & hoc, nec habere materiam, qua ratione ſunt qualia: ſi deniq; hoc, incorporea efficaciaq; exiſtere. materia nanq; apud illos ad paſsiones ſuſcipiendas expoſita eſt. Sin autem qualia ipſa dicant eſſe compoſita, primò quidem diuiſio erit abſurda, quæ ſimplicia & compoſita ex oppoſito diuidit, eaq; in vnum genus accumulat. deinde ob hoc ipſum quoq; nõ recta, quoniam in altera ſpecierum collocat alterũ: quemadmodum ſiquis ſcientiam diuidens, alteram quidem aſſerat eſſe grammaticam, alteram verò grãmaticam quoq; & aliquid inſuper. Verùm ſi qualia ipſa dicãt materiam eſſe qualẽ,
C primò ſeminales rationes apud illos materiales quidem, neq; duntaxat in materia poſitæ cõpoſitum quiddam efficiẽt, ſed ante compoſitum ab eis factum, ex materia ſpecieq; conſtabunt. neq; igitur ipſę ſpecies erunt, neq; etiam rationes. Quòd ſi obiecerint rationes nihil aliud eſſe præter materiã ipſam quodammodo ſe habentem, ipſa videlicet qualia eſſe quodammodo ſe habentia fatebuntur, atque erunt in quarto genere collocanda. Sin autem aliam quãdam habitudinem introducant, interrogandum erit, quænam ſit differentia: an videlicet ipſum quod dicitur quodammodo ſe habere, in hoc gradu potius eſt ſubſiſtentia quædam: quanquam niſi & ibi ſubſiſtentia ſit, quidnam enumerant tanquam vnum genus, vel ſpeciem? Non enim ſub eodem aliud quiddam ens, aliud verò non ens numerari poteſt. Cæterùm quidnam eſt hoc, quod in materia dicitur quodammodo ſeſe habens? Aut enim ens, aut non ens iudicatur. Atqui ſi ens, eſt penitus incorporeum: ſin verò non ens, fruſtra dicitur, ſolumq; materia eſt: ipſum verò quale nihil prorſus exiſtit: ſed neque etiam quod dici ſolet quoquo modo ſe habens. Id nanq; multò magis non ens videri alicui poteſt. Quod denique numeratur quartũ, multò minus ens eſſe videtur. ſola igitur materia ens.

D Quis nam igitur hoc ipsum ait? Non enim ipsa materia, nisi fortè ipsa sit mens, videlicet quodammodo sese habens: tametsi hoc ipsum quod dicitur aliquo modo se habens est inanis adiunctio. materia igit̃ dicit hæc, atque cõprehẽdit. Et profectò si recta sanaq; diceret, mirandum foret, quonam modo intelligat, animæq; officia peragat, cum neq; mentem, neq; animã habeat: sin verò insipiẽter inquit, quando se id quod ipsa neq; est neq; potest esse asserit, cui nam potissimum insipientiam hanc attribuere decet? Et profectò nulli præterquam ipsi, si modò eloqui posset. Nunc autem nec ipsa loquitur, & qui talia loquitur iccir co sic ait, quoniam hausit iam ex materia plurimũ, ei quidem totus addictus etiam si solam habeat animam. Ita nempe loquitur ignorantia sui, atq; potentiæ, qnæ vera de huiusmodi rebus exprimere possit.

MARSILIVS.

Non rectè distinguunt quale & quomodo se habens. Nam & quale reuera est materia quodammodo se habens, atque uicissim quodammodo se habens, est materia qualis. Præterea nec ipsum quodãmodo se habens potest esse genus unicum, nec quicquid est præter materiã qualẽ potest hoc nomine scilicet quodammodo se habens cognominari. Cap. XXX.

PLOTINVS.

EA verò quę quodammodo se habere dicuntur, absurdum forsan est in loco tertio collocare, vel qualemcunque ordinem obtinere dicantur: quando-
E quidem circa materiam omnia sunt quæcunque aliquo modo se habere traduntur. Verùm differentiam eorum quæ sic affecta sunt aliquam introducent, atq; aliter materiam ipsam quodãmmodo affici hoc modo vel illo, aliter autem affici reliqua quæ quoquo modo se habere ponuntur: quinetiam ipsa quidem qualia esse circa materiam quodammodo se habentia, sed quę propriè quodammodo se traduntur habere circa qualia ipsa versari. Sed enim cum ipsa qualia nihil prorsus existant, nisi materia quodammodo sit affecta, rursus quę aliquo modo se habent apud illos in materiam reuoluuntur, atq; circa materiã versabuntur. Præterea quonam pacto id ipsum quod aliquo modo dicitur se habere, vnũ aliquid esse potest, cũ in rebus eiusmodi multa differentia sit? Quo enim modo tricubitum atque album redigentur in vnum, cum illud quidem sit quantũ, hoc verò sit quale? Item quo pacto quod aliquando dicit̃, & quod alicubi? Rursus qui fieri potest, vt omnino hæc sint quodammodo se habentia, scilicet quod heri dicitur, & quod iamdiu, & in Lycio atq; Academia, qui iterum potest effici, vt tẽpus sit ipsum quoquomodo se habens? Neq; enim ipsum tempus, neq; quæ in tẽpore sũt, neq; locus, neq; etiã quę sunt in loco id ipsũ esse possũt. Proinde ipsũ quod facere dicit̃, esse nequit quod aliquo modo se habere vel affici nominat̃: quãdo nec ipse quidẽ faciẽs est ipsum quodãmodo sese habens, sed potius quo
F dammodo faciens, aut omnino faciens tantũ. Atqui & ipse patiens nõ propriè est quodammodo sese habens, sed potius quodammodo patiens, aut omnino ita vel ita patiens. Forsan verò quod dicitur aliquo modo se habens cum eo cõgruet, quod poni dici solet, situmq; tenere: item fortè cũ ex eo quod nũcupatur habere. Veruntamen in hoc ipso quod est habere, nõ propriè est ipsum se quodãmodo habens, sed potius habens. Proinde nisi relationis genus vnà cum alijs vnum constituissent, alia vtiq; ratio esset, quærentium videlicet, siquã subsistentiam habitibus eiusmodi tradant: quippe cum passim minimè tradant. Deniq; quidnã dicemus ad illud, quod in eodẽ genere ponunt rem nuper aduenientẽ cũ rebus quæ prius extiterãt? Absurdũ tamẽ est, simul in eodẽ genere copulare, vnà cũ prioribus quod est aduentitiũ. Oportet enim esse prius vnũ atq; duo, vt & dimidiũ esse queat & duplum. De cæteris autẽ quicunq; aliter res ipsas vel rerũ princia posuerũt, siue infinita, seu finita, seu corporea, seu potius incorporea, vel forsan vtraq; simul, licet nobis seorsum de vnoquoq; perquirere, accipientibus insuper quæ ab antiquis aduersus opiniones eiusmodi tractata fuerunt.

PLO-

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI

LIBER SECVNDVS.

DE GENERIBVS ENTIS.

MARSILIVS.

Solum esse uerum ens arbitramur, cui non miscetur entis oppositum, id est essendi defectus atq; priuatio. Cap. Primum.

OPORTET Igitur id esse in sua natura integrum, semperq; manere. Non decet ens falsum unà cum ente uero sub eodem genere collocare, sicut neq; Socratis imaginem cum Socrate. Prosequetur quidem Plotinus deinceps entium genera Platonico more: Interpretationem uerò in his Magnanime Laurenti breuissimam à Marsilio tuo nunc accipies. Audisti enim nonnunquam, & forte quandoq; leges familiarem tuum atq; meum Pierleonum, mysteria eiusmodi diuino quodam, ut cætera solet, instinctu tractantem.

PLOTINVS.

POSTQVAM de generibus decem considerauimus, diximúsq; deinde de illis qui sub vno quodam genere cuncta velut quatuor species complectũtur, reliquum iam est, vt nostrã de ijs sententiam explicemus, conantes videlicet opinionem
B nostram ad sententiam Platonis redigere. Si igitur vnum ens oportuisset ponere, nihil opus esset inquirere, nunquid vnum sit genus in omnibus: nunquid rursus genera non reducantur in vnum: et num principia sint dicenda: neque rursus vtrum principia etiam genera sint ponenda: neque viciſsim vtrum genera ipsa eadem sint atque principia: neque vtrum principia quidem omnia sint & genera: genera verò non æque principia, vel viciſsim: siue potius in vtrisque aliqua quidem principia simul & genera, aliqua etiam genera simul atq; principia: an fortè in alijs quidem omnia sint simul & alia, in alijs autem quædam simul & alia sint. Quoniam verò ens non vnum ponimus, ratióq; huius sententiæ à Platone & alijs præsertim suis est assignata, fortè necessarium est, de his quoq; considerare, primò quidem, quem numerum, & quomodo ponamus in medium afferẽdo. Cum igitur de ipso ente vel entibus indagemus, necessarium est inprimis internos hæc ipsa distinguere. Quidnam videlicet ens ipsum dicamus, de quo in præsentia rite cõsideramus, quidue ens esse alijs videatur, quod tamẽ nos non quidem quod vnquam sit, sed quod fiat potius appellamus. Est autem operæpretium intelligere, hæc inter se di-
C stincta non quasi aliquod vnum genus fuerit in ipsa diuisum. Neq; enim fas est putare Platonem ita distribuisse. Ridiculum namq; foret ens ipsum in vnum cũ non ente coniungere: velut siquis Socratem ipsum & imaginem eius collocet sub eodẽ. Iam verò diuidere hac ipsa in re nihil aliud est, quã segregare, seorsum que disponere, & quod videatur ens id non ens declarare, interim demonstrando aliud reuera ens existere. Atqui & ille qui enti ipsum semper adiunxit, tale esse ens oportere monstrauit, vt nunquam in ipsa entis natura mentiatur & fallat. de hoc igitur ente loquẽtes, de hoc nimirum quasi non sit vnum tractabimus: Deinde si videatur, de generatione insuper atque genito, mundóque sensibili aliquid afferemus.

MARSILIVS.

Ens primum est quidem unum, sed quodammodo constat ex multis, quæ & principia sunt, & genera. Principia quidem, quoniam ipsa natura entis quasi constat ex ipsis: genera uerò, quia quodlibet eorum continet sub se species gradatim multas & singulas. Neque confunduntur hæc in unum: seruat enim unũquodq; proprium illic actum. Neq; ens ipsum appellandum est genus, neq; enim diuiditur ut genus in species, neque de suis prædicatur, ut genus. Cap. II

D PLOTINVS

CVm igitur non esse vnum dicamus, consequens est, vel numerum quendā asserere, vel infinitum: nempe quónam pacto dicimus non vnum, nisi dicamus vnum simul & multa, & vnum quiddam varium in vno multa comprehendens? Necessarium igitur est, hoc ipsum quod sic est vnum, aut genere vnū esse, species autem eius entia, quibus sanè multa sit simul & vnum: aut genera plura quàm vnum, sic tamen vt sint cuncta sub vno: aut genera quidem plura, non tamen sub alio aliud, sed vumquodq; quæ sub eo sunt cōtinere, siue & ipsa quoq; sint genera, quāuis angustiora, vel species sub eisq; singula, adeo vt in natura vnā cuncta cōducant, atq; ex omnibus ipsa mundi intelligibilis, quod ens appellamus, substantia constet. Quod quidem si ita se habet, sequitur hæc non solùm esse genera, verùm etiam principia ipsius entis existere: genera quidem, quoniā sub eis alia quædam angustiora sunt genera, speciesq; post hęc & singula: principia verò, siquidē ens sit ex multis, & ex his totū ipsum existat. Si tamen plura quidem essent, ex quibus constet, cōcurrentia verò tota cōficerēt vniuersum, nec haberēt præterea sub seipsis alia, principia quidē forēt, genera verò nequaquā: perinde ac siquis ex quatuor sensibile id cōponat, ex igne scilicet, cæteris q; eiusmodi. Hæc enim principia forent, genera verò nunquā, nisi quis fortè æquiuoca cōditione genus acceperit. Quamobrē cum dicamus principia quæ
E dam etiā esse genera, quærendū est, nunquid hæc ipsa ita dicamus genera, vt vnūquodq; eorū vnà cū ijs quæ sequūtur ipsum accipientes simul cōmisceamus omnia, totumq; cōficiamus, mistionē cūctorū inuicem facientes. Sed enim potentia quadā, nō actu singula illic erūt, & ipsum vnumquodq; nō erit purū. Forsan verò dimittemus quidem genera, sed singula cōmiscebimus. Quænā igitur in seipsis genera erunt? An & illa in seipsis erunt, atq; pura? Et quæ mista sunt, illa nō disperdent, & quónam pacto? Sed de his in sequētibus. Nunc verò postquā admisimus nónnulla & esse genera, & insuper essentiæ ipsius principia, & alia quadam ratione principia esse, & cōpositiones quasdam illic existere, primò dicendum est erga quæ illa genera nūcupemus, & quomodo inter se partiamur, neq; redigamus in vnū quasi sorte quadam cōgrediētia vnū aliquid faciāt: quāuis multò probabilius redigerētur in vnū. Profectò si fieri posset, vt omnia entis ipsius species essent, & post hæc deinceps singula consequerētur, nihilq; foret extra, ita fortè liceret efficere. Postquā verò positio talis funditus hæc ipsa tollit, neq; enim species vlterius erunt species, neq; prorsus multa congregabūtur in vnum, sed omnia penitus vnū erūt, ne aliud sit extra aliud, vbi illius omnia sint vnius. Quo enim pacto vnū euasisset multa adeo vt species generaret, nisi esset aliquid aliud præter ipsum? Non enim ipsummet existit multa, nisi quis il-
F lud tanquā magnitudinē partiat: verùm ita quoq; aliud erit, quod ipsum diuidat. Si autē vel à se, vel ab alio diuidatur, etiam antequā diuidatur, diuisum iam erit, vel indiuisibile. Hac igitur ratione alijsq; de causis cauendū est, ne genus vnum constituamus, præsertim quia fieri nequit, vt quodcunque perceperis, vel ens, vel essentiam nuncupes. Nam & occurrit passim, quod nō possit ens vel essentia nisi per accidens appellari, ceu siquis substantiam appellet albam. Non enim sic ipsum, quod per se album, quòdue sit album, pronuntiabit.

MARSILIVS.

Multa quæ sunt in primo ente, quoniam ibi non casu concurrunt, necessariò sunt ab uno. Rursus cum ibi sint genera rerum prima inter se diuersa, non possunt intus reduci ad unum genus, quod de ipsis more generis prædicetur: sed ad unam non tam causam quàm naturam, quæ non tam constituatur ex illis, quàm constet ipsis, seq; ipsam in ipsa propaget, totamq; in singulis differentibus se conseruet. Hanc uerò naturam unam, quoniam est unum non simpliciter, sed unum ens, redigimus ad ipsum foras simpliciter unum uelut causam. Cap. III.

PLOTI-

A PLOTINVS

PLura itaq; dicimus esse, neq; sorte quadam fortuita plura. nonne igitur ab vno? Profectò & si ab vno dependent, non tamen ab aliquo vno quod de illis in ipso esse prædicetur, ideoq; nihil prohibet vnumquodq;, cum non sit cõforme cum alio, ipsum seorsum genus existere. Num igitur hoc vnum extra nascentia genera causa quidem existens, non tamen in eo quod quid est, de alijs prædicatur? Forsan verò extra quidem est. Ipsum namq; vnum desuper extat vtpote quod cum generibus minimè numeratur: siquidem per ipsum alia sunt, quæ ex æquo inter se adhoc ipsum vt sint genera, connumerantur, atq; discernuntur. Et quónam pacto illud non est vnà cum eis connumeratum? sed profectò nũc entia quærimus, non quod superius extat. Hoc igit̃ ita se habeat. Quid verò dicemus de illo, quod connumeratur? De quo nimirum aliquis admirabitur, qua conditione vnà cum suis effectibus numeretur. Sed enim si superiora illa simul & alia sub vno quodam genere numerentur, prorsus errabitur: sin autẽ simul cum his, quorum causa est, numeretur, tanquam ipsum quidem sit genus, reliqua deinceps inde sequantur, & quæ sequuntur ab illo diuersa sint, neq; de illis prædicetur vt genus, neq; de illis alio quodam pacto dicatur, necessarium est ipsa quoq; genera esse habentia, videlicet, & alia sub seipsis. Neq; enim si tu
B incedendo producis incessum, ob hoc incessus ipse sub te est quasi sub genere: ac nisi aliquid foret incessu superius, velut genus ipsius incessus, essent tamẽ nõ nulla sub ipso, genus vtiq; in ordine rerum ipse incessus existeret. Fortasis autẽ neq; dicendum est omnino vnum, illud esse causam reliquorum, sed reliqua potius esse velut partes elementaq; illius, & cuncta simul vnam esse naturã, nostris cogitationibus distributam: illud autem esse ob mirabilem potestatẽ in omnia vnum, apparens multa, factumq; multa: velut si moueatur, & amplificabilis multiplicabilisq; naturæ facultas efficiat, vt vnum iam non sit vnum. Nos autẽ quasi portiones illius aliquas proferentes, eas singulatim velut vnumquodq; ponimus, genus cognominantes, ignorãtes videlicet, non totũ simul nos conspexisse: verùm secundum partes singulatimq; proferentes rursus illa congerimus, videlicet, non potentes illa sic diutius detinere, tanquam ad seipsa interim festinãtia. Quapropter rursus in totum ea dimittimus, & vnum iam fieri, imò verò vnũ esse permittimus. Sed forsan tunc demum hæc planiora fient, quando illa ipsa prænota fuerint, quotq; genera sint, acceperimus. Sic enim & quo se modo habeant planius declarabitur. Quoniam verò de rebus eiusmodi pertractãtes oportet non negationes tantùm in medium introducere, verũ etiã in ipsam co-
C rum, de quibus agitur, notionem & intelligẽtiã penetrare: age iam sic agamus.

MARSILIVS.

Cum mens & anima separatæ sint à materia & quantitate, & iccirco simplices indiuiduæq; sint, difficile inuentu est, quomodo ibi unitas in se distinctam habeat multitudinem Cap. IIII.

VNio quidem siue unitas in corporibus, post ipsam multorum compositionem sequitur, atq; est quasi quidam generationis finis: itaq; meritò dependet ab unitate quadam, quæ sit ante multitudinem, sitq; generationis principium. Talis quidem est in anima atq; mente unitas, cum multitudine non facta ex multis, sed fons multorum. Hæc deniq; procedit ab unitate, quæ multitudinem talem in se permistam nullam habet.

PLOTINVS

SI cognoscere studeremus, quidnam & quale potissimũ esset ipsa natura corporis in toto hoc rerũ ordine, nónne id primò in quadam partium suarum considaremus? velut in lapide cogitantes aliud quidem illic esse subiectum, aliud autem magnitudo, aliud deniq; qualitas, velut color, similiterq; in quouis alio corpore? Atq; inde protinus diceremus in ipsa natura corporis, aliud tãquã

D ſubſtantiam eſſe,aliud velut quãtum,aliud autem quale.Simul quidem omnia, ſed ratione quadam in numerum ternarium diſtributa,triaq; hæc corpus vnum eſſe conſtaret.Quòd ſi motus etiam ineſſet ſubſtantiæ inſitus, hunc quoq; cum alijs numeraremus:quæ quidem quatuor vnum corpus exiſterent, adeo vt corpus quod eſt vnum,ad ipſum vnum ſuiq; naturam ex cunctis conficiatur, & pẽ deat.Eadem fermè ratione quoniam de ſubſtantia intelligibili, deq; generibus principijsq; ſuis habetur oratio,conſiderare talia decet generationem quæ corporibus ineſt auferendo, tollendo quinetiam cogitationem quæ ſenſu procedit,ac moles inſuper ſegregãdo.Sic enim quod ſeorſum dicitur,& quę inter ſe diſtincta ſint,licebit accipere tanquam ſubſtantiã quandam intelligibilem,atq; ens reuera magîsque vnum..In quo quidem oritur admiratio,quónam pacto quod ſic eſt vnum, eſſe queat vnum ſimul & multa.In corporibus quidem abſque controuerſia cõceſſum eſt idem eſſe vnum ſimul & multa.Nam idem quoque infinitè diuiditur,& aliud ibi color eſt,aliud verò figura:nam ibi hæc ſeparantur . Siquis autem animam acceperit vnam indiſtantem à magnitudine ſegregatam,item ſimpliciſsimam,quantum apparebit primo cogitationis intuitu,quónam pacto ſperabit aliquis animam ipſam iterum ſe tanquam multiplicem inuenturum? præſertim cum exiſtimauerit ad hoc ipſum ſe velut ſimpliciſſimum denique peruenturum,quando animal in corpus diuideretur & animã,
E & corpus quidem facilè conſtaret multiforme & comopoſitum variumq; exiſtere?Sed animam interea quiuis ſperabat ſimpliciſsimam inuenire,atq; ibi denicq; conquieſcere,quaſi ad quendam proceſsionis terminum iam peruenerit. Cum igitur hanc ipſam animam tanquam aliquid ex intelligibili mundo deprõptum in medium produxerimus,ſicut & corpus ante ex mundo ſenſibili introduxeramus in medium,age conſideremus iam quónam pacto id vnum ſit multa,& quomodo multa vnum.Non vnum inquam velut ex multis compoſitum, ſed velut natura quædam vna,quæ ipſamet ſit & multa.Dixímus enim ſi hoc ipſum perceptum fuerit ac planè perſpectum,claram forè nobis inſuper veritatẽ generum in ipſo ente regnantium.

MARSILIVS.

Cum multitudo & diuerſitas in corpore animato ſit quamplurima, atq; hæc proximè fiat ab anima genitali,meritò anima,& ſi magis eſt unum atq; ens,quàm corpus,non tamen eſt unum multitudinis expers. Eſt igitur genitalis anima una quædam natura,rationumq; ſeminalium plenitudo,quæ rationes ita ſunt actus eius eſſentiales,ſicut radij lucis intimi. Eſt etiam in ipſa animæ eſſentia multitudo.non enim habet ipſum eſſe ſimpliciter,ſed unà cum animali quadam proprietate rurſus eſſentiali. Cap. V.

PLOTINVS.

F IN primis verò conſiderandum eſt,cum corpora præſertim animalium & plãtarum ita ſe habeant,vt vnumquodq; eorum multa ſit,tum coloribus, tum figuris,tum quantitatis diuerſitate,tum partium ſpeciebus,tum quoniam alibi aliud eſt,ab vno hæc omnia prouenire,ſiue ab eo quod omnino ſit vnum,ſiue habitudine qudam omnino vniuerſi vnius,ſiue ab aliquo quod magis,vnũ ſit quã quod procedit ab eo,adeo vt ens quoq; magis exiſtat,quàm quod inde procedit.quo enim longius ab vno diſceditur, eò longius & ab ente. Quoniam igitur ab vno quidem fit corporum conſtitutio, non tamen ab eo proximè quod omnino vnum ſit,vel ipſum vnum alioquin non adeo diſtantem faceret multitudinem,reliquum eſt, vt hæc ipſa corporum compoſitio à multitudine quadam vna conficiatur.Quod autem corpora facit,eſt anima:hæc igitur vna quædam eſt multitudo.Verùm quídnam potiſsimũ eſt in anima multituodo? Profectò eorum quæ inde fiunt ſeminariæ rationes. Num igitur aliud quidem eſt ipſa anima,aliæ verò ſunt rationes? Imò verò & anima ipſa ratio eſt, caputq; rationum:actusq; ipſius ſecundum eſſentiam agentis,ipſæ ſunt rationes:Eſſentia

verò

A verò eſt vis ipſa ſeminalium rationum. Quamobrem vnum hoc ita multa eſt, & ſic ſe habere per ea compertū, ex quibus agit in alia. Quid verò, ſi nihil efficiat, ſed eam quiſpiam accipiat nihil prorſus efficientem, progreſſus videlicet in id ipſum, quod in anima nihil facit? Sed nónne hîc quoq; vires multas inueniet? Eſſe namq; ipſam facilè quiuis admiſerit: num igitur ita prorſus eſſe hanc affirmabit, ac ſi lapidem eſſe dixiſſet? Certè nō ita. Iam verò & circa ipſum lapidem eſſe quidem lapidis non eſt eſſe ſimpliciter, ſed potius eſſe lapidem. Ita & hîc ſe ſe animæ vnà cum eſſe habet & eſſe animam. Sed nunquid aliud quidem eſt eſſe, aliud verò reliquum quod animæ ipſius complet eſſentiam? & hoc quidem eſt ens, differentia verò animam efficit. Forſan verò anima eſt quidem ens aliquod, non tamē ita ſicut homo albus, ſed ita ſicut homo ipſe eſſentia ſua tantū. Hoc autem idem eſt, ac ſi dicatur non extra eſſentiam habere quod habet.

MARSILIVS.

Eſſentia & uita in anima re quidem ipſa ſunt unum, ſed differunt ratione: nam anima per eſſentiam cum multis conuenit, à quibus per uitam differt. Vita illic ſcilicet animalis non accedit extrinſecus ad eſſentiam, ſed emicat ab eſſentia: igitur & in ipſa eſſentiæ uirtute latens uita uiget, & in ipſo uitæ actu manifeſtior explicatur eſſentia. Cap. VI.

B PLOTINVS.

SEd nunquid extra quidem eſſentiam ſitam nō habet illud, ita vt partim quidem ſecundum eſſe ſit, partim verò ſecūdum eſſe tale? Verùm ſi ſecundum tale eſſe, & hoc ipſum tale prouenit ab extrinſeco, certè non totum qua ratione eſt anima, erit eſſentia: imò ſecundum aliquid, idcoq; pars eius erit eſſentia, ſed non eſſentia totum. Præterea ipſius eſſe quidnam abſque alijs erit? an lapis? An potius oportet hoc eſſe eius in ipſo eſſe, velut fontem principiúmque exiſtere? imò verò exiſtere omnia quotcunq; exiſtit ipſa, ideoq; & vitam exiſtere, & ambo ſimul vnum ſcilicet eſſe atq; vitam. Num igitur ſic eſt vnum, vt ratio quædā vna? Profectò vnum eſt ſubiectum, & ita vnum, vt duo rurſus, aut etiam plura, quotcunq; ipſa in primis eſt anima. Aut igitur eſſentia eſt & vita, aut habet vitā. Verùm ſi vitam habeat, ſequitur vt id quod eam habet, nō ſit ſecundum ſe in vita, ac viciſsim vt vita non ſit in eſſentia. At ſi alterum non habet alterum, dicēdum eſt ambo vnum eſſe, aut vnum atq; multa, & totidem quot in vno intus apparent. Atqui & ſibimet vnum, & multa rurſus ad alia: tum verò vnum quidem in ſe exiſtere, interea tamen velut ſuo quodam motu, multa ſe reddere, atqui totum eſſe vnum, ſed tanquam ſtudens intueri ſeipſum, effici multa, nō ſecus atq;
C ipſum ens videatur non ſubſtinere ſe vnicum permanere, vtpote quòd omnia poſsit, quotcunq; eſt & ipſum. Iam verò contemplatio ipſa cauſa eſt, vt ipſum multa iam appareat, vt intelligat. Si enim vnum apparuerit, nondum videtur intellexiſſe, ſed adhuc illud ipſum exiſtere.

MARSILIVS

In primo intellectu eſt ens, motus, ſtatus, tanquam tria rerum genera: illic ipſa natura unum, ratione uerò formali inter ſe differentia. Cap. VII.

SIcut maxima diuerſitas membrorum in animali declarat eſſe aliquam differentiam rationum ſeminalium in ſemine, ſic in exemplari mundi differre quodammodo inter ſe ens & uitam, ideſt motionem, atq; ſtatum, argumento nobis eſt quod in mundo corporeo hæc tria maximè ſeparata ſunt. Eſt autem ibi uita motio quædam eſſentialis intima, perpetua ipſius entis, entis actus, ens prorſus adultum. Atqui ipſum ens eſſentialiter uita eſt, uitaq; uiciſsim uitaliter eſt ens. Deniq; cum ſtatus motui opponatur, coniicimus illic neq; ſtatum eſſe motum, nec alterutrum eſſe idem penitus cum ente.

PLOTINVS.

D QVænam igitur ſunt & quot quæ intus inſpiciunt? Profectò cum in anima eſſentiã inuenerimus ſimul ac vitã, atq; ipſa eſſentia in omni anima ſit cõmunis, cõmunis etiam ſit & vita, vita autem rurſus in mẽte, nimirum introducẽtes mẽtem inſuper eiuſq; vitam, ponemus vnum quoddam genus, ipſum ſcilicet motum in omni vita cõmunem: atqui eſſentiam ac motum primũ, qui & vita prima eſt, tanquam genera duo conſtituemus. Etenim ſi vnum ſint, ſeparare tamen ea licebit intelligentia, quod vnum eſt inueniẽdo nõ vnũ, alioquin neq; ſeparare licebit. Aſpice & in alijs manifeſtius motionẽ, aut vitam ab ipſo eſſe ſecretã: ac ſi minus in ipſo vero eſſe, ſaltem in vmbra ipſius eſſe, atque in eo quod eſſe æquiuocè dicitur. Sicut enim in hominis imagine multa deſunt, præſertim quod eſt potiſsimũ, ideſt vita, ſic & in rebus quæ ſentiuntur, eſſe ipſius eſt ſe eſt vmbra: vtpote quòd eo careat, quod eſt in eſſe potiſsimum, quod quidem eſt in principali rerũ forma exemplariq; vita. Nónne igitur hinc cõpertum habemus, quemadmodum ſeparare liceat eſſe ab eo quod eſt viuere, viciſsimq; quod viuere eſt ab ipſo eſſe ſimiliter? Entis ipſius quidẽ multę ſunt ſpecies: eſt & genus: motus autẽ neq; ſub ente neq; in ente, ſed vnà cũ ente ponẽdus: quippe cum in eo cõpertus ſit, nec tanquã in ſubiecto iacere: eſt enim actus ipſius, neq; alterum eſt abſq; altero, niſi forte cogitatione quadam. Atqui duæ naturæ
E ſunt hîc vna: etenim ens ipſum nõ in potentia eſt, ſed in actu. Ac ſi vtrunq; ſeorſum acceperis, adhuc & in ente motus, & in motu ens ineſſe videbitur: velut & in vno ente, vtrunq; ſeorſum acceptum poſsidet alterum: veruntamen cogitatio duo quædam eſſe dictat, & vtrunq; velut ſpeciem eſſe vnúmq; duplex. Cũ verò motus circa ens appareat, neq; illius naturã diſtrahat: imò verò ex eo potius quòd illud ſit perfectum, ibi adſit, ſemperq; natura talis in hoc ipſo motionis eiuſmodi ordine perſeueret, certè ſiquis huc ſtatũ nõ introducat, abſurdior erit illo, qui motũ minimè adhibuerit. Notio enim intelligentiaq; ſtatus ipſius enti magis accõmodata videtur, quã notio motionis. Ibi namq; viget quod dici ſolet, ſecũdum eadem eodemq; modo & vnà ratione ſe ſemper habere. Eſto iam & ſtatus genus vnũ quodammodo à motione diuerſum: quandoquidẽ cõtrarium quoq; videri poteſt. Quòd verò ab ente quoq; diuerſum ſit, ex multis quidem patere poteſt: ac præſertim quòd ſi vnà cũ ente ſit idem, nõ magis quã motus, cũ ente poterit eſſe idem. Cur enim ſtatus quidem ſit idẽ enti, motus verò nequaquã? quippe cũ motio vita quædam ſit ipſius, actusq; & eſſentiæ & ipſius eſſe. Sed profectò quemadmodũ ab eo motũ ſeparabamus, tanquã idem cũ ipſo, rurſusq; nõ idem, & velut duo dicebamus ambo, rurſusq; vt vnum, ea-
F dem cõditione ſtatum quoq; ſegregare licet ab eo, rurſumq; minimè ſegregare: eatenus videlicet intelligẽtia ſecernẽdo, quatenus velut genus aliud in rerũ ordine diſponat: alioquin ſi ſtatũ atq; ens in vnũ prſus copularemus, nullo prorſus modo differre dicẽtes: ſimiliterq; ens vnà cũ motu in vnũ penitus conflaremus, eadem nimirũ ratione ſtatũ atq; motũ per ipſum ens velut mediũ omnino in idẽ cõiũgeremus: ex quo contingeret, vt motus & ſtatus vnũ penitus eſſent.

MARSILIVS.

Formæ à materia ſeparatæ uel intellectus ſunt, uel in intellectu, & ibi quidem non ſecundum accident, ſed ſecundum eſſentiam intellectualem pariter atq; intelligibilem. Cap. VIII.

SIc intellectus primus quinq; in ſe concipit rerum genera, ſcilicet ens, motum, ſtatum, idem, alterum. In hoc intellectu eſſentia eius atq; intelligentia quodammodo differunt: alioquin in ordine rerum inde naſcentium, quatenus procedit eſſentia, eatenus intelligentia quoq; procederet. Illic igitur actus intelligendi tanquam motus quidam intimus innititur eſſentiæ ſiue enti uelut cardini: innititur inquam, duobus modis: nam & inde proſilit, & illuc aſsiduè reſilit. Ens ibi eſſentialiter eſt intelligentia, & uiciſsim intelligentia intellectualiter ens exiſtit. Præterea intelligentia & à ſtatu quo-

dam

A dam exorditur, idest firmo uigore mentis, & tendit in statum, idest ideam intelligentiæ terminum. Proinde præter ens, motũ, statũ, illic est & alteritas, quatenus hæc ibi inter se ratione aliqua distinguntur, & rursus identitas, quatenus in eadem natura sunt omnia. Tum uerò qutuor illic sequentia non apellantur entis species, sed actus quidam entis ipsius comites. Deniq; quinq; illa ibi dicuntur genera entium, quoniam & quæcunq; sunt ad illorum aliquod rediguntur, & illa simul cuncta in re qualibet includuntur, hac tamnn ex parte principia rerum etiam apellari possunt.

PLOTINVS.

CAeterùm oportet tria hæc ponere, siquidem intellectus vnumquodq; eorum seorsum intelligit: simul autem intelligit atq; ponit, si modò fuerint intellecta. Quorum enim esse vnà cum materia est, horum esse non est in intellectu esse, alioquin forent à materia segregata: quæ verò seiuncta sunt à materia, si intellecta sint, id ipsum eis est ipsum esse. Age itaq; contemplare intellectum purum, in eumq; penitus inspice, non externum, sed intimum prorsus affigens intuitum. Ecce iam intueris illic essentiam tanquam Vestale numen, atq; fundamentũ, cernis & ibi peruigil & inextinguibile lumẽ: animaduertis insuper, qua ratione intellectus & in seipso quiescit, & quæ sunt simul rite discernit, atq; distinguit: specularis vitam præterea permanentẽ: cognoscis intelligentiã nõ agẽtẽ circa futurũ, sed in præsens se potius intendentẽ, imò verò habentẽ, semperq;
B iam possidentẽ. Ibi certè præsens ipsum est & semper: ibi & intelligẽs nõ externũ quicquã ꝓspicit, sed inspicit penes se ipsum. Qua igitur ratione intelligit, actus ibi est atq; motus: qua verò seipsum animaduertit, essentia & ens ibi viget: existẽs enim intelligit, ac se intelligit existentẽ: atq; id ipsum quo vel in quod nititur ens existit. Actus sanè in ipsum directus nõ est essentia: id autẽ in quod annitit̃, & à quo dependet, ens iudicat̃: neq; ipsa perspectio, sed perspectũ potius ens est dicendũ. Habet hæc insuper esse, quoniã & à quo pendet, & in quod tẽdit est ens. Cũ verò nõ in potẽtia sit duntaxat, sed existat in actu, duo illa rursus cõiũgit in vnũ, neq; disiungit, sed facit & seipsum illud, & vicissim illud quoq; seipsum. Iã verò ens ipsũ omniũ est firmissimũ, in quo & reliqua cũcta fundant̃, atq; quod habet, nõ peregrinũ, sed ex seipso possidet in seipso. Est etiã in quod intelligentia desinit, nõ exordiens status, & à quo erupit, nõ erumpẽs status. nõ enim ex motu, nec in motũ motus. Pręterea idea quidẽ consistit in statu cum sit terminus intellectus: intellectus autẽ ipsius est motus: quapropter vnũ omnia esse vident̃, & motus, & status, & quæ per tota cõmuniter existũt, genera sunt. Vnũquodq; verò sequẽtiũ ens aliquod est, & quidã status, & motus quidã. Gęc vtiq; tria cõtẽplatus aliquis, dum videlicet entis naturã inspicit, eoq; quod pe-
C nes seipsum est ente, ens intuet̃, & alijs similiter cernit alia, velut motum in illo, motu quodã suo, statumq; statu, hæc illis accõmodans, ac velut vnà cõfusis hæc ipsa cõmiscẽs, neq; disiungẽs, sed post aliquãtã distinctionẽ sistens illico gradũ, vnde rite discernit intuitus ens, statũ, motũ, tria hæc, & quodlibet vnũ. Hæc inquã sic aliquis cõtẽplatus, nónne diuersa quodammodo inter se existimat, atq; alteritate discernit? ipsamq; in ente alteritatem animaduertit? tria videlicet ponens, & quodlibet vnum. Hæc rursus in vnum atque in vno, & ad vnum omnia, ideoq; in idem colligens atque conspiciens, identitatem agnoscit iam factam, imò iam existentem.. Nónne igitur præter illa tria necessarium est duo hæc adiungere, idem scilicet atq; alterum? Quamobrem omnia omnibus quinque genera esse consequens est: quæ & sequentibus deinde sua quædam tradant, vnde & eadem & diuersa proueniant: nempe vnumquodque sequentiũ aliquid idẽ est & diuersum aliquid. Nã ipsum simpliciter idẽ vel diuersum absq; adiunctione quæ per aliquid & quiddã fieri solet, in ordine generũ collocant̃. atqui & genera prima sunt, quoniã nihil de illis in eo quod quid est possumus prædicare. Licet quidẽ ens prædicare de illis: entia namq; sunt: sed nõ prædicat̃

D vt genus. Non enim ſic de eſſentia prædicatur, vt ipſa ens aliquod eſſe dicatur. Neq; rurſus ita de motu, neque de ſtatu: non enim hæc entis ſpecies ſunt: nam entia alia quidem ſunt tanquam ipſius ſpecies, alia verò tãquam participantia. Neq; rurſus ens horum tanquam ſui ipſius generum particeps dici debet: non enim ens ipſa transgrediuntur, neq; ſunt ipſo priora.

MARSILIVS.

Ipſum ſimpliciter unum quod eſt ente ſuperius, de nullo uel generum uel entium prædicatur ut genus. Cap. IX.

QVoniam propter indiuiduam prorſus ſimpliciratem ſuam differentias ſui nullas admittit, nullas diuiſiones, adiũctiones, compoſitiones excipit, per quas ſolet genus in ſpecies deriuari. Item nec unum quod eſt in ente de generibus, aut entibus tanquam Peripateticum genus uniuocè prædicari poteſt. Nam in horum ordine aliud deinceps alio aliter, atq; aliter, ac magis minúsue, & prius atq; poſterius, & ens & unum eſſe cenſetur. Denique quemadmodum in Luna quod ſurſum ſpectat, lucidum eſt ſimpliciter, quod uerò deorſum, lucidum pariter, atque non lucidum: ſic & ens ab ipſo ſimpliciter uno dependens, quatenus naturaliter uergit ad unum, meritò ens eſt penitus unum, uel unitum. Quod autem poſt hoc in ipſo ſequitur eſt ens unum pariter atq; multa. Illud quidem ſui prorſus unum, uel unitum, cum ſit indiuiſibile, non eſt genus: hoc uerò quod in eo ſequitur, non modo uum præter genera ſuperius dicta genus affert.

PLOTINVS.

E ESſe quidem hæc genera prima, per hæc aliquis ac fortè per alia poteſt aſſeuerare: eſſe verò hęc ſola, nec alia præterea, quánam ratione probabile fiet? Cur enim non & vnum? Cur nõ quantum? Cur non quale inſuper genera ſint? Item relatio & reliqua quæ alij quidam numerauerunt? Sed quãtum ſpectat ad vnũ, ſi accipiatur ipſum quod eſt penitus vnum, cui nihil aliud adhibetur, nõ anima, nõ intellectus, nõ aliud quicquam de nullo id prædicabitur: itaq; nec erit genus. Sin autem accipiatur vnum, quod adſit enti, in quo ipſum vnum ens appellamus, non erit hoc ipſum primò vnum. Præterea cum nullas in ſe ad ſe differentias vnquã admittat, quónam modo ſpecies poterit procreare? Quas niſi genuerit, genus eſſe nõ poterit. Iam verò quónam pacto diuidere poteris? Multa enim facies diuidendo. Quapropter ipſum vnum multa iam euadet, ac ſi genus eſſe voluerit, ſeipſum perdet. Accedit ad hæc, quòd ſi partiaris in ſpecies, interim aliquid adhibebis: alioquin non eſſent in vno differentiæ, quemadmodum ipſius eſſentiæ differentiæ ſunt. Mens vtiq; differẽtias entis admittit, vnitus autem quónam modo poſsit admittere? Item vbiq; cum differentia duo quædam ponens, deſtrues vnũ: ſiquidem vbiq; vnitatis adiunctio quãtũ prius obſcurat. Siquis autẽ dixerit vnũ quod eſt in ente, & vnũ quod eſt in motu atq; cæteris eſſe cõmune, idq; vnum vnà cum ente in idem redegerit, ſicut ens non cõceſſit
F aliorum genus exiſtere, propterea quòd non id ipſum quod ens eſt, exiſterent, ſed alio modo entia dicerentur, ita neq; ipſum vnum cõmune erit in illis, ſed aliud quidem primò erit tale, aliud verò aliter. Si autem dixerit nõ omniũ genus eſſe, ſed vnum aliquid in ſeipſo ſicut & alia, ac ſi idem eſſe voluerit ens atq; vnũ, nimirum cum iam ens inter genera ſit numeratum, nũc nomẽ dũtaxat adducit. Quòd ſi vnum ipſum eſſe alterũ dicat, vtrumq; certè naturã quandam dicit, ac ſiquid addat, vnũ aliquid affert, ſin autẽ nihil addiderit, rurſus illud affert, quod de nullo penitus prædicatur. Si rurſus vnũ cum ente cõgrediens introduxerit, reſpondebimus iam nos prædixiſſe id non primò vnũ exiſtere. Verùm quidnã prohibet hoc eſſe primò, exempto videlicet illo, quod eſt prorſus vnũ? Etenim ens poſt illud ens appellamus, atq; ens, primò ens affirmamus. Forſan prohibere videtur, quoniam quod ſuper ens exiſtit, non eſt ens dicendum: alioquin nõ eſſet hoc primò ens iudicandum: at verò quod ſuper hoc vnum ponitur, exiſtit vnum. Præterea ſi vnum ab ente intelligentia ſeparetur, differentias nullas admittit. Proinde vnum quod in ente ponitur, ſiue cõſequens illius aliquid ſit, & ſimiliter

A ſimiliter omnium, certè poſterius erit, genus autē prius eſſe debet, ſiue ſimul cū ente concurrat, ſimiliterq; cū alijs reſpondebitur, genus nō ſimul eſſe debere, ſiue fortè ſit prius, certè principium quoddam illius tantū erit: ſin autē illius principium, non etiam genus illius. Quòd ſi non illius, nec etiam aliorum, alioquin oporteret & ens ſimiliter eſſe genus omnium reliquorum. Omnino verò vnū in ente videtur propinquare quidem vni, & quaſi cum ente concurrere: quippe cum ipſius entis, quod quidem vergit ad vnum, ſit ens vnum: quod autē eſt poſt illud, ſit ens, quod quidem eſſe poteſt & multa. Vbi quidem illud, cum permaneat vnum, neq; diuidi velit, certè nec fieri genus admittit.

MARSILIVS.

Ipſum ſimpliciter unum non prædicatur ut genus de aliquo, ſcilicet generum, aut de ideis ullis. Cap. X.

NAm quoduis genus, & quæuis idea eſt in ſe unum aliquid multitudinis neceſſariò particeps. Aequiuocè igitur, rationeq; longè diuerſa illud primum & hæc nominantur unum: neque minus multitudo quàm unum de his generibus ideisq; prædicatur. Præterea genus uarietatem in ſe prorſus admittit, quam non admittit ipſum unum, quod quidem cum ſit ſimpliciter unum, non eſt unum genus: tum uerò unum omnibus entibus communiter ineſt, nec propterea eorū genus exiſtit, ſicut neq; unitas numerorum, neq; punctum linearum, neq; ſimplex compoſitorum. Deniq; ſi unū
B quod cum eſſentia congreditur, ſi abſq; ente conſideretur, non diuiditur per differentias ullas in unum hoc & illud, diuiſio uerò ratione entis accidit & in ente. Hoc igitur reſtat genus, qualecunque ſit genus.

PLOTINVS.

QVo igitur pacto vnumquodq; eorum quæ entis ipſius propria ſunt, eſt vnum? Fortè ex eo quòd eſt quiddam vnum, nō vnū ipſum. Multa enim iam eſt quod eſt aliquid vnum, ſed æquiuocè vnum eſt ſpecies vnaquæq;, ſpecies enim multitudo eſt: quapropter vnum hoc in loco ſe habet, ſicut exercitus aut chorus: non igitur vnum illud his ineſt, itaq; vnum non eſt cōmune. Neque conſiderari poteſt vnum ipſum, ipſo ente, neq; his quæ aliquid propriè ſunt, illud quod eſt ſimpliciter ipſum, vnum igitur non eſt genus: quoniam omne genus ita ſe habet, vt de quo prædicatur, non etiam prædicentur oppoſita. At verò de quocunq; entis vniuerſi affirmatur vnum, oppoſita etiam affirmantur: ideoq; de quocunq; affirmabitur vnum velut genus, de eodem iudicandum erit non tanquam genus. quare neq; de generibus primis tanquam genus reuera dicetur. Quandoquidem & vnum ens, non magis vnum eſt quàm multa, neq; quicquam generum aliorum ſic eſt vnum, vt etiam non ſit multa, neq; etiam ſic
C de alijs poſterioribus predicabitur, quæ omnino ſunt multa. Sūmatim verò nullum genus totū eſt vnum: iccirco ſi vnum ipſum ſit genus, deſinet protinus eſſe vnū. ipſum namq; vnū nō eſt numerus: erit autem numerus, ſi genus fuerit. Erit præterea vnum quiddam in numero: nēpe ſi genere vnū fuerit, nō erit principaliter vnū. Præterea ſicut in numeris vnū de illis nō vt genus dicit, ſed ineſſe quidē aſſeritur, nō tamē eſſe genus, ita neq; ſi vnū entibus inſit, propterea genus erit vel entis ipſius, vel aliorum, vel omnium. Proinde ſicut quod eſt ſimplex principium quidem eſſe poteſt rei minimè ſimplicis, non tamen eſt genus eiuſdem: alioquin ſimplex quoque erit, quod non ſimplex: ſic & in vno dicendum: nempe ſi locum principij teneat, ſequentium genus eſſe non poterit. Nec igitur entis genus erit, nec aliorum: ſed ſi modò genus fuerit, eorum erit duntaxat quæ ſingulatim dicuntur vnum, velut ſiquis vnum ab eſſentia exiſtimauerit ſeparandum: erit igitur aliquorum. Sicut enim ens non omnium genus eſt, ſed ſpecierum quæ ſingulatim ens nominantur, ſic & vnum genus erit ſimiliter ſpecierum, quæ ſingulatim vnum appellabuntur. Quænam igitur differentia erit aliud inter & aliud, quatenus vnum erunt, quemadmodum eſt & entis alterius ad alterū differentia? Verùm ſi vnū ſimul diuiditur cū ente atq; eſſentia,

D & ipſum ens tum quia diuiditur, tum quia idem conſideratur in multis, iccirco genus exiſtit, cur non & ipſum vnum, cum totidem videatur eſſe, quot & eſſentia æqualiterq; diuiſum, ſimiliter genus exiſtat? Sed profectò nõ eſt neceſſariũ, ſiquid multis inſit, eſſe genus, vel eorum quibus ineſt, vel aliorum: nec oportet omnino, ſiquid cõmune ſit, etiam genus eſſe. Iam verò pũctũ quod lineis ineſt, nõ eſt genus, aut earũ, aut omnino: quinetiã vt diximus, nec ipſum in numeris vnũ, genus eſt numerorũ vel etiã aliorũ. Oportet enim quod eſt cõmune vnũq; in multis, ſi modò genus futurũ ſit, proprias admittere differẽtias, ac ſpecies ita conficere, & in eo quod quid eſt prædicari: ipſius autẽ vnius quænam differentiæ ſunt? Quales nam ſpecies efficit? Quod ſi dicatur eaſdem ſpecies conſtituere, quæ enti quoq; conueniunt, certè idem cum ente erit, ideoq; ſolùm hîc nomen erit differens, & ens ipſum ſufficere iudicandum.

MARSILIVS.

Nec ens, nec unum eadem ubiq; ratione rebus inſunt, ſed ratione diuerſa magisq; & minus gradatim, & prius atq; poſterius. Cap. XI.

RVrſus non eſt eadem omnino inter ſe ratio unius atq; ratio entis: nam exercitus nõ eſt minus ens quàm domus, nec domus quàm continuum: eſt tamen minus unum. Eſt autẽ ratio eadem unius atq; boni, & quatenus quodlibet particeps ſit unius, eatenus & boni, atq; uiciſsim. Alibi dictum eſt, unum eſſe aliud ſuperiusq; quàm ens, propterea ultra eſſe à rebus expeti bene eſſe. Id uerò bonum
E uniuſcuiusq; rei in unione conſiſtit, ideſt ut partes ſuæ inuicem ſint unitæ, & totum unitum ſit principio atq; fini. Atq; ut res omnes tum quæ magis inuicem ſunt cognatæ coeant, tum quæ minus cognatæ concilientur.

PLOTINVS.

OPeræpretium eſt cõſiderare quomodo ſit vnũ in ente, & quo pacto quæ dicit̃ partitio fiat: & omnino qualis ſit partitio generũ. Item nunquid eadem, vel alia ſit vtraq;. In primis igitur cogitandũ, quomodo omnino vnũ quod libet dicatur, atq; exiſtat: deinde vtrũ ſimiliter & in vno ente dicamus, & quomodo ibi dicat̃. Iam verò vnũ, quod omnibus attribuitur, nõ eſt idẽ, neq; enim in rebus quæ ſentiuntur ſimiliter ſe habet, atq; in his quæ intelligẽtia tantũ percipiuntur: ſed neq; etiã ens in eis ſe ſimiliter habet, nec etiã in rebus ſentiẽdis inter ſe ſimiliter ineſt. Non enim idem vnum eſt in choro atq; exercitu, naueq;, & domo: nec rurſus idẽ in his atq; in cõtinuo. Veruntamẽ idẽ omnia imitant̃, ſed alia quidem remotius, alia verò ꝓpinquius: atq; in mẽte proculdubio verius. Anima enim vna eſt: ac multò magis mẽs eſt vna, & ens eſt vnũ. Num igitur dicẽtes in quodlibet ens ipſius, pariter & vnũ dicimus? Atq; ſicut habet entis, ſic & vnius habet? An potius id quidẽ accidit? non tamen quatenus ens eſt, exiſtit &
F vnũ, ſed fieri poteſt, vt quod non minus eſt ens, minus tamen ſit vnũ. Nõ enim minus ens eſt exercitus aut chorus, quã ſit domus: veruntamẽ eſt minus vnum. Videtur igitur quod in quolibet vnũ eſt, id ipſum bonũ magis vnũ aſpicere, & quantũ boni cõſequit̃, tantũ & vnũ eſſe, atq; ipſum magis minúsue ſecundum vnũ in hoc ipſo conſiſtere. Nam vnumquodq; nõ ſimpliciter eſſe vult, ſed eſſe cum bono. Ob hoc & quæ nõ ſunt vnum, ſtudent quoad poſſunt vnũ fieri: & quæ natura cõſtãt, id affectant ipſa natura in idem cõgredientia, dum videlicet ſibimet vniri deſiderãt. Non enim ſeorſum à ſe inuicẽ fieri ſingula properãt, ſed in ſe inuicẽ & ad ſeipſa feſtinant. atqui animæ omnes in vnũ quidem optarẽt euadere, propria videlicet eſſentia interim conſeruata. Et profectò in vniuerſo vtrinq; regnat vnum. Eſt enim vnum & à quo pendent, & in quod omnia tendunt. Exordiũtur enim ab vno, properantq; ad vnum: in hoc enim ipſo omniũ conſiſtit bonum: atq; ita in ordine rerum extitit vnumquodq;. Et poſtquam extitit, neque conſiſteret niſi feſtinaret ad vnum, neque quo minus huc properet, continere ſe poteſt. Quæ igitur natura ducuntur, ita ſe habẽt: quæ verò arte

uactan-

A tractántur ita. Ars vnaquæque vnũquodq; ad hoc ipſum,& quãtũ ipſa poteſt, & quantum ſingula poſſunt,ritè diſponit:ipſum verò ens maximè omnium id aſſequitur. vni namq; proximum eſt. Quabrem alia quidem dicuntur tantùm, quod & dicuntur,velut homo:etenim ſi quando dicamus, homo ille vnus eſt, ad duo reſpicientes id dicimus. Quòd ſi & aliter vnum aliquid dicamus, adiungentes videlicet aliquid,ita loquimur. In ipſo autem ente, dicimus totum hoc, ens vnum,ac velut vnum cenſemus: oſtendentes videlicet maximam quandã eius cum bono propinquitatem. Fit itaq; vnum & in ipſo tãquã principiũ atq; finis,non tamen eodem modo,ſed potius aliter. quapropter in hoc ipſo etiam vno prius eſt atq; poſterius. Quid ergo hoc ipſum in eo vnum, nónne ſimiliter cunctis in partibus atq; cõmune conſideratur? Forſan verò in lineis quoq; punctum eſt cõmune,neq; tamen genus eſt linearum. Et in numeris cõmune vnũ hoc forſan eſt,neq; tamen eſt genus. Non enim idem eſt vnum quod in ſeipſo eſt, atq; vnum quod in vnitate eſt,atq; duitate,cæterisq; numeris ineſt. Proinde etiam in ente nihil prohibet alia quidem prima eſſe, alia verò ſequentia: & alia ſimplicia,alia verò compoſita. Atqui ſi idem ſit vnum in his quæ ad ens propriè pertinent,quia tamen non adeſt ei differentia vlla, & iccirco neq; ſpecies efficit,meritò neq; genus eſſe poteſt.

B

MARSILIVS.

Bonum etiam inanimatorum,diſcretorum,numerorum, in quadam unione conſiſtit:item quodlibet quinq; generum eſt & in ſeipſo unum,& in participantibus non diſcerptum. Cap. XII.

PLOTINVS

HAec quidem ita ſe habeant,ſed quo nam modo in numeris bonũ eſt in eo quod vnuſquiſq; ſit vnũ,cum inanimati ſint? Forſan verò cõmune hoc eſt in alijs etiam, quæ anima carent. Siquis autem obijciat omnino illos nõ eſſe, reſpondebimus,nos de entibus loqui inſtituiſſe, quà vnumquodq; eſt vnum. Sin autem interroget quomodo punctum boni ſit particeps,quæremus & nos nũquid punctum ſecundum ſeipſum accipiat necne. Ac ſi accipiat ita concedatq; inanimatum eſſe,dicemus illum idem quod & in alijs eiuſmodi quærere:ſin autem in alijs punctum accipiat,velut in circulo, reſpondebimus id quod circuli bonum eſt,huic quoq; bonum eſſe,atq; hoc ipſum appetere,ac per circulum illuc tendere. Sed quónam pacto hæc genera ſunt? nũquid etiam diuiſa ſingula? an totum in vnoquoq; exiſtens eorum,quorum eſt & genus? Et quomodo adhuc eſt vnum? Fortè genere vnum,tanquam in multis totum. An igitur in his tantùm quæ participant? Fortè non in eis tantùm, verumetiam & ſecundũ ſeipſum, & in his quæ participant. Sed forſan hoc in ſequentibus manifeſtius erit.

C

MARSILIVS.

Motus,ſtatus,identitas,alteritas ſunt prima rerum genera unà cum ente,quoniam actus quidam primi & intimi ipſius entis exiſtunt: numerus autem poſteriorem inde reſultans,atq; etiam poſterior magnitudo,ideo duo hæc non ſunt genera prima. Cap. XIII.

PLOTINVS.

PErquirendum eſt in præſentia,cur non etiam quantitas inter prima genera numeretur,rurſusq; qualitas. Sed profectò quantitas quidem nõ eſt primũ vnà cum cæteris,quoniam illa ſimul vnà ſunt cum ente. Motus enim vnà cum ente,cum ente inquam actu exiſtẽte,ipſeq; eſt actus eius,cum & ipſius ſit vita. Status quoq; ſimul in eſſentia ipſa cõſpirat:imò verò ſimul his adeſt ipſum eſſe, his dico tum alteris,tũ eiſdem,adeo vt hæc etiam ſimul cõſpiciantur. Numerus autẽ poſterior eſt illis,atq; ſeipſo: et hoc ipſum quod poſterius aliquid eſt, habet à priore,ac deinceps ſunt in ſe inuicem,atq; poſteriora primis inſunt. quapropter inter prima nequaquã numerabuntur. Quærendum verò nunquid omnino numerus ipſe ſit genus. Nam magnitudo quidem magis etiam quã nume-

D rus posterior est atq; cõposita. In hac enim est numerus atq; linea, quæ duo quę dam sunt: inest & planum, ideoq; sunt tria. Si igitur continua magnitudo à numerò hoc ipsum habet quod sit aliquid quantum, cum numerus ipse non sit genus, quónãmodo magnitudo genus erit? Est autẽ inter magnitudines quoque prius atq; posterius. Si autem cõmune ambobus est hoc ipsum quòd sint quanta, considerandum est, quidnam hoc ipsum sit, & cum inuenerimus: genus posterius ponendum est, inter genera uerò prima nequaquam. Atq; si genus sit nec inter prima, indagandum est, in quid nam potissimum primorum sit reducendum, uel in quæ potius ex illorum numero quæ referuntur ad prima. Compertum est fortasse, ipsam quanti naturam quantum aliquid designare, & quantitatem uniuscuiusq; metiri, atq; ipsam quantũ aliquid esse. Verùm si commune numero atq; magnitudini est ipsum quantum, aut numerus quidem est primus, magnitudo autẽ est ab illo: aut omnino numerus quidẽ in quadam motus statusq; mixtione uersatur: magnitudo autẽ motus quidam est, uel saltẽ pendet ex motu, dum uidelicet motus in quiddam procedit indefinitum, status autem sistens quod procedit, procreat unitatem. Sed de generatione numeri atq; magnitudinis, imò uerò de substantia utriusq;, eorumq; notione in sequentibus potius uidetur considerandum: Fortè enim numerus quidem in primis ge
E neribus collocatur, magnitudo verò in compositione posterius. Et numerus quidem stabilium est, magnitudo autem versatur in motu. Sed de his in sequentibus vt dicebamus.

MARSILIVS

Qualitas nõ est inter prima rerum genera: quoniam qualitas essentia ipsa posterior est, ei accidens absolutè iam existenti: prima uerò genera essentiam illam tanquam actus eius intimi pariter comitantur. Essentijs rerum naturalium insunt naturales & intimæ proprietates quædam quasi similes qualitatibus, ut ignis essentiæ calor, hominis facultas rationalis, quæ quidem reuera actus quidam essentiales sunt potius quàm qualitates. Quæ uerò non ab essentia speciali nascuntur, sed aliunde contingunt, ut albedo homini, uerè sunt qualitates atq; passiones. Cap. XIIII.

PLOTINVS.

QValitas autẽ cur nõ sit in primis? profectò quoniã hæc quoq; posterior est, & post essentiam nascit. Oportet autẽ essentiam primã hæc ipsa genera sibi consequentia possidere, neq; tamẽ ex his cõstitui, neq; per hæc rursus compleri, alioquin foret qualitate & quantitate posterior. In essentijs quidem compositis, constantibusq; ex multis in quibus & numeri qualitatesq; sunt, diuersitatẽ ipsarum hæc efficiunt, qualitatesq; earum esse cõtingit, atq; cõmunitatem quandam in eis licet inspicere. In primis verò generibus non decet diuisionẽ rerũ nõ simplicium compositarumq; efficere, sed simplicium eorumq; que
F complent essentiam, non essentiam dico quandam. Nam essentiam quandam ex qualitate compleri fortè nihil est absurdum, vbi certè ante qualitatem essentia sit: ipsum verò tale aut tale extrinsecus accidat. Essentiam verò ipsam oportet, quæcunq; habet, tãquam essentialia possidere. Tametsi in alijs iudicauimus ea quidem quæ complẽt essentiam, æquiuocè qualia nũcupari: quæ verò extrinsecus post essentiã veniunt, esse qualia: & quæ insunt essentijs, earũdẽ actus existere: quę verò post illas, illas esse iam passiones. Nunc verò dicimus, illa nõ omnino essentiam ipsam complere, quæ ad quandam spectant essentiam. Non enim vnà cum essentiæ adiunctione fiunt homini in quãtum homo est, ad essentiam: sed est essentiæ desuper priusquam ad differentiam veniatur, quemadmodum iam est animal antequam ad rationalem descendatur proprietatem.

MARSILIVS.

Sicut non est prius ignis, deinde lux eius, & calor, & siccitas, atq; leuitas: sed quatuor hæc simul cum ignis essentia sunt tanquam & proprietates & actus comites eius etiam existentis in actu, ita ad ipsum ens se habent motus eius intimus, atq; status, & identitas pariter & alteritas. Cap. XV.

PLO-

PLOTINVS.

QVo igitur modo genera quatuor essentiam complent, nondum qualem essentiã facientia: nam neq; dum essentiam quandam faciunt. Quod igitur ens ipsum primum, iam est dictum, quódue motus nõ sit ens aliud, nec etiã status, neq; rursus alterum, neq; idem satis constat. Præterea motum hunc nõ afferre illic qualitatem, forsan est manifestum: si tamen dicatur, fiet etiam manifestius. Si enim motus est actus essentiæ, atq; ens est actus, & omnino quæ sunt prima sunt actus, meritò motus non est illic accidens, sed cum sit actus potius entis reuera existentis in actu, nimirum neq; complere essentiam dici debet, sed ipsa prorsus essentia. Quaproter non accessit in posterioris alicuius locum, nec in qualitatis vicem, sed ad ordinem cuiusdam simul comitãtis est institutus. Nõ enim prius quidem est ens, deinde verò mouetur. Neq; dicẽdum est, ens prius esse, postea verò stare. Status enim non est ibi passio. Quinetiam ipsum idẽ atq; alterũ posteriora non sunt, quoniam non posterius euasit ens illud multa, sed erat iam hoc ipsum quod erat vnũ multa. Quòd si multa, ergo illic erat alteritas. Quin etiam si ab initio multa sunt vnum, simul ibi est & identitas. atq; hæc quidem sufficiũt ad essentiam. Quando verò futurus est illinc ad inferiora progressus, tunc alia oriuntur, quæ non amplius essentiam faciunt, sed essentiã qualẽ & essentiam quantam, atq; eiusmodi quædam genera quidem fiunt, sed nõ prima.

B

MARSILIVS.

Relatio, locus, ubi, quando, tempus, positio, habitus, actio simul cum passione nec prima genera sunt, nec penes illa. Aduentitia enim sunt, & compositionem defectumq; significant. Cap. XVI.

PLOTINVS

PRoinde relatio accedenti cuidam propagini similis, quónammodo inter prima constituetur? Alterius enim ad alterum relatio est, nec ad seipsum habitudo est, sed semper ad aliud. Præterea quod inter prædicamenta ipsum vbi & quando numerari solet, etiam inde remotum est: nam ipsum vbi aliud in alio significare videtur; & iccirco duo. Genus autem esse oportet non compositionem quãdam, sed aliquid vnum: nec ibi locus est. Nunc verò de ijs quę entia reuera sunt, sermo nobis habetur. Considerandum verò est nunquid ibi sit tẽpus, imò verò non est tempus ibi. Si autem tempus mensura sit, neq; mensura simpliciter, sed motionis duo quædam & compositum est id totũ, motuq; posterius: ideoq; non ibidem est æquali distributione, vbi motus. Quod præterea facere dicitur atq; pati, versatur in motu. Si ergo ibi sit pati, atq; agere, cum agere similiter atq; pati duo quædam sint, meritò neutrũ erit simplex, neutrum igitur erit genus. quinetiam ipsum quod habere nominant, in se duo complectitur. Item quod poni vel iacere certo modo aliud in alio dicunt, tria comprehendit.

C

MARSILIVS.

Bonum non est inter genera primá: Nam siue significet primum bonum est generibus eminentius, siue qualitatem, posterius est generibus. Quælibet uerò dicuntur bona nõ per unam genericam in se naturam, sed quia à primò bono sunt, uerguntq; ad ipsum: & bonum in primò ente est uita motusq; ipsius ad primum bonum. Cap. XVII.

PLOTINVS.

CAeterũ pulchrũ, bonũ, virtutes, scientia, intellectus, cur nõ etiã inter prima similiter numerentur? Profectò bonũ si primũ ipsum accipiat, quod dicere solemus ipsam boni naturã, de qua certè nihil ritè prædicari potest, quamuis nos nõ potẽtes aliter explicare, vtcũq; possumus de hac ipsa natura loquamur, nullius certè genus est dicendum. De nullis enim alijs prędicatur, alioquin vnũ quodq; corũ de quibus prædicetur, illud ipsum esset quod ibi prędicaretur: atqui bonũ illud nõ in essentia est, sed super essentiam. Sin autẽ bonũ hîc accipiat velut quale, dicẽdum est, quale omnino inter prima nõ esse. Quid ergo? ipsa entis natura nónne bonũ est? sed certè aliter bonũ est, nec eo modo quo primũ. Atq;

D ſic bonum eſt,neq; velut quale,ſed habens in ſe bonũ. Verũ & alia diximus genera in ipſa entis natura conſiſtere,& ob hoc ipſum,quia vnũquodq; eorũ commune aliquid eſt,in multisq; cõſpicitur,genus eſſe iã conſtitit. Si ergo & bonũ in qualibet eſſentiæ vel entis parte,aut ſaltẽ in plurimis partibus illic inſpicitur, quidnã prohibet quo minus ſit genus,atq; in primorũ ordine collocetur? Sed id prohibere videtur,quoniam in cunctis partibus nõ ſit idem,ſed primo atq; ſecundo,rurſumq; tertio,poſterioriq; ordine diſponat. Nam ita ꝓfectò bonum quodlibet illic appellatur,vel quoniã aliud ſit ab alio, & à priori poſterius, rurſumq; inde poſterius:aut quoniam omnia ab vno ſuperiore depẽdeant,alia verò aliter pro ſua vnumquodq; natura participent. Siquis autem etiam tanquam genus ponere velit,poſterius erit:poſterius enim quàm eſſentia. Atqui hoc aliquid eſt illud eſſe bonum,etiam ſi cum eo ſit ſemper:illa verò eſſe dicebãtur entis ipſius qua ratione ens eſt,atqui ad eſſentiã conferentia. Hinc nempe ad illud aſcenditur quod eſt ente ſuperius,quãdoquidem ens & eſſentia nequit eſſe nõ multa,ſed neceſſarium eſt habere hæc in ſe genera numerata,eſſeq; vnũ multa. Verũtamẽ ſiquod hîc bonũ ideſt vnũ in ente dicere volebamus,non vereamur aſſerere actũ eius ad vnum ipſum natura tendentem,idq; eſſe bonũ eius aſſeuerare,vt videlicet inde ſit boniformẽ,erit certè id bonũ actus ad ipſum bonũ. id autẽ eſt eius vita:id verò motus,qui ſanè iã vnũ quiddã inter genera numeratur,

E MARSILIVS

Pulchritudo,ſcientia,intellectus,uirtus non afferunt noua illic genera,ſed ad quinq; illa iam numerata quodammodo rediguntur. Cap. XVIII.

PLOTINVS

VBi verò de pulchro dicebatur,ſi accipiatur prima ipſa ſupereminens pulchritudo,eadem vel ſaltem ſimillima reſpondebimus illorum quæ iam de bono reſpondimus:Sin autẽ pulchrum intelligatur decus aliquod in idea reſulgens,obijcietur non eſſe id in omnibus idem.item eiuſmodi fulgorem eſſe poſteriorem. At ſi non aliud quàm ipſa eſſentia pulchrum aſſeueretur, iam id eſt in ipſa eſſentia computatum. Verùm ſi pulchrum quantũ ad nos intuẽtes pertinet aſſumatur,propterea quòd certa quadam nos cõditione afficiat,hunc ipſum afficiendi actum motũ eſſe conſtabit. Atqui & ſi ad illud dirigatur actus, ſimiliter motus erit. Eſt & ſcientia ipſe motus:quippe cũ ipſe ſit entis aſpectus,neq; habitus ſit,ſed actus. Quapropter & ipſa ſub motu ſimiliter cõtinebitur:ac ſi vis ſub ſtatu cõtineat, vel etiã ſub vtriſq;,ſin autẽ ſub vtriſq; miſtũ aliquid erit:miſtum verò poſterius aduenit. Intellectus autẽ eſt ens ipſum intelligẽs,ipſumq; ex cũctis cõpoſitũ,nec quiddam ex generibus vnũ. Nempe verus intellectus ens eſt vnà cũ omnibus,iamq; entia cũcta:ens autẽ ſi ſolum nudumq; accipiatur, velut genus aſſummitur,intellectusq; ipſius eſt elementũ. Iuſtitia verò & temperantia virtusq; omnino, actus quidam intellectus omnes ſunt. Quapropter non collocantur in primis,ſed poſteriora ſunt genere,& tanquam ſpecies deſignantur.

MARSILIVS.

Ambigit hic multa:nihil fermè definit. Cap. XIX.

PLOTINVS.

RElinquũ eſt inquirere,cũ genera ſint hæc quatuor atq; prima, nũquid quodlibet horũ generũ ſpecies ꝓcreet,velut ſi ens in ſeipſo ſeorſum ab alijs diuidatur. Fortè nõ ita,quoniam extra genus differẽtias oportet accipere, atq; eſſe illas entis quidem qua ens eſt differentias,non tamen differẽtias id ipſum eſſe. Vnde nam igitur habebit? neque enim ex his quæ non ſunt entia. Quòd ſi ex entibus,ſunt autem reliqua genera duntaxat tria videlicet ab his accipiet,atque cum his adiunctis ſimulq; conſeruatis,& ſimul effectis. Verùm hæc ſimul conſtituta,hoc vtique quod ex omnibus iam confeciſſe videntur. Quomodo igit

reſtant

A restant alia post illud quod est ex cunctis? Et quomodo genera cum omnia entia sint species faciunt? Item quomodo motus species effi cit motionis? atq; status ipse aliaq; similiter? Illud sanè in primis est obseruandum, ne vnumquodq; confundatur in speciebus, neq; rursus genus tantùm sit prædicatum, tanquã in illis duntaxat consideratum: imò sit & in illis simul & in seipso, & mistum rursus purum neq; permistum, ne si fortè aliter conferat ad essentiam seipsum perdat. De his ergo considerare decet. Quoniam verò quod ex omnibus constat entibus intellectum esse diximus, & quemlibet intellectum, sed super species omnes & velut partes ens ipsum essentiamq; posuimus, nõdũ tamẽ intellectũ, meritò eum qui iã intellectus existit, posteriorẽ esse putamus. Atqui dubitationẽ eiusmodi tãquã ad quæsitũ vtilem adduxerimus: sic enim hoc ipso vtẽtes velut exẽplari quodam in cognitione eorũ quæ tractamus efficacius penetrabimus.

MARSILIVS.

Intellectus diuinus ad ideas se habet quemadmodum ad propositiones suas geometria. Ille enim intellectus & existit hoc ipsum quod in se est in actu, & dupliciter habet ideas, tum in actu simul cunctas ibi iam consistentes, tum in potentia singulas, ibi mox inter se distinguendas. Ideæ uicissim singulæ quidem hoc ipsum quod in sua proprietate sunt, in actu sunt: in potentia uerò sunt ipsum totum. Tum uerò quod est ibi superius ad sequentia, quasi & genus est & causa. Qua igitur ratione genus est, illa est

B *in potentia: qua uerò est causa, illa rursus est in actu.* Cap. XX.

PLOTINVS.

ACcipiamus igitur intellectum ipsum ita se habentem vt nihil eorum quæ in parte sunt attingat, neque propriè circa aliquid agat, ne quidam intellectus euadat, sed ita se habeat quemadmodum scientia ante species quæ sunt in parte, atq; etiam sicut scientia quæ est in specie super partes quæ sunt in ea. Vniuersa quidem scientia nihil est eorum quæ sunt in parte, sed omnium est potestas: vnumquodq; verò suuum quiddam est in actu, & potentia insuper omnia. atq; in ipso scientia quæ vniuersaliter se habet similis conditio est. Iam verò hæ quidem in specie sunt, quæ in ipsa tota secundum potentiam collocantur: quæ quidem ipsum quod est in specie nactæ, secundum potentiam sunt ipsa tota. Prædicatur enim vniuersa illa, neq; vniuersæ particula: ipsam tamen in seipsa oportet integram simplicemq; consistere. Sic itaq; aliter quidem intellectum vniuersum fas est dicere ipsum esse super omnia quæ singulatim sunt in actu, & super intellectus eiusmodi, aliter autem singulos se habere: Singulos verò illos qui sunt in parte cunctis impletos, intellectum verò in omnibus existẽtem suppeditare quidam singulis, eorumq; esse potentiam, atq; illos in suis vniuersalibus continere, & illos vicissim in particularibus suis intellectum habere communem: quemadmodum scientia quædam scientiam ipsam habet. Tum verò magnum intellectum secundum se consistere, rursusq; singulos in seipsis existere, ipsosq; qui sunt in parte in toto illo comprehendi, atq; totum ipsum particularibus vicissim inesse, atq; singulos tum in seipsis tum rursus in alio, & illum in seipso rursumq; in illis. Item in illo quidem omnes, in illo inquam in se existẽte, illos quidem ibi esse potentia, in illo videlicet qui omnia simul sit in actu: potentia verò sit & vnumquodq; seorsum. Rursum illos actu quidem esse quod sunt, esse verò & potentia totum. Quatenus enim hoc ipsum quod dicũtur existunt, actu sunt illud quod & dicuntur: quatenus autem in genere illo sunt, potentia illud esse constat. Illud autem qua ratione genus est, potentiã esse omnium quæ sub ipsa sunt specierum, neq; quicquam actu illorum, sed omnia in eo velut clã atq; quiete. Qua verò ratione est id quod est in actu ante species, esse actum eorum quæ non singulatim duntaxat se habent. Oportet vtiq; si modò in actu futura sint velut in specie, actum ipsum ab illo pendentem huius ipsius causam esse.

MARSILIVS.

D *Intellectus primus dum ſe intelligendo omnia inter ſe diſcernit, ibidem numerum patefacit, per uirtutem im menſam declarat magnitudinem, per intelligentiæ claritatem aperit qualitatem. Cap.* XXI.

PAtent igitur ibidem qualitates atq; figuræ, ac per ipſam alteritatem differentiæ qualitatum figurarumq; & omnium, per identitatem quoq; communio. Cum uerò contineat omnia per modũ naturæ ſuæ, hæc uerò ſit prima eſſentia uiua intellectualisq;, meritò quæ intus intelligũtur, nõ ſunt figmẽta, ſed exiſtentia prorſus uiua, intellectualia ſingulatim. Deniq; ſicut ſe habet generationis motus ad naturã genitalẽ, ita ratio argumentatrix ad intellectũ. Motus enim generationis cõtendit ad mẽbra paulatim generanda, quæ ſimul & ſeminaria uirtute ſunt cũcta: ſimiliter ratio argumẽtãdo quærit entia, quæ ſimul omnia ſemper ſunt in mente nũquã argumẽtãte. Sicut autẽ apud rationẽ perpetua inquiſitio nõ habẽtis ſignũ eſt, ſic penes mẽtẽ, nihil inquirere argumẽtũ eſtiã omnia poſsidẽtis.

PLOTINVS.

QVo igitur modo intellectus ipſe dum permanet vnũ, ipſa ratione efficit quæ ſunt in parte? Id verò idem eſt, perinde ac ſi quæratur quomodo ex quatuor illis ea quæ dicuntur deinceps efficiant. Age iam contẽplare in mente hac magna & prorſus ineſtimabili nõ multiloqua quidem mente, ſed multimẽte, multaq; intelligẽte: quæ quidem per omnia ſit mens, mensq; tota. Nec ſanè ex parte, nec mẽs quædã. Contẽplare inquam, quo pacto illic ex ipſa omnia inſunt. Numerum quidem prorſus habet in illis, quæ cõtuetur, vnumq; eſt & mul
E ta, multa inquam, ideſt, vires plurimæ, viresq; mirabiles, nulla ex parte debiles, ſed vtpote quæ puræ ſint, maximæ ſunt, vigentesq; ad ſummũ, & reuerà potentiæ, nec ad certũ vſque terminum duntaxat potentes: igitur infinitæ, atq; ipſa infinitas, & ipſa penitus magnitudo. Hoc itaq; magnũ vnà cum eſſentiæ pulchritudine, ſuoq; ſplendore, ac lumine, quæ ſunt in mente conſpiciens, perſpicis & ipſum quale iam ibi floreſcens. Præterea vnà cum actionis continuitate, intueris & magnitudinem tuo conſpectui emicantem, & in ſede quietiſsima ſitã. Cũ verò ibi ſit vnum ac duo, itemq; tria, magnitudo occurrit vt tertium ſimiliterq; omne quantum. Item cũ quantũ illic & quale inſpiciatur, & ambo in vnũ confluant, & quaſi fiant, meritò figurã illic intueris rurſus, quia ipſum alterum intrinſecus incidit, diuiditq; & quantum & quale, iccirco differẽtiæ figurarum & aliæ qualitates exoriuntur. Tum verò identitas quidem ibi conſpirans introducit æqualitatem, alteritas autem inæqualitatem in quanto, & in numero, ac prorſus in magnitudine, ex quibus circulos & quadrangulos & figuras ex inæqualibus cõ
F ſtitutas: numeros item ſimiles diſsimilesq; & impares atque pares. Cum enim intellectualis ibi ſit vita & actus nunquam vlla ex parte deficiens, meritò nihil extra ſe relinquit eorum, quæ nunc inuenimus, nullũ inquã quod ſit opus intellectuale relinquit, ſed omnia ſua potẽtia cõtinet, hæc ipſa videlicet tãquã eſſentia poſsidẽs, eoq; pacto, quo poſsideat intellectus. Intellectus autẽ intelligẽtia poſsidet, intelligentia inquã nõ diſcurrẽte. Iam verò nihil prætermiſſum eſt eorũ quæ ſunt rationes, ſed eſt velut ratio vna, ingens, perfecta, omnes cõtinẽs rationes, à primis vtiq; ſuis ordine proficiſcẽs, imò verò ,pfecta iam ſemper, adeo vt nunquã ibi verũ ſit, mẽtẽ diſcurrere. Nempe quotcunq; paſsim aliquis in natura exiſtentia argumentatione perceperit, inueniet eadem in mẽte abſq; argumentatione conſiſtere, adeo vt exiſtimare liceat ens ipſum, mentẽ ſic argumentantẽ facere: velut & in rationibus euenit, quæ animalia procreãt. Quemadmodum enim acerrimus intellectus quamoptimè argumẽtabitur, ita ſe habẽt omnia in rationibus argumentationẽ omnẽ antecedentibus. Quidnã igitur in formis illis ſuperioribus eſſe putãdum eſt, quæ & naturã ipſam & rationes omnes naturæ inſitas antecedunt? In quibus enim eſſentia nihil aliud eſt quã intellectus, neque aduentitium eis eſt, vel ens, vel intellectus facilè admodum res ipſa optime ſeſe habet, ſiquidem ſecundum mentem ad votum ibi ſunt omnia, idq; ens quod & vult intellectus, atque exiſtit, ideóque verum atque primum. Si

enim

A enim ab alio ente dependeat, illud erit potius intellectus. Cum igitur in ipso ente figuræ omnes appareant, & qualitas vniuersa: non enim qualitas ibi dunta xat quædam est: nam neq; fieri poterat, vt esset vnica vbi inesset alteritas, sed enim multæ sunt, atq; vna: nam illic etiam est identitas, cum inquã ens ipsum sit vnum atq; multa, idq; tale protinus ab initio, adeo vt in omnibus speciebus vnum similiter sit & multa, magnitudines differentes, differentes figuræ, differentes & qualitates. Neq; enim possibile, neq; fas erat, esse illic aliquid prætermissum: perfectum namque ibi est vniuersum, alioquin vniuersum minimè foret. Cum inquam vita vndiq; illic concurrat, imò verò simul existat vbiq;, nimirum omnia ex necessitate viuentia & quodammodo animalia prouenerunt. Nam neq; deerant corpora, cum & materia & qualitas non deessent: atqui cum facta iam sint omnia semper, atq; permaneant, ipsoq; suo esse in æternitate comprehendatur, sitq; vnumquodq; hoc ipsum quod est, seorsum, rursumq; simul sint in vno, certè ipsa omnium in vno existentium velut conspiratio atq; cõstitutio ipse est intellectus, qui habens quidẽ entia in se ipso viuẽs est, & animal per omnia penitus absolutũ, atq; hoc ipsum quod est viuẽs: exhibẽs verò eiquod est ex ipso se vidẽdum, ideoq; illi factũ intelligibile, dat interim vt & tale rectè dicat.

B MARSILIVS.

Prima essentia ex se uiua nominat ipsum uiuens ipsumq; animal: huius actus in se reflexus appellat intellectus, qui in hac ipsa substãtia sui uiua tot ideas inspicit, quot species fabricaturus est in mũdo. Cap. XXII

SEnsus in se quidem sentit tantũ, in imaginatione verò persentit insuper se sentire. Similiter imaginatio imaginatur in se: in ratione imaginari se percipit. Ratio in se argumentatur: in intellectu animaduertit argumẽtari. Intellectus noster in se intelligit, in diuino intelligentiã suam animaduertit: diuinus in sua essentia uiua possidet & inuenit omnia. Est autem uiuens hæc essentia uniformis simul & omniformis: ideoq; mundus hic inde talis intelligitur, atq; generatur. Sunt verò ibi formæ rerũ usq; ad species ultimas tãtùm multiplicatæ: in anima verò mũdi inde nata multiplicatæ magis, maximè verò in natura genitali, quæ huius animæ postremũ est. Omnes quidẽ ideas appellat hic intellectus, generalem verò animarũ ideam nominat, tum intellectũ, tũ etiã animã: quatenus sursum aspicit uel deorsum, similiterq; animam nostram triplici ratione dignã censet triplici cognomento.

PLOTINVS.

PLato igitur hoc his verbis, quamuis obscuris, significauit: intellectus ideas in ipso viuẽte vniuerso existentes videns, & quales & quot sint intuetur: quandoquidem anima etiam post intellectum, quantum anima est in seipsa posfidens, in eo tamẽ quod est super ipsam melius suspicit. Atqui & intellectus no-
C ster in se similiter habens, in superiore interim perfectius contẽplatur: nam in se quidem inspicit solùm: at in superiore respicit insuper se inspicere. Profectò intellectus hic quẽ ideas dicimus contẽplari, à suo quodam superiore minimè segregatus, ex ipso quidem existens, vtpote qui ex vno sit multa, alteritatis naturam comitem habens, vnus euadit multa. Cum igitur vnus intellectus sit & multa, nimirũ ex huiusmodi quadam necessitate multa, similiter & intellectus facit, atq; vicissim. Omnino verò nõ licet illic inuenire vnum aliquid numero, quale dicit indiuiduũ. Quicquid enim illic acceperis, occurret, vt species: est enim absque materia. Quapropter id Plato obscuris inuoluẽs ait: essentiam discerpi per infinita deductã. Quatenus enim velut ex genere in aliam proceditur speciem, nondum accidit infinitum. Quod enim ita procedit speciebus genitis terminatur: species verò postrema quæ in species non diuiditur magis est infinita. Atque hoc illud est, quod dicitur à Platone: oportet eum qui iam prope venit ad singula, ea infinitati concedere atque dimittere. Sed hæc quidem singula quantum in se sunt, nimirum sunt infinita, quantum verò vno quodam comprehenduntur, in numerum quendam conueniunt speciebus. Intellectus igitur habet quod post seipsum animam: quo fit, vt anima etiam in quodam nu-

D mero ſit, vſq; ad id quod ipſius eſt vltimum. Hoc autem ipſius vltimum iam eſt penitus infinitum: iam verò eiuſmodi intellectus pars exiſtit, quāuis habeat omnia, ipſeq; ſit omnis, & qui ipſius ſunt partes, ipſius videlicet exiſtentis actu partes exiſtunt: anima verò pars eſt partis, ſed tanquam actu ex ipſo dependens: Quando enim ille in ſeipſo agit, hæc ipſa eius acta alij ſunt intellectus: quando verò ex ſeipſo quaſi exterius agit, extat anima. Proinde quando anima tanquā genus aut ſpecies agit, aliæ extant animę tanquam ſpecies, atq; harum duo ſunt actus. Nempe actus ad id quod ſuperius eſt directus eſt intellectus: actus autē ad inferius inclinatus, alias declarat vires ſecundum rationem ſe habētes: vigor denicq; vltimus, materiam iam attrectat atq; format. Atqui quod animæ poſtremum eſt, reliquum vnſuerſum non prohibet in gradu ſuperno conſiſtere. Forſan verò & quod animæ infimum appellatur eſt ipſius imago, neq; inde ſeiuncta, ſed quemadmodum imagines in ſpeculis apparentes, quamdiu principale exemplar adſtat extrinſecus. Sed operæpretium eſt conſiderare, quomodo tale quiddam extrinſecus eſſe dicatur. Profectò vſq; ad illud quod proximè eſt ſuper animæ ſimulachrum, intelligibilis mundus eſt totus omnino perfectus, ex cunctis intelligibilibus conſtitutus, quemadmodū fermè ſe habet hic mundus imitatio quædam illius, quoad ſeruare poteſt imaginem viuentis illius viuens.

E Sicut ſimilitudo quædam apparēs vel in pictura vel aqua, illius videlicet, quod ſuper aquam picturámque eſſe videtur. Proinde imitatio in pictura vel aqua, nō vtriuſq; ſimul imitatio eſt, ſed alterius duntaxat, quod formatū eſt ab altero. Intelligibilis itaq; mundi imago ſimilitudines quaſdā habet, non quidem effectoris illius, ſed eorū potius quæ in effectore cōprehenduntur, ex quorū numerò eſt & homo, & quoduis aliud animal: viuens quidem animalq; eſt & hoc & effector, ſed aliter atq; aliter: & ambo intelligibili mundo conſiſtunt.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI

LIBER TERTIVS DE GENERIBVS ENTIS.

MARSILIVS.

Sicut in mundo intelligibili, ita in hoc ſenſibili ponenda ſunt genera rerum quinq;, nec tamen ſub vno genere cōponēda. Nec putandū genera hæc vnà cū ſuperioribus illis in eadē natura congruere, quāuis quadā proportione cōueniāt. Nec animæ intellectualis ſubſtantia eſt ſub inferioribus generibus collocanda. Cap. I.

PLOTINVS.

F DICTVM iam eſt de eſſentia, & quid nobis potiſsimum videatur, & quomodo ſentētiæ Platonicæ ſit conſentaneū: oportet verò deinceps de altera natura conſiderare: nunquid eadē hîc genera, quæ & ibi ponere debeamus, an hîc plura vltra illa inſuper alia quædā aſſeuerātes? An omnino hîc atq; ibi diuerſa? An fortè alia quidē hîc ſicut & ibi, alia verò aliter ſint ponenda? Oportet tamē quando eadem hîc & ibi ponimus, ſic accipere, ac ſi equiuocè & per analogiam ideſt proportionalem quandam ſimilitudinem ita dicamus. Id autem tunc demum clarius apparebit, quando hæc ipſa ſingulatim cognita fuerint. Principium itaque nobis erit huiuſmodi: Cum ſermo nobis de ſenſibilibus habeatur, omne verò ſenſibile hoc mundo comprehendatur, neceſſarium nobis eſt de mundo in primis inquirere, diuidentibus huius mundi naturam, atq; diuidendo ea ex quibus eſt conſtitutus, ſecundum genera rite diſponere: perinde ac ſi vocē, quæ infinita eſt, partiremur, in quendā certū numerū redigētes: dum videlicet quod illic in multis idem eſt, reduceremus in vnum: deinde rurſus aliud, rurſusq; ſimiliter aliud, quouſque in quodam numero illorum quodlibet poneremus, quod eſt in ſingulis, ſpeciem appellantes.

Quod

A Quòd verò in ſpeciebus genus eſſe dicentes, in voce quidem ſpeciem quamlibet, ſimulq; cunctas nobis illic occurentes in vnum colligere planè liceret, ac de omnibus elementum vocale ſiue literale, vel vocem pariter prædicare. At verò in his quæ nũc indagamus, impoſsibile eſt ſimiliter prædicare, quemadmodum in ſuperioribus demonſtrauimus. Quapropter plura genera cogimur indagare, atq; huic vniuerſo alia, quàm illic aſsignare: quandoquidem & vniuerſum hoc eſt ab illo diuerſum, neq; cum illo vniuoca conuenit ratione, ſed eſt æquiuocum & imago. Quoniam verò & hîc in mixtione atq; cõpoſitione diuerſa ſunt, & aliud quidem corpus eſt, aliud anima: vniuerſum namq; eſt animal, ipſa verò natura animæ in illo intelligibili mundo conſiſtens, non congruit in eodem ordine cum illa quæ hîc eſſentia nominatur: ideo ſegregãda eſt ipſa quidem, quamuis ſit arduum, ſegregreganda tamen à præſenti naturæ huius cõditione, quam impræſentia pertractamus: ceu ſiquis volẽs ciuitatis alicuius ciues diſponere per cẽſus, & honores, & artes, peregrinos & aduenas relinquat à ciuibus ſegregatos. De paſsionibus autẽ quotcũq; vnà cũ corpore vel propter corpus animæ accidunt, tũc demum quomodo ſint diſponendæ tractabimus, poſtquam de his quæ hoc mundo propriè continentur diſputauerimus.

MARSILIVS.

B *In mundo quidem intelligibili eſſentiam ueram ponit: in hoc autem apparentem, ac pro eſſentia fluentiam. Item confutat eos, qui genera hic non rectè diſponunt, nondum tamen ipſe diſponit.* Cap. II.

PLOTINVS.

PRincipiò de illa quæ nominatur eſſentia videtur agendũ, concedendumq; in primis corporeã hanc naturã æquiuocè eſſentiã nominari, vel nullo modo eſſentiam nominandam, quia fluentium notio congruat, ſed propriè generationem eſſe dicendam. Præterea generationis alia quidem eiuſmodi eſſe, alia verò illiuſmodi, dicendum videtur. Et corpora quidem in vnum accumulanda, tũ ſimplicia, tũ cõpoſita, & accidentia illorum atq; cõſequentia, hæc quoq; interim inter ſe diuidendo: aut dicẽdum alicui videri poteſt hoc quidem eſſe materiam, illud autẽ ſpeciem in materia, & ſeorſum vtrunq; tanquã genus, aut ambo in vnũ concilianda, tanquã vtrunq; æquiuocè nominetur eſſentia ſiue ſubſtantia, aut ꝓpriè generatio. Verũ quidnã cõmune materiæ ſimul eſt atq; formæ? Et quomodo materia poteſt eſſe genus? quorũue genus? Quoniã & mirãdũ eſt quęnã differẽtia materiæ ſit. Præterea in quonam potiſsimũ quod eſt ex vtriſq; cõpoſitũ collocare debemus? Quòd ſi quod ex vtriſq; cõſtat ſubſtantia corporea ſit, neutrũ verò duorũ ſit corpus, quonã pacto in vno eodemq; duo hæc vC nà cũ cõpoſito poni debent? Et quonã pacto quæ alicuius elementa ſunt, cũ illo ſimul in eodẽ cõſtitui poſſunt? Siquis autẽ dixerit, à corporibus incipere nos debere, perinde monebit, ac ſi præceperit in dictionibus pertractãdis à ſyllabis incohandum. Quid verò ꝓhibet, ſi nõ licet ſecundum naturã eandẽ partiri, ſaltẽ ſecũdũ analogiã & ꝓportionẽ quandã hæc ita diuidere, vt loco entis ipſius illic exiſtẽtis ponamus hîc materiã: pro motu autẽ entis illius hîc formã velut vitã quãdã perfectionemq; materiæ: Tũ pro eo quod illic eſt ipſum idem atq; ſtatus, hîc materiæ conditionẽ quandã à ſeminimè diſcedentẽ: quinetiã alteritatis ipſius vice rerum harũ diuerſitatẽ diſſimilitudinemq; quãplurimã oppoſita ſuperantẽ. Sed ꝓfectò materia nõ ſic habet & accipit formã tãquã ipſius vitã aut actũ, ſed ingreditũ aliũde forma, nec aliquid eſt materiæ. Præterea ſpecies quidẽ illic actus eſt atq; motus. Hîc verò motus eſt aliud atq; contingens: ſpecies autẽ ſtatus ipſius magis & quaſi quies. definit nanq; illã ſecundum ſe infinitã. Quinetiam ipſum idem & ipſum alterum illîc ideo ſunt, quia vnum illic exiſtit ipſum idem & vnum ipſum alterum: hîc autem alterum participatione dicitur, & ad aliud, & aliquid idem & aliquid alterum, nec ſicut ibi ita in poſterioribus ipſum

D dicitur, ſed idem aliquid & alterum ſimiliter aliquid. Status autē quomodo aſsignari materiæ poterit, quæ ad omnes diſtrahitur magnitudines, & formas accipit ab externis, neq; per ſe ſufficit vnà cum his alia generare? Hanc ergo diuiſionem prætermittere decet.

MARSILIVS.

Quæcunq; propriè ſunt in mundo ſenſibili probabiliter ad quinq; genera referri poſſe uidētur. Primum genus ſit ſubſtantia: ſecundum accidens quod in ſubſtantia: tertium accidens in quo ſubſtantia: quartum motus: quintum relatio. In primò genere quodammodo colliguntur materia, forma, cōpoſitum: in ſecundo quantitas, qualitas, figura: in tertio locus, tempus: in quarto actio, paſsio: in quinto quam plurima quomodocunq; relationem ſignificantia. Cap. III.

PLOTINVS.

QVomodo igitur diſtinguemus? Primò quidem ita licet: profectò hoc eſſe materiā, illud verò formā, aliud autē ex vtriſq; permiſtū: tum reliqua circa hæc eſſe: atq; eorum quæ circa hæc verſantur, alia quidem tātū eſſe de his prædicata, alia verò eſſe inſuper contingentia, quinetiā cōtingentiū ſiue accidētium, alia his ineſſe, in alijs viciſsim hæc exiſtere. Præterea alia horū actiones, alia paſsiones, alia deniq; cōſequentia. Dicere quoq; licet, materiā eſſe cōmune quiddam, in omnibusq; ſubſtantijs, neq; tamē eſſe genus, quoniam nullas differentias habet, niſi quis fortè differentias eius accipiat, ex eo quòd materia hæc
E igneam, illa verò aeriam ſubeat formā. Siquis autē ad hoc vt materia genus ſit ſufficere putet, quod commune quiddam ſit omnibus, quibus licet ſubeſſe materiam, aut fortè ex eo quòd ipſa materia erga materias quodammodo multas ſe habeat, ſicut totū ad partes, aliter quàm propriè dici ſoleat, genus foret. Atq; elementum erit hoc vnum, ſiquidem poſsit & elementum eſſe genus. Species autem ſi additum ei fuerit, vt circa materiam ſit, vel in materia, per huiuſmodi conditionem à ſpeciebus alijs ſeparabitur, non tamen eſſentialem omnem ſpeciem amplectetur. Sin autem ſpeciem appellamus id ipſum quod eſſentiæ ſit effectiuum, eſſentialemq; rationem ſecundum ſpeciē, adhuc in ambiguitate verſabimur. Nondum enim quomodo accipienda ſit eſſentia ſiue ſubſtantia, declarabimus. Proinde ſi ſolùm quod eſt ex vtriſq; compoſitum affirmetur eſſe ſubſtantia, duo illa ſubſtantiæ minimè erunt. Quòd ſi & hoc ſimul & illa, reliquum erit, quidnam his omnibus cōmune ſit, indagare. Quæ verò ſolùm prędicata dicuntur, forſan in ordine relationis erunt, velut eſſe cauſam, & elemētū eſſe. Sed eorum quæ accidentia ſunt in illis, aliud eſt vt eſſe quantum, aliud rurſus vt quale, quæ propriè ſunt in ipſis. Sunt & quædam in quibus illa ipſa ſunt, quemadmodum locus atq; tempus: quinetiam actiones eorum & paſsiones ſe habent
F velut motus: tum verò cōſequentia, ceu locus & tempus. Locus quidem compoſitorum, tempus autem motionis. Proinde tria quidem prima forſan inuenie mus in vnum commune concurrere, ſcilicet in ſubſtantiam hîc æquiuocè dictā. Poſt hęc alia deinceps, relatio, quantitas, qualitas, in tempore, in loco, motus, locus, tempus, quamuis accepto ſemel loco atq; tempore, ſuperuacuum ſit afferre rurſus quod in tempore, quod in loco. Quapropter licebit quinq; numerare, ſiquidem tria prima computentur vt vnum. Sin autem tria illa non computentur in vnum, ſic vtiq; diſponentur, materia, ſpecies, compoſitum, relatio, quantitas, qualitas, motus. Vel hæc fortaſſe relatione comprehendentur: nam relatio latius comprehendit.

MARSILIVS.

Subſtantiæ corporeæ proprium eſt, ut accidentium ſubſtentaculum ſit: ipſa uerò nulli tanquam accidens innitatur, ſed ſui iuris exiſtat. Id autem ſolius ſubſtantiæ proprium tribus ſubſtantijs eſt commune, ſcilicet materiæ, formæ, compoſito. Cap. IIII.

PLO-

A PLOTINVS.

QVidnam igitur in tribus illis cõmune eſt? quidue eſt quod efficit, vt hæc eſſentia ſiue ſubſtantia ſint? Subſtantia inquam, qualis in rebus inferioribus eſſe poteſt. Nunquid horum quodlibet propterea ſubſtantia eſt, quia ſit fundamẽtum quoddam, & ſuſceptaculum aliorum? At verò materia quidem ſuſceptaculum ſedesq; ſpeciei videtur eſſe, ſpecies autẽ non adeo videtur eſſe ſedes: quapropter ſpecies non erit in ſubſtantiæ genere. Cõpoſitũ quoq; reliquis profectò multis fundamentũ eſt, atq; ſedes: itaq; & ſpecies vnà videlicet cũ materia ſubij cietur cõpoſitis, vel potius omnibus quæ ſequũtur cõpoſitum, velut quãtitati, qualitati, motui. Nũ fortè quod ſubſtãtia eſt, iccirco eſt hoc ipſũ, quoniã hoc ipſũ quod dicit nõ eſt alterius? Albedo enim atq; nigredo alterius eſt, dealbati, videlicet, vel denigrati. Duplum quoq; alterius eſt: non dico in præſentia dimidij duplum, ſed lignũ duplum: & pater, qua pater alterius eſt. Itẽ ſcitia eſt illius in quo exiſtit. Rurſum locus terminus eſt alterius. Et tẽpus alterius eſt menſura. Ignis autem non eſt alterius, neq; lignũ qua lignũ, alterius eſt. Similiter neq; homo, neq; Socrates, neq; omnino compoſita vlla ſubſtantia. Atqui neq; etiam ſpecies, quæ ſecundum eſſentiam eſt, alterius eſt, quoniã nullius eſt paſsio. Non enim materiæ ſpecies eſt: eſt tamẽ pars cõpoſiti: hominis verò ſpe
B cies atq; homo idem eſt. Materia quoq; pars eſt totius, atq; alterius eſt, quatenus eſt totius: nõ tanquã alterũ illud exiſtat, cuius ipſa dicitur: albedo verò hoc ipſum quod dicitur, eſt alterius. Quod igitur alterius exiſtens, illius & dicit, nõ eſt ſubſtantia. Subſtantia igit eſt id quidem quod certè hoc ipſum quod eſt ſui ipſius exiſtit. Aut certè ſi alicuius pars eſſe dicatur, cõpoſitum ipſum cõplet, dũ profectò quodlibet vel vtrunq; ſui ipſius exiſtit, ſed erga cõpoſitũ alio quodã pacto illius eſſe dicitur. Aut certè qua ratione pars eſt, ad aliud quidem dicitur: qua verò ſecũdum naturam ſuam eſt, in eo quod ſit id quod eſt, dicitur eſſe nullius. Eſſe verò ſubiectum, videtur eſſe cõmune tum materiæ, tum ſpeciei, tũ cõpoſito: ſed aliter quidem materia ſpeciei ſubiecta eſt, aliter autẽ ſpecies paſsionibus, aliter verò cõpoſitũ: vel potius neq; materia ſpeciei ſubiectũ eſt. Species nanq; perfectio eſt illius, & qua materia eſt, & qua eſt in potentia. Neq; rurſus ſpecies in hac exiſtit: vbi enim aliquid vnà cum aliquo vnum aliquid cõficit, nõ erit alterum illic in altero: ſed ambo materia ſpeciesq; ſimul ſubiecta ſunt alteri, velut homo, atq; aliquis homo paſsionibus quidem ſubijciuntur, præceduntq; actiones & conſequentia. Videbitur itaq; ſubſtantia eſſe, à qua ſunt alia, & propter quam alia, idq; eſſe circa quod ſit pati, & à quo ſit pati,

C MARSILIVS.

Solius ſubſtantiæ proprium eſt, ut nec uſquam uelut in ſubiecto inſit, nec de ſubiecto aliquo tanquam extraneum aliquid prædicetur. Item quando aliqua quæ corporeis generibus propria ſunt, in mundo incorporeo nominamus, non ſecundum rationem naturamq; eandem, ſed per comparationem & ſimilitudinem illis hæc attribuimus. Cap. V.

PLOTINVS

ACcipienda verò ſunt hęc de ea ſubſtantia, quæ hîc eſſe dicitur. Siquo verò pacto ſubſtantiæ quoq; ſuperiori conueniant, fortè congruẽt per analogiam quandam appellationemq; æquiuocam. Iam verò & quod appellatur primum, comparatione quadam ad illa quæ ſequuntur, ſic appellatur. Non enim ſimpliciter cognominatur primum, ſed ad illa potius quæ ſunt infima: quinetiam quæ mox ſequuntur, erga illa ſimiliter appellantur prima, quæ perinde ſequuntur. Præterea quod ſubiectum dicitur, hîc & ibi ſe aliter habet: quinetiam dubitatur, vtrum ſit ibi paſsio, ac ſi ibi ſit, aliud certè ibi atque hîc eſt pati. Videtur item omni ſubſtantiæ conuenire in ſubiecto non eſſe: ſi modò hoc ipſum quod eſt in ſubiecto, oportet non eſſe partem eius in quo eſt, neque oportet etiam vnà cum eo concurrere ad aliquid vnum ſimul conficiendum.

D Quod enim cum aliquo conducit ad ſubſtantiam componendam, in eo tãquã in ſubiecto eſſe non poteſt: quapropter neque forma videtur in materia eſſe tanquam ſubiecto, neq; homo in Socrate, quippe cum ſit pars Socratis. Quod ergo non eſt in ſubiecto, ſubſtantia iudicatur: ſi autẽ dicamus id ipſum eſſe ſubſtantiã, quod neq; in ſubiecto eſt, neq; dicit̃ de ſubiecto, adiungendũ eſt de ſubiecto inquã, tanquã de alio quodam, vt in ea deſcriptione ſubſtantiæ, qua adiũgendo dicimus ſubſtantiã nõ prædicari de alio, homo etiã cõprehendatur de quodam homine prædicatus. Quando enim hominẽ de Socrate prædico, ita dico nõ tanquã lignũ albũ, ſed tanquã album eſſe album. Nam quando Socratẽ eſſe hominẽ dico, tũc hominẽ aliquẽ eſſe fateor hominem, atq; de ipſo homine qui eſt in Socrate hominẽ prædico: hoc autẽ idem eſt, ac ſi dicamus Socratẽ eſſe Socratẽ, atq; etiã perinde ac ſi de animali rationali, eiuſmodi animal prædicemus. Verùm ſiquis obiecerit, nõ eſſe id ſubſtãtiæ propriũ, quod dici ſolet in ſubiecto non eſſe, differentiã enim ex eorũ eſſe numero quæ in ſubiecto nõ ſint, ille certè ſi tãquã eſſentiæ partẽ acceperit quod bipes dicit̃, hoc vtiq; in ſubiecto non eſſe fatebitur: quandoquidem niſi hoc ipſum bipes ſic acceperit tanquam ſit eſſentia talis, ſed intellexerit bipedalitatẽ, nimirũ nullã dicet ſubſtantiam, ſed qualitatẽ, ideoq; quod bipes dicitur in ſubiecto iam erit. Sed neq; tempus eſſe in ſubiecto videtur, neq; locus: verùm ſi menſura motionis de tẽpore accipiat̃
E ſecũdum ipſum menſuratum, certè & menſura erit in motu ceu ſubiecto, & motus in eo ſimiliter quod mouebitur. Sin autem ſecundum menſurantem intelligatur, menſura erit in menſurante: locus autem cum ſit terminus cõtinentis, in eodem erit ſimiliter continente. Contrà verò ſe res habet circa hãc eſſentiã, de qua in præſentia diſputamus, circa quam probabile videtur vel ſecundum vnũ aliquid eorum quæ dicta ſunt, vel plura, vel omnia, ſubſtantiam talem accipere; dum videlicet ea quæ dicta ſunt, materiæ & formæ, & compoſito cõgruunt.

MARSILIVS.

Ens non ſecundum eandem rationem, ſed diuerſam quidem, quamuis per quandam ſimilitudinem prædicatur de ſubſtantia incorporea & corporea, atq; de accidente Cap. VI.

SVbſtantia corporea comparata quidem ad incorpoream non habet eſſe ex ſe, ſed ex illa: comparata uerò ad accidentia ſua obtinet eſſe ſecundum ſe, & prius atq; ſimpliciter: Accidentia uerò ſortiuntur eſſe per illam, poſteriusq; & eſſe quodammodo. Fit autem hic quaſi uiciſſitudo quædam: nam & accidens per ſubſtantiam habet ſimpliciter eſſe, & ſubſtantiam per accidentia nanciſcitur eſſe tale, uel tali quodam pacto.

F PLOTINVS.

SIquis autem dixerit, hæc quidem cõſiderata fuiſſe circa eſſentiam ſiue ſubſtantiam: quidverò ipſa ſit non fuiſſe dictum, forſan vlterius exigit ſenſibile hoc inſpicere. At verò hoc ipſum eſt, atq; eſſe inſpici nequit. Quid ergo? nõne ignis & aqua eſt eſſentia? eſſentia ſit vtrunq;. nunquid ex eo quod videantur? Nequaquam. An forſan ex eo quod materiã habeant? Neq; etiã ob hoc ipſum. Sed num quoniam habeant ſpeciem? Neque hanc ob cauſam: ſed neque etiam propterea quòd ibi ſit compoſitum. Quónam igitur dicuntur eſſentia? ipſo nimirum eſſe. Verùm etiam quantitas eſt, & qualitas eſt. Nos verò fortè dicemus hoc ipſum eſt, de illis atque his æquiuocè dici. Sed deinde quæretur, quidnam ſit hoc ipſum eſt in igne & terra cæteriſque eiuſmodi? & quænam differentia ſit huius ipſius eſt, atque illius eſt, quod conuenit alijs? Reſpondebitur forſan, hoc differre, quod hoc quidem eſt, ſimpliciter eſſe ſignificat, ensque ſimpliciter, illud verò ſignificat album eſſe. Quid ergo? nunquid ipſum eſſe quod albo eſt adhibitum, idem eſt atque illud cui nihil adiungitur?

Ne-

A Nequaquam. Sed hoc quidem primo ens exiſtit, illud autem ſecundum participationem, gradúque ſecundo: nam & album enti adiunctum, ens reddidit albū & ens adiunctum albo, album ens effecit: quapropter accidens eſt enti quidem album, albo verò ens quoque viciſsim. Neque ita loquimur, vt aliquis fortaſſe diceret: Socratem videlicet album, & album Socratem: nam in vtriſque Socrates ipſe idem eſt: fortè verò album non ſimiliter idem. Vbi enim dicitur, album eſt Socrates, in albo Socrates eſt incluſus: vbi verò dicitur, Socrates eſt albus, album eſt purè contingens. Atqui & in his de quibus agimus ens album, accidens habet album. Sed vbi dicitur album eſt ens, ipſum album quodammodo ens habet incluſum: & omnino album quidem habet eſſe, quoniã circa ens, & in ente verſatur: ab illo igitur accipit eſſe. Ens autem á ſeipſo quidem ens exiſtit: ab albo verò fit album, non quia ſit ipſum in albo, ſed è conuerſo, quoniã in ipſo ſit album. At verò cùm & hoc ens quod in ſenſibili natura eſt, non à ſeipſo ſit ens, iccirco dicendum eſt, ab ipſo quidem ente vero, ens habere, ſed ab ipſo verè albo, eſſe album accipere: quippe cùm & ens illud habeat eſſe album ſecũdum participationem quandam ipſius illic exiſtentis albi: & viciſsim album ipſum habeat eſſe participatione entis ibi regnantis.

MARSILIVS

Et materia & forma materialis à cauſa ſeparata dependent, cui forma eſt ſimilior quàm materia: ideo forma magis eſt ens, & eſſentia, & ſubſtantia, quàm materia. Cap. VII.

B Iccirco nec ens, nec eſſentia, uel ſubſtantia prædicatur de materia ſimul & forma tanquam genus uniuocum, ſed tanquam analogum, ideſt proportionale genus, atque comparabile. Præterea eſſentia minus adhuc conuenit accidentibus quàm ſubſtantijs. Nam ſubſtantiæ ſcilicet materia, forma, cõpoſitum, cõmuni quadam conditione ſui iuris exiſtunt. Accidentia uerò ſunt mancipata ſubſtantijs. Denique materia ſupernè dependet ex eo quòd minimè ideale: forma uerò ex eo quod ideale quammaximè cogitatur.

PLOTINVS

SI quis verò dixerit quæcunque hîc ſunt in materia, eſſe ab eadem habere, quæremus vnde nam materia eſſe, atque ens habeat. Materiam quidem non eſſe in rerum ordine primùm alibi diximus: ſin autem dicatur, alia nõ poſſe cõſiſtere, niſi in materia ſint, nos eiuſmodi eſſe ſenſibilia confitebimur. Ipſam verò materiam, quæ ante hæc eſt, poſteriorẽ eſſe multis, & ijs quæ ibi ſunt omnibus nihil prohibet: quippe quum obſcurum eſſe habeat, minúsque eſſe quàm illa quæ ſunt in ea: quatenus hæc quidem rationes quædam ſunt, magísque ſunt ex ente eiúsque natura: materia verò rationis omnino ſit expers, & quædam rationis vmbra, caſusque rationis. At ſiquis adduxerit eam ita eſſe tradere ijs quę
C ſunt in ea, quemadmodum Socrates albedini quæ eſt in Socrate, dicendum eſt, quod magis quidem ens eſt, tradere poſſe ei quod eſt minus ens eſſe minus: quod verò minus eſt ens, nunquam magis enti tribuere. At verò ſi ſpecies magis ens quàm materia eſt, non amplius ipſum ens de vtriſque velut commune aliquid prædicabitur, neque eſſentia genus erit habens ſub ſe materiam, & ſpeciem & compoſitum: verùm communia quidem multa ijs erunt, quæ iandiu dicimus: verumtamen ipſum eſſe differens erit. Quando enim magis ens circa minus ens accedit, hoc ordine quidem prius eſt, eſſentiæ verò gradu poſterius. Quamobrẽ niſi æquè eſſentia ſit ſpecies atque materia, rurſúsque materia atq; ſpecies & compoſitum, nunquam eſſentia commune aliquid ijs erit velut genus: aliter tamen ſe habebit erga illa quæ ſunt poſt ipſa, tanq; cõmune quiddam id habens ad ipſa quòd ſui ipſorum propriè ſint: quemadmodum in ordine vitæ, alia quidem debilis eſt, alia efficacior: ſimiliterq; imaginum, hæc leuis quędã ſubfiguratio eſt, illa verò expreſsio abſolutior. Si quis autem gradu quodam ipſius eſſe exiguo metiat eſſe, quod verò in alijs plus eſt obmittat, hoc rurſus eſſe

D cõmune erit. Sed enim aduertendum eſt, ne fortè non ita ſit faciendum. Aliud enim vnumquodq; totum, ſed non eſt commune aliquid hoc quod eſt exiguũ & obſcurum, ſicut in vita non eſt cõmune quiddã vegetali, ſenſuali, intellectuali: itaque & hîc ipſum eſſe, aliud quidem eſt in materia, aliúdque in forma: atque hæc ambo ab vno quodam dependent, aliter eis, & aliter affluente. Non ſolùm enim vbi ſecundum à primo eſt, & tertium à ſecundo, ibi prius quidem illud magis eſt tale, poſterius autẽ deterius eſt & minus: verumetiã ſi ab eodem ambo dependeant ſimilẽ quandam ſucceſsionem licet inſpicere: ceu lutum figuli magis quidem igne concoctũ, vas efficitur ſiue tegula: ſed erit ibidem & minus cõ coctum, adeo vt vas vel tegula minimè fiat. Forſan verò non ab eodem materia eſt & ſpecies. differentia enim eſt & in illis.

MARSILIVS.

Vbi de ſubſtantia ſenſibili loquimur, præſtat accipere compoſitum quàm materiam, aut formam. Compoſitarum uerò ſubſtantiarum generaliter proprium eſt, ut ſubiecta quidem ſint, neque ſint in ſubiectis. Cap. VIII.

E SVbſtantia incorporea pura ſubſtantia eſt, quoniam ab accidentibus non dependet: corporea uerò non eſt ſubſtantia pura, quoniam ex accidentibus quibuſdam ſaltem intimis proprijsq; cõficitur. alioquin non erit ſubſtantia corporea ſenſibilisq;, quam in præſentia quærimus.

PLOTINVS.

SEd forſan decet obmittere nunc in elementa diuidere, præſertim vbi de ſenſibili ſubſtantia diſputamus, quam ſenſu potius quàm ratione decet accipere, neque ex quibus componatur adiungere. Non enim illa ſubſtantiæ ſunt, aut certè ſubſtantiæ non ſenſibiles. Operæpretium verò videtur vno quodam genere comprehendere quod cõmune eſt lapidi, terræq;, & aquæ, & ijs inſuper quæ ex his componutur, plantis, ſcilicet animalibusq;, quatenus ſenſibilia ſunt: ſic enim neq; materia, neq; forma interim nobis prætermittetur: ſubſtãtia nanq; ſenſibilis hæc in ſe habet. Nam ignis & terra horúmque media, & materia ſunt, & forma: compoſita verò iam ſunt ſubſtantiæ multæ in vnum conciliatæ: atqui omnibus ijs cõmune eſt hoc ipſum quo ab alijs ſeparantur. Hæc enim reliquis ſubiecta ſunt, neque ſunt in ſubiecto, neque alieni iuris eſſe cenſentur. Et omnino quæcunque narrauimus tanquam ſubſtantiæ propria huic ritè conueniunt. Cæterùm ſi ſubſtantia ſenſibilis abſque magnitudine & qualitate non
F eſt, quonam pacto ab hac accidentia ſegregabimus? Separantes enim hæc magnitudinem, figuram, colorem, ſiccitatem, humditatem, quid nam vlterius eam eſſe ponemus? hæ nanque ſubſtantiæ quales quædam ſubſtantiæ ſunt. Verùm aliquid certè eſt, circa quod hæc ipſa concurrunt, quæ ſimul efficiunt, vt quæ ſolùm ſubſtantia erat, ſubſtantia talis euadat: atque ita ignis non totus ſubſtantia erit, ſed aliquid eius velut pars eſſe ſubſtantia iudicabitur. Hoc autem quidnam erit? Forſan verò materia. Num igitur ſenſibilis ſubſtantia congeries quædam eſt qualitatum atque materiæ? atque hæc omnia commiſta ſimul in vna materia ſubſtantia ſunt. Vnumquodque verò ſeorſum inde acceptum, aliud quale erit, aliud verò quantum, vel qualia multa. Tum verò quod inter hæc ita ſe habet, vt ſiquando defuerit, imperfectam relinquat eſſentiam, huius eſſentiæ pars exiſtit. Quod autem eſſentiæ iam abſolutæ cõtingit, alium quendam proprium obtinet ordinem, neque in ea includitur miſtione, quæ dictam hanc eſſentiam conficit. Nec equidem in præſentia dico tale aliquid, dum ibi eſt vnà cum reliquis, eſſentiam ſiue ſubſtantiam eſſe, dum videlicet molem vnam complet tantam propriè atque talem. Vbi verò non complet eiuſmodi aliquid, eſſe potius qualitatem. Sed dico nec ibi quidem quicquid eſt, eſſe ſubſtantiam: totum verò ex omnibus congregatum, ſubſtantiam eſſe. Neque graui-

uiter

A uiter ferendũ eſt, ſi ſubſtantiam ſenſibilem ex non ſubſtantijs cõponamus: neq; enim id totum vera ſubſtantia eſt & eſſentia, ſed veram potius eſſentiam imitat. Quæ quidẽ abſq; reliquis circa eam poſitis, ens in ſe poſsidet, atque ita vt alia ex ipſa fiant, propterea quòd ipſa reuera prius exiſtat. Hîc autem etiam quod pro fundamento ſubijcitur ſterile eſt, neque ſufficiens ad hoc ſaltem vt ſit ens, nedum ex eo reliqua eſſe reportent: ſed vmbra quædam eſt, atque in ipſa velut vmbra, pictura quædam ſit, nec verum ens, ſed prorſus apparens.

MARSILIVS.

Species ſub genere ſubſtantiæ numerãdæ ſunt uel per diſtinctionem corporum inter ſe, ceu ſimpliciũ, miſtorum animatorum. Non autem dicendum ſubſtantiam primam eſſe hunc hominem, ſe cundam uerò ipſum communiter hominem. Cap. IX.

SPecies eſt uniuerſalior indiuiduo, ergo ſimplicior: igitur & natura prior. quare eſſentia quoque perfectior. Hic enim homo, ideſt homo talis & in tali materia, fit poſterius participatione quadã ſpecialis ipſius rõnis humanæ, prius quidẽ perfectiusq; in ſe exiſtẽtis, deinde alijs ſeipsã impartiẽtis.

PLOTINVS

HActenus de illa quæ ſenſibilis ſubſtantia dicitur, & vno eius genere ita ſit dictum: Species autem eius quas potiſsimum afferre quis poteſt? & quomodo diuidet? Profectò vniuerſum hoc ponendum eſt eſſe corpus: in quo quidẽ alia magis materialia ſint, alia verò organica, ideſt varijs prædita inſtrumentis. Et materialia quidem illa velut ignis, terra, aqua, & aer: organica verò planta
B tum animaliumq; corpora diſtincta inter ſe per formas: deinde ſpecies terræ licet accipere elementorumq; aliorum: atque in corporibus organicis plantarũ & animalium corpora per formas ritè diuidere, vel etiã diſtinguere ex eo quòd hæc quidem terram habitantia terrenaq; ſunt, illa verò ad elementũ quoduis aliud ſimiliter pertinentia. Aut fortè corporum alia leuia, alia grauia, alia media: & hæc quidem in medio mundi conſiſtere: illa verò deſuper circũfundi: illa denique regionem mediam occupare. Atque in vno quoq; horum corpora iã figuris inter ſe diſtincta, adeo vt corpora ſint partim cæleſtium animaliũ, partim per reliqua elemẽta: aut primò quidem in elementa quatuor tanquam ſpecies: deinde alio modo inuicem cõmiſcere, atque ita eorum differentias procreare ſecundum loca, & formas & miſtiones, velut quæ ignea vel terrena dici ſolent: propterea quod elementum ibi tale exuberet & excedat. Quòd autem fertur alias eſſe ſubſtantias primas, alias verò ſecundas, ceu hic ignis, & ipſe ignis, putandum eſt aliter quidem differentiam inter ſe habere, ex eo quòd hoc quidẽ ſingulare eſt, illud autem vniuerſale, non tamen ſubſtantiæ differentiam vllam admittere: nam & in genere qualitatis aliquid album eſt, & album item grãma
C tica quædam atque grãmatica. Præterea quidnã minus habet grãmatica ad grãmaticã aliquam cõparata, & omnino ſcientia cum ſcientia quadã collata? Non enim grãmetica poſterius eſt grãmatica quadam: ſed potius cum ſit grãmatica ipſa, eſt & hæc in te grãmatica, quandoquidem & quæ in te eſt, ideo aliqua eſt, quia in te ſit: ipſa verò eadem eſt, atque vniuerſalis grãmatica. Item Socrates nõ dedit ei qui non erat homo, vt eſſet homo, ſed homo potius id Socrati dedit. nã homo aliquis participatione hominis eſt aliquis homo. Proinde Socrates quid nam aliud eſt, quàm talis homo? Hoc ipſum verò quod talis dicitur, quid nã cõfert ad id, vt magis ſubſtantia ſit? Si autem dicatur ob id conferre, quòd homo ſpecies tantùm ſit, homo verò aliquis ſpecies in materia, ſequetur vt hic propterea minus homo ſit: ratio enim ipſa in materia ſit deterior. Sin autẽ & homo nõ ſecundum ipſam ſpeciem tantùm ſit, ſed ſit etiam in materia, quidnam minus habebit, quã hominis ſpecies in materia quadam exiſtens, cùm illa ipſa ratio ſit huius exiſtentis in materia quadam? Item prius natura eſt, quod eſt generalius, ideóque & ſpecies eſt indiuiduo prior. Quod verò natura prius eſt, ſimpliciter

D quoq; prius. Quo igit modo id minus erit? Verũtamen ſingulare nobis notius eſt; ideóq; nobis & prius: hoc aũt nullam in rebus differentiã efficit. Denique ſi ita res ſe habeat nõ vna erit ſubſtãtię ratio: nõ enim eadẽ ratio eſt eius quod primò tale eſt, atq; eius quod ſecundò tale: necq; talia ſub vno genere congreganť.

MARSILIVS

Genus ſubſtantiæ ſenſibilis in ſpecies diuiſuri, ritè per illa quæ ad ſensũ pertinent diſtinguere poſſumus, ſcilicet per qualitates ſiue ſimplices ſiue miſtas, item per formas & figuras, atq; loca. Cap. X.

PLOTINVS

POſſumus etiã hoc modo diuidere, videlicet per calidũ ſimul atq; ſiccũ: itẽ per ſiccum ſimul & frigidum: rurſus per frigidũ humidumq; ſimul, vel quomodocũq; coniugiũ conficere libeat. Deinde ex his compoſitionẽ miſtionẽq; efficere, atq; vel hic permanere in compoſito quieſcendo: aut ſecundũ terrenũ atque terrã habitans, vel ſecundum formas & differentias animaliũ, non quidẽ animalia diuidendo, ſed ſecundum eorum corpora tanquam inſtrumenta quędam partiendo. Neque verò indecens eſt differentia ſecundum formas adducta: ſiquidem neque ſecundum qualitates eorum eſt diuiſio abſurda: velut ſi dicatur caliditas, frigiditas & talia quædam. Verùm ſiquis obiecerit ſecundũ has potius corpora fieri, nos vtique reſpondebimus, effici etiam ſecundum miſtiones, & colores, atque figuras. Cùm enim de ſenſibili ſubſtantia diſputetur, non abſurda diſtinctio erit, ſi per differentias ad ſenſum pertinentes eiuſmodi ſubſtantia diſtinguatur. Non enim hæc ſimpliciter ens exiſtit, ſed ſenſibile ens eſt id totum: nempe etiam ipſius ſubſiſtentiam apparentem eſſe confluxum quendam ad ſenſum pertinentium diximus. Atqui & de huiuſmodi rebus quòd ſint à ſenſibus fidem homines acceperunt. Sin autem infinita compoſitio nobis occurrat, ſecundum ſpecies animalium diſtinguere licet: velut hominis ſpeciem in corpore exiſtentem: nam eiuſmodi ſpecies eſt hæc ipſa corporis qualitas. neque verò abſurdum eſt partiri per qualitates. Verũ ſi hîc nobis obijciatur, in ſuperioribus nos alia quidem ſimplicia, alia verò compoſita poſuiſſe, quaſi compoſitum pariter atque ſimplex ex oppoſito partiremur, admonebimus nos ibi dixiſſe alia materialia magis eſſe, alia verò organica potius, compoſitum non adhũbentes in medium. Licet quinetiam afferre diuerſitatem inter ſimplex atq; compoſitum, nec id quidem tanquam pariter oppoſitorum partitione, ſed ſecundum primam diuiſionem, ab ipſo prorſus initio corpora ſimplicia ponere,
F eaq; deinde ab alio quodã principio ſuppoſito cõmiſcere, compoſitorũ differentiã vel locis, vel formis fieri ſubſtinente: velut ſi dicať alia quidẽ eſſe cæleſtia, alia verò terrena. Sed de ſenſibili ſubſtãtia vel generatione hęc dicta ſufficiant.

MARSILIVS

In genere quantitatis eſt propriè numerus atque continuitas, uel dimenſio: reliqua ſunt in alio genere. Cap. XI.

Tempus quidem qua ratione menſura eſt atque menſurans, locus quoque qua continens eſt in relatione ſunt: magnum & paruum in quantitate, pulchrum in qualitate, maius uerò & minus & pulchrius in relatione cenſentur.

PLOTINVS

QVod verò pertinet ad quantitatem atque quantum, ſæpe dictum eſt in numero & magnitudine ponendum eſſe, quatenus vnumquodque eſt propriè tantum, quod quidem conſiſtit in rerum corporearum numero, & in quodam ſubiecti ſpatio. Non enim de quantitate hinc ſeparata in præſentia diſputatur, ſed de hac ipſa quæ facit vt lignum ſit tricubitũ: ſimiliter de quinario numero qui eſt in equis quinque. Numerum ergo & magnitudinẽ ſolũ eſſe propriè quanta prædiximus: locum verò ac tempus in ratione quantitatis minimè cõputari, ſed tempus quidem ex eo quòd menſura motionis exiſtimetur in relationis

A lationis ordine collocari, locum quoque quum id habeat propriè, vt corporis ſit cõprehenſor, in habitudine quadã & relatione cenſeri. Quando & motus continuus quidẽ eſt, neque tamen eſt in quantitatis genere cõſtitutus. Magnũ verò & paruũ cur non in quantitate ponantur? Quod enim magnum eſt, quantitate quadam eſt magnum: atqui hæc ipſa magnitudo in relatione nõ ponitur, ſed maius atq; minus ad relationẽ meritò ſpectare putantur. Ad aliud enim hoc ipſum quod ſunt, dicuntur, ſicut & duplũ atq; dimidium. Cur nam igitur mons quidẽ ſæpe paruus dicitur, granum verò milij ſæpe magnũ? Forſan quando paruum montem dicimus, paruũ ibi quaſi minorem intelligi volumus. Si enim etiã apud illos qui hæc tractant, conceditur montẽ appellari paruũ, quatenus cũ rebus eiuſdem generis, ideſt, cum montibus comparatur, meritò etiã eſt conceſsũ paruum ibi accipi pro minore. Iam verò & magnum milium non ſimpliciter iudicatur magnum, ſed magnum propriè milij granum. Hoc aũt perinde eſt, ac ſi tantùm dicatur cum rebus eiuſdem generis cõparatum, quibus profectò naturali ratione maius appellari poteſt. Deinde cur non & pulchrũ in relatione ponatur? Verùm id minimè fieri reſpondebitur, quia pulchrum quidem ſecundũ ſeipſum accipiatur, ſitq; quale: pulchrius autem in eorum eſſe numero, quæ ad aliud referuntur: tametſi etiam quod appellatur pulchrum videri poteſt turpe aliquando ſi cum alio conferatur, qualis humana pulchritudo cũ deorum pul-
B pulchritudine cõparata. Hinc vtique illud dictum eſt, pulcherrima inter ſimias turpis erit, ſi cũ alio quodam genere conferatur. Sed profectò dicetur, id quidẽ perpulchrũ ſecundum ſeipſum cõſiderari: ſed aduerſus aliud, aut pulchrius, aut turpius iudicari. Ergo & in hoc genere magnũ quidẽ aliquid eſt in ſeipſo, ipſa magnitudine præditum, ad aliud verò non magnum: alioquin ſi minus deceat ita loqui, negare cogemur aliquid eſſe pulchrum, propterea quod aliud quiddã eo pulchrius nobis occurrat: ſed neque id negare debemus. Neque igitur negãdum eſt aliquid eſſe magnum, quoniam aliud quiddam ipſo ſit maius: quandoquidem neq; maius quicquam eſſet omnino, niſi eſſet & magnum, quemadmodum neque pulchrius, niſi foret & pulchrum.

MARSILIVS.

Productio & contractio contraria ſunt. Si producitur numerus, fit multus, ſi contrahitur, euadit paucus. Similiter dimenſio contractione quidem parua, productione uerò fit magna. Paucum igitur atq; multum contraria ſunt, ſimiliter paruum atque magnum. Cap. XII

SIcut determinata eſt ratio quædam pulchri, ita calidi atque magni. Tum uerò in loco eſt oppoſitio propriè relatiua, ut inter ſuperius & inferius. Denique oratio per accidens eſt in genere quantitatis, per ſe uerò eſt in motu.

C PLOTINVS

PErmittendum igitur etiã contrarietatem exiſtere circa quantum. Cogitationes enim ipſę contrarietatem hîc admittunt, quando magnum dicimus, & quando paruum imaginationes contrarias afferentes: ſicut quando multa, & pauca dicimus. ſimilia nanque illis etiam circa pauca & multa contingunt. Multi enim domi eſſe dicuntur, & interim ſub hoc nomine multi, eſſe plures intelligũtur. Id ipſum verò quod appellatur plures, refertur ad aliud: ſæpe etiam ferũt eſſe paucos in theatro, intelligentes ibi eſſe pauciores. Operæpretium eſt omnino quando dicimus multa, intelligere multitudinem in numero plurimam. Multitudo verò qnonam pacto inter relatiua cõnumerabitur? Hoc aũt idem eſt, ac ſi dicatur, multitudinem eſſe ꝓductionem propagationẽq; numeri: huius verò contrariũ eſt contractio. Idem verò euenit & in ipſa notione continui in longũ quodãmodo continuum pertrahente. Quantitas enim oriri videtur, quando vnũ & ſignum ꝓgrediuntur. Verùm ſi citò vtrunq; ſiſtat gradũ, illud quidẽ euadit paucũ, hoc verò fit paruũ: ſin autẽ ꝓceſsio in progrediendo non citò deſi-

D nat, illud cẽrtè euadit multum, hoc verò fit magnum. Quis nam igitur terminus eſt vel definitio? Sed quis pulchri terminus? quis verò calidi? Atqui & in ordine calidi eſt calidius: ſed enim calidius quidem ad aliud refertur, calidum verò ſimpliciter exiſtit quale. Omnino autẽ rationem quandam ſicut pulchri, ſic & magni eſſe decet, quæ quidẽ percepta reddit magnũ, quemadmodũ pulchrũ reddit ipſa ratio pulchri. Contrarietas igitur eſt ſecundum hæc circa quantum. Nam ſecundum locum quidẽ non eſt amplius contrarietas vlla, quoniam non propriè eſt in genere quantitatis: quando quidẽ & ſi locus eſſet in genere quantitatis nondũ contrariũ foret alicui, quod ſurſum dici ſolet, niſi eſſet id quod deorſum in vniuerſo. In partibus autẽ quòd ſurſum deorſumúe dicitur, nihil ſignificat aliud quã ſuperius atque inferius: idq; ſimile eſt ei quod dicitur dextrũ atq; ſiniſtrum. hæc autem in relationis genere numerantur. Syllabæ verò orationiq; contingit eſſe quanta, & ſubijci quantitati. Vox enim quanta cenſetur: ipſa verò motio quædam eſt. Ad motũ igitur ſicut & actio omnino reducenda videt.

MARSILIVS

E *Vnum quantitatis genus commune eſt numeris & continuis: item unus genere numerus omnibus numeris: una quoque continuitas generalis omnibus continuis. Species numerorum accipiuntur per paris & imparis differentiam: ſpecies continuorũ per differentias inter lineam, ſuperficiem, ſolidum: ſimiliterq; deinceps* Cap. XIII.

PLOTINVS

COntinuũ profectò ab ipſo diſcreto rectè diſcerni per cõmunem propriũq; terminum definitiuũ iam eſt dictum. Deinceps verò dicendum eſt in numero quidẽ diſcretionem fieri per imparẽ proprietatem, atq; parẽ: ac ſimiliter ſi ſunt rurſus vtriuſq; horum differentiæ quædam: aut fortè concedẽda eiuſmodi diſcretio eſt rebus iam numerũ poſſidentibus: vel oportet has quidem differentias numerorum ex vnitatibus compoſitorum aſſeuerare, numerorum verò in ſenſibilibus exiſtentium minimè. Si qua verò ratio numeros in ſenſibilibus exiſtentes ſeparet, nihil prohibebit eorum quoque eaſdem differentias intelligere. Continuum verò quonam modo diſtinguitur? Profectò ſi dixerimus hoc quidem eſſe lineam, iſtud verò planum, illud denique ſolidum: vel ſi hoc ad vnũ iſtud ad duo, illud ad tria potiſsimum pertinere, non in ſpecies diuidere, ſed dinumerare ſolùm ita videbimur. Semper enim in numeris ſic acceptis ſecundũ
F prius ac poſterius commune aliquid tanq; genus nõ reperitur: neque in primo & ſecundo atque tertio augmento commune quicq; erit: ſed fortè qua ratione quantũ illic eſt, eſt in eis æqualitas, neque alia quidem magis quanta, alia verò minus, q̃uis alia dimenſiones in plura poſsideant, alia verò in pauciora. in numeris igitur qua omnes numeri ſunt, cõmune aliquid eſſe poterit. Fortè enim non vnitas duitatem, neque duitas trinitatem, ſed aliquid idem hæc omnia procreat. Sin autem non fiunt hæc, ſed ſunt quidem, nos autẽ tanq; fiant excogitamus, eſto ſanè numerus minor ille prior, alius verò poſterior, ſcilicet qui eſt maior: verumtamen qua numeri ſunt, omnes redigãtur in vnum. Quamobrẽ & in ordinem magnitudinum, numerorum conditionem traducere decet: ſeparare verò licebit inter ſe lineam & planum atque ſolidũ, quod & appellatur corpus, ex eo quòd cũ magnitudines ſint, ſpecie differant. Quòd ſi oportet horum vnũ quodque diuidere partiemur lineam in rectam, circularem, atq; obliquam: planum verò in figuram rectilineam & circularem: ſolidum denique in figuras ſolidas, in ſphæram ſcilicet, & figuras habentes rectas pro lateribus lineas: atque hæc rurſus geometrarum more in triangulos & quadrangulos, rurſumq; hæc in alia, & qua hæc conditione fiant conſiderabimus.

MAR-

A

MARSILIVS

Rectitudo uel curuitas adhibita lineæ proprietatem eius ſignificat, neque compoſitionem affert: item figuræ non in genere qualitatis, ſed quantitatis ſunt ponendæ. Cap. XIIII

QVando dicis triangulum eſſe quidem tres lineas, ſed tali quodam pacto inuicem ſe habentes, ſignificas hoc quodam termino inuicem terminatas, terminus uerò atque determinatio eiuſmodi ad genus quantitatis potius quàm qualitatis pertinere uidentur.

PLOTINVS

PRoinde quid nam rectam lineã eſſe dicemus? nonne magnitudinẽ? Forſan verò aliquis ipſum rectum appellet qualem aliquã magnitudinem. Quid ergo prohibet eiuſmodi differentiã eſſe, qua ratione linea eſt? Non enim alterius cuiuſdam eſſe dicitur rectitudo, quàm lineæ: quandoquidem & ſubſtãtiæ differẽtias à qualitate ſæpenumero ducimus. Si igitur linea recta eſt q̃ titas quæ dã cum differentia ſimul, non eſt cõpoſita ꝓpter hoc recta linea ex rectitudine, atq; linea: ſin autẽ aliquid compoſitũ eſt, id certè eſt tanq̃ cũ propria differẽtia. Triangulus præterea ex tribus lineis ꝓpriè conſtitutus, cur non ſit in genere quantitatis? An fortè quia triangulus nõ ſimpliciter eſt tres lineæ, ſed lineæ tres ſic ꝓpriè ſe habentes? Atqui & quadratũ quatuor lineæ ſic ſe habentes eſſe dicitur, quinetiã linea recta in ſe & quantitatẽ habet, & talem quendã quantitatis modum: nempe ſi rectã lineã non ſolũ quantũ aliquid eſſe dicamus, quidnã ꝓhibet, & terminatã lineam non ſolùm quantũ cognominare? At verò lineæ terminus eſt punctum, id verò in genere alio nõ exiſtit. Quamobrem planũ quoque terminatum eſt propriè quantũ, quandoquidẽ lineæ terminant, quæ multò magis in genere quantitatis exiſtunt. Si igitur terminatũ planũ eſt in genere quantitatis, id autẽ eſt tringulus, vel quadrangulus, vel etiã figura ex pluribus angulis conſtituta, nimirũ figuræ omnes in quantitatis genere numerantur. Sin autẽ quia triangulũ dicimus qualẽ, & quadrãgulũ qualẽ, iccirco in qualitatis genere collocemus, nihil obſtabit quominus in pluribus prædicamẽtis idem conſtituamus. Qua enim magnitudo eſt, & eiuſmodi magnitudo, in genere quantitatis, qua verò talẽ exhibet formã, in genere qualitatis. Fortè etiã triangulus ipſe eſt eiuſmodi quædã forma. Quid ergo vetabit ſphærã quoq; quale aliquid appellare? Si quis igit eodẽ tenore ꝓcedat, geometriã nõ circa magnitudines, ſed circa qualitates verſari cõcedet. Sed nõ videtur id admittendũ: nam hæc ipſa doctrina verſari circa magnitudines iudicatur. Differentiæ verò magnitudinũ non id ipſum quod ſunt magnitudines auferunt: quemadmodũ neq; differentiæ vllæ ſubſtantiarũ efficiunt, vt ſubſtantiæ vlterius non ſubſtantiæ ſint. Prẽterea omne planũ eſt terminatũ: non enim poſsibile eſt eſſe planum aliquod infinitũ: item

B quemadmodũ quando circa ſubſtantiã accipio qualitatẽ, eſſentialẽ qualitatem dico: ſic & multo magis quando figuras aſſumo, differentiã quãtitatis accipio. denicq; niſi has tanq̃ magnitudinũ differentias capiamus, quorũ nam potiſsimũ eſſe differentias arbitrabimur? Quòd ſi magnitudinum differentiæ ſunt, nimirũ magnitudines differentes ex differentijs conſtitutæ in ſpeciebus ipſarum collocandæ videntur.

MARSILIVS.

Æquale & inæquale ſolùm ſunt in genere quantitatis: ſimile verò atque diſſimile propriè in genere qualitatis. Cap. XV.

QVodímodo etiã dicimus figuras inter ſe ſimiles non tã qualitate, quã alia quadã conditione. Subſtantia qua ratione corporea, & ſenſibilis cogitatur congregatum quiddam eſt, ex ſubſtantia ſimul & accidentibus. Conſidera hominem quatuor gradibus: primò quidem in idea mentis ſecũdò in ſeminali animæ ratione: tertiò in hoc noſtro corpore: quartò denique in pictura. Quantò deterior eſt quartus tertio, tantò tertius ſecundò, tantò rurſus ſecundus primo.

PLOTINVS

D Cæterùm quonã pacto quantitatis proprium eſt, quod æquale & inæquale dici ſolet? Iam verò triangulí ſimiles eſſe dicuntur. An fortè magnitudines quoq; ritè ſimile appellantur? Et quæ ſimilitudo dicitur, nõ tollit quin ſimile atque diſſimile in genere quantitatis inueniatur. Fortè enim hìc in ordine magnitudinũ, quod ſimile nominatur, aliter ſeſe habet: neq; perinde ac in genere qualitatis. Præterea non ſi propriũ dixit æquale & inæquale, propterea vetuit de aliquibus ſimile prædicari: verũ ſi dixerit ſimile atq; diſſimile duntaxat proprium eſſe qualis aliter dicendũ eſt, vt prædiximus hoc ipſum in quantitate. Sin autẽ idem eſt id, quod ſimile dicitur, in hoc etiã genere conſiderare nobis expedit alias vtriuſque generis proprietates, tum quantitatis tum etiã qualitatis. Aut fortè dicendũ ipſum ſimile etiã in quantitatis genere dici quatenus in ipſo differentiæ ſunt, in quantitatis genere dici: communiter autẽ ſimul ordinare decet, atq; cõiungere differentias copulantes eſſentiã, cum eo ipſo, cuius & differentiæ ſunt: præſertim quando ſolius illius differẽtia eſt. Sin autẽ in alio quidẽ complet eſſẽtiam, ſiue ſubſtantiam, in alio verò nequaq;, cum eo copulanda eſt, cuius cõplet naturam. Illud autem cuius hæc ſubſtãtiam minimẽ complet, in ſeipſo tantũ eſt
E aſſumẽdum: implere aũt ſubſtantiã dico non ſimpliciter ſubſtantiã, ſed eiuſmodi. Vbi profectò hoc ipſum quod eiuſmodi dicitur, non ſubſtantialẽ admittit adiunctionẽ. Operæpretiũ verò eſt animaduertere æquales quidem nos ritè dicere triangulos & quadrangulos, figurasq; in qua vis ſpecie, tam planas, q; etiam ſolidas. Quapropter æquale & inæquale in genere quantitatis tanq; proprium abſq; controuerſia eſt ponendũ. Simile verò atque diſſimile nunquid duntaxat in genere qualitatis ſit, cogitandum eſt. De ipſo verò quali in ſuperioribus dictũ eſt, materiã quidẽ vnà cũ alijs, & aliquid cõmiſtum quali, efficere ſenſibilis ſubſtantiæ cõplementum, videriq; ſubſtantiã illã quæ apud nos ſubſtantia dicitur eſſe hoc quod ex multis eſt congregatũ: non hoc aliquid, propriè, ſed potius quale. Videtur etiã ratio quidẽ ipſa velut ipſius ignis, hoc aliquid magis ſignificare: forma verò hæc quã ipſa gignit magis ſignificare quale: atq; hominis ratio hoc aliquid eſſe. Quod autem inde in natura corporis effectũ eſt, cũ rationis ſimulachrum ſit, quale quiddã potius eſſe: Perinde ac ſi Socrates hic qui videtur ânobis, ipſe ſit homo, ſed nihilominus imago eius in pictura ex coloribus pigmentisq; tantũ conſtans Socrates appellet. Sic vtiq; cũ ipſa ratio ſit ſecundum
F quã eſt Socrates, nos tamen hunc qui videtur, Socratẽ appellamus: verumtamẽ colores & figuras huius Socratis apparẽtis, eorũ quæ in ipſa ratione conſiſtunt imitationes quaſdã appellare debemus: atq; hanc inſuper rationẽ erga veriſsimam hominis rationem idem perpeti iudicare. Et de his quidem ita ſit dictũ.

MARSILIVS.

Subſtantia incorporea reuera hoc aliquid appellatur: ſubſtantia verò corporea tale aliquid. Accidens autem dicitur tale quale eiuſmodi, item qualitates animæ quatenus uerſãtur circa materiam & affectandam & tractandam, computantur ingenere qualitatum corpori cõiunctarum, eminentiores verò in genere qualitatum ſeparatarum. Cap. XVI.

Item qualitates in uirtute animæ ſeminaria in genere coniuncto numerãtur, quamuis nõ ſint in materia, ſed in anima ſeparabili. Ipſam verò ſubſtantiã animæ non in hoc quidem, ſed in genere ſeparatæ eſſentiæ collocamus.

PLOTINVS.

VBi verò vnumquodque eorum, quæ circa dictam verſantur eſſentiam ſeorſum conſideramus, qualitatẽ in his exiſtentem, nõ debemus ſignificare hoc aliquid dicere, neq; etiã quãtitatem hoc aliquid, neq; motũ: ſed characterẽ quendam, & quod dici ſolet eiuſmodi, & quale: & quale quiddam hæc nobis ſignificare putandum, veluti pulchrum & turpe videlicet quod eſt in corpore. Aequiuocum nanque eſt pulchrum apud nos, atq; in rebus à materia ſeparatis.

Quapro-

a Quatuor ne? quod etiam eſt quatuor, quia quatuor & quatuor ſtamina deſunt. Vt verum quod in textu, & malorum omne chaos, quæ quia ſimul ab-
ſunt, quatuor ſunt. Quatuor ne? quod etiam eſt quatuor, quia quatuor & quatuor ſtamina deſunt. Et quatuor chaos adverbium? Quæ quia ſimul ab-
ſunt, quatuor

D earum proprias qualitates, licebit saltem qualitates inferiores pro sensuum distributione diuidere, assignãdo videlicet, alias quidem per oculos, alias verò per aures: item per tactum, & gustum, atque olfactum: similiterq; siquę in his etiam differentiæ sint: visui quidem colores, auditui voces, & alijs sensibus alia distribuendo: voces autem quatenus quales sunt perdulce, asperum, lene diuidere possumus. Quoniam verò differẽtias quæ circa substantiam sunt diuidimus qualitatibus, eisdemq; partimur & actus, & actiones pulchras aut turpes, & omnino tales existentes: quantitatem nanque vel rarò vl nunquã partimur per differentias quę constituant species, imò & quantitatem qualitatibus sibi proprijs partiri solemus, dubitari potest quonam modo quispiam ipsam diuidat qualitatem. Nam qualibus potissimum differentijs vtetur in diuidendo, & ex quali genere has deducet? Absurdum nanque videtur qualitatem ipsam qualitate diuidere: atque perinde se habere, ac siquis substantiæ differentias rursus dicat esse substãtias. Quonam igitur album & nigrum diuidet? quonam omnino colores à saporibus & qualitatibus quæ tanguntur? Quòd si per diuersa sensuum instrumenta harum qualitatum differentias assignemus, non erit in ipsis subiectis
I eiusmodi differentia. Atqui etiam quærendum est quomodo per eundem sensũ differentiam qualitatum ad eundem pertinentium discernamus: sin autem ex eo diuersitas assignetur, quod hoc quidem uisũ congregat, illud autem disgregat: atqui & aliud disgregat linguam, aliud verò congregat. Primò quidem & de ipsis passionibus dubitabitur, nunquid cõgregationes quædam disgregationésque sint: deinde non ea quibus hæc differunt, sic aliquis assignauerit. Si quis autem afferat se ita in medium adduxisse illa quæ propriè possint, neq; esse ab re per illa quæ facere possunt partiri: illud forsan erit obijciendum, ea quidem quę non videntur esse diuidenda per illa quæ propriè facere possint, velut scientias: hæc autem quæ sensui patent, curnam per illa quæ faciunt diuidantur? Nempe cũ scientias per ea quæ possunt facere distribuimus, atq; omnino per varias animæ vires disponimus, tanq; ex his quæ faciunt, eas constet esse diuersas, possimus interea differentias earũ summere ratione, non solùm circa quæ versentur prospicientes, sed rationes ipsarum inspicientes. An fortè artes quidem facilè possumus rationibus quibusdam suis, notionibusq; distinguere? Qualitates autem corporibus insitas quonãmodo, similiter partiri valemus? Atqui & in superiori natura interrogare licet, quomodo rationes ipsæ varię inter se distinguantur
F tur: patet enim album à nigro differre, sed quonam differat percontamur.

MARSILIVS

Sensibiles rerum species per differentias inter se distinguuntur, internas quidem præcipuè quodãmodo etiam per externas: ipsæ uerò differentiæ non per differentias alias, sed per se ipsas inuicem distinguuntur. Cap. XVIII.

QValitates discernuntur inter se non per alias qualitates, sed uel penitus per seipsas, uel per quosdam suos existendi modos.

PLOTINVS.

HAec autem omnia quæ modo nobis in dubium veniebant, planè declarant aliorũ quidẽ differentias esse quærẽdas, quibus inter se singula discernamus. Differentiarũ verò exigere differentias neq; posse nos neque vlla ratione debere. Fieri nanq; non potest, vt substantiarum substantias, quantitatis quãtitates, qualitatũ qualitates, differentias differentiarũ inuestigemus: sed necessariũ est vbicũq; fieri potest diuidere per illa quæ sunt extrinsecus, vel per efficacẽ conditionẽ, vel per talia quædam. Vbi verò hæc nõ suppetunt, discretio fiat tanquam viridis à pallido. Sed quoniam ab albo etiam & nigro discerni dicunt, quidnam dicemus? At verò hęc inter se differentia, sensus vel intellectus nobis enun-

A enuntiat, etiam si non afferant rationem. Sensus quidem quoniam non est eius officium adducere rationem, sed indicia nobis differentia duntaxat afferre: intellectus autem simplici suo quodam intuitu discernere potest. Non enim vbique rationibus vtitur, adeo vt de vnoquoque dicat hoc est hoc. Est sanè in ipsis intelligentiæ motibus alteritas quædam alterum ab altero diuidens, nec ipsa egens alteritate. Qualitates igitur omnes vtrum differentiæ sint nec ne, quæri potest, neque tamen ita videtur. Albedo enim & colores omnino, & quæ ad tactum gustúmue pertinent, fieri possunt differentiæ aliorum quamuis species per se existant. Grammatica verò & musica quonam modo? Forsan verò possunt ex eo quod hæc quidem animum reddit grammaticum, hæc verò musicum, præcipuè si naturaliter insint, adeo vt differentiæ specificæ fiant. Considerandum præterea, si qua differentia sit ex eodem genere ducta, aut ex alio, ac si ex eodem genere, dicendum est, eorum quæ ex eodem genere sunt eiusmodi differentiam esse, velut qualitates differentias qualitatum. Virtus enim & prauitas ita fortè se habent. Hæc sanè talis quidam habitus est: illa verò talis. Quapropter quum habitus qualitates quædam sint, differentiæ hîc qualitates erũt: nisi fortè quis dicat, habitum quidem absque differentia non esse qualitatem, differentiam verò propriè facere qualitatem. Verùm si dulce nobis est vtile, amarum verò noxium, atque ita commodè discernantur, habitudine quadam potius quàm qualitate distribuentur. Quid verò si dulce quidem crassum esse
B dicatur, austerum contra subtile? forte hoc ipsum crassum quid dulce sit non explicat, sed significat aliquid quo sit dulcedo: atque eadem de austerò ratio est. Itaque considerandum est numquid vbique non sit qualitas differentia qualitatis, sicut neque substantiæ substantia, neque quantitas quantitatis. Dic agè num quinque à tribus per duo differant? imò verò superant quinque tria duobus, differunt verò per duo nequaquam. Quo enim pacto per duo segregantur à tribus, quum & in tribus duo contineantur? Iam verò neque motus à motu differt motu, neque aliquid aliorum ab alio ita discernitur. Quantum verò ad virtutem spectat & prauitatem, totum sanè alterutrum ad totum velut diuersum est opponendum, atque ita seipsis inter se distinguentur. Siquis autem ex eodem genere videlicet ex quali, nec ex alio diuidat, ex eo profectò quod hanc quidem circa voluptates, istam verò circa iras, & illam circa fructus curam versari concedat: atque ita rectè distingui prorsus admittat, consequens erit, differentias esse etiam quæ non sint qualitates.

MARSILIVS

In genere qualitatis præcipuè quidem ponitur ipsa qualitas ut pulchritudo: deinde uerò qui qualitate præditus est, qua uidelicet ratione sic est affectus, ut pulcher. Tertio qualitatis eiusmodi
C *modus, ut quod aduerbio pulchrè dicitur. Negationes uerò qualitatum uel motus ad illas in hoc genere non ponuntur. Cap. XIX.*

PLOTINVS

ACcõmodandi præterea sunt qualitatis generi quemadmodum visum est, qui per qualitates quales denominantur, quatenus circa illos est qualitas. Neque tamen eos propriè adhibere debemus, ne duo propterea videãtur prædicamenta, sed ab eis ad hoc ipsum nos seuocare debemus, à quo tales cognominãtur. Quod verò dici solet nõ albũ, si colorem significet alium, est in genere qualitatis: sin aũt negatio est dũtaxat res ipsas negans, vel enumeratio quædã, nihil aliud est nisi vox, aut nomẽ, aut oratio, quę etiã res quædã esse videãt, ipsumq; similiter. Ac si vox quidẽ est, motus aliquis erit: sin aũt nomẽ aut oratio, ad relationẽ verget, quatenus hæc significãdi vim habent: at si eiusmodi enumeratio non solùm rerum est secundum genus, verumetiam oportet, & quæ dicuntur,

E que ſuadet de fugitiuis genus quidam ſpectatum ſeruis, ſed ſolitum ſibi, ſic
quidem ut ſine præmiorum lucro his dederim id, ab eo ſeruis modo tuleris, ne
quid ſibi ſumant. Nam ſi id ſumpſerint, ſcio quid futurum ſit, ut ſolitum ſibi
ne putent, cum id ſumpſerint, ſed ſuum. Quod ſi ſine præmio id ſumpſerint,
eo magis ſolitum ſe ſibi putent, quo id ſumpſerint. Et primum hoc animo
quidem meo ſentio, ſeruis ſolitum, quæ ſuperant, ſine præmio dari. Quæ
ego etiam quidem ſine, ſeruis ſolitum, ut capiant, ne vero cuiquam
præmium ſit, ſed ſolitum ſibi id habeant. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi
id habebunt, ſolitum ſibi id habebunt libenter. Primum pulcre quæ
noſtra patria eſt uidetur, non eſt quidem, ſed potes quandoque ea uel ex
decem quæ ſint dicere? non poſſis hoc, ſed tamen quæ ſint ſcio. Quæ ſi
ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt, ſolitum ſibi id habebunt libenter.
Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab
ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni
ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter,
id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt
libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id
habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum
ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio
ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine
præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.

ARGVMENTVM.

Hanc fabulam quidam Plautinam esse negant, quia plurima inest de publicis rebus, quæ Plautus nusquam fere attingit: sed eandem quidam Plautinam esse contendunt, quia Varro Musarum lingua eam locutam dicit. Gell. lib. 3. cap. 3.

PLAVTVS.

Argentum dotem. Et multum, inquam, quod eſt multum. Commodum. Vt multa quidem eſt. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.

A Nimo dauorum eſt, ne ſenex nos omni quidem ui ſibi eripiendo ſuo
dare. Pulcre dicis, ut uideam. Et ita uero. Quæ ſi ſine præmio ſolitum
ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine præmio
ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi ſine
præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere. Quæ ſi
ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.
Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.
Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.
Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.
Quæ ſi ſine præmio ſolitum ſibi id habebunt libenter, id omni ſimul eſt ab ſe dimittere.

A atque in humoribus eodem pacto, velut calidum & frigidum, & quod neutrū eſt medium vtriuſq;. Verùm nos ſic exiſtimare conſueuiſſe planè cōpertum habemus: & talia nobis quiuis fortè conceſſerit: at verò album atq; flauū & quodcunq; aduerſus quodlibet ſimiliter omnino inter ſe differre videntur: cumq; differentia ſint, qualia eſſe contraria. Non enim ex eo ꝓpriè quòd aliquid inter hęc ſit medium contraria ſunt, ſed horum ꝓpria inter ſe contrarietas eſt iudicanda. Iam verò inter ſanitatē atq; morbum nihil interuenit medium, attamen inter ſe contraria ſunt. An fortè iccirco contraria iudicant, quoniā quæ ex alterutro fiūt maximè differant? At quonā modo diſtantiā plurimā ibi licet aſſerere, vbi nulla vsq; minora ſint media? Non datur igitur circa ſanitatē atque morbū diſtantiā plurimā affirmare. Ex quo patet, id ipſum quod contrarium appellatur, alioquo dam potius q; plurimo ſpatio eſſe definiēdum. Proinde ſi per multum determinetur, quæremus vtrum hoc ipſum quod multum dicitur, accipiatur loco pluris pauciori oppoſiti, an potius pro eo quòd ſimpliciter multū. Si primo accipiat modo, rurſus quæ medio carent, contrarietatem ꝓtinus ſubterfugient: ſin autē ſecundo modo, cū facile concedatur cuiuis naturæ multū diſtare, neque tamen detur pluri quodam metiri diſtantiā, conſiderandum eſt omnino quomodo cōtrarium aliquid perpendatur. Num igitur quæ ſimilitudinem quandā habent, non dico duntaxat ſecundum genus, neq; etiā omnino quòd aliis miſceantur velut formis ipſorum plura vel pauciora, quæ inq; ita ſe habent, nonne contra-
B ria eſſe neganda ſunt? nempe illa quibus nihil idem ſecundū ſpeciem adeſt ritè contraria iudicantur: ſed adiungendū eſt, vt in eodem ſcilicet qualitatis genere ſint. Hinc vtique aſſeuerare licet & quæ ſine medio vllo contraria nobis occurrunt, quibus profectò nihil adeſſe videtur ad ſimilitudinē conferens: quippe cū nulla illic alia ſint, quæ ad vtrunq; vergentia mutuā ſimilitudinē habeant, vel cōcilient: ſed quædā duntaxat ſint, quæ non habeant. Quòd ſi ita ſit, quibus in coloribus cōmunio quædam ineſt, contrarij nequaq; erunt. At verò nihil prohibebit, non omne quidē omni, aliud autē alij ſic eſſe contrariū: atq; in humoribus ſaporibusq; ſimiliter. Sed de his hactenus ita ſit dubitatū. Quæri ſolet præterea, vtrum qualitas magis minúſue admittat, nécne. Et profectò conceſſum eſt, ea quæ qualitates participant, magis & minus participare. Vtrū verò ſanitas ipſa & iuſtitia hos gradus capiant, hactenus dubitatur. Si ergo harum quælibet ſuā quandam latitudinem habet, concedendum eſt, ipſos quoq; habitus eiuſmodi gradus admittere: ſin autem latitudinem nullam habet, ſed in quodam certo vnaquæque totum poſsidet, nimirum nec magis nec minus admittit.

MARSILIVS

C *Probabilius pro genere motum ponimus, quā tranſmutationē, quia tranſmutatio naturā rei mutans aliud pro alio in medium affert. Motus autem & hoc quidem ſignificat, & præter hoc ſignificat etiā progreſſionē quamlibet priore interim natura ſeruata.* Cap. XXI

PLOTINVS.

VTtrum verò motum eſſe genus aſſerere debeamus, nec ne, hunc in modū poſſumus contemplari: profectò hac conditione genus eſſe poteſt. Primò quidē, ſi motum in genus aliud reducere non conueniat: deinde ſi ſuperius nihil de motu in eo quòd quid eſt prædicetur: præterea ſi multas accipiens differentias inde ſpecies pariat. Dic agè in quod nam genus potiſsimū motum redigere valeas? Neque enim ſubſtantia eſt, neq; qualitas eorū quę motum habent, neq; etiā ad actionem reducere potes: nam & in paſsione multi ſunt motus: neque rurſus ad paſsionē, quoniam multi motus ſunt actiones. Probabilius autē actiones & paſsiones reuocantur ad motum, ſed neque ad relationem ritè redigitur, propterea quòd motus non ſui ipſius ſit, nec in ſeipſo, ſed alicuius potius & in aliquo. Sic enim & qualitas in relatione collocaretur: nam qualitas ali-

D cuius est & in aliquo, & quantitas eodem modo. Si adhæc respõdeatur, illa qui-
dẽ entia quædã propriè esse etiam si sint alicuius, quatenus hoc quidẽ qualitas
est, illud verò quantitas, eadem ratione cũ motus etsi alicuius est, sit aliquid an
teq̃ sit alicuius, meritò hoc ipsum quod est quodãmodo in seipso ꝓpriè nobis
est assumendum. Omnino verò relatiuum ꝓpriè hoc est ponendũ, nõ quòd pri-
mò quidẽ est id quod est, deinde est & alterius, sed quod in ipsa habitudine ge-
neratur nullo ꝓrsus illic alio existẽte præter habitudinem, quatenus dicitur, ve-
lut duplum qua duplum dicitur, in ipsa ad dimidium comparatione generatio-
nẽ subsistentiãq̃ accipiens, & ante hoc nihil ꝓrsus excogitatũ in comparatio-
ne duntaxat ad alterum, vt id dicatur, sitq̃ nãciscitur. Quid igitur hoc est? quod
alterius existens, ipsum tamen est aliquid vt sit & alterius: quemadmodũ quali
tas, & quantitas, & essentia? Sed præstat forsan prius asseuerare, nihil ante ipsũ
tanq̃ genus prædicari de ipso. Verũ siquis obiiciat transmutationem ante mo-
tum existere, primò quidẽ aut idem dicet omnino, aut genus illud appellans ef-
ficiet, vt genus quoddã aliud sit præter decem illa prædicamenta: deinde absq̃
controuersia in specie quadã motum statuet, aliquidq̃ aliud è contrà disponẽs
E opponet motui, atq; forsan generationẽ eam videlicet etiã transmutationẽ esse
dicens, motum verò nequaq̃. Quid igitur obstat, quominus generatio motus
sit? Si enim dicatur id obstare, quoniã quod gignitur nondũ sit: motus autem
circa non ens esse nõ possit, dicemus inde sequi, vt generatio nec etiã transmu-
tatio sit. Si autem afferatur ad idem, generationẽ nihil aliud esse q̃ alterationẽ,
siue permutationem quandã, & aliquod augmentum, propterea quòd genera-
tio sit aliquorum, quæ permutata siue alterata, & quodãmodo adaucta sint, prò
fectò qui hæc dixerit, quæ generationem antecedunt, adducet in medium. Ge-
nerationem verò oportet in his alteram quandã accipere speciẽ: nõ enim in eo
quòd aliquid passiuè quodãmodo alteretur generatio gigniq̃ consistit, quale
est calefieri atq; albefieri. Fieri nanq; potest, vt hæc quidẽ facta iam sint, nondũ
tamen generatio simpliciter ibi fuerit. Ac si quæras quid tunc dicamus fieri, re-
spondebimus, hoc ipsum quod dicimus alterari, vel alteratum fuisse. At tunc de
mum fit generatio, quando animal fit, vel planta, vel simile, quando videlicet
species quędam ibi suscipitur. Proinde afferre quis poterit rationi consentaneũ
fore, transmutationem potius q̃ motũ in specie ponere, quoniã ipsa transmuta-
tionis conditio aliud quiddã alterius loco siue pro alio significat fieri: motionis
F verò natura habet & quendam ex ꝓprio transitum, sicut localis motus. Siquis
aũt id minus velit, saltẽ ipse discendi actus, vel cytharæ pulsus, vel omnino qui-
uis ex habitu motus erit eiusmodi. Quapropter permutatio ipsa, siue transmuta
tio cũ motio quædã sit, aliquid extra se ponens, potius erit species motionis.

MARSILIVS.

Communis omnibus motibus est processio quædam ex potentia in actum, siue hic actus sit primus, ut forma, siue secundus, ut actio aut passio quædam. Motus procedens in habitum naturalem species quædam dici potest: procedens uerò in habitum præter naturam, casus speciei unius ad alterius aduentum. Est autem motus præsertim naturalis uitæ simillimus: maximè uerò propria motui est alteritas, ideſt aliter se habere quàm prius, propria consequenter & tempori Cap. XXII.

PLOTINVS

SEd esto quidem notio permutationis siue alterationis quatenus aliud mo
tum sequitur: quid igitur motum esse dicendum est? Esto itaq; motus, vt de
hoc figura quadam summatim loquamur, exitus ex potẽtia in illud quod posse
dicitur. Cùm enim aliquid sit in potentia, per quam in speciem aliquã ꝓdeat, ve
lut in potentia statua, rursusq; aliquid in potẽtia qua euadat in actũ sicut ꝓgres-
siuum, quando illud quidem procedit in statuam, ipse processus est motus: &

quando

a quando progreſsiuum progrediendi actum exequitur, progreſsio ipſa eſt motus: item ſaltus ſimiliter in eo qui ſaltare poteſt, quando iam ſaltat. Atqui in aliquo motu ſcilicet in eo qui perducit ad ſtatuam, ſpecies efficitur alia quam adhibet motus: in aliquo verò velut in ſaltu ipſa met ſaltatio, ſimplex quædam ſpecies eſt potentiæ ſaltatoriæ, neque quicquam habet poſt ſeipſam poſtquam motus ipſe ceſſauit. Quamobrem ſiquis motum appellauerit ſpeciem vigilem excitabundámque cæteris quaſi torpentibus ſpeciebus oppoſitam, quatenus alia quidem quieſcunt, alia verò nequaquam: appellauerítq; cauſam cæteris ſpeciebus quando poſt ipſam nonnihil efficitur, is minimè aberrabit. Siquis præterea motionem hanc de qua in præſantia loquimur, vitam quandam corporum nuncupauerit, nec ipſe quidem á vero procul eſſe videbitur. Hunc enim motum ad mentis & animæ motus æquiuocum appellare debemus. Proinde motum eſſe genus non minus aliquis ob hoc ipſum ſibi perſuadebit, quòd neque facilè, neque fortè poſsibile ſit ipſum definitione cõplecti. Verùm quomodo tunc motus ſpecies aliqua eſt, quando labitur in deterius, vel omnino paſsiuus eſt motus? Forſan verò hoc ita fermè ſe habet quemadmodum calefactio ſub ſole alia quidem auget alia verò minuit, atque motus ipſe commune aliquid eſt & in vtríſque idem: ſecundum verò ſubiecta eam quæ apparet differentiam accipit. Sed hinc ſequi videtur vt ægrotatio conualeſcentiáque ſint idem. At verò qua
b motus quidem ſunt idem eſſe videtur, ſed quónam differunt? num ſubiectis? an potius alio? Verùm de hoc tractabitur in ſequentibus, quando de alteratione conſiderabimus: nunc verò animaduertendum eſt quidnam ſit in motibus omnibus idem: ſic enim genus eſſe poterit. Sed fortè dicitur multipliciter, atq; ita ſe habet quemadmodum ſi ens genus eſſe quis dixerit. Ad id verò de quo præcipuè modò dubitabatur, dicendum videtur, forſitan oporterere motus omnes qui ad rem ſecundum naturam ducunt, vel ſaltem in ijs quæ ſecundum naturam ſunt agunt, meritò tanquam ſpecies ponere ſicut eſt dictum, tranſitus autem ad aliquid præter naturam analogica quadam proportione ijs ad quæ deducunt accommodare. Cæterùm quidnam eſt commune in alteratione & augmento & generatione, eorumq; contrarijs? rurſusq; in mutatione per locum, quatenus videlicet hæc omnia motus ſunt? Profectò cunctis qua motus ſunt, id potiſsimum commune videtur, vt vnumquodque quod mouetur non ſit poſtea in eodem in quo antea fuerat, neque quieſcat, neque ocium agat omnino: ſed quatenus adeſt motus, ſemper ad aliud perducatur, comitémque ſemper alteritatem habeat, propterea quòd nũquam permaneat in eodem: alioquín motus protinus diſperdatur, ſi quando deſiuerit aliud aliudque ſuccedere. Quam-
c obrem alteritas eſt in motu, non ex eo quòd per actum aliquid ſit, iámque quies agatur in alio, ſed ita penitus vt perpetua agatur alteritas. ex quo efficitur, vt tempus etiam ſemper ſit alterum, quoniam motus ipſum procreat. Motus enim non quieſcens ſed fluendo iugiter menſuratus producit tempus: quod quidem iccirco currit vnà cum ipſo motu, quaſi ab ipſo currente vehatur. Denique motibus omnibus commune eſt, eſſe proceſſum quendam atque ductum ex potẽtia, & ex eo quòd poſsibile eſt in actum. Quicquid enim mouetur, quocunque motu feratur, propterea prodit in motum, quòd potentia quædam in eo præcedit ad faciendum aliquid vel patiendum.

MARSILIVS

Motus eſt quaſi ſtimulus aliquis nergens ad uarios actus, modos, habitus, uariaſq; formas, qua quidem uarietate res utæ ſimilitudinem conſequuntur. Virtus motrix ſicut & uita eſt inuiſibilis. Motus quinetiam per ſe inuiſibilis ex uarietate deprehenditur. Dependet uerò motus ex mouente & in mobile deſinit, quaſi mouentis afflatus. Vnde differentiæ motionum utrinque accipiendæ uidentur. Cap. XXIII.

PLOTINVS

D EST autem motus qui circa ſenſibilia verſatur, ſtimulus quidam vel impetus ab alio in aliud vergens, & excitans, & impellens participem motionis ne torpeat, neq; maneat in eodem, vt tali quadam inquietudine, ac velut diſtracta circa multa ſollicitudine quandam vitæ imaginem conſequatur. Neq; verò putandum eſt, ea quæ mouentur ipſum eſſe motum. Neque enim inceſſus eſt pedes, ſed eſt actus quidam ex potentia circa pedes. Cùm verò potentia non ſit viſibilis, neceſſarium eſt ſolùm pedes agentes à nobis videri: non pedes inq; ſimpliciter perinde ac ſi quieſcerent, ſed pedes iam vnà cum alio, quòd quidem inuiſibile ſit, quia verò vnà cum alio eſt per accidens videatur, quatenus videmus pedes alium deinceps aliúmque habentes locum, neque alicubi quieſcentes. alterationem præterea ex eo quòd alteratur ſolemus animaduertere: quoniã qualitas ibi non eadem ſentiatur. In quonam igitur motus eſt quãdo mouet aliud, & quando ex infuſa potentia prodit in actum? Nunquid eſt in mouente? Verũ ſi ita ſit, quonam modo quod mouetur & patitur fiet particeps? Nunquid ergo in eo potius quod mouetur? At ſi ita, cur nam cum proceſſerit, minimè perma-
E net? Sed oportet profectò motum neque à mouente diſiungi, neque in ipſo eſſe, ſed ex ſeipſo quidem & in aliud emanare, neque in alio quòuis eſſe à motore diſiunctum: imò verò ab hoc in illud velut ſpiritum afflatumq; in aliud influentem. Quando igitur vis mouendi progreſſoria eſt, quaſi propellit, cogitq; locum ſemper alium permutare: quando verò calefactoria uirtus eſt, calefacit protinus, motúsque ibi eſt alteratio. At vbi facultas ipſa nacta materiam, occupansque eam ædificat in habitum naturalem, augmentum eſt appellãdum: ſed quando vis alia quædam aufert, accidit decrementum, in eo videlicet quod minui poteſt. Proinde vbi virtus genitalis agit, fit generatio: at quum hæc vis minimè valet, quæ verò perdere poteſt exuperat, deſtructio ſequitur: non deſtructionem inq; in eo quod iam factũ fuerit & peractum, ſed in eo quod adhuc in pgreſsione verſat. Similiter conualeſcentia fit vbi uis quæ poteſt facere ſanitatẽ agit, atque dominatur. ægrotatio verò contingit, quando contraria vis contraria facit. Quamobrem ſequi videtur motum nõ ſolùm eſſe perpendendum penes illa in quibus fit, verumetiam penes ea ex quibus oritur, & per quæ traducitur: motionisq; ipſius proprietatem eſſe motum qualem, talemq; in talibus eſſe.

MARSILIVS.

F *Locales motus differre uidentur inter ſe, uel per terminos oppoſitos quos petunt, ut aſcenſus atque deſcenſus, diſceſſus, ac reditus: uel per figuram proceſsionis, ut rectus & circularis* Cap. XXIIII.

PLOTINVS

SEd circa localem motum, quomodo ſumatur differentia eſt ambiguum, ſi ſurſum ferri, contrarium eſt ad illud qnod eſt ferri deorſum, & circularis motio motui recto contraria: velut ſiquid ſuper caput vel infra pedes proiiciat. Potentia enim impulſoria eadẽ eſt: niſi quis aliam eſſe dicat potentiã, quæ pellit ſurſum, aliãq; rurſus quæ deorſum, & aliter ſe habere motũ ad ſuperius tendentem, aliterq; motũ ad inferiora cadentẽ, præſertim ſi quid ita naturaliter moueatur: ſiquidem hîc leuitas quidẽ ſit, ibi contrà ſit grauitas: verũtamen cõmune in his idemq; eſt in propriũ ferri locũ. Hic itaq; apparet penes ea quæ ſunt extrinſecus accipi differentiã motionum: nempe in circulari motu atque recto, ſi modò quis idem tum rectè, tum circulariter agitet, quonam modo motus differẽs eſſe poteſt? An fortè penes proceſsionis ipſius figuram differẽtia capietur? Niſi fortè quiſpiam orbicularẽ motum miſtum eſſe contendat, quaſi non omnino ſit motus, vtpote qui rem non omnino permutet. Verùm vnus denique localis motus in ſe eſſe videtur, differentias duntaxat per extrinſeca ſumens.

MARSI-

MARSILIVS

Concretio & diſcretio ſunt motus ab omnibus aliis motibus, atque etiam à qualitatibus differentes. Verumtamen circa concretionem & diſcretionem contingit localis motus, item alteratio: generatio quinetiam & augmentum. & condenſatio, atq; oppoſita. Cap. XXV

PLOTINVS.

PRæterea conſiderandum eſt quomodo cõcretio & diſcretio ſeſe habeant. Nunquid alij motus ſint præter illos quos ſuprà narrauimus, præter generationem inquam & corruptionem, augmẽtum & decrementum, localem motũ, alterationem. an forte oporteat eas ad hos motus quoquo modo reducere? an potius aſſerere quædam ex his motibus concretiones quaſdam diſcretiones exiſtere? Si igitur cõcretio in eo conſiſtit, vt aliud accedat ad aliud & appinquet, & rurſus diſcretio in eo vt quę appinquauerunt inde recedant, locales motus ita eſſe dicentur, dum videlicet fit vel motus ad vnum, vel receſſus ab vno. Sin aũt quæ mouentur ita nanciſci dicantur commiſtionem quandam, & contemperationem conſtitutionemq; in vnum, eam inquam quæ in eo actu conſiſtit, dum aliquid conſtituitur, non in quodam habbitu, poſtquam iam eſt aliquid conſtitutum, ita profectò in aliquem motum eorum qui narrati ſunt, hos aliquid reducere poterit. Exordietur enim motus ibi localis: ſed præter hunc motum aliud
B quiddam ibi fiet: quemadmodum facilè quiuis reperit localẽ motum eſſe principium incrementi, ſed ibi motum mox proprium qualitatis accedere. Sic itaq; & hîc incipit quidem localis quidam motus, ſequitur autem non neceſſariò cõcretio ſiue diſcretio: ſed quando quæ ſibi obuiant ſeſe mutuò complectuntur, concretio accidit, contrà verò diſcretio ſequitur. Sæpe verò vbi diſcretio ſit ſequitur motus quoque localis, aut ſimul ibi contingit. Dum videlicet paſsio quędam intelligitur alia circa ea quæ diſcernuntur, non ea ratione qua loco mutentur: atque in concretione alia quædam paſsio conſtitutióque conſequitur à locali motu diuerſa. Num igitur hos quidem motus in ſeipſis ponere decet? alterationem verò ad has ritè reducere? Quod enim factum eſt denſum, iam eſt alteratum. Id verò idem eſt, ac ſi dicatur fuiſſe concretum. Rarum quoque factũ intelligitur alteratum: hoc autem perinde eſt, ac ſi diſcretum eſſe conſideretur: quinetiam vbi vinum cum aquâ miſcetur, vtrunque aliud quàm prius erat euadit. Id autem eſt concretio quædam, quæ alterationem effecit: aut fortè dicendum hîc quoque concretiones diſcretionésque præcedere alterationes quaſdam, ipſas verò alterationes à concretionibus diſcretionibúſque differre.
C Neque enim alterationes alias eſſe tales, neque rarefactionem ipſam condenſationémque vel eſſe concretionem quandam atque diſcretionem, vel ex his omnino conſiſtere: alioquin ſic protinus aliquis vacuum in natura concedet. Iam verò nigredinem & albedinem qua nam conditione conceſſerit aliquis in concretione diſcretionéque conſiſtere? Si quis autem in his ambigat, cogetur colores omnino, & fortè qualitates inde plures, imò verò omnes funditus extirpare: ſi enim alterationem omnem, quam eſſe dicimus quandam in qualitate mutationem, quiſpiam concretionem diſcretionemúe eſſe contendat, certè quod ibi fit nullo modo qualitas eſt, ſed reſtant ibi quædam vel prope poſita, vel ſeorſum. Præterea doceri atque diſcere quonam modo poteſt eſſe concretio?

MARSILIVS

Motuũ ſpecies probabilius diſtinguuntur per differentias internas quàm externas. Scilicet per uires motrices, aut inanimatas, aut animatas, item ſic uel aliter animatas: rurſus per impulſum naturæ uel artis, uel conſilij. Cap. XXVI.

PLOTINVS

D CONsiderandum igitur de ijs videtur, rursusq; inuestigandum de illis, quę dicuntur ſpecies motionis, velut in motu locali, ſi modò diſtinctio ibi non fiat per motum ad ſuperiora vel inferiora: item per rectum & circularem, ſicut in ſuperioribus eſt dubitatum, nunquid fortè diſtinguendum ſit per motum rerum animatarum, animáue carentium. Non enim ſimilis eſt horum inter ſe motus, & rurſus eiuſmodi motus per motionem progrediẽdi, natandi, volandi. An etiam per impulſum naturalem minúsue naturalem. Fortè enim quis hũc in modum ſecundum vnamquanque ſpeciem partietur. hic verò modus non extrinſecus acciperet differẽtias motionum. Forſan verò ipſæ harum effectrices ſunt neque tamẽ abſque his exiſtunt: ſed ipſa natura harum motionum externarũq; differentiarum principium eſſe videtur. Fortaſsis etiam partiri motum licet ita, vt partim natura fiat, partim verò arte, partim electione: & natura quidem incrementa & decrementa: arte verò ædificare ſiue domos ſiue naues: electione autem meditari, diſcere, publica gubernare, & omnino dicere atque agere. Denique circa augmentum & alterationem, & generationem diſtinguere licet per
E modũ ſiue naturalem, ſiue non naturalem, vel etiam per ſubiectorum varietatẽ.

MARSILIVS.

Status eſt in rebus æternis, ubi nullus eſt motus: quies autem eſt in rebus temporalibus ſcilicet quædam priuatio alicuius motus, uel motio quædam ualde tarda. Cap. XXVII.

CUm igitur quies ſit priuatio quædam, non eſt aliquod per ſe genus: motus autem non eſt priuatio ſimpliciter quietis, ſed eſt actus efficax auferens aliquid atq; afferens. Status in æternis non eſt priuatio motus, neque enim uel ibi ſtatus fit ceſſante motu, uel illa nata ſunt ad motum. Motus duo habet oppoſita ſcilicet & motum qui diuerſos petit terminos & quietem, maximé ſi quies conſideretur in termino à quo motus iam diſcedit.

PLOTINVS

DE ſtatu verò qui motui eſt oppoſitus vel de quiete, quidnam videtur eſſe dicendum? nunquid & hoc genus vnum ponendum eſt? an potius in aliquod genus eorum quæ narrauimus eſt reuocandum? Sed præſtat forſitan ſtatum quidem ipſum diuinis concedere, hîc autem de quiete perquirere. De hac ergo quiete quid ſit in primis inueſtigandũ eſt: atque ſi idem omnino eſſe atq; ſtatus inueniatur, non rectè hîc requiri videbitur: quippe quum hîc nihil pe-
F nitus maneat: ſed quod manere videtur, tardiore motu feratur. Sin autem quietẽ aliud quiddam præter ſtatum eſſe dicamus, propterea quòd ſtatus quidem ſit circa rem prorſus immobilem: quies autem circa rem quidem ſtãtem, natam verò ad motum etiam quando minimè moueatur: hoc ita eſt diſtinguendum. Nẽpe ſi quietum fieri hîc aſſumatur, ipſum quieſcere dicetur eſſe motum nondum ceſſantem, ſed inſtantem: ſin autem hîc aſſumatur ea quæ non amplius circa id quod moueatur, exiſtit, profectò quærendum erit ſiquid apud nos ſit omnino non motum. At ſi impoſsibile eſt aliquid motibus ſimul omnibus agitari: ſed oportet quibuſdam motibus non moueri, vt ſaltem liceat dicere hoc quod mouetur eſſe, quid nam aliud dicendum eſt de illo quod non mouetur loco, ſed quantum ad hũc motum pertinet conquieſcit, niſi ipſum non moueri? Sic itaq; quies erit negatio motionis. Quod autem eiuſmodi eſt non propriè computatur in genere. Quieſcit autem non ſecundum alium quàm localem motum. Priuationem igitur huius tantùm ſignificat. Si quis autem interrogauerit, cur non etiam motum ſtatus ipſius ſiue quietis priuationem eſſe dicamus, reſpondebimus, quia videlicet motus aliquid ſecum ferens accedit, aliúdque quiddam exiſtit agens concutiensq́ue ſubiectum, & plurima faciens atque diſperdens: quies autem vniuſcuiſque nihil eſt præter ipſum, ſed hoc tantùm ſignificat, motum

videlicet

videlicet non habere. Verùm cur non in rebus ipſis ad intelligentiam pertinentibus, ſtatum priuationem motionis aſſerimus? Quia non licet ſtatum motus priuationem cognominare: quoniam non ceſſante motu ipſe fit ſtatus: imò verò exiſtente illo fit motus. Neque ſtatus illic eſt, quia quod natum ſit ad motum quandoque non moueatur. Sed qua ratione ſtatus ibi ipſum intelligibile comprehendit, permanet: qua verò mouetur, mouebitur in perpetuum: quamobrē & ſtatu conſiſtit, & motu mouetur. Corporea verò natura motu quidem mouetur, & abſente motu quieſcit, orbata videlicet debita motione. Præterea videndum eſt, quid ipſe ſit ſtatus: item quando ex morbo ad ſanitatem aliquis peruenit conualeſcit. Quam igitur huic conualeſcētiæ quietis ſpeciem opponemus? Si enim affectionem à qua recedit, morbus ille eſt non ſtatus: ſin autem affectionem ad quam acccedit, ſanitas illa eſt, quæ quidem non idem atque ſtatus exiſtit. Si quis autem dixerit ſanitatem aut morbum eſſe ſtatum quendam, hic profectò ſanitatem atque morbum ſtatus ſpecies eſſe concedet: quod quidem iudicatur abſurdum. At ſi ſtatum ſanitati contigere propriè fateatur, ſanitas ante ſtatum non erit ſanitas. Sed de his quidem pro ſuo quiſque arbitrio dicat

EPILOGVS PRAEDICAMENTORVM

DICTVM verò nobis in ſuperioribus eſt facere atq; pati motiones eſſe. Motiones autē alias quidem abſolutas eſſe, alias verò partim effectiones, partim etiam paſſiones. Dictum præterea de cæteris quæ dicuntur genera ad noſtra hæc referri debere. dictum quoque de relatione, eam videlicet eſſe alterius ad alterum habitudinem, & ſimul ambo concurrere. dictum denique circa relationem quando videlicet habitudo ipſa ſubſtantiam efficit, illud ipsū quod refertur non qua ratione ſubſtantia ſit, relatiuum eſſe, ſed qua pars aliqua, velut manus, aut caput, vel cauſa, vel principium, vel elementum. Licet autem & relatiua antiquorum more diuidere, adeo vt alia quidem tanquam effectiua ſint: alia verò tanquam menſuræ quędam: alia in exceſſu defectuque verſentur: alia denique per ſimilitudines atque differentias diſtinguantur. Sed hæc iam de his generibus dicta ſufficiant.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVARTVS, QVOD ENS VNVM IDEMQVE SIMVL TOTVM EST VBIQVE

MARSILIVS.

Quum anima nec habeat quantitatem, nec paſſio ſit corporis quanti, quæritur quomodo per plurimum quaſi ſpatium diffundatur, ſiue per ſe ante corpus, ſiue tantū cum corpore in ipſo corpore per ipſum eatenus propagetur.

Cap. Primum.

PLOTINVS.

NVNQVID Anima vbique vniuerſo iccirco adeſt, quia corpus vniuerſi ſit tantum? Ipſa quidē naturam habens, qua circa corpora diuidatur, an potius à ſeipſa quoque eſt vbique? Nō quidē quatenus à corpore protrahatur, ſed quia corpus reperiat illā ante ipſum vbiq; præſentem, adeo vt vbicūq; ponatur, ibi animā reperiat iam exiſtentem, priuſquam ipſum in parte vniuerſi collocaretur, totumqúe vniuerſi corpus in anima iam exiſtente ponatur. Verùm ſi anima in tantum diffuſa eſt antequam corpus tantum accederet, anima inquam implens vniuerſum penitus interuallum, quidnam prohibet quo minus habeat magnitudinem? Aut quiſnam modus erit, quo ſit in vniuerſo antequam fieret vniuerſum, quando nondum hoc exiſteret? Contrà verò

D qua quiſpiam conditione admiſerit animam ipſam quæ impartibilis & magnitudinis expers eſſe dicitur vbique eſſe, quum nullam habeat magnitudinem. Atqui etſi vnà cum corpore dicatur extendi, quum tamen ipſa non ſit corpus neque ſic tamen dubitatio deuitabitur ex eo quòd ipſi magnitudo ſecundum accidens tribuatur: nempe ſimiliter aliquis hîc quoque ritè perquiret, quonam modo ſecundum accidẽs magna poſsit euadere. Non enim ſicut qualitas velut dulcedo vel color per totum corpus extenditur, ita prorſus & anima. Hęc enim ſunt quædam corporum paſsiones, vt non mirum ſit totum quod patitur corpus paſsionem eiuſmodi poſsidere, atque nihil eiuſmodi in ſeipſo conſiſtere: quippe cum corporis aliquid ſit, & tanquam in corpore cognoſcatur. Quapropter qualitas neceſſariò tanta eſt quantum eſt & corpus. Accedit adhæc, q̃ alterius partis albedo non compatitur vnà cum albedine partis alterius: atque in albo eadem partis huius albedo ſecundum ſpeciem eſt, atque albedo quę eſt in altera parte, neq; tamen eſt numero eadẽ. At verò penes animã idem numero in pede eſt atque manu. Quod quidem conſenſio animaduerſióque demonſtrant. Præterea in qualitatibus quidem idem aliquid tanq̃ diuiſum conſidera-
E tur: in anima verò idem, ſed non diuiſum. Quod tamen propterea diuidi dicit̃, quoniam vndequaque ſe fundit. Dicamus igitur de his iterum ab initio inueſtigantes ſi qua ratione nobis perſpicuè pateat, quomodo anima cum incorporea ſit expersq̃ magnitudinis poſsit in plurimum propagari, ſiue ante corpora, ſiue in corporibus eatenus protendatur. Fortè enim ſi conſtiterit etiam ante corpora id fieri poſſe, facilè admodum futurum eſt in corporibus quoque tale aliquid prorſus admittere.

MARSILIVS.

Mundus intelligibilis, ideſt ens primum eſt uerum, uniuerſum atque magnum, quoniã & cuncta entia eſt, & eſt in quolibet ſui totum, nec eſt in uniuerſo. Et quum dicitur ubiq; eſſe, eſt ipſum quod appellatur ubique. Mundus uerò ſenſibilis eſt uerè paruum, quia ubique conſtat ex paruis. Atque eſt in mundo ſuperiore non tanquam in loco continente, nec tanquam in interuallo quodam uacuo, ſed tanquam in efficiente, ſeruante, ſiſtente, mouente, cõprehendente. Mundus hîc ubiq; per quamlibet ſui partem attingit illum totum, ideo non mouetur in rectum ad illum inueniẽdum, ſed circa illum ubique repertum reuoluitur in eodem. Cap. II.

PLOTINVS.

F Eſt vtique verum aliquod vniuerſum: eſt etiam veri vniuerſi illius imago, ipſa videlicet viſibilis huius mundi natura. Ipſum igitur quod reuera vniuerſum eſt, in nullo prorſus exiſtit: nullum enim enseſt ante ipſum. Quod autẽ poſt ipſum extat, hoc iam neceſſarium eſt in vniuerſo eſſe, ſi modò aliquid ſit futurũ. præſertim cùm ex illo dependeat, neq; abſq; illo manere valeat vel moueri. Etenim ſiquis hoc in illo ponat, non tanquam in loco intelligens videlicet locum tanquam terminum quendam corporis continentis, quatenus contineat, vel interuallum aliquod quod prius hoc fuerit quaſi de natura vacui, atque adhuc exiſtat, ſed affirmet hoc quaſi in illo fundari atque quieſcere, in illo inquam vbique exiſtente, atq; id penitus comprehendente: quiſquis inquam ita poſuerit, nominis huius, ideſt loci appellationẽ iam dimittẽs ipſa cogitatione quod dicitur apprehendat. Hoc autẽ alterius gratia dictũ eſt, quia videlicet vniuersũ illud primũq; & ens neq; locũ quærit, neq; omnino quieſcit in aliquo. Cũ enim vndiq; penitus ſit vniuersũ fieri nõ poteſt, vt aliquo modo ſibi ipſi deſit, ſed implet ſemetipſum, ſibiq; eſt æquale, nec ibi illius eſt vniuersũ: ipsũ nanq; vniuersũ illud prſus exiſtit. Omnino verò ſiquid in vniuerſo fundat̃, aliud exiſtẽs præter ipsũ participat illud, & cũ ipſo conſpirat. Itẽ corroboratur abeo, nõ diuidens ipſum ſed reperiẽs illud in ſeipſo, & ipſum quidẽ illi ppinquans, dũ tamen illud nõ ponitur extra ſeipſum: fieri nanq; non poteſt, vt ens ſit in nõ ente: verũ ſi non ens

in ente

A in ente fuerit, in ens incidit totum. Non enim à ſeipſo illud diſtrahi euelliq; po
terat. Atqui quòd dicitur vniuerſum illud vbique eſſe, intelligendum eſt in ip-
ſo ente exiſtere, atque ita in ſemetipſo. Neque mirum eſt, ſi ipſum quod vbiq;
dicitur eſt in ente atque in ſeipſo. Iam enim ipſum vbique fit in vno. Nos autem
ens ipſum eſſe ſenſibile hoc exiſtimantes, conſequenter ipſum quoq; vbiq; hîc
eſſe putamus. Item putantes hoc ſenſibile magnũ eſſe, haud ab re dubitamus
quomodo illa natura per magnum hoc tantumq; protendatur. Sed reuera hoc
quod magnũ dicitur, paruum eſt: quod autẽ paruum exiſtimatur, eſt magnum:
ſiquidẽ totum illud per vniuerſum partis vniuſcuiuſq; ſe fundit: imò verò vni-
uerſum hoc vndiq; ſuis partibus ad vniuerſum illud accedens inuenit illud vbi-
que totum, ſeq; ꝓculdubio maius. Quamobrẽ quaſi quod vlteriori protẽſione
nihil plus accepturũ ſit, ſic enim fortè & extra vniuerſum euadere videretur, me
ritò penes ipſum circuncurrere voluit: cùm verò non poſſet vel comprehende-
re, vel ſe intrò prorſus inſinuare, ſatis ſibi factum putauit, ſi locum & ordinẽ ſor-
tiretur, vbi proculdubio ſeruaretur ipſi præſenti ꝓpinquans, rurſusq; non præ-
ſenti. Eſt enim illud in ſemetipſo, etiã ſi quid ei velit adeſſe: quò ſanè ſe confe-
rens vniuerſi corpus reperit vniuerſum, adeo vt non ſibi opus ſit vlterius ꝓgre-
di, ſed reuolui expediat in eodem, tanq; hoc in quo reuoluitur reuera ſit vniuer
ſum: vbi certè ſecundum omnẽ ſui partem toto illo perfruitur. Si enim illud eſ-
B ſet in loco, meritò progredi illuc rectaq; via procedere expediret, atque in alia
eius parte per aliam partem illud attingere, neceſſarióq; tum procul tum pro-
pe eſſe contingeret: ſin autẽ neq; procul neque prope illic poteſt accidere, ne-
ceſſariũ eſt totum illud adeſſe, ſi modò adſit. & ꝓfectò illorũ vnicuiq; totũ adeſt,
quibus neque propinquũ eſt, neq; remotũ, ſed propriè capere potẽtibus adeſt.

MARSILIVS.

Mundus intelligibilis excellentia poteſtatis uires ſuas per omnes partes mundi diffundit: & unicuiq; parti totus adeſt, interea ſupereminens. Cap. III.

Sicut omnibus participare potentibus uires communicat, ita uiribus ſuis ipſe adeſt: atque ubi plu-
res impartit uires euidentius adeſt: ubi omnes euidentiſsimè. Neque fit propria alicuius forma,
uel loco proprio circunſcribitur: alioquin nec ulterius uniuerſum foret, nec omnibus communiter
eſſet præſens. Corpus non in ſpecie ſed in quantitate diuiditur: ideo facta diuiſione & ſi eadem nõ
reſtat quantitas, eadem tamen ſpecies remanet: cùm uerò eſſentia, uita, mens prima, ſit ſpecies quan
titatis expers, ſi diuidatur ſecundum ſpeciem diuiſa, ipſam ſpeciem permutabit.

PLOTINVS.

NVm igitur vniuerſum illud dicemus ipſum adeſſe? an ipſum quidẽ in ſeip-
ſo conſiſtere? vires autẽ ab eo per cuncta diffundi, atque ita illud vbique
C eſſe putari? ſic enim animas tanq; iactus quoſdã inde eſſe tradunt, adeo vt illud
quidẽ in ſeipſo quieſcat: animas autẽ illinc emiſſas ſecundũ animal aliud aliudq;
euadere. Sed profectò quibus vnum aliquid illius conceditur, ꝓpterea quòd
nequeant omnẽ illius naturam in ſe conſeruare, iis nimirũ ſic adeſſe dicitur, vt
vis quædã adſit illius. Neque tamen ita vt illud omnino non adſit. Nam & tunc
illud à ſua illa potentia quam huic tradidit, minimè ſegregatur: ſed quod acce-
pit tantùm apprehendere potuit ex toto præſente. Vbi verò vires omnes com
municantur, illud ipſum eſt euidentiſsimè præſens, ſic tamen vt ſimul ſit e-
tiam ſeparatum: nempe ſi huius rei ſpecies fieret, neque vniuerſum eſſe poſſet,
neque vbique eſſet in ſemetipſo conſiſtens, ſed ſecundum accidens, & al-
terius eſſet. Quum verò nullius ſit etiam volentis ipſius eſſe, vnicuique ipſum
volenti pro illius capacitate propinquat, neque tamen illius euadit, neq; rurſus
alterius, ſed deſiderio adeſt: neq; igitur mirandum eſt ſic in omnibus eſſe, quip
pe cũ in nullo rurſus eorum ſic inſit, ut euadat ipſorũ: quamobrem neque fortè

D abſurdum eſt animam dicere ſecundum accidens, ita cum corpore quodammodo ſimul pati: ſiquidē ipſa in ſeipſa dicat eſſe neq; materiæ neq; corporis facta, ſed corpus omne per vniuerſum ſui velut illuſtretur ab anima. Nihil verò mirādum videri debet, ſi vniuerſum illud diuinū, cū ipſum non ſit in loco, adeſt omni quod eſt in loco: contrà verò & mirabile & inſuper impoſsibile foret: ſi illud habens ipſum quoque locum proprium adeſſet alicui quod ſit in loco, aut ſi adeſſet omnino, atque eſſet ita præſens, ſicut nos in præſentia dicimus. Nunc autem ratio dictat neceſſarium eſſe, vt ipſum cū non habeat locum cuicunq; præſens eſt adeſſe totum: cūq; ſit vniuerſo præſens, ſic adeſſe, vt & ſingulis adſit totum: alioquin aliud quidem ipſius hīc, aliud autem ibi futurum, adeo vt & partibile ſit & corpus, Iam verò interrogare licet, quomodo partiaris. Nunquid vitam diuides? At vbi diuiſeris ſi totum erat vita, pars vita non erit. Sed nunquid diuides intellectum, vt hic quidem in alio ille autem in alio ſit? Verùm neuter illorum intellectus erit. An igitur ipſius ens partieris? At verò pars ita non erit ens, ſi totum ens extiterit. Quid ergo? ſi quis obiecerit & corpus diuiſum habere partes, quæ adhuc ipſæ quoque ſint corpora: ſed profectò partitio non
E corporis fuit ſed tanti corporis potius: & corpus vnumquodque ſpecie factū eſt & dictum qua corpus exiſtit. Hoc autem præcipuè quo ad ſpeciē pertinet, non habet propriè quantum quiddā, imò neq; etiam quòmodocunq; quantū.

MARSILIVS

Vna eſſentia prima, ideſt mens diuina ubique tota eſt, ſimiliter una mundi anima: nec multitudo partium mundanarum impedit, quominus una ſit ubique tota: nec unitas primæ mentis & animæ prohibet quin multæ præterea mentes ſint & animæ. Cap. IIII.

Nec per multa corporis eiuſdem membra anima cogitur eſſe multiplex & partibilis: nec per multa corpora euadunt animæ multæ: ſunt enim & mentes & animæ ſuis proprietatibus in ſeipſis inter ſe differentes, etiā ante corpora: ſuntq; in ſe inuicem naturali quadam cognatione & officij cōmunione coniunctæ, & interea alteritate proprietatis eſſentiæq; diſtinctæ non loco.

PLOTINVS.

CAeterùm quonam pacto fas eſt dicere ens atq; entia, & multas mentes, animasq; multas? Si ens vbiq; vnum eſt, neq; ſic vnum quaſi duntaxat conforme nōnihil: item ſi mens vna, ſi anima vna: tametſi acceperimus aliam eſſe animam vniuerſi, alias autē reliquas. Hæc enim iam dictis refragari vidētur: & quæ
F dicta ſunt, ſi quam fortè neceſsitatem habēt, perſuaſionem tamen non afferunt, quippe cū animus incredibile putet, vnum ita vbique totum idem eſſe. Fortè igitur præſtat vnum illud totum partiri, adeo tamen vt id ipſum ex quo partitio fit, nihil inde cōminuatur: aut potius ab illo vt rectius loquamur aliqua generare, atq; illud quidem permittere vt in ſeipſo cōſiſtat: quæ verò velut partes inde gignuntur, eſſe animas omnia iam cōplentes exiſtimare. Verùm ſi illud ens iccirco in ſe conquieſcit, ex eo propriè quòd incredibile videatur vnum aliquod totum eſſe ſimul vbique, eadem profectò ratio circa animas ſimiliter dubitabit. Hæ namque in quibus corporibus totæ eſſe dicuntur in totis, iam ita non erūt: ſed aut diuidentur, aut ſi totæ permaneant in quadam corporis parte ſic propriè conquieſcent, atque inde uires ſuas per membra diffundent. Iamq; eadē & de viribus quæ & de anima ambiguitas orietur, nunquid vis ipſa vbique ſit tota. Præterea aliud quidem corporis membrum habebit animam, aliud verò vim animæ ſolam. Sed in primis inueſtigandum eſt quo nam modo conceſsis ſuperioribus multæ ſint animæ, multæ mentes, multa entia præter vnum. Iam verò quæ ex prioribus profluunt, ſic tamen vt non magnitudines ſint ſed numeri dubitationem ſimiliter afferent: quoniam pacto impleant vniuerſū. nihil itaq; nobis ex multitudine ſic profluente perſpicuè compertū eſt ad dubi-

tionem

A tationem conferens explicandam. Quandoquidem & ipſum ens eſſe multa cõ cedimus alteritate quadam, ſed non loco. Simul enim eſt ens vniuerſum, q̃uis ita ſit multiplex: nempe, vt Parmenides ait, ens enti propinquat, ac ſimul eſt vniuerſum. Quinetiam intellectus eſt multiplex alteritate, non loco, ſed ſimul eſt omnis. Nunquid & animæ ita ſe habent? Forſan & animæ. Quoniam illud etiã quod circa corpora partibile dicitur, impartibile rurſus ſecundũ naturam eſſe cenſetur: corpora verò habẽtia magnitudinem præſente videlicet illis ac ipſius animæ natura: imò verò cũ corpora ibi fiant, & quatenus protendunt ſecundũ omnẽ partẽ natura illa animę ipſius appareat, quæ circa corpora verſat, ſic vtiq; circa illa animã exiſtimari contingit diuiſibilem. Nam nõ eſſe illã in partes vnâ cum partibus corporis diſtributã, ſed paſſim adeſſe totam inde perſpicuè nobis patet, quòd & naturam vnum aliquid & impartibile reuera eſſe ſit compertum. Neque igitur ex eo quòd anima vna ſit, tollitur eſſe multas: quemadmodũ neque ens vnum eſſe entia prohibet, neque multitudo illic vni repugnat: neque per multitudinem quãdam vitã implere corpora neceſſarium eſt: neq; propter corporis magnitudinem exiſtimandum eſt fieri multitudinẽ animarũ, ſed etiã ante corpora extare multas & vnã. In ipſo nanq; toto iã multæ conſiſtunt, non in potentia quidem, ſed in actu iam quælibet. Vna enim illa tota nihil phibet in ſe multas exiſtere: multæq; viciſsim vnam nihil impediunt. Diſtant enim inter
B ſe interim non diſtantes, adſuntq; ſibi inuicem non alienæ. Non enim terminis vllis inter ſe ſeparantur: quemadmodum neque ſcientiæ multæ in vna quadam anima congregatæ: ſed eſt vna ipſa talis, vt in ſe contineat omnes. Ita prorſus eiuſmodi natura eſt infinita.

MARSILIVS.

Anima mundi ſicut & mens eſt indiuidua ſimul & uniuerſum, ideo in mundo eſt ubique tota. Animã quam non habeat quantitatem, non eſt minor uel maior quantitate quàm mundus, ſed uirtute, quam nec totam mundus capit. Eadem uerò anima grandiori quæ & minori ſufficit corpori propter potentiæ magnitudinem Cap. V.

PLOTINVS.

PRoinde naturæ huius magnitudo non eſt ſecundum molem exiſtimanda: moles enim paruum quiddã eſt, caſurum verſus nihilũ, ſiquis inde detraxerit. At ex illa natura neq; fas eſt detrahere, neq; ſi fortè ſubtraxeris, vllo modo deficiet. Quod ſi nequaq̃ deficiat, nõ eſt metuendũ, ne vsq̃ abſit ab vllo. Quo. n. modo abſit ab aliquo, cum nullum patiatur defectum, ſed ſempiterna natura ſit non fluens? alioquin ſi fluxerit, eouſq; procedet quouſq; profluere poſsit. Cùm verò minimè fluat, neque enim quò fluat habet, totũ iam penitus cõprehendit.
C Imò verò ipſa eſt vniuerſum, maiusq; aliquid eſt, q̃ ut ſecundum corporeæ naturæ magnitudinem ęſtimetur. Paruum enim quiddã ritè cenſetur huic vniuerſo tribuere: quatenus videlicet, hoc illius ferre valet. Oportet autem vniuerſum illud ſupernũ neq; minus appellare, neque minus ipſum ſecundũ molẽ ponere, ne fortè diffidere compellaris, illud tanq̃ minus poſſe per totum illud quod eo ſit maius amplificari. Neque enim hoc ipſum quod minus dicitur, de illo prædicandũ eſt, neque in ipſa menſura adhibenda eſt, vel comparanda moles ad molem. Id nanque perinde ſe haberet, ac ſi quis medicinæ dixerit diſciplinã ipſius medici corpore eſſe minorem. Neque rurſus maius illud cenſendum eſt ſecundum menſuram aliquam quantitatis, quando neque in anima ſic animæ magnitudo cenſetur corpore maior. Magnitudinem verò animæ hinc licet potiſsimũ coniectare, quòd quando moles ipſa fit maior, anima eadem per totam illam vndique ſe diffundit, quæ prius erat in mole minore. Ridiculum namque plurimum eſt futurum, ſi quis molem animæ etiam adhibuerit,

MARSILIVS.

Quæstiones de anima mundana & noſtra. Cap. VI.

D Quærit ita: Si anima tantam habet magnitudinem uirtutis, quantam modò dicebamus, cur non accidit etiam uiuificando ad quodlibet corpus appoſitum. Reſpondet eam poſſe, modò corpus accedat ad eam, ideſt confirmitate formabili. Item dubitat ita: Si anima mundi occupat totum, nun quid corpus propria anima animatum habet ſimul atque communem? Et ſubdubitat quærendo, quomodo differant ibi hæ duæ animæ. Et reſpondet per adiunctiones differre, quia quãuis hæc & illa ſit anima, tamen hæc eſt anima eiuſmodi, illa illiuſmodi. Deinde confirmat animam mundi poſſe in corporibus remotis eandem eſſe totam, quia & in nobis anima noſtra eadem ſimul tota in pede eſt & manu. Et ſubiungit differentes ſenſus & paſsiones non obſtare, quominus in homine ſit una anima, & in mundo una: quia uidelicet in homine quouis unus eſt iudex: ſic & in anima mundi. Deinde interrogat, cũ duæ ſint in nobis animæ, altera communis, altera propria, cur anima noſtra non percipit iudicium animæ mundi? Reſponder: Quia ex iudicio illo non reſultat in nobis compaſsio: Præterea neque eadem uis animæ ſemper quæ iudicat, animaduertit ſe iudicare, neque uis quæ libet in eadem anima cũmunicat alteri ſuum iudicium: ideo non eſt mirum, ſi nec uis animæ noſtræ perſentit iudicium communis animæ, neque illa noſtræ communicat ſuum: ſed ratio in nobis animaduertit iudicia inferiorum in nobis uirium, & ratio in anima communi animaduertit ſimiliter
E ſuarum iudicia. Ratio quidem noſtra occupata eſt, & diſtracta circa ſenſibilia: ratio uerò communis animæ collecta circa intelligibilia: ideo cùm circa oppoſita conuertantur, non communicatur iudicium ab altera in alteram facilè. Mitto nunc quomodo per communem animam ſit in nobis cõmunio quædam uitæ & conſenſus & compaſsionis tum inter nos, tum ad mundana & cæleſtia, in qua unione conſiſtit uis attractionis & magicæ. Tu caue ne putes Plotinum ponere unam tantùm in cunctis animam. Hoc enim illi repugnat ubique.

PLOTINVS

QVid ergo non aliud corpus accedit? Forſan verò corpus illud ſi modò poſsit, oportet accedere: accedens aũt accipit inde, & poſsidet quod accepit. Quid igitur? Corpus aliud animã ne habet eandẽ, poſsidens videlicet interim ipſum quoque ſuam quam habet animam. Quid enim differt? Profectò adiunctionibus differt. Præterea quomodo in pede manuq; eandẽ ponimus animam, animam verò quæ eſt in hac vniuerſi parte, non affirmamus eandẽ cum anima illa, quæ ſit in alia eiuſdem parte? Sin autẽ ſenſus differentes ſunt, paſsiones etiã incidentes eſſe differentes exiſtimandũ. Alia igitur ſunt quæ iudicãtur, iudicans verò non aliud: nempe iudex idem in alijs & alijs iudicat paſsionibus q̃uis patiens nõ ſit idem ipſe qui iudicat. Sed hæc potius corporis talis natura.
F Idq; perinde ſe habet, velut ſiquis noſtrum & voluptatẽ iudicet, quæ ſit circa digitum, & dolorẽ qui circa caput. Cur nam igitur altera iudicium alterius nõ percentit? Forſan quia iudicium illud eſt, nõ paſsio. Præterea neque vis ipſa, quę iudicat, dicit, iam iudicaui, ſed iudicauit tantũ: quoniam neq; apud nos quidẽ viſus auditui nuntiat, q̃uis vterq; iam iudicarit, ſed præſidens vtriſq; ratio: hæc aũt eſt ab vtriſq; diuerſa. Sæpe verò & ratio, quod in alio iudiciũ eſt cognouit, alteriuſque paſsionem animaduertit. Verùm de hoc alibi quoque diximus.

MARSILIVS

Multitudo numerorum ab uno & linearum à centro fluentium non prohibent quominus uel unum illud uel centrum hoc impartibile ſit & unicum. Similiter anima non cogitur diuiſibilis fieri, aut multiplex propter diuerſa membra uel corpora. Imò ſicut uirtus rectrix tota eſt in qualibet parte ponderis, ac lumen idem indiuiſibile totum in qualibet parte aeris, ſic & anima.

Cap. VII.

PLOTINVS

SEd dicamus iterum quomodo idem per omnia ſit: id autem ſimile eſt, ac ſi quæramus qua conditione vnumquodque multorum ſenſibilium ſparſim vndequaq; diſpoſitorum, eiuſdem naturæ ſit particeps. Profectò conſtat nefas eſſe vnum ipſum ꝓpter rerum multitudinem in multa partiri, ſed decere potius multa diuiſa in vnum ritè colligere: quod quidem ad hæc non venerit. Sed hęc

quia

A quia disiecta sunt, opinari nos compulerunt, illud quoq; secundum hęc quodā modo esse disiectū: vlut siquis id quod superat, atq; continet, vnà cum eo quod continetur in partes æquales putauerit diuidendū. Tametsi continere quidem potest manus corpus totum lignumq; multicubitū, & quoduis aliud. Vbi profectò vis ipsa quæ continet in eo quod tenetur, vbique viget, neq; tamen diuiditur in partes æquales simul cum eo quod manu tenetur: quamuis appareat quaternus manus attingit, eatenus esse potentiam circunscriptā. At manus interim sua quadā quantitate describitur, non quantitate corporis quod suspēditur & tenetur: atqui si adiunxeris suspenso corpori aliam longitudinē, manusq; illam valeat substinere, vis ipsa regendi illud quoque reget non secta videlicet in partes totidem, quot habet & corpus. Quid ergo? si quis sinxerit corporeā manus molem clam è medio surripi: sed relinquat interea vim illic eandem quę pondus ante substinebat, eratq; prius in manu, nonne vis eadem impartibilis in toto similiter pondere per quamlibet erit partem? Præterea si exiguū quoddā lucidumq; corpusculum pro centro alicubi fixeris, eiq; maius aliquod corpus sphęricum & perspicuū circunposueris: adeo vt intimi corposculi lumen in toto circundante perluceat, vbi non sit aliunde terra externæ moli, nonné intimū lumen illud dicemus, dum nihil patitur sed permanet per totam molē extrinsecā, processisse? atq; lumē ibi in corpusculo paruo conspicuū, inde totum quod
B circunstat penitus comprehēdisse? Quoniam verò non ex ipsa corporea mole illius centri lumen ipsum extabat: non enim qua corpus est posidebat lumen, sed qua corpus lucidum, per virtutē videlicet aliam incorporeā. Dic agè, siquis corporis illius molem subtraxerit, vim verò luminis ibi seruauerit, nunquid vlterius dicturus sis alicubi ꝓpriè lumen esse? Nonne potius erit æquè & intus, & per sphærā totam exteriorem? neque amplius cogitationē figes vbi erat antea positum, neq; dices vlterius vel vnde, vel vbi sit lumē: sed de hoc eris ambiguus ac ꝓrsus admirabundus: simul autē & hîc & ibi per globū lumen idem inspicies Iam verò & circa solem potes dicere vnde potissimū lumen totum aerem circū lustrat, quando videlicet in corpus solis aciem dirigis: simulq; lumen idem vbique circunspicis neq; diuisum. Id verò testantur ipsæ quæ ex lumine fiunt decisiones quædam: quæ profectò non alibi lumen reddunt, q̄ ę regione vnde lumen effluxerat, neq; lumen secant, neq; cōminuunt. Atqui si sol ipse virtus quædam sola foret à corpore segregata, lumenq; effunderet, neq; hinc vel alicunde prorsus exordiretur, neq; tu vnde mittatur significares, sed esset omnino lumen vbiq; vnum idemq; existens, neq; exordiens, neq; habens alicunde principiū.

MARSILIVS

C *Anima cum sit prior omni re corporea, meritò à nulla dependet: nullo igitur loco indiget, nulli est addicta, ad omnē igitur locum indifferenter & æquè se habet: ideo & ubiq; cōmuniter est & nusquā nisi anima quædā per propriū affectū quandoq; ad aliqd propriū sese applicet. Cap. VIII.*

ITem cum sit indiuidua, ubicunq; est existit tota. Quicquid igitur illam suscipit, accipiens non diuisam suscipit quodammodo totā, quamuis non cunctis eius uiribus penitus perfruatur. Anima mū dificut in corporibus ipsa non fit corpus, uel passio, uel forma propria corporis, ita non fit multiplex, nec diuiditur, neque patitur. & quoniam mancipatur nulli, expedita cunctis adest.

PLOTINVS.

PRofectò quoniam lumen est corporis aliquid, vnde venerit facilè potes dicere: quippe cū vbi sit corpus illud valeas indicare: si quid autē expers materiæ sit, neq; indigeat corpore, quippe cū naturaliter prius sit omni corpore fundatum in seipso, imò verò tali quodam fundamento non indigens: hoc inquam natura eiusmodi prēditū non habens principiū vnde exordiatur, nec intra locū aliquē habitans, nec corporis alicuius existens, quonam pacto dicere poteris aliquid eius esse hîc, & illic eius aliquid esse? Sic enim & vnde exordiret haberet,

D & alieni iuris exísteret. Reliquũ igitur eſt aſſerere, ſiquid accipit illud ipſa totius potentia totum illud accipere: nec illud propterea vel aliud quiddã vel partibi le fieri. Ei nanq; quod habet corpus q̃uis ſæpe per accidens, ritè tamen pati cõuenit. Et hac ipſa ratione paſsiuũ & diuiſibile iudicari poteſt: quandoquidẽ corporis aliquid eſt, vel tanq̃ paſsio, vel tanq̃ ſpecies. Quod autẽ nullius corporis eſt, ſed tale, prſus exiſtit vt corpus eſſe illius affectet, neceſſariũ eſt tũ ceteras corporis paſsiones in ſe nullas admittere, tũ vel maximè diuidi nullo modo poſſe. Diuiſio enim corporis paſsio eſt atq; primò, & qua eſt corpus. Si igitur qua eſt corpus diuiſibile eſt, nimirũ qua nõ corpus eſt, indiuiſibile prorſus exiſtit. Qua enim conditione diuides quod magnitudinem nullã habet? Si igitur quod magnitudinẽ habet eius quoquo modo ſit particeps, quod magnitudinem habet nullam, illud percipit non diuiſum: alioquin magnitudinẽ illud rurſus haberet. Quando igitur vnũ eſſe dicis in multis, non ipſum multa factum dicis, ſed multorũ potius paſsionem circum illi vni ſubnectis in multis ipſum ſimul inſpiciẽs. Vnum verò illud in ipſis ſic accipiendũ eſt, vt neq; vniuſcuiuſque illorum, neq; cunctorum ſimul iam ſit effectum: ſed illud quidẽ ſui iuris ſit, ipſumq; met exiſtat. Cumq; ipſummet exiſtat ſibi nuſq̃ deeſſe, defectúmue nullum admittere.

E Neq; rurſus putandum eſt ipſum eſſe propriè tantũ quantũ eſt ſenſibile vniuerſum, ne dum tantum ſit duntaxat, quanta pars aliqua vniuerſi; omnino enim neque eſt vllo modo quantum. Quo igitur modo tantũ propriè erit aut tantum: tanta nanq; menſura corpori conuenit: ei verò quod non eſt corpus, ſed natura alia prædituм, nullo modo menſura tanta eſt adhibenda: cum neq; etiã tale aliquid ſit. Neque igitur alicubi eſt ponendum: neque ita hîc & ibi, alioquin ſæpe foret alicubi. Si igitur diuiſio ſecundum loca conuenit, quãdo aliquid rei ipſius hîc eſt, & aliquid ibi, ſequitur, vt cui non conuenit alicubi eſſe, nullo modo partitio congruat: quamobrẽ neceſſarium eſt, illud ſecum ipſo impartibile permanere, q̃uis multa illud affectent, ac etiã aſſequantur. Si ergo multa illud deſiderant, conſtat totum ipſum appetere: itaq; ſi aſſequi poſsint, totum ipſum pro viribus aſſequi: quamobrẽ oportet quę participant illud, ita illius participare, qua ſi non participent, quippe cũ ipſum proprium nullius euaſerit: ſic enim manet in ſeipſo totum, ſimulq; in quibus inſpicitur totum permanet & occurrit: alioquin niſi totũ ibi permanſerit, neq; ipſum quidẽ erit, neq; res ipſæ ad ipsũ quod optant participabunt, ſed aliud quiddam potius quod minimè àppetebant.

MARSILIVS.

F *Anima prima dum ſe totam multis mundi partibus exhibet, neque multiplicatur in multas animas æquè primas, hæ nanq; nihilo inter ſe differrent, neq; in partes: eſt enim indiuiſibilis: & alioquin ubi rectura molem accedit prorſus debilitata deficeret.* Cap. IX.

ACcommodat uerò uires ſuas mundi mẽbris: ſed adeo eſſentiales propriq; ſunt hæ uires, ut inſeparabiles ſint ab ea: ipſa igitur eſt ubiq; tota. Quinetiã ſi imagines duntaxat uirium ſuarũ impartit mundo, ipſa toti ſimiliter adeſt, ſuas imagines ubique rectura: denique ſicut in nobis ſic in mũdo, niſi eadem ubique uita uigeret, non eſſet tam mira partium inter ſe, & ad totum conſenſio paſsim atq; cõpaſsio. Quæ autem de anima mundi loquimur, de intellectu diuino ſimiliter dictũ intellige.

PLOTINVS

PRoinde ſi vnum illud cõmune ſic in multis diuidatur in partes, vt quælibet pars ſit velut ipſum totum: ſequitur vt multa ſint prima, & vnumquodque primum. Præterea multa hęc prima quonam diſcernentur, ne cuncta ſint ſimul vnum? Non enim per corpora ſua ſeparabuntur: nam impoſsibile eſt ea corporum ſpecies eſſe: ſiquidẽ hæc quoq; primo illo à quo manãt ſimilia ſunt: Sin aũt quæ dicuntur partes in multis cõmunis illius potentiæ ſint, primò quidẽ non eritvlterius vnumquodq; totum: deinde quonam modo proceſſerunt inde diuiſæ, illudq; relinquentes? Si enim illud deſerunt, conſtat alicubi reliquiſſe illud,

ipſa

A ipſæ interim aliò procedẽtes. Item vtrum adhuc ſint hæ in illo potẽtiæ, quæ hîc in loco ſenſibili factæ ſunt, nec ne. ſi enim ibi non ſunt, abſurdum illud cõminui infirmumq; euadere, priuatũ videlicet viribus quas prius habuerat. abſurdũ impoſsibile rurſus vires eſſe à ſuis eſſentijs ſegregatas. at ſi & in illo ſunt & alibi, aut totæ aut partes earũ hîc erunt. ſi partes nimirum quæ ibi reliqua ſunt partes erunt: ſin verò totæ, vel eædẽ quæ ſunt ibi, hîc quoq; ſunt nullo modo diuiſę: atque ita erit rurſus vbiq; idem nullo modo diuiſum: vel hæ potentię ſunt illud totum ſingulatim multa iã factum, quorũ quodlibet ſit totum, ſuntq; vires eiuſmodi inter ſe ſimiles. Atq; ita & vnà cum eſſentia qualibet vis ipſa vna ſolũ erit: ipſa videlicet eſſentiã comitans: reliquæ verò potentiæ tantũ erunt. Tametſi impoſsibile eſt, vel eſſentiam eſſe abſque potentia, vel ſine eſſentia eſſe potẽtiam. Potentia enim illic ſubſtãtia eſt & eſſentia, vel maius aliquid q̃ eſſentia. ſin autẽ aliæ quædã hîc potentiæ ſunt tanq̃ minores & exiles quę inde manant: velut, ſi lumen ex lumine, fuſcum ex claro dependeat: atque eſſentiæ quædã potentijs eiuſmodi coniunctæ ſunt, ne fortè potentia ſeorſum ab eſſentia fiat. Profectò & in eiuſmodi viribus omnino inter ſe cõformibus neceſſariũ eſt, vel eandẽ vbiq; ineſſe, vel ſi non vbiq; ſimpliciter ſaltem paſsim eandẽ totam nõ diuiſam tanq̃ in vno quodã eodemq; corpore. Si autẽ hoc, cúr non in toto inſuper vniuerſo?

B Sín autẽ contingat infinitè quamlibet diuidi, non amplius ipſa tota cõſiſtet, ſed partitione in potẽtia quædã prorſus euadet. Deinde cum alia diuerſis partibus aliaq; vis inſit, nulla ſentiendi mutua cõmunio relinquetur. Deniq; ſi quemadmodũ alterius ſimulachrũ velut & lumen debiliusab eo vnde fit ſegregatũ non eſt amplius: atq; omnino quicquid ab alio ita depẽdet, vt ſit eius imago, nequit abſq; illo conſiſtere: meritò neq; hæ vires ab illo profectæ vbi ſegregãtur ab eo eſſe poſſunt. quod ſi ita ſit, vbicunque hæ ſunt, ibidem ſimul & illud à quo gignuntur. quamobrem vbiq; ſimul iterum erit illud totum nullo modo diuiſum.

MARSILIVS.

Omnis intellectualis anima eſt expreſſa imago & uirtus quædã intellectus primi per eſſentiam immobilis quoniam ab immobili ſolùm exiſtit eſſentia. Similiter radij ſolis firmi perſeuerarent, ſi ſol ipſe permanſerit: ubiq; ſunt res & uires quædã ita dependentes penitus à mente, uel anima prima, ſicut ſpecularis imago. ubiq; igitur mens prima eſt ſimiliter & anima prima. Tum uerò hîc & ſuprà & infrà ſæpe per uerba Plotini notabis plures eſſe mentiũ animarumq; ſubſtantias ſemper inter ſe diſtinctas, quamuis inter eas unio ſit mirabilis. Cap X.

PLOTINVS

SI quis autem obijciat non eſſe neceſſariũ imaginem ab exẽplari continuè dependere reperiri enim imaginẽ abſente exemplo à quo imago extiterit: itẽ

C abſente igne calorẽ in calefacto reſtare: primò quidẽ quantum ad exẽplar & imaginem pertinet reſpondemus. Si quis imaginẽ à pictore factã induxerit, exẽplar ipſum, imaginẽ non feciſſe, ſed pictorem potius effeciſſe illã, neq; tamen ipſius imaginem: etiã ſi ſeipſum pingere quis optauerit: non enim corpus pictoris, neq; forma quã pictura illic imitatur propriè pingit: neq; pictorẽ, ſed talem quandã colorum poſitionem exiſtimare debemus talem imaginẽ facere. Sed neq; propriè hîc introducta eſt imaginis ſimilitudinisq; effectio: qualis potius eſt in aqua, ſpeculis, vmbris. Vbi profectò ſimilitudo quędã priori propriè ſubeſt, fitq; ab illo: neq; poteſt cũ inde propriè fiat ab illo ſeorſum exiſtere. Hoc aũt modo reuera debiliores quoq; vires à præſtantioribus ſuperioribusq; fieri ritè prorſus exiſtimabũt. Proinde ad illud quod de igne obijciebatur, reſpõdemus calorem non eſſe ignis imaginẽ, niſi quis fortè dixerit in calore quoq; ignẽ eſſe. Si enim id affirmauerit, ita calore ab igne non ſegregabit: iam verò etſi non ſubitò tamen paulò poſt calefactũ corpus refrigeſcit, igne illinc abeunte. Cæterũ ſi qui dixerint has quoq; vires ab intelligibili mundo huic vniuerſo infuſas extingui: primò quidẽ vnum duntaxat eſſe immortale putabunt. Animas autẽ &

D intellectum mortalia iudicabunt. Præterea quæ ex immobili fiunt eſſentia, fluere non rectè concedent: quanquam ſicubi ſol ipſe figatur, lumẽ idem eiſdem locis infundet. At ſi quis obijciat, nõ idem prorſus infundere, ex hoc ipſo ſibi perſuadere facilè poterit, corpus ſolis continuè fluere. Quòd autem quæ à mundo intelligibili fiunt morti non ſint obnoxia, animæque & intellectus omnis ſint immortales, alibi quoque eſt ex pluribus confirmatum.

M A R S I L I V S.

Anima noſtra tota totiſq; ſuis uiribus cuilibet membro adeſt, quamuis alia membra uires inde alias & magis minusue accipiant: ſimiliter ad mundi partes anima mundi atq; mens diuina ſe habet. Cap. XI.

RES corporeæ inter ſe diſtant ſæpe per exteriores terminos: res uerò incorporeæ quamuis per externos terminos inter ſe non diſtent, intimis tamen proprietatibus diſcernuntur: ſic ideæ ab ideis in mente, ſcientiæ à ſcientijs in anima intellectuali, mens ab anima, mentes à mentibus, animæ ab animis, corpus quidem corpori non facilè adeſt, facilè corpus animæ, facilius anima animæ, atque menti facillimè mentes. Facilior quidem eſt unio luminis ad lumen, quàm luminis ad diaphanum atque facilior hæc, quàm qualitatis ad qualitatem uel ad corpus: rurſusq; iſta facilior, quàm corporum inter ſe commertium.

E P L O T I N V S

CAeterùm ſi vniuerſum ipſum intelligibile eſt vbique totum, cur non & omnia intelligibile totum accipiunt? Item quomodo in ordine intelligibili hoc quidem primum eſt, iſtud verò ſecundum, & ſimiliter alia conſequenter? Sed profectò quę ad capiendum paratiora ſunt, illi præſentiora cenſentur: quin etiã iudicandũ eſt ens ipſum vbiq; per naturã entis exiſtere, nusq; ſibi ipſi deficiens: præſens autẽ illi fieri, quicquid poteſt eſſe præſens, & quatenus valet, eatenus illi præſens eſſe, non loco, ſed quemadmodũ perſpicuũ corpus lumini: nã in corpore turbido, vel opaco participationẽ fieri aliter arbitrandum. Præterea quando ibi prima, ſecunda, tertia diſponuntur nõ loci gradibus, ſed ordini, virtuti, differẽtijs gradatim accõmodandum. Nihil enim, phibet ſimul eſſe quę differunt: quẽadmodum animã, intellectum, ſcientias omnes, tũ maiores tum minores: quoniã & circa pomũ idem, oculus quidẽ colorẽ videt, olfactus aũt odoris ſentit ſuauitatẽ: ſenſusq; ſimiliter alius ibidẽ aliam qualitatẽ, vbi tamen cunctæ ſunt ſimul, neq; reipſa inuicẽ ſeiunguntur, ſed nónne igiẽ intelligibile illud variũ prorſus erit & multiplex? Profectò variũ, ita tamẽ vt ſit & ſimplex, vnũq; multa. Ratio enim eſt & vna ſimul & plurima. Tum verò omne ens eſt vnũ: nã & quòd ſit alterũ ex ſeipſo habet, ipſaq; alteritas aliquid eſt ipſius. nõ enim eſt non entis, ipſumq; ens ita conſiſtit, vt vnũ inde non ſit diſiunctũ, nẽpe vbicũq; eſt ens, ipſius quoq; vnũ ſibi adeſt: atq; vnum ens rurſus in ſeipſo conſiſtit. Fieri enim poteſt vt quod aliqua ratione diſtinguitur, ſimul tamen exiſtat & adſit: aliF ter autẽ ſenſibilia intelligibilibus præſentia ſunt, quæcunque ſunt præſentia, & quibus propinquent: aliter rurſus intelligibilia mutuò ſibi adſunt. Quoniam & aliter corpus propinquat animæ, aliter eidem animæ ſcientia hæret. Atque ſciẽtia eſt ſcientiæ præſens in eodem videlicet vtraque ſimul exiſtens. Corpus autẽ corpori præter hæc aliter appropinquat.

M A R S I L I V S.

Sicut multæ aures eandem uocẽ audiunt non diuiſam, ſed totã ubiq; ſonantem: ſic multa paſſim corpora mundi ab eadem mundi anima ſimul ubiq; tota uitam accipiunt, & multa in nobis membra uitam ſimiliter ab anima noſtra. Cap. XII.

DIcere uerò corpora mundi cum primum apta ſunt ſuſcipere uitale aliquid ex anima mundi non prohibet hæc interim habere proprias animas, quia & has accipiunt illa præparante, & animæ uicißim corpora illius uirtute uiuificant. Mundus uitæ hic nominatus ſignificat congregationem communionemq; mutuã omnium intellectuum intellectualiumq; animarum. Anima quælibet intellectualis

A tellectualis ſemper ſecundum totã ſubſtantiã eius eſt,& in mundo uitæ ſimul & in mũdo corporeo quamuis hic non cunctas ſui uires exerceat. Et quia ſemper eſt ibi, per hunc totũ excellenter exiſtit. & quoniam per eſſentiam hic extat ſimul,& ibi:ideo non hæc ad corpus,ſed corpus ad hanc uidetur accedere quadam uidelicet ad illam accommodatione & proprietate formabili.

PLOTINVS.

SAepenumero vox per aerem ſonat oratioq; voce cõprehenditur: auris aũt præſens accipit atq; ſentit,præſertim in regione tranquilla:ac ſi auris alia in alia regionis eiuſdẽ parte adhibeatur, accedet ad ipſam vox ſimiliter & oratio, imò verò auris ad ſermonem vocẽq; accedet. Oculi quoq; multi in idẽ ſpectaculũ diriguntur, vnde viſione omnes implentur: quãuis in proprio quodã ſitu ſit illud ſpectaculum collocatum. Diuerſa verò perceptio fit ibidẽ:quia hæc qui dẽ auris eſt,ille verò eſt oculus. Simili quadã ratione quicquid poteſt accipere animã accipit,& aliud rurſus atq; aliud accipit ab eodẽ. Eſt autẽ vox vbiq; per aerem vna non diuiſa,ſed vbiq; tota:quinetiam ſi aer tanq; patiens rei videndæ formam ſuſcipit,habet ſimiliter non diuiſam:vbicũnq; enim adhibeturviſus,ibi accipit formã:ſed hoc quidẽ non omnis admittit opinio. Ideo verò dictum ſit, vt confirmetur ab vno eodemq; participationem in multis expleri. At in voce manifeſtius eſt quod quærimus,videlicet in toto quodam aere,& qualibet eius
B parte ſpeciem eſſe totam. Non enim quilibet audiret idem,niſi vbiq; oratio expreſſa per vocem tota prorſus exiſteret,atq; auditus omnis totam ſimiliter haurirет. Proinde ſi tota vox per aerẽ totum non ſic extenditur, vt hæc quidẽ eius pars cum hac parte aeris copuletur,illa verò cum alia ſimul diſtribuatur, curnã minus credendũ ſit animã vnam eſſe rebus cunctis infuſam quidẽ, neq; tamen vnà cum extenſione rerũ extenſam,neq; cum rerum diuiſione diuiſam, ſed vbi cũq; adeſt,adeſſe totam,eſſeq; in qualibet vniuerſi parte in partes minimẽ diſtributam? Iam verò quando per corpora funditur,quomodocunq; ꝓpinquet,proportionalẽ quãdã habet cũ illa voce ſimilitudinẽ,quę iam eſt expreſſa per aerẽ. Dũ autẽ extat ſuper corpora ſimilitudinẽ quandam videtur habere cũ vocante quodam atq; etiam vocaturo: Tametſi inſinuata corpori, neq; ſic quidem deſinit vicem vocantis habere:qui ſanè vocans & vocẽ habet & tradit. Sed quantũ ad vocẽ pertinet non idem eſt omnino,cũ illis ad quæ declaranda nobis eſt introductũ, ſed non nihil ſimilitudinis habet: quantum verò ſpectat ad animam vtpote quod eſt naturæ diuerſæ ſic accipiendũ eſt:vt non ſit aliud quidẽ animę in corporibus,aliud verò potius in ſeipſo:ſed totum & in ſe & in multis rurſum appareat. Atqui rurſus accedit aliud interim ad animã capiendam: quod quidẽ
C ipſum quoq; accipit ex oculto,quod certè in alijs etiã exiſtebat. Nõenim ſic prę parata res eſt,vt pars animæ hîc poſita ad hoc accederet:ſed hoc ipſum quod accedere dicitur,erat in vniuerſo,videlicet in ſeipſo,atq; in ſeipſo exiſtit:cuius huc deſcendere videatur. Quo enim modo ueniret? Si igitur nõ acceſsit, apparuit aũt nũc anima præſens,neq; ita præſens vt participaturũ aliquid expectaret: cõſtat nimirũ animã in ſe exiſtentẽ,corpori quoq; adeſſe:ſi autẽ in ſe exiſtens,huic eſt præſens,meritò hoc acceſsit ad ipſam: quod ſi ita ſit, ſequitur vt hoc cũ eſſet extra illud quod ſic exiſtit, ad id ipſum quod ita exiſtit acceſſerit, in ipſo vitæ mundo receptum:ipſe autem vitæ mundus in ſeipſo conſiſtit,atq; ſic vniuerſus in ſemetipſo, vt non ſit in molem ſuam aliquam diſtributus. Neque enim illic eſt moles. Iam verò & quod illuc ſe contulit,non in molẽ ſe aliquam cõtulit:Particeps igitur ipſius euaſit,non partis quidem alicuius,ſed totius. Et ſi quid aliud ad mundum aſcendat eiuſmodi,particeps ſimiliter totius euadet. Quamobrem ſi dicatur ille in his eſſe ſimiliter totus in quolibet vniuerſo conſiſtit, idem igitur vnusq; numero vbique non diuiſus,ſed omnino totus eſt præſens,

MARSILIVS.

Quod in mundo corporeo eſt extenſio quantitatis, id in mundo uitæ eſt poteſtatis exceſſus. Et quando ille dicitur eſſe hîc & ibi, nullam ibi localem conditionem ſuſpicari debemus: ſed quicquid ubi unque eſt, totum illum mox inuenire præſentem. Nam per intiuiduum illum uigorem quaſi glutinum omnia per ſe diſperſa perpetuò connectuntur: neque uigor eiuſmodi cunctis imperitans eſt paruum quiddam, uel quaſi punctum. Non enim poßideret ubique totum.

Cap. XIII.

PLOTINVS

VNde nam igitur extenſio prouenit, quæ per totum cælum & animaliâ fit? Sed profectò vitæ mundus ille non eſt extenſus. Senſus enim quo freti, quæ hîc dicũtur, minimè credimus, dicit nobis hîc eſſe & ibi. Ratio verò dictat hoc ipſum quod dicitur hîc & ibi, non ſignificare naturam illam eſſe hîc ibíque extenſam: ſed quicquid extenſum eſt, ſublime illud participare, cùm tamen ipſum in ſe nullam diſtantiam patiatur. Si quid igitur participat aliquid, cõſtat nõ participare ſeipſum: alioquin non particeps quidem foret, ſed illud ipſum exiſteret. Oportet ergo corpus quod alicuius ſit particeps, non corporis effici particeps. habet enim iam naturam corpoream. Corpus itaque non corpus participabit: neque magnitudo igitur magnitudinem. iam enim habet. Necꝙ verò ſiquid prius etiam magnum adiunctionem accipiat magnitudinis, participabit propterea magnitudinem: non enim bicubitum fit tricubitum, ſed ſubiectum potius aliam poſsidens quantitatem, deinde ſuſcipit aliam: alioquin ſic duo quidem ipſa tria erunt. Si igitur quod diſperſum extenſumꝙ eſt in quantitatis molem aliud quiddam genus, vel omnino aliud participat, oportet illud cuius euadit particeps, neque diſperſum eſſe, neque extenſum, neque omnino quantum aliquid eſſe: quamobrem quod vbique totum ipſum adeſſe debet indiuiſum oportet adeſſe, neque ſic quidem impartibile velut paruũ. Sic enim nihilominus erit & diuiſibile: neque congruet vniuerſo: neque cum propinqua moles augetur idem ſe prorſus inſinuabit: neque ſic etiam quaſi punctum. Non enim punctum vnum eſt ipſa moles, ſed infinita in ea ſunt puncta. Quapropter & hoc infinita erit puncta ſi quid habeat puncti naturam, neque continuum erit. Itaque neque ſic quidem congruet vniuerſo. Si igitur vniuerſa moles ipſum habeat, totum prorſus per omnes ſui partes habebit.

E

MARSILIVS.

Præter unam primamꝙ; mundi animam oportet eſſe proprias animas & præſtantiores, atque deteriores non externis quibuſdam localibusꝙ; terminis, ſed intimis proprietatibus inter ſe diſtinctas. Cap. XIIII.

F HAs uerò quaſi collegas unà cum mente regnante duce mundi anima conſpirantes appellamus uitæ mundum. Sunt autem magis inuicem unitæ deſuper, ubi per intellectualem proprietatẽ intelligibili mundo, ideſt menti diuinæ, uelut centro cunctæ prorſus incumbunt. Magis uerò diſiũctæ inuicem demceps euadunt, ubi proprietatem rationalem magis explicant: atque mox per uegetalẽ iam regnantem, ad generandum animal ſe deflectunt. Ex mundo uitæ qui totus unà cum omnibus ſuis animis ſemper eſt ubique, alia corpora, alias atque aliter uitas animasꝙ; ſuſcipiunt: quemadmodum & ab anima mundi quotidie uaria corpora, & à qualibet anima propria ſimiliter differentia membra, uires, actionesꝙ; alias aliterꝙ; percipiunt.

PLOTINVS.

VErùm ſi eadem vbicꝙ; viget anima, quonam modo propria vniuſcuiuſque anima eſt? Et quomodo hęc quidem bona eſt, illa verò mala? Forſan verò & vnicuicꝙ; ſufficit, & animas omnes habet, & intellectus omnes. Eſt enim ibi vnũ ac etiã infinitum, & omnia ſimul, habetꝙ; unũquodque diſcretum: ac rurſus nõ diſcretum ſeorſum, alioquin quomodo ineſſet & infinitum? Aut ita licet dicere, naturã illam omnia ſimul habere omnem vitam, omnẽ animã, mentẽ ſimiliter

A liter omnem: vnumquodque verò ipſorũ nullis terminis inter ſe diſiungi: atq; iccirco rurſus vnum exiſtere. Oportuit nanque ſupernum illud non vnã duntaxat habere vitã, ſed infinitã, ruiſuſq; vnã: atq; vnam ipſam ita vnam, quoniam ſi mul omnes: ſimul inq; non congeſtas in vnum, ſed incipiẽtes ab vno, atq; ibi vn de inceperant permanentes. imò verò nec inceperunt, ſed ſemper ita ſe habuerut. Nihil enim quod fiat eſt ibi, neq; quicq; ergo diuiſum: ſed diuidi videtur ex eo duntaxat quod accipitur: quod autem illic exiſtit id ipſum eſt, quod ex antiquo prorſuſq; ab initio. Quod verò ſit propinquat, contiguumq́ue videtur euadere, & inde protinus dependere. Nos autẽ quid? Quínam ipſi ſumus? Nũquid illud? An ꝓpinquans illi potius factũq́ue in tempore? Sed profectò antequam hæc generatio fieret, eramus illic homines alij exiſtentes, & alij quidam, & animæ puræ & intellectus vniuerſæ connexus eſſentiæ: exiſtẽtes nimirum intelligibilis mundi partes non ſegregatæ, neque diſiunctæ, ſed totius tunc exiſtẽtes. Nam neq; nunc etiam ſeiuncti ſumus: ſed nunc ad illũ hominẽ acceſsit homo aalius eſſe volens, nosq́ue inueniens (nõ enim extra vniuerſum eramus) circunfundit ſeipſum nobis, illíque ſe adhibuit homini qui tũc erat vnuſquiſq; noſtrũ perinde ac ſi vna quadã voce orationeq́ue exiſtente alius aliunde accõmodans aures audiat & accipiat, fiatq; ſecundũ actum auditus quidam, habens videlicet
B præſens ſibi illud quod agit in ipsũ: Factíq; ſumus ſimul ambo, neq; alterũ dũtaxat illud extitimus quod prius eramus: imò & alterum aliquando, quod deinde ſubiunximus, torpente videlicet illo priore, & alio quodã pacto non præſente.

MARSILIVS.

Si uniuerſus ille uitæ mundus, ideſt animarum intellectualium cœtus unà cum prima mẽte & anima prima conſpirãs ſemper totus & indiuiduus eſt ubiq;, ſequitur ut nec ille uſquam locali motu accedat ad corpora, ſed effectu quodam, nec corpora ad illum, niſi quadam præparatione formabili. Fermè ſicut ignis ad proximum ſulphur, uel lumen ad contiguum diaphanum, atque uiciſſim. Cap. XV.

Corpora certis quibuſdam modis affecta ſuſcipiunt uitales ab anima mundi uires. Noſtrum igitur ſic prius affectum, & eiuſmdi uires illinc nactum ulterius expoſitum eſt mundo uitæ. Vt inde rationalis anima magis q; propria huic uitam quoque propriam iam inſpiret, in qua perturbationes exoriuntur, quæ nec prius erant in anima rationali, nec ad eam præcipuè pertinent.

PLOTINVS.

SEd quonam modo acceſsit quod dicitur acceſsiſſe? Nempe quum aptitudo
C eſſet in eo, meritò illud accepit ad quod erat expoſitum. Erat autem ſic affectum, vt acciperet animam. Id verò fit ita, vt non ſuſcipiat omnem: quamuis enim omnis ſit præſens, non tamen ipſi propriè omnis: quemadmodum & animalia cætera & plantæ tantùm habent, quantum accipere poſſunt. Sicut præſente voce orationem ſignificante, alia quidem præter votis ſonum orationem quoque percipiunt, alia verò vocem pulſationémque duntaxat. Interea efficitur animal: quod quidem animam habet ab ipſo ente ſibi præſentem, per quam ſanè ad ens totum redigitur: dum adeſt & corpus neque vacuum quidem, neque expers animæ: quod certè & prius in loco iacebat anima non carente: magisq́ue præterea velut prope factum eſt præparatione quadam. Cùm verò factum ſit corpus iam non ſolum, ſed animatum corpus, & quadam quaſi vicinitate veſtigio quodam animæ fretum: vbi profectò non accipit animæ partem, ſed ab anima vis aliqua prouenit, quaſi calefactio quædam vel illuſtratio in ipſo iam ſuboritur, cupiditatum & voluptatum dolorumq́ue genitura. Erat autem corpus animalis iam facti, non alienum. Anima enim ex ipſo diuino quieta erat, naturæ ſuæ more, proq́; habitu proprio in ſeipſa conſiſtens.

D Corpus autem ob debilitatem propriam perturbatum tum ſponte fluitans, tum ictibus pulſatum externis, primùm in ipſum animalis cõmnue perſtrepuit, perturbationemq; ſuã traduxit in totum: velut quando ſenatu quodã quieta ſentẽtia conſultante atq; ſedente vulgus incertum tum fame concitũ, tum alijs querelis impulſum, concionem totã protinus interturbat. Quotiẽs enim dum tales quietẽ agunt, ad illos ratio peruenit à prudente, populus ordine certo diſponitur, & quod deterius eſt in vrbe non ſuperat, alioquin quod deterius eſt peruincit, tunc eo quòd melius eſt vacante: quippe cùm populus perturbatus rationẽ non potuerit à ſuperiore ſuſcipere. Atque hæc eſt ciuitatis & concionis improbitas: hæc iterum & prauitas hominis videlicet in ſe habentis populũ voluptatum, & libidinum timorumq; ſuperantiũ. Quando ſcilicet tali cuidã populo hominis ſic affecti concedit: alius verò in ſeruitutem redigit eiuſmodi turbam refugitq; ad illum, qui fuerat olim, viuitque ſecundum illum, atque ille ipſe eſt, cõcedens interea corpori quæcunque indulget tanquam alieno cuidam atque diuerſo. Neque deeſt & qui tum ſic quidem, tum aliter vitam agat ex bono quodam ſui ipſius prauóque commiſtus.

MARSILIVS

E *Quando audimus animam noſtram deſcendere, uel aſcendere, non debemus intelligere propriè locæ mutare, ſed deſcendere quidem, ideſt, afflare uitam corpori, eiq; affici: aſcendere uerò contrà ſcilicet, nec afflare nec affici.* Cap. XVI

ANima noſtra per potentiam intellectualem ſemper eſt uniuerſum, per rationalem uerò & imaginalem atq; uegetalem aliquando eſt uniuerſum, aliquãdo pars uniuerſi, quemadmodum luna uel plena uel ſemiplena uiciſsim. Quando enim nondum ad particulare hoc corpus afficitur, circa uniuerſum mundi formã inſtar animę mundi ratione imaginationeq;, & utcunq; poteſt, ſeminaliũ uiriũ amplificatione ſe uerſat, ubi anima noſtra actu quidem uniuerſalis eſt, potentia uerò particularis. Euadit autem pars uniuerſi, quando ad corpus hoc uniuerſi partem affectu proprio ſe deflectit: quo quidem in habitu particularis quidem eſt actu, uniuerſalis uerò potentia. Proinde quando anima uniuerſalis euadit, non deſinit eſſe particularis: nam & proprietas hæc in ipſa habitus uniuerſitate deprehenditur. Idolum animæ iutellige uitale ſpiraculum animæ circa corpus: quod in nobis eſt geminum: alterum quidem ab anima noſtra, alterum ab anima mũdi. Noſtrum quidem ab anima noſtra ſeparari non poteſt, ſed ab affectu uacare: mundanum uerò ab anima noſtra ſegregari poteſt.

PLOTINVS.

VErùm ſi illa natura fieri mala non poteſt, atque hic eſt modus quo anima venit in corpus & adeſt: quæritur deinceps quis nam deſcenſus ſit, rurſúsque aſcenſus certis temporum curriculis reſtitutus: Quæ nam ſint iudicia iuſtáque ſupplicia animarum: Quæ denique infuſiones in corpora animalium reliquorum. Hæc enim ab antiquis optimè de anima philoſophatis accepimus. Et profecto conandum eſt præſentem ſermonem aut illis conſonum demonſtra-

F re, aut certè non diſſonum. Quoniam igitur iam conſtitit hoc ipſum quod dicit naturæ illius participare, nõ eſſe quidẽ ad hæc illã deſcẽdere à ſe diſcedentẽ: ſed potius naturã hanc in illa fieri, participẽq; illius euadere. quod videlicet illi veni re animã nuncupant. Idq́ue ſanè aſſeuerandũ eſt eſſe naturam corporis ibi fieri, participemq; vitæ animæq; euadere: atq; omnino hoc ipſum venire nõ eſt ſecũ dũ locum accipiendũ, ſed aliter, quęcunq; communionis eiuſmodi conditio ſit. Quamobrẽ deſcendere quidẽ dicendũ eſt animã inſinuari corpori, quẽadmodũ infundi illã corpori diximus. id aũt eſt huic ex ſe aliquid tradere: ita tamen vt anima corporis nõ euadat. Abire aũt à corpore, id eſſe videlicet corpus illius nihil participare. Exiſtimandũ eſt præterea ordinẽ cõmunionis eiuſmodi partib. vniuerſi huius exiſtere: ipſam verò animam velut in extremo intelligibilis loci gradu poſitam frequẽter ex ſe aliquid elargiri: vtpote quæ per potẽtiam eſt propinqua in breuioribus interuallis, ideóque naturæ eiuſmodi lege tribuere.

Eiuſ-

A Eiuſmodi verò coniugium eſſe malũ, diuortium verò bonum. Sed cur nã? Quia & ſi anima non erat propriè huius, attamen quando huius fieri quomodocunq; dicitur ex vniuerſo quodãmodo particularis euadit. Actus enim eius non amplius eſt ad totũ, cuius ſit ipſa totius: quẽadmodum in illo accidit, qui cũ ſcientiã habeat totam, ſecundum quandã notionem eius ſolùm agit. Bonum verò ſcientis ipſius erat, non per aliquẽ eius ſcientiæ partẽ, ſed per totã quã poſsidet agere Iam verò anima ipſa cũ mundi intelligibilis totius exiſteret, atq; in toto partem abſconderet, quandoq; ex vniuerſo ꝓrupit in partẽ: quippe cũ illud in quod ſeipſam egit, pars exiſteret: quẽadmodum ſi ignis potens cõburere totum, paruũ quiddã adurere cõpellatur, cuius vim poſsideat omnẽ. Vnaquæq; enim anima quando hinc eſt penitus ſegregata, non propriè duntaxat eſt vnaquęq;, ſed quãdo ſecernitur non loco, ſed actu, ſitq; aliquid ſingulare, ipſa tunc portio quædã eſt non amplius vniuerſa, quanq; & alio quodã pacto uelut vniuerſa conſiſtit. Quando verò nulli propriè præſidet, ꝓrſus eſt vniuerſa: quippe quæ tunc potẽtia quadã pars eſſe ſit iudicanda. Proinde quòd tradunt animã ad inferos ꝓficiſci, ſi inferorũ nomen velint occultũ quiddam ſignificare, apud inferos proficiſci, nihil aliud eſt quã eſſe ſeorſum. Sin aũt hoc nomine locum quendã deſignẽt
B deteriorẽ, quid mirũ? quandoquidẽ & nunc vbi corpus noſtrũ eſt, & quo in loco ibidem eſſe anima fertur. Verùm quando iã non extat corpus, quid nam eſt eſſe animã apud inferos? Forſan verò ſi animæ ſimulachrũ non prorſus euellat, cur non ibi eſſe animã cogitemus, vbi eſt animæ ſimulachrũ? Sin autem philoſophia ſoluat omnino, ſimulachrũ in locum deteriorẽ abit ſolũ: ipſa verò anima purè admodum in mundo intelligibili viuit, nihilo tunc ex ipſa excepto, ſiue foras educto. Atque ita quidem ſe habeat quod ex tali quodã efficitur ſimulachrũ Sed cũ ipſa velut in ſe refulget, nutu quodã ad illa quæ hinc ſunt aliena, tunc ad totum iã contrahitur, neq; exiſtit actu, neq; etiam interit. Sed de his quidẽ hæc dicta ſufficiãt: propoſitam verò ab initio diſputationem iterum reſummamus.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER QVINTVS, QVOD ENS VNVM IDEMQVE EXISTENS SIMVL SIT VBIQVE TOTVM

MARSILIVS

C *Naturale iudicium quod falli non poteſt, declarat unum* Deum *eſſe ubique totum. Item naturalis omniũ appetitus ad unum bonum reuocans omnia teſtatur uniuerſam entium naturam pendere ex uno ſimpliciter bono, atque per ipſum unionem mutuam poſsidere. Primum uerò ſuſceptaculum ipſius unius boni eſt ipſum ens primum: quod equidem unà cum ipſo unum ſimul totum eſt ubique.* Cap. Primum.

PLOTINVS.

NVM Quiddam idemq; numero eſſe ſimul vbiq; totum, communis indicat mentis humanæ cõceptio: quando omnes naturali quodã inſtinctu clamãt in vno quoq; noſtrũ eſſe deũ, adeo vt vnus in omnibus idemq; ſit Deus. Ac ſi quis huius pręſentię modũ ab eis minimè ſciſcitetur, neq; cõtendat opinionẽ illã ratione diſcutere, ita ꝓculdubio cõfirmabunt, idq; excogitatione ꝓpria machinati penitus conquieſcẽt. Qua quidẽ in re vnũ idẽq; pari ſtudio annituntur, neq; vllo pacto vellent ab hac vnione diuelli. Iam verò principium eiuſmodi omnium eſt firmiſsimum: quod animę noſtræ naturali ſpiritu ſonant:

D quod inq̃ nõ ex ſingnlis eſt concluſum,ſed ante omnia diſpoſita ſingulatim nobis venit in mentẽ,atq; ante principium illud quo traditur,omnia bonum appetere:Sic enim principium hoc verum eſt,ſi omnia ad vnum naturaliter ꝓperẽt, vnumq; quodãmodo ſint, atq; vnum ipſum extet,ad ipſumq; appetitio dirigat̃ ſiquidem vnum hoc procedens in partẽ alteram quatenus poſsibile eſt ꝓcedere,nimirum multa & apparere poteſt,& quodãmodo vnum eſſe. Antiqua verò principaliſq; natura & appetitio boni, quod quidẽ exiſtit ſui, in vnum reuera perducit:atq; in hoc ad ſeipſam ſtudet vniuerſa natura. Hoc enim huic vni naturæ bonum eſt,videlicet ſuipſius exiſtere ipsãq; eſſe,hoc autẽ eſt eſſe vnã. Sic verò & bonum rectè admodũ dicitur proprium atq; domeſticũ: quamobrẽ nõ extra quęrendũ eſt. Sanè vbi nam eſſet qui extra ens hinc vel illinc exciderit? Aut quonam modo in non ente reperiat ipſum? Sed certè in ipſo ente quærendum eſt, neque ita vt ſit ipſum non ens. Si autem ens illud eſt atque in ente, certè in ſeipſo eſt in quolibet. Non igitur ab ente diſtamus, ſed ſumus in ipſo: neque rurſus diſtat illud à nobis. Vnum ergo ſunt entia omnia.

MARSILIVS

E *Mundus ſenſibilis tribus præcipuè modis eſt diſperſus,extẽſione diuiſioneq; locali:item ſucceſſione temporali:rurſus mutua qualitatũ contrarietate. Mundus uerò intelligibilis,ideſt prima idearũ plenitudo, nullã admittit eiuſmodi diuiſionem. Similiter neque mundus uitæ ideſt,animarũ intellectualiũ cœtus cum prima mente eiuſq; ideis mirabiliter copulatus.* Cap. II.

VErùm ne propter unionem hic & ſuprà & infrà à Plotino frequentius celebratã ſuſpiceris,nec mẽtes, nec animas eſſe numero plures,attende quod dicam. Hic enim dicit unum eſſe entia omnia,quæ conſtat non eſſe unũ individuali eſſentiæ unitate:ſed ex eo dicit in unũ eſſe,quia ſunt ab uno & ad unũ unitate quadam naturalis deſiderij confluunt:item quia omnia ſeparata quæ appellat entia,ſunt in ſe inuicẽ nullis locorum terminis prohibentibus. Item quia inferiora inter gradus entiũ præcipuã actionem ſuã peragunt ſub formã & actu ſuperiorum. Similiter intelligit de unione animarũ rationalium cum anima uniuerſa. Item in libro de Numeris dicit,entia omnia unũ eſſe,non unũ ut unitas numeralis,ſed ut numerus unus,ideſt millenarius:ſic ergo ſignificat, quando dicit omnes ànimas unum. Denicq; de mundo uitæ mirabiliter unito cogitandum eſt,non per rationem ex mundo corporeo argumentantem,ſed per intellectum maximè in nobis unitũ exordientem ab ipſa rei ſubſtantia. Quicquid enim in illo mundo eſt,ſubſtantiale eſt iudicandum.

PLOTINVS.

CVm verò rationis diſputationisq; humanæ conditio,quę quod hîc propoſitum eſt diſcutiendũ aggreditur,non vnũ aliquid propriè ſit, ſed diuiſum quiddam,atque ad ipſam inquiſitionem corporum naturam accipiat, vnde & principia ſumit,nimirum rẽ ipſam diuidit,eſſentiam eiuſmodi eſſe iudicans, ac
F de ipſius vnitate diffidit:quippe cũ non ex proprijs principijs eius inueſtigationẽ exordiatur. Nobis aũt ad ipſam de vno omninóq; ente diſputationẽ propria ad fidem comparandam aſſumenda principia ſunt: hoc autem eſt intelligibiliũ intelligibilia quoque principia, veræq́ue eſſentiæ prorſus annexa. Hoc igitur vniuerſum quale ſit in primis conſiderandum. Eſt profectò in translatione perpetua poſitum,modisq́ue omnibus permutatur,pérque omne locis ſpatium diſtribuitur. Ideóque non eſſentia quidem, ſed generatio potius appellandum: ipſum verò ens ſemper eſt diuiſum, eodẽ modo & ſecundũ eadem ſe penitus habens, neque oriens neque occidens, nullum ſuſceptaculum,nullum locum, nullam ſedẽ habens:non egrediens alícunde,nõ ingrediens rurſus in aliud, ſed permanens in ſeipſo. Quamobrẽ quando de natura corporea diſputat aliquis, meritò ex hac ipſa natura & ex illis quæ huic propriè tribuuntur argumentabit̃ per conueniẽtia valdè conuenienter argumẽtationes contexens conueniẽtes.

Viciſsim

A Vicissim verò quando aliquis de re intelligibili disputat, si essentiæ qua de agit naturam acceperit, principia disputationis inde ritè admodũ fabricauit: non præuaricans quidẽ clam in naturã alterã, quasi institituti ipsius oblitus, sed ex ipsa potius de ipsa prorsus excogitãs: vbiq; profectò hoc ipsum quod dicitur quod quid est, præcipuum iudicatur intelligendi & disputandi principiũ. Hinc igitur dici solet, eis qui rectè aliquid definierint, multa iã accidentium esse perspecta: in his itaq; rebus, quarum totum vbiq; in eo ipso quod quid est consistit, multò magis huic est innitendum, ad hoc spectandum, ad hoc omnia referenda.

MARSILIVS

Mundus intelligibilis ac etiam mundus uitæ si nullam in se diuisionẽ admittit pertinentẽ ad locũ, tẽpus, contrarietatẽ: nec ab ullo subiecto locoq; depẽdet, meritò totus semper est ubiq; Cap. III.

TOtus corporeus mundus mũdo uitæ ubiq; necessario indiget, ubiq; igitur illo potitur: sed ut ille huic ubiq; adsit non cogitur rarefieri aut diuidi, quæ corporis passiones sunt. Adest ergo unicuiq; totus fermè sicut uita uel lumen: neque cogitandus est à re ulla quasi localiter segregatus. Iam enim in locum angustum redigeretur.

PLOTINVS.

SI igitur hoc ipsum intelligibile verè ens existit, eodẽ modo se semper habet, nunq; à seipso discedit, nulla circa ipsum generatio cadit, nullo claudítur loco, necessariũ est ipsum ita se habens semper habitare secũ, nusq; à seipso distare, non aliud ipsius quidẽ hic esse, aliud autem ibi: non aliquid sui ex ipso ꝓfluere: alioquin in alio iã & alio foret, ac ꝓrsus in aliquo, nec amplius in seipso, nec
B à passione securum. Pateretur enim si iaceret in alio: sin autẽ in non patiente natura consistit, non quiescit in alio: si ergo à seipso non distans, non diuisum non modo aliquo permutatũ, sit simul in multis, ꝓfectò vnũ totũ simul ipsũmet existẽs, atq; idẽ sibimet vbiq; admittet hoc ipsũ, quod in multis existere dicit. Hoc autẽ perinde est, ac si dicatur in seipso existens, rursus in seipso non esse. Reliquũ est igitur ut dicamus esse quidẽ illud in nullo, sed alia illius participia fore quæcunq; illi valeant ꝓpinquare, & quatenus idẽ valeant. Necessariũ est igitur aut suppositiones illas eaq; principia tollere, nullãq; talem naturã prorsus admittere, aut certè si hoc est impossibile extatq; necessario natura talis atq; essentia omnino concedere quod nobis est à principio positũ, vnũ scilicet idẽq; numero non diuisum, sed totum prorsus existens à nullo reliquorũ quæ sunt præter ipsum, esse remotũ: neq; tamẽ ad hoc vt omnibus adsit diffundi passim vllo modo cogi: neq; rursus ita duntaxat adesse, vt portiones ab eo aliquæ ꝓfluant: neq; iterũ ex eo q ipsum quidẽ in se maneat totum, aliud verò quippiã ab eo factũ, deserat ipsum, atq; ita passim progrediatur in alia: alioquin ita certè ipsum quidẽ foret alibi quod itẽ fit ab eo, alibi quoq; foret. Atq; ipsum cum iã à suis effectiC bus sit discretum, locum iã propriũ possidebit. Licet rursus circa illa quæ ab eo manant hunc in modũ arguuẽtari: aut quodlibet eorũ totum ipsum existit, aut pars quædã solùm: at si pars non seruabit totius naturã, quod est vtiq; dictum: sin aũt est vnumquodq; totũ, aut quodlibet in partes totidẽ partiemur, in quot & illud in quo manet, atq; ita iã est diuisum: aut certè idem vbiq; totum esse iam posse fatebimur. Hæc itaque ratio ex ipsa re ipsàque essentia deducta est, nec alieni quicquam admittit, nec ex diuersa natura aliquid accipit.

MARSILIVS.

Cũmunis omnium sententia, atq; ipsa ratio dictat unumquenq; Deorum ubique simul existere: sed ut Deus uniuersum simul obsideat locum, non cogitur rarefieri, aut diuidi, alioquin corporeus foret, & debilitaretur, & interiret. Est igitur idem ubiq; totus: nullius Dei uirtus defectum patitur: nusquã ergo deficit. igitur est ubiq; Deus. Naturalis uirtus quo excellentior est, eo prouinciam obsidet ampliorem. Vniuscuiusq; Dei uirtus eminentior est, quàm excellentissima naturæ uirtus. Primi Dei uirtus est immensa. Denique quicquid post Deum sequitur, absque Dei præsentia moueri & conseruari non potest. Cap. IIII.

PLOTINVS.

D COntemplare, ſi placet, & hunc Deum, quem nos non hîc quidem eſſe, ibi verò non eſſe dicimus, ſed pariter vbique fatemur. Conſtat ſanè apud omnes de diis aliquid cogitantes, nõ hunc tantùm Deum, verùm etiã deos omnes vbique eſſe præſentes, ipſaq; ratio ita eſſe concludit. Si igitur eſt vbique Deus, fieri nequit, vt ſit vbique diuiſus: alioquin ipſe foret vbique, ſed vnaquæq; pars eius ita diſponeretur, vt hæc quidem hoc in loco, illa verò eſſet in illo. Atqui & ipſe non amplius eſſet vnus, quemadmodum ſi magnitudo quædam diuideretur in multa: ſic enim diſſiparetur, neque partes omnes alterius totum illud exiſterent. Accedit ad hæc, quòd Deus ita ſe habens foret & corpus: at ſi hæc fieri nequeunt, rurſus quod incredibile videbatur compertum habemus, in vniuerſa videlicet humana natura exiſtimante ſcilicet Deum eſſe ſimul vbique: vnde conſtat vnum aliquid indiuiſum vbique ſimul eſſe totum. Rurſus ſi naturam illam infinitam eſſe dicimus, neque enim definitam eſſe cõcederemus, cùm potiſsimum infinitam, niſi quia nuſquam deficit? Quòd ſi deficit, nuſquam nimirum vnicuique conſtat adeſſe. Si enim adeſſe non poſſet, deficeret vtique, ſorétque aliquid vbi ipſa non eſſet. Iam verò & ſi dicamus aliud quiddam extare
E poſt vnum, rurſus oportet ſimul eſſe cum ipſo: & quod eſt poſt ipſum circa illud verſari, & in illud anniti, eſſeq; illius progeniem illi cõnexã, adeo vt quod participat eius quod eſt poſt ipſum, illius quoque ſit particeps. Proinde cũ in mundo intelligibili multa ſint, graduq; illic prima, & ſecunda, & tertia, omniaq; ſequentia velut ad vnius ſphæræ centrum ſint ſimul affixa, neq; interuallis vllis inter ſe ſeparentur, ſed ibi cuncta ſint ſimul meritò vbicunque tertia ſunt, ibidem & ſecunda & prima pariter adſunt, ſed rem hanc deinceps planius explicemus.

MARSILIVS. Cap. V

SAepe accipit pro mundo intelligibili primum ens & intellectum, cui uelut communi centro inſunt ideæ rerum, uelut propria quædam centra. Sæpe etiam illum accipit pro eo quod dixi, ſed adiungendo illis ideis ut centris formas immateriales inde pendentes ut lineas, quæ ut annectuntur ibi ſunt unũ, ut producuntur inde, ſunt multa. Et totus hic cumulus eſt mundus intelligibilis magis unum, quàm cumulus formarum materialium materiæ uni annexarum, qui dicitur mundus ſenſibilis: ſed intelligibilis ille magis eſt unũ, quia immateriales formę propius & firmius affiguntur idæis ſuis, & per ideas intellectui, quàm formæ materiales inchoationibus ſuis, & per eas materiæ. Item quia ille mundus eſt unum unitatis ſummæ formæ, hic uerò eſt unum unitate materiæ infimæ: item quia hic unionem impedit localis diſtantia partium repugnantia qualitatum, tota tranſmutatio temporalis: ibi uerò hæc impedimenta non ſunt. Item mundus intelligibilis comparatur ſphæræ
F ampliſsimę, ſub cuius ambitu continentur ambitus, & ad cuius centrum rediguntur centra formarũ immaterialium, quaſi ſphærarum ſic contentarũ in prima forma, ſicut ſphæræ minores in ampliori ſphæra eiuſmodi unio non prohibet eſſentiarum diſtinctiones, ſicut nec unio formarũ in materia, nec annexio linearum centris & centro, nec collectio ſphærarum in ſphæra.

PLOTINVS

QVod dici ſæpe numero ſolet, ſicut lineæ multæ ex vno quodã centro eõnexæ procedunt, ſimiliter intelligibilia ex vno fonte procedere, intelligentiam progenitæ illic multitudinis cõmodè ſtudet afferre. Operæpretiũ verò eſt hoc ipſum ſeruantes in primis, omnia videlicet quæ illic multa gigni dicũtur ſimul exiſtere: ſubdere rurſus, & in circulo quidem licere lineas in ſe non omnino diſtinctas, tanquam diſtinctas accipere: vnum nanque eſt planum. Vbi autem neque ſecundum vnum quidem planum eſt aliquod interuallum, ſed indiſtantes omnino vires atque eſſentiæ, haud ab re omnia in centrorum modum excogitantur in vnum quodam centro ſibi inuicem coniunctorum: vbi profectò lineæ quidem ipſæ dimittantur, ſeruentur autem duntaxat termini linearũ centro contigui, vbi etiã cuncta ſunt vnũ. Rurſus aũt ſi lineas punctis adiunxeris, ille quidẽ è centris, pprijs ſuſpẽdentur quæ ſingulæ reliquerunt: erit autẽ nihilominus vnũquodq; centrũ, ab vno primo centro minimè ſeparatum, ita tamen

A men vt dum ſimul cum illo ſunt, ſint etiam interea ſingula, atq; totidem quot & lineæ, quibus ipſa id conceſſerāt vt termini illarum exiſterent: quapropter quot ibi lineas medium ipſum attingit, totidem eſſe puncta videntur. Vnum verò illa apparet ſimul omnia eſſe. Si igitur multis centris ſimilia eſſe intelligibilia omnia fateamur, centris inquam, in vnum centrum redactis penitusq; coniunctis, apparentibus verò multa propter lineas, quæ quidē lineę centra non generent, ſed oſtendant: profectò lineæ in præſentia nobis cōferent ad oſtendendam aliquam in ſe proportionem ad illa quæ attingens natura intelligibilis, propterea multa & vbique videtur adeſſe.

MARSILIVS.

Si conſideres in prima mente ideas cunctas atq; ſingulas, mox in qualibet idea agnoſces totam plenitudinem idearum: eius tamen ideæ diſtincta proprietate ſeruata. Item intellectualis quidem anima ſi plura uiciſsim formet corpora, una eſt in multis: ſed penes mundum intelligibilem multa potius in uno ſunt, uel circa unum. Cap. VI.

PLOTINVS.

INtelligibilia profectò cùm entia multa ſint, ſunt ſimul & vnum. Rurſus cùm vnum ſint, interea ob infinitam naturam ſunt et multa: tum verò multa in vno & in multis vnum, & omnia ſimul. atqui agunt omnia illic ad totum vnà cum toto: agunt ad partē rurſus cum ipſo toto. Admittit verò pars in ſeipſa actionem primam tanquam partis, conſequitur verò deinde totum, quemadmodū ſi ipſe homo in hominem quendam veniens, homo quidem euadat, exiſtens rurſus &
B homo. Homo quidem qui eſt in materia ab vno homine qui poſt ideam extat, homines eoſdem reddidit multos, atq; eſt vnum idem ſic in multis, quia vnum aliquid idem more ſigilli eſt in multis impreſſum. Ipſe verò homo & ipſum per ſe vnumquodq; & totum ipſum vniuerſum non ſic eſt in multis, ſed in eo ſunt multa, imò vero ſunt circa ipſum, aliter enim albedo eſt vbique, aliter anima vniuſcuiuſque eſt in qualibet parte corporis eadem: ſic itaque & ens ipſum vbique eſſe eſt iudicandum.

MARSILIVS.

Anima noſtra intelligit plenitudinē idearum, ſcilicet conuerſa ad intellectum ſuum, neq; tamen illic per idearum imagines: ergo ipſa per intellectum eſt uniuerſum. Atq; ita in uniuerſali rerum forma omnes animæ ſunt quodammodo unum, quamuis ſua quadam ſingulæ proprietate diſtinctæ: quatenus autem ab intellectu digrediuntur, inter ſe diſiunguntur. Cap. VII.

PLotinus in his duobus libris non intendit probare quòd non poſſit eſſe niſi una anima, ſed quòd una anima poſsit eſſe ublque, non obſtante magnitudine uel multitudine corporum: & quòd non oportet in diuerſis mundi partibus animas multas ponere, quia una communis non ſufficiat ubique
C eſſe & regere. Quòd ſi ponuntur multæ, propter aliam rationē ponuntur quàm propter illius unius inſufficientiam: & hæ multæ ſunt unum cum illa ſcilicet unione ſpatij: item quia agunt ſub communi uirtute illius: item quia ad communem rediguntur animæ ideam: item quia quælibet anima eſt omnia in ſe rerum ſemina, ſicut anima mundi, & quando in ſe cōuertitur, explicat ſe in omnia, & adæquatur illi, & cum illa æquè gubernat, & cum mente communi æquè contemplatur omnia: taliſq; ſit unio qualis in luminibus omnium ſtellarum in lumine Solis, ubi omnia ſunt ubique, omnia æquè habent uires ad cuncta regenda, ſed cætera agunt in uirtute Solis. item exemplum eſt in quinque ſenſibus, qui unum ſunt, primò quia ab uno communi ſenſu & ad unum. ſecundò quia in retractione à corpore quilibet eorum ſentit in communi ſenſu. tertiò fingamus uiſum in ſenſu communi ſentire non modò uiſibilia, ſed mox etiam cætera ſenſibilia. Similiter auditum ſentire primò ſua, deinceps alia: ſic & alios. Tunc quilibet eſſet unum tum cum alijs, tum cum cōmuni, & tamen adhuc eſſent diſtincti: tum quia quilibet poteſt ſe reflectere ad propria ſicut prius, tum quia licet quilibet fundat ſe per omnia, tamen à proprio quodam exordiatur, ac tandem redit in idem. Scito Plotinum poſt hos libros, & poſt librū Vtrum omnes animæ ſint una anima, compoſuiſſe tres libros de Dubijs animæ, ubi manifeſtè oſtendit numerum animarum.

PLOTINVS.

D NEmpe & noſtrum ad ens ipſum reducitur quò & nos ipſi reducimur, ad illud aſcendimus, ab illo exiſtimus ab initio: intelligimus illa nõ per illorum imagines, non per figuras vllas quas habeamus. Sin autem intelligimus quidem illa, neque tamen per imagines vel figuras, ſequitur, vt illa intelligamus ipſi exiſtentes illa. Si ergo ſumus ſcientiæ veræ participes, illa ſumus, non accipientes quidem in nobis ea, ſed nos potius exiſtentes in illis. Quum verò nõ ſolùm nos illa ſimus, verumetiam alia ſint & illa, nimirum omnes illa ſumus. Simul igitur vnà cum omnibus exiſtentes illa ſumus: omnia itaq; vnum ſumus. Quum verò foras proſpiciamus, neque illuc vnde ſuſpendimur, aciem dirigamus, meritò nos eſſe vnum nequaq; animaduertimus: perinde ac ſi multi vultus in orbẽ vno quodam vertice ſiue intima vnaq; radice cõnecterentur. Siquis autem ad intima reflecti poſſet, ſiue ſuapte natura, ſiue reflectẽte Minerua, ſeipſum iam eſſe Deum vniuerſumq; cõſpiceret, inſpiceret inq;, ſe primò quidẽ nõ tanq; penitus vniuerſum, ſed deinde nõ habẽs vbi potiſſimũ ſiſtẽs gradũ determinet ſemetipſum, & quouſq; ſit ipſe definiat: nimirũ mox prætermitteret ſeipſum circũſcribere, atq; ab ente vniuerſo ſecernere. Itaq; ad vniuerſũ ipſum vndiq; penitus peruenire t,
E ita tamen vt nuſquã procederet, ſed permaneret ibidem vbi conſiſtit & totum.

MARSILIVS.

Mens diuina per ſuas ideas in materiam agit, non extrinſecus more artis humanæ, ſed intrinſecus modo artificioſæ naturæ: nec eſt ſeiuncta ſecundũ locum à materia: alioquin loco proprio deputabitur: nec mixta materiæ: alioquin minimè dominabitur. Cap. VIII.

VBiq; uerò eſt idea ignis, ubiq; ignem genitura: nõ diuiſa, ne pereat: non extenſa, ne corporea fiat: non multiplicata numero, ne fiat innumerabilis: una ſufficit: una eſt ubiq; tota.

PLOTINVS.

ARbitror equidem quiſquis conſideraverit, qua conditione materia quodammodo ſpecies accipit, facilius quod in præſentia dicitur, conceſſurũ: neq; vlterius vel tanquam impoſſibile negaturũ, vel rurſus quicquam dubitaturum. Probabile nanq; neceſſariumq; exiſtimo non ita diſponi naturam, vt ſpecies quidem hinc ſeorſum poſitę ſint: materia verò illinc locata ſeorſum, atq; deſuper alicunde illuſtratio quædam veniat in materiam. Verendum eſt enim ne hoc fortè ſit dictu ridiculũ, nempe quidnã foret in his hoc ipſum quod dicitur procul atq; ſeorſum? Præterea nónne tum explicatu difficile, tum ambiguitatis plenum foret, quod de participationis cõditione modò tetigimus? Sed id quidem ſiquando dicatur, facilè promptęq; nimium ſit adductum, quippe cùm ad
F huius notitiam perueniatur exemplis. Verùm ſiquando nos illuſtrationẽ quandam in medium introducimus, nõ ita dictum volumus, ſicut in rebus ſenſui manifeſtis remota quædam à remotis illuminari videmus. Sed quoniam quę in materia ſunt, imagines quædam ſunt: ipſæ verò ſpecies exemplariũ primorum obtinent ordinem, hæc ab illis emicare videntur, nosq; in his illuſtrationis nomine vtimur, propterea quòd illuſtrator cum illuſtrato minimè commiſcetur. Oportet verò nunc loquentes exactius hæc non ita diſponere, vt ſpecies ipſa hinc ſit loco ſeorſum, deinde velut in aqua, ſic in materia ideæ fulgor inſpiciatur: ſed materiam exiſtimandum eſt vndiq; ideam velut attingere, rurſusq; nequaquam attingere: atq; ita ſecundum ſe totam à ſpecie reportare nonnihil, cõferente ad id propinquitate, quatenus accipere poteſt nullo prorſus interueniente medio: neque rurſus ita vt idea per totam diſcurrat materiam, ſiue ſuperferatur, ſed potius in ſeipſa permaneat. Si enim ipſa ignis idea in materia minimè iacet, materiam verò nunc ſubiectã elementis accipiamus, ipſe profectò ignis idealis materiam ſuperãs, nec inhærens ipſe materiæ, formam ignis per totam ignitam materiam exhibebit. Supponatur autem ignem primùm materialem, molem multam pro

tinus

A tinus esse factũ. Eadem præterea ratio cæteris congruit elementis. Si igitur ipse ignis idealis in omnibus prorsus inspicitur imaginem sui præbens: neq; sic quidem præbet quasi loco seiunctus, qualis illuminatio est oculis manifesta, alioquin iam esset alicubi vniuersus hic ignis coram sensu, si modò ipse totus multæ sit partes: certè quasdam sui præbet imagines, dum ipsius idea consistit non circunscripta loco, sed ipse loca generat ex seipso: alioquin oporteret ipsum, si modò multiplex secundum partes esset factus, à se diffugere, vt ita foret multus, sæpius particeps eiusdem fieret. Iam verò idea ipsa cùm secari non possit, nihil sui ipsius materiæ præbuit: neq; tamen quamuis vnum sit, extitit impotens ad illud quod non est in ipsius vnitate formandũ: neq; etiam compulsa est adesse sic vniuerso, vt alia quidẽ sui parte partẽ hanc vniuersi, alia verò partẽ formaret illam, sed potius se tota quodlibet atq; totum. Ridiculum nanq; foret, multas iccirco ideas ignis inferre, vt vnusquisq; ignis à sua quadã idea, hic quidẽ ab illa, ille verò formetur ab alia: sic enim ideæ innumerabiles essent. Præterea quónã pacto quæ fiunt, cõmodè partieris, siquidem ignis vnus sit atq; continuus? Tum verò si huic materiæ ignem alium adiungamus amplificantes illum: profectò secundum illam quoq; materiæ portionem cõcedendum est, eandem prorsus ideam eadem effecisse, neq; enim aliam illic ideam fore quis dixerit.

MARSILIVS.

B *Vna mundi machina & fabricata est ab una mente, & uegetatur ab una anima tota simul ubique præsente.* Cap. IX.

SIcut intra unam sphærã multæ sunt, & unitæ cũ ea pariter & distinctæ, sic penes unam animã animæ multæ. Anima mundi nec ut punctum est indiuidua, sed eminentius, ideo non habet certum in dimensione situm: nec rursus unum est ex multis, sed unitas in se explicans multitudinem, ideo tota potest multis & partibus & corporibus simul adesse, nec est ab ullo disiuncta secundum locum, cùm ipsa rebus eiusmodi sit eminentior, & quantitatem procreet atque locum. Denique quum non substineatur ab ipsa mundi machina, sed eam seipsam sustinens, meritò uiget ubique tota: similitérque intellectus mundi faber.

PLOTINVS.

PRoinde si ratione aliquis omnia elementa iam facta in vnam circularem figuram ducit, certè non est dicendum auctores multos sphæram efficere, ita vt alius alibi distributus sit ad partem efficiendam, sed vnam esse fabricę causam se tota perficientem, neq; parte sui alia aliud fabricantem: alioquin multi rursus effectores forent, nisi in vnum indiuisibile totam fabricam referas: imò verò nisi vnum impartibile sit sphęræ totius effector: neq; tamen ita vt auctor ipse diffundatur in sphęram, sed tota sphęra suspensa penitus hæreat auctori. Vita igitur vna sphęram habet eadem, atque sphęra in vna vita locatur. Itaque & omnia
C quæ sunt in sphęra, in vitam rediguntur vnam, ideoq; & omnes animæ vna quodammodo sunt. Vna verò sic est anima, ut rursus sit infinita: quamobrem nonnulli animam numerum esse dixerunt: alij verò numerum ipsum tradiderunt naturam animę augere. Ita forsan excogitantes, quia videlicet nusquam anima desit, sed per omnia extet, interea hoc ipsum quod est existens. Iam verò si maior adhuc foret mundus, nusquam animæ vis ipsa deficeret, quo minus per omnia rursus propagaretur, neq; tamen per omnia curreret, imò verò vniuersum hoc in vniuersa anima foret. Tum verò hoc ipsum quod diximus augere, non sic accipiendum est vt verbo profertur: sed quoniam anima & si vnum est, nusquã tamen deest vniuerso: ipsum nanq; quod eius est vnum, non tale est, vt quantũ sit metiri liceat: hæc enim cõditio alterius est naturæ, quę falsò sibi vendicat ipsum vnum, & participatione quadam duntaxat assequitur, vt appareat vnum. Quod autem veritate quadam est vnum, tale prorsus existit, vt non sit vnum ex multis accumulatũ, ne fortè quodam inde sublato, totum illud vnum intereat. Tale rursus vt nullis aliunde terminis separetur, ne adhibitis ei quandoq; cæteris vel mi-

D nus euadat vbi ſint illa maiora, vel cupiens dilatari per omnia diſſipetur, atq; ita non totum omnibus adſit, ſed per partes propriè ſuas illorum partibus appropinquet. Itaq; (ſicut dici ſolet) vbinam gentiũ ſit, prorſus ignoret: quippe cùm in vnam continuationem conſpirationemq; peruenire non poſſit, vtpote quod eſt à ſeipſo diuulſum. Si hoc igitur reuera ipſum ſibi vnum vẽdicat, de quo ſanè tanquam de eſſentia vnum liceat prædicare: oportet ipſum videri quodammodo oppoſitam ſibi naturam, ideſt multitudinem ſua quadam potentia continere, neq; ab externis hanc multitudinem mutuari, ſed penes ſeipſum, atque ex ſeipſo, eſſeq; reuera vnum, atq; in ipſo vno habere hoc ipſum, vt ſit infinitum atq; multitudo. Cùm verò eiuſmodi ſit, neceſſarium eſt vbiq; totum eſſe vnam in ſe rationem exiſtentem, item ſe comprehendentem, ipſumq́ue comprehenſorem ipſummet exiſtere, adeò vt comprehendens ipſum nullo modo diſtet ab ipſo, ſed in ipſo exiſtat vbique, vbicunq; ſit ipſum: quod quidem à nullo eſt limitibus loci diſiunctum: neq; certè ſic ipſum eſt alterius loco diſiuncti, ſiquidem ipſum eſt ante omnia quę ſunt in loco, neq; ijs ipſum indiget, ſed hæc illo potius egent, vt fundentur in eo. Vbi verò hæc in eo fundata ſunt, illud nequaquã è propria ſede diſcedit, quæ ſanè nihil aliud eſt quàm in ſeipſo ſedere. Si enim moueatur
B ipſa, protinus illa perduntur: quippe quum eorum ſublatum ſit fundamentum, cui quidem ea ſiſtenti prius innitebantur: atqui nec ipſum eſt adeò demens, vt à ſeipſo diſcedens diſſolutionis diſcrimen aliquando ſubeat, & quum in ſeipſo penitus conſeruetur, temerè tamen infido ſe committat loco, qui proculdubio illo potius indiget quo ſeruetur.

MARSILIVS.

Hæc tria rerum principia ſunt ubique ipſum bonum: item diuinus intellectus, qui ipſa pulchritudo eſt: rurſus uita mundi. Hæc occultis tractibus ad ſe omnia rapiunt, colligantq; in unum appetentia bonum, & pulchritudinem, atque uitam. Cap. X.

SVperna bonitas intelligentia, uita, eadem adeſt ubiq; tota, ſufficitq; cunctis: quoniam addicta nulli permanet in ſeipſa. Præterea ſicut oculi multi uno Solis lumine paſsim toto fruuntur: ſic omnes intellectuales animæ uno intelligentiæ primæ lumine potiuntur, & ubique præſente, & nuſquam diuiſo, in quo & cuncta ſunt unum. Vno ſimiliter bono cuncta ueſcuntur abſente nuſquam, una quinetiam uita ubique uigente ſpirant. Vnio uerò rerum in mundo corporeo diſtantiæ diſcordiæq; pleno nulla foret, niſi ſupernus ille mundus & habitatores eius unionẽ mirabilem poſsiderent: quos quidem habitatores ſecundum eſſentias interim inter ſe differre in hoc capite & in multis aperit.

PLOTINVS.

P Ermanet igitur illud in ſeipſo ſapientia pollens, neque alijs vnquam hæret: reliqua verò ex eo cõtinuè pendent, vtpote quæ vbi illud ſit, ipſo inueniãt deſiderio. Atque hîc eſt ille amor, quo plerique affecti ad amatæ rei fores pernoctare feruntur: amor inquam extrinſecus ſemper aſſiſtens, pulchrumq; deſiderans, ſatisq; ſibi factũ exiſtimãs, ſi modò quoad poteſt aliquãdo potiatur. Nam & ſuperni illius amator ipſam quidem nõ accipit pulchritudinem, ſed quadam propinquitate participat: illa verò in ſeipſa conſiſtit, multiq; vnius ſunt amatores. Amãtes totum, & quando habent pro uiribus totum habentes: totum enim ipſum eſt quod amatur. Quidnam igitur prohibet quo minus illud ſufficiat omnibus, dum permanet in ſeipſo? Quandoquidem ob hoc ipſum omnibus ſatisfacit, quoniam permanet: & propterea pulchrum eſt, quoniam omnibus totum adeſt. Iam verò & ipſa intelligentia tota omnibus adeſt, quapropter communis intelligentia eſt: neq; hæc quidem intelligentia hîc propriè, illa verò illic exiſtit. Ridiculum nanq; aliquid erit, ſi loco quodam indigeat, neq; profectò ſic paſſim ſe habet intelligentia ſicut albedo. Non enim corporis officium eſt intelligere: verùm ſi modò intelligẽtiæ reuera participes ſumus, in vnum aliquid atq; idem ſecum ipſo totum ſimul exiſtens neceſſariò conſpiramus. Neq; ſic inde accipimus, vt

A mus, vt portiones quaſdam illius percipiamus: neque rurſus ita vt totum ego habeam, & tu habeas totum diuiſum alterutrũ ab alterutro. Id quidem concio-nes cœtusq; inueſtigantium imitantur, tanquam in vnam concurrant intelligen tiam, & vnuſquiſq; ſeorſum ſit ad ſapientiam impotens. Quum verò in ipſo cœ tu veraq; ad intelligendum copula omnes cõiiciunt, conferuntq; in vnum, intel ligentiam generant, & inueniunt. Quid enim prohibere poteſt, quo minus intel lectus ab alio atq; alio ſit in eodem? Sed profectò quamuis intelligentes alij ad idem nobiſcũ congrediantur, non tamen ſimul congredi nobis apparent: perin de ac ſiquis rem eandem digitis ſimul multis attingẽs, aliud interim atque aliud ſe opinetur attingere: aut ſi eandem cordam in lyra quiſpiam pulſet, ſe illam pul ſare non videns: quanquam conſiderandum nobis erat, quemadmodũ bonum animabus attingimus. Non enim aliud ego bonum attingo, aliud autem ipſe, ſed idem. Neq; rurſus ſic attingimus idem, vt inde me quidẽ aliud, in te verò a-liud affluat, adeò vt illud alicubi ſupernè ſit ſitum, munera verò eius ad hæc no-ſtra deſcendant, ſed oportet largitorem ipſum accipientibus prorſus adeſſe, vt reuera illinc accipiãt: & qui largitur, non alienis ſed ſuis elargiatur. Intellectualis nanq; largitio non more tranſmiſſionis cuiuſdam nuntijue peragitur: quando-quidem & corporibus ipſis inter ſe loco diſtantibus munus ſæpe perſimile alijs ſimul alijsq; attribuitur, traditioq; & effectio fertur in idem. Quinetiam vniuer-ſi corpus agit ac patitur in ſeipſo, neq; quicquam ab externis accedit ad ipſum.

B Si igitur in corpus ipſum nihil extrinſecus incidit, quod tamen ſuapte natura quaſi ſeipſum fugit, in re certè ipſa nullam diſtantiam patiente, quonam modo externum aliquid habet locum? Quãobrem exiſtentes in eodem, bonũ ipſum & videmus & tãgimus: exiſtentes inquam ſimul, illudq; noſtris intelligibilibus attingentes. Et profectò mundus illic multò magis quàm hîc eſt vnus, alioquin duo mundi ſenſibiles erunt, diuiſi ſimiliter, ipſaq; intelligibilis ſphæra ſenſibilis erit, ſi modò non aliter atque hæc noſtra ſit vnum. Quapropter admodum vni-tate præſtabit, aut certè ridiculoſior erit: ſiquidem neceſſitate quadã huic ſphæ ræ moles conſentanea ſit, illa verò extenſione non indigens ſeſe protendat, & à ſeipſa diſcedat. Denique quidnam illic impedimenti eſt, quo minus in vnũ cun cta conſpirent? Non enim alterum ibi quaſi non concedens locum repellit alte rum: quemadmodum neq; qui doctrinam cõtemplationemq; vniuerſam con-ſpiciunt, & omnino ſcientias omnes in anima minimè coarctatas. Siquis autem obijciat vnionem hanc non poſſe in eſſentijs fieri, reſpondebo equidẽ, tunc de-mum fieri minimè poſſe, ſi modò eſſentiæ veræ moles extiterint.

MARSILIVS.

C *Mens diuina ſicut per indiuiduam æternitatem, quæ temporis cauſa eſt, totum tempus adæquat & ſu-perat: ita per indiuiſibilem eſſentiam uirtutemq; infinitam totum ſpatium obtinet & excedit, ipſa ui-delicet ſpatium & quæ ſunt in eo ubiq; procreans & conſeruans.* Cap. XI.

SIcut enim ſe habet totum tempus ad indiuiduum illius ſtatum, ſic tota dimenſio ad excellentem ſubſtantiæ indiuiſibilis poteſtatem: eſt enim & ibi tum perſeuerantiæ, tum uirtutis immenſitas, & hîc imago quædam muneris utriuſque.

PLOTINVS.

CAeterùm quonam modo quod nullam in ſe dimenſionem habet per vni-uerſum corpus attingit tanta magnitudine prædituṁ? Cur ue non diſper-gitur propagatione eiuſmodi, quũ vnum idemq; per omnia porrigatur? Quod quidem ſæpe in dubiũ iam adduximus, propẽſius affectantes dubitationi quan doque finem imponere. Demonſtratũ eſt igitur ſæpe iam ſic ſe habere, ſed ope-ræpretium eſt etiam perſuaſiones afferre, quanq; non minimum, imò verò plu-rimum ad perſuaſionem contulit illa ipſa natura, qualis videlicet ſit oſtenſa: ſi-militerq; conferre videtur, ſi cogitemus eam non eſſe velut ingens ſaxum alicu-

D Ii Deus, atque Dominus, ac Rex noster, qui non solum corporum, sed etiam animarum Deus, ac Dominus existit, cunctis mortalibus concessit, ut quemadmodum corporibus nostris, quibus præditi sumus, ingenia, atque animos, quibus vigemus, ita animis ipsis, quibus præstamus, virtutes, atque facultates, quibus valemus, tribuerit, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a quibusdam ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur.

D Ii Deus, atque Dominus, ac Rex noster, qui non solum corporum, sed etiam animarum Deus, ac Dominus existit, cunctis mortalibus concessit, ut quemadmodum corporibus nostris, quibus præditi sumus, ingenia, atque animos, quibus vigemus, ita animis ipsis, quibus præstamus, virtutes, atque facultates, quibus valemus, tribuerit, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a quibusdam ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur.

D Ii Deus, atque Dominus, ac Rex noster, qui non solum corporum, sed etiam animarum Deus, ac Dominus existit, cunctis mortalibus concessit, ut quemadmodum corporibus nostris, quibus præditi sumus, ingenia, atque animos, quibus vigemus, ita animis ipsis, quibus præstamus, virtutes, atque facultates, quibus valemus, tribuerit, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a quibusdam ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur. Quæ cum ita sint, ut sunt profecto, quis est, qui non videat, quam sit necessarium, ut ea, quæ ad corporis nostri usum, ac tutelam pertinent, ab ipsis animis, quasi a ministris, ac famulis, quæ ad animorum ipsorum salutem, ac dignitatem, ab ipsis animis, quasi a Dominis, ac Regibus, quæ ad Deum, ac Regem omnium, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis, quæ denique ad nostrum ipsorum bonum, a nobis ipsis, quasi a nostris, ac propriis præstentur.

A gradatim per parua deficiat. At ſi concurrere valeas, imò verò ſi in vniuerſo conſiſtens nihil vltra requiras, ita demum illius vbicq; præſentiam conſequeris: alioquin ſi id nequeas, aut renuas, in aliud quiddã protinus excides, ac præſens decides, & id quidem nequaquam aduertens, propterea quòd alio proſpicias. Verùm ſi nihil vltra quæſiueris, quonam pacto ſic affectus euades? Profectò ex eo quòd acceſſeris vniuerſo, neq; in eius parte reſtiteris, adeò vt neque tu quidem dicas, equidem tantus ſum duntaxat: nempe vbi hoc ipſum quod tantùm proprie dicitur, prorſus omiſeris, factus es vniuerſus, tametſi prius quoque vniuerſus eras. Sed quoniam aliud inſuper aliquid tibi præter & poſt vniuerſum aderat, minor adiunctione eiuſmodi euaſiſti. Non enim ex vniuerſo tibi erat adiunctio: nam nihil illi vnquam adiunxeris, ſed ex non vniuerſo potius erat. Iam verò quicunq; fit aliquis, iſq; fit ex nõ ente, iam eſt minimè vniuerſus. Sed tunc reuera vniuerſus exiſtit, quando non ens omnino dimiſerit, tunc itaq; teipſum auges, quando dimittis alia, tunc & vniuerſum tibi adeſt cætera dimittenti. Dum verò es vnà cum cæteris, illud tibi minimè fulget: ſed enim quando fulget, non accedit vt adſit: imò verò tu inde diſceſſeras, quãdo non aderat. Quòd ſi diſceſſeras, non ab illo quidem, illud nanque paſſim adeſt, ſed neque etiam aliò quoquam abiſti, ſed dum etiam eſſes præſens, te ad contraria diuertiſti. Eadem ratione cæteri quoque dij ſæpe cum multis ſint æquè præſentes, vni tamen apparent: quoniam ille ſolus omnium ſuſpicere poteſt. Sed hi quidem dij prorſus o-

B mnigeni præſentes vbique ciuitates ad meliora conuertunt: ciuitates autem in ſupernum illum denicq; cõuertuntur, in illum tota tellus, in illum denicq; cælum, vbi penes ipſum & in ipſo perſeuerantia. Ex illo quinetiam quæ verè ſunt entia ens ipſum habent, vſq; ad animã atq; vitam illi prorſus annexa. Atqui & ipſum quod ens modò dicebam, penes magnitudinem infinitam conſpirat in vnum.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI LIBER SEXTVS, DE NVMERIS.

MARSILIVS.

Si unum ipſum bonumq; idem eſt, meritò multitudo quo longius diſcedit ab uno atq; unione, eo fit deterior. Igitur ſi fingatur multitudo uel infinita, uel quomodolibet unitatis expers, erit ipſum malum. Cap. I.

MAximè unita ſecum ipſa eſt ſpecies quælibet ſeparata & idea cuiuſq;, quoniam eſſentia ſimplex & individua eſt. Minus unita ſecum ipſa ſpecies naturalis per corporis partes extenſa, etiam quandiu continuitatem ſuam ſeruat: ergo minus bonum. Minimũ unitatis habet multitudo diſcreta contingens diſſolutione continui: ergo malum. Quòd uerò nullam unionem ſeruare fingitur, appellatur maximè malum.

C

PLOTINVS.

QVAERENDVM videtur in primis nunquid multitudo ſit diſceſſus diſtantiaq; ab vno, ideoq; infinitas ipſa extremus ſit ab vnitate diſceſſus, propterea quod hęc ſit innumerabilis multitudo, atque ob hoc ipſum infinitas malum ſit, noſq; mali ſimus, quãdo multitudo ſumus. Tunc enim quodlibet multum fit, quando non potens penes idem in ſeipſo manere diffunditur, & extenditur iam diſperſum: & quando in ipſa diffuſione prorſus vno priuatur, fit multitudo, vbi deeſt quod partem aliam cum alia vniat. Sin autem adſit quidam conciliator, tunc quod fuſum eſt permanendo fit magnitudo. Sed quid nam eſt in magnitudine mali? Profectò ſi perſentiret, pateret in ea malum. Sentiret enim res illa ſe à ſeipſa iam procul abijſſe. Vnumquodque ſanè non aliud expetit, ſed ſeipſum. Progreſſus autem ad externa factus vel vanus eſt, vel certè coactus. Præcipuè verò eſt vnumquodq;, non quãdo fit multum, aut magnum, ſed quando ſuijpſius exiſtit: ſui verò ipſius eſt, quando ſolùm ſibimet annuit,

D Quod autem appetit ſic fieri magnũ, ignorat quid reuera ſit magnum, feſtinatq; quò non expedit, ſed extra prorumpit. Ad ſe autẽ vergere, eſt intus aſsiduè permanere: teſtatur id præcipuè quod efficitur magnitudine. Si enim extra protrahitur, adeò vt vnaquæq; partium ipſius exiſtat, ſingulæ quidem partes erũt, ſed non ipſum proprie quod ab initio. Sin verò ipſum, oportet partes omnes ad vnum uerti, adeò vt illud exiſtat quando quoquomodo vnũ eſt, non quando magnum: quamobrem propter ipſam magnitudinem, & quãtum eſt in ea à ſeipſo diſperditur. Quatenus autem habet vnum, habet quoq; ſeipſum, veruntamen vniuerſum magnum eſt & pulchrum: ſed iccirco pulchrum eſt, quoniam non eſt permiſſum ad infinitatem prorſus effugere, ſed eſt vnitate comprehenſum. Iam verò pulchrum eſt non magnitudine quidem ipſa, ſed potius pulchritudine: atqui idcirco indiguit pulchritudine quia factum eſt magnum. Quandoquidem ſi hoc foret ab ipſa pulchritudine deſtitutum, quatenus magnum eſt, eatenus ſi apparuiſſet et turpe, atq; ita hoc ipſum magnum pulchritudinis materia eſt, quoniam multum eſt quod indiget ornamento. Itaq; quod magnum eſt, ſi à pulchritudine ſecernatur, magis eſt inornatum magisq; turpe.

E MARSILIVS.

Si fingatur multitudo infinita, non erit propriè numerus. Numerus enim entium in mundo incorporeo definitus eſt, atq; inde in mundo corporeo terminatus: neq; animus numerans facit, augetue numeros reuera, quamuis fingat, ſed intro ſunt utrinque naturaliter terminati. Cap. II.

PLOTINVS.

QVidnam igitur dicendum eſt de illo qui infinitatis dicitur numerus? Sed prius quærendum eſt quomodo ſit numerus, ſi infinitus extiterit. Neque enim quæ ſubiecta ſunt ſenſibus ſunt infinita. Quapropter neq; qui in eis eſt numerus, eſt infinitus: atqui neque qui numerat, infinitatem ipſam enumerat, ſed quamuis dupla & tripla, & deinceps ſimiliter multiplicia computet, hæc certè definit, ac ſi ad futurum aut præteritum multiplicationem ſumat, hæc quoque interea definire videtur. Nunquid ergo dicendum eſt, numerum quidem non eſſe quidem ſimpliciter infinitum, ſed ita duntaxat vt ſubinde ſemper liceat adhibere: ſed profectò non eſt in numerante generandorum auctoritas numerorum: ſed iam determinati erant numeri, ac prorſus extabant. Iam verò in mundo intelligibili ſicut entia determinata ſunt, ſic & definitus eſt numerus numero entium deſignatus. Nos autem ſicut hominem multa quædam facimus adhibentes ei ſæpe & pulchrum & cætera generis eiuſdem: ita ſimul cum quolibet ſimulachro numeri quoq; concipimus ſimulachrum: & quemadmodum vrbem quandã multiplicamus non exiſtentem, ſic fermè numeros deinceps multiplicare ſolemus, ac ſi tempora numeremus, his videlicet numeris quos habemus, eos ipſos ad tempora iam traducimus, dum tamen in nobis numeri permanent.

F MARSILIVS.

Mundus intelligibilis quoniam ab ipſa unitate proceſſit in multitudinem idearum, non eſt ipſum bonum, neq; tamen eſt ibi multitudo malum, quoniã ſuperatur ab uno. Eſt enim idearum omnium communis una individuaq; natura, atque idea quælibet eſt unita cunctis. Cap. III.

INfinitas ipſa nullum actu propriũ habet eſſe, alioquin computata eſſet in genere entium, ibiq; deſignata, igitur definita: quare nec actu iam eſſet infinitas, ueruntamen latet infinitudo ſub termino ſemper aliquid terminante. Igitur ſi quando formas omnes quaſi terminos atque fines è medio tollas, quod reliquũ fingitur, infinitudo uocatur. Si hanc apprehendis, iam terminas: ſin terminas, non apprehendis infinitatem. Denique ſi per omnia oppoſitorum genera pro arbitrio curras, neutrum oppoſitorum ſeorſum dedicabis infinitati, alioquin mox eam tibi finieris: rurſumq; alterutrum oppoſitorum in ea poteris per negationem alterius appellare.

PLO

PLOTINVS.

A SEd infinitum hoc quomodo extitit, quum ſit infinitum? Quod enim extitit atque eſt, numero iam eſt comprehenſum: verùm prius eſt indagandum ſi multitudo reuera in verorum entium ordine collocatur, quomodo multitudo ſit malum. At verò multitudo illic eſt vnita, neque permittitur in multitudinem prorſus euadere, quippe quũ ibi multitudo ſit ens vnum: atqui ob hoc ipſum id ab vno degenerat, eiq; ſuccumbit, quoniam multitudinem habet, & quantum ad vnum ſpectat, labitur in deterius. Quumq; naturam illius non habeat, ſed excideritinde, meritò ſubit defectum: ſed vnius ipſius virtute penes ipſum habet aliquid honorandum, nempe multitudo conuerſa eſt ad vnum, atque conſtitit. Ipſa verò infinitas quonam modo illic eſſe poteſt? Si enim habet eſſe, iam eſt in ordine entium definita: aut certè niſi fuerit definita, non eſt in genere entium collocanda, ſed forſan in eorum ordine quæ fiunt computanda videbitur, ſicut accidit & in tempore. Fortè etiam & ſi definitur, ob hoc ipſum eſt etiam infinita: non enim terminus, ſed infinitum determinatur: neque aliud quicquam medium inter infinitum terminumq; locatur, quod naturam termini ſubeat. Hoc vtique infinitum fugit quidem ipſum ideam termini, ſed comprehenditur extrinſecus circumuentum: fugit autem non in alium ex alio locum, neque enim locum habet vllum, ſed quando comprehenſum eſt, tunc primùm iam locus extitit. Quamobrẽ non eſt putandum motionem quæ infinitati inter loquendum tribuitur eſſe localem, neque aliam quandam earum quæ nominari ſolent, ex ſe
B illi contingere. Itaque mouetur nunquã, ſed neque rurſum permanet. Vbi enim maneat, quum hoc ipſum quod dicitur vbi, poſterius oriatur? Videtur autem ideirco infinitati motus attribui, quoniam non conſiſtit. Num igitur ita ſe habet vt in eodem ſit altè ſuſpenſa, ſeq; volutans? An potius & attollatur illuc, & huc uſque ſe iactet? Nullo modo. Hæc enim ambo ad eundem iudicantur locum, tum quod attollitur non declinans quo ad eundem locum pertinet, tum etiam quod declinat. Quidnam igitur eſſe infinitatem aliquis cogitabit? Tunc profectò cogitabit eam, quando ſpeciem intelligentia ſeparauerit. Quid ergo tunc intelliget? Fortè contraria ſimul & non contraria: etenim magnum illic intelliget atque paruum: fit enim ambo permanens ſcilicet atque motum, nam hæc ibi fiunt: ſed antequam fiant, conſtat illam neutrum illorum eſſe determinatè, alioquin iam illam determinaueris. Si ergo natura illa eſt infinita, atque hæc quę modò dicebam, infinitè & indeterminatè ſunt ibi, ſic ibi nimirum vtraque apparebunt. Quòd ſi prope illuc acceſſeris, neq; terminum aliquem adhibueris, quo eam valeas irretire, tibi protinus ſubterfugiet, neque quicquam illic inuenies, alioquin iam definiſſes. Imò verò ſi cui occurreris velut vni, ſubitò occurrit vt
C multa. Tum verò ſi multa dixeris, iterum mentieris: nempe ubi quodlibet non eſt vnum, neque etiam multa ſunt omnia, atque hæc ipſa infinitatis eſt natura, vt ſecundum alteram quidem imaginationem motus ſit: quatenus autem acceſſit imaginatio, ſtatus. Iam verò hoc ipſum quod ipſam per ſeipſam inſpicere nequeas, motus quidã eſt caſuſq; à mẽte. Quod aũt aufugere nequeat, ſed circũ coherceatur extrinſecus, vſqueadeò vt limites nõ liceat trãſgredi, ſtatus quidam eſt iudicandus: ex quo apparet non ſolùm licere motũ illic affirmare, ſed ſtatum,

MARSILIVS.

Quæritur utrum unitas atq; numeri in mundo intelligibili rationem propriam habeãt à cæteris ideis diſtinctam nẽne? Ac ſi habent, utrum præcedant ideas, & quaſi ſui iuris exiſtant, an uelut pediſſequi conſequantur: ab animo quidem numerante creari non eſt probabile. Cap. IIII.

PLOTINVS.

QVa verò cõditione numeri in mundo intelligibili ſint, deinceps videtur conſiderandũ. Nunquid tanquam inſiti cæteris ſpeciebus, an potius ſem

parvulus? cui quippe non ex propriis ejus operibus, & quæ de illo ad nos manarunt cognitum non sit, quantum is exercuerit ingenium? Quod si quis ejus ætatem, & quæ ad illum ex Græcia, & Asia, & Ægypto, & Syria, & Italia, & Gallia, & Britannia, & Africa, & Hispania, & Germania, & Illyrico, & Thracia, & Ponto, & Scythia, & Arabia, & Æthiopia, & Persis, & India, & Parthia, & Armenia, & Mesopotamia, & Babylonia, & Assyria, & Cappadocia, & Colchis, & Taurica, & Cimmeria, & Sarmatia, & Germania

A quando verò ex multis conficitur vnum, decadem appellamus, quapropter eadem illic etiam ratione. Cæterùm ſi ita fiat, an erit vlterius vlla numeri ſubſiſtentia, quum ipſe in rebus duntaxat conſideretur? Reſpondebit fortè aliquis nihil obſtare, & albedine in rebus duntaxat conſiderata ipſam albedinis ſubſiſtentiam in rebus ipſis ritè perpendi, quandoquidem & motu in ente conſiderato conſtitit eſſe ſubſiſtentiam motus aliquam in ipſo ente videlicet exiſtentis. At verò numerus non ſicut motus ſe habere videtur, ſed quod motus ſic vnum aliquid in ſeipſo conſideratũ ſit dicitur. Præterea eiuſmodi ſubſiſtẽtia efficit vt numerus non ſit eſſentia, ac potius vt ſit contingens, quamuis neq; ſic quidem omnino contingens, nempe contingens oportet antequam contingat aliquid eſſe, & quamuis inſeparabile ſit, eſſe tamen aliquid, & naturã aliquam penes ſeipſam ſicut albedo, ac de alio prædicari hoc ipſum iam in ſe exiſtens, quod ſubinde ſit de alio prędicandum. Quamobrem ſi circa quodlibet eſt vnum, neque idem eſt homo, atque vnus homo, ſed aliud vnum eſt quàm homo, & commune eſt ad omnia vnum, & in quolibet reliquorum ita ſe habet, certè prius erit vnum homine, & quolibet reliquorum, vt ſic & homo & quoduis aliorum vt vnum ſit ſingulatim aſſequi poſſit: igitur & ante motum, ſiquidem motus ſit vnum, & ante ens ſimiliter, vt ipſum quoque valeat eſſe vnum. Dico autem non vnum illud quod ente ſuperius eſſe cenſemus, ſed hoc vnum quod de qualibet ſpecie prædicatur. Itaque ipſa decas ante illud extat, de quo prædicatur decas, atque hoc
B ipſum eſt ipſa decas: non enim res illa uel in illa in qua decas inſpicitur, decas ipſa erit. Num igitur congenitum eſt cum entibus, ſimulq; omnino cum illis eſt hoc ipſum vnum? Verùm ſi congenitum eſt, ſi modò tanquam accidens, ſicut cum homine ſanitas, oportet ſecundum quoque ſeipſam eſſe aliquid ſanitatem, ſimilitérque & illud: ac ſi vnum tanquam alicuius compoſiti elementum eſſe quis dicat, oportet prius eſſe vnum ipſum ſecundum ſe vnum, vt eſſe & cum alio poſſit. Deinde ſi prius eſſe cõmixtum cum alio quod per ipſum iam factum ſit vnum, ſequetur vt falsò ſit vnum, vtpote quòd duo ſit inde factum: in decade verò quomodo id fiat? Quid enim illi opus eſt decade, quod ſit per tantã potentiam decas? Quod ſi formabit ipſum ceu materiam, atque erit decadis ipſius præſentia & decem & decas: oportet prius decadem in ſeipſa nõ aliud aliquid exiſtentem præter decadem purè ſingulariterq; conſiſtere.

MARSILIVS.

Rerum ſpecies in prima eſſentia ordine quodam earum intelligentiam antecedunt. Sicut obiecta præcedunt actus circa obiecta uerſantes. Siquis ergo dixerit ſpecies illic ab intelligentia procreari, concedet etiam poſteriores fore, quod eſt
C *abſurdum.* Cap. VI.

INtelligere ibi ſpeciem aliquam ſcilicet iuſtitiam, ſtatum, motum & reliqua nihil eſt aliud quàm eiuſmodi ſpeciem declarare uel definire, niſi definitio hæc ſit circa rem aliquam à definitione quoquo modo diſtinctam, uacua quædam definitio eſt, imò uerò definitio nulla. Denique unaquæque ſpecies ibi eſt proprietas actusq; eſſentialis uigore quodam proprio exiſtens atque micans. Emicatio eiuſmodi inde pendens, & penes ipſam quidem extans, atque ratione quadam differens ipſa eius intelligentia eſt.

PLOTINVS.

ATverò ſi vltra res ipſas, vnum ipſum & ipſa decas exiſtit, deinde res intelligibiles præter hoc ipſum quòd exiſtunt id quod ſunt, aliæ quidẽ ſunt vnitates, aliæ verò & duitates, & trinitates, quænam erit illorum natura? & quomodo conſtituta? Exiſtimandum eſt autem generationem eorum ratione quadam expleri. Primò igitur generatim exiſtimandum eſt, eſſentiam ſpecierũ non ſic prodire ad exiſtendum, vt intelligens ipſe primò quidem ſingula intellexerit: deinde ipſa intelligentia illorum ſubſtantiam exhibuerit. Non enim quia

D cognitionis qui talis est, ut cum cognitum est, cognoscendi cupiditatem non relinquat, idemque est motus. Est enim cognitio huius ipsius intelligentiae, & cognitum ipsum. Quare cum cognitum est, cognoscendi cupiditatem non relinquat, & cognitum ipsum, quod est cognoscendi cupiditatem non relinquens, id est cognitum, & cognitio ipsa, quod est cognoscendi cupiditatem non relinquens, sic autem se habens, ut est cognitum, non aliud est quam ipsa cognitio, & cognitum ipsum, quod est cognitio, & cognitio ipsa, quod

A paramus: magnitudinem verò mundi illius & pulchritudinem ex amore animæ ipsius ad illum coniectare & assueuerare solemus. Quinetiam illorum amore quę ad animam annituntur, ob quandam eiusmodi naturam atq; etiam ex eo quòd per eam illius simílem aliquam ad illum simílitudinem consequantur. Iam verò nefas est cõfiteri, extare pulchrum aliquod animal, nisi ipsum animal mirabilem quandam & inæstimabilem habeat pulchritudinẽ. Ipsum profectò animal vniuersum est atq; penitus absolutum, ex omnibus animalibus, imò verò cuncta in se animalia continens, vnumq; existens simulq; totidẽ quot omnia sunt: Quem admodum & nostrum hoc vniuersum est quidem vnum, est omne visibile, cuncta quæ sunt inuisibili regione complectens.

MARSILIVS.

Essentia uera est uis quędã extra molem materialem in seipsa fundata, per se uiuens intellectualisq; maximè, quod animal intellectuale uocatur, ubi numeri omnes sunt ante actum intellectualem atq; uitalem. Cap. VIII.

PLOTINVS.

QVoniam igitur & animal primò est, & iccirco ipsum per se animal, est intellectus, est essentia vera: habet animalia omnia, omnem possidet numerum, ipsum iustum, ipsum pulchrũ, & cætera generis eiusdem: aliter enim ipsum hominem ibi dicimus, aliter ipsum numerum, aliter ipsum iustum: nimirum consideratione dignum est, quomodo vnũquodq; eorum se habeat, quidnam sit, quatenus in rebus eiusmodi potest aliquid inueniri. Principiò igitur omnẽ sensum
B dimittere decet, & intellectũ intellectu considerare. Animaduertendũ est præterea, in nobis quoq; vitam & intellectũ non in mole, sed in virtute quadam molis expertè consistere, veramq; essentiam à mole similibusq; esse solutam, atque esse vim in seipsa fundatam: nec rem quandam exilem aut debilem, sed maximè omnium intellectualẽ atq; vitalem, qua nihil intellectualius, nihil vitalius, nihil (vt ita loquar) essentialius esse potest, adeò vt quod hoc ipsum attingit, quodãmodo eadem consequatur: & quatenus attingit gradatim, catenus assequatur: nempe quod tangit propius, propinquiora, quod verò remotius, remotiora reportat. Proinde si esse est appetendum, meritò quod magis ens, magis est expetendum. Similiter si intelligentia simpliciter est optanda, quod intellectus est maximè, potissimum est exoptandum, eisdemq; gradibus vita quoque est affectanda. Si ergo ens ipsum primò accipiendum est, quippe quum sit & primum, secundò intellectus, tertiò animal: hoc enim omnia iam complecti videtur. Intellectus autem secundum obtinet locum: est enim actus essentiæ. Profectò numerus ipse secundum animal existere nõ censetur: iam enim & ante ipsum erat vnum atque duo: neque rursus secundum intellectum est numerus statuendus:
C nam ante mentem essentia vnum est atq; multa.

MARSILIVS.

Sicut unum antecedit ens, ita numerus in ipso ente consistens antecedit entia, ideſt ſpeciales ideas. Et meritò ſuper numerum qui eſt in entibus numeratis extat numerus in ſuo fonte conſiſtens: qui ſanè cauſa eſt per quam ens poſſit in entia ſpecieſq; deriuari. Cap. IX.

PEr ipsum numerum qui est essentialis uirtus, et actus quidam discretiuus entis destinatum est, ens non sistere in uno graduum, sed entia plura ex uno profluere: rursumq; quot & quotis ordinibus distributa: sed ille numerus ante entia quidem inuolutus est, euolutus in entibus: hic substantialis numerus est. Numerus in genere quantitatis, numeri huius est imago. Entia quidem fundantur in numero, numerus in ente, ens in uno, ne protinus dissipetur.

PLOTINVS.

RElíquum est igitur indagare, vtrum essentia sua quadam partitione numerum procreauerit: an potius numerus sit partitus essentiam. Iam verò essentia, motus, status, idem, alterum, vel ipsa numerũ genuerunt, vel numerus potius

D ipſa progenuit. Principium verò conſiderationis erit eiuſmodi: Vtrum poſsibile ſit numerum in ſeipſo conſiſtere: an oporteat duo ipſa in rebus duabus & tria in tribus ſimiliter contemplari, atq; eadem conditione vnum numeris inſertum conſiderare. Si enim numerus in ſeipſo ſeorſum à rebus numerandis eſſe poſſet, nimirũ ante entia poſſet exiſtere. Num igitur & ante ens numerus eſſe poteſt? Sed præſtat forſitan in præſenti cõcedere, ens numerum antecedere, atq; ex ente numerum proficiſci. Verùm ſi ens vnum, ens exiſtit, atque duo entia ſimiliter ſunt entia duo, vnum quidem ens præcedet, numerus autem entia pariter antecedet. Num igitur notione quadam atq; perceptione eiuſmodi ſit exceſſus? ſed profectò etiam ſubſiſtentia. Ita verò conſiderandum, quando quiſpiam hominem exiſtentem intelligit vnum, & pulchrum ſimiliter vnum, tunc ipſum vnum poſterius quodammodo in vtroq; conſiderat. Quinetiam quando equum atq; canem, tunc & ibi duo ipſa manifeſtè poſterius animaduertit. Verùm ſi generes hominem, & generes equum atq; canem, vel in te exiſtentes proferas, neque vt cunq; euenit generes atq; producas, nónne dices in vnum eundum fore, & in vnum aliud tranſeundũ, duoq; facienda, atq; vnà tecum aliud etiam faciendum?

I Iam verò neq; entia quidem quando ſunt facta numerata ſunt: ſed quot oporteat fieri iam conſtabat, videlicet quot potiſſimùm expediret. Omnis itaque numerus entia præcedebat: at ſi antecedebat entia, numerus ſanè non erat entia: ſed profectò iam erat in ente, neque tamen entis ipſius numerus erat, adhuc enim ens erat vnum. Sed numeri vis ipſa ſubſiſtẽs, ens in plura diuiſit, ac velut impulit ipſum ad multitudinem enitendam: nempe vel ipſius eſſentia, vel actus eſt numerus, atque ipſum animal & intellectus numerus eſt. Forſan verò ens quidem numerus eſt vnitus, entia verò numerus explicatus, intellectus autem numerus in ſe agitatus, animal denique numerus cõprehendens. Quandoquidem & ens ab vno progenitum vt erat in eo, oportet ipſum ſic eſſe numerum: quamobrem ſpecies quoque ipſas tum vnitates tum numeros appellare conſueuerunt: atque hic eſſentialis eſt numerus. Alter verò qui monadicus dicitur, id eſt ex quibuſdam vnitatibus congregatus, eſt quædam illius imago. Eſſentialis verò numerus partim quidem in ſpeciebus inſpicitur, easq; concreat: partim verò priuſq; in ipſo ente, vnaq; cum ente viget, entiaq; præcedit. Quo quidem in numero entia firmamentum habent, & fontem & radicem atq; principiũ: etenim entis quoq; ipſius vnum ipſum principium eſt, atq; in hoc eſt ens, alioquin

F protinus diſſipabitur. Non tamen in ente fundatur vnum, alioquin iam vnum eſſet priuſquam aſſequeretur vnum: atque iam quod aſſequitur decadem, decas euaderet antequam decadem ipſam conſequeretur.

MARSILIVS.

Natura primi entis quum ſit poſt vnum, neceſſariò eſt prima ſui origine multiplex, ideſt numeroſa. Per hos ergo numeros ita fermè ens ſe habet ad entia, ideſt ideas, ſicut plerique tradunt, materiam per inchoationes formarum ſecum genitas ſe ad formas habere. Cap. X.

ESſe verò numeros ante entia patet, quia ſi numerus ad entia deinceps iam poſita conſequatur, caſu quodam contigerit numeroſa diſtinctio entium atque ordo. Præterea ſicut omnia per aliud entia, ad ipſum per ſe ens referuntur: ſic quodlibet per aliud unum ad ipſum reducitur per ſe unum: ipſum verò per ſe unum non poteſt eſſe ſub ente, alioquin eſſet neceſſariò multiplex, ſcilicet ex natura entis & addita proprietate compoſitum. Non igitur ipſum foret per ſe ſimpliciter unum. Ens igitur eſt ſub uno, ſimiliter entia ſub numero diſponuntur: nam & ſuper numerum qui eſt in entibus extat ipſe per ſe exiſtens ante entia numerus. Deniq; in ratione ſpeciei uniuſcuiuſq; formali neceſſariò includitur unitas atque numerus. Vnitas inquã, quoniam in primo ſui ſigno ſpecies indiſtincta per unitatem eſt à ſeipſa & diſtincta pariter à quolibet alio: numerus inquam, quoniam ſpecies cõmunem in ſe naturam habet cum proprietate comunctã. Hinc ſanè conijcimus, unitatem atq; numerũ omnes præcedere rerum ſpecies, quandoquidem formales omniũ rationes in unitate numeroq; conſiſtunt.

PLOTI-

4 PLOTINVS.

CONſiſtens igitur ens in multitudine numerus euadit, quando tanquã multiplex excitatur & ſurgit, & quaſi præparatio quædam & prefiguratio erat ad entia, vbi quodammodo vnitates locum habere videntur illis expoſitũ quæ in eis fundanda ſunt. Atqui & nunc tantam dicit aliquis, volo equidem auri multitudinem, vel etiam reliquarũ poſſeſsionum. Aurum ſanè vnum quiddam eſt: ille verò vult non numerum quidem aurum facere, ſed aurum potius facere numerum: & vtpote qui iam habet numerum, adhibere hunc auro ſtudet, adeò vt auro contingat fieri tantum. Sin autem entia quidem numerum antecederent, numerus autem deinde in eis inſpiceretur, dum eatenus natura numerans moueatur, quatenus numeranda multiplicantur, certè ſecundum contingentiam quandam tot vtique quot nunc ſunt entia forent, neq; ex vllo propoſito tot numero quot exiſtunt. Si igitur tot ſunt, non temerè profectò numerus tanquam illa præcedens, vt tot propriè ſint, eſt cauſa: ideſt exiſtente iam numero quæ facta ſunt huius ipſius vt tot ſint conditionis euadunt: tum verò quodlibet quidem vnius eſt particeps vt ſit vnum. Eſt autem ens ab ente, quando & ens à ſeipſo ens, vnum autem à ſeipſo ſimiliter vnũ. Quod ſi quæ ſingulatim vnum ſunt, multa ſunt ſimul vnum, quod eſt in eis, eſt tanquam trinitas vnum, atque omnia entia ita vnum: non ſicut vnum quod ſecundum ſingularem perpenditur vnitatem, ſed ſicut vnum dicitur millenarius, aliuſq; quilibet numerus. Iam verò &
8 qui res iam factas mille computat numerando, non ait res ex ſeipſis mille vel decies tantum, velut ſua quadam voce cognominari, quaſi res ipſæ numeros ſuos colorum inſtar oſtendant, ſed ita cenſet, cogitatione videlicet tot ſibi dictante: niſi enim dictauerit, non cognoſcet quanta ſit multitudo. Quomodo igitur ait? Certè tanquam qui ſciat enumerare. Id verò ſcit, ſi numerum ipſum nouerit. Cognoſcet autem ſi ſit numerus. At verò naturam illam quot numero ſit ignorare abſurdũ eſt, imò verò penitus impoſsibile. Proinde ſiquis dixerit bona, vel quæ ex ſeipſis ſunt talia dicet, vel bonum de illis tanquam illorum accidens prædicabit: ac ſi prima dixerit, primam ſubſtantiam introducet. Sin autem afferet ea quibus accidit bonum, oportet extare boni naturam, vt & alijs poſſit accidere: vel cauſam ipſam quæ & in alio faciat oportet exiſtere: aut ipſum bonum, aut quod bonum genuit in propria natura conſiſtere. Simili quadam conditione in ipſo entium ordine, quicunq; dicit numerum velut decadem, is aut decadem ipſam nominat ſubſiſtentem: aut fortè ſi introduxerit illa quibus contingit decas, iam ipſam decadem compelletur viciſsim in ſeipſa locare, quæ nihil aliud omnino niſi decas exiſtat. Neceſſariũ eſt igitur, ſi entia decadem dicat, vel ipſa eſſe ipſam decadem, vel certè ſuper ipſa alteram conſiſtere decadem, quæ profectò nihil aliud ſit quàm ipſa decas. Communiter autem quicquid de alio prædicatur, ab alio venit in illud, vel eſt actus illius. Et quando tale eſt, vt non aliâs quidem adſit, aliâs verò non adſit, ſed cum illo ſit ſemper, ſi illud eſſentia eſt, eſſentia eſt & ipſum, neq; magis illud quàm ipſum eſſentia eſt. Siquis autem eſſe eſſentiam nõ conceſſerit, ſaltem in quodam entium ordine & ens eſſe cõcedet. Atqui & ſi res illa abſq; actu ſuo poſſit intelligi, nihilominus cum illo ſimul exiſtit, quamuis apud nos cogitatione quadam illo poſterius iudicetur. Si autem nequeat ſine illo excogitari, velut homo abſq; eo quod eſt vnum, profectò vel non poſterius ipſo eſt, ſed ſimul exiſtens, vel etiam prius eſt quàm ipſum, vt ipſum per illud exiſtat: nos autem vnum prius eſſe fatemur, numerumq; ſimiliter.

MARSILIVS.

Quodcunq; ens perceperis, ſiue ſenſibile, ſiue quomodolibet intelligibile, uel ideam, de hoc ſingulatim prædicatur unum. Vnum ergo quum communiter ſit in ſingulis, nulli penitus eſt addictum: imò & ſuper unum

D *quod eſt in alio, ideſt ente, atque in eius oppoſito, ideſt multitudine entium, profectò unum extra aliud & multitudinem per ſe exiſtit.* Cap. XI.

NEque uerò hic de ipſo uno quod eſt primo ente ſuperius, propriè loquimur, ſed de uno quod in ente primo naturaliter uigens, ante entium idearumq; multitudinẽ ſuo quodam ordine regnat: in quo quidem uno ſunt unitates omnes, atque ex eis numeri certi antecedentes ideas, & de ideis pariter prædicabiles: imò uerò hoc ipſum entis unum ipſe pariter unitates exiſtit. Natura igitur entis unitatibus his fœcunda quaſi ſeminibus iam ideas parit, numeris deinceps eas minoribus maioribús ue componens. Similiter & quæ ideis inferiora naſcuntur, niſi enim certis numerorum proportionibus fœcunditas entis tum penes ſeipſam, tum extra progrediatur, aut nihil naſcetur uſquam, aut omnia temerè & inordinata contingent. Vt autem intelligas quorum auctoritate circa numeros & unitatem Plotinus utatur, audi. Pythagoras ait, numerum eſſe extenſionem, atque actum ſeminalium rationum in unitate regnãtium. Item numerus eſt inquit, primùm in diuina mente conſiſtens, à quo & ex quo omnia componuntur, & permanent ordine quodam indiſſolubili inuicem diſtributa. Ipſe pſus Pythagoricus ait: Numerus eſt exemplar fabricæ mundanæ primum, & inſtrumentum mundani fabri iudiciarium. Philolaus inquit: Numerus eſt imperioſa quædam & ex ſe progenita ſempiternæ mundanorum perſeuerantiæ continentia. Pythagorici aiunt: Vnitas eſt idipſum per quod entium quodlibet denominatur unum, atq; eſt ipſa unitas numeri partiumq; infimum, à qua uelut ſeminario radiceq; ſempiterna rationes proportionesq; in utranq; partem infinitè procedunt: hic quidem multiplicando, inde iterum diuidendo. Item unitas eſt ſpecies ſpecierum, omnes uidelicet numeros numerorumq; rationes in ſe continens.

E

PLOTINVS.

DIcet fortè quiſpiam decadem, ideſt denarium, nihil aliud eſſe quàm tot unitates. Verùm ſi unitatem eſſe conceſſerit, cúr nam unam quidem admittet unitatem eſſe, ipſas verò decem negabit? Sicut enim una ipſa habere conceditur ſubſiſtentiam, cur non & aliæ? Non enim coniugari oportet uni cuidam entium unam ipſam unitatem: alioquin hoc pacto nõ amplius quodlibet aliorum foret unum. Imò ſi oportet & reliquorum quoduis unum eſſe, nimirum unum omnibus eſt cõmune. Id autem eſt natura una prædicata de multis, quam & ante illud quod multis ineſt, oportere diximus exiſtere per ſeipſam. Quum verò unitas in hoc ſit, & in alio rurſus inſpiciatur, ſi modò exiſtit & illa, non unica ſolùm unitas ſubſiſtere iudicabitur, atque ita erit numerus aliquis unitatũ. Sin autem ſolam illam quæ prima ponitur, ſubſiſtere aliquis arbitretur: aut certè ei quod maximè ens eſt, coexiſtentem, aut ei omnino quod maximè unum. Quod ſi maximè enti, certè reliquæ unitates æquiuocè ſic appellabuntur: neque in eo

F dem ordine cum prima conſtituentur: aut ſanè numerus ex unitatibus diſſimilibus congregabitur, unitatũq; ipſarum etiam qua unitates ſunt, differentiæ quædam erunt. Si autẽ maximè uni illam copulari quis dixerit, cúr nam egeat (quod maximè unum eſt) hac unitate, ut ſit unum? Si ergo hęc impoſſibilia ſunt, neceſſarium eſt eſſe unum: quod quidem nihil aliud ſit præter nudum unum, eſſentia ſua à quolibet ſegregatum, quodcunq; ſingulatim unum intelligatur atque dicatur. Si igitur unum abſque re illa quæ dicitur unum, illic exiſtit, cúr non & unum aliud ibi ſubſiſtat? atque unumquodque ſeorſum unitates multæ, quæ & multa unum? Si autem natura deinceps quodammodo generet, imò verò genuerit, aut ſaltem non deſtiterit in uno eorum quæ genuit: ideoq; unum quodammodo continuum fecerit, nimirum ubi circumſcribit iam, & in progreſſu ſtatim ſiſtit gradum, minores numeros procreat. Si autem procedat longius, nõ in alienis quidem, ſed in ipſis propriè motionibus maiores inſtituit numeros: atque ita ſingulis numeris ſingulas multitudines & quodlibet entium prorſus accommodat, utpote quæ rectè cognoſcit, niſi unumquodq; cum unoquoq; numero congruat, uel nullo modo fore, uel exorbitans aliquid numeri rationisq; expers accidere.

MAR-

A MARSILIVS.

Ambigitur nunquid quod dicitur unum, ſit res ſecundum ſe aliqua, an potius conceptio ſola mentis circa rem aliquam facta. Cap. XII.

ESt autem ſubſtãtialis unius uera notio inſita menti, per quam iudicamus hoc eſſe magis, illum minus unum, rurſuſq; non unum.

PLOTINVS.

SIquis autem ipſum quoque vnum & vnitatem ſubſiſtere neget, aſſerens nuſquam eſſe vnum, quod non ſit aliquid vnum: ideoq; affirmans quòd ipſum vnum dici ſolet, eſſe affectionem quandam animæ erga quodlibet entium: primò quidem quidnam prohibebit, etiam quando dicit ens hoc ipſum affectionem quandam animæ nuncupare, ensq; ipſum nihil prorſus exiſtere? Quòd ſi ens affirmet exiſtere, quoniam ſubpungit, pulſatq; animum, imaginationemq; entis adducit: ſimiliter & circa ipſum vnum pulſari quotidie animum, imaginationemq; ſubire videmus. Præterea quærendum eſt, nunquid affectionem notionemq; animæ tanq; vnum aut multitudinem videamus. Quinetiã quãdo dicimus non vnum, tunc ex ipſa quidem re non habemus vnum. Dicimus enim non eſſe in illa re vnum. habemus igitur ipſi apud nos vnum. Quod ſanè in animo eſt abſque eo quod vnum aliquid appellatur: tametſi obijciet aliquis habere nos vnum taquam ab externis intelligentiam & figuram quandam accipientes, velut aliquem mentis ex re ipſa conceptum. Qui enim eiuſmodi conceptus in-
B troducentes, numerum atque vnum in eorum genere collocant, tales eſſe aſſerent ſubſiſtentias, ſiquid talium habeat ſubſiſtentiam, aduerſum quos de rebus eiuſmodi opportunè diſſerere licet: ſiquidem talem quãdam velut poſteriorem à rebus ipſis paſſionem vel notionem in nobis fieri dicant: quale ſit quod dicitur hoc & aliquid, turba, celebritas, exercitus, multitudo. Etenim quemadmodũ multitudo præter res illas quæ multæ dicuntur, nihil exiſtit: neq; rurſum celebritas præter homines congregatos ſacriſq; gaudentes: ita neq; vnum præter rem vnam eſſe aliquid aſſerent, quando videlicet ſolum aliquid et ab alijs abſolutum excogitantes, vnum ipſum aſſeueramus. Adducent præterea alia generis eiuſdem multa, ſicut dextrũ ac ſurſum, horumq; oppoſita. Quid enim erit, vt ex eorum ſententia loquar, in eo quod dextrum dicitur, ad ſubſiſtentiam pertinens, niſi id duntaxat, quòd hic quidem hoc in loco, ille verò in illo ſtat, aut ſedet? Item in eo quod ſurſum dicitur, idem accedere iudicabunt, ſcilicet hoc quidem poſitionem talem & in hac vniuerſi parte potius, quod ſurſum nominare ſolemus, ſignificare: illud autem habere ſe ſimiliter ad deorſum. Aduerſus hæc igitur in primis eſt afferendum, in horum quodlibet eſſe eorum quæ dicta ſunt aliquam ſubſiſtentiam: non eandem tamen in omnibus, ſiue eorum inter ſe, ſiue
C ad ipſum cunctorum vnum. Seorſum tamen aduerſus ſingula quæ dicta ſunt, eſt inſiſtendum.

MARSILIVS.

Quando dicitur homo unus, aliud ibi eſt homo, aliud unum, cuius participatione fit unus homo. Cap. XIII.

NAm & unum de non homine pariter prædicatur atque de homine, & homo ita multitudo quædam eſt ſicut & unus. Vnum ipſum de homine prædicatum non ſolùm negatiuum eſt, perinde ac ſi tantùm ſignificet hunc hominem, & non alium: nam poſtquam percepiſti hunc hominem reuera eſſe unum, ſtatim iudicas non eſſe illic hominem alterum, qui etiam ipſe in ſe ſit unus. Præterea tam firma eſt unius ipſius natura, ut oppoſitum eius, ideſt multitudo nec exiſtere poſsit abſq; uno, nec intelligi, imò & omnia quicquid ſunt, unione conſiſtunt: quaſi unum ipſum maximè per ſe exiſtat omniumq; ſupremum: ſine cuius participatione nulla in nobis oritur, & permanet cogitatio: itemq; cum unitatis participatione multitudo etiam diſcreta ſit aliquid unum, & continua magis unum, resq; indiuidua maximè unum: certè unum ipſum propriam poſſidet exiſtentiam. Præterea Peripatetici confirmant unum ſignificare aliquid ipſummet ſibi ipſi indiuiſum penitus & indiſtans, atq; in-

D terim affirmatiuum eſſe,non negatiuũ. Huic enim ſignificationi oppoſitum aiunt eſſe, uidelicet aliquid in ſe diuiſum: in qua diuiſione multitudo contingit unà cum priuatione: tum quia ſic prior eſſentia deſinit: tum etiam quia multitudine contingente negatiuè iam dicimus, neque hoc eſt iſtud, neque iſtud eſt illud. Quum igitur ſignificatio uni oppoſita ſit negatiua,ſequitur ſignificationem unius affirmatiuam eſſe. Denique unum adeò affirmatiuum eſt,ut & ipſum ponat multitudinem,neque uiciſsim: & quemadmodum Auicenna probat in Metaphyſicis, Vnum ab intellectu percipiatur,atque concipiatur antequam multa, quamuis imaginationi fortè aliter accidere poſsit.

PLOTINVS.

PRincipiò quod aiunt,à ſubiecto fieri notionem,vnius ipſius ſubiecti & hominis in ſenſu poſiti,vel cuiuſuis animalis aut lapidis, quónam modo rationi conſentaneum iudicabitur? Quippe quum aliud ſit qui cernitur homo, aliud autem neq; vllo modo idem ſit ipſum vnum, alioquin ipſa ratio cogitandi nunquam vnum de nõ homine prædicaret. Præterea quemadmodũ circa dextrum atq; talia cogitatio non temerè incitata, ſed differentem intuita ſitum,inquit hîc eſſe vel ibi:ita & hac in re cùm aliquid inſpexerit,enuntiat vnum: non enim vana quædã hæc paſsio eſt,neq; in re nulla vnum aſſerit. Neq; putandũ eſt, iccirco perpendere vnum,quia ſolùm hoc ſit,neq; aliud quicquã: nam in eo ipſo quod
E. inquit,neq; aliud,interim aliud vnũ dicit. Deinde hoc ipſum quod dicitur aliud & diuerſum,poſterius incidit. Niſi enim anniteretur ad vnum,neq; aliud,neque diuerſum cogitatio diceret. Item quando hoc ipſum quod nominatur ſolũ,pronuntiat, tunc vnum ſolum inquit. Quapropter dicit vnum antequã ſolum. Accedit ad hæc quòd ipſe dicens, prius quàm dicat de alio,vnum exiſtit vnum, atque idipſum de quo loquitur, prius qnàm dicat vel intelligat aliqua circa ipſum eſt ſimiliter vnum. Aut enim vnum eſt, aut plura quàm vnum atq; multa. Ac ſi multa ſit, neceſſarium eſt antecedere vnum:ſiquidem & quando multitudinem inquit,plura vno pronuntiat:& quando exercitum multos ait armatos in vnum ordinatos intelligit. Cogitatio ſanè multitudinem non permittit multitudinem permanere: qua quidem in re patefacit vnius ſubſiſtentiam, dum non exhibet vnum quod nullo modo habeat multitudo: vnum nanq; quod reſultat ex ordine, acutè admodum celeriterq; perſpiciens, ipſam multi naturam redegit in vnum. Iam verò neque hac quidem in re de vno mentitur & fallitur:quemadmodum & in domo nobis occurrit quiddam ex multis lapidibus vnum, magis tamen in domo vnum quàm in exercitu. Si ergo vnum magis eſt in continuo, ma
F gisq; etiam in re prorſus indiuiſibili: conſtat planè ſic euenire, propterea quod ipſum vnum natura quædam eſt,atque ſubſiſtit. Fieri enim nullo modo poteſt, vt in his quæ non ſunt magis magisue ſit aliquid. Sed quemadmodum de vno quoq; ſenſibilium, ac etiam de intelligibilibus ſubſtantiam prædicantes,principaliùs de intelligibilibus prædicamus, in ipſo entium ordine hoc ipſum quòd dicitur,magis principaliusq; ponentes, atque ens magis in ſubſtantia etiam ſenſibili quàm in generibus alijs: ſic & vnum magis atque principalius,tum in ipſis ſenſibilibus differens ſecũdum magis, tum in ipſis intelligibilibus inſpicientes, eſſe cõſideramus modis omnibus vnum, & ad ipſum vnũ denique cuncta referri.

CAPVT XIIII.

QVemadmodum verò eſſentia atq; eſſe nõ ſenſibile quicquã,ſed intelligibile eſt,quamuis ſenſibile eorũ ſit particeps:ſic & vnũ circa ſenſibile quidem,ſecũdum participationem quandam conſideratur: intelligibile tamen eſt, & cogitatio ipſum modo intelligibili percipit:in eoq; percipiendo ab alio intelligit aliud quod non videt. Præſciuit igitur: ſi verò præſciuit, igitur & exiſtens hoc aliquid, quod idem eſt cum eo quod dicitur exiſtens. Atqui & quando aliquid vnum dicit, rurſus dicit vnum: ſicut quando quoſdam duos, & quando multos quoſdam. Si igitur non licet intelligere quicquam abſque vno vel duobus,vel alio quodam numero,non licet dicere non exiſtere illud abſque quo intelligere

A telligere vel dicere aliquid nõ valemus. Impoſſibile enim eſt negare illud exiſtere, quo non exiſtente vel dicere vel intelligere nihil poſſumus: ſed illud omnino quod vbique neceſſarium eſt ad omnem intelligentiæ ſermonisq; generationem antecedere ſermonem intelligentiamq; oportet. Sic enim ad horum generationem efficiendã aſſumi poſſe videtur. Quòd ſi & ad eſſentiæ cuiuslibet ſubſiſtentiam neceſſariò confert, nullum enim eſt ens quod non ſit & vnum, nimirum & ante eſſentiam extat, & gignit eſſentiam. Quamobrem & vnum ens dici ſolet, non autem ens quidem deinde vnum: nam in eo quod ens eſt, exiſtit & vnum, ideoq; multa: viciſſim verò in eo quòd vnum non ſimiliter ens exiſtit, niſi fortè ipſius genituræ annuẽs ſic effecerit ipſum. Proinde quod dici ſolet hoc, in re aliqua demoſtranda non eſt vanum: nempe pro rei ipſius nomine dicit ſubſiſtentiam demonſtratam, & præſentiam quandam, ſiue eſſentiam, ſiue aliud quicquam entium præ ſe ferat. Itaque quod dici ſolet hoc, non vanum aliquid nobis ſignificat, neq; eſt duntaxat cogitationis affectio in re nuſquã exiſtente, ſed rem ſubiectam præfert, perinde ac ſi proprium alicuius afferat nomen.

MARSILIVS.

Non eſt putandum ipſum quod dicitur unum, relationem quandam tantùm ſignificare: non enim deſinunt eſſe unum, niſi per propriam paßionem: & quoniã moles per accidentalem diuiſionem ex uno fit duo, deſinit quidem eſſe unum, non tamen deſinit eſſe moles aut calor, quaſi unitas ibi aliud quiddam ſit quàm moles, aut calor

B *atque ſimilia.* Cap. XV.

SIgnum quod primum ens priuś quodammodo unum exiſtit quàm ens, inde ſumitur quia ſingula prius amittunt unionem propriam eſſentialemq;, mox eſſentiam quaſi unitas ſit eſſentiæ columen. Eſt autem unitas in rebus quidem incorporeis eſſentialis, in rebus ucrò corporeis accidentalis, atque in his quoq; incorporeum quiddam eſt potius quàm corporeum, atque ita unitatis tanquam naturæ cuinſdam præſentia quodlibet euadit unum: ſicut cuiuslibet qualitatis præſentia quale. Similiter quòd aliqua duo ſint, non propriè cauſa eſt mutua propinquatio: nam & ſegregatio interdum, ideſt, diuiſio ad idem cõferre uidebitur: ſed participatio duitatis, quæ & ipſa & quilibet numerus ita eſt ſpecies per ſe quædam, ſicut qualitas atque quantitas: imò magis quàm continua quantitas quæ per numerum menſuratur. Sunt ergo ſex numerorum gradus deinceps poſiti, primus in primo ente ſuper ideas. Secundus ideis ingenitus: tertius in ſubſtantijs incorporeis: quartus in eiuſmodi utribus: quintus in corporibus aptè connexis: ſextus in corporibus quaſi diuulſis.

PLOTINVS.

ADuerſus illa verò quæ à quibuſdam dicuntur vnum in quadam relatione ponentibus probabiliter reſpondere quis poteſt, ipſum quidem vnũ non eſſe tale, vt patiẽte alio ipſum interea nihil paſſum è natura propria decidat: ſed neceſſarium eſt ſi ex ipſo quod vnum eſt, caſurum ſit, quandam vnius priuationem pati, in duo ſcilicet vel plura diuiſum. Si ergo moles eadem diuiſa fit duo, C neque diſperditur interim, qua ratione moles eſt, conſtat planè præter ſubiectum ih ea fuiſſe vnum ibi præſens quod iam abiecit, partitione ipſum interimente. Iam verò quòd aliâs quidem idem ipſum adeſt, aliâs autem abit: quid nam prohibet quo minus vbicunque ſit, in quodam entium ordine computemus? Aſſeramus & ijs accidiſſe: ſecundum verò ſeipſum eſſe, quando tum inſenſibilibus, tum intelligibilibus ipſis apparet, atque poſterioribus quidem aduenit velut accidens. In ſeipſo autem in ipſis intelligibilibus eſſe cenſetur, præcipuè illorum primò, quandoquidem vnum primò, deinde ens exiſtit. At ſiquis obiecerit, ipſum quoque vnum, dum nihil propriè patitur, ſed accedente ad ipſum alio quopiam, non vlterius vnum fore, ſed duo, non rectè dicet: non enim ipſum vnũ factũ eſt duo: neq; illud cui aliquid eſt appoſitũ: neq; etiã quid eſt appoſitũ, ſed vtrunq; permanet vnũ, ſicut erat. Duo verò ipſa de ambobus prædicantur, vnum autẽ ſeorſum de vtroq; manente. Non igitur ipſa duo ſuapte natura in quadam habitudine & relatione conſiſtunt, ſimiliter ue dualitas,

D Verùm ſi ſecundum congreſſum quendam id contingat, & hoc ipſum quod eſt in congreſſu conſiſtere, idem ſit omnino atque facere duo, forſitan eiuſmodi habitudo ipſa duo eſt atque dualitas. Nunc autem in contraria inſuper paſſione duitas rurſus apparet, nempe vno quodam diuiſo, duo fiunt. Quamobrem ipſa duo neque congreſſus, neque ſeparatio quædam ſunt, vt ita duntaxat ſint habitudo. Eadem de omni numero ratio eſt: quando enim habitudo ipſa eſt quæ generat aliquid, impoſſibile eſt contrariã habitudinem idem prorſus efficere, adeò vt hæc ipſa res propriè ſit habitudo. Qúænam igitur præcipua cauſa eſt? Profectò cauſa ob quam aliquid vnum eſt, ipſa vnius præſentia eſt, ſimiliter ob quam duo præſentia duitatis: quemadmodũ & albedinis album, pulchritudinis pulchrũ, iuſtitiæ præſentia iuſtum. Alioquin neque hæc quidem exiſtere dicenda erunt: ſed in ijs quoque habitudines quædam pro cauſis aſſignandæ: velut iuſtum quidem ob talem quandam ad hæc vel illa habitudinem iuſtum eſſe putandum. Pulchrum verò, quoniam ſic afficimur, quum tamen nihil ſit in ipſo ſubiecto, quod ſuapte natura ſic nos afficiat: neque etiam velut aduentitium adſit ei quod occurrit vt pulchrum. Quando igitur aliquid vides vnum, quod & vnum
E dicis, omnino & magnum quodammodo eſt & pulchrum, & multis ſic alijs modis affectũ. Sicut igitur magnum & magnitudo in eo eſt dulceq; & amarum, & cæteræ qualitates, cur non ibi ſit & vnum? Neque enim putandum eſt, qualitatem quidem, qualiſcunq; ſit, reuera omnem exiſtere: quantitatem verò in ipſo entium ordine nõ exiſtere. Neque rurſus duntaxat continuam quantitatem, diſcretam verò nequaquam, præſertim quia continua quantitas diſcreta vtitur vt menſura. Quemadmodum igitur magnum aliquid eſt præſentia magnitudinis, ſic & vnum vnius ipſius, & duo præſentia duitatis, cæteraq; ſimiliter. Siquis autem curioſius inquirat, qua potiſſimùm conditione res vnum numerumq; participent, communis erit eiuſmodi quæſtio, cum participatione cæterarum ſpecierum cõmuniter inquiſita. Denique iudicandum eſt in rebus diſcretis aliter conſiderari denarium intus videlicet exiſtentem, aliter in continuis, aliter quoque in tot tantisq; viribus congregatis in vnum. In ipſis tandem intelligibilib. aliter, ad quæ inde facilè peruentũ fuerit. Præterea ibi veriſſimos eſſe numeros, nõ qui inſpiciantur in alijs, ſed qui in ſeipſis exiſtant, velut ipſum denarium, non dico quarundam intelligibilium rerum denarium, ſed ſimpliciter ipſum.

MARSILIVS.

F *Mundus ille diuinus ideo perfectum animal eſt, quia uniuerſum iam poſſidet numerum animalium. Talem uerò animalium numerum habet, quoniam numerum ipſum ſimpliciter uniuerſum habet. Illic igitur ipſe ſimpliciter numerus, tum animalia omnia, tum perfectionem illius mundi præcedit.* Cap. XVI.

PArit enim omniformes in ſe ideas, ſuo uidelicet quodam motu: motu inquam numeroſo, alioquin uaria minimè generaret: nempe ens ipſum in ſe concipit entia, ſeipſum duntaxat in ea multiplicando. Quum uerò non multiplicet ſeipſum, niſi uirtute numeri, meritò illic entia numerus antecedit, ſicut unum eſt ente ſuperius. Denique quemadmodum Luna ſuperne quidem uniformi lumine Solem ſuſpicit, ſubter uerò difformi lumine difformia generat: ſic ens primum unitate ſua tanquam uertice ipſum ſimpliciter unum aſpicit, numero autem mox comitante, entia numeroſa, ſpeciẽſque profert.

PLOTINVS.

SEd iterum ab initio poſt hæc iam dicta dicamus, illud ſimul vniuerſum verumq; ens eſſe tum ens ipſum, tum intellectũ, tum animal abſolutũ, ſimulq; animalia cuncta. Cuius quidem vnitatem vniuerſum hoc mundanũ animal vnitate ſua pro viribus imitatur. Pro viribus inquã, quoniam ſenſibilis huius natura ab illo vno diſceſſit, ſiquidẽ ſenſibilis fore debuit. Oportet præterea ſupernum illud eſſe numerum vniuerſum: niſi enim perfectus foret numerus, defectum alicuius numeri pati poſſet, atque niſi numerus vniuerſus animalium eſſet in eo, non eſſet

a non eſſet animal penitus abſolutum. Eſt itaq; numerus ante omne animal, & ante animal vniuerſum. Homo ſanè in mũdo intelligibili cæteraq; animalia inſunt qua ſunt animalia: et rurſus qua illud eſt animal vniuerſum: nam & qui apud nos eſt homo, pars eſt vniuerſi, qua ratione animal, eſt vniuerſum: ſimiliterq; vnumquodq; qua animal eſt, illic exiſtit in animali. In intellectu autem quatenus intellectus, ſunt intellectus omnes ſingulatim velut partes, quorum eſt etiam numerus: neq; igitur in mente primò numerus eſt. Quatenus autem eſt in mente, ita & tot cenſetur, ſicut quotq; actus ibi ſunt mentis: & tanquam mentis iuſtitia illic eſt atque temperantia, cęteraq; virtutes: item ſcientia & quodcunq; intellectus poſſidens, reuera intellectus eſſe cenſetur. Verũ ſi ſcientia eſt in eo, quidnã prohibet ſcientiam in alio potius quàm in ſeipſa cõſiſtere? Prohibet certè, quia ſciens illic, ſcitumq;, & ſcientia idem ſimul exiſtunt, cæteraq; ſimiliter. Quamobrem vnumquodq; primò illic exiſtit: neq; accidens eſt ibi iuſtitia, quamuis animæ qua ratione anima eſt, ſic accidens: nam in potentia potius in anima hæc eſſe videntur: in actu deniq;, quando ad intellectũ ſurgit, habitatq; cum illo. Præter hoc autẽ ipſum iam ens exiſtit, numerusq; in eo cum quo entia generat, agitatum videlicet ſecundum numerum: atq; ita numeros exiſtentiæ entium anteponens, ad eamq; accommodans. Quemadmodũ & ipſius vnum eiuſdem exiſtentiæ eſt præfectum, ens ipſum copulans ad ipſum primum: numeri verò ad primũ alia non coniungunt. ſufficit enim ad hoc ens ipſum ipſi vni prorſus anne
b xum: ens autem euadens numerus ſecũ ipſo conciliat entia. Diuiditur enim nõ quatenus exiſtit vnum, ſed permanet ipſum ipſius vnum. Diuiſum verò ſuapte natura in quot vtiq; voluiſſet, animaduertit in quot prorſus diuideretur, numerumq; genuit in ipſo igitur exiſtentem: viribus nanq; numeri diuiſum eſt, totq; genuit quot ipſe numerus erat. Principium igitur fonsq; exiſtendi entibus omnibus numerus ipſe eſt primus & verus. Quapropter & hoc in mundo ſingulorum generatio certis numeris agitur, ac ſi alius numerus aſſumatur, aut gignitur aliud, aut nihil penitus generatur: atque ij quidem primi numeri ſunt tanquam numerabiles. Qui verò ſunt in alijs, iam vtraq; habent: qua enim ratione ſunt ab his, numerabiles ſunt: qua verò præter eos exiſtentes ſecundum eos agunt, alia metiuntur, tum numeros, tum numerabilia numerãtes. Quo enim potiſſimũ decem dicere queant, niſi numeris penes ſe exiſtentibus?

MARSILIVS.

Quando homines fortè decurrentes numeras, numerum ipſe nouum penes te facis in genere quantitatis. Quando uerò decem homines ad idem ordinatos in choro conſideras, præter denariũ tuum, & eſt in eis denarius ordinatus in genere quantitatis, ſed numerus partium in re qualibet naturaliũ eſſentialis eſt, & naturaliter in ſubſtantiæ genere collocatus.

c Cap. XVII.

ESſentialis quoq; numerus eſt in anima, ex pluribus uidelicet ſuaptenatura harmonicè conſtitura, eſſentialis in mente diuina numerus, tum idearum inter ſe ſerie certa diſpoſitarum, tum etiam partium in quauis idea ſuarum, tum deniq; ſuper ideas numerus ipſe ſimpliciter.

PLOTINVS.

PErcõtabitur nos aliquis fortè deinceps hunc in modũ: Numeros iſtos quos primos nominatis & veros, vbinam ponitis? Et in quo potiſſimũ rerum genere collocatis? Apud omnes ſanè in genere quantitatis eſſe videntur. Vos etiam in ſuperioribus mentionem de quantitate feciſtis, exiſtimantes ſicut continuam, ita quoq; diſcretam quantitatem in ipſo entium ordine ſtatuendam. Sed rurſus affertis numeros iſtos entium eſſe primorũ, vel etiam ſuper illa, aliosq; iterum numeros præter illos eſſe dicitis numerantes. Quónã igitur modo talia diſponatis, nobis precor exponite: plurima enim ex hac opinione dubitatio naſcitur: quandoquidẽ & vnum quod rebus ſenſibilibus ineſt, in controuerſiã venit, vtrum ſit quantum aliquid: an potius ſi vnum ſæpius aſſumatur, ſit quantum,

D Sin autem excipiatur ſolùm, tunc non quantum quicq̃, ſed quantitatis initium. Rurſus vbi eſt principiũ quantitatis, vtrum cognatum ſit vel alienum. Hęc itaq; omnia explanare nobis iure debetis. Tractãdum igitur nobis his de rebus hinc forſan exordientibus. Quando ſanè? At primùm in materia hoc ſenſibili pertractandum. Quando inquã, alium vnà cum alio accipiens duo dicis, velut canem & hominem, vel etiam duos homines, aut plures, ceu decem computans, hominumq; denarium dicens, hic numerus non eſt ſubſtãtia, neq; etiam vt rebus ſenſibilibus ineſt, ſed purè quantitas. Iam verò tu partiens ſecundũ vnum, faciensq; huius denarij partes ſingulas vnitates, principium efficis quantitatis, vnus enim ex ipſo decem numero, nõ eſt ipſum per ſe vnum. Quando verò hominẽ ipſum in ſeipſo numerum quendam dicis ceu binariũ, animal atq; rationale, non vnus amplius modus hîc obſeruatur: ſed quatenus diſcurris & numeras, quantum aliquid efficis. Qua verò ratione ſubiecta ſunt duo, & vtrunq; vnum, ſiquidem vnum vtrunq; complet eſſentiam, & in ambobus eſt vnitas, numerum alium eſſentialemq; pronuntias: atq; hic binarius nõ poſterius incidit, neq; ſolùm quantitatem quandam ſignificat extra rem ipſam, ſed quod eſt in eſſentia, continetq; ipſam rei naturam. Non tu hîc efficis numerum diſcurrendo, dum res per ſe exiE ſtentes proſequeris, quæ quidem tuo numerandi actu non procreantur. Quid enim accedat alteri homini ad eſſentiam, quãdo cum alio quopiam numeratur? Non enim ibi eſt vnitas aliqua qualis in choro, ſed iſte denarius hominum in te duntaxat enumerante exiſtere poterit: in ipſis verò decem quos numeras, ſiquidem nullo ordine conciliantur in vnum, neq; denarius quidem eſſe dicetur, ſed decem ipſe facis, numerans videlicet, & quantum reddens hunc ibi denarium. at in ipſo choro atq; exercitu eſt & aliquid extra te, præter id quod exiſtit in te. Sed quonam modo in te? Forſan ipſe numerus tibi ante numerandi actum inſitus ſe aliter habet. Numerus autem reſultãs ex eo quod apparet extrinſecus, ad illum qui eſt in te, actus eſt vel illorum, vel ſecundũ illos, dum tu videlicet ſimul numeras & procreas numerum, atq; in hoc ipſo actu exiſtentiam efficis quantitatis: quemadmodum in gradiendo motionis cuiuſdam efficis exiſtentiã. Quo igitur modo qui nobis eſt inſitus, ſe aliter habet? Eſt ipſe profectò noſtræ eſſentiæ numerus, quam Plato inquit eſſe numeri harmoniæq; participem, rurſumq; numerum harmoniamq; exiſtere: inquit itaq; aliquis neq; corpus eſſe, neq; magnitudinem, ideoq; animam eſſe numerum, ſiquidem ſit eſſentia, corporis quidem numerus eſſentia eſt vt corpus: numerus autem animæ eſſentiæ quædam F eſt vt animæ ſunt. Iam verò in ipſo prorſus intelligibili mundo ſi ipſum ibi animal plura quædam eſt, velut trinitas aliqua, hæc ipſa trinitas quæ eſt in animali, eſſentialis exiſtit. Trinitas autem quæ nondum eſt animalis, ſed omnino trinitas in ente, principiũ eſt eſſentiæ. Si aũt illic enumeres animal & pulchrũ, vtrũq; ſanè eſt vnũ: tu verò penes te cõcipis numerũ, agisq; quãtitatẽ atq; binariũ. Veruntamẽ ſi virtutẽ dixeris quædã quatuor, certè quaternarius quidam eſt, velut partes virtutis conferentes ad vnum: licetq; dicere vnitatẽ quaternarium, velut ſubiectum aliquod: tu verò illi quaternarium qui in te eſt accommodas.

MARSILIVS.

Corpora quidem in dimenſiones, hæ uerò in numeros reſoluuntur. In primo igitur exemplari uumeri quidem dimenſiones, hæ autem corpora antecedunt. Cap. XVIII.

PRofectò ante corpus naturale eſt ipſum ſimpliciter corpus: igitur & principia huius ante illius principia ſunt. Dimenſiones igitur quæ ſunt termini corporis: item numeri qui dimenſionũ menſuræ ſunt, ante propria rerum naturalium principia cogitantur: quapropter & ſine materia ſenſibili cognoſcuntur. Corpus profectò neque per materiam, neque per qualitatem propriè corpus eſt, ſed quantitatem: niſi enim hæc acceſſerit, utraq; eſt incorporea. Numeri igitur quum quantitatis principia ſint, probabiliter à Pythagoricis initia corporum appellantur: habent enim principiorum proprietatem: ſiquidẽ primis minimisq; ſunt differentijs conſtituti, & à ſimpliciſsima mox unitate procedunt.

A cedunt. Quæ quidem ſitum liberè ſupereminens antecedit punctum ſitui conſignatum: imò & ipſa ſupereſſentialis unitas omnem præcedit eſſentiam ſpecie deſignatam. Sunt in diuinis certè figurarum ideæ, per quas & mundi ſphæris & unicuiq; ſpeciei determinatæ figuræ ſunt. Illic autẽ dimenſio uel figura non aliter quàm deſtinatione quadam intelligentiæ terminatur. Linea illic hac tantùm ratione dicitur infinita, quoniam idealis lineæ ratio nullum habet terminum quantitatis, alioquin non æquè cum lineis quibuslibet maioribus minoribúsue congrueret. Eſſentia prima in primis conſideratur uiua, deinde intellectualis agnoſcitur: ſed quum primùm intellectualis eſt, ſimul etiam uiuens intellectuale, uel intellectuale animal definitur: numeri & figuræ prius illic inuoluta, mox cum intellectuali illic animali pariter euoluuntur.

PLOTINVS.

RElíquum eſt explanare qua conditione dicatur numerus infinitus. Hæ nanque rationes numero terminũ adhibent, & forſan rectè admodũ, ſiquidem numerus ſit futurus: infinitũ nanq; numero aduerſatur. Cúr nam igitur ſæpe ſolemus dicere numerum infinitũ? an fortè ſicut dicimus lineam infinitam? Dicimus autem infinitã lineam, non quia ſit aliqua talis, ſed quia liceat maxima linea ceu linea mundi maiorem excogitare: ſic & in numero. Poſtquã enim quantus ſit numerus cognouerimus, licet ipſum animo duplicare, non coniungendo quidem hunc illi numerũ. Quo enim pacto notionem imaginationẽq; quæ tibi ſoli ineſt, cum rebus extrinſecus exiſtentibus copulabis? Alioquin fortè dicemus infinitam in regione intelligibili lineam: erit enim quanta quæ linea illic erit.

B Verùm ſi nõ eſt ibi ciuſmodi quantitas, erit in numero infinitũ: ſed profectò infinitum ibi alia quadam dicitur ratione, non tanquã quòd non liceat pertrãſire: quonam modo igitur infinitum? Forſan quia in ipſa ipſius lineæ ratione nullus per intelligentiã terminus additur. Quidnam igitur, & vbi illic eſt linea? Eſt ſanè numero poſterius aliquid, in ea enim inſpicitur vnum: ſiquidẽ & ab vno incipit, & ad dimenſionẽ producitur vnam. Quantitas verò dimenſionis nõ habet terminũ. Sed vbinam? Hoc igitur ſolùm in intelligentia tanquã determinatrice conſiſtit: aut etiam res ipſa eſt, intellectualis tamen. Omnia nanq; ſic ibi ſunt, vt & intellectualia ſint, & quomodo res ipſa ſe habet. Atqui & de plano ac ſolido omnibusq; figuris vbi & quomodo diſponantur illic eſt præſignatũ. non enim nos duntaxat figuras excogitãdo creamus. Quod ſanè teſtatur ipſa mundi figura nos antecedens, & figuræ cæteræ naturales rebus natura conſtantibus naturaliter aſſignatæ, quæ quidem neceſſariò ante corpora ſunt, tanquam infigurabiles ibi, primæq; figuræ. Non enim formæ quædam ſunt iacentes in aliis, ſed ipſæ ſui iuris exiſtunt, ideoq; extenſione non indigent: nã quæ extenſa ſunt, aliis ſunt addicta. Vna igitur vndique figura eſt in ente, diſcretio verò facta eſt vel in ipſo animali ſeu viuente, vel ante animal atq; viuens. Dico autem fuiſſe vnũquodq;

C diſcretum, non quia protractũ aliquid ſit in molem, ſed quia ſua cuiq; animali ſit diſtributa figura. Proinde corporibus illic exiſtentibus ſuæ ſunt accommodatæ figuræ, velut igni, ſi placet, illi pyramis illa. Quapropter & hic mundus illa imitari contendit, quamuis propter materiam aſſequi omnino non valeat. Aliæ præterea figuræ ſecundum analogiam & proportionẽ quandam & hîc pariter ſunt & ibi. Sed nunquid in animali ſunt, quatenus animal ſeu viuens? An prius in intellectu figuræ ſunt? Sunt certè in animali. Si igitur animal comprehenderet intellectum, animali prius ineſſent: ſin verò viciſſim, prius ordine ſunt in mente. Quinimò etſi in illo penitus abſoluto viuente ſunt & animæ, prius eſt intellectus. Sed quidnam dicemus ad Platonicum illud? Quot inquit, in vniuerſo viuente inſpicit intellectus, & quæ ibi ſequuntur. Si ergo intellectus inſpicit illud, poſterior eſſe videtur, niſi fortè hoc ipſum quod dicitur inſpicit, ita ſit poſitum à Platone, vt in ipſa perſpectione animalis ipſius & animalium natura ſubſiſtat: non enim alius eſt qui cernit & qui videtur, ſed cuncta ſunt vnum, ipſaq; intelligentia nudam habet ſphæram: ipſum verò animal ſphæram poſſidet animalis,

D MARSILIVS.

Numerus rerum inter ſe formaliter differentium determinatus eſt in mundo incorporeo per numerum idealem, certum in mundo diuino, qui tamen illic infinitus dicitur, ſicut & quælibet idea: quia totam naturæ ſuæ uirtutisq; poſſidet plenitudinem, nec extrinſecus terminatur. Cap. XIX.

PVlchritudo primæ eſſentiæ ſuapte natura uiuentis eſt intelligentia ſua, cõuerſa ſemper ad ſeipſam & ad ipſum bonum. Præterea omnis intellectus & animus uitam illam intellectualẽ reuera contemplans, ac igitur inde lumine intellectuali pariter & uitali, & accedente ſtatim amore transformatur in illam. Prima eſſentia nec ab ullo ente uelut à contrario patitur: eſt enim totius entis cauſa, & omne ens eminenter, nec à non ente pati poteſt. Et quoniam per ſeipſam eſt, meritò ſemper eſt, atq; pleniſsimè. Pendet autem ab ipſo bono, dum uitam & intelligentiam antecedit: quamobrem uiuere & intelligere nobis eſt appetendum, ut & eſſe pleniſsimũ habeamus: hoc autem ut habeamus eſſe bonum. Principiũ deniq; eſt quod ſibi ſufficit. Anima quidem ſibimet ad motũ ſufficit: ens aũt ad ipſum eſſe ſibi ſatis eſt: ipſum uerò bonum ad bonum, atq; omnia. tria igitur principia uideri poſſunt.

PLOTINVS.

PRoinde numerus illic omnis eſt definitus: nos autem numero quocunq; dato maiorẽm finginus, atq; ſic infinitum in numerãdo contingit. Illic autem
E non poteſt ſemel intellecto numero maior intelligi numerus: iam enim exiſtit, neq; relictus eſt vllus, neq; in poſterum relinquetur, vt ipſi alius adiungatur. Fas eſt itaq; illic etiam appellare numerum infinitũ, propterea quòd non ſit menſuratus. A quo enim menſurari queat? Sed qui eſt, vniuerſus exiſtit, vnum exiſtẽs atq; ſimul, atqui & totus nec vllo termino cõprehenſus, ſed qui eſt ſibimet ſeq; ipſo conſiſtens. nullum enim omnino entium termino circũſcribitur: nam termi natum menſuratumq; cenſetur illud quod in infinitũ prolabi cohibetur, egetq; termino, illa verò menſuræ ſunt omnia, quamobrem ibi pulchra ſunt omnia: etenim qua ipſum animal eſt, exiſtit & pulchrum, vita optima prædituin, cui nihil omnino vitæ deſit, neq; vitam habeat morti permixtam. Nihil enim ibi mortale, nihil eſt moriens. neq; rurſus exilis debiliſue vita eſt animalis ipſius, ſed prima certiſsima habens integrum vitæ vigorem, ceu lumen primum, à quo animę quoq; & illic viuunt, & quæ huc deueniunt, inde ducunt. Nouit autem & cuius gratia viuat, & ad quod viuat, à quo videlicet viuit, nempe ex quo viuit, iterũ vi
F uit ad idem. Ipſa verò omniũ ſapientia intellectusq; vniuerſus adſtans, & coexiſtens, & ſimul exiſtens melius ipſum reddit quaſi colorans, ſapientiãq; commiſcens venerabiliorem, venuſtioremq; eius efficit pulchritudinem: quãdo & hîc vita ſapiens reuera eſt, ipſum apud nos pulchrum atq; venerandũ, quamuis obſcurè à nobis proſpiciatur, illic autem purè diſcernitur: tribuit enim videnti viſionem ipſam, vimq; ſimul qua magis & viuat: eficaciusq; viuens cernat etiã per ſpicacius, ipſumq; quod videt efficiatur. Apud nos enim intuitus ad inanimata ſæpiſſimè flectitur: & quando ad animalia vertitur, tunc quod in eis eſt non viuens, primùm nobis occurrit: & vita quę latet intus iam eſt ammixta. Illic autem animalia viuentiaq; ſunt omnia, totaq; & pura viuentia, ac ſiquid tanquam non animal illic acceperis, mox illud quoq; ſuam tibi vitam edit in lucem. Siquis deniq; eſſentiam in illis ſe diffundentem, eisq; præbentẽ vitam prorſus immobilẽ, rurſusq; prudentiã & illis propriã ſapientiã & ſcientiam fuerit cõtemplatus, totam protinus naturã hanc deridebit inferiorẽ, quòd ſibi eſſentiam cõmuni iudicio vendicet. Ab illa nanq; eſſentia peneſq; illam permanet vita, permanet intellectus: Entia verò in æuo conſiſtunt. nihil inde diſcedit, nihil vertit, nihil dimouet ipſum. Neq; enim eſt ens vltra ipſum aliquod quod illud attingat: ac ſiquid foret, ſub ipſo proculdubio foret: & ſiquid foret illi contrariũ, illud adhuc à contrario minimè pateretur. Ens autem ipſum hoc nequaquã effeciſſet ens, ſed alterum ſuper ipſum cõmune, eſſetq; illud ens ipſum. Quapropter hac ratione Parmenides rectè cùm vnum dixiſſet ipſum ens, non ob aliam conditionẽ eſſe addidit im-

A dit impaſsibile,ſed duntaxat,quia ſit ens ipſum.Hoc enim ſolùm ex ſeipſo poſſidet eſſe.Quo igitur modo quis ab illo ens adimat,vel aliud quicquam eorum quæ reuera eſt in actu, & quotcunq; poſsidet ex ſeipſo? Quatenus enim extat,ſua ſibi ſuggerit:eſt autem ſemper,ideo ſunt ſemper & illa.Adeo verò potẽtia eſt & pulchritudine magnum,vt ad ſe alliciat,rapiatq; omnia penitus ex ipſo pendentia,ſatisq; inde putantia ſibi factum,ſi vel eius veſtigium conſequãtur, quæ ſanè poſt hoc quærunt & bonum.Eſſe namq; ipſum quantũ ſpectat ad nos eſt ante bonum.Hic deniq; mundus omnis, ad hoc ipſum vt ſit,vitam ſapientiamq; affectat:omnisq; anima & intellectus omnis hoc ipſum quod eſt optat exiſtere:ipſum verò eſſe ſibi ipſi ſufficit.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI

LIBER SEPTIMVS, QVOMODO IDEARVM EXTITIT MVLTITVDO, ATQVE DE IPSO BONO.

MARSILIVS.

Deus prouidens animali non ita cogitauit,primò quidem animal inter contraria poſitum pati poſſe: ſecundò opus eſſe ſenſibus ut caueret,tertiò ſenſuum inſtrumentis:ſed uno ſtatim intelligentiæ ictu uirtutisq; momento cuncta in ipſo penes Deũ animali ſimul ordinatè diſpoſita ſunt. Cap. Primum.

B INtelligentia enim uirtusq; perfecta motum,ac ſenſum,& ſenſibilia mirabiliter antecedens, nec à ſenſu uel ſenſibili exorditur,nec inſtar mobilis alicuius ab hoc in iſtud,ab iſto in illud ordine ducitur quaſi gradibus,ſed in uno ſemel omnia poſsidet. Idea rei cuiuſq; quantumlibet compoſitæ motibusq; diſtractæ,in Deo ſimplex eſt,totaq; ſimul præſentia poſsidens quæcunq; in rebus apud nos temporibus euoluuntur.

PLOTINVS.

VM ipſe Deus vel ſaltem Deus aliquis animas in generationẽ demitteret,luciferos in facie oculos fabricauit,& inſtrumenta cætera reliquis adhibuit ſenſibus,præuidens videlicet ita demum animal poſſe ſeruari,ſi anteuideat audiatq; ſingula,& deniq; tangat:atq; ita alia quidem fugiat alia proſequatur.Sed vnde nam præuidit hæc Deus? Non enim putandũ eſt facta quõdam ab eo animalia quædam,quæ carentia ſenſibus repẽte perierint:itaq; Deũ hinc admonitũ ea in poſterum tribuiſſe,quibus inſtructi homines & animalia cætera æquè munita pernitiem deuitarent.Forſan verò quiſpiam afferet Deum antea cognouiſſe animal in calore & frigore cæteriſq; corporum paſsionibus verſaturum:itaq; talia cognoſcentem,ne facilè animalium corpora perderẽtur, ſenſum attribuiſſe,& inſtrumenta quibus ſenſus commodius vterẽtur. Verùm
C quærendum eſt deinceps vtrum animis eiuſmodi iam vires habentibus adiunxerit inſtrumenta,an vtraq; dederit.Si ſenſus quoq; tradidit,nõ erant antea ſenſuales,cum tamen animæ iam tunc exiſterẽt.Sin autẽ habebant iam quando factæ ſunt animæ,factæq; ſunt vt in generationem veniant,certè innatum eſt eis, vt in generationem veniant.Ex quo ſequi videbitur,vt præter naturam ſit à generatione diſcedere, & in mundo intelligibili viuere: itaq; factæ videntur vt alieni ſint iuris, habitentq; in malo,idq; prouidentia machinatur,vt cuſtodiãtur in malo:atqui & ratiocinatio Dei ſic ſe haberet,& omnino in Deo ratiocinatio foret.Vnde quærendum erit,quænam diſcurſionis eiuſmodi principia ſint. Si enim ex diſcurſionibus alijs,oportet tandem in aliquid,vel aliqua ſaltẽ ante diſcurſionem extantia penitus peruenire.Quænam igitur principia ſunt, aut ſenſus,aut potius intellectus? Verùm ſenſus quidem nondum erat exortus, igitur intellectus.Verùm ſi intellectus quidem eſt,ppoſitiones quædã,cõcluſio verò ſciẽtia,ſequiſ vt de nullo ſenſibili tunc fuerit cõſulatum.Non enim principium quidem ex intelligibili pendet,finis autẽ in quiddam non intelligibile deuenit.

D Tum verò quónammodo contigit ante ſenſibile talem quendam habitum excogitationemq; incidere? Quamobrem neq; animalis vllius, neq; omnino mũdi huius ex quadam rationis diſcurſione prouidẽtia contigit: ſiquidẽ nec omnino vlla apud deum argumentatio eſt, nominatur tamen interdum rationale quoddam in Deo conſilium, vt ita potiſsimum indicetur, ſic ab eo ſingula conſtituta, vt ſapiens aliquis in rebus poſterioribus conſilio faceret. Tum verò præuiſio nuncupatur in Deo: quoniam ita diſpoſuit, quemadmodum ſapiens aliquis rebus poſterioribus prouidiſſet. In his enim quæ ante argumentationem minimè fiunt, argumentatio confert ob potentiæ illius infirmitatem, quæ actũ argumentandi præcedit. Confert quoq; præuiſio, quoniam penes eum qui præuidet non erat facultas per quam non egeret præuiſione. Præuiſio enim huc tẽdit, vt non hoc quidem, ſed illud eueniat: vbi quodammodo timetur nequid incidat alienum. Vbi autem non hoc vel illud imminet, ſed hoc tantùm adeſt, non eſt vlla præuiſio: quinetiam argumentatio hoc pro illo quærere vel aſſummere ſolet. At vbi alterum adeſt ſolum, quidnam argumẽtatione ſit opus? Quo modo igitur illud quod eſt ſolum, & vnum, & omnino ſe ſimpliciter habet, re-
E uolutionem in ſe admittit eiuſmodi: in qua hoc aliquid ſtatuatur, ne forſitan eueniat aliud? In qua & dicatur, niſi hoc fiat, accideret illud. In qua rurſus addat hoc iam apparuit vtile, & ſi hoc fiat, ſeruabit effectum. Si enim apud Deum ita cogitaretur, igitur præuidiſſet: igitur & ante eſſet argumentatus. Atqui & quod modò ab initio dicebatur, ſenſus ac vires ob hoc ipſum dediſſe videtur: quamuis tributio hæc vtrum fiat, & quomodo fiat, dubitationem plurimam ſubeat. Verùm tamen ſi oportet quamlibet illic actionem eſſe defectus expertem, neq; fas eſt penes Deum eſſe aliquid quod non ſit totum & vniuerſum, profectò neceſſarium eſt in vno quoq; eorum, quæ dei ipſius propria ſunt omnia cõtineri. Quamobrem cum & ipſum futurũ, ſit ibi iam præſens, nihil eſt in eo poſterius. Verùm quod ibi iam adeſt, poſterius euadit in alio. Si ergo futurum, iam eſt præſens, neceſſe eſt ſic eſſe præſens, tanquam præcognitum in poſterius: ideſt, vt nihil tunc indigeat aliquo: ideſt, vt nihil deſit omnino. Omnia igitur iam erant: erantq; ſemper, & ita erant, vt poſterius liceret dicere, hoc eſſe poſt illud: nẽpe quando quod illic eſt explicatur & panditur, tunc hoc poſt illud apparet. Qua verò ratione ſecum ſimul exiſtit, non occurrit hoc amplius atque illud, ſed potius hoc vniuerſum: ideſt cauſam quoq; poſsidens in ſeipſo.

F

MARSILIVS.

Duo de quolibet potiſsima quæri ſolent: quid videlicet, & propter quid res ipſa ſit. Illud quidem explicatur definitione, hoc autem declaratur aſsignatione cauſæ efficientis, atq; finalis: & inuicem coniuncta ſunt ambo. Cap. II.

SEnſus quidem neutrum quærit: ratio uerò quærit utrunq; ſeorſum: intellectus autem poſsidet utrunq; ſimul. Atq; in hoc ratio ſimul conſequitur ambo: nempe cum primum quid ipſa rei natura ſit definierit, mox in ea ipſa definitione deprehendit efficientem eius cauſam & finalem, atq; uicißim cum primum eiuſmodi cauſam apprehenderit, comprehendit ibidem ipſius rei naturam. Præterea in animali tum mundano, tum quolibet, ita membra inuicem ſunt contexta, totaq; ſimul prodeunt, ut quouis in ſpecto cauſa ſtatim eiuſdem conſpiciatur, atq; conuerſo. Multo maior in mundo diuino eſt utriuſq; copula, ubi in quauis idea cæterę ſunt cõnexæ. Atq; mẽs ipſa quid ſimul, & propter quid de unoquoq; tenens idea quælibet ipſamet exiſtit. Denicq; ignis quidẽ quòd naſcatur, quod ita ſe habeat, quòd ſic agat, ſic patiatur, ſortitur cauſam aliunde: quòd autem ſit hoc ipſum quod naturaliter eſt, ſcilicet corpus calidum, ſiccum, lucidum, non aliunde reportat: ſed ob hoc tantùm quòd eſt ignis profert hæc tria ſimul, atq; uicißim. Hac igitur ratione quid in eius natura, & propter quid minimè ſegregantur: unde rerum ſpecies definitionesq; ſolent à Platonicis neceſſariæ æternæq; nuncupari.

PLO-

PLOTINVS.

A HInc igitur aliquis non minus naturam mentis perdiſcere poteſt, quam magis etiã quàm alia cernimus: neq; ſic tamen, vt quanti ſit mens videamus. Iam verò mentem dicimus penes ſe habere quid vnumquodq; ſit, propter quid autem minimè. Aut ſi id conceſſerimus, non tamen alterum ſeorſum habebit ab altero. Videamus age hominem, aut oculum ſi contingat, illic exiſtentem tanquam ſimulachrum aliquod & ſpectaculum, vel ſpectaculi partem. Tale profectò quiddam eſt homo illic, & propter quid rurſus homo. Siquidem intellectualem oportet illic eſſe hominem atque oculum, & in eo intellectuali conditione propter quid ſit contineri: alioquin illic omnino non erit, niſi hoc ipſum quod dicitur propter quid in ſeipſo contineat. Apud nos autem quemdmodum partes aliæ ab aliis quodãmodo ſeparatæ ſunt, ſic & ipſum propter quid ab eo quod quid eſt ſimiliter ſeparatur. At verò illic in vno ſunt omnia: quapropter idem eſt omnino res ipſa, & propter quid res ita ſe habeat. Sæpe etiam in regione corporea res ipſa, & propter quid ad rem eandem pertinens, prorſus eſt idem: velut quid eſt Solis Lunæ ue defectus. Quidnam igitur prohibet, & vnũquodq; tum quid, tum propter quid eſſe? Atq; hoc ipſum propter quid eſſe eſſentiam cuiuſcunq; : imò verò neceſſarium eſt. Vnde illis qui ſic quid vnumquodq; ſit conantur accipere, rectè ſuccedit. Quod enim eſt vnũquodq;, propter hoc & exiſtit. Non autẽ dico nunc ita, quia ſpecies vnicuiq; cauſa ſit eſſendi: id nanq; verum eſſe conſtat: ſed quia ſi quamlibet ſpeciem penes ſe ipſam euoluas, ſtatim pro-
B pter quid in ea reperies. Quod enim inefficacẽ & vanam eſſentiam vitamq; ſortitur, nõ omnino propter quid poſſidet in ſeipſo. Quod autem & ſpecies eſt, & mentis proprium, quónam modo aliunde propter quid ita ſit accipere poterit? Siquis autem accipere propter quid dicat à mente, certè non eſt ſeorſum: ſiquidem mens hæc ipſa ſpecies eſt. Si igitur oportet mentem habere hæc abſq; vllo defectu, neceſſarium eſt, neque ipſum quidem propter quid eis vllo modo deeſſe. Mens autem penes ſeipſam habet propter quid potiſſimùm ſingula quæ in ea ſunt, ita ſe habeant: quæ verò in ea ſunt, eadem ipſa mens exiſtit, tum ſummatim, tum etiam ſingulatim: adeò vt nihil eorum hoc ipſo quod dicitur propter quid factum ſit, egeat: ſed ſimul & factum eſt, & habet in ſe propriæ ſubſtantiæ cauſam. Quum verò non ſit temerè genitum, nihil prętermiſit omnino, quod ad rationem propter quid ſit ita pertineat: ſed poſſidens vniuerſum, habet ſimul & rationem propter quid ita bene fiat ad cauſam pertinẽtem. Præterea & his quæ participant, ita naturam tradit, vt etiam propter quid ſic eam acceperint, nanciſcantur. Proinde ſicut in hoc mundo ex multis compoſito omnia inter ſe connexa ſunt, atq; in eo ipſo quod in eo ſunt omnia ineſt inſuper propter quid, ita ſit
C vnumquodq;, quemadmodũ & in quouis corpore pars ad totum ſe habere videtur: vbi profectò non ſit quidem hoc primò, deinde poſt hoc & illud: ſed inuicem cauſam ſimul continent & effectum. Sic oportet multoq; magis illic & omnia ad totum ſingulatim ſeſe habere, & quodlibet ad ſeipſum. Quamobrem ſi eiuſmodi ſimul omnium conſiſtentia eſt, neq; temerè omnium, oportetq; nullo modo ſeiungi, nimirum effectus cauſas in ſe habent: & vnumquodq; tale eſt, vt quaſi cauſam habeat ſine cauſa. Si ergo cauſam eſſendi non habent, ſeipſis verò ſufficientia ſunt, etiam ſi ſolitaria ſint quantum ad ſocietatem cauſæ pertinet, profectò ſunt in ſeipſis ſecum habentia cauſam. Præterea ſi nihil ibi temerè eſt, multa verò in vnoquoque ſunt, & vnumquodq; eſt cuncta quæ poſsidet, poteris vtique propter quid ſit quodlibet explicare. Præerat igitur, & ſimul erat propter quid ibi, non propter quid propriè, ſed quid prorſus exiſtens: imò verò ambo ſunt vnum. Profectò ſi intellectualis ipſe mentis conceptus, qua mentis eſt, talis foret qualis imperfecta quædam genitura, nonnihil etiam ſuperflui pa-

D teretur. Si ergo conceptus eſt perfectus, in quo deficiat aſſignari non poteſt: neque afferri propter quid hoc non adſit. Cum igitur adſit, potes propter quid ſit præſens aſſeuerare: in ipſa igitur ſubſtantia ipſum propter quid ſit continetur. In qualibet igitur mentis notione actioneq; totum ſimul occurrit, velut in ea quæ ad hominẽ pertinet, totus præfulget homo ſimul afferens cum ea ſeipſum, atque omnia quæcunq; habet à principio ſimul poſſidens: itaque in promptu ſimul totus eſt poſitus. Iam verò niſi ſit totus, ſed aliquid inſuper ſit addendum, ad genituram id potius pertinebit. At ille ſemper eſt: quapropter eſt totus. Qui verò ſit homo, eſt procul dubio generabilis.

MARSILIVS.

Quoniam intellectualis forma per quam Deus agit, eſt ipſa natura Dei, facitq; eadem ſemper eodem modo, meritò non tam conſilio quodam agit, quàm naturali quadam forma ſeipſam foras quaſi naturaliter exprimente.

Cap. III.

IN qualibet forma diuinitus procreata uariæ quædam formæ ſunt, quaſi totius eſſentiæ partes. Propter eiuſmodi partes tota exiſtit eſſentia, & eſſentiæ gratia partes ſunt adhibitæ: & cunctæ partes eiuſmodi ipſa ſunt eſſentia. Vides igitur in formali ratione rei quid ipſa ſit, & propter quid pariter declarari.

PLOTINVS.

QVæret hîc aliquis, quidnam prohibeat, quo minus de illo intellectus antea conſultauerit. Sed dicendum eſt eſſe penitus ſecundum illum: ideoq; nihil adimendum eſſe, nihil addendum: veruntamen ob ipſam ſuppoſitionem fingitur ille conſultare atque argumentari. Suppoſitum nanq; eſt, illa fieri: atque ita nimirum deliberatio & diſcurſio quædam protinus adhibetur. Ex eo autem quod demonſtratũ eſt fieri ſemper, argumentatio tollitur. Nõ enim in eo quod ſemper extat, argumentatio competit: nanque etiam conditio hæc eſſet obliti quomodo prius egerit: deinde ſi melius efficit poſtea, opera ſua prius pulchra non eſſent: ſin verò pulchra erant, eodem modo res ipſa ſe habet. Pulchra verò ſunt, ſiquidem ſint vnà cum cauſa: quandoquidem & nunc pulchrum aliquid eſt, quoniam ſua poſſidet omnia. Hoc enim & ipſa ſpecies eſt quòd omnia poſſidet, præſertim ſi materiã occupet: occupat autem ſi nihil ipſius reliquerit non formatum. Informe verò relinqueret, ſiqua forma deeſſet velut oculus aut quod libet aliud: quamobrem vbi aſſignas cauſam, omnia dicis, cúr nam igitur oculi ſunt, vt videlicet adſint omnia? Iterum cur nares, vt omnia prorſus adſint? Iam verò ſi gratia ſalutis tribui hæc adducas, cuſtodem eſſentiæ quendam afferes in ipſamet exiſtentem: id autem eſſe aliquid conferens iudicabis. Sic igitur & ante hoc erat eſſentia: atque ita cauſa pars eſt eſſentiæ. Ac ſi aliud ſit, hoc ipſum ta
F men quod eſt eſſentia ipſius exiſtit. Omnia igitur inter ſe conſpirant, atque tota & perfecta & vniuerſa eſſentia eſt. atque hoc ipſum vt bene ſe habeat vnà cũ cauſa eſt, & eſt in cauſa. Atqui & eſſentia, & quod quid eſt, & propter quid eſt, vnum eſſe conuincitur. Si igitur in ipſa ſpecie velut humana incluſa hæc conditio eſt, vt ſenſualis homo ſit, & quomodo ſenſualis, æterna quadam neceſſitate perfectioneq; mentis: quæ ſi modò perfecta eſt, cauſas in ſeipſa complectitur, adeò vt nos animaduertamus in poſterum, ſic rem rectè diſponi: ibi enim cauſa vnum eſt cum eſſentia complens eſſentiam, atque homo illic non intellectus tantũ eſt, cui poſtea dum in generationẽ mittitur, ſentiendi uis adiungatur: ſi inquã res ita ſe habeat, dubitatur quidnã prohibeat quo minus ille intellectus ad hæc inclinetur. Quid enim erit hoc ipſum quod dicitur ſenſuale? An fortè quod apprehendere quandoq; ſenſibilia poſſit? Si ita ſit, quomodo non abſurdũ fuerit? Ibi quidem eſſe ſenſitiuum aliquid ab æterno, hîc verò denique perſentire, actumq; illius potentiæ hîc duntaxat expleri, quãdo anima deterior iam euaſit.

MAR-

A

MARSILIVS.

Vnaquæque res hoc ipſum quod eſt intrinſecus à forma ſpeciali naturaliter habet. Qui igitur hominem definit id quod eſt ex anima corporeq; coniunctum, non dum rationem formalem aſſignat, qua homo hoc ipſum quod eſt, exiſtit. Cap. IIII.

PLOTINVS.

Rurſus ad dubitationem hanc enodandam, quid homo ille ſit, tanquam ab initio nobis eſt aſſumendum. Ac forſan prius quid homo ſit hîc viuens, ſatius eſt explicare: ne forte nondum omnino quid hic ſit cognoſcentes, tanquã hunc iam teneamus curioſius illum inueſtigemus. Forte enim quibusdam videri poteſt homo idem eſſe hîc noſter & ille: initium verò conſiderandi hinc potiſsimum aſſumatur. Quærendum eſt ſanè, nunquid noſter hic homo ſit ratio quædam ab anima differens hunc hominem faciente, eíque vitam rationisq; diſcurſum ſuppeditante: an potius ipſa anima, talis inquam anima homo ſit? An denique homo ſit anima tali quodam corpore vtens? Verùm ſi homo eſt animal rationale, animal autem eſt quod ex anima corporéque componitur, definitiua hęc hominis ratio nõ eadem atque anima erit. Atqui ſi ipſa hominis ratio eſt, quod ex anima rationali conſtat & corpore, quómodonam erit ſubſtantia ſempiterna? Quippe cùm ratio hæc talis hominis tunc denique fiat, quando anima & corpus congrediuntur: nempe eiuſmodi ratio futurum ſignificat, neque talis eſt, quale quando dicimus ipſe homo, ſed potius definitioni cuidam ſimilis deſcriptioni inquam tali, qualis quod quid ſit non explicet. Nam neq; ſpeciei cuiuſquam eſt materialis, ſed deſignat potius compoſitum quiddam aliquando factum: ſi autem id ſit, nondum inuentus eſt homo, quem profectò ſecundum rationem ipſam eſſe conſtat. Si quis autem dicat rationem quidem talium oportere coniũctum aliquid eſſe, quod autem hac ipſa in re ineſt ſecundũ quod eſt vnumquodque non exiſtimet afferendum: quod tamen adducendum eſt, & ſi quàmmaximè rationes formarum materialium cum materia ſint aſsignandæ. Verumtamen rationem ipſam quæ facit vt homo ſit homo oportet accipere, apud eos præſertim, qui exiſtimant in vnaquaque re ritè definiẽda ipſum quod quid eſt penitus explicandum. Quidnam igitur eſt eſſe ipſum hominis? Ideſt, perinde ac ſi quæramus, quid eſt quod efficit hunc eſſe hominem, ita tamen vt nõ ſeparatum ſit, ſed inſit. Num igitur ratio ipſa eſt animal rationale? an potius hoc eſt coniunctum? Ipſa verò ratio rationalis animalis effectrix aliquid exiſtens ipſa, quid nam exiſtit? An forte in ipſa definitiua hominis ratione rationale animal ponitur pro vita quadam rationali? Ideóque homo vita rationalis erit. Sed
B C nunquid vita ſine anima? Aut enim anima rationalem præbebit vitam, homóque ipſe erit non ſubſtantia quædam, ſed actus aliquis animæ: aut potius anima homo erit. Verùm ſi anima ſcilicet rationalis ipſe homo erit, quando in animal aliud anima tranſit, quidnam prohibet adhuc hominem eſſe?

MARSILIVS.

Homo eſt anima intellectualis rationaliſq; ſimul & ſenſualis. Atque hæc animæ humanæ conditio ex amußim ad ideæ noſtræ charactérem eſt expreſſa. Cap. V.

QVæ quidem idea primus homo eſt: anima uerò ita ſicut dixi ſe habens eſt homo ſecundus: tertius uerò homo eſt & quaſi iam non homo, animal compoſitum ex corpore noſtro ſimul atque uita quadam huic infuſa ab anima præcedente, in qua ſenſus eſt efficacior, ni animali uerò ſenſus obtuſior, ſed humana quædam affectio quæ declarat hanc animalis uitam non ab anima tantùm ſphæræ, ſed à noſtra etiam dependere, ſicut noſtra diuinitus dependet ſemper & agit.

D PLOTINVS

OPortet igitur, hominem aliam quandam rationem esse præter animam. Iā verò quid nam obstat, adhuc coniunctum aliquid hominem esse? Animā scilicet in tali quadam ratione potissimum constitutam? Vbi profectò hæc ipsa ratio sit tanquam quidam actus eiusmodi: actus autem absque agente esse non possit. Sic enim & quæ seminibus rationes insunt se habere videntur: nam neque absque anima sunt, neque sunt simpliciter animæ. Efficaces enim rationes non sunt animæ prorsus expertes. Neq; mirari quisquam debet, tales essentias rationes existere. Sed enim rationes illæ quæ non faciunt hominem qualis animæ potissimum actus sunt? num fortè vegetalis animæ? an potius animal faciē tis clarioris profectò efficacioris q̄, atque ob hoc ipsum viuacioris? Anima verò talis assistens videlicet materiæ tali vtpote quæ sit hoc ipsum tanquam sic affecta etiam absque corpore esse iudicatur homo. Quæ profectò secundum seipsam aliquid format in corpore, & simulachrum hominis aliud quantum capit natura corporis efficit: quēadmodum & huius insuper simulachrum pictor effi cere solet: efficit inquam, hominem quendam deteriorem, qui tamen & formā habet, & rationes vel mores, affectiones q̄ & vires debiles & obscuras: obscura
E denique omnia, quoniam hic non est homo primus. Atqui & species sensuum aliter, & sensus alios, qui etsi perspicaces apparent, obtusi tamen sunt & imagines quædam, si cum superioribus sensibus conferantur: ipse verò huic præsidēs homo animæ iam diuinioris existit habentis hominem meliorem, sensus q̄ admodum clariores. Atqui hunc fortè hominem Plato definit, Adiungit autem in definiendo, animam vtentem corpore, quoniam anima quę definitur homo, incubat illi animæ, quæ proximè corpore vtitur. diuinior autem anima secundo loco vtitur corpore. Quando enim id quod factum est, sensuale iam euasit, consequitur hæc vitam tradens integriorem: imò verò non consequitur, sed quasi ipsam adhibet: non enim à mundo intelligibili distat, sed cōtingens assiduè illū velut sibi suspensam tenet inferiorem, commiscens seipsam cum ratione ad rationē. Quapropter homo hic in se obscurus, fit eiusmodi illustratione lucidior,

MARSILIVS.

Anima nostra sensum adeo radicitus habet, ut sensu quodam semper utatur. Cap. VI.

Nam & extra terrenum corpus per corpus aerium sentit in aere, & per cæleste corpus in cælo, hic quidem aeria maximè, ibi uerò cælestia. Quinetiam extra cælum intimo quodam imaginationis sensu ipsas intelligentiæ notiones in conceptus transformat imaginabiles. Vnusquisque nostrùm tres homines habet, idealem, rationalem, sensualem: qui sibi deinceps ordine sunt connexi. Sed alij
F nostrùm atque aliàs, secundum alium horum trium, atque alium uitam agunt. Et quatenus formas uiuendi mutant, eatenus commutant & dæmonas proprios præsentis uitæ duces. Tum uerò quæ uitam intellectualem potissimum agunt, dæmonem sublimiorem nactæ per eum etiam Deum ducem adipiscuntur. Ludit post hæc ægyptio more Plotinus circa irrationalis animæ transmigrationem, atque etiam circa transitum rationalis animæ in ipsam bruti naturam: quæ nec ipse prorsus affirmat, nec alij Platonici comprobant, & nos alibi confutauimus.

PLOTINVS

SEd quónam modo in anima illa præstantiore est sentiendi facultas? Profectò sentiendi vis illa ad ea propriè quæ illic dicuntur sensibilia pertinet: atq; ita ibi sensus est, sicut & sensibilia. Quapropter & ita sensibilem illo sensu percipit harmoniam, dum videlicet sensualis homo sensu continetur & percipit, atq; coaptat quod sequitur ad vltimum vsq; ad harmoniam ibi vigentem. Quinetiā ignis hic cum illo igne congruit, quem suo quodam sensu anima illa percipiebat, sensu inq̄ proportionem quandam habente ignis illius naturæ conuenientē. Si enim essent hæc ibi corpora, hęc & ibi anima sentiret, atq; animaduerteret Iam verò homo illic viuens talis quædam anima est, hæc apprehendere potens,

vnde

A vnde & posterior homo imitatio quædā illius imitatione quadam habet & rationes. Atque homo qui est in mente, hominem præfert omnes homines præced entem: qui sanè secundo fulget homini: secundus tertio quoque subrutilat. Habet autē quodāmodo omnes homo postremus non factus illis, sed potius adiacens. Agit aūt hic quidē noster ad vltimū: huic verò aliquid refulget à præcedente: illi rursus à tertio superiore subgeritur actus: atq; est vnusquisq; secundum quem & agit, quamuis vnusquisq; habeat omnes, rursusque non habeat Postquam verò tertia hæc vita separata est à corpore, similiterq; tertius homo, si proximè præcedens anima consequatur, consequens videlicet à supernis mi-, nimè segregata: tunc vbicunque est vltima, præcedens quoque dicitur esse. At cùm in bruti corpus traducitur, mirum videri potest quonam pacto eodē trāsferatur & illa, quæ hominis ipsius est ratio: sed profectò iam omnia erat: alias au tem agit secundum aliam rationem. Quatenus igitur existit pura, neq; dum deprauata est, hominem vult, homóque existit. Id nanque melius est, quód ue est melius agit. Agit quoque dæmones priores quidē, sed conformes illi quæ agit hominem: & qui ante ipsam est magis est dæmonicus: imò verò est Deus. Nempe imitatio quædam Dei est annexus Deo dęmon, quemadmodum homo hic
B suspensus ad hominem illum. Non enim Deus dicitur in quem proximè homo suspensus erigitur. Differentia nanque hîc eadem est, quam & animæ inter se habent, si quidem ex ordine sint eodem. Oportet autem dæmones dicere speciē dæmonum, quos Plato dæmones nuncupat. Quando verò comitatur animam quæ elegit iam bruti naturam, tunc quæ annexa est eratq; animæ superiori, etiā dum agebat hominem, insitam sibi seminalem animalis illius exhibet rationem Habet enim eam, actúsque eiusmodi deterior iudicatur.

MARSILIVS.

Quum Plotinus uelit ideam hominis cum idea equi commiscери non posse: item intellectum nostrum in diuinis perpetuò permanere: rationemq; ab intellectu proximè regi: rursus diuinam animæ nostræ naturam ad inferiora nequaquam præcipitari, sed uicißim animi hæc ad illam, consequens erat dicere, humanam speciem in equinam minimè permutari. Notabis in nostro corpore ultra uitale uestigium impressum ab anima mundi, quod nimium est commune, imprimi uestigium quoque uitale proprium q; ab anima nostra, atq; hāc ab anima mundi diuersam esse, nec ab externis, sed à seipsa potius permutari. Vnde consequens est, nulla eiusmodi mutatione speciem propriam prorsus exuere. Anima denique etiam in mundo diuino sensibus uti dicitur, quoniam corporea percipit, quamuis ab excelsiore specula prospicere uideatur Cap. VII.

PLOTINVS.

VErùm si anima iam deprauata factaq; deterior brutam fingit naturam, nō erat ab initio, quòd bouem faceret aut equum, seminalisq; ratio equi &
C equus præter naturam erunt: imò verò minus aliquid sunt, neq; tamen præter naturam. At illud quodammodo etiam ab initio equus, aut canis erat, atque si facultas suppetat, quod est melius efficit: sin minus saltem quodcunque potest, anima ipsa videlicet addicta iam ad agendum: quemadmodum artifices qui etsi sciunt species plurimas fabricare, id postea tamen agunt ad quod vel addicti sunt, vel quod sua quadam præparatione materia postulat. Quid enim obstat quin virtus animæ mundi, vtpote quæ est ratio vniuersa, materiam quodammodo præfiguret? prius etiam quàm ab anima particulari animales potentiæ veniant, & ipsa præfiguratio sit velut illustrationes quædam in materiam præcurrentes? Atque vestigia iam eiusmodi anima prosequens peragendo, singuláque vestigia membratim dearticulando proprium perficiat opus? Et quælibet anima potissimum id euadat, in quod inciderit, seipsam videlicet figurando? quemadmodum vnusquisque in tripudio atque ludo seipsum ad mandatum sibi actum gestúmque accommodat. Sed enim eo quod deinceps sequebatur, ducti hucusque deuenimus. Institutum verò nostrum erat inquirere, quomodo in ipso homine sit sentiendi facultas: & quomodo diuina

D illa ad generationem minimè inclinentur. Iam verò nobis apparuit, & ratio demonſtrauit, non illa quidem ad hæc aſpicere, ſed hæc potius ad illa prorſus annitì, inde pendere, illa pro viribus imitari, hominemq; hunc ab illo habere vires ad illa. Quin etiam ſenſibilia hæc cum hoc homine coniugari, illa verò cum illo. Illa enim quodammodo etiam ſenſibilia ſunt: quæ ita nominauimus, quia corpora ſunt, ſed aliter quàm hæc noſtra percipiuntur. Conſtitit inſuper hunc ſenſum illa perceptione obſcuriorem eſſe, quàm ſenſum ideo nuncupauimus, quia corpora percipit, ſed longè perſpicaciorem eſſe conceſsimus. Atque ob hoc hunc quoque hominem eſſe diximus ſenſualem: quoniam deteriori modo deterioráque apprehendit, ſcilicet illoru duntaxat imagines, vt meritò dici poſsit, hos quidem ſenſus obſcuras intelligentias eſſe: intelligentias autem illas ſenſus admodum perſpicaces.

MARSILIVS.

Intellectus primus fœcunditate lucis exuberante in quamplurimos ſeipſum intus naturaliter propagat radios ideales. Ex hac propagatione intellectuali ſimul & naturali, naturales rerum formæ foras tanquam lumina profluunt. Cap. VIII.

E ILlic igitur nõ excogitatur equus, ut hic fiat equus: alioquin & hinc illa penderent, & notus ibi foret equus antequam notus. Tum uerò multitudo illic formarum eatenus enumerabilis eſſe uidetur, quatenus quicquid acceperis in eo quod eſt poſt ipſum unum, ſemper occurrit ut multiplex. Plenitudo quinetiam prima quicquid habet intus omnium habet æquè plenum.

PLOTINVS

VErùm ſentiendi quidem facultas ita ſe habeat. Sed qúonam pacto equus ille totus, & quodlibet illic animal ad hæc noſtra non reſpicit? ſiquidem vt hîc generetur equus vel aliud quoduis animal, intellectus ille ipſam equi inuenerit notionem, tametſi impoſsibile cognitu eſt, illum iam volendo equum, facere equum deinde cogitauiſſe. Iam enim proculdubio equi intellectio extitiſſet, ſi modò equum volebat efficere. Quapropter non datur, vt faciat illum excogitaſſe, ſed prius equum ingenitum extitiſſe patet ante futurum hîc equum. Si ergo ante generationem erat, neq; vt gigneretur intellectus fuit, nimirum nõ ad hæc noſtra reſpiciens penes ſeipſum habuit equum, qui ipſum ibi poſsidet equum: neq; vt hæc efficeret, equum habuit atq; alia: ſed erant illa quidem, hæc autẽ ad illa ſunt neceſſariò ſubſecuta: non enim dabatur vſque ad illa duntaxat progredi, ibiq; deſiſtere. Quis enim poteſtatem illam cohibuiſſet manere pariter progrediq; potentẽ? Cæterùm quæri poteſt, cur nam ibi ſint hæc animalia. Quid enim hæc in Deo? Rationalia quidem ibi ſint: tanta verò irrationalium multitudo qúidnam habet honeſti? Quin potius turpitudinem videtur inferre.

F Patet vtique ens ipſum vnum oportere quinetiam eſſe multa: quippe cum ſit poſt illud quod eſt penitus vnum: alioquin poſt illud minimè foret, ſed foret potius illud. Cum verò ſit poſt illud, fieri nequit vt in eo quod eſt vnũ eſſe ſuperet ipſum: ſed neceſſe eſt ſub illo deficere. Cum verò optimum omnino ſit vnum, oportuit hoc plus eſſe quàm vnum: multitudo enim in defectu verſatur. Sed quid prohibet ens ipſum ab binarium vſq; tãtùm multiplicari? Nempe quia vtrunq; in binario poſitum tale eſt, vt penitus vnum eſſe non poſsit. Sed neceſſarium eſt alterũ atq; alterũ rurſus duo quædam ſaltem exiſtere: rurſusq; eorũ quodlibet eodem pacto multiplicari, proinde in primo binario motus eſt inſuper atq; ſtatus. Eſt etiam intellectus, eſt & vita: perfectus inq; intellectus, & vita perfecta. Eſt igitur non tanquam intellectus vnus, ſed intellectus omnis, intellectus omnes continens ſingulatim: multiplicatus eatenus, quatenus intellectus omnes, imò rurſus & amplior. Viuit pfectò mens illa nõ vt anima vna, ſed vt omnes, vimq; poſsidens ampliorẽ ad ſingulas animas procreãdas. Eſt & animal vniuerſum, non hominẽ in ſe ſolum habens: alioquin ſolus hic homo foret.

MAR-

MARSILIVS.

Quòm in ente primo ſit primus numerus origo rerum, meritò illic eſt omnis rerum numerus. Item quum ſit prima forma, iure illic res inter ſe formarum gradibus differunt tanquam ſpecies. Rurſus in uita intelligentiaq; perfecta idea quælibet rerum hic etiam non uiuentium uita eſt & intelligentia quædam. Cap. IX.

SImiliter metallorum formæ in ſe etiam non lucentium in planetis ſuis lucent omnes uarietate lucis: & animalium formæ deformium formoſæ ſunt in cælo. Vita illic intelligentiaq; mirabiliter efficax mouetur intra ſe quamplurimum: eiuſmodi motu ſe derivando quaſi ſe diuidit: nec tamen materiali quadam diuiſione continui: ergo formali. Plurimis interim formarum gradibus ſe diſtinguit: atq; ſicut diuiſio progreſsioq; mundana, ſic illa deinceps in anguſtiora procedit, minorum deinceps ideas intra ſe proferens. Sed quoniã omnes illic ideæ ex una & in una individuaq; uita & intelligentia ſunt, nimirum omnes in qualibet cõtinentur: ſicut in quauis ſtella ſunt & aliarum uires quatenus omnes in cælo in eodem Solis lumine congruunt, quamuis ſingulæ & aſpectu & effectu primo proprietatem ſuam præferant. Similiter profert & quæuis idea ſuam, reliquas interea continens.

PLOTINVS.

ATverò ſint ibi dicet aliquis, animalia potiſſimùm honorãda: ſed quónam pacto viliora rurſus & ratione capta? Quæ profectò propterea quòd ratione orbata ſint, abiecta cenſentur: ſiquidem ob virtutẽ rationalem animal honorandum exiſtimatur. Ac ſi ob naturam intellectualẽ eſt aliquid honorãdum, meritò propter eius abſentiam contemnendum. Quanquam difficile dictu eſt, quomodo ſit ibi aliquid mente vel ratione uacans: quippe cum illud in quo vel
B ex quo ſingula ſunt, ratio ipſa & intellectus primus exiſtat. Iam igitẽ ante illa quę circa hæc & ad hæc dicenda ſunt, in hoc ipſo prorſus conueniamus, hominẽ videlicet hîc viuentem non talem qualis ille eſt, eſſe: ſimiliterq; nec animalia cætera qualia hîc ſunt, talia illic exiſtere: ſed præſtantiori quodam gradu illa prorſus accipienda. præterea nec rationale quicquam propriè illic exiſtere. Hîc enim fortè aliquis ratione diſcurrat: illic autem actus viget rationali diſcurſione ſuperior. Sed cûr nam hîc homo quidem ratiocinatur, cætera verò nequaquã? Profectò quia illic intelligentia in homine aliisq; animalibus differẽs eſt, ideoq; & hîc ratiocinatio differens: inſunt enim quodammodo cæteris etiam animãtib. multa cogitationis officia. Cur igitur non æquè rationalia ſunt? Ad id verò obijcien dum eſt rurſus interrogando, cur nec ipſi homines æquè inter ſe rationales exiſtant? Operæpretium eſt conſiderare multas vtique vitas, velut motiones quaſdam multasq; intelligentias nequaquam oportuiſſe eaſdem inter ſe exiſtere, ſed & differentes vitas & intelligentias ſimiliter differentes, ipſasq; quodammodo differentias magis minúsue lucidas & perſpicuas eſſe: atq; quod primis eſt proximum per primas differentias deſignari: quod verò ſecundum, ſimiliter per ſe
C cundas: tertium quoq; per tertias. Quamobrem in ipſo intelligentiarum ordine aliæ quidem diȝ ſunt, aliæ verò ſecundum obtinent genus: in quo ſanè id continetur, quod rationale apud nos appellatur. Deinceps verò natura ſequitur, quæ irrationalis nuncupatur à nobis. Illic autẽ illud etiam ratio quędã eſt, quod à nobis irrationale vocatur, & quod mẽte vacans illic eſt intellectus: quippe cũ & qui intelligit equũ ſit intellectus, & intelligentia equi ſit ſimiliter intellectus. Proinde ſi intelligentia ibi ſola eſſet, nihil foret abſurdum intelligentiã eiuſmodi in quodam mentis experte verſari. Nunc autem ſi idem eſt intelligentia, ipſaque res intellecta, quónam pacto hæc quidem intelligentia eſt, res ipſa verò intellectu priuata? alioquin ſic vtique mens ipſa faceret ſe amentem. Sed profectò ipſa res ibi non eſt intellectu vacans, ſed intellectus eiuſmodi. Eſt enim & eiuſmodi vita. Sicut enim vita quælibet non eo munere caret quo ſit & vita, ſic neque intellectus talis à ſimili abeſt munere quo ſit intellectus. Quandoquidem neque intellectus ſecundum vnumquodque animal illic vigens ea dote priuatur, qua ſit intellectus & omniũ, velut & hominis: ſiquidem quancunq;

D acceperis partem, hæc ipſa illic eſt omnia, ſed fortè aliter atq; aliter. Actu enim pars quædam eſt, ſed interim omnia poteſt: nos autem in ſingulis quod actu exiſtit, accipimus. Quod verò exiſtit actu, eſt vltimum, adeò vt huius vtique intellectus vltimum equus ſit: & qua parte deſinit intellectus ille in minorem ſemper progrediens vitam, ſuboriatur equus: vbi verò inferius deſinit, & inferius animal. Vires enim illę dum explicantur, continuè deſuper quidem relinquunt. Procedunt autem ſemper aliquid dimittentes, & in dimittendo alia ſemper, & alia ſuggerunt: ac propter indigentiam animalis iam emicantis, ex eo quod defectum patitur, adhibere aliud machinantur: velut quoniam nõ eſt amplius ad uitam ſufficiẽtia, apparuit vnguis & roſtrũ, apparuerunt cornua, dentes. Quapropter quocunq; mens ipſa deſcendit, ibidem rurſus naturę ſuæ ſufficientia ſupernè ſe recipit & emergit, reperitq; in ſe deficientis expoſitam medicinam.

MARSILIVS.

Vita & intelligentia prima, & animal perfectiſsimum omnes quotcunq; cogitari poſſunt, uitæ, & intelligentiæ, & animalium gradus, ſpeciesq; continet. Cap. X.

QVum ibi prima multiplicatio ſit, meritò quod melius eſt multiplicatur in ſpecies: quæ & unitæ inuicem magnopere ſunt, pariterq; diſtinctæ. In materia quidem tenebroſa formæ rerum & uix
E inuicem uniuntur, & mox inter ſe cõfunduntur: in prima uerò forma efficaciſsima ſimul atque clariſsima. Formæ rerum omnes unà cum communi natura proprietates ſuas mirificè ſeruant, uniuerſumq; illic uniforme pariter occurrit & omniforme.

PLOTINVS.

SEd quónam pacto defectus illic eſt vllus? quid cornua illic? nunquid propugnaculi gratia? Profectò talia quædam ibi ſunt ad ipſam per ſe ſufficientiam perfectionemq; tanquam animalis ipſius. Prout enim animal oportuit eſſe perfectum: vt mens, perfectum: vt vita, perfectum. quapropter niſi hoc, attamen illud. Et ipſa quidem differẽtia eſt ex eo quod aliud ſit pro alio, vt ex omnibus ſit animal perfectiſſimũ, perfectiſsima mens, perfectiſſima vita: ſingula verò vt ſingula quoque perfecta. Tum verò etſi conſtat ex multis, eſſe rurſus oportet & vnum, atque viciſsim: alioquin impoſſibile eſt vt ex multis quidem ſit, multa verò illa inter ſe ſint eadem: alioquin per ſe ſufficiens extitiſſet vnum. Oportet igitur conſtare ex rebus ſemper ſpecie differentibus, ſicut & omne compoſitum: ita tamen vt ſingula propriè conſeruentur. quales ſunt & formæ & rationes. Formæ nanque velut hominis forma ex quot differentijs conſtant, tot & præferre debent: quamuis aliquid in cunctis ſit vnum, vbi & meliora quædã & deterioF ra ſunt inuicem, vt oculus atque digitus: ſunt tamen vnius eiuſdemq; membra, quorũ quodlibet eſt toto deterius. Sed ita ſe rem habere proculdubio præſtat: quinetiam ratio animal eſt, & aliud quiddam inſuper quod non idem eſt omnino quod animal. Virtus quoque commune aliquid in ſe habet & proprium, totumq; pulchrum eſt, vbi quod eſt commune, eſt æquè commune.

MARSILIVS.

Sicut corporeum cælum formas animalium inferiorum etiam uilium in ſe continet ratione non uili: ſic intellectuale cælum totius mundi formas modo quodam præſtantiore poſſidet quàm cæleſti. Cap. XI.

QVicquid enim eſt uſquã ordinis atq; formæ, à mente & ſapientia prima eſt impreſſum, expreſsius idem in ſe habẽre. Expreſsiores aũt illic earũ rerum ideæ ſunt, quæ unà cũ ordine formali uitã manifeſtiorẽ habent. Expreſsiſſimq; tandẽ rerũ quæ intelligentiã quoq; poſſidẽt: tã & ſi oẽs in mũdo ſpecies unà cum formali munere moruq; uitale inſuper & intellectuale aliquid habent, ut nõ iniuria illic oẽs exiſtere uideant. Omnes materiales formæ proximè generant à ſeminarijs rationib. ſuis in uita mundi uiuentibus: hæc uerò ab ideis earundem formarũ in mente diuina uitã habentibus ueriorem.

In omnibus

A In omnibus elementis uiuentia multa elemento conformia generantur, præſente uidelicet anima quæ certè ineſt, & fortaſſe una quatuor elementis, uelut globi eiuſmodi humoribus inſita: permanetq; ſemper elementis etiam permutatis, ſicut lumen aere uolitante. Nota, intellectuales animas adeſſe corporibus, non tanquam addictas, ſed tanquam effectrices corporalium ſpecierum.

PLOTINVS.

TRaditur præterea, cælū non renuiſſe vllam omnium animalium formā quarum multæ ſuſpiciuntur: quoniam & hoc vniuerſum omnia poſsidet. Sed vnde nam accipit? Num igitur quæcunq; habet, accepit ex alto? Profectò inde habet, quæcunq; ratione facta ſunt, & ſecundum ſpeciem eſſe cenſentī. Sed quā do habet ignem, habet & aquam, habet & plantas, quónām pacto plantæ ſunt ibi? Et quomodo ignis illic viuit? Quomodo viuit & terra? Aut enim viuūt hęc ibi, aut velut mortua iacent: adeo vt non quicquid illic eſt, viuat. Quidue omnino hæc quoq; ſunt ibi? Plantę quidem ipſi rationi facilè poſſunt accommodari: quoniam & apud nos planta ratio quædam eſt in vita conſiſtens. Si vtiq; materialis ratio plantæ, ſecundum quā eſt planta, vita quędam talis eſt, & anima quędam, & ipſa ratio vnum aliquid, nunquid hæc ipſa eſt prima planta? Non profectò: ſed ante hanc eſt planta prima, à qua & hæc naſcitur. Nam illa quidem vnum quiddam eſt: hæc autē multa neceſſarioq; ab vno. Si igit hoc oportet multo prius illud viuere, atq; hoc ipſam eſſe plantam. Ab illa verò hæc eſſe, ſecundo
B quodam tertioq; gradu pendentia, atq; ſecundum illius veſtigia viuere. Terra verò quomodo illic exiſtit? Quidue ipſius terræ eſt eſſe? Et quænam illic eſt terra vitam habens? Forſan verò præſtat prius inueſtigare, quæ ſit hæc infima terra, ideſt quid huius ſit eſſe. Oportet vtiq; formam hīc aliquam rationemq; ineſſe. Certè quantum ad plantam pertinet, viuit etiam apud nos ratio plantæ. Num igitur & in hac terra, ipſa terræ ratio viuit? Forſan verò ſi acceperimus quæ plurimum terrena ſunt, genita fictaq; in terra, inueniemus in his quoque ipſius terræ naturam. Exiſtimandum eſt ergo lapidum incrementa concretionesq;, & montium ſurgentium coaleſcentiumq;, intus formationes proculdubio fieri, animali quadam ratione fabricāte intrinſecus atq; formante. Atq; hāc eſſe terræ ſpeciē, quæ efficit terrā, quemadmodū in arboribus ſe habet illa, quæ natura vocaī. Ligno verò arboris, pportione quadā ſimilē eſſe illam, quæ terra cōmuniter appellatur: atqui lapidem exciſum ſic ſe habere, ceu ſiquid ex arbore fuerit detrūcatū. Quando verò ſaxū non id patitur, ſed adhuc eſt annexum, ſicut ramus nondū amputatus ex arbore viua nimirū inuenientes naturā terrę infitā fabricantē, eſſe vitā quandam in ratione vigentē, facilius inde credemus, ſupernā terrā multo prius eſſe viuentē, atq; vitā terræ rationalem eſſe terrā ipſam,
C primoq; terrā, à qua hæc quoq; terra procedit, & viuit. Si autē & ignis ratio quędam eſt in materia, cęteraq; eiuſmodi, neq; ſponte vel caſu naſcitur ignis. Vnde enim? nempe nō ex quadam (vt aliquis putet) colliſione. iam enim præſente igne in vniuerſo fit attritio corporum, vbi profectò quæ inter ſe conterunt corpora, ignē iam poſsidēt. Neq; rurſus materia ſic potētia ignē habet, vt fiat ignis ab ipſa. Si inquā res ita ſe habet, oportetq; ſecundum rationē eſſe quod efficit velut formās: quidnā hoc erit? Profectò anima potēs ignē efficere, id eſt autē vita quædam & ratio, ita tamen vt vnū idemq; ſint ambo. Quamobrem Plato in vno quoque horum animam eſſe dicit non aliter quàm velut efficientem, ſicut hunc ignem ſenſibus manifeſtum. Eſt igitur & quod hīc ignem efficit ignea quædam vita, profectò verior ignis. Ignis ergo ſuperior, cū magis ſit ignis, magis verſaī in vita. igitur & ignis ipſe viuit. Eadē quoq; de cęteris ſcilicet aqua & aere ratio eſſe videī. Sed cur nō animata hęc quoq; ſunt ſicut & terra? Profectò eſſe etiā hæc in vniuerſo animali cōſtat, & partes animalis exiſtere: nō apparet

D tamen in eis uita, quemadmodum nec in terra. Argumentari verò licet animatam eſſe terram, ex illis etiam quæ in ea gignuntur: ſimiliter autem coniectare licet de igne. Nam in eo etiam animalia generantur: Sed in aqua etiam manifeſtius: nec non aeriæ quædam concretiones ſunt animalium. Singulæ verò ignis flammæ, quę quotidie fiunt, & mox extinguuntur, prętereunt animam in toto uigentem. Cumque ignis hic nactus non fuerit molem aliquam permanẽtem, nimirum inſitam animam non oſtendit, ſimiliterque aer & aqua: quoniam ſi in conſtantiorem ſubſtantiam cohæreſcerẽt naturaliter, infuſam animam demonſtrarent: ſed quoniam oportuit eſſe diffuſa, præſentem animam minimè patefaciunt. Atqui perinde elementa hęc ſe habere videntur, atque corporis viuentis humores, velut ſanguis. Caro enim habere ſe animam patefacit: ſed hęc ex ſanguine concreta eſt. Sanguis tamen non exhibens ſenſum, animam non videtur habere: quanquam ineſſe animam ſanguini etiam neceſſarium eſt. Id tamẽ ideo non apparet, quoniam nihil admodum ei accidit violentum: ſed paratiſſimus eſt facilè ab anima infuſa diſcedere: quemadmodũ in elementis tribus contingere iudicandũ. Quoniã & quæcunque ex aere cõcreto magis animalia coa
E leſcunt, naturã habent vt ſine paſsione perſentiant. Quemadmndũ verò aer lumen ſixũ & permanens, quatenus illud permanet, eatenus ipſe prętcrit: ſic adeſt vndiq; globo aeris anima, rurſusque non adeſt: atque in cæteris eodẽ pacto.

MARSILIVS.

In prima uita omnium effectrice ſunt omnia uiua: & cum ſit prima forma ob efficaciam uitæ mirabilem, in ſeipſam penitus propagabilis, omnia ibi uiuentia formaliter diſtinguntur. Eſt autem illa forma fermè ſic omnes formæ: ſicut natura Solis eſt omnes ſtellarum uires, & lux eius radij omnes atq; colores, & uita uegetalis omnes formæ membrorum inde per rationes ſeminarias naſciturę. Cap. XII.

PLOTINVS.

SEd rurſus ita dicemus: profectò cum concedamus hunc mundum velut ad illius exemplar effingi: oportet illic quoq; multo prius vniuerſum animal eſſe, atq; ſi omnino perfectũ eſſe eius exiſtit, eſſe cuncta. Iam verò cælum illic eſſe animal, neq; his vacuum ſtellis quæ in hoc cælo ſuſpiciuntur: atq; in hoc ipſo ipſum cæli eſſe conſiſtere. Patet quinetiam terram quoq; illic nõ eſſe vacuam, ſed multo magis ibi viuentem, vitæq; plenam: eſſeq; in ea animalia omnia quęcun-
F que hîc gradientia, & terreſtria nuncupantur: plantas inſuper, videlicet in vita fundatas. Eſt ibi mare: eſt omnis aqua in vita & flumine non fluente: ſunt aquatilia cuncta. Aeris quoq; natura uniuerſi illius eſt portio quædã: aeria in eo ſunt animalia, aeri videlicet illi prorſus accommodata. Quæ enim in ipſo viuente ſunt, cur non ipſa viuẽtia ſint? ſiquidem & hîc ita ſe habent. Quid igitur obſtat, quin omne animal ibi neceſſariò ſit? Sicut enim ſe habet quælibet ingentiũ partium, neceſſariò ſic ſe habet & animalium in eis natura viuetiũ, quomodocunq; ſe habeat. Sicut eſt ibi cælum, ſic & habet: ſic ibi adſunt quæcunque in cælo ſunt animalia. Neq; non adeſſe poſſunt: alioquin neq; forẽt & illa. Qui ergo quærit vnde nam illic animalia, videt quærere vnde illic ſit cælum: Id eſt autem quęrere, vnde ſit animal: id rurſus perinde eſt, ac ſi quæratꝰ vnde vita, & vita omnis, & omnis anima, & mẽs vniuerſa. Vbi pfectò indigẽtia nulla, nullusq; defectus: ſed omnia vitæ plena ſunt, ac velut exuberãt. Eſt aut eorũ (vt ita loquar) effluxus ex vno fonte manans, nõ tanquã ex vno qnodam ſpiritu, ſiue flatu, aut ex vna quadã caliditate: ſed perinde ac ſiqua eſſet qualitas vna omnes in ſe qualitates poſſidens, & cõſeruãs, dulcedinẽ videlicet ſimul cũ odoris ſuauitate, vigorem vini ſuccorumq; vires omniũ, colores perſpicuos, & quęcũq; tactu percipiunt. Sint & ibi quęcunq; aures haurire ſolent; vocalis omnis numerus, omnisq; cõcẽtus

MAR-

MARSILIVS.

Vita mensq; prima, quoniam est omnium formarum prima, ideo simplicissima omnium, uniformisq; quàm maxime, tum uerò quia omnium principium est, ideo est etiam omniformis. Cap. XIII.

EST autem forma illa perfectissimè forma quælibet, ideo per modum formalis actus. Est igitur omnis actus, quoniam cum sit actus motusq; primus efficacissimusq;, nimirum omnes in se profert actus. Item quia multitudo est unitissima, in quolibet sui sua omnia continet. Motus omnis uarietatem quandam ab hoc in illud inter hoc & illud necessariò insitam habet, sed præter hanc in corpore quidem motus loco indiget atq; tempore: in anima uerò præter uarietatem solùm insuper habet tempus: in mente solam sine tempore uarietatem seruat, ob miram uirtutis actionisq; potestatem. Varietas autem in motione & uita mentéq; prima est uarietas omniformis, sicut ibidem est uita omnis & actus. Profectò sicut radius quilibet ab amplo Solis orbe in conum prosilit, atq; in præcedente latitudine sua omnes complectitur Solis uires, in cono unam præcipuè profert, & uario ictu uaria perficit: sic ab intellectu primo actus quilibet intellectualis progreditur intus, & ubi exorditur omnes ideas amplectitur, desinit autem unusquisq; in unam prorsus ideam quasi conum. Quælibet enim idea & ab alia diuersa est, & alijs est connexa.

PLOTINVS

IBI enim neq; intellectus est omnino simplex aliquid, neq; anima ex ipso pendens prorsus est simplex: sed varia longè sunt omnia, quatenus & simplicia: idest, quatenus nõ composita, quatenus principia sunt, quatenus actus existũt. Illius nãq; quod illic iudicat quasi postremũ, actus velut iã desinens, nimirũ simplex existit: illius autẽ quod primũ perpendit, actus ipse omnes actus existit. Intellectus quoq; motus eodẽ quidẽ modo mouet, & secundũ eadẽ semper atq; similia. Nõ tamẽ illic aliquid idem, & vnũ quiddã velut in parte, sed potius omnia, quoniã id rursus quod est in parte, nõ est aliquid vnũ, sed hoc quoq; infinitè diuisum. Dicere verò possumus ab aliquo processum eiusmodi & omnino ad aliquid dirigi, velut vltimũ. Quod autẽ mediũ est vniuersum, nũquid est velut linea quædã, vel corpus aliquod partibus cõsimilibus constitutũ, ac minimè variũ? Sed quidnã ibi hoc decoris afferret? Si enim nullã habet diuersitatẽ, neq; alteritas vlla illud excitat ad viuendũ, certè neq; actus erit. Nihilo enim eiusmodi habitus ab ipsa actus vacatione distabit. Ac etiã si motus sit talis, nõ omnibus quidem modis, sed vno tantũ pacto vita erit. Oportet autẽ & omnia illic & vndiq; viuere, neq; quicquã inesse quod nõ viuat. Necessariũ est igitur moueri ad omnia, imò verò fuisse iam ad omnia motum. Tum verò si omnino simplex mouetur, illud solum habet: atq; vel idem ipsum, & ita non ꝓcessit, ꝓfecitq; ad aliquid: vel si ꝓcessit, atq; ꝓfecit, aliud iam euasit: quapropter euasit duo: atq; si idem hoc est cũ illo, permanet vnũ, neq; ꝓcessit. Si alterũ, certè cũ alteritate ꝓcessit, fecitq; ex eodẽ simul & altero vnũ aliquid tertiũ. Cũ verò ex eodem atq; alterо factũ sit, quod est iã factũ, meritò naturã habet, qua idem sit simul & alterum. Alterũ inquã, nõ quiddam, sed omne penitus alterũ: nam & quod in eo idẽ est, est vniuersum idem. Cũ igit sit omne idẽ, & omne similiter alterũ, nõ est aliquid eorũ quæ dicunt altera ab eo relictũ. Naturã itaq; habet, qua in vniuersum alteritate prorsus distribuat. Si ergo sunt altera omnia super ipsum, ab illis iam pati potest: sin verò nõ sunt, intellectus hic omnia genuit: imò verò iam extitit omnia. Quamobrẽ entia esse nõ possunt, nisi operata mens fuerit: operata inquam aliud assiduè præter aliud, & quasi peruagata omni ꝓrsus peruagandi cõditione: peruagata inquã in semetipsa, quemadmodum intellectus verus natus est in seipso vagari: natus autem est in essentijs peruagari, dum videlicet essentiæ cum eius ambagibus æquè cõcurrunt. Vbiq; verò ipsemet intellectus existit: peruagantiã igitur stabilem agit. Peruagatio verò mentis in ipso veritatis campo versatur, vnde nunquã excidit. Occupat autẽ totũ, quippe cũ sibimet ad motũ suũ, effecerit locum: atqui & locus idem cũ ipso est, cuius est locus. Præterea varius est eiusmodi campus, vt & discurrere possit: ac nisi per vniuersum semperq; sit

varium, certé quatenus non eſt varium, conquieſcit. Qui ſi quieſcit, etiam non
D intelligit: itaq; ſi quieuit, nec etiam intellexit. Si neq; hoc, certè nec extat. Intelligentia igitur eſt. Vniuerſus verò motus illic vniuerſam implet eſſentiã: & eſſentia tota, intelligentia tota vitam complexa totam, ac præter aliud ſemper & aliud: præſertim cum id ipſum quod in eo eſt idem, ſit & aliud, adeo vt perpetuò diuidẽti, aliud deinceps atq; aliud ſemper occurrat. Progreſsio verò illic omnis per vitã agitur, perq; animalia omnis: quemadmodum & iter in terris agẽti, quę cunq; attingunt, terrena paſsim occurrũt, quamuis diuerſa ſint ratione terrena. Atq; illic vita quidẽ, per quã procedit, eadem eſt: quoniam verò quodãmodo eſt ſemper & alia, nõ eadem ſemper occurrit: agit verò ſemper diſcurſionẽ prorſus eandem, per illa quæ non ſunt ſimiliter eadem. Quoniã ipſe quidem diſcurſionem minimè mutat: ſed vnà cum diuerſis ſeruatur interea ipſa conditio eodẽ modo, & ſecũdũ eadẽ peruagãdi. Niſi enim tenor ipſe eodẽ modo, & ſecũdum eadẽ peruagandi ſaltem circa varia diuerſetur, certè torpebit omnino. Vnde ſequetur, quod in actu eſſe dicit ipſumq; actũ eſſe nuſquã. Sunt autem & alia diuerſaq; ipſe: quapropter omnis ipſe. Et ſiquidem ipſe nimirum & omnis: alioquin nec ipſe quidem. Si autem omnis ipſe, certè & omnis, quia cuncta.
E Neq; quicquam inuenitur illic, quod nõ ad omnia conferat: neq; aliquid vſquã ipſius eſt, quin ſit & aliud: vt exiſtens aliud, hoc ipſum quoq; conducat. Niſi enim exiterit aliud, ſed penitus idẽ, cõminuet eius eſſentiã: quippe cũ ad cõmunẽ ipſam conſpirationis perfectionem, naturã propriã non accommodet.

MARSILIVS.

Vbiq; in mundo partibuſq; eius uel minimis ordinata diſtinctio eſt per formas. Eiuſmodi formalis & ordinata uarietas neq; caſu accidit, neq; fit à materia tenebroſa, dependet autem ab uno, quoniam conducit in unum. Exprimitur igitur à ſimili formarum uarietate uigente tum in ipſa mundi uita, tum in mente. Cap. XIIII.

SEd tam mens quàm anima in ſe unum quiddam eſt, non quidem ex multis compoſitum, ſed præ ferens in ſe multa, non ad externa, ſed ad intima, motum, ac uelut ad centrum ſe conuoluens, ampliores deinceps formarum uniuerſaliorum orbes redigens in minores, & ad ſpecies ſpecialiſsimas ſe denique colubens.

PLOTINVS.

POſſumus præterea intellectualibus vtentes exemplis qualis ſit intellectus cognoſcere: & quo pacto non ferat eſſe ſe vnitatis inſtar prorſus omnis diuerſitatis expertem. Licet ſanè ſi libet, exempli loco adducere rationem, vel plãtæ, vel animalis. Si enim vnum aliquid ſit, nec vllo modo varium, neq; ratio quidem erit. Rurſus quod inde fit, materia tãtùm erit: niſi videlicet ratio ipſa ſit omnia, ad hoc ipſum videlicet, vt vbiq; in materiam incidens, nihil materiæ idem eſſe permittat: quemmadmodum vultus nõ eſt vna duntaxat moles, ſed nares habet, & oculos. Atq; nares non vnicum in ſe quiddam habent; ſed aliud rurſus & aliud, ſi modò futuræ ſint nares. Profectò ſi naſus vnum quiddam ſit duntaxat, nihil aliud erit præter molem. Atq; ita profectò in mentem eſt infinitum, quoniam & ipſa & quicquid eſt in ea, velut vnum eſt & multa. Neq; ſic intellectus eſt vnus, atq; multa, vt vna domus, ſed tanquam ratio in ſe quamplurima, in vna mentis figura, quaſi circumſcriptione quadam habẽs circumſcriptiones & ambitus intus, & figurationes intrinſecas, & vires & intelligentias intus: habens ſanè diſtinctionẽ nõ productã in rectũ, ſed ſemper ad intima propagatã: quaſi in vniuerſo animali naturæ animaliũ ingentiũ cõprehẽdant, rurſusq; aliæ ad minora quædam animalia deriuatæ, & ad vires deductæ minores, vbi ad indiuiduã ſpeciẽ denique proceſsio deſinat: neq; tamẽ ibi rerum diſcretio fit antea cõfuſarum, quamuis in vnum mirificè conſpirantiũ. Iam verò conſpiratio talis ipſa eſt amicitia, quæ traditur in vniuerſo conſiſtere, non quidem talis, qualis in hoc appa-

A apparet mundo. Imitatur enim hæc illam, ex diſtantibus diſcordibuſq; concordia confluens. Vera autem amicitia eſt, qua ſunt omnia vnum, adeo vt nunquã à ſe inuicem diſiungantur, diſiungi verò ſiue diſtare in hoc cælo res aſſerit.

MARSILIVS.

Cum intellectus primus ſit uita prima, ſola intellectualis uita eſt uera uita. Cap. XV.

ESſentia prima per actum uitalem conuerſa ad ipſum bonum fit boniformis, & propter formam ſuam multiplicabilem, unum boni donum in formas plurimas in ſe deriuat, ipſa uidelicet poteſtate Dei. Imaginari licet mentem primam quaſi uultus innumerabiles inter ſe uarios ordine contextos in ſphæram lucentes admodum atq; uiuos. Quòd ſi conſeruatis uultuum formis inter ſe uarijs, actuq; in orbem quaſi reflexo, diſtantiam inde localem dempſeris, intellectum primum mox intelliges, præſertim ſi ipſe talis inprimis euaſeris, deinde inſpexeris temeti ipſum.

PLOTINVS.

SIquis igitur hanc ipſam vitam, complurimam, omnem, primam, vnã intuea-
1 tur, ſupra quam extimari poſsit, hac ipſa gaudebit, omnem prorſus aliam aſpernatus. Aliæ namq; inferiores vitæ tenebræ ſunt: vitæ inquam exiguę, obſcuræ, viles, impuræ, purasq; vitas contaminantes. In quas cum primum aſpexeris, neq; puras cernes vlterius, neq; viues amplius ſecundum illas ſimul omnes, inquibus nihil eſt omnino quin viuat: viuatq; purè, mali nihil admittens. Mala enim hîc tantùm regnant, quoniam hîc eſt duntaxat vitæ veſtigium. Hîc nihil mentis eſt niſi veſtigium: illic autem principale viget exemplar, quod Plato nũ
B cupat boniforme: quoniam in ſpeciebus, ideſt formis bonum poſsidet. Aliud ſanè eſt ipſum bonum, hîc autem bonus vitam habens in contemplando: cõtemplatur autem ſpectacula boniformia: quæ quidem tũc ipſe ſibimet cõparauit, cum primum contemplatus eſt ipſam boni naturam. influxit autem in mentem ipſum bonũ, non omnino ſicut ibi erat, ſed ſicut ipſa mens accepit. Principium namq; illud ipſum eſt, atq; in hanc bonum ex illo traducitur: & hæc ipſa horum effectrix omnium, id muneris habet ex illo. Neq; enim fas erat intuentem illud, intelligere nihil, neq; rurſus in illo ſpectacula cõtueri: alioquin nec ipſa quidem mens ſpectacula genuiſſet. Vim igitur ad gignendum accepit ab illo, per quam ipſis genituris penitus impleretur. Tradente videlicet illo, quæ ipſum in ſe minimè poſsidebat. Sed ex illo penitus vno, huic plurima contigerunt: Nempe mẽs cum non poſſet acceptam inde potentiam ipſam propriè poſsidere, in fragmenta diſtinxit, fecitq; vt vna multa prorſus euaderet, vt ita ſaltem per partes ferre valeret. Quicquid itaq; genuit, ex ipſa boni genuit poteſtate, idq; genitum eſt boniforme, ipſaq; mẽs eſt bona, varium quiddam bonum ex boniformibus cõſtitutum. Quamobrem ſiquis ipſam mentem ſphęræ comparet variæ prorſus atq; viuenti: aut ſiquis fingat ſpectaculum quoddam vultibus omnibus vndiq;
C conſtitutum, vultibusq; viuentibus vbiq; refulgens, aut fortè cogitet puras animas omnes concurrentes in idem, nec vllo modo indigas, ſed ſua ad votum omnia poſsidentes: præterea mẽtem vniuerſam, illarum apicibus inſidentem, adeo vt omnis illa regio ſplendore refulgeat, ſiquis inquã ſic intellectum ipſum imaginetur, ipſe profectò extra quodammodo exiſtens alius, intellectum vt alium intuebitur. Sed operæpretium eſt, omnino animum noſtrum primo quidem in ſe intellectum ipſum ſpectandum fieri: deinde in ſe velut factum iam ipſum ſpectaculum contueri.

MARSILIVS.

Eſſentia prima cum primum exiſtit ex ipſo bono conuerſa eſt ad ipſum, non tam modo quodam intellectuali, quàm inſtinctu uitali, quemadmodum planta uergit ad Solem uel humorem: hic enim actus ordine quodam antecedit illum. Cap. XVI.

SEd ubi directus in bonum impletus illinc radio quodam lucente pariter & calente, ſtatim omnes rerum formas, quaſi colores concipit in ſeipſo, reflexusq; in conceptus ſuos percipiendos intellectus euaſit. Deniq; ſicut ſol uiſum coloresq; procreat, inuicemq; conciliat: neq; ipſe interim uſus

D est uel color, sed superior, ita bonum & intellectum & intelligenda creat, mutuoq; coniũgit his ipsum interim eminentius.

PLOTINVS.

NOn expedit autem in hoc pulchro quamplurimo moras semper protrahere. Oportet enim hinc animum progredi ad sublimia se propensius attollentem, & cum cælum hoc dimiserit, illud quoq; dimittere: neq; ex hoc duntaxat, sed ex illo potius transcendentem protinus admirari, quisnam illius sit genitor, & qua ratione genuerit. Vnumquodq; igitur illic existens species quædam est, & quasi certa figura. Cunq; illud boniforme sit propter cõmune quiddam in cunctis vbiq; collucẽs, omnia possidet boniformia. Habet igitur & ens in omnibus: habet animal vnumquodq;: habet communem vitam omnibus insitam, habet fortasis & alia. Verùm quidnam illud est, propter quod potissimũ bona sunt, quatenus bona cẽsentur? Ad hanc verò contẽplationẽ in primis fortè cõducet, hinc potissimũ exordiri. Num igit quando aspexit in bonum, intellexit vnũ illud velut multa atq; cum intellectus ipse vnum ens existeret, illud intellexit vt multa, illud apud se partius, propterea quòd nequiret simul intelligere totum? Verùm nondum intellectus erat, dum primò suspiceret illud. Sed nũ
a quid absq; intellectu prospexit? Profectò putandum est nondum etiam vidisse illud. Nam viuebat quidem ad ipsum, totusq; inde pendebat, totus conuersus ad ipsum. Hic itaq; motus tunc impletus, cum primum ferebatur illuc, & circa illud penitus versabatur, impleuit ipsum, nec amplius motus dũtaxat extitit, sed motus iam satur & plenus. Mox verò ens ipsum omnia factum est, idq; ipsum agnouit animaduertendo seipsum: ac iam intellectus euasit, imbutus quidẽ vt quod posset inspicere, possideret, inspiciens verò ipsa cum lumine quodam ab eodem prorsus accepto, à quo susceperat & illa. quamobrem supernus ille Deus traditur non solùm essentiæ auctor, sed etiam causa, vt videatur essentia. Quẽadmodum verò Sol causa est rebus, quæ sentiuntur, vt sint, atq; videantur, simulq; est causa visionis, cum tamen interea ipse neq; visio sit, neq; etiam quæ videnda fiunt, sic & ipsius boni natura causa proculdubio est essentiæ atq; mẽtis. Est & lumen in proportione quadam analogiæ, qua visibilia hæc & visus essentiam illam intellectumq; referunt, neq; est entia, neque etiã intellectus, sed causa vtrorumque præbetq; menti rerum intelligentiam suo quodam lumine super entia mentemque diffuso. Impletus igitur iam factus est: impletus autẽ erat, simulq; est absolutus, & vidit. Initium verò eius illud extitit, quod eius antecessit impletionem. Principium verò alterum eius est velut externum, quod impleuit, à quo velut formatus est, dum implerentur.
b

MARSILIVS.

Quæcunq; sunt, cùm primum & quamdiu sunt, naturaliter agunt ad bonum: unde argumentamur essentiã primam ad primum bonum naturaliter agere. Ipsum ergo bonum superius est essentia actuq; eius & uita & intellectu. Non ergo propriè dicendum est esse, uiuere, agere, intelligere. Cap. XVII.

NEq; putandum est eas in se propriè formas habere, quas tribuit intellectui, sicut nec unitas est plena numeris, nec signum dimensionibus, neq; lux in Solis centro uigens, radios illos in se proprios habet, qui uirtute ipsius innumerabiles à circumferentia Solis emicant ab orbe desinentes in angulum. Præterea sicut neq; lumen foras effusum radijs eiusmodi plenum qualitates rerum illas in se proprias substinet, quas per uarios radiorum ictus apud nos generat, ita neq; mens quamuis in se omniformis materiales ipsa, quas procreat formas habet. Tum uerò uita quidem prima quasi indeterminatus informisq; essentiæ actus exoritur: qui sanè directus in ipsum unum, inde terminos ideales sibi uendicat, cosq; quamplurimos, ob conditionem suam numero iam obnoxiam, & processioni proc.tuem. Eodem mox momento uita fit absoluta, quo & intellectus euadit. Denicq; sicut intellectus se habet ad animã, ita bonũ ad intellectũ. Quapropter quemadmodum intellectus

rationem

rationem format in anima, atq; ipſe eſt à rationali diſcurſione ſecretus, ita bonum ſpecies imprimēs
A intellectui eſt à ſpeciebus mirabiliter ſegregatum.

PLOTINVS.

SEd quónammodo hæc in intellectu ſunt, & ipſe intellectus exiſtunt, cùm in eo non ſint qui implet, nec rurſus in eo fuerint qui impletur? Quando enim nondum erat imbutus, minimè poſsidebat. Sed fortè non neceſſarium eſt quod quis tribuit, in ſe habere: ſed oportet in rebus eiuſmodi illud quidem quod tradit, maius exiſtimare: quod verò traditur, minus eſſe tradente. Talis namq; in ipſo entium ordine generatio eſt. Primum enim oportet eſſe quod exiſtit in actu: Poſteriora verò in potentia eſſe ſuperiora. Iam verò quod primum eſt, ſequentibus eſt ſuperius: Et quod tradit munere tradito, eadem ratione ſuperius. nam preſtantius eſt. Siquid igitur ſit actu prius, id actu ſuperius eſt. quapropter & vita, ſuperius. Si ergo in hoc eſt vita, profectò qui dedit eam, tribuit quidem vitā: ipſe verò melior & honorabilior quā vita cenſetur. Habuit itaq; vitam, neq; indiguit vario largitore: ipſaq; vita veſtigium quoddam extitit largitoris, non illius quidem vita. Nempe hæc cum primùm ad ſuum ſuſpiceret largitorem, adhuc indefinita erat: poſtquā verò reſpexit illuc, mox determinata eſt ab illo terminum hon habente. Statim enim ad vnum aliquid ſpectans, hoc ipſo determinatur, & terminum finemq; & ſpeciem in ſeipſa reportat. Quæ quidem ſpecies informata re iacet: formator autē eſt prorſus informe? Veruntamen terminus ipſe non ſic ibi eſt adhibitus, vt extrinſecus adiectus fuerit, quemadmodum magnitudini vndiq; ſolet apponi: ſed eſt totius omnino vitæ illius terminus, multę
B quidem infinitæq; exiſtentis: vtpote quæ à tali natura iam effluxerat. Atqui vita quidem erat, non tamen huius vita: alioquin iam determinata fuiſſet, quaſi iā indiuidui propria: attamen determinata eſt. Fuit ergo determinata tanquam vnius alicuius multi: determinatum quoq; eſt vnumquodq; multorum. Ac propter multam vitæ conditionē, multa determinata ſunt: rurſumq; propter ipſum terminum ſunt & vnum. Quid igitur vnum determinatū eſt? Sanè intellectus. Vita enim determinata intellectus eſt. Quid rurſus quòd multa dicitur eſſe determinata? Intellectus videlicet multi. Omnia igitur intellectus ſunt, & hic quidem intellectus omnis: hi autem ſinguli ſunt intellectus. Ipſe verò intellectus omnis vnumquemq; complexus, nunquid velut eundem continet vnumquemque? Nullo modo: alioquin vnicum contineret. Si ergo multi ſunt, differre inter ſe neceſſarium eſt. Rurſus quærendum eſt, quomodo differat vnuſquiſq;. Forſan verò in eo etiam quòd factus eſt vnus ſuſcipit differentiā. Nō enim idem eſt vniuerſum & quilibet intellectus. Eſt igitur vita quidem illic potētia omnis, viſio verò quæ inde micat, potentia omnium. Qui autem ibi gignitur intellectus, ipſa omnia prorſus apparet. Alius deniq; inſidet illis, non quidem vt fundetur in
C eis, ſed vt fundet primarum ſpeciē ſpecierū, ipſe tamen à ſpecie procul exiſtens. Atqui ſic fermè intellectus ſe habet ad animam, videlicet tanquā ei lumen infuſum, quemadmodum ille ſe habet ad intellectū: nēpe quando intellectus determinat animā reddit rationalē, eorum quæ habet ipſe veſtigium exhibens. Igitur & intellectus illius veſtigium eſt. Quoniam verò intellectus ſpecies eſt in differentia quadam educta multitudineq; conſiſtens, meritò ille extra formam ſpeciemq; exiſtit. ſic enim reliquum ſpecie format. Si autem ille ſpecies eſſet, intellectus deinceps ratio foret. Oportuit tamen primum ipſum nullo modo multū eſſe: alioquin multitudo eius ad aliquid ſuperius referretur.

MARSILIVS.

Quod primò procreatum eſt ab ipſo bono, totum penitus bonum eſt: ſed in eo eſſentia quidem eſt incohatio quedam ortuſq; operis boni. Vita uerò adoleſcentia boni: intelligentia, ſpeciesq; idealis bonum illic eſt adultum. Cap. XVIII.

D QVodlibet horum iccirco bonum eſt, quoniam cum ſit ab ipſo bono, non nihil ipſius quamuis ad huc ineffabile in ſe poſsidet, commune cunctis: ſicut motus linguæ, manus, pedum, ideo concinnus ſimiliter appellatur, quoniam ab eadem muſica ratione ordinem ſimilem nanciſcuntur: ſed communis illa natura boni menti admodum interior eſt, quàm muſicus ordo membris.

PLOTINVS

CAeterùm quę ſunt in mẽte, ſecundum quid potiſsimum boniformia ſunt? Nunquid qua ratione ſpecies eſt vnumquodq; ? An quia pulchra ſunt ſingula? An propter aliud quiddam? Si verò quicquid à bono prouenit, veſtigium figuramq; habet illius, aut ab illo, quatenus inde deſcendit, quemadmodum ab igne genitum, ignis habet veſtigium, & quod à dulci ſimiliter dulcis impreſsionem, prouenit autem in intellectum ab illo & vita. Nam ex actu quodam ab illo pendente extitit, atq; intellectus extitit propter illum. Item ſpecierũ inde pulchritudo deſcendit, omnia profectò boniformia erunt, vita, intellectus, idea. Verùm quidnam commune? Non enim ſufficit hoc ipſum ſcilicet eſſe ab illo, ad hoc tandem, vt aliquid propterea ſit in omnibus idem: in ipſis enim commune ipſum oportet ineſſe. Fieri namq; poteſt, vt ab eodem non idem efficiatur:
E aut etiam quod ſimiliter datum eſt in accipientibus diuerſum euadat: quoniam & aliud illud in quod munus boni traducitur, primus eſt actus, aliud verò ipſum eſt quod actui primo tribuitur. Quod autem in his reſultat, aliud iam exiſtit: aut fortè nihil prohibet ſecundum quodlibet quidem eſſe boniforme, magis tamen ſecundum aliud. Quid igitur hoc ipſum eſt, ſecundum quod potiſsimum boniforme cenſetur? Sed forſan prius illud expedit indagare: nunquid bonum ſit ipſa vita, hoc ipſo videlicet quòd eſt vita, etiam ſi pura prorſus & nuda conſideretur? An potius vita propriè quæ ſit à bono? Eſſe autem à bono nihil ſit aliud quàm vitam eſſe talem? Rurſus ergo quidnam eſt vita talis? Nũquid vita boni? At verò non ipſius eſt propriè, ſed ex ipſo. Verùm ſi in illa vita inſit hoc ipſum quod ſit ex illo, atq; eſt ipſa vera vita, nihilq; ab illo profluens, vile eſſe dicendum: profectò & qua ratione vita iudicanda eſt eſſe bonum, ſimiliterq; in intellectu vero primoq; illo neceſſarium eſt concedere, illum ſcilicet eſſe bonum: & quamlibet ſpeciem bonum eſſe, atq; boniforme. Si igitur ita ſe res habet, fortè vnum quodq; horum bonum aliquod habet, ſiue cõmune, ſiue potius aliud, ſiue hoc quidem primò bonum habet, illud autem deinceps graduq; ſecundo. Cum enim acceperimus vnumquodq;, tanquam in eſſentia ſua iam bo-
F ni aliquid habens, nimirum & ob hoc ipſum eſt vnumquodq; bonum. Conſtitit ſanè vitam eſſe bonum, non quidem ſimpliciter, ſed quoniam vera vita, atq; ab illo, intellectumq; ſimiliter bonum: quoniam verus ſit, & inde progenitus, oportet certè aliquid ipſius eiuſdem in his inueniri. Quando enim de rebus inter ſe differentibus idem aliquid prædicatur, nihil prohibet in illorum quidem eſſentia illud ineſſe, ſimul tamen licet ipſum accipere ratione ſeorſum: quemadmodũ & animal in homine ſimul & equo, calidum in aqua & igne. Sed ibi quidem tanquam genus, hîc autẽ tanquã hoc quidem primò tale ſit, illud verò poſterius. Num igitur vita & intellectus & cætera ſingulatim vniuocè, an æquiuocè an potius analogia quadam dicuntur bonũ? An igitur ineſt eorum eſſentiæ bonum? Vel potius totum vnumquodq; bonum eſt? Non ſecundum vnum bonum. Quomodo igitur? Nunquid velut partes? At verò impartibile eſt ipſum bonum. Forſan verò vnum quidem eſt ipſum: id autem hoc modo ſe habet. Etenim actus primus eſt bonum: idq; quod in eo determinatum eſt, exiſtit bonũ: itemq; ambo. Atq; id quidem iccirco bonum eſt, quia factum eſt ab eo: hoc autem quia ornamentum eſt ab ipſo: illud verò, quoniam ambo cenſetur. Hæc igitur omnia ab ipſo eodemq; ſunt: nihilq; eſt idem, velut ſi ab eodem vox prouenat & inceſſus, aliúdue quiddam, omnia deniq; rectè compoſita. Fortè verò in

his

A his dicuntur ſimiliter omnia rectè diſponi, quoniã ordo numeruſq; omnibus ineſt. In illis autem quidnam eſt commune? Dicet fortè quiſpiam in his quidem totum vnumquodq;, vt rectè ſe habeat, extrinſecus adipiſci, cum differẽtia ſint ea circa quæ ordo verſatur: ibi verò ipſa quoq; ſingulatim eſſe bonum. Sed cur nam & ipſa? Non enim hoc ipſo duntaxat confidendum eſt ſcilicet hęc eſſe bona, quoniam ſint ab illo, atq; ita quieſcere. Concedendum eſt profectò, hæc cũ ab illo ſint, eſſe admodum pretioſa: ſed vlterius nõ ipſa deſiderat, ſecundũ quid potiſsimum illorum exiſtimetur bonum.

MARSILIVS.

Bonum neq; definiendum eſt per id quod ſit appetibile, neq; per id quod ſit uniuſcuiusq; uirtus. In prima enim deſcriptione adhibentur poſteriora bono. Atq; propter appetentium apperibiliumq; diuerſitatem, iudicium ueri boni reſtat ambiguum. In ſecunda adhuc ſupereſt quærendum, quare & quomodo uirtus aliqua uel uirtus ipſa ſit bonum. Cap. XIX.

PLOTINVS.

NVm igitur deſiderio atq; animæ iudicium tribuemus? Atq; huius affectui fidem penitus adhibentes, quod huic appetibile eſt, bonum eſſe cenſebimus: propter quid autem deſideretur, nequaquam inueſtigauimus. Atq; quid vnumquodq; ipſorum ſit, demonſtrationibus explicabimus: ipſam verò boni rationem appetitui committemus? Verũtamen multa ſic abſurda nobis occurrunt. Primum quidem, quod & bonum vnum aliquid erit eorum quæ ſunt circa aliud: deinde quoniam multa ſunt, quæ appetunt, aliaq; ab alijs appetũtur.
B Quomodo igitur ipſo appetentis affectu, vtrũ aliquid ſit melius iudicabimus? Sed fortè neq; ipſum quidem melius cognoſcemus ignorantes bonum. Sed nũ quid bonum exiſtimabimus ſecundum vniuſcuiusq; virtutem? Sed ita certè id in ſpeciem rationemq; reducemus, rectè quidem progredientes. Poſtquam verò illuc denique proceſſerimus, quidnam reſpondebimus, ſi inueſtigandum fuerit, qua ratione hæc ipſa ſint bona? In rebus quidem deterioribus, vt videtur, facilè naturam talem cognoſceremus, quamuis non ſincerè admodum ſe habentem. Illic autem non primò comparatione quadam ad deteriora cenſebimus: vbi autem nihil eſt malum, ipſa verò meliora in ſeipſis exiſtunt, dubitationibus implicabimur. An igitur quoniam ratio præſens, propter quid inueſtigat, hæc autem penes ſeipſa ſunt bona, propterea dubitat? Quippe cum ibi hoc ipſum quod dicitur propter quid idem ſit atque illud quod quid eſt appellatur. Quoniam & ſi aliam huius cauſam afferamus, videlicet ipſum Deum, cum tamẽ ratio illuc vſq; nequaquam peruenerit ſimilis imminet ambiguitas. Sed deniq; retrahere hinc pedem tentandum nobis eſt, conantibus ſiquo pacto alia inceden
C tibus via occurrat aliquid manifeſtius.

MARSILIVS.

Quærentibus quid ſit ipſum bonum, intellectus palàm occurrit nobis ut bonum: quoniam & per ipſum de bonis reuera iudicamus ac malis: & ordo ſpecieſq; rerum & uita ab intellectu procedit. Vita quinetiam adulta quam animus optat, eſt intellectus. Neq; tamen intellectus eſt ipſum bonum. Hoc enim non illum omnia ſcupiunt. Iam uerò animæ prius & frequentius bonum quàm intelligentiam appetunt, neq; inhac quieſcunt, ſed in illo. Cupiunt quidem eſſe, uiuere, agere non ſub ratione eſſendi, uiuendi, agendi, intelligendi, ſed boni. quapropter bonum ab his omnibus diuerſum eſt atq; ſuperius. Cap. XX.

PLOTINVS.

CVm igitur inpræſentia diffidamus affectibus, quantũ ſpectat ad aſſeuerãdũ quid vnumquodq; ſit & quale: nũquid forſan operæpretiũ eſt ad alia quædam iudicia peruenire, & ad rerum oppoſitiones accedere, velut ordinẽ & vacationem ordinis? Contemperatum incompoſitum, ſanitatem infirmitatem, formam informitatem, eſſentiam corruptionem, conſiſtentiam euaneſcentiam,

Horum namq; prima ſecundum coniugationem quamlibet, quis nam dubitet
D quin in boni ſpecie computentur? Si res ita ſe habet, horum etiam effectiua neceſſarium eſt in boni ſorte connumerare: atqui & virtus, intellectus, vita, anima ſapiens in boni gradu verſantur, ideoq; ibidem ponuntur & illa, quæ ſapiens vita deſiderat. Cur non igitur dicet aliquis, gradum in mente ſiſtamus, eamq; eſſe bonum aſſeueremus? Etenim anima & vita mentis veſtigia ſunt, eamq; affectat anima, & ſecundum illam iudicat, & iudicando ſe confert ad mentem, iudicans quidem iuſtitiam iniuſtitia melius, & quamlibet virtutis ſpeciem ſpeciei prauitatis proculdubio anteponit: conſtatq; illa in honore præferre, quæ præ cæteris iudicat eligenda. Sed vtrum intellectum ſolùm appetat nécne, diſputationẽ plurimam exigit, qua demonſtretur, intellectum non eſſe ſupremũ vltimumq; finem: item non omnia intellectum deſiderare: bonum verò omnia cupere. Prę terea ex eorum numero quæ intellectu vacant, non omnia poſſeſsionem mentis optare: quæ verò mentem habent, nondum quieſcere, ſed bonum vlterius affectare. Deniq; intellectum quidem ex quodam rationis diſcurſu: bonum verò etiam ante rationem deſiderari. Quòd ſi & vitam appetunt, & eſſe ſemper, & agere, profectò hoc ipſum, non qua ratione intellectus ſit, eſt expetendum, ſed
E qua bonum & à bono pendet, ad bonumq; refertur. nam & vita quidem ſic eſt duntaxat optanda.

MARSILIVS.

Vita, intelligentia, ſpecies, boniformia appetenda ſunt: quoniam illa eſt actus circa bonum, iſta actus iam determinatus à bono: hæc ipſe terminus impreſſus à bono. Geminam ab ipſo bono hæc omnia lucem habent. Vna quidem naſcenti facta eſt unicuiq; propria, in alijs alia, ſicut color: altera ſuperfertur quaſi cunctis unum commune lumen, alibi tamen magis gratumue quàm alibi fulgens. Per primam bona quidem ſunt, & clam ac leuiter appetuntur: per ſecundam meliora, atq; palam & ardenter amantur. Cap. XXI.

PLOTINVS.

QVidnam igitur vnum in his omnibus idemq; exiſtẽs efficit vnumquodque bonum? Sic igitur audeamus aſſerere, eſſe quidem intellectum, vitamq; illam proculdubio boniformem: expeti verò hæc etiam qua boniformia ſunt. Eſſe inquam boniformia propterea quod vita quidem ipſius boni ſit actus, imò verò actus ex ipſo bono dependens: intellectus verò actus iam determinatus exiſtat. Atque hæc ſplendore quodam deſuper circunfundi, animámque hæc ideo proſequi, quoniam inde proficiſcantur: & ad illa rurſus affici quodammodo velut ad propria quædam, non tamen tanquam per
F ſe bona. Cum verò boniformia ſint, neque ſic quidem contemnenda putantur. Quod enim familiare propriumq; eſt, niſi ſit bonum, proprium quidem eſt, fugere tamen hoc aliquis aliquando poteſt. Nempe & alia quædam longè diſtantia, inferiusq; etiam poſita appetitum ad ſe nonnunquam attrahunt. Incitatur autem vehemens ad hæc amor, non quando id ſolum quod ſunt, exiſtunt, ſed quando iam id ipſum quod ſunt exiſtentia, aliud quiddam ex alto ſuſcipiũt. Sicut enim in corporibus quamuis mixtum naturaliter ſit intus lumen, alio tamen opus eſt lumine, vt palam appareat color eis infuſus, ideſt lumen naturaliter inſitum, ſic ſupernis quoq; rebus, quãuis lumen habeant plurimũ, pręſtantiore quodam opus eſt lumine, vt & à ſeipſis, & à quouis alio diſcernantur.

MARSILIVS.

Abſq; mirifica primi boni gratia nec amant res ullæ, nec amantur. Cap. XXII.

QVòd in ſpectandis formoſis amore nos corripit, neq; materia eſt, neq; proportio, ſed uiuidis quidam fulgor ab anima in proportione refulgens. Quòd iterum in excogitandis animis eorumq; uirtutibus & officijs ardenti quadam beniuolentia capit, intellectualis quidam ſplendor eſt ab intellectu diuino ſubrutilans. Quod tãdem dum intellectus & intelligibilia contemplamur, nouo quodam

d m nos accendit amore, radius eſt à primo bono micans, hinc quidem inflammans & excitans uo-
A luntatem, inde uerò quæ contemplanda nobis occurrunt gratia mirifica denans. Cùm uerò grada tim inde omnia pendeant, ſequitur ut nec etiam in ſenſibus & corporibus abſq; influxu primi boni proprio uel amabilis uſquam gratia fulgeat, uel accendatur amor.

PLOTINVS.

QVotiens igitur animus lumen hoc inſpicit, totiens ad res diuinas hoc circumfuſas lumine incitatur, affectansq; lumen in his præfulgens occurſu eius admodum gratulatur. Quemadmodum & qui corpora hæc videntur amare, non ſubiecta quidem amant, ſed pulchritudinem palam in corporibus effulgentem. Exiſtit enim quodlibet hoc ipſum quod eſt in ſeipſo: euadit autē optabile, cum hoc bonum ipſum quali colorat, dum videlicet rebus quidem expetē dis gratias abundè largitur, appetentibus verò infundit amores. Iam verò animus cum influxum inde ſuſceperit, mouetur, debacchatur, ſtimulis incitatur: atq; ita in hunc influit amor. Antea verò nèq; ad mentem quidem ipſam mouetur, quamuis pulchram: ipſius enim pulchritudo torpet priusquam boni lumen acceperit, ipſeq; animus ex ſe recidit reſupinus, & ad omnia torpet, mēteq; præſente ad eam dormitare videtur. Poſtquam verò inde accenſus eſt calor, corroboratur protinus excitaturq;, aliſq; fulcitur. Ac dum ad id quod proximum eſt, vehementer afficitur, ad aliud interim quaſi reminiſcētia quadam excellentius eleuatur. Et quouſq; aliquid reſtat præſente ſuperius natura ſurſum attollitur, ab eo ſublatus, qui infudit amorem: & intellectum quidem tranſcendit, nequit autem ſupergredi bonum: quoniam nihil bono ſuperius eſſe poteſt. Si autē in
B mentem detigat intuitum, pulchra quidem cernit atq; veneranda, nondum tamen habet omnino quod quærit. Quaſi enim propinquat vultui formoſo quidem, nondum tamen aſpectum ad ſe rapiēti: quippe cum ea adhuc decora gratia careat, quæ ſolet in pulchritudine refulgens allicere. Quamobrem & hîc pulchritudinem eſſe putandum eſt id ipſum potius quod in proportione refulget, quàm ipſam proportionem: idq; eſſe propriè quod eſt amabile. Cur enim in facie quidem viuētis magis pulchritudinis ſplendor apparet, in facie verò defuncti necdum manifeſtè permutata figura vix pulchritudinis reſtat veſtigium? Cur iterum inter imagines, quæ videntur viuaciores etiam pulchriores occurrunt, quamuis aliæ quædam exactiori ſint menſura compoſitæ? Cur ipſa viuentis forma etiam ſi minus compoſita ſit, pulchrior tamen occurrit quauis imaginis pulchritudine? Forſan quia hoc reuera magis eſt expetendum: id verò quoniam habet animam: id rurſus, quia hæc quodam ipſius boni lumine eſt inſignita: inde verò colorata protinus excitatur, & quaſi leuior attollit̄ altius, eleuatq; quod habet, & quatenus capere poteſt bonum reddit & excitat.

MARSILIVS.

C *Primum rerum principium idem eſt atq; ipſum bonum.* Cap. XXIII.

NIhil enim melius ipſo bono: nihil ſimiliter primo rerum principio melius. Item ipſum bonum per ſe ſibi ſufficientiſsimum eſt: ſufficere verò ſibi principium ſol ūpoteſt. Præterea, malum per diſceſſum quidem à principio creſcit, per acceſſum verò augetur bonum. Infimum ergo rerum eſt ipſum malum: primum verò ſimiliter ipſum bonum. Denique quoniam omnia bonum appetunt, atq; eius participatione proficiunt, planè conſtat, ab ipſo cuncta & eſſe & conſeruari, eiusq; uirtute moueri, & agere quicquid rite & naturaliter agunt.

PLOTINVS

NEq; verò mirari quiſquā debet, ipſum quod anima ſequit̄, quod mētilumē infundit, cuius veſtigiū hæc paſsim cōcitat, tantā habere potētiā, dū videlicet ad ſeipſū trahit, animā atq; mentē, & paſsim reuocat ab errore, vt penes ipſū denique conquieſcant. Si enim illud à quo ſunt omnia nihil ſe melius eſſe patit̄, minus verò bona ſunt omnia, ſequitur ipſum rerum omnium optimum, bonum ipſum exiſtere. Quin etiam ſi oportet ipſam boni naturam per ſe ſibi ſufficientiſsimā eſſe, nec indigam alicuius: quā potiſsimum aliā ipſam quis eſſe reperiat,

D præter hanc quæ ante alia eſt hóc ipſum quod exiſtit, quando nondum eſt malum. Si autem mala poſterius ſunt, in his rebus quæ nihil participant munerum diuinorum atq; poſtremis, neq; mali quicquam eſt apud ſuperos, neq; aliquid ipſo malo peius, ſicut neque melius aliquid ipſo bono, profectò mala contrario modo ſe habent ad primum, nihil ad contrarietatem habentia medium. Ipſum itaque bonum hoc prorſus exiſtit. Aut enim omnino nihil eſt bonum, aut ſi neceſſarium eſt bonum eſſe, hoc vtique duntaxat nec aliud erit. Si quis autem obijciat, bonum omnino non eſſe, cogetur non eſſe malum ſimiliter confiteri: vnde ſequetur res omnes ad electionem eſſe ſecundum naturam indifferentes: id autẽ eſt impoſsibile. Cætera verò quæ appellantur bona referuntur ad primũ: ipſum verò refertur ad nullum. Cùm igitur ipſum bonum tale ſit, quidnã agit? Profectò fecit mentem, fecit vitam, fecit ex mente animas, & reliqua prorſus quæcunq; rationis vel mentis vel vitæ participia ſunt. Quisnam igitur exprimere poſsit quale quantúmue bonũ ſit, quod horũ fons eſt atq; principium? Verũ quid nunc operatur? nunc certè ſeruat illa quæ fecit. Efficit enim vt & intelligẽtia paſsim intelligant, & viuentia viuant, inſpirans mentem, inſpirans & vitam,
L inſpirans eſſe ſaltem, vbi accipi vita non poteſt.

MARSILIVS.

Eſſe appetibile non tam eſt ipſa natura boni, quàm conditio quædam conſequens ad ipſam boni naturam. Ambigitur quidnam ſit ipſa natura ratioq; boni & quæ conſequuntur bonum, utrum uoluptatem ſolam, an & aliud inſuper inde reportent: quòue inditio certo uerum adeſſe bonum diſcernere ualeamus. Cap. XXIIII

PLOTINVS.

RElíquum foret inquirere quid potiſsimũ erga nos operetur. Sed rurſus de lumine dicturi ſumus: quidnam ſit lumen quo mens illuſtratur, cuius eſt & anima particeps. Verùm præſtat in præſentia hoc in poſterum differẽtes, prius inueſtigare, nunquid ipſum bonum propterea quòd alteri ſit expetendum, bonum ſit atq; dicatur: & quod alicui eſt appetibile, ſit & alicui bonum: quod autẽ omnibus appetẽdum, ipſum bonum aſſeueremus. An potius inditium hoc boni aliquis iudicet, oporteatq; quod eſt appetibile eam habere naturam, qua iure ſibi appellationem eiuſmodi vendicet. Quærendum eſt præterea, nunquid hoc appetentia id appetant ab eo nonnihil accipiendo, an duntaxat ipſo gaudendo? Et ſiquid accipiant, quídnam ſit illud? Sin tãtùm gaudeant, cur hoc dũ-
F taxat, nec alio quopiam? Vbi ſanè & hoc indagandum, num bonum per ipſius proprij rationem, an per aliud perpendendum? Tum verò nunquid bonum omnino alterius ſit, an etiam ſibimet bonum ipſum ſit bonum? An potius cuicunq; bonum ſit, ſibi quidem non ſit bonum, ſed alteri neceſſariò? Item cui potiſsimũ naturæ ſit bonum: eſt enim nonnulla natura, cui nihil eſt bonum. Neque illud ſilentio prætereundum cenſeo, quod forſan aliquis pertinax & contentioſus obijciat. Quídnam ô viri dicet, ſurſum deorſumq; ſpectando rem veſtram gloriоſius exornatis? Vitam bonum dicitis, mentem quoq; bonum: quãuis ſuper hæc ſtatuatis ipſum bonum. Dicite quæſo, quídnam mens ipſa ſit bonum? quid ſpecies ipſas intelligens habeat bonum, dum quid vnumquodq; ſit, cõtemplatur? Fieri fortaſſe poteſt, vt horum oblectatione deceptus appellet bonum: ſimiliter quoq; vitam tanquam ſibi dulcem exiſtimet bonum. Qui ſi fortè ſit in eo habitu conſtitutus vt nulla voluptate tangatur, cur nam bona hæc affirmabit? An fortè bonum eſſe putabit, videlicet ſe exiſtere? Sed quídnam fructus ex ipſo eſſe percipiet? Quid ve apud ipſum intererit eſſe, aut omnino non eſſe, niſi quiſpiam quandam erga ſe amicitiam eſſe horum cauſam aſſerat? Adeo vt ob hanc deceptionem nobis naturaliter inſitam, mortisq; timorẽ, bonorum exiſtimatio ſit inducta.

MAR-

MARSILIVS.

Bonum materiæ quidem forma eſt, corpori uerò anima, animæ intellectus, intellectui ſimul & omnibus principium omnium. Cap. XXV.

FOrma materiæ actum exhibet atq; ordinem tãquam bonum: anima corpori uitam atq; motum, intellectus animæ uirtutem, principium intellectui actum uitalem intellectualemq; & lumen ineſtimabile: ſicut naturam ignis id ſequitur, ut diſtantia quidem illuminet, propinquantia uerò etiam calefaciat, imò ſicut centrum grauia trahit & ſiſtit, ita naturam boni hæc conditio comitatur, ut remota quidem trahat per appetitum, præſentia uerò detineat atq; delectet.

PLOTINVS

PLato igitur cum voluptatem admiſceret fini, ipſumq; bonum neq; ſimplex neq; in ſolo intellectu poneret, ſicut ſcribitur in Philebo, fortè ambiguitatẽ eiuſmodi ſentiẽs, neq; auſus eſt ipſum bonum prorſus in voluptate ſtatuere, & rectè quidem, neq; intellectum voluptatis expertem exiſtimauit bonũ ipſum eſſe cenſendum: quippe cum non videret in eo quod incitaret affectum. Forſan verò nec ita prorſus accepit: ſed ita bonum iccirco compoſuit, quoniam iudicauit bonum ipſum cum naturam in ſe talem habeat, neceſſariò eſſe delectabile, & optabile proſequenti, & delectabile conſecuto. Quapropter cui non inſit gaudium, nec adeſſe bonum: ideoq; ſi primo deſideranti nõ inſit lætitia, nec etiã aſsiſtere bonum: neq; ab re bonũ ita cõpoſuit. Non enim primũ ibi bonum inueſtigabat, ſed bonum duntaxat humanum. Quod quidem omnino & alterius eſt, & ipſum eſt pariter alterum: cum ipſum ſit deficiens, ac fortè compoſitum. Quamobrem quod ſolitarium eſt atq; ſolum, nullum habere iudicat bonũ ſed alia quadam conditione excellentioriq; ratione ipſum exiſtere bonum. Neceſſarium eſt igitur bonum ipſum expetendum eſſe, non tamen quia ſit appetẽdum, iccirco fieri bonum: ſed potius quia ſit bonum, ideo appetibile fieri. Anigitur vltimo, quidem in ordine rerum quod præcedit, eſt bonum, ſemperq; aſcẽſus eiuſmodi facit, vt quod ſuperius eſt, ſequẽti deinceps adſit vt bonum, ſi modò aſcenſus à proportione analogiæ nuſquam diſcedat, ſed ſemper in maiora procedat. Sed gradum denique ſiſtet in eo quod eſt ſupremũ, vltra quod nihil reliquum eſt, quod ſuperius accipi poſsit: idq; primum eſt ac reuera bonum, & bonum præcipuè maximum, cæteriſq; cauſa bonitatis. Materiæ igitur bonum eſt ipſa forma. Si enim ſenſum materia nanciſcatur, aduẽtu formæ proculdubio gratulabit. Corpori verò bonũ eſt anima; nam abſq; anima neq; eſſet neq; etiã ſeruaretur: at animæ bonũ virtus: iamq; etiam ſuperius intellectus: intellectui denique bonum eſt illa, quam naturam primã appellare ſolemus. Exiſtimandum eſt præterea horum quælibet aliquid in ea facere, quorum ſunt & bona. Hæc quidem adhibere ordinem & ornatum: illa verò iam vitam: alia ſapientiam beneq; viuendi dotem: intellectui denique bonum ipſum largiri munus quod dicimus in intellectum inde venire, ac bonum euadere, quoniã eſt actus ex illo. Et quoniam etiam nunc quod lumen appellatur inde in hunc infunditur: quod ſanè quid ſit in ſequentibus diſſeremus.

MARSILIVS.

Quæ ſenſu prædita ſunt hoc potiſsimum boni iam præſentis ſignum habere poſſunt, quòd hoc ipſo ſtabiliter delectantur, atq; in eo libentiſsimè conquieſcunt, meliusq; inde ſe habent. Cap. XXVI.

QVemadmodum circa res ſenſu carentes duo hæc ſcilicet, inclinatio ad naturale bonum finemq; ſuum, & quies in eo ſcilicet, in fine habituq; naturali aliud quiddam ſunt præter naturale bonum: ſunt enim quidam rei proſequentis actus ad bonum, uel circa bonum, uel in bono. Sic in rebus ſenſu prædictis appetitus & uoluptas aliud quiddam ſunt quàm bonum, nec uoluptas ipſa ſufficit. Optabilius enim eſt præſente bono, quod appetimus delectari, quàm delectari ſimiliter abſq; illo.

PLOTINVS.

D TVm verò quod natura ſentire poteſt, quod accedit ad ipſum, ſi quando accedit bonum, cognoſcere poteſt, idq; habere ſe dicere. Sed quidnam dicẽdum eſt, ſi fortè decipiatur? Oportet profectò aliquam eſſe ſimilitudinem, qua ſit deceptum. Quod ſi ita ſit, illud certè huic erit bonum, à quo eſt & deceptum: nam & quando illud aduenit, ab eo quod fefellerat iam diſcedit. Iam verò vniuſ cuiuſq; appetitus & ſtimulus teſtatur eſſe aliquod vnicuiq; bonum. Rebus quidem inanimatis ab alio fit largitio boni: in eo autem quod habet animam, appetitus ipſe ſuum proſequitur bonum: quemadmodum corpora naturaliter vita carẽtia à viuentibus curantur atq; coluntur. Viuentia verò ſibimet pro viribus prouident. Quod autem bonum aliquis iam fuerit conſecutus, credi proculdubio poteſt, quãdo videlicet ſe habet melius, nec afficitur pœnitentia, ſed implet tur, & in eo permanet, neq; aliud expetit. Quare voluptas nõ eſt per ſe ſufficiẽs: nam qui voluptate afficitur, non affectat idem. Nam etiam ſi voluptatẽ ipſam affectare dicatur, nondum tamen idem expetere conuincetur: aliud namq; ſem per eſt illud quo delectatur. Oportet vtiq; bonum, quod aliquis in primis exoptet, eſſe non paſsionem affectionemue quandam, qua qui conſequitur, intus afficiatur: vnde & vacuus reſtare poteſt, qui affectionem ipſam eſſe iudicat bo-
E num, quando affectionem habet ſolam, quam ſimiliter præſente bono alius poſſideret. Quamobrem nullus inprimis eliget, ita ſe affici non habendo bonum aliquod ſicut alter habendo: ceu gaudere quaſi habeat filium, cum non habeat. Neq; qui ventrem implere cupiunt, eligunt tanquam bonum ita delectari, non comedendo quaſi comedant. Neq; qui Veneri prorſus indulgent, tanquã ſuũ eligent bonum, ita duntaxat voluptate perfundi, re amata non potiundo, neq; rem peragendo, perinde ac ſi potiantur & peragant.

MARSILIVS.

Neq; appetitus neq; uoluptas efficit ut aliquid bonum ſit ſed ipſa natura boni eminus quidem allicit appetitum, cominus autem uoluptate demulcet. Similiter nec propria quædam familiaritas cauſa eſt ut aliquid tibi ſit bonum. Cap. XXVII.

NOn enim optabile ſalutareq; tibi eſt quodlibet ſimile uel propinquum, neq; ſatisfacit æqualitas, ſed ipſam boni naturam uirtus eiuſmodi comitatur, qua tanquam domeſticum propriumq; nobis occurrat, quamuis ubiq; ſit natura ſuperius. Bonum igitur uniuſcuiusq; ſe habet ubiq;, uel tanquam ſpecies quædam ad ſubiectũm, uel tanquam ſpeciei principium ad ſpeciẽ & ſubiectum.

PLOTINVS.

SEd quidnam oportet contingere vnicuiq;, vt quod ſibi eſt conſentaneũ habeat? Profectò ſpeciem quandam dicemus: conſentanea enim eſt materiæ
F ſpecies, & animæ ſpecies, ideſt virtus. Hæc verò ſpecies, nunquid ex eo quòd propria eſt, familiaris q; illi, eſt & illi bonum? appetitioq; vergit ad propriũ? Forte non ita. Simile enim proprium eſt: atq; ſi velit aliquis habeatq; ſimile, eòque gaudeat, nondum tamen poſsidet bonum. An igitur quando cõceſſerimus eſſe bonũ, non etiã ꝓpriũ concedemus? Dicendum eſt vtiq; iudiciũ de proprio ad ipſum præſtantius ac melius referẽdum eſſe, ad quod videlicet aliquid eſt in potẽtia. Cum enim in potẽtia ſit ad aliud, illo proculdubio indiget: illud autẽ quo velut præſtantiore id indiget, certè huic eſt bonũ. Materia verò maximè omniũ eſt egena, cui forma vltima conueniens & proxima eſt. At vltra materiam gradatim ad ſuperiora conſurgitur. Proinde ſi idem ſibimet bonum eſt, multò magis eſt ei bonum perfectio eius & ſpecies, quòd ue eſt eo præſtantius: quod ſanè & ſua natura tale eſt, & ei tale prouenit, quoniam & ipſi bonum affert. Sed cur nam ipſum eſt bonum? An quoniam ſibi eſt maximè proprium? Non ſanè: ſed quoniam eſt quædam ſors & portio boni. Quamobrem illis qui ſinceri meliorésque ſunt familiaritas tum ad ſe, tum inter ſe magis propria ineſt.

Iam

A Iam verò per abſurdum eſt inquirere, cur nã aliquid cùm ſit bonũ ſibimet ſit bonum, quaſi verò oporteat ab ipſa ſui natura diſtare, neq; amare ſeipſum tanquã bonum. Sed in re ipſa ſimplici hoc eſt indagandum: nunquid vbi nullo modo ineſt aliud atq; aliud, ſit propria quædã ad ſeipſum neceſsitudo: ideoq; ſibimet ſit bonũ. In præſentia verò ſi rectè hæc à nobis dicta ſunt. atq; aſcẽſus gradatim præſtat bonum in natura aliqua conſtitutum, nec appetitio facit bonum, ſed appetitio ſurgit potius quia bonũ: itẽ aliquid in eis ſit quæ nanſciſcuntur bonum quódue ipſam boni comitatur adeptionẽ, eſt voluptas: ꝓfectò etiã ſi voluptas nulla comitaretur, adhuc tamen eligendũ eſſet ipsũ bonũ, ipsũq; ꝓ ſe quærendũ.

MARSILIVS

Materiam primam cogitamus quaſi potentiã quandã informẽ quidem, ſed naturaliter capiendæ formæ parátam. Qua igitur ratione informis eſt, malum eſt, neq; propriè ſic appetit bonũ: qua verò ratione potentia parata formæ, non eſt malum. Ac ſi quomodo poſſit appetere, ſic bonum, ideſt formam appetit, præſertim occulto quodam ſuæ deformitatis odio. Cap. XXVIII.

S Icut ipſum bonum ſibi & omnibus eſt amabile, ita ſi fingatur ipſum malum nec alijs, nec ſibi erit amandum. Vnicuique bonum eſt ſua quædã ſpecies, forma, perfectio, actus ſuperne dependens: ſed forma ſpecies q; materiali informitati paſsim opponitur. Quo igitur forma eſt à materia ſeparatior, eò gradatim magis ſpecies eſt, megis q; bonum: ſeparatiſsima tandem ſpecies optimum. Ipſum
B verò bonum nec ſpecies ulla iam eſt, nec alicuius bonum, ſed ſpecierum autor pariter & bonorum.

PLOTINVS.

QVod autẽ ex ſuperioribus ſequitur conſiderandũ nunc arbitramur. Si vbiq; quod tanq; bonum adeſt ſpecies quædẽ eſt, & ſpecies eſt ipſi materiæ bonũ, quærendum eſt, nunquid ſi materia volẽdi aliquid cõpos euaſerit, vel le poſsit ſolam ſe ſpeciẽ fieri? Verũ ſi hoc voluerit, interire volet: Omnia verò bonum ipſum appetunt. Sed fortè non exoptabit quidẽ eſſe materia, ſed eſſe dũtaxat: id verò habens malum ſuũ abijcere volet. At verò malũ, quomodo bonũ appetet? Sed ꝓfectò neq; materiæ appetitionem attribuimus: ſed ſuppoſitionẽ quandam adduxit conditio diſputandi, attribuens quidem ſenſum ſi modò attribui poſsit ſeruata materia. Et ſanè adueniente ſpecie velut inſomnio quodã boni, in meliori ordine cõſtitit materiam collocari. Si ergo malum materia eſt, quòmodo res ſe habeat iàm eſt dictum: ſin autem aliud quiddam tanquam (vt ita loquar) malitia atque ipſum eius eſſe ſenſum accipiat, nunquid adhuc ipſum proprium familiaréque penes id quod eſt præſtantius erit bonum? Sed profectò non erat malitia ipſa quæ eligebat bonũ, ſed potius quod habebat in ſe malum. Sin autem idem ibi ſit eſſe atque malum, quónam pacto hoc bonum expe
C tet? An forſan videri poterit, ſi malum ſeipſum ſentiat amaturum eſſe ſeipſum? Sed profectò quonam modo amari poterit ipſum non amabile? Non enim in eo ipſo quòd proprium dicitur & domeſticum, rationem boni cenſuimus collocandam. Et de his quidem nunc ita ſit dictum. Verùm ſi ſpecies vbique eſt ipſum bonum, ſempérque altius aſcendendo ſpecies magis occurrit: magis enim ſpecies eſt anima quàm corporis ſpecies. Ac penes animam ſpecies magis atq; magis: & denique intellectus magis ſpecies eſt quàm anima: certè ipſum bonũ oppoſita quadam ipſi materiæ via procedit, eique præcipuè conuenit, quod purgatum eſt, & à materia longè ſemotum, pro puritatis quidem gradibus vnicuique: maximum verò bonum ipſi congruit, à quo quicquid materiæ cogitari poteſt longè ſeiungitur. Atqui & ipſius boni natura omnem materiam fugiens: imò verò nec vſquam, nec vlla conditione propinquans, procul dubio in naturam aufugit ſpecie omnino vacantem: à qua prima ſpecies oritur. Sed de hoc in ſequentibus pertractabitur.

MARSILIVS

Manifestiore solemus uoluptate moueri, dum extra perfectum corporis uel animi habitū positi restituimur in illum, quàm ubi perfectum iam sumus habitum consequuti: ex quo patet uoluptatē illam quæ quasi motio quædam est non esse finem perfectionemq; naturæ. Cap. XXIX.

NEmpe in habitu naturali statuq; uitæ perfecto mobilis quidē uoluptas illa definit facta iam tranquillitas, & optima (ut ita dixerim) ualitudo habitudoq; naturalis mobili uoluptate constantior uerior, optabilior. Contra illos qui opinantur nec sine uoluptate, nec præter uoluptatē aliquid esse bonum Plotinus asserit, esse, uiuere, sentire, intelligere, & similia esse bona eligendaq;, non eo duntaxat argumento, quod communiter cum uoluptate quadam manifesta contingant: sed quoniam eorum oppositа tanquam mala naturaliter fugiantur.

PLOTINVS.

VErùm nisi voluptas sequatur bonū, fiat autē ante voluptatē aliquid ,ppter quod & voluptas soleat comitari, cur non bonū etiam tūc gratum amabileq; occurrat? Sed cū gratū lętumq; dixerimus, simul iam diximus voluptatē. at si existat quidē bonū existente vero posśibile sit non esse iucundū, quidnam dicemus? Sed forsan si ita sit, etiā præsente bono qui sensum habet bonū, nō agnoscet adesse. Fortè etiā nihil prohibet aliquē cognoscere quidē bonum: neq; tamen moueri aliter posteq; illud habet, quod quidem maximè conuenit admodū
t tēperato, & nullius egeno. Quapropter nec primò exhilaratio conuenit, non solū quia simplex est omnino, sed quoniā ipsa duntaxat adeptio quæ indigentis est voluptate perfundit. Sed hoc quidē tunc demū perspicuè apparebit, posteq; reliqua omnia purgauerimus, sermonemq; illum nobis oppositū expulerimus. Hic verò est qui dubitat, quidnā fructus accipiat qui mentē habet ad cōparandā boni sortē, si nullo prorsus moueatur affectu dum hæc audit, ,ppterea quòd hæc re ipsa nequaq; percipiat, siue dū audit nomen, vel aliud quoduis eorū existimat singulatim, siue aliquid sensibile quærit, bonūq; in diuitijs, vel alijs eiusmodi ponit. Aduersus hunc ergo dicendum est, quādo hæc despicit, interea cō fiteri positum esse aliquid apud se bonū: cū verò dubitet vbi potissimū, & qua ratione sit positū, nimirum notioni illius apud se insitæ hęc deinceps accōmodare. Fieri nanq; nō potest, vt qui huius ipsius omnino imperitus est & ignarus, aliquando dicat: istud aut illud hoc ipsum esse non potest. Fortè etiā eiusmodi sermo ipsum bonum super mentē esse vaticinatur. Præterea si ad ipsum bonū vel ad illius proximū suspiciens non discernit, expedit saltē ex oppositis bonū excogitare: alioquin nec ignorantiam quidē malum esse fatebitur: quanq; omnes intelligere cupiunt, omnes intelligentia gloriantur. Testantur hoc & sensus qui ad notitiā ac velut intelligentiā natura contēdunt. Si igitur intellectus pulchrū quiddam est atq; venerandum, maximè verò primus: dicage, quid nam imagineris æstimaturum, siquis genitorem patremq; mētis inspicere possit? Pro
r inde qui esse & viuere verbis spernit, ipse interim contrà testatur, & omnes verbis habet repugnantes affectus. Quòd si quis grauiter ferat vitam, is certè non veram vitam, sed illam potius quæ morti miscetur respuere iudicatur.

MARSILIVS

Finis intellectualis animæ est expeditus & summus actus intelligentiæ in ipsum uniuersi bonum prorsus intentus. Cap. XXX.

ACtus eiusmodi beatitudo est, etiam si nulla huic uoluptas exterior adiungatur, neq; tamē ipse est uoluptatis expers. Ipsa enim expedita actionis integritas atq; summitas est uoluptas. Tūc uerò maximè & simplex unumq; existit: gaudet uerò seipsa penitus ex superiori lumine iā formata. Profectò sicut summitas luminis circa speculum concauū iam est calor, ita summitas essendi iam est uita. Similiter uiuendi sensus, sentiendi imaginatio, imiginandi ratio, rationis intelligentia, intelligentiæ gaudiū, gaudij bonum: nempe ad supremū uniuersi gradū, non per diuisionem, sed per unionem ascenditur paulatim. Iam uerò sicut elementa eodem naturæ nixu quod sibi consentaneū est petunt atq; frunntur: ita mens eodē actu, quando summus est uergit in finē ultimum tanquā uerum, & fruitur tanq; bono. Sed de fine & intelligentia & uoluptate in commentarijs Philębi latius disputamus.

PLOTI.

A PLOTINVS.

POst hæc, vtrũ voluptatem bono oporteat eſſe pmiſtã, alioquin imperfecta ſit vita, etiã ſi quis diuina eorũq; principiũ ſpeculetur, attingentes bonum animo inueſtigare debemus. Iam verò vbi Plato bonum cõponere videtur ex intellectu tanq; ſubiecto, atq; ex affectione quadã animæ, quæ intelligentiã ſequitur, ibi certè neq; finẽ neq; bonũ ipſum cõpoſitum eſſe aſſerit, ſed illic ipſe intellectus eſt bonũ. nos autẽ huius boni poſſeſsione gaudemus. Atque hæc vna de bono opinio eſt. altera verò opinio vel expoſitio eſt illa quæ ſic admiſcet intellectui voluptatẽ, vt vnum aliquid ex vtriſq; ſubiectũ ponat, vt nos intellectũ eiuſmodi cõparantes, ſiue cernentes, bonũ iã habeamus: quippe cum deſertum aliquid atq; ſolũ neq; fieri poſsit, neq; ſi poſsit tanq; bonũ nobis ſit exoptandũ. Sed quærendũ eſt, qua conditione potiſsimũ intellectus voluptati in vnã naturę conſpirationẽ perfectionemq; cõmunem permiſceatur. Conſtat ꝓculdubio corporis voluptatẽ menti permiſceri non poſſe: quinetiã neq; lætitiã vllã animi cũ voluptate corporis congruentẽ. Sed profectò quãlibet actionẽ, affectionẽ, uitam ſequi oportet & pariter comitari, quaſi aliquid ſuperfuſum, dũ videlicet alicui quidẽ actui naturaliter contendenti obſtat impedimentũ, & contrarij aliquid admiſcetur, quod quidẽ non permittit vitã ſui iuris exiſtere. Alicui verò actionis ipſe tenor purus ſincerusq; ꝓcedit, vitáq; viget affectione ſerena. Hanc ob cauſam qui talẽ mentis habitũ eſſe libentiſsimũ & optatiſsimũ arbitrantur, illum interea dicunt cũ voluptate miſceri: idq; appellationis ꝓpriè defectu afferre videntur, quemadmodũ faciunt & qui alia quoq; nomina nobis amata tranſferunt ad diuina. Quale illud eſt: Intellectus nectare ebrius. Item: Ad cõuiuiũ itur & pabulũ. Rurſus apud poetas: Iupiter ipſe ſubriſit: ſimiliaq; permulta. Eſt n. illic reuera vitæ ſors libentiſsima amabiliſsimaq;, & maximè omniũ exoptãda. Conditioq; eiuſmodi neq; fit aliquando, neq; in motu verſatur: cuius quidẽ cauſa eſt, quòd colorat ipſa & illuſtrat atq; ſerenat. Quamobrẽ Plato veritatẽ adhibet miſtioni, præponitq; miſturæ moderatorẽ. Ait etiam, contemperationẽ & pulchritudinẽ in miſtura in pulchrũ inde procedere. Itaq; ſecundũ hoc, nos & in hoc ponimus portiones. Hoc autẽ eſt reuera nobis amãdum, eſt & conſequẽdum, quatenus ad id quod in nobis eſt optimum, nos met pro viribus reuocamus. Hoc itaque contemperatum & pulchrum & ſpeciem ita compoſitam, conſtat eſſe vitam perſpicuam, intellectualémque & pulchram.

B

MARSILIVS.

Ipſum bonum uniuerſi principium non ſolum mentem animãq; procreat, ſed etiã radio his infuſo uelut amatorio quodam hamo aſsiduè reuocat ad ſeipſum: ubi radiũ tum in anima, tum in mente, tandẽ in lumen
C *uitale gratioſumq; conuertit: atque hæc utrobique eſt ipſa felicitas.* Cap. XXXI.

ANima non ſolũ per amorẽ diuinitus inſitum, uerũetiam per rationem ad ſupernam pulchritudinem prouocatur. Quando uidelicet argumentatur, corporeã pulchritudinẽ tanquam in deformitate diſtantia mobilitate poſitam neceſſariò imperfectam eſſe, ideoq; ab incorporea proficiſci. Sic anima tandem diuina mente formatur: unde mox patrem diuinæ mentis agnoſcit.

PLOTINVS.

CÙm igitur omnia ex illo facta ſint pulchra, quod eſt ante omnia, & inde cũcta refulgeant: intellectus quidẽ intellectualis actionis fulgorẽ illinc adeptus ſit, quo deinceps naturã proferẽs illuſtrauit, anima verò vim inde accipiat ad viuendũ, plurima videlicet vita in eam exuberãte, nimirũ & intellectus illuc protinus erectus eſt, atq; permanſit: ſatis ſibi factũ putans, dum illi propius adſtat, & anima illuc conuerſa, quæcunq; poteſt cũ primũ agnouit, atq; perſpexit admodũ ſpectaculo gaudet: & quatenus videndi cõpos eſt, protinus obſtupeſcit. Videt autẽ velut inde pulſata, atq; illius aliquid in ſe habens, velut ſui cõſcia ſimul in ſeipſa perſentit. Atqui quodãmodo iam affecta deſiderare cœpit, inſtar

D eorum qui ex quadã rei amandę imagine incitantur ad ipſius rei ſpectaculũ ẽx-
optãdum. Quemadmodũ verò apud nos amatores ſe ad amati ſimilitudinẽ cõ
figurant, tũ corpora concinniora, tũ elegantiores animos pro amati ſimilitudi-
ne ſtudioſè reddẽtes, vt quoad fieri poteſt amati tẽperantia alijſq; virtutibus ni
hilo inferiores euadant, alioquin ab amatis virtute prædditis ,prſus contẽnerentur, atq; ij ſunt ex amantiũ numero, qui amati familiaritate frui quandoq; poſsũt
Eodẽ pacto & anima amat quidẽ ipſum bonũ, ſed ab ipſo eodẽ ſtatim ab initio
,puocata eſt ad amãdum. Et ,pfectò quæcunq; prõptum habet amorẽ, nequaq;
expectat vt ex his quæ apud nos pulchra ſunt, in ipſius boni memoriã reuocet:
ſed amorẽ in ſe habens, etiã ſi quod habet ignoret, aſsiduè quæritat, volẽsq; ad
illud accedere, noſtra hæc omnia deſpicit: nẽpe conſiderans quæ in hoc mũdo
pulchra videntur, non iniuria deſpicit, cum ea in carne corporeq; iacẽtia videat
præſentiq; ſubiecto locóq; polluta, dimẽſionibus quoq; diſperſa: quę profectò
etſi pulchra dicuntur, non tamen ipſa vera ſunt pulchra. Nefas enim eſt opinari
ipſa quæ reuera pulchra ſunt, ſeipſa qualia ſunt in corporũ lutum immergere, &
fœdare ſeipſa, atq; diſperdere. Iam verò quando quæ apud nos pulchra putant,
conſiderat in perpetuo fluxu verſari, deprehendit omnino, hęc quod in eis emi
E cat aliũde nanciſci. Poſt hæc illud ,prſus attollitur, potens videlicet quod amat
denicq; conſequi, neq; prius deſiſtit, q; aſſequatur, niſi fortè quis illi extirpet amo
rẽ: vbi tandẽ & omnia pulchra & verè exiſtentia cernit, & impleta entis ipſius
vita valde corroboratur: fitq; & ipſa ipſum verè ens, habitátq; ibidem verè com
prehendens, & proximè habitans, quod iandiu quærit, perſpicuè ſentit.

MARSILIVS

Quicquid eſt in mundo intelligibili ſpecies quædã eſt: & ipſe totus eſt ſpecies conſtans ex ſpecibus. Species autẽ unaquæq; eſt aliquid intelligentia definitum. Vnde & altera ab altera planè diſtinguitur. Vniuerſa rurſus ſpecies conſtãs ex definitis eſt denique definita. Item in multitudine ſpecierum unus illic pulchritudinis ſplendor emicat. Cap. XXXII.

OPortet igitur & ſuper definitam illius mundi naturam peruenire ad ipſam incomparabilis uirtutis immenſitatem, & à pulchritudine quæ ſplendor quidam eſt in multis, quaſi ſtellis aſcendere ad ſimplicem ipſius boni lucem, uelut Solis. Quæ quamuis ſpecies nulla ſit, eſt tamen ipſa pulchritudinis pulchritudo. Et quoniam bonitas pulchritudoq; infinita eſt, infinitum propinquantibus accẽdit amorem. Hinc argumentari poſſumus animarum beatitudinem ſempiternam.

PLOTINVS.

HIc iam fas eſt quærere hunc in modum. Agè dic anima, vbi nam ille ſit qui
tam ingentem pulchritudinem procreauit, qui tam excellẽtem progenuit
vitam, qui primam fecit eſſentiã? Cernis ô anima ipſam in omnibus & varijs ſpe
ciebus pulchritudinem coruſcantem? Pulchrum quidẽ eſt ibi conſiſtere. Sed
operæpretium eſt animũ in pulchro iam exiſtentẽ, vnde nam hæc ſint, & vnde
pulchra fiant, inueſtigare. Oportet ſanè ipſum pulchrorum omniũ autorẽ, eorũ
nullum penitus eſſe: alioquin ſiquid eorum ſit, pars tantũ quędam erit. Igitur ne
que forma quædam talis eſt, neque potentia quædam. Neque rurſus eſt cunctæ
quæ ibi fiunt exiſtuntq; formæ atque potentiæ: ſed oportet ſuper omnes ex-
tare potentias atq; formas. Eſt ergo principiũ ipſum ſpecie vacans, nõ ita quidẽ
vt indigeat forma, ſed potius à quo omnis forma intellectualis exoritur. Quod
enim factum eſt ſi modò fiebat, oportuit aliquid effici: ideóque ,ppriã accepit
formã: quod autẽ à nullo factum eſt, nimirum neq; factum eſt aliquid. Hoc igit
nullum entiũ eſt, & entia cuncta: nullum quidẽ quoniam poſteriora hoc entia
ſunt: cuncta verò quoniã ex ipſo naſcũtur. Cùm verò facere omnia poſsit, quã
in ſe habeat magnitudinẽ? An forſan erit immenſum? Verùm ſi immenſum, ma
gnitudinẽ habet nullam. Magnitudo enim in rebus ſolũ poſtremis habet locũ
Iam verò oportet ipsũ magnitudinis effectorẽ nõ eſſe participẽ magnitudinis.

Quine-

A Quinetiam ipſa quæ dici ſolet eſſentiæ magnitudo non eſt quantitas vlla. Habere proculdubio poteſt, quod poſt illud eſt, magnitudinem. Magnitudo verò illius eſt, nihil eo potentius eſſe, nihil æquari poſſe cum illo, quo enim ex ſuis illi æquari quis poſsit, cùm nihil poſsideat idem? Præterea quod dici ſolet, Deũ per omnia ſecula perq; vniuerſum vbique regnare, neq; ſignificat in Deo menſuram, neque vaſtam rurſus immenſitatẽ: alioquin quonam pacto reliqua metiretur? Neque igitur figuram rurſus in eo vllam fingere decet. Proinde res illa deſiderabilis, cuius neq; figuram, neque formam accipere vllam potes, ſummopere deſideranda eſt & amanda, immenſusque illius eſt amor. Neque enim hic finitus eſt amor, quando neq; amatum quidem ipſum eſt finitum: ſed amor huius eſt infinitus. Quapropter & pulchritudo eius alia ratione ſe habet. Eſt enim ipſa ſuper pulchritudinem pulchritudo. Cùm enim nullum ſit entium, quo nã pacto eſſe poteſt aliqua pulchritudo? Cũ verò amabile ſit, nimirum eſt pulchritudinis auctor. Eſt itaque pulchritudinis vniuerſæ poteſtas, ac flos ipſe pulchram efficiens pulchritudinem: eam nanque generat, & genitam ſuæ pulchritudinis abundantia efficit pulchriorem: quamobrem pulchritudinis principiũ eſt & finis. Cumq; ſit principium pulchritudinis, illud quidem cuius principiũ eſt efficit pulchrum: pulchrum verò facit non in forma, ſed ipſum quoq; factum
B illic eſt nõ formatũ, & alio quodam pacto conſiſtit in forma. Quę enim hoc ipſum quod eſt duntaxat exiſtit forma, ſedet in alio. quæ quidem ſi ſedeat in ſeipſa aliquid ſine forma cenſetur. Quod igitur eſt pulchritudinis particeps, formatum eſt: non autem ipſa pulchritudo formatur.

MARSILIVS.

Pulchritudo ipſius boni ſpecie uniuerſa ſuperior eſt: pulchritudo intelligibilis mundi eſt ſpecies uniuerſa: ideoq; pura, quoniam nihil ibi eſt informe: nihil ita formatum, quin ipſum ſit & forma. Pulchritudo mundi corporei eſt inferior uera ſpecie, quoniam ex forma ſimul atque informi, ac etiam deformitate componitur. Cap. XXXIII.

OMniformis illa diuini mundi formoſitas & ſi quàmplurimum admiranda, tamen definitũ quiddam eſt: nec amanda ſummoperè, ſed ipſa bonitas melior omniforma. Nam & in mundo diuino quamuis unumquodq; ſit forma quædam, eſt tamen aliquid ibi ad aliud comparatum quaſi materia. Vnde & hoc & illud eſt aliquid definitum. Pulchritudo igitur in mundo diuino tanquam ipſius boni ſplendor animam illic admirabundam per amorem clam reuocat ad ipſum bonum: pulchritudo ſimiliter in anima tanquam ſplendor intelligentiæ per amorem ad amandum intellectũ latenter inuitat. Pulchritudo in corpore uelut pulchritudinis animalis imago ad deſiderandam in-
C corpoream pulchritudinem adhortatur.

PLOTINVS.

QVando igitur pulchritudo dicitur, procul à tali quadam forma nobis eſt fugiẽdum: neque ponenda nobis eſt ante oculos, ne ab ipſo reuera pulchro in aliquid, quod exigua participatione pulchrum dicitur corruamus: nempe ſpecies non formata reuera pulchra eſt: ſi modò ſit ſpecies. Et profectò quatenus à materia ſegregando in formam omnem progredieris, velut ad ipſam in ratione ſeminaria formam, in qua differre aliud ab alio dicimus: quemadmodũ iuſtitia & temperantia inter ſe diſtinguntur, quoniam intellectus propriũ quiddam in his intelligit: profectò etſi illic omnia pulchra ſunt, tamen ex eo quòd proprium aliquid deſignatur quodammodo diminuta deprehendes, etiam ſi cuncta ſimul quæ in mundo intelligibili ſunt comprehenderis: nempe ſi vnũquodque ſingulatim illic acceperis, formam vnam intelligibilem habere videbis: ſi cuncta ſimul, velut formam quandam varietate diſcretam. Iamverò ſi huc vſque proceſſeris, conſiderare te vlterius oportebit, quale potiſsimum illud ex

A xat eſt cognitus: poſtquam, inquam, ita ſe animus comparauerit, cernet in ſe deum ipſum ſubitò coruſcantem: nihil enim interuenit medium. neq; ibi duo quædam diſcernentur vlterius, ſed ambo iam vnum: neque enim quandiu adeſt diſcernere licet. Id autem apud nos imitari ſolent amantes & amati mutuò redamantes, qui conflari nituntur in vnum. Iam verò animus ita defixus in Deum, corpus ſuum non ſentit vlterius, neque ſe eſſe animaduertit in corpore, neq; ſeipſum aliud quiddam eſſe pronuntiat, non hominem, non animal, non ens, non vniuerſum. Horum nanque proſpectus inæqualis quodãmodo eſt, atq; diſtractus. Neque tantùm animus tunc habet ocij, vt aciẽ ad ea conuertat, neq; velit habere: verùm cùm ipſum ſtudioſè quæſiuerit, illi præſenti ſe prorſus inſinuat, illudq́ue pro ſeipſo iam cernit, neq; tantùm eiuacat vt hunc agnoſcat euentum. Quo quidem in ſtatu nullis theſauris præſentem theſaurum commutabit: neq; etiam ſi quis cælum totum elargiatur: quippe cum cognoſcat nihil eſſe præſtantius, nihil melius: nempe nec ſuperius aſcendere poteſt. Cætera verò contueri nihil aliud eſſet quàm deſcendere, quamuis & illa ſint excelſa, & animus ipſe ſublimis. Tunc demum animus iudicium omnino verum aſſequitur: tunc prorſus agnoſcit hoc ipſum eſſe quod olim totis viribus affectabat: tunc proculdubio aſſerit nihil eſſe præſtãtius. Nulla enim eſt ibi fallacia: alioquin in aliquid
B veritate verius licebit incidere. Quod igitur tunc dicit animus ipſe iam illud exiſtit, dicitq́ue poſterius, dicitq; ſilendo. Cúmq; beata iam ſuauitate ſit affectus quòd optimè ſit affectus, minimè fallitur. Non enim hoc ait quaſi corpore titillante, ſed iam illud effectus quod & quondam, quando felix exiſteret. Tum verò cætera prorſus omnia quibus delectari antea conſueuerat, quando potentia opibus, ornamentis, formis, doctrinis oblectabatur, agnoſcit iam penitus contemnenda. Quod quidem non facilè tunc deprehendere poterat, quando nondum meliora fuerat conſequutus. Præterea nihil timet aduerſi, dum vel copulatur illi, vel aſpicit illud. Denique ſi contigerit alia circa animum omnia deſtrui, hoc ipſum libentius approbabit, vt ſolùm ſit penes ipſum, eo vſque iam affectionis proſperè ſuauisque proceſsit.

MARSILIVS.

Ipſum bonum ita eſt ab omni multiplicitatis mobilitatisq; ſuſpitione ſemotum, ut anima illo fruens intelligentiam exuere compellatur, quodammodo actioni cuidam multiplici mobiliq; conſimilem. Cap. XXXV.

C In hac autem fruitione idem ipſe Deus eſt lumen quod intuetur animus, & per quod intuetur: euadit́q; ibi uiſio ipſa luminis ipſum lumen. Eſt autem in intellectu primo intuitus atque contuitus: ille directus in Deum inde formatur, fitq; mox naturæ ſuæ ſic iam formatæ contuitus. Illo ſupra ſeipſum Deo fruitur: hoc autem ſeipſo potitur. In anima quoque eſt unitas intellectu ſuperior per quã Deo fruitur uiſione quadam intelligentiam ſuperante.

PLOTINVS

A Deo verò tunc ad votum affectus eſt animus, vt intelligentiam quoque nihilipẽdat, quódue prius eam admiratus fuerit, iam minimè probet: quippe cũ intelligentiã eſſe motionem quandam planè cognoſcat, ipſe verò moueri non optet. Atqui neq; etiã illũ eſſe pronuntiat intellectum, quẽ cernit, cuius animus ipſe intellectus iam factus intueat: vtpote intellectu penitus occupatus in locoq; intelligibili cõſtitutus: at verò poſitus quidẽ in ipſo, & circa ipsũ habens intelligibile nimirũ intelligat. Poſtq; verò Deum illũ vidit, omnia prius obmittit: perinde ac ſiquis domũ ingreſſus variè admodũ exornatã, ſingula intus ornamenta cõſideret, & prius q; dominũ eius viderit, admiretur. At poſtq; inſpexerit dominũ imaginum illarum pulchritudinẽ admodum ſuperãtem: vtpote qui

D non velut imago quędam pulchra, ſed reuera pulcher occurrat, idcóque ſupra modum hunc admiretur, illiſq; demiſsis, ſolùm in poſterum contempletur, attẽ tiúsque oculis in eum defixis inſpiciens, haud vlterius ipſa videndi continuitate ipſum propriè viſibile videat, ſed viſionem ipſam miſceat cum viſibili, adeo vt in ipſo quod prius erat viſibile ipſa iam viſio fiat, cætera verò ſpectacula eum interea lateant. Forſan verò ſimilitudo hæc analogiam proportionémque ſeruaret, ſi quidem ille qui contemplatori domus occurrit, non homo, ſed Deus quidam foret: & hic quidem non aſpectui patens, ſed contemplantis mentem penitus implens. Exiſtimandum eſt igitur, intellectum geminam vim habere: alteram quidem ad intelligendum per quam interna ſibi conſpiciat: alteram verò qua ſuperiora ſuſpiciat tactu quodam intuendi & perceptione quadam: quo quidem intuitu atque acceptione prius etiam videbat ſolùm, videndóque accepit poſterius intellectum, vnumq; exiſtit. Atqui illa quidem ſanę mentis viſio eſt: hæc autem ipſa mens eſt amans. Quando enim inſanit nectare penitus ebria, tunc amore corripitur, ſeipſam in affectionem ſuauitatemq; beatam ſaturitate diffundens. Et profectò huic ſatius eſt ebrietate hac occupari, quàm procul ab eiuſmodi potu ſobriè viuere. Sed nunquid mens illa viciſsim alia prius, a-
E lia poſterius contemplatur? nequaquam: quamuis diſputatio docendi gratia introducat eam quaſi alternis vicibus contemplantem. Intellectus autem ipſe ſemper exercet actum, quo & intelligit propriè: & rurſus propriè non intelligit ſed alia quadam Deum inſpicit ratione. Nempe dum cerneret Deum inde fœtus in ſeipſo concepit, eosq; iam genitos inſitosq; perſenſit, ac dum hos contuetur, intellígere dicitur: Deum verò ea ſuſpexit potẽtia, qua deinceps intellectus erat. Proinde anima intellectũ in ipſa manentẽ quaſi confundens ac delẽs ſuſpicit Deum: imò verò intellectus ipſius inſpicit primus, ſed viſio in eam quoq; traducitur: duóq; ibi vnum fiunt. Ipſum verò bonũ per hæc ſe propagãs, horumq; conſtitutioni applicãs ſemetipſum ſuperuolat eis, & duo coniungens in vnũ, imminet ipſis, felicem ſenſum largiens contemplationemq; beatam. Præterea vſque adeo hæc attollit, vt neque amplius ſint in loco, neq; in quouis alio, quacunque conditione aliud eſſe poſsit in alio. neque enim eſt ipſe Deus alicubi. Locus autem intelligibilis eſt in eo, ipſe verò in nullo prorſus exiſtit. Quamob rem neque tunc mouetur anima, quoniam nec ille mouetur: neque igitur eſt anima propriè, cum neque propriè viuat: quoniam nec ille propriè viuit, ſed viuendi munus excedit: ſed neque etiam eſt intellectus, quoniam nec intelligit. A ſsimilari nanq; oportet, intelligit autẽ non illum, quoniã nec intelligit quidẽ.

MARSILIVS

Scala per quam aſcenditur ad principium, ſeptem gradus habet: primus eſt purgatio animi: ſecundus, cognitio operum diuinorum ſingulatim comparata: tertius contemplatio ordinis, quo opera inferiora reducuntur ad ſuperiora gradatim: quartus, comparatio quædam proportionalis ex ordine huiuſmodi ad diuinum ordinem ſeſe conferens: quintus, negatio per quam cuncta quæ concipis ſepares à principio: ſextus, ſupplex ad Deum oratio, ut ipſe intellectualis mundi pater te reddat mundũ intellectualem actu: ens enim potentia mundus hic ab initio: ſeptimus, ut quum ipſe intellectualis mundus euaſeris, ulterius amore boni concitus ex ſtatu intellectuali transformeris in in bonum ſuperius intellectu. Cap. XXXVI.

CVm bonum ſit longè ſuperius intellectu, & iccirco fruitio eius non rectè dicatur intelligentia, uidetur neque cognitio nominanda. Eſt enim naturalior & optabilior quàm cognitio. Appellamus tamen utcunque poſſimus tum uiſionem propter lucem & puritatem, tum tactum propter maximam unionem: Appellatur & guſtus propter ſuauitatem illic penitus infuſam animo, nutrientémque ſalubriter & mirabiliter in melius transformantem.

PLO-

A PLOTINVS.

CAetera quidem perſpicua ſunt. Dictum verò de hoc etiam eſt nonnihil: verumtamen nunc rurſus nonnihil addendum, exordiẽdo quidem inde, per argumentationes autẽ progrediendo. Eſt enim ipſius boni ſiue cognitio ſiue tactus aliquid proculdubio maximum: cuius diſciplinam Plato maximã appellauit, non appellans quidem diſciplinam ibi boni ipſius intuitum, ſed notitiã quãdam hũc intuitum præcedentẽ. Docent itaque nos hoc analogiæ, ideſt proportionum conuenientiæ quædam: item negationes: rurſus eorum quæ fiunt ab ipſo cognitio: denicꝙ aſcenſus quidam ritè gradibus procedẽtes. Peruenimus aũt ad ipſum purgationibus, precibus, cultu animum exornante, aſcenſu ad intelligibilem mundum, ibidem perſeuerantia, dum videlicet illius mundi dapibus animus veſcitur, quicunque ſpectator ſimul ſpectaculumꝙ euadit, tum ipſe ſui ipſius, tum etiam aliorum: factusꝙ eſſentia & intellectus & animal vniuerſum non vlterius ipſum extrinſecus aſpicit, ſed id denique factus iam ſummo propinquat. Quod quidẽ ſummum illic eſt proculdubio proximum per totum, prſus intelligibilem mundum ſuperne coruſcans: vbi certè dimiſſis omnibus diſciplinis animus hucuſꝙ pductus & collocatus in pulchro, vſꝙ ad illud in quo eſt intelligit hactenus: eductus autẽ inde quaſi vnda quadam intellectus eiuſ-
B dem, altiusꝙ ab ipſo velut tumeſcente & exundante ſublatus neſciens quomodo ſubitò perſpicit. Sed ipſe intuitus oculos lumine cõplens non efficit quidẽ vt per illud interim aliud videatur: imò lumen ipſum idem eſt penitus quod videtur. Non enim eſt in illo hoc quidẽ viſibile, hoc autẽ eius lumen, neque intellectus & intellectum: ſed viget ibi lux hæc in ſequentibus generãs, concedẽsꝙ apud ſe permanere. Ipſa tamen ſolũ lux exiſtit generans intellectum, nec extinguitur generando: ſed dum ipſa permanet, ſequitur aliud ex eo quòd ipſa conſiſtit. Niſi enim ſic illa conſiſteret, inde aliud non ſubſiſteret.

MARSILIVS.

Cùm Plotinus ſemel intelligentiam definierit actum reflexum eſſentiæ uiuæ dependentis à bono, conatuꝙ; eiuſmodi quærentis ſe ſimul atq; cauſam, uiuentisq; tum partes ſecum ſuas, tum ſeipſam cauſæ meri to negat principium eiuſmodi intelligentiæ adminiculis indigere. Cap. XXXVII.

VIdetur quidem ſicut ſe habet uiſus ad lumen, ſic ad boni lucem intelligentia ſe habere, ſimiliterꝙ diſtingui: ueruntamen multò magis à bono differt intelligentia, quàm uiſus à lumine: ſiquidem altitudine latitudineꝙ maiore bonum tranſgreſſio uidetur intelligentiam, quàm lumen uiſum. Cũ igitur boni ipſius intelligentiæꝙ rationes adeo diſtinctæ ſint, ideoꝙ naturæ ſint duæ, iure cum bonum primò dixeris, ut conſerues ipſum ſimplex ſibiꝙ ſufficiens, noli intelligentiam adhibere, quæ
C quidem eſſentiam uitamꝙ ſequitur: bonum uerò excedit utranque. Eſſe enim atque uiuere ratione & gratia boni duntaxat optatur. Neque tamen demens Deus eſt mente prſtantior: neque quicquã latet eum, per quem omnia patent.

PLOTINVS.

QVicunque igitur diſputationibus ſuis intelligentiam ſummo rẽrum principio tradiderunt, minorum quidem eorumue quæ ab eo proficiſcuntur cognitionem penitus abſtulerunt. Quanꝙ & hoc nonullis videtur abſurdum, Deum alia nullo modo cognoſcere. Verùm illi quidem cùm nihil eo præſtantius inuenirent, cognitionem illi ſui ipſius attribuerunt: perinde ac ſi illud ex ipſo intelligentiæ munere venerabilius ſit futurum, ipſumque intelligentiæ munus præſtantius ſit quàm principium, dum hoc ipſum quod eſt duntaxat exiſtit: quaſi illud non dignitatem omnem præſtet intelligentiæ, ſed accipiat. Proinde quærendum eſt, quo nam potius ipſe Deus ſuam habeat dignitatem: intelligentia ne, an ſeipſo. Si per intelligentiam comparat dignitatem, certè ſeipſo aut nullo modo, aut certè minus eſt venerandum: ſin autem ſeipſo ſuam poſsidet dignitatem, certè ante intelligentiam eſt perfectus, nec fit perfectus

D intelligendo. Ac ſi quis dixerit, quoniã Deus non potentia eſt, ſed actus, iccirco eum intelligere oportere, ita ꝓtinus diſtinguemus. Aut Deus eſſentia eſt sẽper intelligens, aut actus tantũ intelligendi. Si eſſentia ſemper intelligens, & ꝓpterea actũ nominant, duo ſimul afferũt, eſſentiã ſcilicet, atq; intelligentiã: neq; ſimplex ita ponunt, ſed aliud quiddã illi adhibent, ſicut oculis adiungere ſolent viſionẽ ſecundũ actum, etiam ſi ſemper aſpiciant. Sin autẽ in actu Deum eſſe dicant, ꝓpterea quòd actus & intelligentia ſit, ſequitur, vt cũ ſit intelligentia non intelligat, quemadmodũ neq; motus ipſe mouetur. Sed hîc aliquis ita nobis obiiciet: Nónne & vos diuina eſſentiã & actũ eſſe dicitis? Nos profectò talia quædã eſſe multa & diuerſa fatemur: primùm verò penitus eſſe ſimplex, eiq; quod pendet ex alio intelligentiã aſsignamus, per quã quaſi ſui ipſius quęrat eſſentiã, ac ſeipſum & effectorẽ. Idq; intuendo conuerſum, & ita diſcernens, nimirũ eſſe iam dicimus intellectum. Quod autẽ neq; factum eſt, neq; ſupra ſe aliud habet, ſed ſemper id ipſum quod eſt exiſtit, quã intelligendi occaſionẽ habeat non videmus. Quamobrẽ Plato ſummũ Deum intellectui rectè præfecit. Intellectus itaq; niſi intelligat, demens meritò iudicatur. In quo enim natura intelligentiam poſtulat, niſi intelligat, amẽs iure cenſetur. Cui verò opus eſt nullum, quodnam
E opus aliquis huic aſsignans, deinde ab operis huius abſentiã, iure obiicere poſſit ab opere & officio id vacare? perinde ac ſi quis Deũ medendi muneris dicat expertẽ. Opus autẽ Deo aſsignamus nullũ, quoniã facere Deo non expedit: ſufficit enim ipſe, neque huic vltra ſe aliud eſt quærendum, ſuper omnia exiſtenti. Sufficit enim tum ſibi, tum alijs: dum ipſe hoc ipſum quod eſt, exiſtit.

MARSILIVS

Cùm ipſa eſſentia, ratio & alia ſit, & inferior q̃ ratio boni, non rectè prædicatur eſſe de bono. Et ſi bonum ob ſummã ſimplicitatem nihil de ſe quaſi intrinſecus loquendo cõponit, nõ tamen ſibimet obſcurum eſt & incertum. Ipſum ſiquidem certitudinis eſt origo paterq; luminum. Cap. XXXVIII.

PLOTINVS

PRæterea neq; verbũ quidẽ eſt, de Deo prædicare debemus: neq; enim hoc indiget: quoniã neq; etiã de ipſo prædicamus, Deus eſt bonus. Sed de quo prędicatur eſt, de eodẽ prædicatur eſt bonus. Deo autẽ conuenit ipſum eſt, nõ tanq; aliud de alio prædicetur, ſed tanq; hoc ipſum quod eſt ſignificet. Dicimus autẽ de ipſo bonũ, non aliquid aſsignantes illi, neq; ſic prædicantes tanq; illi bonum adſit, ſed quoniã ipſum exiſtit bonũ. Præterea cum nequaq; exiſtimemus de illo dicẽdum eſſe, eſt bonũ: neq; pręponendã eſſe illi eiuſmodi dictionẽ, ſcilicet hoc aut illud, neq; tamẽ ipsũ exprimere valeamus: ſiquis omnino circa id auferat cauẽdo videlicet ne fortè aliud ipſum & aliud faciamus, profectò quaſi nõ etiã hoc verbo, eſt, indigeat, ita ſimpliciter bonũ ꝓnuntiamus. Verũ quisnã admittet naturã eiuſmodi, neq; ſentientẽ, neq; cognoſcentẽ vllo modo ſeipſam?
F Quid ergo? Cognoſcet ſaltẽ ego ſum, ſed quonã modo, cũ minimè ſit? An forſan dicet bonũ ſum? Sed rurſus ipſum eſt, ita de ſe prædicabit. At verò ſi bonum duntaxat pronuntiet, quidnã adiungere iudicabitur? Bonum ſanè cognoſcere poteſt aliquis abſq; hoc verbo quod eſt appellatur, niſi fortè bonũ de alio prædicet. Qui verò ſe ipſum bonũ eſſe cognoſcit, ꝓrſus hoc ipſum intelliget, ſcilicet ego ſum bonũ: alioquin bonũ quidẽ intelliget. Non tamen id aſſequetur, vt ſcilicet ſeipſum hoc eſſe intelligat. Oportet igitur ſi illic boni intelligentia eſt, talẽ eſſe, vt bonũ ſum intelligat. Atqui ſi ipſa intelligentia bonũ ipſum eſt, certè non ipſius, ſed boni intelligentia erit, nec ipſe quidẽ, imò intelligentia erit ipſum bonũ. Sin autẽ intelligẽtia boni diuerſa eſt à bono, ſequitur, vt bonũ ante ipſius intelligentiã iam exiſtat. Quòd ſi ante intelligentiam bonum ipſum eſt ſua ꝓpte natura ſufficiens, & certè ſufficiens ſibimet ad bonum, nullo modo ſui intelligentia indigebit: quapropter qua ratione bonum, ſeipſum nequaquam intelligit.

MAR-

A

MARSILIVS.

In primo rerum principio nec eſt intelligentia ſui, nec aliorum: ſi modò intelligentia eſt cognitio quædam eiuſmodi habens conditiones. Cap. XXXIX.

PRimam quidem, ut unà cũ ſtabilitate habeat nõnihil ſimile motioni. Secundã, ut unà cũ idẽtitate admittat & differentiã. Tertiã, ut ſimul cõponendo diſcernat. Quartã, ut natura cuius actus intelligẽtia eſt ſit in ſe diſformis, dum eſt intellectus, intelligibile, intellectio. Quintã, ut ſit etiã omniformis, ſi modò per hanc intelligentia ſit omnia perceptura. Perceptionẽ eiuſmodi uarietate plenã Plotinus in Deo negat: ſimplicẽ certitudinẽ & claritatẽ lucẽq; nõ negat: ſimiliter actionẽ prouidẽtiãq; à bonitate differẽtẽ, forasq; declinantẽ negat: ſed interea omnia illinc effici uult, prouideq; diſponi.

PLOTINVS.

SI Deus non intelligit ſeipſum qua ratione bonũ, quæri poteſt qua potiſsimũ ratione. Ac reſpondere quis poteſt nihil aliud adeſſe deo: ſed ſimplicẽ quendã intuitũ ipſi exiſtere ad ſeipſum. Verũtamen cũ non ſit ibi velut aliquod inter uallũ, nec differentia ad ſeipſum, prſus vlla, meritò hoc ipſum quod dicitur intẽdi in ſe, vel intueri ſeipſum, nihil aliud niſi ipsũmet exiſtit. Quãobrẽ vbi intellectus eſt & eſſentia, rectè diuerſitas accidit. Oportet enim intellectũ ſiquando intellecturus ſit, diuerſitatẽ identitatẽq; ſemper admittere. Neq; enim ſeipſum ab intelligibili diſcernet aliquãdo habitudine quadã diuerſę rationis ad ipſum, neB que reliqua intelliget omnia ſi nulla diuerſitas inſit, adhoc vt ſint ibi omnia cõſerens: quinetiã abſq; ratione diuerſitatis, neq; duo quidẽ ibi ſaltẽ erũt. Præterea ſi intelliget, non ſeipſum intelliget tantũ ſi omnino intelliget: quid enim obſtat quominus intelligat omnia? Num fortè intelligere minus poterit cætera q̃ ſeipſum? Omnino autẽ qui ſe intelligit, euadit inde non ſimplex: ſiquidem neceſſarium eſt ipſam ſui ipſius intelligentiam alicuius differentis exiſtere, ſiquid omnino ſe intelligere valeat. Diximus autẽ hoc ipſum non eſſe intelligentiã niſi ſe contueatur vt aliũ. Intelligens verò ſeipsũ fit neceſſariò multiplex, intelligibilis, intelligens, motus, & quæcunq; accõmodata ſunt menti. Præterea quod & alibi diximus eſt in præſentia cogitandum, intelligentiam quãlibet, ſi modò futura ſit intellectio, eſſe qniddã varium oportere. vbi verò ſimplex eadẽq; omnino velut motio quædã eſt vniformis, ſi perinde ſe habeat velut tactus, intellectualẽ nullam habet conditionem. Quid ergo? Neque alia, neq; ſe cognoſcet? Atq; ita dignitatem ſuam integrã retinebit? Alia profectò poſteriora ſunt ipſo, eſtq; ipſe hoc ipſum quod eſt ante illa. Eorumq; intellectio aduentitia eſt, neq; ſemp eadẽ neq; manentiũ, ac etiam ſi intelligat permanentia, nihilominus euadit multiplex. Neq; enim dicendum eſt poſteriora quidem illo vnà cum intellectione C habere inſuper & eſſentiã, illius autẽ intelligentias ſpeculationes quaſdã vacuas duntaxat exiſtere. Proinde prouidentiæ ratio ſatis ex eo ſeruatur, quod Deus ipſe eſt à quo ſunt omnia. Quod autem refertur ad ipſum quónam modo Deus intelliget, niſi ſe intellexerit, ſed ita purũ in ſua maieſtate perſtiterit? Plato igitur de eſſentia loquens ait, intelliget quidẽ eſſentia, ſed nõ propterea exiſtet ipſum maximè venerandũ. Quaſi eſſentia quidẽ intelligat, id verò quod non intelligit conſiſtere in primis valeat venerandũ. Quibus in verbis Plato ait exiſtere ſiue conſiſtere: quoniã exprimere aliter non valebat. Auguſtius autem veréque auguſtum, & venerandum exiſtimauit, quod intelligentiam ſupereminet.

MARSILIVS.

Actionẽ omnem & alicuius exiſtere & uerſari circa aliquid aliud arbitratur: mox intelligẽtiam eſſe uult actionẽ: deinde eſſentiã exiſtimat actionis & intelligentiæ fundamentũ. Meritò igitur actionẽ, intelligentiã eſſentiã principiò negat: quod quidẽ neq; ſubeſt actui, neq; circa aliud ullo modo uerſatur. Si poſita ſemel ipſa bonitate, mox intelligentiã huic attribuis: aut nihilo differre putas, aut aliquo. Si nihilo, fruſtra intelligẽtiam ibi nominas, ſi aliquo cũ ſũmo bono miſces minus bonum. Sit ergo bonitas ipſa non intelligentia quidẽ propriè, ſed intelligentiæ cauſa lux, certitudo, ueritas in ſe conſiſtens: in quã uelut ſummum optabiliſsimũq; deſinit totus intelligentiæ nixus. Eſt deniq; bonitatis tanta poteſtas, ut intelligentia quæ imago prima eius exiſtit ſit ſubſtantia prima. Cap. XXXX.

D

PLOTINVS.

INtelligentiam circa primum esse non oportere cognoscere quidē poterunt, qui tale quiddā attigerint. Præstat autē persuasiones quasdā superioribus adhibere, si qua conditione quod volumus verbis significare possimus. Oportet sanè necessitatē cum probabili persuasione miscere. Animaduertendum est in primis omnē intelligentiam tum ex aliquo, tum alicuius existere. Et pfectò quę cum illo ex quo est cohæret, subiectum quidē habet illud cuius est intellectio, atq; ipsa est velut inhærens aliquid, & actus illius eiusdemq; potentiā implens, nihil interea generans. Illius nanque est, cuius est duntaxat tanq; eius perfectio quædam. Intelligentia verò quæ cum essentia est, & per quam consistit essentiæ subsistentia, non potest in eo esse à quo facta est: alioquin si esset in eo nihilvtiq; genuisset. Verùm cum sit quædam generandi potestas, genuit in seipsa, actioq; eius est essentia, coexistitq; in essentia. Neque illic diuersum est intelligentia atque hæc ipsa essentia: sed hæc ipsa natura seipsam intelligit, non tanq; diuersum aliquid, nisi ratione tantū ibi sit quod intelligitur & quod intelligit, q̄uis multitudo quædam sit, vt sæpe iam est demonstratum. Iam verò hæc ipsa est actio prima subsistentiam generans in essentiam. Cùmq; alterius sit imago, tam excelsi imago est, vt sit & essentia. Sin autem illius quidem foret, neq; tamen ab illo nihil in se aliud esset q̄ quod foret illius, neq; in seipsa substantia foret: Cùm igitur actio hæc prima sit & intelligentia prima, nimirùm nullam super se vel actionē vel intelligentiā habet. Quisquis ergo hanc essentiam intellectionemq; transcēderit, neq; ad essentiā neq; ad intelligentiā vltra perueniet, sed super essentiā intelligentiāq; ascendet ad aliquid admirandū: quod nec essentiā, nec intellectionem in se vllam prorsus admittit: sed solū purumq; in seipso consistit, nullo eorū quæ ab ipso sunt indigens. Non enim prius agens genuit actionē: alioquin iam actus existeret anteq; actus exoriretur. Neq; intelligens intelligentiā genuit: alioquin prius quidē intellexisset q̄ intellectio nasceretur. Omnino verò intelligentia siquidem boni est, aliquid est bono deterius. quapropter non est ipsius boni. Dico autem non ipsius boni, non quia bonū intelligi nequeat, hoc enim in præsentia concedatur, sed quoniā in ipso bono nulla est intellectio: alioquin vnū erit simul bonum ipsum, quódue minus est bono, idest ipsius intelligentia. Si autē aliquid deterius sit, simul intelligentia essentiáque existit. Atsi bonū ipsū præstantius est, intelligentia simul atq; intelligibile deterius erit, nec intellectio erit in bono: sed cùm hæc sit deterius aliquid, & ꝓpterea maiestatem boni reuereatur, nimirū habitat seorsum à bono, dimittens illud sicut ab alijs, sic & ab ipsa liberū permanere. Cum verò ab intellectione sit purū, sincerè admodū hoc ipsū quod est, existit, nulla intellectionis p̄sentia impeditū, quominus vnū sit penitus & sincerū. Si quis autē & hoc intelligens simul intellectumq; confingat, &

E

essentiā intelligentiamq; simul cum essentia conspirantē, atq; illud seipsum intelligens effingere moliatur, certè alio quodā & hoc quidē superiore prorsus egebit. Siquidē actus intelligētiāq;, vel alterius subiecti perfectio quædā est, vel si sit (vt ita dixerim) consubsistētia quædā, adhuc ante seipsam quoq; aliā habet naturā, cuius virtute huic iure conuenit intelligere. Iam verò iccirco quod intelligat habet, quoniā aliud est super ipsam: quinetiā quado seipsam intelligit, tūc velut agnoscit quæ prius ex quodā alterius intuitu reportauit. Illud autē quo nihil superius est, cui nihil inest ex alio, quidnam intelliget? quóue modo seipsū? nempe si ad se conuertatur intelligendo, quidnám quæret? quidúe desiderat? Nunquid quanta sui potentia sit metiri contendit? quasi videlicet illa extra ipsum sit quatenus intelligit ipsam. Dico autem, si quidem alia quidem sit eius potentia quam perdiscit, alia verò quā discit. Sin autem omnino sit vna, quidnàm perquirit?

F

A MARSILIVS

Viſus factus eſt, & nititur ad capiendum lumen: lumini igitur non eſt opus uiſu: ita nec ipſi bono opus eſt intellectu, eiusactuq́, qui ad id duntaxat natura contendit ut accipiat boni lumen. Cap. XXXXI.

SI ipſum bonum dixeris intelligere aut intelligendo nihil proficit: intelligit ergo fruſtra, aut proficit, nec igitur erat prius ipſum bonum. Si ſui ipſius intelligentia ad hoc ipſum confert, ut intimæ partes enumerentur, totumq́ ſibi concilietur, non eſt opus intelligentia ſimpliciſsimo. Vbi ſummũ in cognitionis ordine poſuiſti primum ſcilicet intellectum, non adinngis rationem, imaginationem ſenſum, oculum, ne & adiungas temere, & inficias quod eſt optimum. Similiter ubi conceſſeris immẽſam ſufficientiſsimi boni lucem, quę eſt intelligentiæ finis, intelligentiam huic adhibere non debes.

PLOTINVS

VIdetur autem intelligendi donum, naturis quidem diuinis quãuis non primis, adminiculi gratia fuiſſe tributum, ac velut oculus illis natura ſua quaſi cæcis adhibitus. Oculus autem ipſe ſi lumen ipſum foret, nequaquam indigeret ens velut lumen aſpicere: qui autem indiget, tanquam ex ſe tenebroſus, per oculum quærit lumen. Si ergo intelligentię nixus quærit lumen, lumen autẽ nõ expetit lumen, certè natura prima cum non deſideret lumen, nec etiam appetit intelligere. Huic ergo intelligentiã non debes adiungere: nihil enim inde proficies. Ac ſi vel animus vel intellectus cõtendat adiungere, iccirco quia ipſe adminiculo ad intelligentiam indiget, adducitur vt intelligat. igitur neq; ſeipſum ſentit (non enim hoc indiget) neq; duo quædam eſt, imò verò ſi ibi ſit intellectio,
B plura quàm duo erit. non enim ipſe eſt intellectio. Oportet inſuper adeſſe tertium, ipſum videlicet quod intelligitur. Si autem idem prorſus intellectus, intelligentia intelligibile ſit, certè vnum prorſus effecta ſeipſis penitus confundentur: ac ſi diſcernãtur, vt aliud ibi aliudq́ ſit, rurſus primum ipſum eſſe non poterunt. Oportet igitur in optima natura cõſideranda cætera omnia prorſus omittere, quippe cum nullo indigeat adiumento: quicquid enim adiunxeris naturã nullius egenam addendo diminues. Nobis quidem intelligentia pulchrum aliquid eſt, quoniã anima indiget intellectu: pulchrum etiam intellectui, quoniam eſſe huic eſt idem, ipſaq́ intelligentia fecit ipſum. Huic igitur expedit cum intelligẽtia copulari, ſuiq́ ipſius ſemper effici conſcium, animaduertendo videlicet hoc ibi eſſe, quod duo illic vnum ſint: ſin autem vnũ duntaxat exiſteret, ſibi certè ſufficeret, neq; ſibi quicquam foret accipiendum. Iam verò præceptum illud: Cognoſce te ipſum, illos tantũ admonet, qui propter multitudinem ſibi inſitã ad hoc adducuntur, vt ſeipſos enumerent, diſcantq́ quot & qualia ipſi in ſe habentes non dum omnia cognouerunt, vel nullum potius: neq; quid teneat principatum, neq; ſecundum quid potiſsimum ipſi exiſtere iudicandi ſint. Siquid
C autem ſit hoc ipſum ſingulariter vnum, excellentius eſt, quàm ſi cognouerit & intellexerit, ſenſeritq́ ſeipſum: quoniam neq; ſibimet ipſum aliquid eſt. Nihil enim in ſe introducit, ſed procul dubio ſufficit ipſum. Quamobrẽ neq; ſibimet bonum eſt, ſed cæteris. Reliqua enim eo ſemper indigent, illud autem ſeipſo nõ indiget. ridiculum nanq; id foret: ſic enim foret ſui ipſius egenum. Neq; igitur ſeipſum inſpicit: oporteret enim aliquid eſſe fieriq́ illi ob actũ ipſum reſpiciẽdi. Hæc vtiq; omnia ſequentibus facilè conceſsiſſe videtur, apparetq́ nihil eorum quæ cæteris adſunt illi vſquam ad eſſe: quemadmodum neq; illi adeſt eſſentia. Neq; igitur intellectio: ſiquidem cum intelligentia concurrit eſſentia, ſimulque ſunt ambo prima præcipuaq́ intelligentia, & ipſum eſſe conſpirans. His ergo de cauſis inquit Plato, neq; ſermonem, neq; ſenſum, neq; ſciẽtiam haberi poſſe de primo: quoniam videlicet nihil de illo tanquam accedens prædicari poſsit.

MARSILIVS.

Tria ſunt præcipua rerum principia, bonum, prima mens, anima mundi. Sicut in anima mundi hæc ipſa mũdi membra illinc genita collocari non debent: ita nec mobiles animæ diſcurſiones affectionesq́; pendentes ab

D intellectu,ſunt in intellectu ponendæ,ita denique nec intelligentiæ ſpeciesq; rerum intellectui pro priæ pendentesq; ex bono attribuendæ ſunt bono. Cap. XXXXII.

PLOTINVS.

TV verò quando circa hæc ambigis,quæriſq; vbi hæc potiſsimum ſint ponenda rationis diſcurſu ad hæc denique tractus,hæc ipſa quæ in ſequentibus exiſtimas honorãda, reijce protinus in ſequentia,neque ſecunda primò ad hibeas,neque tertia ſecundis adiungas:ſed ſecunda quidem pone circa primũ, tertia verò circa ſecundum:ſic enim ſingula ſicut in ſe ſunt ſe habere permittes, & ſequentia ſuſpendes ex illis,vtpote circa illa ſe vndique diffundentia, cum illi interim in ſe conſiſtant. Quapropter hanc quoq; ob cauſam rectè ſcribitur à Platone:circa omnium regem omnia ſunt:illius gratia omnia:ipſe cauſa eſt pulchrorum omnium. Cum omnia dicit,omnia intelligit entia. Addit & illius gratia,nec iniuria,quoniam ille cauſa eſt eorum,quæ quidem illum appetunt, tanquam qui ab omnibus ſit diuerſus,neque quicquam eorum quæ illis cõueniũt, ipſe habeat:alioquin haud vltra omnia forent,ſiquid eorũ quę poſt ipſum ſunt, ipſi contingeret. Si ergo & intellectus in omnium numero computatur,meritò E illi nec intellectus ineſt. Præterea vbi cauſam appellat,Deum pulchrorum omnium,ponere videtur pulchrum in ſpeciebus,ſummum verò deum ſuper vniuerſum hoc pulchrum in ſpeciebus propriè conſtitutum. Proinde cum intelligibilia hæc ſecundo in gradu poſuerit,ad hæc deinceps ſubnecti tertia tradit,quę videlicet poſt illa fiunt. Deinde circa tertia ponit illa videlicet quæ naſcũtur ex tertijs,noſtrum hunc ſcilicet mundum ex anima dependentem. Cùm verò tertia,ideſt, quę ad animam pertinẽt ſubnectantur ad mentem,ac mens redigatur ad bonum,ita nimirum ad illud omnia certis gradibus reducuntur:alia quidem proximè,alia verò proximis adhærentia. Sed inter omnia longiſsimè ab eo ſenſibilia diſtant,quæ quidem ad animam continuè referuntur.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI

LIBER OCTAVVS DE LIBERTATE ET VOLVNTATE VNIVS.

MARSILIVS.

F *Voluntarium apud nos eſt quod ipſi uoluntate libera certaq; facimus. Libera,ideſt,uiolentia nulla compulſi. Certa,hoc eſt, nulla prorſus ignorantia lapſi,circa idem reuera domini ſumus.* Cap. I.

PLOTINVS.

VNQVID Circa Deos etiam decet inquirere, vtrum aliquid in eorum arbitrio poſitum ſit nec ne,an potius circa homines ob eorum imbecillitatem & dubiam facultatem tale aliquid quærere decet? Deos autem omnia poſſe concedendũ eſt:atque in eorum arbitrio non ſolùm aliquid eſſe ſitum, ſed & omnia poſita. An forſan potentiã quidẽ omnẽ, liberumq; cunctorũ arbitriũ attribuere vni tantùm debemus? In cæteris autem hæc quidẽ hoc modo,illa verò illo ſe modo habere:atq; in quibuſdam vtraq; pariter ratione ſe habere licet aſſerere. An potius & hæc quidem inueſtiganda ſunt? audendũ verò & in primis, & in eo quod ſuper omnia eſt,tale aliquid indagare: Qua videlicet conditione accipiendum ſit quod dici ſolet,in eorum eſſe arbitrio poſitum,quamuis poſſe omnia concedamus. Quinetiam & de hoc quod poſſe dicimus,quomodo dicatur rite conſiderandum,ne fortè ita loquẽtes apud Deos aliud quidem potentiam,aliud verò actum eſſe confiteamur: & actum quidem futurum forſitan concedamus, Sed hæc quidem in poſterum differenda viden

tur

A tur, ac prius idem in nobis inueſtigandum, de quibus inueſtigari ſolet, ſi quid in noſtro ſit arbitrio poſitum. In primis ergo quærendum, quid hoc ipſum eſſe dicendum ſit, quod fertur eſſe in nobis aliquid, ideſt in noſtro arbitrio conſtitutũ. Quærendum, inquam, quænam facultatis huius definitio ſit: ſic enim quodammodo cognoſcetur, vtrum & ad Deos multoq; magis ad ipſum Deum hęc trãſferre conueniat nec ne. An potius deceat quidẽ, attamen inueſtigandũ ſit quo modo ſit aliqnid in eorum arbitrio collocatum, cùm in alijs tum etiam in ſupremis. Quid nam igitur cogitamus, quando in nobis aliquid eſſe dicimns? Quãue ob cauſam hoc inquirimus? Contrarijs igitur (vt arbitror) agitati fortunis, & aduerſis compulſi neceſsitatibus, perturbationumq; vehementibus incurſibus raptati animum obſidentibns, nimirũ hæc omnia imperiũ in nos iam habere putauimus, eiſque ſeruientes, & quocunq; trahunt præcipitati, meritò in controuerſiam hanc incidimus, verentes ne fortè nihil penes nos ipſi ſimus, nihilq; in noſtra auctoritate cõſiſtat: quaſi hoc in noſtro arbitrio ſit futurum, quod ali quando neque fortunis, neque neceſsitatibus, neq; perturbationibus vehementibus ſeruientes, & agamus voluntate, & nihil voluntati interim aduerſetur. Si autem hoc ita ſe habet, ratio eius quod in noſtro conſiſtit arbitrio erit eiuſmodi, quòd videlicet volũtati ſeruit, ac eatenus vel fit, vel non fit, quatenus ipſi volumus. Iam verò voluntarium quidem eſt, quod & abſque violentia, & cum cognitione peragitur: in nobis autẽ ideſt in noſtro arbitrio eſt, ad quod agendum
B domini ipſi ſumus. Atqui ambo hæc inter ſe ſæpe concurrunt, quãuis ſit eorũ ratio differens: nonnunquam verò diſſentire videntur. Perinde ac ſiquis dominationem auctoritatemq; habeat ad hominem perimendum, neq; tamen id illi poſtquã egerit, ſit voluntarium, ſi quando quem interfecit, patrem eſſe neſciuerit. Forſan verò hoc ipſum quod dicitur voluntarium, nunquam penes illum qui verum arbitrium habeat, ab ipſo arbitrio diſſonabit. Oportet ſanè cognitionem de hoc quod dicitur voluntarium non circa ſingula tantũ, ſed omnino, ſimpliciterq; haberi. Dic age, cur nam ſi ignorat quidem illum eſſe patrem vel amicum, homicidium inuolũtarium iudicetur? Sin autẽ ignoret patrari homicidiũ nõ decere, non etiã inuoluntariũ cenſeatur? At ſi dicatur non exiſtimari homicidiũ hoc inuoluntariũ, quoniã diſcere hoc oportuerit, certè non voluntariũ eſt ignorare quod diſcere id oportuerit, vel etiam quod prohibet ne addiſcat.

MARSILIVS.

Non agimus tanquam reuera liberi actionisue domini, quàtenus agimus ſecundum motũ animi incitatum per ſenſus affectusq; ſenſuum à corporibus externis, uel etiam à corpore noſtro. Iam uerò motu ſic incitato
C *ratio uel nihil agit, uel ducitur à motu, uel ducit. In primo quidem & ſecundo gradu ſerui corporis & fortunæ ſumus: in tertio uerò dum uidemur auctoritate quadam corpus resq; ſimiles gubernare, obſequimur & uiuimus alienis, indulgemus neceſsitati, nec uiuimus ea tranquillitate qua uolumus. Nec igitur omnino liberi dominiq; ſumus.* Cap. II.

PLOTINVS.

REliquum eſt indagare hoc ipſum quod in nos refertur tanquã ſit in nobis, cui potiſsimũ attribuere deceat. Aut enim impetu & appetitu quodã id cõſtare dicemus, velut quod ira vel cõcupiſcẽtia fieri ſolet: aut ratiocinationi cõſerẽtis ipſius vnà cũ appetitu, vt aliquid fiat vel nõ fiat, id muneris tribuemus. Verũ ſi iræ cõcupiſcẽtiæq; tribuerimus, cõſequẽter fateri cogemur pueros quoq; & bruta, ac furentes, & mente prorſus alienatos: item veneficijs irretitos, & incidentibus imaginationibus occupatos id arbitrij munus habere, cum tamen eorum quæ narrauimus domini eſſe non poſsint. Sin autem rationis diſcurſioni vnà cum appetitu coniunctæ arbitrium liberum concedamus, quærendum erit, vtrum aberranti etiam rationi, an potius rationi rectæ & appetitui recto. Quin etiam quæret hîc aliquis, vtrum ratiocinatio moueat appetitũ, vel viciſ-

D sim hanc appetitus. Etenim si secundum naturam sint appetitus, ita distinguer licet. Si tanquam animalis sint compositiq; ipsius, sic vtiq; anima naturæ sequ. tur necessitatem: sin autē tanquā solius animæ, multa quæ nunc in nobis dicunt consistere, extra id fieri videbuntur. Præterea ratiocinatio quędā nuda affectus præcedere solet: itē imaginatio ipsa compellens, & appetitus quo necessitas postulat trahēs, quónā pacto in ijs nos efficit dominos? Rursus quónā modo illius quo ducimur domini sumus? Quod. n. indiget, implerinecessariò cupiēs, nimirū ei nō dominat, ad quod prorsus adducit. Deniq; quomodo penes illud aliquid est arbitrij, quod & ab alio pendet, & principium in aliud habet? atq; inde quale cunq; sit, effectum est. Nempe secundum illud viuit, atq; ita viuit, vt est formatum: alioquin si hoc habere dicatur arbitrium, inanimata quoq; idem concedentur habere. Nam & ignis sicut genitus est, sic agit. At si dicatur propterea interesse, quoniam animal & anima quid agant cognoscunt, ita distinguēdum erit, si sensu id cognoscunt, quænam conditio huic adhibetur ad id obtinendum, vt arbitrio agant? Sensus namq; percipiens tantùm, non efficit dominū actionis. Sin autem cognitione alia præter sensum liberè aliquid agi dicatur, quæretur
E insuper vtrum ipsa eius quod fiat cognitione, conuinceturq; & hîc cognoscere tantùm, duci verò ab alio ad agendum. Sin autem & pręter appetitum ratio vel cognitio quædam facit, atq; dominatur, perscrutandum est ad quid potissimū referat, & omnino vbi & quomodo id cōtingat. Atq; si ratio ipsa alium efficiat appetitum, quo hunc modo faciat assumendum. Sin autem appetitum sedando sic rationem aliquis in se consistere dicat, atq; hoc in statu liberum arbitriū collocari, certè id non in actione versabitur, sed in mente consistet: quoniam quicquid in agendo versatur, quamuis ratio superet, mixtum quiddam est, neque purum id arbitrij munus habet, per quod in nobis id esse iudicari possit.

MARSILIVS.

Sicut duo sunt seruitutis gradus, ita libertatis duo: unus autem est inter utranq; medius. Cap. III.

SEruus enim est qui imaginationem solam sequitur à corpore nostro, uel externis corporibus inciratam. seruus item, cuius etiam ratio imaginationi huic prorsus indulget. Liber primò, qui mente uiuit sola cōtemplatione contentus, cæteris omnino neglectis: Liber secundò, qui siquid agit præterea, id solùm legibus à contemplatione susceptis eligit, resq; agendas refert ad contemplandum. Ex libertate quadam & seruitute permistus esse uidetur, qui imaginationem quidem subigit ratio-
F ni rectæ, sed uitam actiuam, alioquin honestam eligit tanquam finem.

PLOTINVS.

DE ijs ergo diligēter considerandum. Iam enim prope ad illud accedimus, quod de Dijs videbatur esse quærēdum: quippe cum hoc ipsum quod est in nobis id est arbitriū, in voluntatē principio retulerimus: deinde hāc in ratione collocauerimus: post hæc in ratione recta. Forsan verò decet adiūgere in ratione inquam recta scientiam includente. Non enim siquis rectè opinatus aliquid egerit, iam arbitrium absq; controuersia liberum videtur habere, nisi propter quid rectè sic opinetur agnouerit: sed forte vel imaginatione quadam in id quod oportunum est incidisse videtur. Nempe cum imaginationem haud prorsus in arbitrio nostro positam concedamus, meritò eos qui secundum eam agunt in statu libero minimè computamus. Verùm hîc nos imaginationem illam accipimus, quam imaginationem propriè quis acceperit, quæ scilicet ex corporis passionibus excitatur. Vacuitas enim cibi potusq;, itemq; saturitas imaginationem aliter quasi aliterq; effingit, & aliquis genitali plenus semine imaginatur alia & aliter, quàm exhaustus: ac summatim secundum singulas humorum corporis qualitates, imaginationes variæ admodum incitantur. Eos igitur qui per eiusmodi imaginationes agunt, in principio agendi libero minimè collocamus. Quapropter & prauis secundum imaginationes eiusmodi plu-

A rima facientibus,neq; auctoritatem agendi liberam, neque munus voluntariũ tribuemus:ſed illi potius,qui per mentem agit liber ab omnibus corporis paſſionibus arbitrium proculdubio liberum concedemus,atq; ita ipſam agendi liberam poteſtatem in principium quàmpulcherrimum reducemus, ad actum mentis præcipuè referentes. Quinetiam propoſitiones deliberationesq; inde profectas,rurſusq; appetitiones ab intelligentia excitatas reuera liberas confitebimur. Deos quinetiam hac ratione viuentes quicunq; mẽte & appetitu quodam mentem ſequente viuunt,eiuſmodi libertatem habere dicemus.

MARSILIVS.

Cum ratio libertatis in libero quodam motu conſiſtat,atq; uolendum bonumq; conuertantur intellectus libero uoluntarioq; incedit motu,quando certus ad uerum ſibi bonum agendo ac etiam gubernando procedit. Cap. IIII.

QVinetiam ſi pro natura ſua intelligit,uult,eligit,agit, non ideo cogi dicitur, quoniam hoc ipſum inprimis ſibi uoluntarium eſt:nec ab alienis ad hoc adducitur:neq; dici debet intellectualis actio intellectuali naturæ ſeruire. Ibi enim actio eſt ipſa natura,nec ab ipſo bono ſibi prorſus intimo cogi. Cum enim hoc ipſum quod dicitur ſui iuris exiſtere ratione & gratia boni ſit uolendum, maximè omnium ſui iuris eſt intellectus ſummo bono quàm proximus.

PLOTINVS

B CAeterùm inquiret hinc aliquis,quónam pacto quod efficitur appetitu, ſit liberum:cum ad externum aliquid appetitio ducat, permiſtamq; habeat egeſtatem. Quod enim appetit ducitur,quamuis ducatur ad bonum. Quinetiam de mente ſimiliter dubitandum:nunquid videlicet ſi & quod & quomodo naturaliter inſtituta eſt,agit,ſimul tamen libertatem & principium in ſe agẽdi dicatur habere,cum non ſit in ſua facultate non agere. Præterea dubitatione dignum eſt:vtrum quibus non conuenit actio, in eis propriè liberum cenſeatur arbitrium. Iam verò & quibus actio competit, neceſsitas infertur extrinſecus:non enim temere prorſus nullóue propoſito fine agunt. Atqui quónam pacto libertas his ſeruabitur naturæ ſuæ penitus ſeruientibus? Contrà verò ſic obijci poteſt. Quod aliud ſequi non cogitur, quónammodo ſeruire dici poteſt? Quo autem modo aliquid dum ad bonum fertur,poteſt eſſe coactum, cum appetitus ipſe ſit voluntarius,ſi cognoſcens eſſe bonum tanquam ad bonum proficiſcatur? Inuoluntarium namque eſt,abductio quædam ab ipſo bono. Coactum verò dicitur violentiaq; compulſum,quod fertur ad illud, quod non eſt ipſi bonum. Idque propriè ſeruit,quod auctoritatem non habet ad bonum proficiſcendi:ſed potentiore quodam inſtante à ſuis bonis adducitur, illi interea ſeruiens. Ob hanc cauſam ſeruitus improbatur,non quidem vbi aliquis non ha
C beat ad malum eundi licentiam,ſed vbi ad ipſum ſui bonum accedere nequit, ad bonum alterius interea tractus. Vbi verò quis dicit,aliquid naturæ ſuæ ſeruire,illud efficit,vt ſit duo,tum videlicet quod eſt ſeruiens,tum etiam cui ſeruit. Simplex verò natura,& actus vnus, non habens aliud quidem in potentia, aliud autem in actu poſitum,cur non ſit & libera? Hæc vtiq; dici non debet propriè ſic vt nata eſt operari:ſiquidem nec etiam hoc ipſum quod in ipſa eſt, operari decet dicere,quaſi aliud quidem ſit eſſentia, aliud verò ſit actio: ſiquidem idem illic eſt eſſe atque agere. Si ergo neque propter aliud,neque in alio eſt vel agit,quid obſtat quo minus & libera viuat? Et ſi non decet dicere ſicut alibi dici ſolet,hoc ipſum quod in ſe eſt,attamen maius hîc aliquid eſt, eo quòd dicitur in ſe eſſe. Atque ita in ſe eſſe cenſetur,quoniam non eſt in alio, neque alius vllus actionis eius eſt dominus,ſed neque rurſus eſſentiæ, ſiquidem ſit principium. Et quamuis intellectus principium aliud habeat, non tamen extra ſeipſum illud habet,ſed in ipſo bono. Atque ſi ſecundum illud eſt intellectui bo-

D num,multò magis hoc ipſum quod eſt in ſe eſſe,atq; libertas illinc ei contenit: quandoquidem & libertatem & in ſe eſſe quiuis boni gratia quærit. Si ergo ſecundum bonum agit,magis tunc habet hoc ipſum quod in ſe eſſe dicitur & arbitrium.Iam enim habet quod ad ipſum vergit ex ipſo perſpectum,ideoq; in ſe eſt,quoniam eſt ad ipſum.Quod quidem ei ſatius eſt,ſcilicet ita demum in ſeipſo eſſe,ſiquidem ſit ad ipſum.

MARSILIVS

Intellectus in contemplando uiuit liber, liberoq; decreto conſtituit ad contemplationē actiones omnes priuatas publicasq; referre. Cap. V.

SCit quinetiam incōmoda multa quæ minus optaret,tū ſuis tū corpori,tum etiā animo ſæpe uentura. Deliberauit & his oportuna remedia pro uiribus adhibere. Vniuerſa hæc in mente hactenus diſpoſitio uoluntaria eſt,nec aliunde dependet:actiones uerò quæ ſequuntur in dies incōmodis inuoluntarijs ſuccurrentes non adeo ſui iuris exiſtunt, ſed quodammodo ex oportunitate dependent.

PLOTINVS.

NVm igitur in intellectu puro duntaxat atq; intelligente libertas ponitur
& arbitrium? an & in anima ſecundum intellectum operante & ſecundū
2 virtutem agente? Iam verò ſi agenti hoc tribuamus,fortè non quantum ad conſecutionem ſpectat eſt tribuendum. Non enim conſequendi nos domini ſumus.Sin autē ad officia ſua honeſtè componenda id deſignemus,rectè fortè dicetur.At illud quónā pacto in nobis eſſe poteſt? Ceu ſi dicatur,quoniam vrget bellum,nos fortitudinis officium exercere.Dico autē actionem eo tempore frequentatam,quónammodo in nobis tunc eſſe iudicare poſsimus, quandoquidē niſi circumueniret prælium,nō daretur nobis actione eiuſmodi vti: ſimiliter in cæteris actionibus virtute compoſitis,virtute ipſa videlicet ad id quod incidit ſemper hoc vel illud operari compulſa.Etenim ſiquis optionē virtuti dederit, vtrum velit,vt agendi nanciſcatur occaſionem, aduerſa nobis accidere, velut prælia imminere, vt fortitudinis demonſtrat officia: & iniurias perpetrari vt quid iuris ſit definiat,litesq; diſſoluat,inopiamq; premere, vt munera liberalitatis oſtendat.An potius cunctis rite pacatis, quietem agere, eligeret proculdubio vacationem eiuſmodi actionum,nullo videlicet apud ipſam curatione aliqua indigente:quemmadmodum ſiquis legitimus medicus, qualis Hippocrates,optet nullum ſuis medicinis egere. Si ergo virtus in actionibus conſtituta opem ferre compellitur, quónammodo purum id munus poſsidet, quo
3 in eam ipſam omnino conſiſtere iudicemus? Num igitur actiones quidem eſſe fatebimur neceſſarias, voluntatem verò rationemq; actiones antecedentem affirmabimus omnino eſſe compulſam? At ſi ita cum in eo duntaxat quod agenda præcedit, arbitrium ſtatuamus, nimirum extra actionem collocabimus libertatem,& quod in virtutis auctoritate conſiſtere iudicatur. Sed quid nam de ipſa virtute ſecundum habitum diſpoſitionemq; conſiderata dicemus? Nónne languente animo eam accedere ad curandum perturbationes appetitusq; componentem? Qua igitur ratione bonum dicimus in noſtra auctoritate conſiſtere,virtutémque nulli ſeruire? Fortè verò in nobis volentibus eligentibusq; id conſiſtere iudicabimus. Fortè etiam quia virtus aſsiſtens libertatem munusq; quod in nobis eſſe dicitur,comparat,neque quibus ſeruiebamus antè, vltra nos ſeruire permittit. Si ergo virtus eſt velut intellectus quidam alter, & habitus animam quaſi transformans in mentem,rurſus hoc ipſum quod in nobis conſiſtere dicitur,non ad actiones quidem declinat,ſed ad mentem ſe recipit actionibus expeditam.

MARSILIVS.

Non ſolùm intellectus ſola contemplatione contentus, putandus eſt tanquam liber ſibi uiuere, uerùm etiam ratio per uirtutem ab intetellectu conceptam libera ſecũ habitat, quatenus uidelicet pro fine non ſtatuit rerum actionumq; exitum, ſed honeſtatem contemplationemq; internam.

Cap. VI.

INtellectus primus maximè uiuit liber, ubi uiuere quidem intelligere eſt. Intelligit autem quemadmodum & uult: ſiquidem uoluntas & intelligẽtia uix ibi diſcernitur. ſunt enim actus ferè idẽ. Qui uergens ad bonũ uoluntas dicitur, attingens bonũ intelligentia nominatur: quemadmodũ radius in curſu ſe habet ad ſplendorem in reuerberatione perſpectum. Si maximum bonum eſt maximè uoluntarium ſummopere uiuit ut uult & liber, qui in ipſo bono uitam agit.

PLOTINVS.

SEd quanam ratione id muneris ad voluntatẽ ſuprà retulimus, dicentes id in nobis eſſe, quod pro volnntate fieret? Profectò reſpondẽdum eſt, ibi quoq; fuiſſe ſubiunctm vel non fieret. Quamobrem ſi & hæc in præſentia rectè dicuntur, & illa cum ijs omnino conſentiunt, mentẽ ac virtutem eſſe dominas aſſeremus, ad easq; quod conſiſtit in nobis, atque libertatem referri decere. Cùm verò duo hæc minimè ſeruiant, putandum eſt mentem quidẽ in ſeipſa ſedere, virtutem verò velle quidem in ſeipſa quieſcere, animæ videlicet præſidẽtem vt inde ſit bona: atque hucuſque & ipſam liberam permanere, & animum inde fieri
B liberum. Quando verò neceſſariæ paſsiones actionesq; incidunt his gubernandis incumbere, neq; voluiſſe quidẽ hæc accidere: attamen in eis etiam ipſum quod in ſe eſt arbitrium conſeruare, dum videlicet horum quoque curam ad ſeipſam refert. Non enim res ipſas ſequitur quaſi velit omnino ſeruare periclitantem: imò ſi ſibi præſtare iudicet hũc, abijcit, iubetq; pecunias, & filios, & patriã, vitamq; proijcere: ſtatuens ſcilicet ſibi pro fine non inferiorum ſalutem, ſed propriam honeſtatem. Ex quo apparet, libertatem & quod eſt in nobis inter res agendas, neque ad actiones effectum, neque ad exteram actionem, ſed ad actũ intimum, & intelligentiam contemplationemq; virtutis ipſius omnino referri. Hanc verò virtutem oportet mentem quandam exiſtimare: non connumerando cũ ea perturbationes redactas in ſeruitutẽ ratione uel tẽperatas. De his vtiq; Plato loquens ait more quodam curandi corporis, hæc vſu exercitationeq; corrigi dirigiq; ſolere. Hinc itaque conſtat apertius, libertatẽ ad rem ipſam expertẽ materiæ pertinere: atque ad hanc reduci quod eſt in nobis: atque hãc ipſam voluntatem eſſe dominam, & in ſeipſa conſiſtere. Iam verò ſi quid ad externa præcipit, neceſsitate quadam adducta præcipere ſolet. Quotcunque igitur ex hac
C atque propter hanc aguntur, conſiſtunt in nobis: atq; extra ſimul & in ſeipſa, illud eſt quod ipſa vult peragitq́ue minimè impedita: idq́ue etiam primum eſt in nobis. Intellectus autem contemplator & primus, ſic habet quod dicitur in ſeipſo, quòd opus illius nullo modo conſiſtit in alio, ſed totus reflectitur ad ſeipsũ, opusq́ue ipſius eſt ipſe, poſitusq́ue in bono, nec indigens vltra, ſed plenus pro voluntate viuit ad uotum: ipſa verò voluntas ipſa intelligentia eſt, ſed eſt appellata voluntas, quoniam ſecundum intellectum videtur exiſtere. Etenim quæ voluntas dicitur, ipſum quod ſecundum intellectum eſt imitatur. Voluntas enim bonum vult. Verè autem intelligere eſt in bono: intellectus igitnr habet quod voluntas expetit, quódue conſequuta iam ea ratione euadit intelligentia. Quamobrem ſi boni ipſius volũtati dedimus quod eſt in nobis, quod in eo iam ſitum eſt in quo eſſe voluntas appetit, cur non habeat quod dicitur in ſeipſo? Iam verò ſi quis ad hoc pertinere nolit quod ſit in ſeipſo, excellentius aliquid eſt putandum.

D

MARSILIVS.

Si anima per uirtutem intellectualem ſit quandoq; libera ſequitur ut intellectus primò ſit liber. Item ſi intellectus uitam poſſidet ſummopere liberam atq; uoluntariam, quoniam ipſi bono ſit quamproximus, meritò ipſum bonum eſt ipſa libertas. Cap. VII.

SI ſeruitus & fortuna circa inferiora uerſantur, ſed libertas & ordo ad ſuperiora pertinẽt, & quod quid ſuperius eo eſt ordinatius pariter & liberius, certè principium omniũ neq; fortuitũ eſt, neq; coactũ: quippe cũ ſit ordinis omnis, ac liberæ auctoritatis origo. In quo cũ tanquã ſummo bono ſit tota uoluntarij ratio, tota eſt, & ratio libertatis. Vbi ſi modò eſſentia & actio nominari poſſint, nõ potes dicere actionẽ eſſentiæ ſuæ ſeruire: quippe cũ nulla ſit ibi diſtinctio. Quapropter ſi quẽadmodum exiſtit naturaliter, ita & agit, uiciſsim ſicut agit, ita naturaliter & exiſtit. Sed de his in Theologia noſtra ſatis diximus.

PLOTINVS.

EVadit igitur anima per mẽtẽ libera ad bonũ abſq; impedimẽto ſe cõferẽs, quódue ꝓpter hoc agit, cõſiſtit in ipſa. Intellectus autem per ſeipſum liber. E Ipſius verò boni natura, eſt ipſum quod omnibus appetẽdũ, & ꝓpter quod habẽt alia quod cõſiſtat in eis, quãdo hoc quidẽ ſine impedimẽto cõſequi poteſt, illud autẽ iã poſſidere. Ipſum itaq; omniũ dominũ, quæ ſub eo pretioſa eſſent, primáq; in ſede cõſiſtens, ad quod cætera paſsim aſcẽdere volũt, pendentq; ex illo, & ab eo vires accipiũt, per quas habere munus poſsint quod cõſiſtat in ipſis, quónã pacto poterit aliquis ad hãc ipſam cõditionẽ redigere, in qua eſt propriè quod vel in me vel in te cõſiſtere dicit? Quãdoquidem ipſe intellectus ad hãc cõditionẽ vix quidẽ, & violentia quadã tractus eſſe videt: niſi quis fortè temerarius ſermo aliunde huc iniectus afferat, naturã primã ſorte quadã id nactã fuiſſe, vt ſic ſe haberet, vt habet, neq; huius ipſius quod eſt, exiſtere dominã: cũ videlicet hoc ipſum quod eſt nõ ſit à ſeipſa, ideoq; nec libertatẽ, nec quod in ea conſiſtat habere: quippe cũ faciat vel nõ faciat, quod facere, vel nõ facere eſt: iã neceſsitate cõpulſa. Qui ſanè ſermo aduerſus in ſe eſt, & incertus, omnẽq; volũtarij ac liberi, eiuſq; quod eſt in nobis naturã & rationẽ è medio tollit: adeo vt fruſtra hæc nominent à nobis, ſintq; voces quædam nuſquã exiſtentiũ rerũ. Sermonis namq; illius auctor fateri cõpellit, non ſolùm nihil eſſe auctoritatis in aliquo, verũ etiã ſe nec intelligere, neq; vllo modo cognoſcere quid vox eiuſmodi ſibi velit. Quòd ſi cognoſcere id affirmet, iam facilè refellet, ratione videlicet F eius quod eſt in nobis, cõgruẽte cũ illis, quibus nõ accõmodari dicebat. Ipſa nã que rei notio nec diſturbat eſſentiã, nec eam adauget cum alio aſſumendo. Nõ poteſt enim aliquid per ſe facere, ac perducere quippiã ad ſubſtantiã, vel exiſtẽtiã: ſed conat notio meditari quidnã inter alia ſeruiat alijs, quidue habeat libertatẽ: nec ſubijciat alijs in agendo, ſed ſuæ ſit dominus actionis, Quod quidẽ munus purè cõuenit ſempiternis, & ijs quidẽ, quatenus ſempiterni ſũt, & omnino qui bonũ abſq; impedimẽto vel iam habent, vel etiã ꝓſequunt. Proinde abſurdũ dictu eſt, bonũ ipſum omnibus his, ſuperius tãquã aliud vltra ſeipſum bonũ deſiderare. Tum verò nullo modo rectè dicit ipſum fortuna quadam exiſtere: in rebus namque poſterioribus, ac multis fortuna contingit: ipſum verò primum neque ſecundum fortunam eſſe fas eſt aſſerere: neque rurſus ſuæ generationis dominum non exiſtere, quoniam neque genitum quidem eſſe poteſt. Præterea quando quis negat primum eſſe liberum, propterea quòd ita duntaxat faciat, vt ſe naturaliter habet, abſurdum eſt, ſiquis exiſtimet quippiam tunc eſſe liberum, quando præter naturam facit vel operatur. Neque verò quòd vnica ratione ſe habet, ob hoc ipſum libertate priuatur: ſi vnicum hoc non ex eo habeat, quòd habere aliud cohibeatur ab alio, ſed ex eo quòd ipſum

pro-

A propriè ſit hoc ipſum, ſicq; ſibi ipſi placeat, neque liceat, neque libeat aliquid excellentius eſſe: alioquin poſſet aliquis quod maximè compos eſt boni, aſſerere libertate priuatum. Sin autem id foret abſurdum, multò abſurdius erit ipſum bonum libertate priuare: quoniam bonum, & quia permanet in ſeipſo, nec moueri ad aliud vſquam indiget. Cum alia potius moueantur ad illud, nec ipſum vlla conditione indigeat aliquo. Denique cum ipſa velut eius ſubſtantia, ſit ipſa velut eiuſdem actio: neque enim hæc quidem aliud, illa verò eſt aliud, ſiquidem nec in intellectu etiam diſcrimen id accidit: profectò non magis ſecundū eſſe illic editur actio, quàm ſecundum actionem eſſe conſiſtat. Quapropter nec illi conditioni ſubijcitur, vt ſic operetur, ſicut eſt naturaliter inſtitutum. Neque actio & velut vita in ipſam velut eſſentiam redigetur: ſed ipſa illic velut eſſentia quaſi cōſpirans cum actione, & tāquā in vnū ab æterno conflata, idem omnino conficit ex ambobus. Quod quidem & nullius ſit, & ſui ipſius duntaxat exiſtat.

MARSILIVS.

Neq; libertatem neq; aliud quicquam uenerandū attribuere Deo debemus ea ratione qua ſequentibus, ſed ineffabili. Eiuſmodi conditio qua aliquid ſic exiſtat & agat, ſicut ad hoc eſt naturaliter inſtitutum, rebus ſubiectis tempori propriè competit, æternis translatione quadam, eſſentiæ primæ abuſione quadam. Nam propriè dicitur ex ſeipſa exiſtere: principio nullo modo. Sors uerò contingens tam remota eſt à primo, ut uix etiam reperiatur in ultimis ordinante primo. Cap. VIII.

PLOTINVS.

B NOs vtiq; cogitamus libertatis munus illi non tanquā accidens aliquod cōuenire, ſed à muneribus libertatis quæ attribuūtur alijs ſubtractione videlicet contrariorum ipſum in ſeipſo ad ſeipſum excogitamus, dum minora à minoribus illucusq; transferimus: quippe cū illa quæ de illo decet loqui, conſequi nequeamus. Atq; ita de illo hæc loqui cōtingit: tametſi nihil inuenire poſsimus quod rite loquamur, nedum prædicando de illo, ſed nec ei vlla propriè ratione accomodando. Omnia namq; & pulchra & veneranda poſteriora ſunt illo. Illud enim horum omnium eſt principium, quamuis modo etiam alio non principium, cum omnia ſecernamus ab eo, ideoq; quod liberum arbitrium operandi, quódue in ipſo conſiſtere dici ſolet, velut poſterius aliquid ſeiungamus ab illo. Id namq; actionem in aliud tendentem ſignificare videtur: tēdentem inquā abſq; impedimento. item eſſe & alia quæ ad idem non impedita contendant: omnino verò ad nullum oportet primum ipſum dicendo referre. Eſt enim hoc ipſum quod exiſtit etiam ante omnia, quandoquidem & hoc quod dicitur eſt, ab eo ſecernimus: ideoq; eſſe quoquomodo ad entia rite negamus. Proinde neque ſic exiſtere id dicemus, vt eſt naturaliter inſtitutum. nam & hoc poſterius

C eſt. Atq; ſi de ſupernis quoq; dicatur, certè de illis quæ ex alio ſunt, dicetur. Itaq; de eſſentia primò dicetur, quoniam nata eſt ex illo. Quod ſi in rebus ſubiectis tempore natura verſatur, nimirum neq; de eſſentia ipſa dicemus, ita vt nata fuerit ſe habere: neq; ſanè dicendum eſt eſſentiam ex ſe ipſa non eſſe, ſic enim & eſſe ipſum auferremus. Et profectò nō à ſeipſa diceretur eſſe, quando eſſe accipere aliunde. Num igitur de ſummo rerum principio dicendum eſt, ſic exiſtere contigiſſe? Sed certè neq; contigiſſe dicendum. Neq; enim ipſi contigit, neque ad aliud accidit. In rebus namq; multis contingentia locum habet: vbi hæc quidem ſunt, hoc autem his accidit. Qua igitur ſorte primum ipſum euenisſe poteſt? Neque enim venit, vt quærere quomodo venerit nos oporteat, & quæ nā fortuna perduxerit ipſum vel conſtituerit: quando neq; fortuna quidem erat, neq; caſus fortuitus vllo modo. Caſus enim & ab alio accidit, & in his quę fiunt contingere ſolet.

MARSILIVS.

Non licet fingere contingenter euenisſe, ut hoc ipſum quod nunc omnium principium eſt omnium ſit principium, quaſi contingere potuerit aliud, & aliter affectum ſore principium. Cap. IX.

D VNica enim eſt principij ratio, ipſa uidelicet ſummitas, quam & infinitatem poſſumus nominare, quæ cum aliis præſertim propinquioribus firmitatem neceſsitatemq; imponat, meritò non eſt cõtingenter, ſed neceſſariò, imò eſt ipſa neceſsitas. Et quoniam primum eſt & ipſum bonum, ideo eſt & ſua ſponte neceſsitas: neq; quodlibet contingenter extitiſſe potuit: neq; rurſus oportuit eſſe, uel eſt determinatum hoc aut illud, ſed eſt plus quàm uniuerſa poteſtas, neceſſariò, pariter, atq; ultro id ipſum quod eſt exiſtens.

PLOTINVS.

VErùm ſiquis hoc ipſum quod dici ſolet, cõtigit vel euenit, acceperit ad ipſum idem, non decet in appellatione hac immorari, ſed qua ratione qui hoc dicit intelligat animaduertere. Quidnam igit̃ id ſibi vult? Nunquid ipſum naturam hãc & poteſtatẽ habẽs, principium extitiſſe? Ac ſi quã aliam habuiſſet, poſſe etiã extitiſſe principiũ, ſecundum hoc ipſum quod eſſet, & ſi fortè deterius eſſet tamen ſecundum ſuam eſſentiam operatum. Ad hæc autẽ obijciendũ eſt, fieri nõ potuiſſe, vt cũ principiũ eſſet omniũ, contingens fortuitúmue foret: ac ne dum cõtigiſſe poſſe deterius, ſed neq; etiã bonũ quidem, aliter verò bonũ velut aliquid indigentius. Sed oportet principium omnium eſſe ſequentiũ præſtantiſsimum: ideoq; quaſi determinatũ quiddam, determinatũ inquã, propter ſingularem & vnicam rationẽ. Neq; tamen ita determinatum, & vnica ratione
E conſiſtens, quaſi ex neceſsitate dico. Nondũ enim neceſsitas erat. In his enim quæ ſequuntur principiũ, neceſsitas dominat̃: neq; hæc quidem violentiam eis infert. Vnicum verò hoc & ſingulare poſsidet à ſeipſo. Hoc ipſum igit̃ eſt nõ aliud: ſed quod expediebat ſiue debebat eſſe. Non igit̃ ita contigit, ſed oportuit ita. Hoc ipſum verò quod oportuit dicitur, omniũ eſt, quę oporteat eſſe principiũ. Hoc igitur nequaquã ita eſt, vt contigit, nõ enim vt ſorte incidit, extat: ſed quod oportebat eſſe. imò verò neq; id quidem quod oportuerit eſſe. Iam verò decet alia expectare quid quandoq; rex illis appareat, idq; duntaxat quod exiſtit ipſe illum prorſus aſſeuerare, certè nõ vt euenit apparentẽ, ſed verè regem, verè principium, verè bonum. Nec ſecundum bonum quidem agentẽ, ſic enim ſequi alterum videretur, ſed vnum hoc ipſum quod eſt penitus exiſtentẽ. Itaq; nec ſecundum bonum agere, ſed ipſum prorſus exiſtere bonum. Si ergo neque in ipſo quidem ente aliquid eſt contingens: alioquin ens quiddam foret, & certè cuidam enti incideret aliquid, non tamen ipſum ens vllo modo contigit, neque ſorte quadam nactum eſt ens ipſum ita eſſe: nec ab alio ſic eſſe ens, vt eſt accepit, ſed ipſa natura entis eſt ens exiſtere: quónammodo aliquis in eo quod
F ente ſuperius extat, conditionem hanc ſcilicet ita cõtigiſſe vel eueniſſe poterit cogitare? quippe cum illud ens ipſum genuerit. Quod quidem non ita contigit, ſed eſt prout eſt eſſentia ipſa exiſtens hoc ipſum quod eſt eſſentia, & hoc ipſum quod eſt intellectus: alioquin ſimili quiſpiam ratione intellectum quoque dixerit ſic accidiſſe, perinde quaſi aliud quiddam intellectus fore potuerit, præter hoc quod natura ipſius exiſtit. Quod itaq; naturam propriam non tranſgreditur, nec vſquam à ſeipſo declinat, facilè quis potiſsimum hoc ipſum quod eſt, exiſtere dixerit. Quidnam igitur dicet ille qui hoc quoque tranſcenderit, ſummumq; inſpexerit? Nunquid quemadmodum ipſum viderit ſe habere, ita & cõtigiſſe? ſed pfectò neq; ſic neq; quolibet modo contigiſſe dicendum, imò nec omnino & ſimpliciter accidiſſe. An igitur dici poteſt ita ſolum, neque aliter, ſed duntaxat ita? imò verò neque hoc ipſum quod dicitur ita, vel hoc modo illi eſt aſsignandum: alioquin eo pacto circumſcriberes ipſum, & hoc aliquid redderes. Nempe qui cernit illud, neque ita debet dicere, neque non ita, alioquin aliquid ipſum ex rerum numero dixeris, quibus ineſt hoc ipſum, quod ita vel hoc modo dici ſolet. Eſt igitur aliud præter omnia, quæ ita & hoc modo ſe habere dicuntur. Tu verò cum ipſum inueneris infinitum, omnia quidem quæ ſunt poſt illud dicere poteris. Illud autem nullum eorum eſſe dices, ſed tanquam vniuerſam poteſtatem reuera ſui ipſius dominam, quódue vult

exi-

exiſtentem. Imò verò hoc ipſum quod vult in res ipſas proijcientem, dum vid elicet ipſa excellentior eſt omni voluntatis actu, actumq; eiuſmodi ſibi ſubdit. Neq; igitur ipſa hoc ipſum voluit, quod dicitur ita ſe habere, adeo vt id ſecũ ipſa dixerit, neq; quiſquam alius, vt ita ſe haberet, effecit.

MARSILIVS

Cum principium omnibus formam & terminum, ordinemq; imponat, atq; ordo rationalis ſit fortunæ contrarius, meritò ſi principium fortuitum rebus inciderit, nullus uſquam ordo reſtabit. Quod principium unicè ſit miterq; ſit, maneatq; hoc ipſum quod iam exiſtit, nec aliunde ſortitur: Hæc enim ipſa eius natura eſt. Nec ulla debilitas in cauſa eſt, ut nec aliud extuliſſe, nec ad aliud proceſſiſſe potuerit. Eſſe enim & permanere immenſam bonitatem atq; poteſtatem, hæc ipſa eſt ſumma libertas pariter & poteſtas. Cap. X.

PLOTINVS.

INterrogare licet eum qui Deũ ait ſic accidiſſe, qua nã cõditione fieri poſſe exiſtimet, vt deprehendatur cõtingẽtiã eſſe falſam, ſicubi falſa fuerit? Quóue pacto quiſpiã ipſam auferat cõtingentiã? Atqui ſiqua natura ſit tollens è medio cõtingentiã, profectò cõditio cõtingẽtis cũ natura nõ cõgruet. Si enim naturã hoc ipſum quod eſt ſorte cõtingere ab alijs cũctis auferentẽ, fortunæ cõmittas, nuſquã dabit aliquid quod nõ caſu proueniat. Tollit autẽ ab omnibus fortuitã contingentiã, ipſum principiũ aliorũ, ſpeciẽ, terminũ, formã vnicuiq; tribuens, neq; fas eſt vſquã in rebus ſic ratione diſpoſitis, fortunæ ſeriẽ hãc aſcribere. Sed
B cauſam hîc rationi aſsignando, ſic putamus cauſam afferẽdã. In rebus autẽ quæ nec ex antecedenti, ppoſito fiunt, neq; procedunt ordine cõſequentis, ſed caſu potius incidunt, fortuna verſat. Ipſum verò rationis omnis & ordinis terminiq; principiũ quónã pacto quiſpiã fortuita quadã ſorte cõſtare cõceſſerit? Fortuna certè multorũ domina eſt, intellectũ verò & rationẽ & ordinẽ generare nõ poteſt. Nẽpe cũ fortuna rationis cõtraria videat, nullo modo poteſt eſſe genetrix rationis. Si ergo fortuna nõ generat intellectũ, meritò neq; quod eſt ſuperius ac melius intellectu. Nec enim habuiſſe poteſt vnde crearet, nec ipſa erat omnino nec, prſus ineſt ſempiternis. Quamobrem ſi nihil eſt ſuper illud, ipſumq; exiſtit primò, ſiſtere, in eo gradũ expedit, neq; vlterius de hoc aliquid dicere: ſed perſcrutari potius quomodo ſequẽtia facta fuerint: de illo verò nullo modo quomodo exortũ ſit indagare, quoniã reuera nõ eſt natũ. Quid ergo ſi ortum quidem nõ fuerit, eſt autẽ quale eſt, non exiſtens, ppriè eſſentiæ dominus? Ac ſi nõ eſſentiæ dominus ſit, ſed hoc ipſum quod eſt exiſtat, ſibi quidẽ ipſi nõ exhibẽs exiſtentiã, ſed ſeipſo qualiscunq; ſit vtens, ideoq; hoc ipſum quod eſt neceſſariò ſit, nec aliter vnquam. Sed profectò non propterea ita ſe habet, quia non aliter ſe habere potuerit, ſed quia optimũ eſt ita ſe dũtaxat habere, procedere quidẽ in melius nõ vbiq; volũtariũ eſt: ad deterius autẽ venire, nequaquã ab alio, p
C hibitũ eſſe poteſt: ſed quod in deterius nõ deuenerit, à ſeipſo habet nõ deuenire, non propterea quòd cohibitũ fuerit: ſed quoniam illud hoc ipſum ſit, quod nullo modo proceſsit. Iam verò ad deterius deuenire non poſſe, nullam ſignificat in eo qui non venit debilitatem: ſed hoc ipſum non ire illud à ſe ipſo & propter ſeipſum habet. Quòdue dicitur ad aliud nuſquam accedere, excellentiam in eo poteſtatis planè demonſtrat: dum videlicet ipſum non quidem neceſsitate cõprehendit, ſed neceſsitas eſt & lex omniũ aliorum. Num igit ipſa neceſsitas ſibimet præbuit exiſtentiã? imò verò neq; extitit quidem: quippe cũ cætera quæ ſunt poſt primũ virtute ipſius exiſtant. Quod igit ſuper exiſtẽtiã ſiue ſubſiſtẽtiã eſt, quónã pacto vel ab alio vel à ſeipſo extitiſſe vel ſubſtitiſſe dici debet?

MARSILIVS.

Ordo mirabilis uniuerſi intellectuali ratione perſpectus purgatis tandem mentis oculis principiũ ſuũ offert quaſi inconparabilem ſummitatẽ, ſimplicitatem, poteſtatem, bonitatem. Sed tu poſtquam principium ſimpliciter tibi ſic illuxerit, noli quid ſit & propter quid inquirere. Cap. XI.

D SI enim quidnam ſit indagaueris, ad anguſtiam illud tuæ intelligentiæ contrahes & compones, tibiq; protinus ſubterfugiet. Tum uerò cum ratio principium inuenerit ſuper eſſentiam, nõ poteſt ulterius indagare quid ſit: ſiquidem eiuſmodi quæſtio deſinit in eſſentiam. Neq; fas eſt de principio propter quid perſcrutari: ſanè quæſtio hæc reſoluitur in principium. Deniq; cũ de eo ſis negaturus eſſentiam, multoq; magis & accidentia, quónã pacto in eo contingentem ſortẽ poteris affirmare?

PLOTINVS.

HOc autem quod non propriè ſubſiſtit vel exiſtit, quidnã eſſe dicendum? Sed profectò incerta mẽte ſilentes hinc decet abire, nec quicquã vlterius indagare. Quid enim quiſpiam indagauerit, cum nihil pateat vlterius quo procedat? quippe cum omnis quæſtio ſe conferat ad principium, & in tali quodã deniq; cõquieſcat. Accedit ad hæc, quòd omnis quæſtio, vel quid aliquid ſit inquirit, vel quale, vel propter quid, vel vtrum ſit nec ne. Eſſe quidem rerũ principium omnium, ſicut dicimus illud eſſe, per ea quæ ſunt ab illo coniectare ſolemus: quæſtio verò propter quid deſiderans principium aliud expetit: ſed vniuerſi principij nullum poteſt eſſe principium. Præterea quærere quale ſit illud, nihil aliud eſt, quã inquirere quid accidat ei, cui nihil penitus accidit. Ipſum verò quid eſt declarat magis hoc ipſum quod nihil de illo quærere debeamus ipſum videlicet ſolummodo poſsimus accipientes, atq; in eo quod nihil ei fas ſit adiungere cognoſcẽtes. Omnino autem dubitationis huius ſcrupulum de hac ipſa natura in animũ iniecisse videmur, ſiquidem iniecerimus, propterea quòd primo quidem regionẽ locumq; ponamus quaſi chaos, deinde poſita regione hanc naturam introducamus in locũ iam vel imaginatione confictũ, vel in natura compertum. Cũ verò illud in eiuſmodi locum introduxerimus, nimirum adducimur ſciſcitari, vnde nam & qua conditione protinus huc acceſſerit: & tanquam aduenã iudicantes inquirere qua ratione ſit præſens, quæúe & qualis ſit eius eſſentia: quaſi vel ex profundo quodam huc emerſerit, vel ab excelſo deſcẽderit. Quamobrem operæpretium eſt ſublata dubitationis occaſione, omnem prorſus locum ab intuitu in Deum directo lõgè ſecernere, nec in aliquo ipſum ponere, ſiue ſemper in eo ſit fundatus, ſiue aliquando venerit: ſed exiſtentem ſolum ſicut dicitur ex neceſsitate rationum exiſtere fas eſt cogitare: locum verò ſicut & alia poſteriorẽ eſſe, omniumq; poſtremũ. Hoc ipſum igitur vigens mirabiliter extra locũ, intelligentes vtcunq; intelligamus nihil penitus circa ipſum vltra poſſumus admouere, quaſi aliquid circundemus, neq; quantus ſit metiri
F valemus, neq; ipſum quantũ ei contingere concedemus, neq; rurſus quale ſit effingemus. Neq; enim forma eſt circa ipſum vlla, nedum ſenſibilis, ſed nec etiam intelligibilis aliqua. Præterea nec ei quòd vllo modo ad aliud referri dicatur, licet accommodare. nam & in ſeipſo conſiſtit, & antequam aliud quicquã exiſteret, extitit. Cum igitur ita ſit, quònam modo poſſumus illic dicere ita id cõtigiſſe? vel quomodo audebimus id proferre, quandoquidem & alia omnia quæ de de hoc dicuntur negatione dicantur? adeo vt non verum quidem ſit de illo dicere, ita contigit: ſed contrà nõ ita contigit, multoq; verius: quando nec ſimpliciter quidem contigiſſe dicendum.

MARSILIVS.

Summus Deus rectius dicitur ſuapte natura libertas, quàm naturæ ſuæ dominus. Non enim actio penes eum ullo modo diſtinguitur à natura, ideo non debet dici in agendo naturæ ſuæ dominus: ſed eſt uel ſimpliciſſimus actus, per quem libertas potius appellatur, uel principium finisq; actuumq; actionum omnium: unde libertas iterum in ſe nominatur: dominus uerò non tam ſui quàm aliorum. Eſſentia prima per actionem ſuã quodammodo ab ipſa diſtinctam, ſuæ exiſtentiæ domina dici poteſt. Anima uerò cum non ſit eſſentia ipſa ſimpliciter, ſed eſſentia quædã, nequaquã dicenda eſt eſſentiæ ſuæ domina, quãuis quodãmodo domina ſui. Forma poſtremò corporea tanquam expers eſſentiæ liberum ſui dominatum nullum habet. Contrà uerò Deus per quem ſuperiora ſunt libera, dominanturq; ſequentibus, libertas eſt ſimul & dominatio ſumma. Cap. XII.

PLO-

PLOTINVS.

QVid ergo dicemus? nónne hoc ipſum quod eſt exiſtit? Ipſius autem eſſe quod eſt, vel ipſius quod ſit ipſo eſſe ſuperius, nunquid ipſemet Deus eſt dominus? Rurſus animus nondum perſuaſus ex dictis, reſtat ambiguus: ad hæc igitur in præſentia nobis eſt ita dicendum: vnuſquiſque noſtrûm ſecundum corpus quidem eſt ab eſſentia longè remotus, ſecundum verò animam, & quod maximè ipſi ſumus, eſſentiæ participes ſumus, & profectò ſumus eſſentia quædam. Id autem eſt velut quiddam ex differentia ſimul eſſentiaq; compoſitum, itaq; nec eſſentia præcipuè, nec ipſa eſſentia. quamobrem neque ſumus noſtræ eſſentiæ domini. Aliud namque quodammodo eſſentia eſt, aliud nos exiſtimus. Nec nos quidem ſumus eſſentiæ noſtræ domini: ſed ipſa eſſentia potius eſt domina noſtrûm: ſiquidem hæc ipſa & differentiam adhibet. Sed quoniam nos quodammodo ſumus & illud quod dominatur nobis, hac vtique conditione nihilominus & hîc domini noſtrûm poſſumus appellari. Quod autem omnino eſt id quod eſt ipſa eſſentia, neque aliud quidem ipſum, aliud autem eius eſſentia eſt, certè hoc ipſum quod exiſtit, eſt dominans, nec amplius refertur in aliud qua videlicet ratione eſt, & qua exiſtit eſſentia. Etenim rurſus dimiſſum eſt ſui ipſius dominum eſſe: ſiquidem quod ibi primum eſt redigitur in eſſentiam. Iam verò quod liberam facit eſſentiam, vtpote cuius natura ſit res facere liberas, riteq; liberator cognominatur, cuinam ſeruiret? ſi modò fas eſt id etiam quoquomodo pronuntiare. Hoc autem ſui ipſius eſſentia liberum iudicatur: ſed & hæc ab ipſo libera eſt atque poſterior: ipſum verò non habet eſſentiam. Siqua igitur in eo actio eſt, ipſumq; ponimus in actione, nõ tamẽ ob hoc erit alterum à ſeipſo, neque minus ſui ipſius dominus à quo editur actio: quoniam non eſt alterum quiddam ibi actio, alterum verò ipſum. Si autem omnino actionem in eo eſſe non concedamus, ſed alia circa ipſum operantia retinere ſubſtantiam, multò minus ibi vel dominum vel dominatorem eſſe fatebimur: ſed neque etiam ſui ipſius dominum eſſe dicemus. Non quoniam Deo quicquàm aliud dominetur: ſed quoniam ſui ipſius eſſe dominum, eſſentiæ iam attribuimus. Summum verò Deum in gradu quodam excellentiore locauimus, quàm quòd ſibimet dominetur. Quidnam igitur eſt excelſius eo, qui ſui ipſius ſit dominus? Profectò quoniam in ipſo qui primò ſui ipſius dominus appellatur eſſentia & actio duo quædam quodammodo ſunt, nimirum ex actione ipſam domini præſtitit rationem. Hæc autem idem atque eſſentia eſt, propterea & ſeorſum factum eſt vt dominus eſſet, ſuiq; ipſius dominus id eſt appellatum. Vbi autem non duo quidem ſunt vt vnum, ſed eſt penitus vnum, aut enim ſolum actus eſt, aut omnino non eſt ibi actus, illic nec etiam rectè dicitur, dominum ſui ipſius exiſtere.

MARSILIVS.

Quocunq; modo eſſentia, uoluntas, actio in Deo nominari poſſint, penitus idem ſunt. Si ergo ſicut naturaliter eius eſſentia fert, ita deus uult & agit, uiciſſim quoq; quemmadmodum uult & agit ſic eius natura ſe habet. Eſt igitur neq; fortuna neq; fato, ſed propria uoluntate quod eſt. Cap. XIII.

EAtenus unumquodque ſeipſum uult, ſuique iuris exiſtit, quatenus eſt cum bono. Ipſum ergo bonum penitus ut uult, exiſtit & liberum: ac ſi detur optio commutandi, nunquam aliud quàm quod eſt ſe eſſe, ſit uoliturum. Præterea cum uoluntates omnium in bonum confluant, & uniantur in eo, certè in ipſo bono eadem eſt cum bonitate uoluntas, quæ nec aliud uult eſſe quàm ſeipſam. Iam uerò maximopere ſibi quod eſt placet, ſiquidem ſola participatione boni res habent, ut ſibimet ipſæ placeant. Poſt hæc Plotinus ait, ſi uelle & eſſe idem eſt penes bonum, ſequitur, ſicut eſt ipſum in ſe naturaliter, ita uelle: atque uiciſsim ut uult, ſic ipſum naturaliter & exiſtere. Excogitat interim, Chriſtianorum more, Deum per uoluntatis actum aliquam in ſe producere (ut ita dixerim) ſub-

ſſentiam. Alibi quoq; dixit, Deum per intelligentiam in ſe neſcio quam ſubſiſtentiam genuiſſe. Deniq; ſicut uoluntatis actum excellentiorem uoluntate concedit ipſi bono, ſimiliter actum intelligentiæ intelligentia excelſiorem eſt proculdubio conceſſurus.

PLOTINVS

CAeterùm ſi hæc quoq; nomina, & ſi non rectè, tamẽ vtcunq; introducere cogimur. rurſus circa id quod à principio quæritur dicendum videtur, partim quidem rectè fuiſſe dictum, videlicet non eſſe ponenda duo quædam in ſummo, etiam ſi tantùm differant ratione, partim verò in præſentia perſuaſionis gratia liberius videtur eſſe loquendum; et à ſeuera intelligentiæ norma in loqueudo aliquantulum declinandum. Si ergo ſummo Deo actiones attribuamus, actiones autem eius tanquam voluntati ſuæ accommodemus, non enim operatur nolens, actiones verò ſunt ipſa velut eius eſſentia, nimirum voluntas eius eſſentiaq; idem penitus erit. Quòd ſi ita, ergo vt voluit ita prorſus exiſtit. Ideoq; non magis vt ſua fert natura, ita vult & agit, quàm vt vult agitq; ſic eſſentia eius exiſtit. Omnino igitur ſui ipſius eſt dominus, ſuum videlicet eſſe proprio arbitrio poſsidens. Præterea ita conſidera: eorum quæ ſunt vnumquodq; E bonum appetens, mauult illud, quàm quod eſt eſſe, maximeq; tunc eſſe ſe putat, quando particeps euadit boni: & in tali quodam ſuum eligit eſſe, eoq; magis ſuum eſſe probat, quo magis habet à bono: quaſi ipſa boni natura multò prius ſibimet ſit potiſsimũ eligenda. Siquidem quo maior electioq; portio boni alteri attribuitur, eo magis eius eſſentia eligenda eſt libenter & expetenda, voluntatiq; aſsiſtens, vnumq; & idem voluntati exiſtens, neq; per ipſam voluntatem ipſa ſubſiſtens. Proinde quouſq; vnumquoq; non habet bonum, aliud quiddam vult: quando autem habet, hac ſtatim conditione iam vult ſeipſum. Neq; ſecundum fortunam eiuſmodi præſentia fit, neq; extra voluntatem ipſius eſſentia eſt, atq; hoc ipſo etiã determinatur, eoq; ſui ipſius exiſtit. Si igitur hoc ipſo quodlibet ſe efficit ipſum aliquid, conſtat planè illud ſeipſo eſſe primò tale, quo & alia vt ſeipſis ſint nãciſcuntur: ſimulq; cum ipſa velut illius eſſentia copulari penitus voluntatem, tãquam exiſtendi tale, neq; licere illud accipere abſque volendi actu ſibimet hoc ipſum quod eſt approbante. Itaq; cõcurrit Deus ipſe ſecum volens ipſe exiſtere, idq; exiſtens quod & vult, voluntasq; & ipſe vnum eſt, atq; ex hoc non minus eſt vnum: quoniam non aliud quidem eſt ipſe, quod videlicet cõtigit, aliud autem quod eſſe voluiſſet exiſtere. Quid enim vol F uerit aliud præter hoc, quod nunc exiſtit? Etenim ſi fingamus in eius optionem adduci, vt quodcunq; velit efficiatur, eiq; licere naturam ſuam in aliud commutare, conſtat ſanè hunc nolle ſe aliud eſſe, vel extitiſſe: neq; quicquam in ſe incuſare, quaſi cogente neceſsitate id ipſum quod eſt euaſerit, propterea quod id proprie ipſe ſit, quod ipſemet & voluit ſemper, & vult. Eſt enim reuera ipſa boni natura ipſiuſmet voluntas, non adeo quidem vt portio quædam illi fuerit aſſignata, vel propriam quandam ſecutus naturam, ſed ipſe potius voluerit ſemetipſum. quoniam nec erat aliud ad quod potius traheretẽ. Accedit ad hæc, quod aliorum nullum in eſſentia ſua rationem ſibi placendi comprehendit: non nihil etiam eſſe poteſt, quod ſeipſum offendat, ſibiq; diſpliceat. At in ipſa boni ſubſtantia neceſſarium eſt electionem ſui ipſius & voluntatem proculdubio contineri: alioquin nihil vſquam id aſſequetur, vt quandoque valeat ſibi ipſi placere; quæ quidem vel participatione quadam, vel ſaltem imagine boni ſibi ipſis placere ſolent. Decet autem veniam præſtare nominibus, ſiquis de illo loquẽs, nominibus quibuſdam minus accommodatis vti demonſtrandi gratia compellatur: quæ tamen exactior diſputandi regula non admitteret. Saltem verò in nomine quolibet minus congruo dictiones eiuſmodi, quaſi, & velut, & tanquam, ſingulatim accipantur. Si igitur bonum ipſum exiſtit, ſimulq; cum eo exiſtit electio

A ctio atq; voluntas: abſque his non erit, oportet autem hoc multa non eſſe, nimirum voluntatem & eſſentiam atque velle redigere prorſus debemus in vnũ. Cùm verò ipſum velle ſit ab illo, neceſſarium eſt ab illo quoque ipſum eſſe ſi bimet adeſſe. Quapropter & ipſum effeciſſe ſeipſum ratio hæc inuenit. Si enim voluntas eſt à ſeipſo, ac velut ipſius opus, hæc autem idem atque eius ſubſtãtia eſt, profectò ſic ip ſeſe in actũ edidit exiſtendi. Quamobrem non illud eſt quod eſſe contigerit, ſed potius quod ipſe voluerit.

MARSILIVS

Confirmatio ſuperiorum. *Cap.* XIIII.

SIngula in corporibus indiuidua poſſunt quidem contingenter in exitum proceſsiſſe: in quibus præter ſpecialem neceſſariamq; eſſentiam eſt aliquid aduentitium. Anima uerò intellectualis & idea quælibet ubi totum eſt ad eſſentiam ac ſpeciem neceſſariũ, hoc ipſum quod exiſtit ex intima ſui natura prodit, non fortuitò quidem, ſed neceſſariò. Cùm uerò hæc tanquam principio proxima id bonum conſequantur ab eo, ipſum in primis id munus habet extra fortunam. Præterea in omni idea, itemq; ſubſtantia, uel forma ad ideam ex amuſsim expreſſa, hęc duo inuicem coniunguntur, ſcilicet quid & propter quid exiſtat. Quapropter ſi diligenter inſpexeris in ipſa diſpoſitione naturę ex partibus ſuis conſtante rationem, cauſamq; partium totiusq; inuenies: tantum uerò munus à principio rerum habent, idem eminentius in ſe habente. Alieniſsima uerò illinc eſt fortuna, ubi exiſtẽdi ratio cauſaq; intrinſecus continetur.

PLOTINVS.

B PRoinde conſiderare idem hac etiam ratione nos decet. Vnumquodq; eorum quæ eſſe dicũtur, aut idem eſt, quod & ipſum eius eſſe, aut potius aliud quemadmodũ alius eſt hic homo, aliud ipſum eſſe homini: particeps tamen eſt hic homo eius quod eſt ipſum eſſe homini. Anima verò & eſſe animæ idem eſt, ſi eſt anima ſimplex, nec de alio prædicatur. Item idealis ipſe homo idem eſt atque ipſum eſſe homini. Et hoc quidẽ fortuna quadã homo fieri poteſt, vbi aliud eſt ipſum eſſe homini. Quod autẽ eſt ipſum homini eſſe, ſiue hominẽ eſſe, nunquã id fieri fortuna contingit. Id eſt autẽ à ſeipſo eſt ipſe homo. Quamobrem ſi hoc ipſum quod dicitur eſſe homini, vel eſſe hominem, eſt id à ſeipſo, neq; ſecũdum fortunã hoc exiſtit, neque ſic accidit eſſe, quonam pacto illud quod ipſo homine ſuperius eſt, ipſumq; generat hominem idealem, gignit & illud quo entia omnia continentur, ſecundum fortunam eſſe poteſt? præſertim cùm ſimplicior natura ſit eo quòd eſt eſſe hominem, atq; eo quòd eſt ens ipſum prorſus exiſtere? Si quidẽ ad ſimplex ordine procedenti non licet ſecum eodẽ ferre fortunã. Quo circa ad illud quod eſt omniũ ſimpliciſsimum aſcendere fortuna nõ poteſt. Præterea in memoriam reuocandum eſt quod & iam dictũ fuit, vnum-
C quodq; videlicet eorum quæ reuera ſunt, & ab illa natura in ſubſtãtiam prouenerunt, vnà cum eius eſſentia habere etiam ſubſtantiæ ſiue ſubſiſtentiæ cauſam: ac ſi quid inter illa quæ ſentiuntur eſt tale, propterea quòd præcipuè ab illis pẽdeat eſſe tale: Quo efficitur vt qui aliquid poſtea cõtemplatur, aſsignare poſsit propter quid potiſsimum ſingula quæ inſunt, aut ſint, aut ita ſe habeant: velut propter quid oculus, & quam ob cauſam pedes talibus dati ſint tales: cauſamq; probare valeat partem quamlibet concreantem vniuſcuiuſq; eſſe, partésque ſe inuicem in ipſa cauſæ ratione iuuare. Cur nam pedes in longitudinem protenduntur? Quoniam videlicet & hoc eſt tale, & quoniam talis eſt facies: ideóque tales ſunt & pedes: atque omnino mutua omnium conſonantia inuicem cauſa eſt. Item cur nam hoc eſt? Quoniam ſcilicet hoc ipſum eſt eſſe homini: quapropter vnum idemq; eſt eſſe ſimul & cauſa. Hæc autem ſic ex fonte vnico profluxerunt nullo rationis ad hæc vtente diſcurſu, ſed ſimul totũ ipſum propter quid ipſúmque eſſe protinus exhibẽte. Eſt itaque fons ipſius eſſe, ipſiúsque propter quid eſſe dicatur, ambo ſimul præbens. Qualia verò ſunt quę fiunt, tale eſt illud

D id quod melius eſt,illa quæ fiunt ſupra modum exuperante. Cum igitur nullū eorum quæ in ſe cauſas poſsident,temere,vel fortuitò, vel vlla ſortis conditione ſic potius contingentis,ita ſe habeat,habeat autem primum illud quæ ex ipſo ſunt cuncta:pater rationis, & cauſæ,& eſſentiæ (vt ita dixerim) cauſalis,quæ quidem omnia à fortuna ſunt longè remota, erit profectò principium ac velut exemplar eorum quæcunq; nullum habent cum fortuna commertium, hoc ipſum videlicet,quod re vera primúmque nullam habet cum fortuna caſuq; & ſorte commiſtionem:quippe cum ſit ſui ipſius cauſa atq; à ſeipſo, & propter ſe ſit hoc ipſum quod dicitur ipſe. Eſt enim primò ipſe,vel ſuperuere,&(vt ita dixerim)ſuperente ipſe.

MARSILIVS.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. XV.

SI unumquodque eatenus ſibi eſt amabile,quatenus ſit boni particeps,ipſum certè bonum ſibimet potiſsimum eſt amabile:ibiq; amor & amatus eſt idem. Non eſt igitur aliud quàm quod ſemper eſſe ſe amat. Præterea tunc demum extra contingentia poſiti ſumus,experimurq; libertatem,quando cæteris omnino poſthabitis,unico ipſius boni lumini intelligentiam ſuperanti nos exponimus. Ipſum ergo bonum libertas ipſa eſt extra fortunã. Deniq; cum ratio caſui oppoſita ſit,atq; à principio tota ratio uniuerſi proceſſerit,conſequens eſt,ipſum non ſolùm extra caſum,ſed etiam ſuper rationem id ipſum quod eſt exiſtere.

E

PLOTINVS.

IDem prȩterea Deus & amabile eſt & amor,ſuiq; ipſius eſt amor,vtpote qui nõ aliter quàm à ſeipſo & in ſeipſo pulcher exiſtit. Atqui & hoc ipſum quod dicitur ſimul eſſe ſecum,non aliter habere poteſt quàm ſi & quod ſimul ineſt,& qui cum eſt ſimul,vnum ſit penitus atq; idem. Si ergo & coexiſtens & illud cui coexiſtit eſt vnum,atque quod ibi eſt velut appetens,ſimiliter vnum eſt cum illo quod eſt appetendum,& quod illic appetibile dicitur vel appetendum,ſecũdum ſubſtantiam & quaſi ſubiectum conſideratur:rurſus hinc nobis apparuit, appetitum & eſſentiã eſſe idem. Quod ſi ita ſe habet,cõſtat iterum,Deum ſeipſum efficere,ſuiq; exiſtere dominum,neque ſic eſſe factum, vt aliud quicquam voluerit,ſed quemadmodum ipſe vult. Proinde vbi Deum dicimus nec quicquam in ſe accipere,nec ab alio capi,hac quoque ratione eum ab ea conditione longius ſegregamus,per quam ſorte quadam talis euaſiſſe dicatur, non ſolúm ex eo quòd agat,ſeu reddat ſe vnicum, & (vt ita dixerim) ſolitarium, purumq; conſeruet ab omnibus,verùm etiam quoniam ſi quando & nos in nobis naturam eiuſmodi quandam inſpiciamus,aliorum nihil habentem, quotcunq; nobis adhærent,per quæ nobis accidere ſolet quicquid contigerit perpeti, caſuq; viuere,libertatem prorſus experiemur. Alia enim quæcunque noſtra dicuntur,ſeruiunt, fortunæq; expoſita ſunt, & quaſi fortuitò nobis accidunt. In hoc autem ſolo conſiſtit ſui ipſius dominum liberumq; exiſtere,per actum videlicet quendam luminis boniformis, & boni exuperantis mentem, actum inquam vim non aduentitiam in ſe habentem, quæ omnem excedat intelligentiam. Huc ergo cum aſcenderimus,ſolumq; id euaſerimus, cæteris longè poſthabitis,age quidnam de hoc ſtatu dicemus? Profectò clamabimus,nos eſſe tũc libertate omniq; arbitrio valde ſuperiores. Quisnam nos eo tempore fortunis exponet,vel temeritati faciet ſortiq; obnoxios? quippe cum ipſa vera vita tunc effecti ſimus:aut in eo penitus conſtituti: quod ſanè nihil habet aliud, ſed ſolum ipſum prorſus exiſtit. Cætera quidem ſi ſola ſint ab alijs ſegregata,ad ſuum eſſe ſufficere nequeunt:ipſum verò principium id ipſum quod eſt exiſtit pariter & ſi ſegregatum. Subſtantia ſanè prima non conſiſtit in re non viuente, neque etiam in vita rationis experte. Hæc enim ad exiſtendum debilis eſt:quippe cum

F

pe cum rationis diſperſio ſit & natura quædam indefinita. At quatenus in ratio
A nem procedit, eatenus relinquit fortunam. quod enim ratione progreditur, nequaquam in fortuna verſatur. Nobis verò altius procedentibus principium ipſum non occurrit vt ratio, ſed quiddam pulchrius ratione: tantum abeſt vt ſorte contingat. Eſt enim radix quædam rationis ſuapte natura: atque huc tandem omnia deſinunt. Eſt & tanquam ingentis cuiuſdam arboris ratione viuētis principium atq; fundamentum in ſeipſo quidem permanens, tradens verò eſſe arbori per rationem inde ſuſceptam.

MARSILIVS.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. XVI.

SI Deus nec eſt in tempore, nec eſt in loco, non poteſt hoc ipſum quod eſt, uel aliquando, uel alicubi contigiſſe. Eſt autem Deus non tam ſemper quàm ſempiternitas ipſa, nec proprie ubiq; habitat, ſed ipſe certè hoc ipſum eſt, quod à nobis appellari ſolet ubiq;. Intellectus in Deo mirus intelligibili intellectu ſuperior tam efficaciter in ſe agit, ut exiſtentiam generet in ſeipſo: ſimiliter & uoluntas appetente uoluntate ſuperior exiſtentiam in ſe uolendo producit. Cum uerò nihil in Deo ſit præter ipſum, ſic certè intelligendo ac uolendo in ſe ipſe emicat à ſeipſo, adeo ut neq; ſorte neque aliunde ui illata, ſed pro intelligentia uoluntateq; ſua id ipſum quod eſt, exiſtat. Sed hæc & quæ ſequuntur, in Theologia noſtra diligentius explicamus.

PLOTINVS

QVoniam verò fatemur, probabileq; videtur Deum & vbiq; eſſe & nuſquam, de hoc quoq; quale ſit, nobis diligenter conſiderādum. Hinc rur-
B ſus quod quærimus indagantibus: ſi enim nuſquam eſt, nuſquam certè cōtigit: ruſus ſi eſt vbiq;, proculdubio quantus ipſe eſt, tantus eſt & vbiq;. Quapropter hoc ipſum quod vbique & quod vndique dicitur, ipſemet exiſtit, neque ipſum vbique eſt in eo, neque viciſsim, ſed ipſe potius eſt hoc ipſum, cęteriſq; largitur eſſe, propterea quod in eo quod ipſum vbique eſt, admittantur. Hic autem ſupremum obtinens ordinem, imò verò non obtinēs, ſed exiſtens ipſe ſupremus ſubdita habet omnia, non illis quidem ipſe contingens, ſed ſibi cætera contingētia, imò verò cætera circa ipſum. Nec ille quidē ad illa reſpicit, ſed ad ipſum: cūcta ſuſpiciūt. Ille autē intra ſe æquè per totū quaſi perfert, tanquā ſeipſum amās purā lucē, ipſe hoc ipſum quod amat exiſtens, ideſt autē in ſubſiſtentiā ſe producens. ſiquidē actus eſt permanēs, & quod ibi amabiliſsimū eſt, velut intellectus exiſtit. Intellectus autem ipſius eſt opificium. quapropter opificium ipſe eſt. Cum verò non ſit opus alterius, ſequitur vt ſui ipſius ipſe ſit opus. Quamobrē non ita eſt vt contigit, ſed potius vt ipſe agit. Præterea ſi ex eo maximè eſt, quoniam quaſi ſibimet innititur, & quaſi reſpicit ad ſeipſum, ipſumq; velut eſſe ſibi eſt reſpicere ad ſeipſum, nimirum quaſi efficit ſemetipſum. Non igitur eſt vt cō
C tigit, ſed vt ipſe vult: neque voluntas ibi temeraria eſt & vana, neq; ſic accidit. Cum enim optimi ſit voluntas, non eſt inanis atque fortuita. Quod autem eiuſmodi nutus erga ſeipſum quaſi quedam eius actio & quies in ſemetipſo efficiat vt hoc ipſum quod eſt exiſtat, teſtatur muneris huius oppoſitum, ſi concedatur. Nempe ſi proſpiciat, annuatque extra ſe ipſum, protinus quod eſt amittit. Eſſe igitur hoc ipſum quod exiſtit, eſt actio ad ſe ipſum. hoc autem atque ipſe eſt vnum. Ille igitur ſibimet exhibet ſubſiſtentiam, vnà cū ipſo eius actione collata. Si ergo facta non eſt eius actio, ſed ſemper extitit quaſi vigilantia quędam, nec aliud ibi vigilans eſt, aliud vigilantia, quæ quidem ſuper intelligentia quædam eſt ſemper vigens, profectò ſic eſt, ſicut & vigilauit. Vigilantia verò ſuper eſſentiam intellectumq; & vitam ſapientem extat. id autem ipſe eſt. Ille igitur actus eſt ſuper intellectum & ſapientiam atq; vitam: ex eo autem hæc ſunt, nec ab alio quopiam. Ab illo igitur & ex illo ſuū eſſe producitur. Non ergo ſicut cō tigit, ſed vt ipſe voluit, ſic prorſus exiſtit.

D

MARSILIVS.

Confirmatio ſuperiorum. *Cap.* XVII.

IN homine quidem aliud eſt natura, per quam generat ſimilem: aliud ars & prouidentia, per quã artificioſa facit. At in opifice mundi utra eadem eſt intelligẽtia ſimul atq; natura. Cum igitur prouida & artificioſa diſpoſitio mundi illinc proueniat intellectuali pariter naturaliq; ratione, neceſſe eſt hanc ibi quaſi formam eius exiſtere naturalem. Si igitur eiuſmodi mundi forma, multo magis & illius procul eſt à caſu: remotiſſimum deniq; à fortuna eſt illius formæ principium, quod pro natura & uoluntate ſua ſegregauit filium à fortuna. Deniq; ſi principium aſpiciat aliorſum ſe perdet. Dum ergo ſe tantùm reſpicit, ſeipſum quaſi conſeruat, atq; agit. Igitur ex ſeipſo id quod eſt exiſtit. Non contingit ex fortuna.

PLOTINVS.

PRæterea idem hac ratione probamus: Singula in mundo poſita, totumque mũdum ſic ſe habere aſſerimus: quemadmodum ſe habuiſſet ſi auctor ſuus quaſi deliberando ſic elegiſſet. Ac ſi præcedente conſilio & argumentatione quadam id præuidente, ſecundum prouidentiam mundus ſic eſſet effectus. Cũ
E verò ſic ſemper omnia & ſint, & fiant, ita profectò & ſemper in his quæ ſimul exiſtunt, conſtat eſſe inſitas rationes, in quodam quaſi mentis habitu trãquillio re admodum atq; certiore firmiter permanentes. Quapropter ſuper prouidentiam illa ſunt, ſuperq; electionem atq; propoſitum: omniaq; ſemper intellectuali conditione firma perſeuerant, quæcunq; in ipſo ente conſiſtunt. Siquis igitur diſpoſitionem eiuſmodi nominet prouidentiam, ſic id accipiat, eſſe videlicet ſuper id vniuerſum intellectum firmiter permanẽtem, à quo, & ſecundum quem totum id conſtituitur. Si igitur intellectus eſt ante omnia, principiumq; eſt intellectus eiuſmodi, nunqnam vt ſorte contigit, ita ſe habet, præcipuè cum multiplex quidem ſit, ſed ſecum ipſe conſpirans, ac velut conflatus in vnum. Quod enim multiplex multitudoq; ordinata ſimul exiſtit, & in quo rationes omnes per totum comprehenduntur in vnum, nullo modò vtcunq; contigit, vel ſortè euenit ſe habere putandum: ſed à natura eiuſmodi procul abeſt fortunæ temeritas, ipſaq; fortuna in quadam rationis orbitate ſe verſans, rationi prorſus opponitur. Si autem quod ante tale quiddam exiſtit ipſum omnium eſt principium, certè proximum eſt huic ita vt dictum eſt affecto. Idq; ita diſpoſitũ, ſecundum illud diſpoſitum eſt, eiusq; participat, taleq; exiſtit, quale vult illud, illiusq; poteF ſtas. Ille igitur Deus eſt indiſtans. Vna quidẽ omnia ratio, numerus vnus. Vnus autẽ maior genito atq; potentior, nihil illo maius, nihil eſt melius. Itaq; nec eſſe, nec eſſe tale qualiſcunq; dicatur, ab alio accipit. Ipſe igitur ſeipſo id quod eſt exiſtit, ad ſeipſum & penitus in ſeipſum: vt neq; etiam hac conditione aſpiciat extra, vel ad aliud vſquam, ſed totus potius ad ſeipſum.

MARSILIVS.

Confirmatio ſuperiorum. *Cap.* XVIII.

NIhil extra Deum licet fingere. Nam Deus excogitatur tanquã ſupereſſentialis poteſtatis, imò actus immenſitas, tum comprehendens ſuperficies omnium, tum ſe tota penetrans profunda rerum. Intellectus primus ad Deum comparatur tanquam circulus inferior ad centrum ſuperioris circuli ſeſe applicans, & naturaliter inde dependens: rurſum quemmadmodum lumen radijs quam plurimis foras effuſum ad ſimplicem & intimam Solis lucem. Cum igitur intellectus ſit imago quædam naturalis primi Dei, ſitq; totus penitus tota ratio, conſtat primũ illud tum natura tum uoluntate rationis uniuerſæ patrem, fortuitum in ſe nihil admittere. Deniq; cum tota ratio decentis expedientis oportuni tanquam bona contineatur in ipſo bono, meritò bonum ipſum eſt ipſum decus & oportunum. Non igitur utcunq; contigit, ſed ut per ſuum naturale decus decet, naturaliter & exiſtit.

PLOTINVS.

A TV ergo quæris, nihil extra Deum quærito: ſed intra Deum omnia quę ſunt poſt Deum: ipſum verò dimitte. Quod enim extra eſt, ipſe Deus exiſtit, comprehenſio omnium & menſura, aut intimum vniuerſi profundum. Quod autem extra Deum occurrit velut circulo tangens illum, totumq; inde ſuſpenſum, ratio & intellectus exiſtit. imò verò eateuus intellectus euadit, quatenus attingit illum, & qua ratione attingit, & qua inde dependet, vtpote qui hoc ipſum quod ſit intellectus habet ab illa. Age conſidera circulum centrum vndiq; attingentem: ideoq; à centro vim habere, & quaſi centralem, & (vt ita dixerim) centriformem: vbi lineæ circuli ad centrum vnicum confluentes, terminum ſuum centro proximum talem reddunt, quale eſt & illud ad quod perferuntur, & à quo quodammodo pullulant: quod quidem præſtantius eſt, quàm conditio linearum atque terminorum, qui ſanè ſigna ſunt linearum. Atqui hæc ſunt quodammodo quale & illud, obſcura tamen atq; debilia, eiusq; quaſi veſtigia, quod quidem & ipſa & lineas ſua poteſtate continet atq; parit. Quæ ſanè lineæ illud vbiq; habent: ac per lineas quale ſit ipſum apparet vbiq;, & quaſi euolutum & iterum non euolutum. Simili quadam ratione intellectum ipſumq; ens contemplare genitum ex illo, ac velut effuſum & explicatum, atq; ex ipſius intellectuali natura ſuſpenſum: ideoq; intellectum eiuſmodi teſtari cogita velut intellectum in vno vigentem, qui tamen non ſit intellectus: eſt enim penitus vnũ. Quemadmodũ neq; in circulo centrũ vel linea vlla, vel circũferẽtia eſt: cir
B cũferẽtiæ verò linearumq; pater, dum ſui veſtigia præbet, poteſtateq; permanẽte lineas circũferẽtiamq; ꝓducit. Quæ quidem haud omnino inde ſunt ſegregata, validiſsimo quodam vigore illinc effecta. Sic itaq; ſummum cogita Deum, eſſe velut exemplar primum, intellectualis potentiæ circumcurrentis, ipſius tanquam imaginis: Deum inquam velut intellectum in vno vigentem, cuius vigor quaſi multis modis moueatur atq; per multa, & ita illic intellectus euadat: dum tamen Deus ſuper mentem extat, ex ſuaq; potentia generat intellectum. Quæ nam igitur contingentia? Quis caſus? Quis euenitus fortuitus apud poteſtatẽ tantam atq; talem mentis procreatricem vereq; effectricem accidere poteſt? Quale enim eſt id quod eſt in mente, tale fermè cogitatur quod eſt in vno, quãuis ſit longè præſtantius: perinde ac ſi lumen longè diffuſum ex vno quodam in ſe manente penitusq; perſpicuo prodeat. Vbi profectò quod eſt diffuſum alterius eſt imago. Illud autem vnde hoc emicat, lumen eſt proculdubio verum: non tamen imago diffuſa aliena eſt & difformis, ipſe ſcilicet intellectus: qui ſanè nullam admittit fortunam, ſed quicquid ſingulatim eſt in eo, ratio quædam in ſe eſt & cauſa. Deus autem eſt cauſa cauſę. Pòtiori itaq; gradu cauſa Deus exi
C ſtit, vtpote ſummopere cauſa: cauſa inquam ratione admodum veriore, omnes intellectuales cauſas pullulaturas inde ſimul in ſe complectens, opusq; ſuum generans non vtcunq; contigit, ſed vt ipſe voluit. Voluntas autem non erat rationis expers, neq; temere fruſtraq; ferebatur, neq; vt ſorte protinus incidebat, ſed potius vt decebat: quippe cum nihil ibi temerarium ſit & vanum. Hinc Plato ipſum appellauit decens atq; oportunum, optans vtcunq; poſſet ſignificare, Deũ eſſe à ſorte fortuita remotiſsimum, ſed hoc ipſum quod eſt ipſum eſſe decens. Si autem ipſum decens hoc exiſtit, certè non abſque ratione hoc exiſtit. Ac ſi eſt oportunitas ipſa, cuius proprietas in ſequentibus maximè dominatur, nimirũ multo prius ſibi ipſi oportunitas adeſt. Itaq; non quale accidit, hoc exiſtit: ſed hoc eſt potius, quod tanquam ipſe voluerit: ſiquidem decentia velit, vnumq; ibi eſt ipſum decens vel oportunum actioq; decentis. Eſtq; decens non velut ſubiectum, ſed tanquam actio prima, hoc propriè ſeipſam in lucẽ edens, quod & decuit. Danda eſt nominibus noſtris venia. Nam ita de Deo nos oportet loqui, poſtquam loqui de illo non valemus ad votum,

D

MARSILIVS

Confirmatio ſuperiorum. Cap. XIX.

APrimo rerum principio multa id munus habent, ut in ſeipſis conſiſtant, multa etiam ut quaſi ex ſeipſis exiſtant. Illud igitur ſi modò dicendum eſt exiſtere, ſummopere eſt exiſtẽtiæ ſuæ dominus, omni apud intellectum cogitabili exiſtentia longè ſuperior.

PLOTINVS.

EX ſuperioribus igitur aliquis ad ſummum rerum principium prouocatus, illud ipſum accipiat: atq; ita & ipſe perſpiciet, quamuis non quantum velit exprimere valeat. Videns autẽ illud in ſe omni ſermone dimiſſo, affirmabit illud à ſe ipſo id exiſtens, adeo vt ſi haberet eſſentiam, ſua ſibi ſeruiret eſſentia, ac velut emanaret ab ipſo. Qui ergo id fuerit contemplatus, non audebit amplius dicere, vtcunq; contigit eſſe, nec omnino proferre valebit. Nam ſi pronuntiare id auſus fuerit, ſtupore repente corripietur. Quinetiam hucuſq; ſublatus, nec poterit vbi illud ſit aſsignare: quippe cum illud vbiq; coram animæ oculis pariter ſe demonſtret, & quacunq; animus defigat intuitum, inſpiciat illud. Niſi fortè Deo dimiſſo, animus retrò reſpiciat, nihil videlicet de illo amplius cogitans: forſan verò operæpretium eſt priſcorum illud myſterium verbis obſcurioribus
E inuolutũ, deum ſcilicet eſſe ſuper eſſentiam, hac quoq; ratione conſiderare. Nõ ſolùm quoniam gignit eſſentiam, verùm etiam quia nec eſſentiæ, nec ſibi ipſi ſeruit: neq; principium eius eſt eſſentia ſua, ſed ille potius principium eſt eſſentiæ: nec eam quidem ſibi ipſi fecit, ſed hanc à ſe factam dimiſit extra ſeipſum, vtpote qui ipſo eſſe nõ egeat, qui ſanè ipſum effecit. Neq; igitur ſecundum quod eſt, facit hoc ipſum quod eſt appellatur.

MARSILIVS.

Confirmatio ſuperiorum. Cap. XX.

CVm omnis eſſentia ad actum pro uiribus tanquam ad melius & ſuperius aliquid annitatur, excogitare decet principium tanquam actum eſſentia longè ſuperiorem. eſt igitur omnis eſſentiæ dominus. Nec non ſi ipſe dicit poſsit & eſſe, certè qua ratione actus eſt, exiſtere ſe declarat. Actus inquam non in eſſentia, ſed ſuperior. Ergo non eſſentiæ, uel naturæ ſeruus, itaq; liber. Et quatenus nõ aliunde ſeruatus, ipſe ſe ſeruat, dicitur & generare ſeipſum, generatione uidelicet ſempiterna. Deniq; ubi agere & quomodocunq; exiſtere idem eſt, actus autem ſolet tanquam præſtantius cogitari, illic certè actus conſiderari poteſt exiſtentiam ſuam quaſi comitem ſecum ferre.

PLOTINVS.

F QVid ergo dicet aliquis, nónne ita ſequetur, Deum priuſquã fieret extitiſſe? Si enim ſe facit, certè qua ratione ſeipſum, ibi dicitur nondum exiſtit: qua verò dicitur facere, iam exiſtit ante ſeipſum: quippe cũ ipſe ſit quod fieri dicitur. Huic autem obiectioni reſpondendum eſt, omnino Deum nõ eſſe tã quã factum, ſed tanquam facientem exiſtimandum, effectionem eius abſolutã aſſeuerando. Neq; talem, vt aliud quiddam ex actione illius efficiatur: ſed actio eius non peragat vltra ſe quicquam, ſed totum hoc ſimpliciter extet. Non enim duo quædam ibi ſunt, ſed penitus vnum. Neq; verendum eſt actionem primã abſq; eſſentia ponere, ſed hoc ipſum velut ſubſtantiã affirmare debemus. Siquis autem ſubſtantiam poſuerit actione carentem, certè principiũ ipſum deficiens erit, imperfectumq; euadet: quod tamẽ eſt omnium perfectiſsimum. Ac ſiquis ſubſtantiæ adiunxerit actionem, vnitatem ſimplicem non ſeruabit. Quamobrem ſi actus eſt perfectior quàm eſſentia, primùm verò perfectiſsimum eſt, ipſum certè primum eſt actus. agens itaque Deus iam eſt hoc ipſum. Neque licet dicere priuſquam fieret extitiſſe, quandoquidem non erat antequam fieret, ſed iam totus erat agendo. Profectò actus eſt eſſentiæ minimè ſeruiens: qui ſanè actus purè prorſus eſt liber. atque ſic à ſeipſo ipſe Deus exiſtit. Iam verò ſi in ſuo Deus eſſe ſeruaretur ab alio, nõ ipſe primus ex ſeipſo prorſus exiſteret. Sin autẽ ipſe ſe rectè dicitur cõtinere, nimirũ & ipſemet ſe ꝓducere iudicãdus:

ſiquidem

A ſiquidem quod ſecundum naturam continet aliquid, idem & ab initio fecit. Si igitur fuiſſet tempus, ex quo eſſe cæpit, meritò hoc ipſum quòd ſe feciſſe dictū eſt, ratione admodum propria eſſet dictum. Cum verò ante ipſam quoque æternitatem, hoc ipſum quod eſt Deus extiterit, quod dicitur ſe feciſſe, ſic præcipuè cogitetur ſcilicet, ęquè concurrere, tū effeciſſe, tum ipſum. Ibi namq; ipſum eſſe vnà cum effectione, ac velut ſempiterna quadam generatione prorſus eſt vnum. Similiter quod in Deo ſui ipſius princeps nuncupari ſolet, ſi ibi duo quædam ſunt, propriè admodū eſt aſſumptum: ſin verò vnum, proculdubio princeps ibi ſolùm eſt: non enim ſibi ſubditū illic habet. Sed quónam pacto dicitur ſui princeps & dominus, cum non ibi ſit, ad quod dominatio referatur? Forſan verò dominator ibi cenſetur, quantum ſupernè conſideratur: quoniam videlicet nihil ſuperius extet. Si autem nihil eſt ſuperius, hoc eſt proculdubio primū, primū inquā, nō ordine quodā, ſed auctoritate ppria, ac purè libera poteſtate. Si autem purè, non licet illic accipere quicquam minimè liberum. Totum igitur liberè prorſus & libenter eſt in ſeipſo. Quídnam igitur eſt ipſius, quod nō ſit ipſe? Quídnam eſt ibi, quod non agat ipſe? Quid denicq; illic occurrit, quod nō ipſius ſit opus? Si quod enim in eo foret non opus eiuſdem, haud quaquam purè vel eſſet liber, vel omnia potens. Illius namq; non foret dominus, nec omnia potens, nimirum non poſſet illud, ad quod agendum dominus ipſe non eſſet.

MARSILIVS.

B *Confirmatio ſuperiorum.* Cap. XXI.

PRincipium eſt optima & immenſa poteſtas. Siquis ergo fingat hanc poſſe uel potuiſſe aliter ſe habere, impotentem finget. Sicut enim permutari ex ipſo bono malum eſt: ſimiliter ex ipſa potẽtia ſumma totaq; permutari poſſe, eſt impotentia miſeranda. Plotinus & in ſuperioribus & in præſentia intellectum & uoluntatem intelligibili intellectu & affectante uoluntate ſuperiorem non negat Deo. Proinde uoluntas in Deo eſt ipſa natura Dei. Sicut ergo Deus conſideratur ex ſua natura, ſic & uoluntate propria prodijſſe, penes quem exiſtere & uelle ſunt idem. Nota, poſſe animum tuū penes Deum nonnihil attingere, ſed lumine quodam deſuper illuſtrante: te uerò mox quicquid ultra ſuccurrerit auferre debere.

PLOTINVS.

QVæritur igitur, num aliud facere ſe potuerit, quàm quod effecit? Verùm tamen ſi id conceſſerimus, etiam negabimus facere bonum, malum certè non facere. Iam verò non ſic ibi poteſtas accipitur, vt & oppoſita poſſit: ſed quoniam conſtāti & immutabili fruitur poteſtate, quæ quidem potiſſimum eſt poteſtas, quando ab ipſo quod eſt vnum nullo modo digreditur: nam & oppoſita poſſe infirmitatis eſt omnino potentis in optimo permanere. Oportet autem effectionem eius quam dicimus, ipſam ſimul ſemelq; exiſtere: eſt enim
C optima. Et quisnam eam peruertere poſſit, quæ & voluntate ſit Dei, & ipſa eſt Dei voluntas? Sed quæritur nunquid voluntate fiat Dei nondum exiſtentis? Quid rurſus dicamus illic voluntatem, nunquid illius in ipſa ſubſtantia nōdum volentis? Et vnde nam ſit ipſi voluntas? Num ab eſſentia nondum aliquid operante? Sed in eſſentia voluntas erat: ideoq; nihil ab eſſentia ibi diuerſum: alioquin ibi aliquid extitiſſet, quod non tanquam voluntas exiſteret. Totum ergo voluntas erat, nec quicquam erat ibi non volens, neque igitur quod ante voluntatem eſſet. Principiò igitur ipſa voluntas ipſe Deus exiſtit. Ita igitur extat, ſicut & voluit, & quale voluit. Tum verò quod dicitur, quod eſt ibi voluntatem ſequi, quod videlicet voluntas eiuſmodi genuit, intelligendum eſt, voluntatem nihil in Deo amplius genuiſſe: hoc namque iam erat. Præterea quòd traditur, Deum cōtinere ſeipſum, ſi modo rectè dicatur, ſic prorſus accipiēdū, quoniā videlicet alia quidē omnia à Deo penitus ſubſtinentur. Nā quadā participatione Dei ſunt, ad ipſumq; omnia reducunt: ipſe verò iam eſt à ſeipſo, neq;

D cõnexione vel continentia, neq; participatione vel præsentia indigens: sed sibi ipsi est omnia: imò verò sibi iam nihil, vtpote qui ad seipsum nequaquam omnibus indiget. Verùm tu quotiens eum dices vel cogitabis, reliqua inde auferes omnia. Cum autem abstuleris omnia, ipsum verò solum reliqueris, ne quæras vltra quid addas: sed potius ne fortè adhuc reliqueris aliquid, quod inde cogitatione tua nondum satis abstuleris. Nam licet & tibi attingere aliquid, de quo aliud præterea nec dicere nec assummere valeas. Sed illud desuper extet solum hoc ipsum quòd est vereq; liberum: quoniam nec sibi ipsi seruiat, sed solum ipsum sit, ac reuera sit ipsum. Siquidē quodlibet aliorū est & ipsū, & insuper aliud.

PLOTINI PHILOSOPHI PLATONICI

LIBER NONVS DE BONO VEL VNO.

MARSILIVS.

Quicquid est præter primum, constat ex multis partibus aut uiribus in unam totius formam conciliatis. Cap. Primum.

E QVATENVS in sua cuiusq; multitudine uiget unitas, eatenus perseuerat essentia, quæ alioquin perdita unitate disperditur. Vnitas ergo conseruat essentiā, eadem igitur & essentiam conficit atq; esse. Vnitas certè in oppositа sibi multitudine dominans nec ex se existit, nec ex oppositа prodijt multitudine. Igitur ex unitate pura super essentiam ubiq; multiplicem in seipsa simpliciter cōsistente. Cum dicis unum corpus & unus animus, unus calor & unum frigus, hic prædicata unitas nec corpus est, alioquin animo non competeret: nec frigus, alioquin calori minimè cōueniret. Simili quodā discursu inuenies ipsū unū essentia qualibet eminētius cuius uirtute quæ magis unius, eadē magis essentiæ participia fiunt. Præterea sūma ipsius entis perfectio in idētitate statuq; cōsistit, hæc uerò in unitate fundantur, sicut diuersitas ac motus in numero. Vnitas igit quæ causa enti perfectionis existit est ente superior. Proinde aut ens dicis idē cū unitate, aut ab ea diuersum: unitatē certè idētitatis fundamentū esse fateberis: ergo si primō illud dicis, scilicet ens esse idē cū unitate, extat certè ante hāc unitatē unitas ipsa prior, per quā sit idē. Sin autē secundū dixeris, ideſt unitatē ab ente distinctā, est utiq; unitas ipsa prius per se idē sibi quàm ab ente distincta atq; prius erit inse absolutè prima per absolutā primitatē, ideſt per naturā suā, antequā sit prior ente uidelicet ad ens relata: neq; licet dicere, ita ens ab unitate distinctū, ut sit unitate prius: nā si ab ea distingui dicatur, prius erit sibi ipsi idē. idem inquā per unitatē. Accedit ad hæc quod nihil potest ipsa simplicitate superius cogitari. hæc autē est ipsa unitas. Vnitas igitur nō solùm est prima omnium, sed etiam est ipsa primitas: cuius ratione cætera sunt ubiq; priora. Per hanc & ipsum ens prius est
F sequentibus, per unitatem uidelicet tum coniugatam sibi, tum etiam ipso superiorem. Neq; licet dicere ens in primo signo, nec unum esse, nec non unum. Nisi enim sit unum, ideſt simplicissimum, nondum in primo erit signo. Quòd igitur ibi sit, habere uidetur per unitatem. Cogita concurrere ens simul, atq; unum: ens quidem cū sit multitudinis capax, non cogit secundum esse unū: at uerò ipsum unū compellit ens esse uel unicū uel unitū. Meritò igitur Boetius ait, causa & ratio entis est unitas. Et Auicenna Aueroisq; confitentur, uniratem uniuscuiusq; suam esse naturam.

PLOTINVS.

OMNIA Entia ipso vno sunt entia, tum quæ primo entia sunt, tum etiam quæ quoquomodo in rerum ordine numerātur. Nā & quidnam forent, nisi vnum forēt? Siquidem priuata vno, nō amplius sunt quod esse antè dicuntur. Neq; enim exercitus erit, nisi fuerit vnum, neq; chorus, neque grex vllus, nisi similiter sint & vnum. Tum verò nec domus neq; nauis erunt, nisi potiātur vno: siquidem domus vnum aliquid est & nauis. Quod quidē si abiecerint, nec domus vlterius erit domus, neque nauis similiter erit nauis. Cōtinuè igitur magnitudines, nisi insit vnum, nunquā erunt. Cū itaq; diuiduntur, quatenus amittūt vnū, esse quoq; cōmutāt. Quinetiā plātarū animaliūq; corpora quæ vnū singula sunt, si quando fugerint vnum, in multitudinem videlicet dissipata, essentiam statim suam quam habebant, amittent, nec quæ prius erant, vlterius erunt:

A erunt:ſed ſtatim euadent alia,quæ quidem & ipſa ſint, quatenus ſint & vnum. Tunc præterea viget ſanitas,quando corpus conciliatur in vnum:tunc pulchritudo floret,quando virtus vnius membra connectit: tunc virtus in anima regnat,quando in vnum animus,& in vnã conſpirat conſenſionẽ. Cũ verò anima omnia perducat ad vnum fabricans,fingens,formans,ſimul ordinans,nunquid ad hanc vſq; profecti,aſſeuerare debemus hanc quidem vnũ rebus ſuppeditare,ipſam verò iam ipſum vnum exiſtere? Sed profectò quemadmodũ alia corporibus ſuggerens nõ tam eſt ipſa,quod traditur,velut formam ſpeciemq; tradendo, ſed alia ſunt quàm anima quę tribuuntur ab ipſa, ſic exiſtimandum eſt, & ſi largitur vnum,diuerſum tamen ab anima vnum eſſe, ipſamq; animam ad vnum aſpicientem quodlibet vnum efficere,ſicut aſpiciendo ad hominem, rite hominem fabricari. Simul tamen aſſumendo vnà cum hominè ipſum in homine vnum. Eorum ſanè quæ dicuntur vnum,quodlibet ſic eſt vnum, ſicut & hoc ipſum quod eſt in ſe habet. Quapropter & minus quidem entia, minus vnum poſsident: quo verò magis ſunt,ſimiliter ſunt magis & vnum. Iam verò anima cum aliud ſit quã vnum, tamen quatenus magis veriusq; eſt,eatenus magis poſſidet vnum,neq; tamen vnũ ipſum exiſtit. Eſt enim anima vna,vbi vnũ eſt quaſi contingẽs. Duoq; hæc ſunt,anima videlicet atq; vnũ, quemadmodũ corpus ſimul & vnum. Profectò quod diſcretũ eſt,velut chorus, remotiſsimum eſt ab vno,quod verò continuũ,eſt vni propinquius: ſed anima etiam multo propin-
B quior, vnius & ipſa particeps. Siquis autem obijciat animam idem eſſe penitus atq; vnum,propterea quod non ſit anima,niſi ſit vnum,reſpondebimus, primò quidem,alia quoq; ſimiliter ſingulatim eſſe, ſimulq; exiſtere vnum: verum tamen aliud vnum eſſe quàm illa. Non enim idem eſt omnino corpus & vnum, ſed corpus vnius eſt particeps. præterea etiam vnamquanq; animam in ſe exiſtere multam,quamuis ex partibus minimè cõponatur. Nam multæ in ea ſunt vires:nempe ratiocinatã,appetit,percipit,ſiue animaduertit:quæ ſanè vno quodã tãquã vinculo cõnectunt. Tradit quidẽ anima alteri vnũ, quippe cũ & ipſa ſit vnum:ſed vnum hoc ipſa quoque interim, velut patiens ab alio ſuſcipit.

MARSILIVS.

Quælibet eſſentia naturalem ſibi multitudinem poßidet ab initio,atq; interea eſt aliquid unum. Cap. II.

SIngulatim diſcurrendo aliud quidem eſt hoc ens,aliud autẽ eſt hoc unũ. Nam quatenus ens, eſt etiã multitudo quædam:qua uerò ratione unũ,eſſe multitudo nõ poteſt. Quamobrẽ ſuper ſingula entia aliud eſt ens ipſum,aliud ipſum unũ,neq; diſponũtur ex æquo, ne duo rerũ principia ſint:neq; unũ eſt ſub ente,alioquin & unũ eſſe multiplex,& ens nõ eſſet unius particeps. Ens igit eſt ſub uno præſertim quoniã eſſentia prima atq; mens eſt naturaliter omniformis,& ideo pura ſimplicitate poſterior. Quæ quidẽ pura unitas dum per unionẽ in eſſentia ſua cũcta cõſeruat, declarat per unitatẽ
C ſe omnes eſſentias confeciſſe. Præterea ipſum intelligibile amplius quã ens eſſe uidetur. Intelligimus enim nõ ſolùm entia atq; eſſe, uerùm etiam non entia atq; nõ eſſe. Nõ tamẽ eſt latius uno: nam etiã ubi diſcretã prorſus multitudinẽ cogitamus,intelligimus hanc tanquã pluries unũ. Siquis autẽ ens latiſsimũ eſſe dicat,cõcedemus quidem ad omnes ſpecies indeterminatũ eſſe:interea tamẽ ad omnes determinabile. Ipſum uerò unũ determinabile eſt ad nullũ:igitur ſimpliciſsimũ atq; primũ. Item eſſentia, uita,intelligẽtia ſunt tres quædam particulares perfectiones formaliter inter ſe diſtinctæ: ipſa igitur ſimpliciter perfectio,antequã in tres eiuſmodi diuidaã in diuiſa eſt,& ita ſemper permanet in ſeipſa. Hoc ipſum uerò ſcilicet eſſe in ſe indiuiſum,ratio eſt ipſius unius perfectioq; ipſa ſimpliciter. Eſt igitur unitas ante ens & uitã,atq; ſapientiã. Quoniã uerò perfectio ſimplex & bonitas idem ſunt,cõſequitur ipſum bonũ eſſe ſuperius ente. Itemq; ens uel ſimplex eſt omnino uel cõpoſitũ: Si primũ, ipſa ratio entis eſt ipſa eſſentialis unitas atq; ſimplicitas:ſi ſecũdũ eſſentia entis eſt ipſa eſſentialium principiorũ ſuorum unio: ſed ſuper unitatem eſſentialem eſſentialiumq; unionem eſt ipſa ſimpliciter unitas. Quæ ſi ente ſit poſterior,iam & ipſa nõ unitas eſt,ſed multiplex:& ipſum ens in primo ſui ſigno non erit unum aliquid. ergo multitudo infinita uel nihilum. Siue dederis aliquod ens, ſiue ipſum ſimpliciter ens, diuiſibile eſt in partes, ſiue infitas, ſiue ſubiectas, & multitudinis alicuius ñatura capax. Ipſa uerò unitas tale nihil admittit. Diuerſa eſt igitur & ſuperior,

D Ens quidem diuiſione totius in entia deriuatur: unnitas autem non diuiſione, ſed repetitione totius in unum hoc & illud ſe diffundit. Ens item diuiſione minuitur: unum uerò contra diuiſione ſemper multiplicatur. Denique ipſi quoq; Peripatetici declarant excellentiam unitatis Nempe docent eandem eſſe formæ unitatisq; naturam, quoniam quo quidq; ens eſt, eodem ſit & unum. Ideoq; cum ex forma ſit ens, eademq; unum, meritò formæ unitatisq; naturam eadem eſſe. Addunt huius & illius rationem eſſe diuerſam. Cum enim proprietas quidem formæ ſit per potentiam formabilem ſe diffundere, unitatis uerò proprietas ſimpliciter in ſe conſiſtere, atq; interim unire cætera & intus & extra, conſtat rationem unitatis non ſolùm eſſe à forma, ideoq; ab eſſentia differentem, ſed ſimpliciorem etiam prioremq;, & magis ad excelſitudinem principij pertinentem.

PLOTINVS.

RElíquum eſt indagare, nunquid in quodlibet eorum quæ ſingulatim ſunt vnum, non idem ſit ſua cuiusq; eſſentia, quod & vnum. In vniuerſo autem ente atq; eſſentia idem ſit eſſentia vel ens prorſus & vnum, adeo vt qui ens ipſum inuenerit, vnum quoq; fuerit aſſecutus. Nempe cum ipſa eſſentia ipſum ſit vnum, velut ſi eſſentia ſit intellectus, ipſum quoq; vnum intellectus exiſtat. Intellectus inquam qui primò ens primoq; ſit vnum. Cumq; tradat alijs eſſendi munus, ſic & eatenus largiatur & vnũ. Quid enim aliud quiſpiam præter
E ens intellectumq; eſſe dixerit vnum? Ipſum namq; vnum, aut idem atq; ens exiſtit. Homo enim & homo vnus eſt idem: aut ſaltem quemadmodum cuiuslibet numerus quidam eſt, velut ſi duo quædam dixeris, ita profectò de re quadã ſola dicitur vnum. Si ergo numerus eſt aliquid entium, nimirum entiũ aliquid eſt & vnum: quidue ſit, ſupereſt inquirendum. Sin autem totum hoc machinatio quædam eſt animi res dinumerare aggredientis atq; proſequentis, ſequitur ipſum vnum nihil reuera in rebus exiſtere. Ratio tamen ſuperior aſſerebat, quicquid amittit vnum, eſſe ſimul amittere. Conſideratione itaq; dignum eſt, nunquid ſingulatim idem ſit hoc ens atq; hoc vnum, ſimiliterq; ipſum omnino ens, ipſumq; ſimpliciter vnũ ſit penitus idem: ſed profectò ſi ens vniuſcuiusq; multitudo quædam eſt, ipſum verò vnum eſſe multitudo non poteſt, proculdubio diuerſum inter ſe erit vtrunq;. Homo igitur eſt & animal & rationale, partesq; multæ, multaq; in eo vno quodam conglutinãtur. Aliud igitur homo eſt, aliud vnum: ſiquidem homo quidem diuiduus eſt, vnum verò penitus indiuiduum. Atqui & totum ens cuncta in ſe omnia continens magis etiam exiſtit multa, & ab vno diuerſum, participatione tamen poſſidet vnum. Præterea ens vitam habet & mentem. Nefas enim eſt, vita vacuum id opinari. Ens igitur eſt & multa.
F Quod ſi ens eſt intellectus, ſic rurſum eſt neceſſariò multa, idq; multò etiam magis ſi ſpecies comprehẽdit: idea namq; non eſt penitus vnum, ſed potius eſt numerus aliquis, tum idea quælibet, tum vniuerſa: atq; ita vnum, ſicut mundus eſt vnum. Omnino autem vnum quidem exiſtit primum: ſed intellectus ſpeciesq; & ens prima eſſe non poſſunt. Quælibet enim ſpecies conſtat ex multis, & compoſitum quiddam eſt, ideoq; poſterius. Illa enim ex quibus vnumquodq; componitur, rite priora cenſentur. Quòd autem intellectus eſſe nequeat ipſum primum, per hæc quoq; patebit. Intellectum neceſſe eſt in intelligendo conſiſtere. Et certè optimum intellectum, & qui non externa proſpicit, neceſſarium eſt quod ſuperius eſt intelligere: nempe dum conuertitur in ſeipſum, reuertitur in principium. Iam verò ſi ipſe idem eſt, & quod intelligit, & quod intelligitur, duplex iam exiſtit: cunque ſimplex non ſit, meritò nec eſt vnum. Sin autem ad aliud aſpicit, omnino ad melius ſuſpicit atque ſuperius. Quòd ſi tum ad ſe, tum ad præſtantius figit intuitum, ſic quoque ſecundum gradum tenere videtur. Oportet ſanè mentem ſic affectam aſſeuerare, vt adſtet quidem bono primoq;, ipſumq; ſuſpiciat: præterea ſecum habitet, ſeipſam animaduertens, atque ita cũcta ſe eſſe cognoſcens. Cum igitur intellectus ſit adeo varius, procul abeſt, vt

ipſum

A ipſum ſit vnũ. Quamobrẽ nec ipſũ quidẽ vnũ eſſe omnia: alioquin non amplius foret vnũ: neq; etiã eſt intellectus. Sic enim rurſus omnia foret: quippe cũ intellectus ipſe ſit cũcta. Deniq; neq; ens eſſe putãdũ. ens enim ipſũ, prſus eſt omnia.

MARSILIVS.

Acceſſus ad Deum. Cap. III.

ANimus etiam cum propemodum accedit ad Deum, ambiguitate laborat. Tum quiã intellectus & ſpecies eſt, & ſpeciebus conſueuit inniti. Deus autem ſpeciem habet nullam. Tum etiam, quia animus tunc demum acceſsiſſe poteſt, cum ipſe factus eſt Deus. ambigit ergo mox, utrum ipſemet ſibi, an alter occurrat. Quiſquis accedit ad Deum bonum ſummmum unum, diſcedat ab oppoſitis, ideſt à malo, ab infimis, à multitudine, excedat etiam intellectum. Intellectus enim non eſt ipſum ſimpliciter ens, ſed ens duntaxat intellectuale. Deus autem eſt quodlibet ente ſuperior, imò & ipſo ſimpliciter ente. Sicut enim ens ſenſibile forma ſenſibili terminatur, ſic ens intelligibile forma finitur intelligibili. Sic deniq; ipſum ens ipſa entis forma determinatur. Principium uerò ſuper omne determinatum extat. Neque ſtare dicitur, ne ſtare ſtatu cogatur. Nec ulla ad res habitudine facit quicquam. Sed res ab illo fiunt quaſi non faciente, ſicut non mutato mutantur.

PLOTINVS

QVidnam igitur eſt ipſum vnum? quamúe naturam habet? Sed profectò nihil mirum eſt non eſſe id facile dictu, quippe cum neq; ens neque ſpecies exprimi facilè poſsit: nempe cognitio noſtra ſpecibus innititur. Quando verò ad informe aliquid fertur animus, cum comprehendere nequeat, propterea quòd non determinetur, neq; velut figuretur vario quopiam figurante, pro
B tinus inde prolabitur, metuens ne fortè nihil ibi reportet. Quamobrẽ in rebus ciuſmodi valde laborat, libenterq; inde ſæpe deſcendit, ab omnibus videlicet decidens, quouſq; ad aliquid ſenſibile proruat, vbi quaſi in ſolido conquieſcat: velut aſpectus in diſcernendis ſæpe paruis defatigatus, libenter ad maiora ſe flectit. Sed quando animus videre pe ſeipſum ſtudet, cum ſe videat ſolum, propterea quòd cum ipſo videndo confl ur in vnum, ſitq; cum illo iam vnum, ni mirum ex eo quod cum ipſo vnum eſt, nondum quod quærit habere ſe putat: quoniam ab eo quod intelligitur, non eſt diuerſus. Operęprecium eſt in primis eum qui circa ipſum vnum philoſophaturus ſit, ita ſe comparare: nempe cum vnum ſit id quod quærimus, principiumq; omnium & ipſum bonum atque primum, meritò ab ijs quæ ſunt circa prima, oportet non eſſe remotum, nec vllo modo ad omnium extræma præcipitari: ſed aſcendentem ad prima ſeipſum ad excelſa reducere, ab his quæ ſentiuntur, poſtremaq; ſunt. Expedit rurſus animum adhibere omni malignitate purgatum, dum ad bonum affectat accedere: præterea in principium ſibi inſitum ſe in primis attollere, vnumque ex multis euadere, ſi modò principſum atque vnum ſit inſpecturus. Oportet igitur a-
C nimum fieri tunc intellectum, ideoq; totam animam menti committere, & in ea penitus collocare, vt quæ intellectus ipſe videt, animus experrectus accipiat, ipſoq; intellectu contempletur & vnum. Sic tamen vt ſenſum adhibeat nullum, nec etiam aliquid à ſenſu proueniens: ſed pura duntaxat mente, ipſoq; mentis primo puriſsimum contempletur. Quotiens igitur ad id contemplandum tractus aliquis magnitudinem, vel figuram, vel quamcunq; molem circa hanc naturam imaginatur, huic certè ad hanc ſpeculationem dux non extitit intellectus, quoniam intellectus ſuapte natura ad hæc inſpicienda non vertitur: ſed actio talis potius eſt ſenſus ipſius opinionisq; ſenſum natura ſequentis. Oportet autẽ ab intellectu accipere nuntium, eorum quæ in eius ſunt poteſtate. Poteſt verò intellectus inſpicere vel quæ ſunt ſuper ipſum, vel ſua, vel quæ aguntur ab eo. Pura quidem ſunt etiam quæ ſunt in eo: puriora verò atque ſimplicio ra quæ ſuperiora ſunt intellectu, imò verò quod eſt intellectu ſuperius. Quamobrem quod intellectu ſuperius eſt, non eſt intellectus, ſed ante intellectum extat. Intellectus enim eſt aliquid entium: illud verò non aliquid, ſed vno quoque

D ſuperius. Neq; eſt ens: nam ens velut formam ipſam entis habet. Sed illud eſt prorſus informet ab intelligibili etiam forma ſecretum. Vnius nanq; natura cũ ſit genitrix omnium, meritò nullum exiſtit illorum: igitur neq; quid exiſtit, neq; quale, neq; quantum. Præterea non eſt intellectus, non anima, non mouetur, non quieſcit, non eſt in loco, non eſt in tempore: ſed ipſum ſecundum ſe vniforme, imò verò informe ſuper omnem exiſtens formam, ſuper motum, ſuper ſtatum. Hæc enim circa ens verſantur, quæ quidem ipſum multa conficiunt. Verùm cur non ſtat ſaltẽ, ſi non mouetur? Quoniã circa ens quidem horum alterũ vel vtrunq; verſari neceſſarium eſt. Præterea quòd ſtat, ipſo videlicet ſtatu ſtãs appellat̃, neq; idem eſt penitus atq; ſtatus: ideoq; accidit ipſi, neq; ſimplex vlterius permanet. Iam verò quando ipſum vnũ eſſe omnium cauſam affirmamus, non dicimus ob hoc aliquid ipſi contingens, ſed nobis potius accidens: quoniã ab eo ſcilicet aliquid habeamus, ipſo in ſe interim permanente. Proinde exactiſſima ratione de Deo loquentem, neq; illud neq; hoc dicere fas eſt: ſed nos velut extrinſecus circumuagantes affectiones ſiue paſsiones ibi noſtras vtcunq; poſſulnus interpretari conamur. Et aliâs quidem propius ad hoc ipſum accedimus
E aliâs autem incerti longius ambiguitate prolabimur.

MARSILIVS.

Acceſſus ad Deum. Cap. IIII.

PRincipium rerum eſt penitus incorporeum, immobile, unum. Cum igitur nequeamus illud attingere per oppoſita, meritò nec imaginatione attingimus corporalia machinante, nec mobili ratione mutabile nonnihil ſemper excogitante, nec intelligentia ſuapte natura multiplici uarium ſemper aliquid meditante. Sed attingimus tandem unitate quadam animæ intellectu ſuperiorem, quando ad eam à multitudine tam intima quàm externa penitus ſegrẽgati confugimus. Tunc primum præſentis ubiq; ſemper Dei ſignum iam nobis perfectè præſentis habemus, præcipuè trinum, nouũ lumen, inſuetum amorem, ineſtimabile gaudium. Ad hoc conſequendum duo conferunt: doctrina quidem tanquam uia, ſegregatio uerò dicta tanquam animi præparatio.

PLOTINVS.

ACcidit autem dubitatio defectuſq; nobis, circa cognoſcendum Deum, præcipuè quoniam neq; per quandam ſcientiam, neq; per intelligentiam vllam cognoſcimus illum, ſicut alia ſolemus, quę intelligibilia nuncupantur, ſed per præſentiam quandam ſcientia meliorem. Anima verò procul euadit ab vno, neq; eſt penitus vnum, quando ſcientiam alicuius aſſumit. Scientia enim ra-
F tio quædam eſt, ratio verò multa. Vnum ergo tranſgreditur in numerum multitudinemq; prolapſa. Scientiam ergo neceſſarium eſt tranſcendere, nec vllo modo ab eo quod eſt eſſe vnum vſquam præuaricari: ſed à ſcientia rebuſq; ſcendis omniq; alio pulchroq; ſpectaculo ſeuocari. Omne namq; pulchrum & illo eſt poſterius, & ab illo, quemadmodum diurnum omne lumen à ſole. Quamobrem ſummum Deum Plato inquit neque ſcribi vnquam, neq; dici poſſe. Scribimus autem loquimurq; de illo frequenter, vt ita ſaltem diſputationibus noſtris animum excitemus, & ad diuinum ſpectaculum dirigamus, quaſi quandam oſtendentes viam viſere nonnihil deſideranti. Doctrina quidem vſq; ad viam & iter ſuas vires extendit: Deum verò videre iam opus illius eſt, qui videre voluerit. Ille profectò neq; peruenit ad ſpectaculum, neq; illius conſpicit lucem, & iccirco neq; afficitur inde, neque affectionem ſiue paſsionem guſtat in ſe amatoriam ex intuitu ſolitam proficiſci, ſi quando amator in amato iam conquieſcat, vbi ſanè verùm accipitur lumen, totam illuminans animam propius accedentem, ille inquam talia non aſſequitur, qui molitur illuc aſcendere, ijs adhuc retrograuatus tractúsque à tergo, quæ ſunt inſpecturis obſtacula. Neque illuc aſcendit ſolus, ſed trahit interea ſecum quod diſiungat ab illo, vel potius nondum eſt omnino redactus in vnũ. Deus enim à nullo vſquã abeſt, & quodãmodo abeſſe videtur ab omnibus, adeò vt præſens vbiq; ſit, iterumq; nõ præſens.

Nam

a Nam ijs duntaxat eſt præſens, qui capere poſſunt, atq; ita parati ſunt, vt cum illo congruere, ac velut ipſum attingere valeant per ſimilitudinem videlicet quã dam inſitam q; potentiam, muneri inde tributo cognatam, quando ſcilicet animus omnino ſic eſt affectus, ſicut erat cum inde proceſsit: ideoq; videre iam poteſt, ſicut ipſe Deus eſt natura videndus. Ille inquam nondũ illuc vſq; peruenit, qui propter hæc obſtacula inde retrahitur, vel etiã protrahit ad iter moras, quoniam deſit ratio, diſciplinaq; illucuſque perducens, fidemq; faciens de diuinis: ſed profectò quantum ad cætera ſpectat obſtacula ſeipſum quiſq; in culpa iure poſuerit: nempe conari debet abeſſe procul ab omnibus, ſolusq; euadere. Quãtum verò ad rationes pertinet, quibus fortè minus credat, ſic denique profectu rus excogitet.

MARSILIVS.

Acceſſus ad Deum. Cap. V.

IN Theologia noſtra, & libro de Amore, & ſecundo Epiſtolarum libro rationes diligentius aſſignauimus, quibus gradatim aſcendendum ſit à natura corporea quæ dimenſioni, motui, numero ſubiecta eſt, ad animam dimenſione iam liberam. Ab anima mobili multiplicitq; ad intellectum immobilem quidem, ſed multiplicem: atq; interim ab intellectu ipſius animæ proprio ad ipſum ſimpliciter intellectum: tandem ab intellectu qui neceſſariò in ſe multiformis eſt, ad ipſum ſimpliciter unum, quod non ſit ens unum, ne ita ſit multiplex: ſiquidem ratio unius & entis eſt diuerſa. Ens enim & multitudinem admittit, & nihilum habet oppoſitum. Vnum verò multitudinem non ſubſtinet, ſed reſpuit ut oppoſitam Eſt igitur non ens, ſed principium entis penitus abſoluti: atque interea
b principium ſpecierũ abſolutarum. Omnes enim ſpecies naturalium in primo eſſe ſuum eſſe poſſident abſolutum. Quando Deum nominamus unum, ſimplicitatem ipſam uaticinamur penitus indiuiduam, quæ ſuper eſſentiam principium eſt eſſentiæ longè excellentius, quàm unitas numerorum & ſignum dimenſionum. Profectò ſicut ens continuum atq; ens diſcretum ad aliquid indiuiduũ reſoluuntur, ita ipſum ſimpliciter ens refertur ad ipſum ſimpliciter indiuidum.

PLOTINVS.

QVicunq; res opinatur fortuna caſuq; temerario gubernari, cauſisq; dũtaxat corporeis cõtineri, is ab ipſo Deo vniuſq; ipſius intelligentia eſt longè remotus. Neq; nos ad homines ſic affectos verba facimus, ſed ad illos tãtùm, qui naturam aliam præter corpora ponunt, & ad animam ſaltem vſq; perueniunt. His igitur expedit, naturam animæ diligenter animaduertere, tũ quantum ſpectat ad alia, tum vel maximè quemadmodum ab intellectu procedit, rationemq; inde ſuſcipiens aſſequitur & virtutem. Præter hęc autem intellectum alterum præter intellectum ratiocinantem, qui rationalis cognominatur, conſiderare decet. Item rationis diſcurſiones, ſiue argumentationes, velut iam in diſtantia quadam atq; motu: ſcientias quoq; rationes in anima tales in manifeſto iam poſitas, propterea quòd animæ infuſus ſit intellectus ſciẽtiarum cauſa: qui-
c & intellectũ videat quaſi ſenſibilem: quia videlicet percipi animaduertiq; poſſit intellectum inquam, deſuper incumbentem animæ eius patrem, mundum intelligibilem, intellectum omnino quietum, & velut quietum quendam motũ omnia in ſe habentẽ, exiſtentem omnia, multitudinem indiſcretam, rurſusq; diſcretam. Neq; enim diſcernitur ſicut rationes in prolatione ſolent, ſed tanquam rationes iam ſecundum vnũ quiddam excogitante: neq; rurſus quæ in ea mẽte ſunt confundunt. Prodit enim vnumquodq; ſeorſum, quemadmodũ & in ſciẽtijs accidit: nẽpe cum omnia in quodam indiuiduo congruant, ſingula tamẽ ab alijs ſecernũtur. Hæc itaq; multitudo collecta ſimul, hîc mũdus intelligibilis adſtat quidẽ primò quãproximè, hunc ratio eſſe ex neceſsitate concludit, ſi qua ratio animam quoq; eſſe cõuincit, hoc ſanè præſtantius eſt quã anima. Neq; tamẽ eſt primũ: quoniã neq; vnũ eſt, neq; ſimplex. At ipſũ vnũ omniumq; principiũ eſt proculdubio ſimplex. Proinde quod ſuperius eſt ipſo entium præſtantiſſimo, ſiquidem aliquid oportet eſſe mente ſuperius, quæ quidem eſſe vult vnum,

D neq; tamen eſt vnũ, ſed ſaltẽ eſt aliquid vniforme: quoniam intellectus non eſt in ſeipſo diſperſus, ſed reuera ſecum ipſo conſpirat, neq; quaſi articulatim compoſitum ſe attrectat, propterea quod ſit vni quamproximum, quamuis ab vno quodammodo ſecedens videatur audere: quod inquam ſuper hoc mirabiliter extat, velut miraculum eſt ipſum vnum, quod ſanè ens non eſt dicendũ, ne hic quoq; ipſum vnum de alio prædicetur: cui profecto nullum reuera cõuenit nomen. Sin autem nominare cogamur, cõmuni quidem appellatione vnũ cõmodè appellatur: non adeo tamen vt primò quidem aliud ſit, deinde vnum. Difficile ſanè cognitu ob hanc præcipuè cauſam: cognitũ verò potiſsimũ ſit ex progenie eius eſſentia: nempe in eſſentiã intellectus adducit. Ipſius autem vnius natura talis exiſtit, vt ſit fons omnium optimorum, ac poteſtas entia generans, permanens in ſeipſa, neq; diminutiõnem ſubiens generando, neq; in rebus genitis requieſcens. Nempe & quod ante hæc exiſtit, nominamus vnum quadam neceſsitate compulſi, optantes videlicet primam omnium naturam ipſo nomine inter nos deſignare, nos ipſos in notionẽ indiuiduam adducẽtes, animamq; in vnum redigere contendentes. Vbi certè non ſic vnum & impartibile dicimus,
E velut ſignum & vnitatẽ dicimus numeralem. Quod enim ſic eſt vnum, eſt quãti principium: quod quidem nunquam foret, niſi eſſentia, & quod ante eſſentiã eſt, præcederet. Quamobrem cogitationis aciem in his defigere nõ debemus, ſed vnitatem hanc & ſignum analogica ſimilitudine quadam vnum ipſum repræſentare putãdũ, ob quãdã ſimplicitatẽ multitudinis diuiſionisq; expertem.

MARSILIVS.

Acceſſus ad Deum. Cap. VI.

OPpoſita quadam uia accedimus in dimenſionibus numeriſq; ad indiuiduum ſuum, atq; in entibus ad indiuiduum illud quod entium eſt principium. Illic enim ad intimum aliquid, ac minimũ peruenitur: hic autem ad extimum & ampliſsimum: maximum inquam ſimplicitate atq; uirtute. Eſt enim ſimplicius ſemper qualibet apud te excogitata ſimplicitate, atq; potentius ſimiliter poteſtate. Solum ipſum unum eſſe poteſt uniuerſi principium: ſolum namq; ſeipſo ſufficiens eſt omnino. Quicquid uerò præter illud eſt neceſſariò multiplex, quatruplicem ſaltem patitur indigentiam: ſiquidem in eo totum eget partibus: pars item parte: partes quoq; toto: deniq; cuncta quodam extrinſecus componente. Iam uerò ad principium pertinet nihil quærere, nihil accipere, nihil amittere. Solum uerò unum ipſum id munus habet, alioquin unum certè non erit. Cum ipſum unum negamus intelligere, ne fore multiplex compellamus, non negamus eſſe lucem miram intelligentiæ creatricẽ: uel intelligentiam eſſe, ſi modò intelligentia lucem ſignificet intelligentia meliorem, habentẽ in ſe, imò penitus exiſtentem quicquid intelligentibus eſt optandum. Nec igitur ſui ipſius incertam, nec aliorũ,
F ſed abſq; compoſitione atq; reſpectu ſibi ipſi mirabiliter cæterisq; lucentem. Deniq; ſicut alibi diximus, non aliter Plotinus quàm Dionyſius Areopagita principium ſuper intelligentiam, uitam, eſſentiam eſſe putat.

PLOTINVS.

QVo nàm igitur modo dicimus vnũ? Quáue ratione ad id potiſsimum ac comodare intelligentiam poſſumus? Ita profectò, ſi excellentiori admodum ratione id aſſerimus, vnũ quã vnitatẽ & ſignũ aſſerere ſoleamus. Hic enim animus magnitudinẽ & multitudinẽ detrahẽs paulatim in minimũ deniq; deſinit, & tandem in aliquo reſidet, quod quãuis indiuiduũ ſit, erat tamẽ in re diuidua, & iacebat in alio. At ipſum vnum neq; in alio, neq; in re diuidua reſidet: neque ſic eſt indiuiduũ, vt quiddam minimũ. Eſt enim omnium maximũ, non magnitudine quidẽ, ſed potẽtia. Quapropter quando dicit indiuiduũ, indiuiſibilẽ dicimus poteſtatẽ: quãdoquidẽ & quæ ſunt poſt ipſum, nõ ſecũdum moles, ſed ſecũdũ vires indiuidua iudicant. Deũ præterea infinitũ nominare debemus, nõ quaſi ſit magnitudo quædã vel multitudo, quã nõ liceat pertranſire, ſed quia ſit poteſtas, quã cõprehẽdere nequeas. Quãuis enim excelſum puiribus cogites illum, velut intellectũ aut Deum, adhuc tamẽ ſupereſt admodum excellentius. Ac rurſus quando illum cogitatione ſummopere perducis ad vnum, tũc quoq;

hanc

hanc abs te excogitatam ſimplicitate ſuperat vnitatem. Tu ſiquidem ad ſum-
A mam tuæ intelligẽtiæ vnitatem illum pro viribus redigebas. Ille verò ſupra mo-
dum ſuperat, nam in ſeipſo permanet, nec ei vnquam aliquid accidit. Præterea
poteſt aliquis per id quod ſeipſo ſufficiens appellatur, ſummam Dei vnitatem
nihilominus comprobare. Oportet enim ſummum rerum principiũ nullo mo-
do indigum eſſe, ſed ſufficientiſsimum omnium, maximeq; ſeipſo contentum.
Quicquid autem non vnum eſt, ſed multum, neceſſariò eſt egenum: quippe cũ
ipſum quidem non ſit vnum, ſed ex multis vnum euadat. Itaq; eius eſſentia in-
diget vnum fieri. At ipſum vnum ſeipſo non indiget: ipſum namq; iam exiſtit.
Quinetiam quod in ſe multa eſt, tot indiget, quod & exiſtit. Et quodlibet eorũ
quæ ſunt in eo, cum non in ſeipſo ſit, ſed vnà cum cæteris, certè indiget aliis: i-
deoq; & ſecundum vnum quodq; & ſecundum totum eiuſmodi aliquid eſſe de
clarat egenum. Si ergo neceſſarium eſt, aliquid eſſe ſufficientiſsimum, eſſe opor
tet & vnum: tale videlicet ſolùm exiſtens, vt neq; ad ſeipſum, neq; ad aliud quic
quam ſit egenum. Non enim quærit aliquid vt quãdoq; ſit, neq; rurſus vt bene
ſit, neq; etiam vt ibi fundetur: nempe cum aliis ipſum ſit tum eſſendi, tum bene
eſſendi cauſa, meritò hoc ipſum quod eſt, & bene eſt, non habet ab aliis. Quid
enim ſibi bene eſſe aliunde redundet? Quapropter huic ipſum bene eſſe non
accidit: ipſum namq; exiſtit hoc ipſum. Locus item huic eſt nullus, nullo enim
indiget fundamento, quaſi ſe ſubſtinere non poſsit. Nam quod in alio fundan-
B dum eſt, vita vacuum iudicatur, moleſq; labans, niſi fortè ſubſtineatur. Stabiliũ
tur & alia propter ipſum, per quem & ſimul extiterunt, & locum ſortita ſunt v-
bi ex ordine locarentur. Quòd autem quærit locum, proculdubio eſt egenum.
At verò principium his quæ ſequuntur minimè indiget: itaq; principium om-
nium prorſus indiget nullis. Iam verò quod indigum eſt, propterea indigens iu
dicatur, quoniam principium appetat. Si autem ipſum vnum egeat aliquo, quę
ret iam non eſſe vlterius vnum: deſtructore igitur indigebit. Veruntamen quic
quid indigum appellatur, boni habitus & ſeruatoris eſt indigens. Quamobrem
vni nihil eſt bonum, neq; voluntas igitur alicuius, ſed eſt (vt ita dixerim) ſuper-
borum: ipſumq; non ſibimet, ſed aliis exiſtit bonum, ſiquid modò participare
poſsit. Neq; ineſt intelligentia vni, ne in eo ſit inde diuerſitas. Rurſum neq; mo
tus eſt vllus: eſt enim motu intelligentia q; ſuperius. Quid enim intelliget? An
fortè ſeipſum? Quod ſi ita ſit, ante intelligentiam igitur eſſet ignorans, & intelli
gentia indigeret, vt ſe prorſus agnoſcat: quod tamẽ ſe ipſo ſibi ſufficiens eſſe cẽ-
ſetur. Proinde & ſi neq; cognoſcit, neq; intelligit ſemetipſum, non tamen iccír-
co in eo ignorantia eſt. Ignorantia enim contingit ad alterum, quando hoc illud
ignorat. Quod autem ſolum eſt, omnino neq; cognoſcit, neq; rurſus habet ali-
C quid, quod ignoret: ſed cum ſit vnum ſibimet (vt ita dixerim) vnitiſsimum, nimi
rum intelligentia ſui nõ indiget: quoniam neq; adhibendum illi eſt hoc ipſum,
quod dicitur eſſe ſecum, vt ipſum vnum ſerues: imò verò & intelligentiam &
conſcientiam, animaduerſionemq; propriam, & ſui ipſius agnitionem, & alio-
rum perceptionem inde prorſus auferre debemus. Iam verò neq; ſecundum cõ
ditionem intelligentis, ſed potius ſecundum ipſum intelligentiæ actum Deum
exiſtimare decet. At intelligentia non intelligit, ſed eſt aliis intelligendi cauſa:
cauſa verò non idem eſt atque quod à cauſa prouenit. omnium itaq; cauſa, nihil
prorſus eſt omniũ. Neq; igitur eam hoc bonum quod præbet aliis, eſſe iudicare
debemus: ſed ipſum alia ratione bonum cæteris bonis admodum excellentius.

MARSILIVS.

Acceſſus ad Deum. Cap. VII.

Etſi Deus eſt ubiq;, perſpicuè tamen in ſummo intelligentiæ lucet. Ad hanc lucem perſpiciendam formæ omnes non ſolùm imaginabiles, ſed etiam intelligibiles, tanquam nubes obſtant. Has igitur omnes procul di ſcute, diuinam lucem mente ſerena feliciter percepturus.

D PLOTINVS.

SI autem ex eo quòd Deus nihil horum ſit, tu propterea indefinita mẽtis ambiguitate nutas, age in his ſaltem fige mentis intuitum, ac deinceps ab his in Deum tota mente recurre: neque tamẽ ita vt extra iacias cogitationis intentionem: non enim poſitus eſt Deus alicubi ita vt deſtituat alia, ſed vbicunque eſt quod poſsit attingere, ipſe Deus eſt præſens. ſolúm non potenti non adeſt. Tũ verò quemadmodum in alijs non datur eum qui intelligit aliquid, eiq; totus in incumbit aliud interim intelligere, ſed expedit intelligendæ rei nihil aliud adhibere, vt ipſum intelligibile ſit: ſimiliter & hîc fieri non poteſt, vt qui alterius cuiuſquam in animo figuram habet, intelligat interea Deum, dum figura ſuum exequitur actũ. Neque rurſus animam alijs occupatam, poſsibile eſt figura contrarij figurari: ſed quemadmodum materiã tradunt, eſſe omnium qualitatibus vacuam oporterere, ſi modò ſit figuras omnium ſuſceptura, ſic & multò magis animam eſſe oportet informem, ſi omni carere debet obſtaculo, quod forſitan impedire poſsit, ne ab ipſa omnium prima natura illuſtretur, & impleatur ad votum. Si res ita ſe habet, operæpretium eſt animum ab omnibus exteris ſegregatum, ad intima penitus, ſe conuertere, neq; ad externum aliquid reuocari, ſed iã
E omnia neſcientem, & antea quidem affectione, tunc verò etiam ſpeciebus, neſcientem quoq; ſeipſum contemplationi illius incumbere, eiq; familiariter inhęrere: ac deinde quaſi ſatis iam conuerſatum ſi poſsit accedere nuntium, conſuetudinem illam alijs præterea declarãtem. Qua forſan & Minos quandoq; fretus præcipuè colloquio Iouis familiaris eſt habitus. Cuius ſanè colloquij memor leges ad illius ſimilitudinem condidit, diuino videlicet illo cõmertio ad condendas leges inſtructus. Forſan verò animus aliquis ciuiles inſtitutiones diuina familiaritate minus dignas exiſtimarit, ſi in excelſis perſeuerare maluerit. quod quidem illi qui quãplurimũ eſt intuitus rite videtur accidere. Inquit ergo, Deũ extra nullum eſſe, ſed ineſſe omnibus minimè cognoſcentibus: Ipſi nãq; fugiũt extra Deum, imò verò extra ſeipſos: Meritò igitur quem fugiunt, apprehendere nequeunt. Et qui ſeipſos iam perdiderunt, alium indagare non valent. Atqui & filius furore quodam extra ſe poſitus, nõ agnoſcet patrem: qui verò ſeipſum didicerit, etiam vnde ſit, iure cognoſcet.

MARSILIVS.

Acceſſus ad Deum. Cap. VIII.

F

DEus eſt tanquam indiuiduum & immobile centrum vniuerſi, à quo & ad quod omnia pendent. Similiter intellectus diuini animiq; intellectuales inde creati ſua quędam habent cẽtra, ideſt, vnitates eſſentiales intellectu ſuperiores. In intellectibus ergo diuinis præter eiuſmodi centrum extat orbis unus, ideſt proprius intellectus: in anima uerò ultra centrum ſuum ſunt tres orbes intellectus ratio, imaginatio. Centrum quidem ſemper copulatum eſt cum uniuerſi centro. Intellectualis orbis perpetuò reuoluitur circa idem: orbis autem rationalis atq; imaginalis aliquando circa centrum ſuum atq; diuinum uoluitur, aliquando quaſi frangitur, & per obliquũ declinat ad alia. Interea dum ſimilem brutis uitam agimus ratione ad Deum non conuerſi intellectu, ſaltem clam reuoluimur circa Deum. Reſtat quinetiam affectus quidam in ratione ſtimulis quandoq; ſuis reuocaturus ad Deũ: cui quando penitus copulamur, quoniam per unitatẽ eſſentialem illi iungimur, interius longè pleniusq; fruimur, quàm qui re quauis cognoſcendo potitur. Probabile uerò eſt eiuſmodi copula nos coniunctos inde minimè diſceſſuros. Copula uerò eſt arctiſsima quando incorporeum incorporeo iungitur, ſi modò alterum eorum formalem diuerſitatem iam depoſuerit, per quam utiq; ſolam diſcrepabat ab altero.

PLOTINVS.

SIquis igitur animus ſeipſum alio quodam tempore nouerit, agnouerit q; motum eius nõ eſſe rectum, niſi forſan quando aliquam patitur fractionem, naturalem verò motum eſſe tanquam circularem circa aliquid, non externum quidem, ſed circa centrum, centrum autem id eſſe, à quo circulus proficiſcitur, is

pro-

A profectò circa hoc ipſum à quo extat, mouebitur: atq; ad id ſe vndiq; conferẽs, ipſum ad illud penitus applicabit, ad quod animas omnes ſe cõferre decebat. Feruntur autem illuc Deorum animæ ſemper: & iccirco Dij ſunt, quoniam feruntur ad illud. Deus enim eſt quicquid eſt illi coniunctum. Quod autem procul diſtat, homo eſt, homo inquam multiplex atq; brutum. Quod igitur eſt velut animæ centrum, num hoc ipſum eſt, quod eſt ſtudioſè quæſitum? Sed profectò aliud quiddam eſſe cenſendum, in quod omnia quaſi centra concurrũt. Meminiſſe verò oportet, appellationem centri huius & circuli, ſecundum quandã analogiæ comparationem hîc adduci. Anima enim non ſic eſt circulus, vt figura: ſed quoniã in ea & circa eam eſt antiqua præcipuaq; natura. Atq; à tali quodam anima pendet, magisq; etiam quando totus eſt animus ſeparatus. Nũc verò poſtquam pars aliqua noſtri corpore mergitur, perinde ac ſiquis in aqua pedes habeat, reliquo autem corpore ſuperet aquam, nimirum eo ipſo quòd corpore non eſt ſubmerſum erecti ſublimius, per noſtrum centrum cum ipſo velut omnium centro coniungimur: ſicut ſæpe ſolemus circulorum, multorum centra, circumfuſæ & continentis ſphæræ centro prorſus affigere. Si igitur animorum orbes corporei eſſent orbes, certè quadam conditione loci communi inniterentur centro, & circa eiuſmodi centrum alicubi ſitum, orbes animi voluerentur. Quoniam verò & animæ ipſæ intelligibiles ſunt, & illud eſt intellectu ſu
B perius, exiſtimandum eſt alijs quibuſdam viribus, qua videlicet ratione intelligens ad id quod intelligitur naturaliter admoueri poteſt, copulã eiuſmodi con ſici: atq; etiam propinquius quàm intelligens adeſſe ſimilitudine & identitate (vt ita dixerim) quadam, cognatoq; copulari nullo interim ſeiungente. Corpora enim propter corpora coniungi alijs prohibentur: at incorporea corporum obſtaculo diſiungi nõ poſſunt. Non igitur loco inter ſe incorporea diſtant, ſed alteritate potius & differentia quadam. Quando igitur diuerſitas hæc, & (vt ita loquar) alteritas abeſt, tunc quæ propterea diuerſa non ſunt, ſibi inuicem adſunt. Illud ſanè cum nullam in ſe admittat diuerſitatem, ſemper adeſt: nos autem tunc præſentes illi ſumus, quando diuerſitatem nullam prorſus habemus. Illud rurſus nõ appetit nos, vt inde circa nos verſari cogatur: at nos illud appetimus: ideoq; circa illud ipſi verſamur. Iam verò ſemper reuoluimur circa idem, non tamen aſſiduè aſpicimus ipſum: ſed quemadmodum cantantium chorus, quamuis circa ſummum ducem ſe reuoluat, diuerti tamẽ alicubi poteſt ab ipſo ducis aſpectu, atq; diſſonare: ſed quando ad ipſum vertitur, rectè admodum concinit, ac circa ipſum tunc ſe reuera conuertit: ita & nos ſemper reuoluimur circa Deum, etiam quãdo inde ſoluemur omnino, neq; illum vlterius cognoſcemus.
C Non tamen in ipſum ſemper conuertimur, ſed quando in eum prorſus inſpicimus, tunc deniq; nobis finis optatus requiesq; contingit: neq; amplius diſſonamus, dum ſcilicet diuinum reuera chorum agimus circa illum.

MARSILIVS.

Beatitudo animæ contemplantis Deum. Cap. IX.

SIcut omnia bona ſunt à primo bono, ſic omnis amor ad quodcũq; bonum feratur, accenſus eſt naturaliter ab eodem. Amor ergo noſter cum in nullis uſquam bonis quieſcat uelut fine, pro fine ubi ſit quieturus habet idem bonum quod habuit & principium. Quemadmodum uerò appetitus ad bonum naturaliter incitatur, ſic & fruitionem exigit naturalem: non imaginalem tantùm & in cognitione quadam ſola poſitam, ſed re ipſa naturam noſtram intus afficientem: quod quidem in ſenſibus apparet, & corpore. Multò magis primi boni fruitio naturalis eſſentialisq; nobis euadere debet, nec per modũ intelligentiæ ſimplicis, ſed naturę: ubi fruitio tanto ſit penetrantior in medullas quã intelligẽtia, quãto intelligẽtia ſolet obiectum profundius penetrare quàm ſenſus. Igit frui Deo nõ tam eſt uidere quàm tangere, nec id quidẽ extrinſecus, ſed penitus illabi, ac diuinitus affici, efficiq;

D Deum ſicut qui & alimento ueſcitur, tandem efficitur alimentum, uel fortè uiciſsim. Sed ô Plotine poſtquam iſta conceſſeras, conſequenter & conceſſurus eras, animam in Deum iam translatam inde non diſceſſuram: & animam quæ naturaliter apta eſt, ut actu intimo conuertatur in Deũ, fiatq; Deus, non eſſe aptam, ut motu proprio aliquando transferatur in brutum.

PLOTINVS.

IN hoc autem choro inſpicit vitæ fontem, fontem mentis, entis ipſius principium, boni cauſam, radicem animæ: quæ quidem non ita ex Deo effluunt, vt eum comminuant. Non enim moles eſt Deus: alioquin inde genita corruptibilia forent. Nunc verò ſempiterna ſunt, quoniam eorum principium eodem ſe modo ſemper habet, neq; in illa diuiditur, ſed permanet integrum, dum producit. Quamobrem illa quoq; permanent, velut ſi Sole manente, permaneret & lumen. Iam verò neq; nos inde ſeiuncti ſumus, neq; ſeorſum viuimus, quamuis natura corporis incidens nos traxerit ad ſeipſam. Simul enim afflamur inde, atque ſeruamur: non adeo tamen, vt ille quidem nobis tradiderit, deinde tamen diſtet à nobis: ſed continuè largiatur: quatenus hoc ipſum quod eſt, perſeuerat, imò verò quatenus ad illum ipſi vergimus: hîc profectò bonũ cõſiſtit noſtrũ: hinc
E procul abeſſe nihil aliud eſt, quàm eſſe minus: hîc anima requieſcit: hîc tantùm animus à malis eſt liber, poſtquam in locum à malis recurrerit liberum: hîc verè intelligit, nec vllis eſt obnoxius paſsionibus: hîc ſolùm viuere reuera contingit. Quod enim nunc viuere dicitur ſine Deo, veſtigium vitæ eſt ſupernam imitans vitam: illic autem viuere, mentis eſt actus. Actus autem Deos quoq; generat, dum attingit Deum tactu quodam occulto atq; tranquillo. Generat autem pulchritudinem, generat & iuſtitiã, generat ipſam quoq; virtutem. Hæc enim Deo pregnans anima parit: atque id animo principium eſt, & finis. Principium quidem, quoniam inde procedit: finis autem quoniam illic eius eſt bonum, perueniensq; illuc ipſe hoc ipſum quod erat, euadit. Quod enim hîc eſt, in his quæ verſatur, caſus eſt aliquis, atq; fuga alarumq; iactura. Indicat autem illic bonum noſtrum conſiſtere, amor ipſe ingenitus animo, prout amor coniugatur animis & in ſcriptis & fabulis: nempe quoniam aliud animus eſt quàm Deus, & tamen eſt ex illo, neceſſariò amat illum. Iam verò cum ibi viuit, cæleſtem habet amorẽ: hîc autẽ communis fit atq; vulgaris. Cæleſtis enim illic regnat Venus: hîc autẽ vulgaris fit Venus quaſi iam (vt ita dicam) adulterata. Eſt autẽ omnis anima Venus: quod quidem quamuis verbis obſcuris indicant natalia Veneris, amorq;
F ſimul cum Venere genitus. Animus ergo in naturali habitu conſtitutus amat Deum, Deo commiſceri deſiderãs quaſi pulchrã virginitatẽ honeſto affectãs amore. Poſtquam verò in generationem lapſus, quibuſdam quaſi connubijs fallitur, amoremq; commutans reportat pro diuino caducum, tunc quaſi à patre ſeiuncta laſciuit: ſed rurſus laſciuias humanas exoſus, & ab his ſe caſtũ eximẽs, ad patrem quandoque reuertit affectione iam beata potitus. Si quis autem affectionem, ſiue paſsionem eiuſmodi prorſus ignorat, hinc excogitet, ex humanis amoribus id coniectans, quanta videlicet felicitas extimetur, re ardenter amata potiri. Tam & ſi quæ hîc à nobis amãtur mortalia ſunt & noxia, & ad imagines quaſdam amores ipſi feruntur, ac tandem in contrarium tranſmutantur: quippe cum quod ſectati ſumus, amandum, ſiue nobis amatum reuera nõ fuerit, neque noſtrum bonũ, neque quod naturaliter exoptamus. Illic autem ipſum reuera viget amatum, qui cum commiſceri licet, fieriq; participem, vereq; prorſus habere: quippe cum extrinſecus carnibus non regatur. Quiſquis autem id nouit, cognouit certè quod loquor. Quemadmodum ſcilicet anima tunc aliam agit vitã, atque progrediens & iam progreſſa, & Deũ denique conſecuta, planè cognoſcit iam prorſus affecta, quòd adſit ipſe veræ vitæ largitor. Et profectò nullo illic eſt opus vlterius: ſed contrà, cætera prorſus deponere debet, & in eo ſolo cõſiſtere, Deusq; fieri tantũ, reliquis penitus amputatis, quæ circũ nobis adhærẽt.

Qua-

Quamobrem hinc emigrare properãdum eſt, dolendumq; nobis, quod aliqua hîc ex parte alligati viuamus, vt toto penitus animo complectamur Deum, nihilq; reliqui ſit in nobis, quo non pariter attingamus. Iam verò in eo viuendi ſtatu videre licet Deum atq; ſeipſum, quemadmodum fas eſt videre ſeipſum quidem illuminatum, intelligibili iam lumine plenum: imò verò lumen ipſum purum, leue, ſublime, Deum tunc effectum, imò verò iam exiſtentem, tunc quidem accenſum. Sin autem grauatus animus rurſus inde labatur, iam quaſi rurſus extinctum.

MARSILIVS.

Fruitio Dei. Cap. X.

ANimus abſoluta tandem præparatione Deo quamproximus ex infinito bono uirtutem attrahẽdi infinitam prorſus habente, amorem erga ipſum concipit infinitum: utrinq; igitur adeo transformatur in Deum, ut intuenti mox non ut animus iam occurrat, ſed ut Deus: quemadmodum ſi aer attemietur in lumen. quod iam fortè ab initio contigit igni. Hinc illud Pauli noſtri: qui adhæret Deo, unus ſit ſpiritus. Conceſsit quidem Plotinus intellectum noſtrum Deo ſemel potitum, nunquam inde diuerti. Concedit & rationem conuerti ad intellectum, quando diſcurſione depoſita, argumentatio in ea iam ſubitò fit intuitus. Conceſſurus erat & rationem ibi perpetuò contueri præſertim à corpore penitus abſoluram, quod & hic interloquendum tetigiſſe uidetur.

PLOTINVS.

CVr nam igitur animus ibi non permanet? profectò quoniam nõdum hinc emigrauit omnino. Erit autem & quando dabitur continuitas intuendi, cum ſcilicet corpus nullo modo intuitum perturbabit. Eſt autem qui vidit, non quod propriè perturbatur, ſed aliud quiddam. Atqui & ipſe qui videbat tunc præcipuè vacat à viſione, quando ab ea non vacat ſcientia, quæ in demonſtrationibus coniecturiſq;, & rationis diſcurſione verſatur: ipſum verò quod eſt videre & ipſe videns, non vlterius ratio quædam eſt, ſed quiddam excellentius ratione, rationemq; antecedens. atque ſiquo modo in ratione ſit, eſt ibi potius tãquam viſum. Quiſquis igitur ſeipſum videt, certè dum videt, ſe inſpicit ſic affectum: imò verò ſibi ſic diſpoſito cohærebit, talemq; perſentiet, ſimplicem iam prorſus effectum. Forſan verò neq; videre dicendum, ſed fieri potius ipſum viſum. Siquidem hæc duo quædam eſſe putandum, ſcilicet videns atque viſum. neque vtraque vnum: tam & ſi ſermo hic videtur audentior. Tunc ſanè neque propriè videt, neque tanquam videns ipſe diſcernit, neque duo quædam imaginatur: ſed animus tunc tanquam factus iam alius, neque ipſe vlterius, neque ſui duntaxat illuc ſe confert, eiq; ſe dedit, factusq; totus illius, euadit protinus vnum tanquam centrum cum cẽtro coniungens. Hîc & enim concurrentia vnum fiunt, tunc verò ſunt duo, quando inter ſe diſiunguntur. Sic & nos nunc dicimus alterum. Quamobrem ſpectaculum hoc dictu admodum difficile eſt. Quo enim pacto pronuntiabit quiſpiam tanquam alterum, quod dum videret non videbat vt alterum, ſed ſecum peuitus vnum?

MARSILIVS.

Fruitio Dei. Cap XI.

VIrtute ipſius unius ubique fit unio: nec aliam ob cauſam ſimiliora inuicem facilius uniuntur, quã quoniam in qualitate ſunt unum. Animus ergo cum ipſo principio rerum uno tunc demum unitur arctiſsimè, quando ipſe potiſsimum in ſe fit unum id autem efficitur, quando exutus multitudinem quæ ad imaginationem, rationem, intelligentiam pertinet, euadit ſola ſua unitas, atque hac ipſa per amatorium affectum fruitur unitate diuina, centrum ita ſuum cum centro copulãs uniuerſi. Plotinus animum ſic affectum aſſerit intellectualem formam ſuam tranſtuliſſe ad unitatem: rurſusq; rationalem formam ad intellectualem ſimiliter tranſtuliſſe. Hinc igitur conceſſurus erat rationalem pro intellectuali iam habendam, atque hanc ſicut & illam ibidẽ perpetuò permanſuram:

præſertim quum dicat animum in ſtatu illic immobili conſtitutum euaſiſſe quaſi iam ſtatum, ac ne
D dum naturam mobilem, ſed ipſam quoque primam eſſentiam tranſcendiſſe, ubi finem motibus faciat & laboribus. Nos certè Magnanime Laurenti laboribus in Plotinum noſtris finem adiuuãte Deo nunc imponimus: ſic Deum omnipotentem ſuppliciter adorantes:

Gratias tibi agimus ſumme Deus, illuminator mentium, auctorq; bonorum, quòd nobis præter meritum ad abſoluendum opus tantùm tua gratia uires ſuppeditaſti. Da precor clementiſsime Deus ueram lectori pio proſperitatem: infunde præterea lumen, quo uera paſsim diſcernat à falſis, ne uſquam uel meditando, uel agendo à tua uoluntate diſſentiat.

PLOTINVS

HOc igitur myſteriorum talium inſtitutio indicat, vbi vetat, id hominibus nondum initiatis expiatisq; patefacere. Nempe tanquam non liceat explicare, vetuit quod diuinum eſt alteri cuiquam aperire, niſi duntaxat illi, cui & videre contigerit. Quoniam igitur duo non erãt, ſed ipſe videns, cum eo quod videbatur erat vnum, tanquam non eſſet proprie viſum aliquid, ſed vnitum, ſiquã do qui id euaſerat, dum illi prorſus commiſceretur, huius forte reminiſcatur, habebit quidem penes ſeipſum illius imaginem. Erat autem & ipſe vnum, nullam
E in ſe ad ſe ipſum differentiam habens, neque rurſus quãtum ad cætera pertinet. Non enim apud eum aliquid mouebatur: non ira, non appetitus inerat alicuius animo iam ad excelſa profecto: ſed neq; ratio, neque intelligentia quædam, neque omnino & ipſemet (ſi modò id dictu fas eſſe cenſetur) ſed tanquam raptus, ſiue Deo penitus occupatus in tuto quodam receſſu, habituq; tranquillo prorſusque immobili iam conſtitutus eſt, ab eſſentia ſua nullo modo declinans: neque etiam circa ſeipſam ſe reflectens, quippe cùm penitus conquieſcat, & quaſi ipſe iam ſtatus euaſerit. Iam verò neque verſatur vlterius circa pulchrum, ſed ipſam pulchritudinem iam tranſcendit. Ipſum quoque virtutum iam ſuperans chorum: perinde ac ſiquis ſacri cuiuſdam adyti penetralia iam ingreſſus ſtatuas omnes in templo diſpoſitas à tergo relinquat, quæ quidem egreſſuro mox ex adyto, primæ rurſus occurrunt poſt ſpectaculum illud intimum: Poſtquam ipſum commertium non ad ſtatuas, non ad imagines habitũ, ſed ad ipſum potius, quod ſtatuæ, quod imagines repræſentant: quæ profectò ſpectacula quædam ſequentia iudicanda ſunt. Ipſum verò forſan non eſt ſpectaculum iudicandum: ſed ratio quædam illic eſt videndi diuerſa. Exitus videlicet aliquis è ſeipſo, & diffuſio quædam profectusq; mirificus ſtudiumq; tangen
F di, & denique quies. Omnisq; illic excogitatio ad copulam prorſus annititur, ſiquis modò quod eſt in penetrali perſpiciat: Qui verò proſpicit aliter, nihil inde reportat. Sapientes igitur Prophetarum imitationes eiuſmodi diuinorum obſcuris inuoluunt, indicantes qua ratione Deus ille cernatur: Sapiens verò ſacerdos myſterium explicans inuolutũ, adytumq; ingreſſus, contemplationem ibi veram aſſequitur: qui ſi nondum ingreſſus fuerit, tunc adytum ipſum rem quandam exiſtimans inuiſibilem, & fontem, atque principium, cognoſcet admodum vt principiũ, At verò illuc ingreſſus, principiũ ipſum videt, eiq; coniungitur, ſimiliq; ſimile percipit, nullum negligens diuinorum, quotcunq; animus conſequi poſsit. Iam verò ante viſionem ipſam, quod viſioni reliquum eſt, deſiderat. Ei verò qui omnia iam tranſcendit, reliquum eſt ipſum, quod omnia ſuperat. Non enim in aliquid omnino non ens, animæ vnquam natura deueniet, ſed lapſa quidem deorſum cadet in malum: atque ita in non ens ruere iudicatur, non quia in aliquid omnino non ens præcipitari poſsit. At ſi quando contraria huic inceſſerit via, non in aliud quidem deueniet animus, ſed perueniet in ſeipſum: atque ita cùm non ſit in alio, non iudicandus eſt propterea eſſe prorſus

ſus in nullo, ſed potius in ſeipſo conſiſtere: eſſe verò in ſe ſolo, neque in ente, nihil aliud eſt, quàm eſſe prorſus in Deo. Fit enim & ipſe aliquis non eſſentia, ſed eſſentia quoq; ſuperior, quatenus videlicet Deo ſe prorſus inſinuat. Si quis igitur ſeipſum quandoque viderit id effectum, habebit vtique ſeipſum velut quandam illius imaginem. Ac ſi à ſeipſo pertranſeat, tanquam imago ad exemplar vſque tradu&ta, erit iam finem ipſum itineris conſecutus. At ſi quando à contemplatione ceciderit, rurſus virtutem ſibi inſitam excitans, ſeipſumq; prorſus excultum animaduertens, ad ſublimia iterum attolletur, dum videlicet per virtutem procedet in mentem, ac per ſapientiam progredietur ad Deum. Hæc igitur eſt Deorum & hominum diuinorum feliciumq; vita, humanas omnino negligens voluptates, fugaq; ſolius ad ſolum.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM

IN PLOTINI OPERIBVS, ET MARSILII FI-

cini in eundem commentarijs locupletiſsimus, quo antea ſemper caruit diuinus hic autor.

A

Abraham Auenazara Aſtrologus 63.f
Abraham Aſtrologus 222.e
acceſſus & receſſus octauæ ſphæræ 67.e
acceſſus ad Deũ præparat. 360.d
accidens in quo ſubſtantia ut tertium genus quas res contineat. 299.d
accidens duplex 4
accidentis & ſubſtantiæ uiciſſitudo 300.e
accidentia alicubi exiſtentia poſſint ne alibi eſſe eſſentiæ 4.c
accidentia ſubſtantijs mancipata 300.b
accidentia quomodo ad eſſentias reuocentur 4.c
actus deſcriptio 96.f
actus intimi primi entis qui exiſtant, & quot 297.c
actus ſecundus 96.c
actus infinitus 265.c
actus omnis motus eſt 56.f
actus ubi, & ex quo agi cogitari debeat 357.c (36.d
actus & potentia contraria ſunt.
actus primus & ſecundus quid. 265.c
actus duos eſſe in proceſſiõe 306.f
actus præcipuus quis 95.d
actus ſeu in actu eſſe quomodo ſit apud ſuperos 96.e
actus ab eſſẽtia manãs quis 257.d
actus & in actu eſſe idem in intelligibili mundo 96.f
actio animi mundi partim tempore tranſigitur, partim nõ 210.d
actio ad contemplationem refertur 180.e
actio ſecundum contemplationem quid 182.a
actio formæ actus 94.d
actio contemplationis debilitas. 181.e
actio apud Deum non diſtinguitur à natura 353.f
actio fit per formã 127.a (347.e
actio & intelligentia prima quæ.
actio præſtantiſſima quæ 236.c
actio & eſſe ubi differant 117.d
actio triplex 31.f
actionem alicuius eſſe, et circa aliquid aliud uerſari 347.c
actiones cæleſtes quomodo fiant. 217.d
actiones & paßiones quò referantur 73.a
actiones triplices, & quæ priores uel poſteriores 220.d
actiones immateriales 92.d
actiones ut diſtribuendæ 123.e
actiones rerum à propria potius natura, quàm à cælo 122.a
actiones rerum propriæ nõ tollendæ 130.f
actiones hominum à prouidentia obſeruantur 132.c
actionum diuiſio 217.c
actionum humanarum bonitas & prauitas unde 131.b
actionum finis cognitio 182.e
actionum in nobis principia duo. 137.f
actiuorum & uoluptuoſorum hominum diſcrimen 273.b
acuti cur nam memores plerunque 231.a
ad Animã dimenſione liberã quomodo aſcẽdendum gradatim à natura corporea 361.a
ad Principium quæ pertineant. 361.e
adeſſe alterum alteri quot modis contingat 166.b
adoratio omnium ſacrificiorũ iuxta Platonicos præſtãtiſſ. 223.d
aduerſitas bonis exercitatio, malis punitio 130.b
aduentitia cum rebus ipſis ſub eodem genere neutiquam ponenda 289.f
Adraſtiæ oraculum 143.f
æs Veneri attributum 50.a
æs cur rubigine conteratur 50.a
aer cur non luceat 49.e
aer terræ participatione non indiget 49.f
aer in cælum non agit 54.e
aër triplex 50.c
aeris utilitas 46.e
aeris in ignem tranſmutatio 22.b
aeris proprietates aliquot 49.f
aeri quæ aſtra præſint 50.c
aeria animalia qualia 149.d
affinitas cum ſuperis quomodo contrahatur 117.d
Aegyptij ſacerdotes cur rerum figuris ad myſteria ſignificanda uſi fuerint 269.e
æther quid 128.e
æternitas quid 172.c
& 21.c
æternitas in quibus à Platonicis collocetur 170.d (173.e
æternitas & æuũ idem cum Deo.
æternitas non eſt ſubiectum. 172.f
æternitas & æuum ueneranda. 173.e
æternitas ſimul cum natura 173.d
æternitas & beatitudo unũ 21.c
æternitatis ſpecies duæ 170.f
æternitatis formalis ratio tria continet 170.e
æternitatis & temporis diſcrimen 172.d
æternitatis & temporis natura à priſcis philoſophis deprehenſa 172.b
æternitatis deſcriptio 170.f
æternitatis optima deſcriptio, folio 173.f
æternitatis contemplatio quomodo debeat inſtitui 174.d
æternitatis quomodo ſimus participes 174.c
æternitatis & temporis naturam pauci rimantur 172.b
æternitatis et temporis ſenſus à natura nobis inſitus 172.b
æternitatem in uno manere quomodo intelligendum apud Platonem 173.f
æternum quid 172.d
æternitatis proprium 22.e
æterni contemplatio 173.d
æternorum cauſa 117.d
æternorũ actus & eſſe idẽ 117.d
æternarum ſubſtantiarũ nulla eſt aduentitia forma 117.e
æuum quid 170.f
æuum unde ductum 173.d
æui deſcriptio 176.d
ætates hominis quib. planetis de-

ſtinentur 61.d
agere qualitatis eſt 86.b
agens prius non actionem genuiſſe 347.d
agentium diſtinctio 73.a
agentium ſeries 73.c
Aimon aſtrologus 61.c
albedo quid 100.a
Albius aſtrologus 62.f
Albumaſar aſtrologus 59.f
Alexãdri Aphrodiſæi de fato ſententia 122.b
aliquid tale & hoc aliquid quas ſubſtantias innuant 303.f
alteritas 97.d
alteritas in motu quid 306.f
Ammonius Chriſtianus 104.d
amatoris natura 11.c
amatorij affectus 29.d
amor qd ſit, uariæ opiniões 157.a
amor unde influat animabus 157.b
amor quatenus materiæ particeps 160.d
amor Veneris 157.c
amor cur heros dictus 158.b
amor dæmon eſt Platonis ſententia 157.a
amor eſſentialis 158.d
amor aſilus 159.d
amoris principium 157.b
amoris ortus 158.a
amoris pater Porus 158.f
amoris mater Penia 158.f
amores qui boni uel mali 159.c
amores ab anima generant 155.c
amores animæ cuiuslibet 155.c
amicitiæ quo referendæ 3.c
amor ille diuinus an ex hoc noſtro rimari poßit 363.f
amor omnis unde accenſus ad bonum quodcunq; feratur 363.c
amoris noſtri principiũ idẽ quod bonum 363.c
amoris fons & origo 363.c
amabile nobis quid ſit 344.c
amabile 355.d
analogia quid 148.c
analogica conditio quid 5.a
analogia omnia contineri cur dicatur 148.c
Anaxagoræ opinio de principijs rerum naturalium 84.c
Anaxagoræ dictum quodlibet eſſe in quolibet, quomodo intelligendum 268.c
Anaxagoræ error 49.90.c
Anaximenis ſeu Anaximandri ſalſa de materia opinio 84.d
angeli corporibus præditi 107.d
angeli pulcherrimi 109.d
angelorum agilitas 109.d
angelorum lapſus 109.b
angelorum & dæmonũ officia diuerſa 71.c
anguli num in ſphæra fortißimi. folio 60.c
anguli ſphæræ cæleſtis quatuor. 60.d
anguſtia & amplitudo quantitatis modi 85.d
anima quãdo uel extra fatum, uel ſub fato, uel in fato ſit 119.d
anima quando fatum ſentiat 119.e
anima pulchra quæ 109.e
anima quoq; corpori addicta, & quomodo ſit uniuerſum, tum etiam quomodo media 320.c
anima quam naturã habeat 231.d
anima omnis caduca, an aliqua tantum 235.c
anima noſtra & mundana in quo conueniant 235.c
anima uegetatiua ubi ſit corpore conſumpto 247.d
anima mundi ut inuenienda 270.f
anima cur circulus 363.a
anima quõ cognoſcatur 130.c
anima corporis expers 231.d
anima quantitatis expers 233.a
anima ſi corpus ſit, nihil egregiũ præſtabit 233.b
anima connectit corpus 231.d
anima quid, Stoicorum & Epicureorum ſententia 232.b
anima qua ratione in corpus procedat 235.d
anima dupliciter ad corpus ſe habet 231.b
anima intellectualis quomodo infinita 192.d
anima naturalis quæ 133.c
anima rationalis ab humana ſpecie non tranſmigrat 150.c
anima quomodo ſit omnia 150.d
anima in ſeipſa reſidet 38.d
anima à paßionibus cur aliena, folio 162.f
anima ſoluatur ne à corpore 44.b
anima in cælo num expetat mundana 152.c
anima cur fiat deterior 147.c
anima non debet corpus reſpuere 44.d
anima intellectualis quælibet eſt uniuerſum 191.d
anima cur à fato ſoluta 119.d
anima cælum indiuiduum 47.d
anima quomodo naturam producat 150.b
anima cur diuidua 187.f
anima prauitatibus mãcipata non fit beſtia 150.e
anima nim ſuapte natura ipſum pulchrum 273.c
anima in genere diuinorum ultima 234.b
anima illa præſtantior quomodo ſenſu prædita ſit 332.f
anima eſt ipſe homo 231.c
anima quomodo ſentiat 233.e
anima cur nõ interire queat 235.b
anima ſenſu quodam ſemper utitur 332.c
anima lumen mentis 251.f
anima Deum uidens reliqua ſpernit omnia 345.c
anima noſtra non ingreditur uniuerſa corpora 239.d
anima noſtra in eodem corpore plantam, brutum, hominem, dæmonem & Deum agit 246.f
anima amatorib. confertur 343.d
anima mundi mala nõ ſubit 239.c
anima ut fruatur ipſo bono 345.b
anima nec diſſolutione, nec alteratione interit 235.d
anima nihil boni habet 35.c
anima gradatim in cælum aſcendit, atque inde in corpus relabitur 151.a
anima ſeparata corpus etiam purum reddere conatur 8.a
anima hominis à mũdi anima differt 190.b
anima quomodo diuidatur 188.a
anima quomodo acccipiat 38.d
anima praua Platoni 40.d
anima & mens mũdi unde dependeant 105.b
anima quomodo una 189.a
anima prima quomodo naſcatur, folio 107.c
anima mundi haud laborat 140.d
anima mundi quomodo corpori ſuo iungatur 116.d
anima mundi prior corpore 46.a
anima mundana ex elementis non eſt conflata 111.c

anima mundi quomodo ſuo inſinuetur corpori 192.f
anima mundi non laborat 107.d
anima mundi in ſphæra 57.f
anima ut ſe foras porrigat 251.a
anima in corpus cur ueniat 238.e
anima ſit ne idem quod unũ 359.b
anima noſtra caput intra cælum condit 246.a
anima quomodo fiat libera 351.d
anima intellectualis unde exiſtat. 246.f
anima omnia efficit 242.b
anima ſentit non corpus 233.e
anima mundi indiuidua ſimul & uniuerſum 311.b
anima mundi in noſtras animas nulla ratiõe diuidi poteſt 190.d
anima mũdi cõfertur lumini 195.d
anima mundi nõ defatigatur 48.d
anima mundi non eſt ex elementis conflata 106.e
anima mundi quomodo excogitanda 116.d
anima mundi non ut punctum indiuidua, tum eius proprietates. 319.b
anima mundi quõ gubernet mundum 112.c
anima mundi non labitur 111.a
anima mundi nun ſua beatitudine aliquando exciderit 106.a
anima mũdi cognoſcit opera ſua. 81.b
anima mundi non ligatur 111.b
anima mundi in ſeipſa agit 193.c
anima mundi ubiq; tota 58.b
anima mundi quo ordine ſingula producat 81.a
anima uniuerſi in creãdo mundo bonorem ſui nõ quæſiuit 111.a
anima duplex 5.e
anima intelligit duobus modis 3.f
anima non eſt bonũ ipſum, nec boni forme 5.b.
anima non uiuit, ſed id quod animam habet 52.a
anima & corpus ſequuntur mundi circuitum 219.a
anima una in toto corpore 2.f
anima quomodo uiuificet corpus. folio 2.f
anima rationalis ut affecta ſit erga intellectum 2.e
anima cur non recordetur rerum humanarum 205.c
anima corporis uinculis ſoluta ubi 202.b
anima non eſt cauſa malorum 2.f
anima corpori duobus deuincitur nodis 212.a
anima rationalis ut affecta ſit erga Deum 2.e
anima quõ compoſitum fiat 3.d
anima propinquior Deo quã corpus 7.b
anima quomodo peccet & nõ peccet: puniatur & non puniatur: purgetur & non purgetur 3.d
anima quo medio inuitatur ad amandum intellectum 344.b
anima aliter intelligit q̃ Deus 7.c
anima proportionem erga corporum qualitates habet 225.a
ani. noſtra ut ſuſcipiat ideas 5.e
anima quõ bona & mala fiat 7.e
anima non boniformis 7.e
anima quomodo diuiſibilis 2.f
anima utatúrne diſcurſu priuſquã in corpus deſcendit 200.b
anima quomodo ſentiat 212.b
anima quomodo ſentiat, ſiue à corpore ſeparata ſit, ſiue coniuncta ei 213.d
anima terræ uidet 215.b
anima rationalis præſidet animali humano 2.d
anima non tradit ſe in cõiunctum, fol. 2.d
anima propinquior Deo quã materia 4.f
anima quid ſentiat 2.c
anima quomodo ſentiat 2.c
anima rationalis ſentit ſine paſſione 2.d
anima mundana omnes mundi partes uiribus implet 220.b
anima erga corpus non ita affecta eſt ſicut ſpecies erga materiã. 201.b
anima quomodo in corpore, folio 201.a
anima quomodo in hoc mundo diuina cognoſcat 206.f
anima quando unum dicatur eſſe, 206.c
anima quomodo ſeipſam agnoſcat 206.a
anima mundi omnes in ſe reuolutiones deſcriptas habet 218.e
anima quatenus pars mundi cenſeatur 218.b
anima quid, & qua ratione ſuper cæleſtem mundum contemplatur 206.d
anima adeſt corpori, non ineſt, folio 201.c
anima quomdo cum intellectu uniatur 206.b
anima una nobis ineſt 203.d
anima uniuerſi ſuperiore loco habitãs inferiora uiuificat 186.e
anima cæli tria complectitur 63.d
anima principium eſt 79.a
anima labitur ante generationem 79.e
anima quomodo ſit in corpore 2.a
anima gubernat mundum 80.a
anima ex quinque rebus conſtituta 55.b
anima opifex mundi ratione haud caret 107.b
anima compoſitum quiddam 2.b
anima cauſa animalis 48.f
anima eadẽ præter potentiã grandiori & minori corpori ſufficit 311.a
anima an diuiſibilis cogatur fieri aut multiplex propter diuerſa membra uel corpora 311.f
anima corpori infuſa libertatem ammittit 126.a
anima quãdo ſui ipſius domina, folio 126.a
anima quomodo inſit mundo 57.a
anima quibus prælucentib. exemplaribus quæq; producat 111.a
anima uoluitur circa Deum, ſicut corpus circa animam 561.e
anima hominis quibuſuis rebus ſe conformare poteſt 149.b
anima quõ accõmodat ſuas uires mundi membris 312.f
anima ipſa eſt animæ idæa 277.c
anima quõ fœtui infundatur 49.a
anima quomodo localiter moueatur 55.f
anima à dijs 53.d (192.f
anime duobus modis inſinuatur.
anima quõ perfecta maneat 40.e
ani. poſſit ne ſpecies ſuſcipere 1.a
anima & mens & perfectæ earũ uirtutes extra ideam ueræ neres exiſtant 277.b
anima rationalis poſſit ne beatitudinem conſequi 14.c
anima omnia 25.f
anima natura pulchra 27.a

anima quõ cælum moueat 55.d
anima non texit, appetit, dolet, ſed animal 2.a
anima quomodo corpori compatiatur 2.b
anima corpori quot modis permiſceri dicatur 1.a
anima ſuperiorũ corporum à perturbationibus aliena 61.e
anima rationalis à fato ſe mancipare poteſt 70.c
anima noſtra cum ſuperioribus conſpirare debet 70.e
anima & ſubſtantia & accidens. 70.d
anima rerum figuras ab initio habet 7.e
anima poteſtas eſt 96.e
anima noſtra pars animæ uniuerſi 71.b
anima mundi optimorum contemplatrix 81.f
anima quõ afficiatur cogitando materiam 91.f
anima ſecunda inſeparabilis à cor corpore 75.a
anima deformis quæ in formoſo corpore interdum inueniatur. 109.e
anima noſtra non eſt pars mundanæ animæ 106.a
anima turpis 29.b
anima non idem quod eſſe animæ. folio 1.b
anima per intellectũ uidet Deum 39.f
anima noſtra cur animæ mundi ſoror dicatur 109.f
anima coinquinata ut repurgetur 29.d
anima purgata 29.e
anima cur materiam amplectatur 38.f
animarum diuerſitatis quarta cauſa 134.e
anima non eſt in corpore 186.e
anima quomodo magis unũ quàm corpus 291.e
anima irrationalis à rationali quo modo dependeat 131.a
anima noſtra quomodo corpori uitam tribuat 107.e
anima communis cum proprio alicui ſe applicare poſſit 312.e
anima unde fiat intellectua. 273.f
anima an multiplicetur in animas multas æquè primas, dum ſe totam mundi partibus exhibet. 312.f
anima ſempiterna 191.c
anima quomodo in intellectum ſe transferat 185.a
anima quibus gradibus ad munera ſubeunda corpus impellat. 314.e
animarũ differens deſcenſus 198.c
anima & indiuidua & ubique tota 312.e
anima cur non eodem modo ſemper agat 197.a
anima ad omnem locum indifferenter & æquè ſe habet 312.c
anima prior omni re corporea, folio 311.f
anima communis & propria quo modo differant 311.e
anima nulli mancipata cunctis expedita adeſt 312.c
anima inanimati curã gerit 96.d
anima in omnibus membris tota. 195.c
anima fractis pennis ruens 196.d
anima mundo par eſt quantitate, ſed uirtute non à mundo capi poteſt 211.b
anima noſtra cur iudicium mundi animæ non percipiat, cùm duæ in nobis ſint animæ 311.d
anima quõ diuerſis potentijs diuerſam dignitatẽ induat 315.e
anima dum euadit, uniuerſalis an particularis eſſe deſinat 315.e
anima quõ fatum declinet 109.f
anima quomodo per plurimũ diffundatur, & in corpore propagetur 309.c
anima idealis fons animarũ 191.d
anima partibilis & impart. 188.d
anima hominis in utroq; uerſatur mundo 9.d
anima in potentia 96.e
anima cæli ſemper continet cælum 53.b
anima bona incidátne in corpus malum 153.e
anima non eſt mali principium, folio 36.b
anima ulla materiam non illuſtrauit 114.a
anima noſtra à mundani corporis anima non eſt facta 190.b
animæ ſapientiam per intellectum uerum ſuppetere 273.e
animæ quælibet uis an alteri communicat ſuum iudicium 311.a
animæ eſſentia quomodo multitudo, & ipſum eſſe an ſimpliciter habeat 291.e
animæ intellectualis ſubſtãtia ſub generibus quibuſnam collocanda ueniat 298.e
animæ forma indiſſolubilis 192.c
animæ mundanæ muſica 193.d
animæ humanæ tres formæ 185.b
animæ natura diligentiſſimè inueſtiganda 194.c
animæ caſus unde 193.f
animæ libertas à nulla re dependet, nulloq; loco indiget, nec ulli addicta 311.c
animæ uis quæ iudicat eadem plerunq; non animaduertit ſe iudicare 311.d
animæ electio quomodo conducat uniuerſo 129.a
animæ idolũ quid, & quotuplex, et num ab anima ſeparari poſſit 315.e
animæ natura quomodo perſcrutanda 274.a
animæ ſubſtantia in genere ſeparatæ eſſentiæ collocanda 303.f
animæ mundi ſenſitiua & opinãs ratio in ſphæris 53.b
animæ mundi quantitas 197.c
animæ bonum & pulchrum 29.c
animæ eſſentia 188.c
animæ contagio à corpore 35.d
animæ aurigam equis ſuis impertire quod uidit: quid ſit apud Platonem 182.a
animæ delapſus ad materiam gradus quatuor 36.b
animæ actiones partim eſſentiæ ſunt, partim paßiones 159.c
animæ & materiæ idẽ locus 43.d
animæ uerba quatuor 46.f
animæ malum ſitne impedimentum 43.a
animæ pulchritudinem per ſapientiam contingere 273.c
animæ mundanæ operis nullus finis 81.b
animæ mũdanæ centrũ quod 56.c
animæ in mundi theatrũ introitus qualis 145.f
animæ in deterius conuerſio quatuor cauſæ 138.b

ànimæ theſaurus quàm miran-
dus 189.b
animæ ſpũs membris infuſus 47.b
animæ intellectualis & ſenſualis
origo 191.f
animæ à materia diſtantes 162.b
animæ facultates cur amore nitan
tur 154.e
animæ peßiua pars qualis 162.e
ànimæ formatio 22.a
animæ ante mundum 142.b
animæ malæ conditiones 43.b
ànimæ imbecillitas unde 43.b
animæ hominum cur corpora mu
tent 155.e
animæ uniuerſæ actus duplices.
146.e
animæ uires 43.d
animæ bonum quid 32.e
animæ caſus 43.e
animæ mundi & noſtrarũ diſcri-
men 190.f
animæ mors quid ſit 43.b
animæ poſt mortẽ translatio 44.b
ànimæ à corpore ſeparatio quid.
112.a
animæ eſſe quod 117.e
ànimæ turpitudo 29.d
animæ malum quid 42.e
animæ motus 55.b
animæ ortus nõ ex ſeminib. 126.a
animæ ſectio 188.f
animæ actus ad inferiora demiſ-
ſus num ſempiternus 153.d
animæ ſpectamen 158.b
animæ officium 110.b
unimæ intellectualis ortus 110.b
animæ actiones quæ ſint liberæ,
aut ſeruæ 126.b
ani. noſtræ cõditio triplex 110.e
ànimæ mundi poſtrema uis 58.e
animæ cruciatus nõ cõuenire 1.c
animæ rationalis duo actus 14.f
animæ partes duæ 14.d
animæ munera unde profluant.
161.c
animæ cum cælo affinitas 154.b
animæ à corpore ſeiunctio 153.a
animæ malum primum 36.b
animæ malum 40.c
animæ malum ſitus uniuerſa boni
priuatio 42.f
animæ bonum & malũ quid 7.e
animæ in bonum & malum pro-
feclus 35.e
animæ reditus in corpus 154.c
animæ aſcenſus in mundum intel
ligibilem 9.d
animæ deſcenſus in mundum ſen-
ſibilem 9.d
animæ mundi uiſus 51.a
animæ ad corpus acceſſus 11.f
animæ noſtræ cum cæleſti anima
collatio 71.c
animæ præuaricatio 79.a
animæ decus 29.e
animæ opera ſecundum naturam
79.a
animæ procreatio 71.f
animæ feliciores quõ fiant 21.d
animæ natura quõ inſpiciẽda 3.e
animæ inclinatio ad corpus quur
non peccatum 3.e
animæ partes ſintne in loco 200.f
animæ uirtus quid 5.d
& 7.c
animæ diuinitas 5.c
animæ communia quæ 3.a
animæ bonum & malũ quid 5.c
animæ propria quæ 3.a
animæ finis 6.a
animæ irrationalis diuiſio 216.c
animæ ueſtigium corpori impreſ-
ſum 217.a
animæ ſeparatio quõ fiat 3.e
animæ ſimulachra in corpus de-
fluentia 2.f
animæ ſpherarum & mundi affi
ciuntur rebus humanis 214.d
animæ in hoc corpore imbecilli-
tas 205.f
animæ inſtrumentũ corpus 201.d
animæ Deus quomodo principiũ
& finis 363.e
animæ & Solis, aeris, itẽ & cor-
poris collatio 211.d
animæ mũdi & noſtræ diff. 211.a
animas ex intelligibili mundo in
cælum deſcendere probatur.
199.f
animæ à corpore ſeparatæ ſintne
rationales 200.c
animæ à morte num ſe inuicem
agnoſcant 207.b
animæ ſtellarũ uniuerſi notitiam
habent 207.e
animæ cùm diuinæ ſortis ſint, cur
Dei obliuiſcantur 241.f
animæ natura mirabilior q̃ uulgò
exiſtimatur 231.a
animæ poteſtas 230.e
animæ corporum uinculis ſolutæ,
quid differãt ab iis quæ corpo
ribus colligatæ ſunt 236.a
animæ natura ultima & poſtre-
ma 230.e
animæ triplicis collatio 247.c
animæ omnes ſintne una anima.
240.a
animæ potentiæ inferiores à ſupe
rioribus dependent 247.c
an. cur multæ eæq; diuerſæ 237.c
animæ de deſcẽſu Plato, Empedo
cles & Heraclitus conueniũt.
238.d
animæ corporibus ob duas copu-
lantur cauſas 237.c
animæ uinculum, ſepulchrum, ſpe
lunca & antrum 237.e
animæ peccantes à dæmonib. ue-
xantur 238.c
animæ intellectuales quomodo in
corpus deſcendant 236.b
animæ et corporis cõiunctio duo
bus nominib. animis obeſt. 236.f
animæ ex uinculis ſolutio 238.b
animæ gradus quatuor 249.d
animæ ſollicitudo unde 238.a
animæ conditiones uariæ 21.d
animæ liberatio à fortuna & fa-
to 59.b
animæ inſtrumẽtũ corpus eſſe 1.a
animæ iudicium permanet 79.a
animæ reditus in eandem ſit ſpe-
ciem 150.c
animæ mundanæ potentia 116.e
animæ in corpore regendo labor
unde 106.a
animæ noſtræ prouidẽtia ineptè
cum mundi animæ prouidẽtia
comparatur 105.f
animæ particulares mũdanæ ani
mæ ſorores 136.b
animæ intellect. potentia 107.e
animæ in cœnum demerſio 43.b
animæ formoſitas 26.e
animæ uita ſitne aliquãdo finien
da 151.e
animæ cæli motio qualis 55.e
animã ad cæleſtia peruenire poſ-
ſe probat 152.d
animam eſſe immortalem 1.a
animæ à toto ad partem transla-
tio 238.a
animæ hominum duas experiun-
tur uitas 238.b
animæ conſultatio de iuſto & pul
chro 246.b

animæ multæ num ex una deriuentur 241.d
animæ omnes una anima trib. modis 241.b
animæ ad Deum aſcenſus 242.e
animæ perfectio 242.f
animæ mundi dignitas 242.e
animam paßioni non eſſe obnoxiã probatur 160.e
animam libidinib. moueri, ut intelligendum 163.f
animam non ſentire 1.a
animã nõ expetere mixtionẽ 1.a
animam non cogitare 1.a
animam cupiditatum corporearũ non eſſe capacem 1.a
animam ſpeciem in ſe eſſe 74.e
animam non dolere 1.b
animam in corpore eſſe 1.d
animam non opinari 1.c
animam ſenſuum paßiones ſuſcipere 1.c (quantur 1.c
animam corpori miſtam quæ ſe-
animam non audere 1.b
animam corpori non miſceri 1.c
animam corporis paßiones nõ ſuſcipere 1.c
animam ut ingrediantur paßiones corporis 1.c
animam ex atomorum concurſu non conſtari probatur 231.f
animam cur plerique mortalem arbitrentur 234.f
animam cum diuinitate eſſe coniunctam probatur 234.d
animam ea quæ ſenſus mouerit iudicare 1.b
animam per corpus ſeſe explicare 1.b
animam nihil metuere 1.c
animm ab alijs nihil accipere 1.c
animã alijs impertire quidpiã 1.c
animam eſſe impatibilem 1.c
animã componi ex eſſentia quadam indiuidua et diuidua, quo modo intelligendum apud Platonem 187.e
animam homini tribuere, mundo adimere abſurdum Platoni uidetur 196.d
animam quamuis quis totam accipiat, non tamen eius cunctis uiribus frui 311.c
animam neq; partibilem tantùm, nec impartibilẽ ſolùm eſſe pluribus confirmatur 18.c
animam deſcendere & aſcendere an intelligere debeamus ipſam loca mutare 315.e
animam deſcendere eſt afflare uitam corpori 315.e
animã unam eandemq; ſimul adeſſe multis non eſt impoßibile. 189.e
animam non habere quantitatem 309.b
animam inanimati naturam habere quõ intelligendum 152.f
animam in mundo non eſſe unicã demonſtratur 190.e
animam ipſam intelligere non nos 3.f
animam deſcendere & inclinari quid ſit 3.e
animam ſpretis corporeis diuina mente formari 343.e
animam in Deum translatam in brutum transferri denuò non poſſe 363.d
animam & amore & ratione ad ſupernam pulchritudinem prouocari 343.e
animam ea ipſa eſſe quæ habet. folio 6.b
animam per ſe, ſine corporis adminiculo moueri probatur, fõlio 235.a
animã non eſſe corporeum quiddam probatur 231.d
animæ poſt obitum non confunduntur 191.b
animæ mundi felicitas 110.e
animæ miſerrimæ non mori expectant 32.d
animæ & corpora omnia apud Deum numerata 137.e
ani. circa Deum ſeſe uerſant 58.d
animæ in terra & aere craßiore degentes infelices 21.d
animæ diuerſis moribus præditæ diuerſos petunt cælos 152.d
animæ diuerſæ officij dignitate quomodo diſtinguantur 177.d
animæ geminæ 71.c
animæ hominum geminæ 70.d
animæ cur compatiantur 196.e
animæ unde ueniant 186.e
animæ an numero plures 316.e
ani. quare ponãtur multæ 318.e
animæ quenã & quo medio fruãtur mundo diuino 271.d
animæ non coguntur ut ſe mundo immergant 143.e
animæ cur adeò diuerſæ 196.b
animæ cæleſte uehiculũ uix deponunt 108.b
animæ omnes unum quiddam triplici ratione 191.d
animæ noſtræ ſintne ex mũdi anima 194.d
animæ rationales à ſeminaria ratione non coguntur 132.b
animæ brutorum ſintne immortales 151.e
animæ triplices 9.d
animæ communes & particulares diuerſimodè beatitudinem acquirunt 130.d
animæ quibus gradibus eant ad aſtra 129.e
animæ rationales ad peccandum non coguntur 131.d
animæ omnes in primo intellectu quomodo conueniant ſimilibus oſtenditur 187.e
animæ & mentes quomodo coniunctæ & diſtinctæ 310.e
animæ nunquã extra corpus ſunt quorundam ſententia 195.d
animæ particulares ab anima mũdi deſcendunt 185.b
animæ quomodo uiuant & differant 196.e
animarum ortus qualis, ueterum ſententia 107.d
animarum deſcendentium figuræ 200.d
animarũ punitiones quales 224.f
animarum ex intelligibili mundo declinatio 199.e
animarũ à morte conditio 236.d
animarũ collectio ſub ſpeciem ſub alternam 134.e
animarum diuerſitatis cauſa ſecunda 134.e
animarum uincula à loue ſolubilia fabricata 198.d
animarũ ſecundus & tertius ordo quõ in Timæo intelligendus 196.e
animarum inferiorũ ſtatus 191.e
animarum rationalium motus, fõlio 132.b
animarum uehicula 64.d
animarũ in corpora immißio 70.e
animarum diuerſitatis tertia cauſa 134.e
animarũ hum. tripudiatio 193.d
animarum ha-

animàrũ habitationes tres 193.e
animarum pœna 150.f
animarum humanarum multitudo unde colligatur 134.d
animarum militia quò referenda 142.a
animarum diſtributio ex Timæo Platonis 134.c
animarum libera electio 129.d
animarum figuræ diuerſæ 193.e
animarum dæmones qui 149.b
animarum noſtrarum & mundanæ animæ conſenſio unde oriatur 192.a
animarum reditus ad corpora. 153.a
animarum amplitudo & diuinitas, earumq; cum primo ente coniunctio 271.e
animarum uiciſſitudo quomodo à Platonicis probetur 129.c
animarum à Deo defectus unde. 36.b
animarum purgatio duplex 150.f
animarum cæleſtium uſus 51.a
animarum diſtinctio 70.f
animarum humanarum differentiæ quatuor 192.a
animarum differentiæ quæ cauſæ ſint 146.b
animarum ad ſupera progreſſarũ qualis ſtatus 154.b
animarum diſſimilitudo conducit ad uniuerſi harmoniam, folio 146.a
animarum tranſcorporatio 107.a
animas defunctorum uiuere oraculis diuinis probatur 236.a
animas particulares agere particulares uiciſſitudines, ut intelligendum 237.a
animas omnes minimè intellectuales eſſe 273.c
animas multas non per multa corpora euadere 910.e
animas noſtras animæ mundanæ partes eſſe, tribus Platonis dictis probatur 189.f
ani. apud inferos dormire quid. 43.b
animas ab intellectu digreſſas diſiungi 318.b
animas & mentes ſuis proprietatibus in ſeipſis inter ſe differẽtes eſſe, ante corpora 310.e
animabus ad cælum aſcenſus cur conceſſus 129.c
animab. in bruta corpora migrantib. qualis dæmon præſit 154.b
animal quid ſit 2.b
animal ex quib. cõponatur 52.d
animal noſtrũ pars uniuerſi 71.b
animal ab anima corpori coniuncta dictum eſſe 2.d
animal humanum ſentit cum paſſione 2.d
animal eſt cauſa malorum 2.f
animal quid 203.a
animal quando neceſſariò generetur 276.b
animalis noſtri cum ſuperiore cognatio 74.f
animalis uita nõ extinguitur 3.b
animalis natura ex corpore et lumine ab anima tradito conſtat folio 2.d
animalis ab homine & mixto diſtinctio 2.d
animalis gubernatio duplex, folio 209.b
animalis mundus 109.c
animalia oculos ſplendentes habentia 228.e
animalia falsò in cælo finguntur. folio 61.d
animalia à dijs Deo genitis facta. 53.c
animalia lulis cõparantur 132.f
animalia muſica 16.c
animalia cui mutationi obnoxia folio 53.c
animalia ſunt animarum decrementa 147.c
animalia innocua fœcunda 132.c
animalia intelligibilia quæ 109.a
animalia ſpontanea ad bonum et malum tendere 141.b
animalia cur nata 141.a
animalia ex aere concreto conflata 335.e
animalia cur ſint in intelligibili mundo ſuperuacua quæſtio. 335.f
animalia intellectualia Dei exẽplaria 236.c
animalium brutorum animæ ſint ne immortales 235.f
animalium perpetui belli quæ ſit cauſa & ratio 144.d
animalium brutorũ motus 122.c
animalium diſtinctio 73.b
animalium mutuæ cædes neceſſariæ 141.d
animalium multitudo 112.f
animalium ratione præditorũ genera quinq; 155.d
animantia omnia ne felicia 16.e
animatorum ratione carentiũ motus qualis 80.b
animato quomodo inanimatum inſit 220.c
animus à corpore non dependet. 118.e
animus quando agat uel patiatur 119.f
animus quõ malum uitet 36.b
animus ad quæ redigendus 8.e
animus probus qualis 182.d
animus à uitijs purgatus qualis. fol. 27.a
animus quando uiuat 79.c
anim. cur pulchra expetat 26.a
animus ubi dormitet ex Platone 38.d
animus felix 14.d
animus quando beatus 14.f
animus cùm ex Deo ſit, nunquid diuerſum ab eo ſit 363.e
animus ut Deo fiat ſimilis 4.a
animus quomodo ambiguitate laborat cùm ad Deum accedit. 360.a
animus propenſior ad bonũ quàm ad uerum 5.d
animus quãdo deus et dæmon. a
animus quibus gradibus ad ſimilitudinem Dei perueniat 4.a
animus quomodo fiat ſimilis animo mundi 4.a
animis cæleſtib. recordatio nõ neceſſaria 207.d
ani. probus cur obliuioſus 205.b
animi miranda opera 15.d
animi repurgatio 29.d
animi libertas demonſtratur, folio 118.d
animi à fato reſolutio 74.d
animi cum Deo combinatio quibus gradibus procedat, & perficiatur 272.a
animi dotes à cælo nõ proficiſcuntur 118.f
animi bona & mala aſtris accepta ferenda non ſunt 125.d
animi uis 15.e
animi oculus flumen 34.d
animi exilium 21.f
animi multiplices 21.f

animi actio 24.e
animi alia quàm materiæ ratio, folio 94.d
animi infernales 29.e
animi pulchritudo corporis formæ præſtantior 25.e
animi ſpiritale uelamen 134.e
animi limitatio, proportionata ind. contemplatione quæ ſit, 272.b
animi noſtri & mundani corporis, item noſtri et mundani elegans collatio 57.d
animo noſtro multa dominantur. 211.b
ab Animo tria expellenda 261.a
animum pœnis abiectis alligari in corpore quomodo intelligendum 238.a
animum relapſum priuari lumine puro 364.a
animum ſeparare à corpore quid ſit 7.f
animum purgare non eſt qualitatem auferre 164.c
animum indagare ſummum bonũ ſimilitudine declaratur 9.b
animorũ diuerſitas non eſt in corpora referenda 134.d
animorum & corporũ qualitates aerem ſequuntur 123.b
animorum naturæ tres 9.f
animis brutorum uis argumentatorum ineſt 14.d
annus mundi magnus quando expleatur 266.f
antecedentium cõſequentiumq; ordo 134.f
Apollinis myſterium apud Pythagoricos 260.d
Apollonius Theantus 222.e
appetitus naturalis quid 33.f
appetitus naturalis omnium ad bonum unũ omnia reuocat, folio 316.e
appetitus & declinatio quarum rerum 43.f
appetitũ conſequatur eiuſdem naturæ fruitio 363.e
aqua ſine participatione terræ poteſt eſſe 49.e
aqua in cryſtallum quomodo mutetur 49.e
aqua cur non luceat 49.e
aquæ definitio quæ reſpuat 98.b
aquæ ſub firmamento, ſupra firmamentũ, in firmamento 65.b
aquæ & lanæ uel papyrij commiſtio 102.b
aquæ & aeris commutatio 129.e
aquæ utilitas 46.e
aquam animatam eſſe 335.d
aquarius unde nomẽ traxerit 61.e
Aratus aſtronomus 59.f
arbitrium liberum an in aliqua parte ſit ſtatuendum 349.e
arbitrium liberum an rationi tribuendum 349.e
arbitrium liberum an inde ſtabiliri poſſit quòd ſenſu cognoſcamus 349.e
arbitrij libertas cur à quibuſdam tollatur 349.a
arboris mundanæ pictura 139.d
architectus mundi opus ſuum amat 270.e
argumentatio apud Deum nulla. 330.d
Argus cæleſtis 59.d
aries cur ſignorum caput 61.d
ars abſolutiſſima in nobis non conſultat 127.f
ars imitatrix animæ mũdi 197.f
artes imitantur naturam 13.f
artificioſarum actionum genera duo 217.d
artifex diuinus qua ratiõe faciat omnia 179.c
artifex ſummus in formanda materia non defatigatur 85.b
argentum uiuum Mercurio attributum 50.a
argentum Lunam ſequitur 50.a
argumento quo cõtingentiã quidam tollunt occurritur 135.f
aſpectus à lumine fit 53.f
aſpectus quinque eſſe probatur. fol. 62.b
aſpectus apud aſtrologos quot & qui 62.b
aſpectus plures quàm quinq; conſtitui poſſe 62.c
aſpectus mali nulli ſunt 78.a
aſpectuum diſtributio apud aſtrologos unde orta 62.c
aſpectuũ ſignificationes ab aſtrologis ineptè probantur 61.d
aſpectuum ſignificationes 62.c
aſymmetria quid 129.f
aſtra plurimum ignis habent, folio 53.d
aſtra liditatem habent 53.d
aſtris artes & fortunæ neutiquã adſcribendæ 60.b
aſtris non omnia tribuenda 125.b
aſtronomi docti iudicia negligunt folio 68.f
aſtrologia non prorſus à Plotino reiecta 59.b
aſtrologiã unam eſſe firmiſſimo argumento probatur 67.a
aſtrologi quidam plus æquo aſtris tribuunt 77.c
aſtrologi nullas experientiæ regulas habent 67.c
aſtrologi in diſtribuendis duodecim cæli domibus non conſentiunt 61.c
aſtrologi præterita ex aſtris rimãtur 66.b
aſtrol. experientia nituntur 67.b
aſtrologi cauſas rerum negligunt folio 61.b
aſtrologi ſimilitudinibus nituntur 61.a (cent 60.f
aſtrologi fingunt ſæpè, non doaſtrologi quot ſtellas numerẽt 6.a
aſtrologi inter ſe maximè diſſentiunt 60.b
aſtrologi ob duas cauſas à Plotino deriſi 59.b
aſtrologorum de uiribus planetarũ diſcrepãtes ſententiæ 62.a
aſtrolo. dogmata arbitraria 61.a
aſtrologorũ quorũdã error 59.b
aſtrolog. quorundã error de fixarum & errantium ſtellarũ differentia 60.b
aſtrologorum de radiorum confuſione explicatur à Ficino 59.d
aſtrolog. ſtolida ratio cur in tauro & capricorno potiones non ſint dandæ 61.e
aſtrologorũ iudicia incerta 59.a
aſtrolog. de dieb. iudicia ſæpiſſimè falſa 123.b
aſtrologis quare non credendum ſit 68.d
Attici & Plutarchi de materia errores 82.c
atomi non ſunt materia 91.a
atomorum motus qualis 124.b
atomis impoſſibile eſt ordinẽ ſubijcere 124.d
atropos quid efficiat 80.f
attributiones factæ à ſimilitudine in mundo incorporeo quomodo intelligendæ 300.c

audacia in quos cadat 1.a
audacia ſit ne ad animũ, corpus, aut mixtum quoddam referenda 1.a
auditus obiectum 103.b
auditus ut fiat 230.b
auditus quomodo fiat 227.d
auditus præſtantia 9.e
Auguſtinus cõtra aſtrologos 67.e
auguſtiſſimum quod eſt intelligentiam ſupereminet 347.c
Auicenna contra aſtrologos 68.d
aues naturali inſtinctu futura portendunt 61.f
Auerrois error 45.f
Auerrois & Auicennæ ſententia de cuiuſq; rei natura 358.f
aurum & argentum cur cæteris metallis præſtantiora 50.d
aurum Soli attributum 50.a
aurum potabile 51.b
auri proprietates 49.f
auri corruptio & pulchritudo, ſolio 29.d
auri generatio 50.a
auſpicium prædictiones 139.b

B

Babyloniæ rex quomodo inter boues uerſatus ſit 151.b
Bardeſanes Syrus aſtronomus ſapientiſſimus 122.d
belli & diſſidij in creatis rebus origo 145.b
beatitudo animæ contemplantis Deum 303.c
beatitudo quid 38.a
beatitudo non intenditur aſſecutione ſempiternæ actionis 23.b
beatitudo tempora non accreſcit. 23.d
beatitudo non augetur diuturna contemplatione 23.c
beatitudo non eſt tempore nuntianda 24.e
beatitudo non augetur diuturniore uoluptate 23.c
beatit. in præſenti cernitur 24.d
beatitudini memoria præteritorũ nil addit 24.c
beatus in rebus aduerſis felicitatem retinet 18.a
beatus cur corporis fortunæq; bona expetat 18.a
beatus quis 12.d
beatus nihil deſiderat 18.a
beata uita quæ 13.d 14.e
beata uita in intellectu 13.a
beatam uitam cur non omnes adipiſcantur 13.b
bellum an fortitudinis cauſa ſit, folio 350.e
Bernardus Bembus 236.b
Boetij de entis natura ſententia. 358.f
bonitas & unitas quomodo ſimpliciſſima dicantur 105.a
bonitas ipſa quid 264.e
bonitatem & unitatem quomodo contemplari debeamus 105.a
bonis plerunq; proſpera, malis aduerſa contingunt 130.c
bonum quid 24.f
bonum & malum quomodo contraria 39.f
bonum quomodo etiam inanimatũ & numerorum in unione conſiſtat 295.b
bonum ipſum ſit ne unum, & omnia nécne 183.e
bonum ſi ſit, & malum neceſſariò erit 41.d
bonum & prauitas quomodo contraria 41.b
bonum ſeipſum non apprehendit. 187.c
bonũ ipſum cur unũ dicatur 180.a
bonum ipſum cur nomine careat. 180.a
bonũ antiquius ſuperius eſſe pulchro probatur 262.d.e.f
bonum ipſum & intellectũ diuerſa eſſe oſtenditur 264.f
bonum ipſum ab actione expeditum 265.d
bonum ab omnibus expetitur, pulchrum non item 262.c
bonum adultũ quid dicatur 338.d
bonum ipſum ut procreet 246.f
bonũ ipſum ipſa libertas eſt 351.d
bonũ ipſum aliter creat quàm uel intellectus, uel anima, uel natura 246.f
bonum ipſum non eſt ius 246.e
bonum ipſum cur & primum & in ſeipſo ſufficiẽs dicatur 110.a
bonum ipſum nec in alio, nec ab alio 110.a
bonum ſummum quale 179.b
bonum non eſſe inter genera prima 296.c
bonum ipſum quæ ſequantur naturali ordine 110.b
bonum ſummum unde 21.d
bonum ummum in quem finem inquiratur 9.c
bonum quid cuilibet primæ ſubſtantiæ, & principij ſit 341.a
bonum ſimplex in ſenſu quodam non imaginatione tantum 9.c
bonum 21.b
bonum in actione 31.c
bonum ipſum infinitum eſſe probatur 82.e
bonum ſummum omnium bonorũ fons 32.f
bonum intelligibile 15.a
bonum ipſum uariè expetitur 31.f
bonum ſuperius eſt eſſentia, actuq; eius, & uita, et intellectu 338.a
bonum ipſum informe 82.e
bonum ſummum ſeipſo contentum 32.e
bonum ipſum quid 33.e
bonum penitus totũ eſt quicquid ab ipſo bono procreatũ eſt primò 338.e
bonum duplex 5.f
bonum quid in quaq; re naturali ſit 342.a
bonum uniuerſi mentem nõ ſolùm procreat, ſed aſſiduè tanquam hamo amatorio ad ſeipſum reuocat 343.e
bonum etiãſi eſſet abſq; uoluptate tamen expelli debet 342.a
bonum uero potentius 5.d
bonum certitudinis origo & principium 346.e
bonũ ipſum an intelligatur 348.a
bonum ſummum quomodo omnia repetant 33.a
bonũ cur non dicatur artifex mundi 76.f
bonum ſummum circulo & Soli conferitur 32.f
bonum ente communius 34.e
bonum cur ab omnibus expetatur. 105.c
boni ſummi uetuſta definitio 32.f
boni præſentis ſignum 341.c
boni deſcriptio 39.e
boni & intellectus cõparat. 184.c
boni ipſius & intellectus diſcrimen 180.c
boni ipſius natura cùm ſimplex, tum una 110.a
boni natura quidnã ſit ignoratur. 340.c

boni ſimplicis diffuſio 9.c
boni ſummi poſſeſſio in quo conſiſtat 14.f
boni natura quõ intelligatur 31.d
boni ſummi diffuſio 36.f
boni malorum curam habere non debent 143.a
boni appellatio quàm latè pateat. 130.c
boni fruitio quomodo appellãda, quiq; ea ſit 345.f
boni in ipſum animum uires agentes 344.c
boni fruitio nec intelligentia, nec cognitio nominanda 345.f
boni & mali cõtrarietates 342.a
boni diſciplina iuxta Plat. 346.a
boni fruitio optabilior cognitione 345.f
boni & intelligentiæ ratio diuerſa 254.a
boni ueri iudicium & unde, reſtat ambiguum 339.b
bono opus nõ eſt intellectus 342.a
bono ipſi intelligentia non ineſt. 264.f
in bono aſcenſus & appetitio cuiuſmodi manentis ſint 342.a
bono ipſi nihil contrarium 36.c
bono cur mala, & uiciſſim mala cur bono accidant 141.c
bono nihil addendum 184.c
bono uno cuncta ueſci 319.c
bono exiſtente malum ſit neceſſe eſt 36.c
bono ipſo nihil ſuperius 110.a
bono, menti & animæ quæ ſimilia 105.c
bono ipſo nil prius nec ſuperius. 104.c
bono quõ ali quid contrariũ 41.b
bonorum genera tria 40.a
bonorum diuiſio 15.a
bonorum ordo 5.b
bonorum uarijs generibus cur nomen idem commune 37.d
bonorum gradus 35.f
bonis omnia in bonum, malis uerò in malum cedunt 130.c
bona ſecunda duplici nomine bona 32.c
bona unde in mundũ ueniant 41.c
bona unde quælibet dicantur, & quare 296.c
bona & mala in mundo hoc unde proueniant 81.d
boniformæ quid 5.a
brutorum animæ 3.c
bruta animalia à uituperio aliena 143.a
bruta num felicia 17.a
brutorũ animalium utilitas 143.b
brutorũ animæ imaginationis & uegetationis participes 138.a

C

CAbaliſtæ Hebræorum 132.b
Calamitates & miſeriæ an uirtutum origines ſint 350.c
calor & humor quomodo in cælo intelligantur 63.c
calor in igne quid 100.a
calor & humor in cælo à noſtris qualitatibus differunt 63.c
calore occulto omnia uiuũt 47.b
calefieri quæ poſſint 54.c
cancer unde nominatus 61.b
cancer non eſt frigidus 62.c
Capricorni ſignum cur ſic appellatum 61.c
caput & cauda Draconis 61.a
caro ſanguis concretus 335.d
caſus in quib. reb. cernatur 126.c
caſus inopinati à quali proueniant cauſa 137.b
caſus unde contingat 357.c
caſu non agitantur res 120.a
cauſa pars eſſentiæ 331.f
cauſa conuenientia cur effectibus diſcrepent 98.a
cauſæ rerum ſuper lunam communes, infrà propriæ 66.c
cauſæ ſub luna unde uires ſuas ſortiantur 121.c
cauſæ remotiores inueſtigandæ. 124.a
cauſæ rerum tres 105.b
cauſæ rerum geminæ 126.c
cauſæ ſecundæ inſeruiunt Deo. 127.b
cauſæ ſequentes præcedentib. partim ſimiles, partim diſſimiles. 123.c
cauſæ propinquæ et remotæ 117.f
cauſæ ſeparatæ ſimilór ne ſit materia an forma 300.a
cauſam quæ fiunt omnia habent. 123.c
cauſam quæ exiſtunt partim habent, partim non 123.c
cauſarum nexus eleganti ſimilitudine declaratur 76.b
cauſarum propinquarum facilis in uentio 124.a
cauſarũ in fato genera duo 119.a
cauſarum connexio 199.d
centrum quieſcit 58.b
Cælius Saturnus et Iupiter tres diuinas denotant ſubſtãtias 184.c
cælum animã mundi ſequitur 58.b
cælum omnium animalium formas habet 335.a
cælum ubiq; 58.b
cælum quomodo per omnia diffuſum 56.d
cælum inſtrumentum uitæ diuinoris 56.c
cælum uniuerſum 58.c
cælum etſi lucidũ cur non ſub aſpectum cadat 54.d
cælum alimento non eget 54.c
cælum rationali uita uiuere unde deprehendatur 55.a
cælum igneum eſſe uarijs rationibus comprobatur 63.d
cælum oculus 185.d
cælum non urit 108.c
cælum empyreũ & chriſtal. 65.b
cælum quaſnam qualitates inferioribus impertiat 63.b
cælum Dei lyra 62.d
cælum uiuere unde colligatur 55.a
cælum ex igne & ſoliditate 49.a
cælum intellectuali anima uiuere quomodo probatur 55.a
cælum reſpuit aquam 49.a
cælũ ex aere conſtare nequit 49.b
cælum nihil terreni habet 49.b
cælum ſempiternum eſſe argumentis aliquot confirmatur 48.a
cælum ignis 45.d. 49.c
cælum ex quinta natura 46.b
cælum cælorum 47.b
cælum aere & aqua cur careat, fol. 53.c
cælum quomodo materia careat. 47.f
cælum imago animæ 47.d
cælum cur non mutetur 37.a
cælum incorporea ferè natura, folio 47.f
cælum per omnia quur moueatur 58.c
cælum in quibus cõueniat cum elementis 50.d
cælum totum 58.c (58.b
cælum aſſequitur mundi animam.
cælum locus 58.c (56.b
cælum uniuerſi pars præſtantiſſ.

cælum quæ ratione in terrena a-
cælum ubiq; 47.c (gat 218.b
cælum Platonicorum ſententia ex quatuor elementis cõſtatũ 52.d
cælum Ariſtot. ſententia ex quinta natura conſtat 52.d
cælum non ſuſcipit cõtraria 62.d
cælum cur ſempiternum ob materiam 52.e
cælum triplex 15.d
cælum omnia gubernat 47.b
cæli motores duo, Peripateticorũ ſententia 190.c
cæli partes cur conſiſtant 53.b
cæli anima optima 53.a
cæli anima ex Deo manans 53.b
cæli immortalitatis potiſſima cauſa 53.a (207.f
cæli motus circularis qualis ſit,
cæli immortalitatis cauſa 45.e
cæli motus reliquorum motuum dux 56.c
cæli motio ex anima & corpore mixta 58.a
cæli anima quomodo erga illud affecta 46.b
cæli definitio 46.f
cæli ſubſtantia in centro, non ſolũ in circumferentia 56.b
cæli motus nõ omnino localis 55.e
cæli & animæ collatio 47.d
cæli configurationes cur mutentur 55.b
cæli motus non eſt rectus 54.e
cæli & terræ collatio 41.a
cæli anima ſpirat 46.e
cæli corpus puriſſimum 53.a
cæli motus æternitati eius nihil detrahit 46.c
cæli materia potentiã ad mutationem habet 45.e
cæli forma ſenſibilis 45.d
cæli contactus qualis 49.b
cæli motus cur in orbem 55.c
cæli motus cur perpetuus 56.c
cæli motus mentem imitatur 57.e
cæli motus cur circularis 57.e
cæli motus ab anima 55.d
cæli forma 26.c
cæli uirtus 26.c
cæli motus animæ ne ſit an corporis 57.e
cæli pars quæuis bona 60.c
cæli motus iuuat inferiorum mutationes 225.d
cæli undecima plaga 60.e
cæli tertia plaga 39.e
cæli plaga ſexta quæ 60.d
cæli dignitas defenditur 72.a
cæli temperatio prima in fœtu maximam uim habet 68.a
cæli medium quid naſcentibus portendat 61.b
cæli nona plaga 60.f
cæli plaga 12. quæ 60.d
cæli plaga quinta 60.f
cæli harmonia 62.d
cæli facies libro confertur 66.c
cæli & animæ collatio 63.e
cælo nihil effluit 51.d
cælo nihil influit 51.d
cælo ſimilia quæ 47.e
cælo quæ appropinquent 54.d
cælo nil ſimilius in terra argento uiuo 63.f
cæleſte corpus ab anima non ſeparatur 54.f
cæleſt. motus choreæ ſimilis 208.c
cæleſtis ciuitas deſcribitur 51.c
cæleſtis animæ propoſitum in mouendo cælo 55.e
cæleſtis influxus mutationum cauſæ 118.e (118.f
cæleſtis influxus quid conferat.
cæleſtes animæ quomodo corporea ſua regant 239.d
cæleſt. effectus cur euitabiles 72.e
cæleſt. corpora omnia calida 78.e
cæleſtia ſub terra generãtur 47.c
cæleſtia ad nos profecta mutantur 79.e
cæleſtia num ſint animata 77.d
cæleſtia munera ob quas cauſas degenerent 72.d
cæleſtia in terreſtribus, & terrena in cæleſtibus eſſe quomodo intelligendum 265.f
cæleſtia quomodo iudicãda 54.e
cæleſtia à Deo ipſo facta 53.c
cæleſtia corpora qualitates non ſpecies mutant 59.b
cæleſtia quõ ſempiterna 52.c
cæleſtia cur uideantur frigus inferre 63.e
cæleſtia corpora animata eſſe Aſtronomi teſtantur 59.f
cæleſtia quõ componenda 65.a
cæleſt. corpora animata eſſe unde collegerint Aſtrologi 59.f
cæleſtia corpora adiuuãt rerũ generationem 579.f
cæleſtium motuũ & tripudij collatio 218.f
cæleſtium ſignificationum dæmones peritiſſimi 119.a
cæleſtium corporum influxus cur impediantur 121.e
cæleſtium circuitus quomodo omnia diſponat 125.a
cæleſt. immortalitas aſtruitur 111.c
cæleſtium uſus duplex 225.e
cæleſtibus uitam derogare non eſt philoſophi 108.b (207.a
cælicolæ uoces inter ſe edunt.
cœtus animarũ intellect. cũ ideis mirabiliter copulatus 316.e
centrum an eo minus unicum quòd ab eo multitudo linearum fluat 311.f (121.e
Chryſippus fati cæleſtis aſſertor.
Chryſippi opinio de fato 119.c
Chriſtianorũ in religione conſeruanda æquanimitas & conſtantia 122.e
circa Deũ ſemper reuoluunt homines 363.b
circumciſio Moſaica diligenter à Iudæis obſeruata 122.e
circa Concretionem & diſcret. quot cõtingẽtia cõcurrãt 308.a
circularis motus per accidens localis eſt 57.f
circularis motus qualis per ſe 57.f
ciuilis uirtus 7.b (5.a
ciuiles uirtutes quare non in deo.
ciuiles uirtutes quales 5.a
Clementis apoſt. ſectatoris de fato aſtrologico ſententia 122.f
cogitatio quid 209.d
cogitatio intenta cur diuidi nequeat 205.d
cogitatio animæ propria 3.a
cogitatio quid 3.a
cogitationis officium 3.a
cognitio quid 13.c
cognitio æterna et tẽporalis 15.b
cognitio noſtra tria comprehendit 185.e
cognitio ſuijpſius ex animæ cognitione depẽdet 194.c (tur 39.d
cognitio per ſimilitudinem perfici
cognitiones & conditiones quot & quæ 347.a
cognoſce teipſum quos admoneat.
cognoſcere quid ſit 179.c (348.b
cognoſcens ſeipſum duplex 249.b
cognoſcens ius rei cognoſcendæ ſimilis 33.d

cognoſcens ſeipſum quale 247.e
colliſio durorum corporum cur ca lorem gignat 64.b
color ab igne proficiſcitur 49.e
color ex lumine 49.e
colorum pulchritudo 28.e
colore uno tincta cur minora uideantur, ijs quæ coloribus diſtincta ſunt 103.b
colorum diſtinctio 37.c
colorum floſculi 216.d
cometæ generatio 50.f
communia mundi quæ 105.b
compaſſio reſultat in nobis ex iudicio animæ mundi 311.d
compoſitio corporum ut fiat, opiniones tres 100.d
compoſitio in mundo intellectuali & ſenſibili 82.f
compoſitum quando præſtat accipere quã for. aut mater. 300.b
compoſiti partes duæ 96.b
compoſita quæ ſunt, unde conſtent 274.a
compoſita intelligibilia diuerſa à corporeis 89.f
compoſita cur ſoluant 48.f
cõpoſitorum corporũ actio 150.b
compoſitorum diſſolutio non eſt mala 129.a
compoſitorum reſolutio 261.e
concentus muſici uoces 76.f
conceptionis hora ad iudicandum uitæ curſum ualet plurimũ 68.c
cõceptus gradus quomodo deprehendatur 67.f
cõcupiſcentia ex neceſſitate ineſt. 141.c
concretio & diſcretio motus ſunt ab alijs motibus atq; qualitatibus differentes 308.a
concupiſcentiæ cur duæ ponantur 212.d
concupiſcentiæ incitamenta unde oriantur 212.e
concupiſcentiarũ potentia 126.c
concupiſcendi facultatis depraua tio 163.b
concupiſcendi uis quando uel temperans uel intemperans 163.d
concordia & diſcordia rerum, folio 140.c
conditio noſtra haud deploranda 130.d
conditiones attributiuæ quomodo conueniant ſubiectis rebus & æternis, tãdem primæ eſſentiæ 352.b
confluxus rerum ſub cælo 123.c
coniugium per ſeptimum ab aſcendente ſignũ prænunciatur 61.b
connexio rerum omnium 73.e & 331.b
connexæ ne ſint inter ſe res omnes 125.e
conſuetudo altera natura 123.a
conſuetudo quibus rebus conſtet. 123.a
conſuetudinis uis 122.f
cõſtantia rerum omniũ unde 31.d
contraria ſola in ſe inuicem agunt 166.c
contrarietas quomodo fiat 41.d
contrarietatis definitiones duæ, folio 36.d
contraria quæ 41.f
contemplatio principium & finis eſt omnium 179.a
contemplatio finis agentiũ 182.b
contemplatio philoſophorum ab aliorum quid diſcrepet 271.d
contemplatio diuina quo ſubiecto nitatur, & in quod ſubiectum agat 272.a
contẽplationis præparationes quæ & quot 272.a
contemplationis ardor unde facultatem accipiat perſcrutãdi ſublimiora 273.e
cõtemplationis progreſſus, initiũ, & terminus quomodo ſtatuantur 273.d
contemplationis nullus terminus. 182.a
contemplationem omnia conſequuntur, ſed diuerſa ratione, folio 180.d
contemplationem omnia appetunt 180.d
cõtemplationis omnia ſunt 182.d
cõtẽplamina intellectꝰ quid 178.f
cõtẽplatores quare diuerſi 271.e
contemplantium animæ cum Aethiopibus comparatæ uenuſta collatione 271.f
contingentia ad utrumlibet 122.c
contingentia circa quæ 119.c
contingentia à Deo permittitur. 120.a
contingentia ad neceſſitatem reducitur 120.e
contingentia in agentibus uolun tarijs potiſſimum 121.e
contingentia unde naſcatur 120.f
contingentiã à Deo alienã 353.a
contingens medium quid 120.e
continuorum ſpecies qua differentia inueniantur 302.c
cõuexum & concauum quid 94.f
cõiunctum quomodo moleſtia affi ciatur 2.d
coralliuis 73.c
cupiditas ſit ne animi, corporis, aut alicuius mixti 1.a
corpus non prorſus inanimatum. 211.e
corpus deforme formoſa aliquando animam habet 109.f
corpus noſtrum pars mundani corporis 56.e
corpus nullum ſine materia 87.b
corpus humanũ cur intereat 37.a
corpus in anima collocatum 101.e
corpus unde uiuat 55.f
corpus quomodo ab anima deſciſcat 44.d
corpus extra mundum poſitũ nullo impediente uideri ne poſſit 229.b
corpus permanere nequit 231.c
corpus ab electione unum 232.c
corpus animali non intelligere, folio 234.a
corpus naturale quid 101.c
corpus quid 102.d
corpus ueſtigia animæ in ſe continet 109.e
corpus propriũ an animatũ an cõmunis ſimul particeps ſit 311.b
corpus ſpiritale animæ 138.c
corpus pulchrum animæ pulchræ ſignum 109.f
corpus quomodo propriè corpus ſit 329.f
corpus humanum eſt mundi ſimulachrum 220.c
corporis & animi complexio mutari poteſt 122.b
corporis ſtupenda opera 71.a
corporis formatio 22.a
corporis uirium cauſæ 80.d
corporis ab anima defectio 45.c
corporis primum cum anima commercium quod 197.c
corporis accommodatio ad animam quomodo fiat 314.a
corpore turbari animi intuitum. 364.a

corpore diuiſo, cur non & materia diuidatur 167.c
corpora quatenus corpora uita carent 231.b
corpora mũdi apta quomodo ſint ad uitale quid recipiendũ ex mundi anima 313.f
corpora inepta ſunt quæ ſe circa Deum uerſent 58.d
corpora omniſq; eorum ornatus unde dependeat 118.b
corpora noſtra à mundi anima quõ uitam accipiant 313.f
corpora duobus modis mundi partes ſunt 218.a
corpora à quibus fabricẽtur, Porphyrij ſententia 106.d
corpora noſtra aliter mouentur q̃ corpus mundanum 56.f
corporum noſtrorũ & mundi differentia 237.b
corporum ſimplicium elementorum paßio & officia 271.c
corporum natura quomodo mala 40.c
corporũ antecedentia quæ 118.b
corporeitas quid 101.d
& 87.b. 101.c
corporeitatis ſignificationes duæ folio 92.c
corporeum commercium difficil limum 313.d
corporea ex incorporeis fieri mirum non eſſe. ſimili oſtenditur 123.f
corporeæ naturæ cæleſtis influxus neceßitatẽ nõ affert 121.b
corporeis principijs cuncta committere abſurdum eſt 124.d
corpulenta maiore ui inſenſus incidunt 165.a
corpulenta cur diuident, reſiſtãt. 161.d
corpulenta quur ſenſus maximè afficiant 161.d
creatarum rerum diſtinctio 46.c
cruciatus animi uerus quis 150.f
cruciatus animorum ſenſibiles figmenta ſunt 150.f
cruciatus cuuſnam ſit 1.a

D

Dæmon uitæ dux quando animæ tribuatu 68.a
dæmon magnus 79.c
dæmon nullus in mundo intelligibili 159.a
dæmon quatenus noſter ſit 153.f
dæmon unde detur homini 74.a
dæmon Plotini præſtantiſſ. 149.d
dæmonis erga animam affectio. 152.b
dæmonis electio unde 151.f
dæmonem eligere quomodo intelligendum ſit apud Platonem. 153.b
dæmonem ſuum quomodo quiſq; cognoſcere debeat 59.f
dæmonem quando ſortiatur animus 74.a
dæmones animalia aeria 50.b
dæmones diuini quã 50.c
dæmones fallũtur 61.f
dæmones quã ſentiantur 199.d
dæmones ſine inſtrumentis mirabilia faciunt 128.f
dæmones qui pulchri ſint, quiue deformes 109.c
dæmones ſtellæ ſunt 149.d
dæmones agunt natura 149.d
dæmones exteriores interioribus reſpondent 149.c
dæmones apud Platonicos duplices, alij intra alij extra animã 149.c
dæmones duplices 152.b
dæmones in ſphæris planetarũ. 108.a
dæmones præſtantiores dij appellantur 149.d
dæmones non mutentur 151.c
dæmones uariantur 149.f
dæmones cur non omnes amores. 159.a
dæmones quomodo in nos agant. folio 137.a
dæmones quibus reb. alãtur 155.f
dæmones neceſſariò eſſe probatur 155.d
dæmones cur dicantur ab anima mundi dependere 156.b
dæmones cæleſtes et ætherei quales 155.f
dæmones cuius materiæ participes 159.b
dæmones impuri quomodo arceãtur à nobis 156.a
dæmones cæleſtes ubi 50.c
dæmones quomodo figuram ſuam uarient 50.b
dæmonum ordines tres 50.b
dæmonum corpora qualia 156.c
dæmonũ cõplexiões quinq; 156.c
dæmonum ſuperbia 156.a
dæmonum officia 119.a
dæmonum ignea animalia 54.a
dæmonum ordines 119.b
dæmonum luſus 61.f
dæmonũ figura orbicularis 50.b
dæmonum corpora ignea 50.b
dæmonum Mercurialium, Venereorum, & Phœbeorum munus 8.f
dæmonum genera tria, eorumq; officia 66.f
dæmonum diſtributio quomodo aſtris accepta ferenda 152.a
dæmonum & deorum diſtinctio. 158.f
dæmonum ſupra nos ſuam quiſq; ſphæram obtinet 50.b
dæmonum origo 156.b
dæmonibus totum cælum refertum 149.f
de Dæmonibus Græcorum theologorum ſententia 237.a
dæmonici dij 50.c
dæmonici affectus 71.c 79.c
debilitas animi & corporis 38.d
debile quid 38.d
Democriti oratio 156.a
Democriti atomi 84.c
defectus rerum cauſæ 132.c
defectus melior & deterior quis 36.a
definitio qualis eſſe debeat 332.b
definitionum error 98.b
definitiones eſſentiales inuẽtu cur difficiles 99.a
deformitas quid 26.a
deformitatis definitio 40.f
degeneratio rerum duplex 75.d
deliberatio de quibus rebus inſtituatur 122.c
denſa cur medium petant 47.b
deteriora quomodo uniuerſo conducant 8.c
Deus quid 4.a
Deus eſt cauſa cauſæ 357.b
deus quomodo ubiq; & nuſquam ſit 356.a
deus principium & finis omnium rerum 31.c
deus ſuapte natura libertas 353.f
deus ſummus intellectui præficitur à Platone 346.d
deus ſibimet nõ dominatur 354.b
deus uno ictu uirtutiſq; momento cuncta diſpoſuit 330.a

deus purus actus 88.f
deus existit id quod uoluit 354.c
deus qua ratione seipsum intelligat 347.a
deus quomodo formas imprimat materiæ 85.a
deus sui ipsius amor 355.c
deus summus quomodo intellectũ generet 234.f
deus cui non adsit 362.d
deus extiterit ne priusquam fieret 357.f
deus non ab actione bonus 31.c
deus licet ex eo omnia effluant, haud tamen minuitur 361.d
deus sũmus quomodo naturæ suæ libertas potius dicatur quàm dominus 353.f
deus à Platone cur decens & opportunum dicatur 357.c
deus omnibus prouidet 110.d
deus super statum 185.f
deus centro ſſ hæræ comparatur. folio 31.f
deus ubi perspicuò luceat 362.c
deus supra cognitionem collocatus 186.a
deus non est bonus, sed bonum ipsum 263.b
deus centro similis 362.f
deus in condendo mundo consultatione non est usus 270.a.b
deus animo nõ dicitur similis 4.d
deus in cunctis 58.c
deus non aufert rebus uel minimis propriας actiones 136.c
deus nõ aspicitur à uoluptuarijs. 115.c
deus quõ singula intelligat 135.c
deus non mutatur cuiusque precibus 109.b
deus ubiq; adest, non accedens, folio 261.b
deus uirtutis principium, exemplar, & ipsa uirtus 4.a
deus à motu alienus 185.f
deus uirtute opus non habet 6.f
deus à motu & quiete alienus, folio 262.a
deus non habet uirtutes 4.a
deus in entium ordine non continetur 263.a
deus non mutabilia mutabiliter intelligit 135.c
deus contingentia firmiter prævidet 135.c
deus libertas simul & dominatio summa 353.f
deus summus nec scribi nec dici potest 360.f
dei essentia, uoluntas, actio idem 354.c & d.
dei actus qualis 34.d
dei natura quæ 331.d
dei dona tria rebus data 32.a
dei qui obliuiscuntur, duplici sermone ad illũ reuocaturi 241.a
dei propriorem unumquodq; omnia continet 330.c
dei dignitas in quo cõsistat 346.b
dei consiliũ rationale quid 330.d
dei filiũ solùm actu substantiæ inter mortales cõparuisse 272.c
dei præuisio quid 330.d
dei & naturæ in se mutuò benignitas & beniuolentia 354.c
dei nullius uirtus defectum patitur 317.c
dei uoluntate nondum existentis num quid fiat 358.c
dei patris ἐξουσία unde inuestiganda 272.c
dei per simile descriptio 362.f
in Dei præsentia quódnã trinum statuat Plotinus 360 c
dei in creaturas largus amor, folio 272.c
dei uolũtas, ipsa natura dei 358.b
dei natura geometricis figuris illustratur 357.a
dei epitheta 34.a
dei uerbum 55.b
deo similem fieri quid 6.d
deo cur opus nullum assignetur. 346.c
deo quidnam sui ipsius princeps nominetur 358.a
deo ineffabili modo tribuuntur aliarũ rerum attributa 352.a
deo fruituris qualis conformatio opus erit 272.a
deo omnia præsentia 135.d
à Deo cuncta dependent 58.d
deo cur facilis rerum omnium cura 136.c
deo nos assimilari per uirtutes 6.c
deo adhærens unus fit spũs 364.a
extra Deũ nihil fingi potest 356.f
deum quid nobis ostendat 115.f
deum nullã speciem habere 360.a
deum quõ animus accedat 359.c
deum appellare unum quid significet 361.b
deum ubiq; esse, perspicuè tamen lucere in summo intelligentiæ. 362.c
deum non intelligere, licet perpetuus existat actus, probatur. 346.d
deũ mala nõ facere probatur 22.a
deũ semper & ubiq; regnare quo modo intelligendum 344.a
deum quo medio cognoscere incipiamus 360.c
deus ut centrum quoddam omnibus inest 57.a
deum intũeri ut debeamus 261.f
deum qui contemplatus fuit, nullam ei tribuit contingentiam. 357.d
deum non habere speciem quomodo intelligendum 4.f
deum unum esse, cumq; ubiq; totum 316.c
ad Deum accessus 360.c
deum ex seipso esse quid existit. 356.d
deũ in animi transmigratione quo modo consequamur 364.a
deũ quicquid sequitur absq; eius præsentia conseruari nec moueri posse 317.c
deum unquam incepisse esse, nec defecturum 272.c
deorum & dæmonum distinctio. folio 27.a
deorum unumquenq; ubiq; simul existere 317.c
deorum uita 39.f
deorum & diuinorum hominum uita 365.a
deorũ dæmonumq; formæ ut differant 27.c
deorum cultus amori coniunctus. 115.f
deorum contemptus fons omnium malorum 115.f
dextrũ & sinistrum quod nostra cogitatione est, nihil esse 280.a
dialectica in quib. uersetur 12.b
dialectica non est philosophiæ instrumentum 12.a
dialectica naturalis 83.b
dialectica quõ sophismata cognoscat 12.d
dialecticæ materia 12.a
dialecticæ uis 12.a
dialecticæ, id est metaphysicæ definitio

finitio 11.b
differentiæ rerum inter ſe quomodo diſtinguantur 304.f
differentiæ rerum quales in opifice 180.b
differẽtiæ inter indiuidua formales quænã, & quomodo ideas habeãt in homine uero 277.a
differentiæ ſpeciales nõ ſunt qualitates 98.a
differentias entis diuerſum quid eſſe debere ab ipſo ente 296.f
digito pedis læſo, cur inguina doleant 219.a
dij omnes pulchri 268.d
dij quomodo uideantur 27.c
dij in cælo incorporeo duplices. 268.c
dij ſemper contemplantur 268.d
dij ſublunares 27.b
dij liberrimi 348.f
dilatatio & contractio in corporibus unde 55.d
dimenſio quid 45.f
dimenſio quõ terminetur in idæis figurarum quæ ſunt in diuinis. 329.b
dimenſio magna et parua quomodo fiat 302.b
dimenſio rei tota quando uideatur 103.a
dimenſiones ſunt corporis termini 328.f
dimenſionum menſuræ ſunt numeri 328.f
Diogeniani philoſ. de fato ſententia 122.d
Dionyſius Areopagita principiũ ſuper intelligentiam, uitam et eſſentiam eſſe putat 361.f
Dionyſius quid Plotino ſignificet 193.c
Dionyſij prouidentia 44.b
Dionyſiaci 44.b
diuinitatis duplex argumentum. 234.d
diuinitatis amplitudo 113.b
diuinitatis uiæ tres 9.b & c
diuinitatem conſequendi proceſſio duplex 11.a
diuina uirtus immenſa 127.c
diuinæ naturæ proprietatib. quæ contraria 41.c
diuina cũrnam omnia ſint eſſentiæ 99.a
diuina ubiq; ſunt 111.a
diuitiæ quõ contingant 79.b
diuitiarum cauſæ 80.d
diuites nõ habent plus boni quàm pauperes 113.a
diuinatio cur potius dæmonum q̃ hominum 66.c
diuinatores cauti ſint 66.c
diuiſibilia & indiuiſibilia 188.c
diſcrepantia rerum conſtituit harmoniam 145.c
diſpoſitio rerum ex primæ cauſæ prouidentia 127.b
diſpoſitio mundi iure uituperari nequit 112.c
diſputatio contra eos qui planè abſurda ſtatuunt, inſtituenda non eſt 116.b
diſpoſitionis omnium rerum circa regem omnium triplex ordo 245.b
diſtinctio rerum uera unde ſumatur 191.c
diſtinctio uniuerſi formalis unde procedat 127.a
dolor animi & corporis 70.d
doloris principium 2.a
dolores ſint ne animi, corporis an cuiuſdam mixti 1.a
domini & liberi an omnino dicendi ſumus 349.c

E

ECho 168.d
Efficiẽs præſtãtius facto 267.d
effectus inabſolutus 80.a
effectus propinquiorẽ potius cauſam ſequitur 121.a
effectus cuiuslibet rei à Deo, ſolio 131.a
poſt Effectionẽ opus extare conſueuit 286.d
Egidius Romanus 109.c
elementum quoduis ut reliqua in ſe contineat 50.c
elemẽti forma eſſẽtialis una 26.a
elementa in ſeipſis conſtitutionẽ habere poſſunt 53.b
elementa cur mutentur 53.c
elementa hæc noſtra cur animam non declarent 335.d
elementa omnia producant uiuentia 335.a
elementa nec forma ſunt nec materia 90.f
elementa non ſunt materia prima 84.d
elementa non ſunt pura 49.c
elementa alia alijs ad penetrandum aptiora 51.a
elementa naturæ nixu conſentaneũ petunt atq; fruuntur 342.f
elementorum motus contra naturam 127.d
elementorum globi à malo remoti 129.a
elementorum quoduis reliquorũ ueſtigia in ſe continet 54.a
elementorum motus 14.a
elementorum diſpoſitio 46.f
elementorum orbes quã minores uel maiores 91.a
elementis quomodo inſit anima, Platonis ſententia 335.c
ellebori uis 62.f
emigrare quid 45.b
Empedoclis lex 236.d
Empedoclis error 90.f
Empedoclis diſcordia & concordia 245.d
Endelechiæ deſcriptio 188.c
Enricus Magnus Scoti præceptor 251.b
ens unum idemq; ſimul totum eſt ubiq; 309.b
ens unum ne ſit, an plura, an uerò infinita 277.f
ens primum omnem rerum numerũ, omnes formas & uitas continet 334.a
ens primum prius exiſtere unum, quàm ens unde ſumatur ſignũ. 327.b
ens primum boni unius ſuſceptaculum 316.c
ens uniuerſum eſt quamuis multiplex 311.a
ens & unum neutiquã eadem ratione rebus ineſſe 294.d
ens eſſentia & eſſe ab uno procedere confirmatur 259.f
ens ſuperius & inferius 10.c
ens nullum perit 195.f
ens uerum quid 161.b
ens cum uita quomodo conuertatur 292.c
ens quonã modo de ſubſtantia incorporea & corporea, item accidente prædicetur 300.c
ens unitate priũsne ſit an contrà 358.c
ens quare reliquis omnibus prius ſit 358.f
ens continuũ & diſcretum in ali-

quid indiuiduũ reſoluì 361.b
ens an genus appellari poſſit, & in ſpecies diuidi 290.c
ens ipſum non eſt uniuocũ in cunctis rebus 278.b
ens ſe habet ad ſuas ideas, ſicuti materia per inchoationes formarum ſecum genitas ſe ad formas habet 325.a
ens in entia deriuari poſſe quid efficiat 324.c
entis diuerſitas & quodlibet quomodo terminetur 360.a
entis differentiæ unde ſumendæ. 296.f
entis ſumma perfectio in identitate ſtatuq; conſiſtit 359.e
entis & ratio & cauſa eſt unitas 358.f
entis natura quot modis conſideretur 74.d
entis naturam unitatibus fœcundam parere ideas 325.d
entis primi naturam prima ſui origine multiplicem & numeroſam 324.f
entis primi influxus 24.e
entis acceptiones quotuplices, folio 293.d
entis fœcunditas à numerorũ certis proportionib. quomodo pendeat 325.e
entis & unius collatio 359.c
item 359.d
entis proprietates 35.a
entis ratio à quantitate diuerſa. 85.d
entis perfecti conditiones 164.f
entis origo 97.d
entis & non entis collatio 95.d
entis genera de ſe inuicem minimè prædicantur 170.e
entis reſpectus in propagatas ex ſe ſpecies quaſi ſoboles quæ ratio ſit 290.f
entis elementa quinq; 170.d
de Ente quocunq; prædicari unitatem 325.c
entia bona 40.a
entia uera 10.c
entia uera quæ ſint, & ubi ſubſiſtant 275.a
entia duplicia 10.c
entia in actu conſiſtere 329.f
entia quædam materiæ expertia. folio 97.a
entia fundari in numero, & numerus in ente poſtea ipſum ens in uno protinus diſſipetur 324.e
entium principium & finis 74.e
entium optimum 17.e
entium & corporũ collatio 375.a
entium perfectorum ubi ſit multitudo 274.d
entium æternorum regnum 96.d
ent. ſublatis nihil remanet 168.b
Enomaus philoſophus 122.c
Epicuri dogma 115.d
epicurei ſomniant 165.c
epicureorũ & ſtoicorum ſententia de anima refutatur 232.c
epicureorum opinio de rebus corpulentis refellitur 161.d
epicureorũ error de anima 48.a
epulis adſtructi dæmonibus familiares 120.c
errata qualia in ijs quæ generantur 182.f
eſſe & uiuere quare optentur, folio 346.b
eſſe, uiuere & intelligere differunt 252.f
eſſe quantam uim habeat 330.a
eſſe priuſquam ineſſe 89.a
eſſe quadruplex 167.d
eſſe et forma reciprocãtur 135.a
eſſe an rectè de bono prædicetur. 346.d
eſſe quæ dicãtur, quot & quæ ea ſint 277.f
eſſe relatiuum quõ eſſe ſit, & unde conficiatur 284.c
eſſe ut de materia dicatur 40.d
eſſe penes deos quid 41.c
eſſe & pulchri mutuus reſpectus 171.c
eſſe quõ in ſuperiorem cauſam reſoluatur 136.d
eſſentia 23.c
eſſentia quid 97.c
eſſentia prima non anima ſuæ exiſtentiæ domina dici põt 353.f
eſſentia prima num ab ullo ente patiatur tanquam à contrario 329.d
eſſentia prima ad agendũ conſultatione non indiget 128.b
eſſentia prima omnia intelligit, cùm communia, tum propria. 135.b
eſſentia, uoluntas, actio in Deo idem ſunt 354.c
eſſentia quomodo ex nõ eſſentijs conficiatur 99.d
eſſentia nulla ocioſa 13.a
eſſentia uera in quo mundo ponatur, & ubi appareat 299.b
eſſentia & uita quõ unum ſint, et rurſus quõ differant 291.a
eſſentia quouſq; in quaq; re perſeueret 358.e
unitate conſeruari eſſentia 358.e
eſſentia quælibet naturalem ſibi multitudinem poſſidet, & interea eſt aliquod unum 358.b
eſſentia quomodo imaginatione comprehendenda 99.e
eſſentia quinta 51.c
eſſentia fundamentum actionis et intelligentiæ 347.c
eſſentia & forma prima idẽ ſum. 135.a
eſſentia generata minor generante 158.a
eſſentia et actus nũ differãt 253.c
eſſentia corporũ nobis apparentium falſa quo medio egeat, ut aliquid ſit, & pulchra uideatur, tũ perfecta quomodo fiat. 271.a
eſſentia prima an paßionib. ſubiecta 329.c
eſſentia debilior 98.a
eſſentia uera quid, & ubi fundata, tum cuius ope uiuat 324.a
eſſentia cur tributa rebus 32.a
eſſentia quælibet ab initio multitudinem poßidet, atq; interea aliquid unum eſt 359.b
eſſentia diuina nũ actus ſit 346.d
eßẽtia in bono eſt inchoatio quædam ortusq; operis boni 338.d
eſſentiæ deſcriptio 99.a
eßẽtiæ primæ propria actio 135.b
eſſentiæ primæ nihil contingit, folio 352.c
eſſentiæ primæ compoſitio 98.c
eſſentiæ primæ uires 97.f
eſſentiæ primæ actus in ſe reflexus quis dicatur 298.b
eſſentiæ elementa 99.a
eſſentiæ quintæ indagatores Arnoldus & Raimundus 51.b
eſſentiæ in cælo tres 248.d
eſſentiæ attributa 97.c
eſſentiæ partes 331.d
eſſentiæ fundamentum & conſeruatio 185.c

eſſentiæ cur in actum prodeant, ſolio 31.a
eſſentiæ definitio ex quibus conſtet 97.c
eſſentiæ magnitudinem non eſſe quantitatem 343.f
eſſentiæ nihil contrarium 41.b
eſſentiæ bonum 31.b
eſſentiæ & entis diſtinctio 99.a
eſſentiæ circa animam noſtram tres 248.d
eſſentiam primam ab ipſo bono pendere quomodo 329.c
eſſentiam minus conuenire accidentibus quàm ſubſtantijs. folio 300.b
eſſentiales rationes, proprietates & actus idem 97.f
eſſentialis numerus quomodo in anima, & quomodo in mente diuina 328.a
eſſentialia ſub ſenſum nõ cadunt, fol. 98.b
eſſentialitas quid apud Aegyptios 84.f
Eſt uerbum, cur de Deo non prædicetur 346.c
excogitamen uerbum à Gnoſticis confictum 114.b
exemplar uniuerſi quomodo gradibus diſtributum 137.c
extenſio corporum quid 101.a
extrema duobus medijs indigent. 49.b
extrema num duobus medijs indigeant in naturalibus 53.d

F

Faber mundi cur mundum conſtruxerit, Gnoſticorum error 107.c
Fabula de amoris generatione explicatur 160.c
fabulæ quomodo explicandæ, folio 160.b
facere & pati motiões eſſe 304.b
facere nõ rectè cõplere uires prædicamenti 283.f
facere prædicamenti loco quid proprius ſuccederet 283.f
fatum potentiſſima cauſa 124.b
fatum cur ad aſtra quidam retulerint 124.b
fatum quo pertineat 221.c
fatum quid, Marſilij Ficini ſententia 120.d
fatum quõ à prouidentia dependeat 138.c
fatum & prouidentia quõ differant 138.c
fatum aſtrologicum 118.d
fatum à quibus excludatur 118.b
fati deſcriptio 124.c
fati definitio communis 117.f
fati definitio 73.f
fati naturam qui aperire conati ſunt, bifariam diſtribuuntur. folio 124.c
fati neceſſitas nulla 122.c
fato quæ ſubſint, aut inſint 117.d
fato quæ non ſubſint 117.c
de Fato quatuor opiniones 117.f
fato ſubijcitur animus 74.a
fatorum ſeries quomodo ad diuinam prouidentiam redigenda 119.d
fatorum regnum ubi ſit 74.c
fatalis ſors frangi poteſt 70.a
fatale tempus 45.c
felicitas ſucceßione non augetur. fol. 21.c
felicitas in ratione num ſit 13.c
felicitas rationalib. cõuenit 13.a
felicitas quid 12.d
felicitas in intellectu 13.b
felicitas cur non augeatur 23.a
felicitas præteritum & futurum reſpuit 23.b
felicitas in uita conſiſtit 17.d
felicitas ſoli ſufficienter uiuenti competit 17.c
felicitas non perturbatur 14.c
felicitas nec fortunæ nec corporis malis euertitur 18.b
felicitas externis rebus nec augetur, nec minuitur 141.c
felicitas priſtina quando recuperanda 75.c
felicitas in qua anima 20.d
felicitas diuturna cur magis expetenda 22.d
felicitas nulla in uita coniuncta. 21.a
felicitas num augeatur 22.c
felic. in intrinſecis cernitur 20.a
felicitas non conſiſtit in externis. 24.c
felicitatis imagines 13.b
felicitatis definitio peripatetica. 18.d
felicitatem homines ſiniſtrè iudicant 20.c
felix à præclaris factis non dicitur 24.d
felix cur neceſſaria expetat 18.c
felix omnibus bene uult 20.a
felix ſempérne felix 15.b
felix non excidit felicitate 18.c
felix incõmodis nõ mouetur 15.b
felix cur commoda eligat 15.a
felix omnia humana deſpicit 18.f
felix quas uoluptates expoſcat. 20.b
felix quomodo domeſticorum fortunas ferre debeat 19.c
felix aliorum fortunis non mouetur 19.a
felix ſeculum 75.d
felix contemptor corporis & fortunæ 2.d
felix intrepidus 20.f
felix quomodo externis utatur bonis 21.a
felix uiuit 20.a
felix quis 22.c
felicis tranquillitas ſimili declaratur 19.b
felicis ſtatus 20.b
felici in ſummis conſtituto dolori quid faciendum 19.b
felices pares 22.d
item 23.f
felices non niſi boni ſunt 141.c
feliciter agere quid 24.c
ferrum Marti attributum 50.a
figuræ ſenſibiles 203.b
figuræ quæ alios terreant, alios non 220.a
figuras non in qualitatis ſed quantitatis genere ponendas 303.a
figuras qualitate inter nõ dici ſimiles 303.c
figurationum uires 219.c
figurationum diuerſitas 219.c
filij parentibus ſimiles 118.c
finis communis 34.a
finis hominis ultimus 18.d
finis ultimus qualis 15.a
finis cuiuſq; rei duplex 120.d
finis ſummus 31.c
finis hominis quis ſit, duplex omnino philoſophorum ſententia. 115.d
finis naturalium rerum in quo, folio 117.c
finis reliquas cauſas antecedit & mouet 117.d
finis definitio 117.c
finem omnia expetunt 117.d

ſine ſublato cauſæ motionum tol luntur 127. a
ſines proprij 34.a
flamma quid 53.a
flamma noſtra à cæleſti igne alie na 54.c
fluxus omnium rerum 52.d
fœminæ procreatio unde 131.f
fœtus formatio 44.c
fœtus in utero formatio 49.a
fœtus quãdo uitam accipiat 68.b
fœtus formatio quibus impedia- tur cauſis 73.f
fœtus animam à matre non reci- pit 196.c
forma prima 25.b
forma pulchritudoq; in mente præ ſtantior quàm in ullo artis ope re 267.b
forma potius à parentibus quàm aſtris 125.d
forma prima qualis 27.a.135.a
forma materiæ non uera forma. folio 35.d
forma prima quid 13.d
forma eſſentialis in re qualibet una 26.b
forma dat rei eſſe 13.c
forma totius omnia in ſe continet 73.a
forma eſſentialis individua 98.b
forma eſſentialis prior accidenti bus communibus 98.c
forma cur terminus & menſura, fol. 85 c
forma cur ratio dicatur 98.d
forma ut finis intenditur 127.a
forma & materia, & compoſitũ tum ſingulare, tum uniuerſale an ſub eodem ſubſtantiæ gene re conueniant 278.b
forma uniuerſa 39.a
forma intelligibilis mundi quo- modo imaginatione concipien da 90.b
forma quando ſeparatiſſima ſpe- cies eſt, optimum eſt 342.b
forma præſtantiſſima 47.f
forma ultima nihil generat 178.d
forma quædam ante quantitatem in materiam cadit 86.e
forma in mundo intelligibili quid folio 90.a
formæ munus 161.c
formæ proprietas 22.a
formæ præſtantia 98.d
formæ materialis principium uita, ſed materiæ infuſa 388.e
formam uniformẽ, & formas cun ctas in ſingulis unitiſſimas & pariter diſtinctiſſimas quomo do uidere liceat 323.c
formam materiali informitati op poni 342.a
formam magis ens et ſubſtantiam eſſe quàm materiam 300.a
formæ ſubſtantiales indiuiſibiles fol. 66.c
formæ ſeparatæ cur nõ diſſoluan- tur 37.a
formæ rerum in prima eſſentia quomodo teneantur 298.b
formæ in intellectuali mundo dif- ferentes 83.a
formæ rerum omniũ quomodo in cælo 335.a
formæ rerum in oculos incurrũt. 192 f
formæ duplices 16.b
formæ ſubſtantialis, accidentalis, quantitatis, motus & tempo- ris collatio 103.a
formæ huius & intellectualis mũ di ut differant 83.c
formæ hæ ab intelligibilibus diffe runt 90.a
formæ ſenſibiles cur nõ dicantur entia 161.c
formæ ſeparatæ quomodo ſint in intellectu 292 f
formæ rerum quomodo diſtent, fol. 210.c
formæ quæ in anima mundi ſunt, à quibus formis dependeant. 271.f
formæ quæ in materia ſunt, à quibus formis dependeant 271.f
formæ animo impreſſæ non ma- nent 230.c
forma ſubſtantialis quomodo agat 178.b
formæ propriæ ex primo ordina tore procedunt 137.a
formæ rerum cur multiplicentur apud nos 56.d
formæ materiales à ſeparatis diſ- ferunt 42.a
formarum pugna unde 37 c
formarum defectus unde contin- gat, & per quid cognoſcatur. 276.c
formarũ impreſſio à diuina men- te proficiſcitur 210.a
formarum genera quatuor 178.f
formarum uiſibiliũ uanitas 165.c
formarum naturalium efficientes cauſæ & inſtrumenta 60.a
formarum parentes qui 26.a
formarum intelligibilium & ui- ſualium diſcrimen 72.c
formarũ diſtinctiones unde 101.c
formarum cæleſtium & inferio- rum diſtinctio 37.b
formas rerum in intellectu primo contineri Platonici affirmant, Chriſtiani negant 252.b
formoſitas quid 26.b.& a
formoſa & deformia unde origi- nem ducant 75.c
formoſitatis origo 109.b
formoſum corpus 28.c
fortitudo quid 8.c.c.29.c
fortitudo non conuenit Deo, fo- lio 6.d
fortitudinis ſubiectum 6.c
fortem eſſe quid 7.c
fortuna illinc alieniſſima ubi exi ſtendi ratio cauſaq; intrinſecus continetur 355.a
fortuna multorum domina 357.b
fortuna quæ fiant 122.b
fortuna quid Plotino ſignificet. 119.f
fortuna in principijs haud nume- randa 118.b
fortuna ſeruitutis ſocia ordini & libertati opponitur 351.d
fortunæ definitio ex Proculo, fo- lio. 137.b
fortunæ ludibria 144.c
fortunæ qui omnia adſcribunt, in digni ſunt contra quos diſpu- tatio inſtituatur 361.b
fortunis aduerſis preſſi qui ſe ge- rere debeant 340.c
fortuita nobis Deo prouiſa, fo- lio 137.b
frigus quid 166.c
frigus & ſiccitas à terra 63.d
frigus & ſiccitas quomodo uitæ conferant 61.d
frigida natura ſtupida 41.b
frigidum & ſiccum priuationes ſunt 63 d
frigidorũ colliſio cur ignem pro- creat 47 c
fruitio primi boni quãta circa ſit amplectenda 363.c

Frui Deo quid ſit, & quomodo contingat, quaq; ratione 365.d
fuga hominis quid 41.b
fuga cuiuſnam ſit, animi ne tantũ, an corporis etiã, an mixti 1.a
fugere hinc quid ſit 4.b
futura à philoſophis quõ præuideantur 135.d
futurorum cognitio utilis 69.e

G

GEometrica reſolutio 241.d
Geometrica proportione omnia gubernantur 138.d
geometrica non arithmetica proportione prouidentia gaudet. 138.d
geometricarum propoſitionũ ordo 185.a
generatio quò tendat 187.d
generatio animalis quomodo fiat. fol. 3.c
generatio animaliũ unde ſit 182.c
generatio rerum ab omni temeritate remota 267.a
generationis motus ad naturã genitalem quomodo ſe habeat. 297.d
generationis uiciſſitudo mũdo neceſſaria 129.a
generationis appetitus 157.d
generans uirtus ubi inueniatur. 76.b
genere diuerſa in ſe inuicem non agunt 166.c
genera rerũ in hoc ſenſibili mundo quæ ſint, & num omnia ad ea referri poſſunt 299.d
genera rerũ in hoc ſenſibili mundo quinque, an ſub uno genere componenda 298.c
genera rerũ an decem ſint 278.a
genera prima eſſentiam ſemper comitari 295.c
generũ quodlibet quinq; in ſe eſſe unũ, & in participantib. haud diſcerptum 295.b
in generibus rerum quid reſpexerint præcipuè philoſophi, cùm decem ſtatuerunt 278.b
genitalis naturæ motio 55.c
genitalis facultas quæ 129.d
geminus quilibet homo 79.d
gemini unde dicti 61.c
geminorum differens ratio unde. 266.f
geminorum diuerſitas 67.c
gloriæ cauſæ 80.c
Gnoſtici hæretici 48.c
Gnoſtici hæretici qui 104.d
Gnoſtici medicinam ſibi falsò arrogabant 115.b
Gnoſtici pſeudoplatonici 111.c
Gnoſtici omnibus uirtutibus bellũ indixerunt 115d
gnoſtici hæretici in quo beatitudinem collocarint 106.c
gnoſtici deteriores Epicureis, folio 115.d
gnoſticorum arrogantia 108.c
gnoſticorum ſuperſtitio 109.b
gnoſticorũ ridiculæ næniæ 109.c
Gnoſticorum & Manichæorũ hæreſes affines 109.d
gnoſticorũ ſententia, nihil in mundo boni 109.b
gnoſticorum abſurdiſſimi errores taxantur 113.c
gnoſticorũ ſermones quales 115.c
gnoſticorum & Plotini ſententiæ cõferuntur ſimilitudine 117.a
gnoſticorum noua terra 111.d
gnoſticorum impura uita 109.b
gnoſticorum cantilenæ ſuperſtitioſæ 115.d
gnoſticorum præcipua errata, folio 104.c
gnoſticorum errores à Chriſtiana religione & Platonica philoſophia abhorrent 108.c
gradus tres unum, ens, & mundi materia 88.f
gradus rerum æquali proportione deteriores & meliores eſſe 302.c
gradus rerum: idæa mentis, ſeminalis ratio animæ, corpus & pictura 702.c
gratiæ tres in mente diuina 10.d
gratiarum actio Marſilio Ficino authore 364.d
grauidæ mulieris imaginatio cur fœtum afficiat 155.a
Græci ſapientes 111.c
gubernatoris primi uis ultra reliquos gubernatores ſe extendit 137.b
genij poteſtas quõ & unde inſit. 271.b

H

HAbere prædicamenti campũ, multa complecti 286.c
Habitus & diſpoſitio qua ratione differant 282.b
habitus in malum contractus cauſæ tres 129.f
habitus malus clàm & ſenſim obrepunt 131.d
habituum diuerſitas 42.b
Hali aſtrologus 59.f
harmonia totus 78.d
harmonia corporis 45.c
Heracliti opinio de Sole 52.d
Heracliti iter ab alto ad infima. 136.d
herbarum & lapillorum quorundam mirabiles uires 60.b
Hercules cur à poeta apud ſuperos & inferos eſſe fingatur 3.f
Heremnius 104.a
Hermes aſtrologus 61.a
Herodotus cẽteſimum annum impleuit 122.f
Hiſpania calida regio 16.c
homo duplex, exterior & interior 144.f
homo exterior mundi huius rebus occupatur 144.f
homo interior tria in ſe continet. 245.f
homo inter Deum & bruta medius 142.d
homo partim totum quoddã, partim uniuerſi pars 58.c
homo noſter & ille idẽmne ſint. 332.a
homo qua ratione diuinis rebus fiat ſimillimus 234.c
homo ex quibus conſtet partibus. 231.b
homo non eſt præſtantiſſima res. fol. 143.a
homo beatus 17.f
homo cur uituperationem mereatur 147.d
homo ad diuinitatem reducẽdus, qualis eſſe debeat 11.a
homo Deus & dæmon 8.a
homo de ſorte ſua conqueri non debet 137.c
homo coniunctus bruto 3.b
homo ſe præſtantiorem reddere poteſt 137.c
homo duobus modis dicitur 3.b
homo ſit ne immortalis 231.b
homo omnibus modis ad ſuperna reuocatur 143.a
homo unde fiat 80.a (332.c
homo quilibet tres habet homines

homo uerus 3.b
homo Deus ſolum 8.a
homo ab aſtris non cogitur 118.d
homo ut ſpecies an ut induaduũ ſimpliciorſit 301.b
homo Idealis quid 355.b
homo ex duplici natura 2.f
homo partim eſſentiæ particeps, partim expers 354.a
homo qualis à Platone definitus. 332.c
homo primus, ſecundus & tertius quis 332.c
homo principium habet liberum 147.d
homo qualem ſortem nactus ſit. fol. 143.a
homo hic cur ſolus ratiocinetur. 334.b
hominis propinqua cauſa quæ.fõlio 73.f
hominis ſtatus 79.b
hominis uicioſi mors 43.b
hominis & animalium reliquorum diſcrimen 122.c
hominis in mundo conſtituti qualis conditio 224.d
hominis cauſa 72.c
hominis cũ Deo colloquiũ 187.c
hominis ſtudium & finis 8.a
hominis definitio 332.a.& c
hominis eſſe quid 332.b
hominis ignauia 141.c
hominis arrogantia 113.c
hominis eſſentia ex præſtantiſſimis conflata 2.d
hominis uita uaria, brutorum uniea quodammodo & ſimplex. 122.d
hominis natura cur talis 147.a
hominis actiones non ſunt fatales 224.c
hominis medij, melioris & optimi collatio 211.c
hominis generatio qualis 13.f
hominis ab animali & mixto ſeparatio 2.d
homini quæ euentura ſint ut cognoſcatur, quinq; obſeruanda ſunt 68.a
homines amici Deo, omnia æquo ferunt animo 113.d
homines boni & mali ſint ne in rationis uniuerſalis forma præſignati 134.a
hominus triplices, eorumq; inter ſe lucta 142.d
homines trib. modis uiuunt 137.f
homines diuerſis utuntur agendi principijs 147.d
homines nõ fieri ſponte malos cur dixerit Plato 131.d
homines & dæmones quatenus ſint partes uniuerſi 132.c
homines quomodo inuiti ſint mali 143.b
hominum inſtitutio quid poſſit. 123.a
hominum trium, idealis, rationalis & ſenſualis cõnexio 333.a
hominũ mores quare diuerſi 74.c
hominum diſtinctio 80.f
hominum diſſidium 240.d
hominum diuerſæ affectiones quibus impellãtur quot ſint 273.c
hominum ſtudia ludi 144.c
hominum genera tria 134.d
hominũ mutuæ iniuriæ unde proficiſcantur 141.a
hominum motus qualis 58.c
hominum diuerſitas unde 72.c
Horus deſcripſit figuras Aegyptias 269.f
humani corporis internus motor. 118.d
humani generis confuſio prouidentiæ abſentiam non arguit. 130.d
humani generis cur tanta confuſio 130.d
humani animi morum cauſa prima 137.c
humanæ uitæ gradus tres 108.b
humanæ res quando in deterius uergant 75.f
humanam ſpeciem in brutam mutari impoßibile 247.a
humor in cæleſtibus corporibus quid proſit 64.f
humoribus quatuor reſpondent, totidem elementa 76.c

I

Iamblychus de dæmonibus diſſeruit 27.c
Idea quæuis multitudinis particeps 294.a
idea non eſt unum 359.f
Idea in quauis trinitas occurrit.fõlio 9.a
idea quomodo cognoſcatur, folio 185.c
idea hominis 26.c
idea quæuis tria in ſe cõtinet 9.a
idea ignis ubique non diuiſa, non extenſa, & una eaq; ubiq; tota 318.c
idea pulchritudo 9.a
idea concordia 9.a
ideæ in intellectu quid ſint 275.a
ideæ dotes 134.c
in Idea quauis entis propria quædam natura intelligẽtiaq; conſideranda 275.f
ideæ rerum non confunduntur, fõlio 333.b
ideæ unius contemplatione ſingulari quomodo uniuerſales ſtatuantur 271.d
ideæ proprietatib.diuerſæ,quãuis eſſentia ſpecie & actu ſimiles 276.c
ideæ materiale quid habent, folio 45.f
ideæ quomodo ſint in mente 83.b
ideæ ut differant 83.b
ideæ ubi ſint 83.a
ideæ ab initio impreſſæ 26.c
ideæ numeri quidam 9.a
ideæ quomodo inuicem differãt conueniantq; 276.b
idearum prima plenitudo 316.c
idearum tota plenitudo unde cognoſcidetur 318.a
idearum genera quatuor 34.d
idearum & induiduorum proceßionis diſcrimen 355.a
ideas rerum qua ratione habeat 276.b
ideas differre inter ſe ex natura rei, & ratione formali 275.f
ideas ab anima nõ ſuſcipi, quomodo intelligendum 5.c
idealis trinitas 9.b
ieiunij & caſtit. encomion 120.c
ignis impatiens miſtionis 49.f
ignis ſemper mobilis 46.d
ignis cælo nil nocet 46.c
ignis cur nõ quieſcat in ſede propria 58.a
ignis non ſine terra ſolidus 53.d
ignis elementũ pulcherrimũ 28.c
ignis quæ diſſoluat 54.c
ignis elementalis potißima actio folio 51.c
ignis cæleſtis quõ cunctis infuſus. 47.c
ignis cæleſtis 47.c
ignis nõ agit in cælum 54.c

ignis ueteribus cur ſacer 47.f
ignis cæleſtis actus 47.e
ignis cæleſtis qualis 53.a
ignis à terra alienus 46.d
ignis elementum potentiſſimum. 289.e
ignis ſub luna qualis 26.d
ignis cur non ruat 52.f
ignis noſter cur luceat 47.f
ignis definitio duplex 98.c
ignis motus qualis 46.d
ignis utilitas 46.d
ignis uis 46.c
ignis cæleſtis proprietates 48.e
ignis noſtri proprietates quædam 48.e
ignis locus extremus 58.b
ignis effectus 49.b
ignis ſoliditas unde 54.a
ignis proprietates aliæ alijs priores an ſint 295.f
ignis perfectio 186.a
ignis forma 981.f
ignis cum anima cognatio 155.d
ignis noſtri & cæleſtis diſcrimen. 72.a
ignis cæleſtis qualitates 63.e
ignis cæleſtis potiſſima actio 51.e
ignea animalia eſſe confirmatur. 155.d (108.f
ignita meteora unde proueniant.
ignorãtia quando cõtingat 362.b
illuuij & incendij uniuerſalis utilitas 75.e
imaginatio in hominibus duplex 161.b
imaginatio ubi uim propriã percipiat 298.b
imaginatio mutabilis 21.e
imaginatio de animi connubio cũ primo ente ualde abſurda, folio 363.f
imaginatio uegetalis quæ 161.f
imaginationis uis 68.b
imaginationis officium 16.b
imaginationis & genituræ affinitas 57.c
imaginationes geminæ in homine 204.d
imaginationũ diuerſitas unde oriatur 349.f
imaginationum uarietates homini dormienti ex quibus cauſis obrepant 349.f
imaginis ad exemplar affectio et natura 271.e
imaginũ fabrefactio ridicula 61.e
imbecillitas in quibus animabus. fol. 43.d
imbecillitates animæ à corporis imbecillitate diſtinctio 43.c
imitationis magna uis 123.a
immaterialiũ rerum actiones quæ es 163.c
immenſum quod eſt nullã magnitudinem habet 343.f
immortalia animalia 108.a
impoßibile nõ eſt neceſſitatis oppoſitum 120.b
impoßibile quid 120.b
impoßibile à nullo expetitur 33.f
imperfecta ad perfectiora redigenda 139.c
imperij poſſeßionis cauſæ 80.e
impurum 29.e
inanimata in mundo organa ſunt animatorum 80.b
incorporea quantitatis expertia 91.d
incorporea res quid 160.e
indefinitum non ſemper contemnendum 89.f
Indi longißimè uiuunt 64.d
indifferentia omnia non eſſe contra ſtoicos 39.e
indigum cuius rei indigeat 362.b
indiuiduum ens & non ens 34.f
indiuidua coniuncta nullam conſtituunt magnitudinem 100.f
indiuiduorum diſtinctio à fortuna 116.e
inerratica regio oculo ſimilis, folio 214.d
inferiora à ſuperioribus reguntur 37.b
infinitas definiri nequit 88.d
infinitas numeri nõ eſt actu 48.b
infinitas quadruplex 48.b
infinitas rerum quomodo ad finitatem reducatur 266.b
infinitum non eſt accidens 93.d
infinitum materia 93.d
infinitum materiæ loco à quibuſdam poſitum 91.a
infinitum duplex 93.e
infiniti deſcriptio 91.a
infinitudinis autor 93.e
influxus uarij 24.f
influxus communis 72.d
in fluxibus qui planetæ præſint. fol. 25.b
influxibus cæleſtib. quomodo repugnetur 191.f
infelix quis 30.c
informe quõ cognoſcatur 47.e
informe ad formam capeſſendam idoneum 28.c
ingenio excogitati an ipſa hominis rationalis intellectualiſq; idea contineantur 277.a
ingenio philoſoph. qui ſint præditi 9.e
ingeniorum diſtinctio 9.f
ingenioſi amatores qui 9.e
ingreßionis corporum mutuæ impedimenta 101.e
inquirere nihil penes mentẽ quæ le argumentum 297.d
inquiſitio perpetua apud rationẽ non habentis ſignum 297.d
intelligere quid 7.c.265.b
intelligere & ſentire in quo differant 234.a
intelligere quomodo cum Deo tũ animo tribuatur 5.a
intelligere an ſit facere 286.d
intelligere eſt in libero primo intellectu uiuere 351.a
intelligere ſpeciem alicuã in prima eſſentia eſt definire, & hoc quõ commodè fiat 323.c
intelligẽs omne neceſſariò fit multiplex 347.b
intelligens egenum eſt 187.a
intelligendi donũ cur naturis diuinis conceſſum 348.a
intelligendi cupiditas omnib. ànatura inſita 342.e
intellectio quarum ſit rerum 85.f
intellectio num nata antequã intelligens intelligeret 347.e
intellectione prius eſſe quod intelligitur 275.e
intellectualitas 883.b
intelligentia, uita & ſpecies quõ unicuiq; naſcenti propriè attribuatur 330.f
intelligentia & natura in mundi opifice idem 356.d
intelligentia poteſtate bonitatis eſt ſubſtantia prima 347.c
intelligentia quarum rerum 43.f
intelligentia ſine phantaſia 16.c
intelligentia nõ eſt phantaſia 19.f
intelligentia quõ formam mundo tribuat 128.c
intelligentia terminus à bono impreſſus 339.e

intelligentia & inceſſus actiones cùm ſint, an ad paßionem referantur 284.f 285.d
intelligentia duplex 5.f 163.e
intelligentia à paßione remotiſſima 230.b
intelligentia omnes homines præditos eſſe probatur 138.a
intelligentia quid ſit, et num eius adminiculis indigeat bonum. 346.b (187.b
intelligentia quænam ueneranda
intelligẽtia omnis cùm ex aliquo, tum alicuius exiſtit 347.d
intelligentia non eſt bonum ipſum ſimpliciter 186.a
intelligentia ad bonum quo paßio ſe habeat 346.b
intelligentia in primo rerum principio eſſe nequit 347.a
intelligentia cur Deo à quibuſdam aßignata 346.c
intelligentiæ puræ actus 47.a
intelligentiæ circuitus 55.c
intelligentiæ & animaduerſionis diſcrimen 204.d
intelligentiæ uirtus 83.d
intelligentiæ ſubiectum 1.a
intelligentiæ & Solis concinna comparatio 319.c
intelligentiæ munus 135.a
intligentiæ primæ rerum incorporearum ſunt 234.a
intelligentiæ lux, certitudo & cauſa eſt bonitas 347.c
intelligentiæ definitio 346.b
intelligentiæ actus quid 185.f
intelligentiæ conditiones 347.a
intelligentiæ poteſtas, cùm & ſine amore quid operetur in cõtemplante 271.d
intelligentiæ quomodo ſint 183.a
intellectus ſolus uita eſt 14.a
intellec. ſemper in excelſis 198.c
intellectus cur circa ſeipſum & Deum agat 250.d
intellectus cœleſtis qualis 39.f
intellectus artifex uniuerſi 81.c
intellectus non intellectus 42.c
intellectus diuidit res 90.c
intellectus proprius quid 15.f
intellectus prima pulchritudinis forma 27.a
intellectus eſſe quod 117.a
intellectus utri q; multum habet. 183.c
intellectus diuinus & animalis quid 154.c
intellectus unus idemq; & intelligit et ſe intelligere animaduertit 110.c
intellectus iuxta Ariſtotelem immortalis 16.c
intellectus quid 14.d
intellect. duplex intelligẽtia 16.d
intellectus & intelligibile quomodo differant 263.f
intellectus noſter qualis 39.e
intellectus quõ ab intelligibili dependeat 257.c
intellect. paßibilis & agens quid apud Peripateticos 249.b
intellectus non eſt corporeus 33.f
intellectus quãdo multiplex euadat 253.a
intellectus cur à conſultatione remotus 331.c
intellectus cũ idæis quõ idem ſint, & rurſus differant 275.f
intellectus nectare ebrius 343.b
intellectus primus quomodo rex formas in ſe habeat 5.d
intellectus duplex 6.a & 16.d
intellectus uiſui confertur 184.b
intellectus ſi intellecturus ſit, cogitur diuerſitatẽ & identitatem admittere 347.a
intellectus mundi faber 140.b
intellectus præter primum alios quoq; eſſe probatur 156.e
intellectus duplex, permanens et diſcurrens 248.b
intellectus in perpetuo actu, ſolio 110.b
intellectus mundi intelligibilis patrem ſuum imitatur 110.e
intellectus primus ad Deum quo modo comparetur 356.d
intellectus uerior ſenſu 2.d
intellectus diuerſo reſpectu quomodo animæ inſit 175.d
intellectus quo uinculo corporib. colligetur 236.c
intellectus purus qualis 133.c
intellectus contemplatoris opus. 351.c
intellectus quõ transformetur in uitam intellectualem 329.e
intellectus proprius 2.e
intellectus uerus animæ ſapientiam ſuppeditat 273.e
intellectus ſuæ eſſentia non contentus 180.a
intellectus primò liber 351.d
intellectus quomodo ueniat forinſecus 70.f
intellectus ex potentia in actum non prorumpit 96.e
intellectus non ipſo ente prior an contrà 276.a
intellectus cur indiuiduus 187.f
intellectus omnia diſcernẽdo quomodo omnium rerum proprietates patefaciat 297.d
intellectus propoſitio, ſcientia, concluſio 330.c
intellectus quotuplex 2.e
intellectus animis quomodo ſuperior 274.b
intellectus unde oriatur, tum gradatim ex intellectu quæ naſcãtur 272.d
intellectus an ipſum primũ poßit eſſe 359.e
intellectus in contemplando, quomodo actiones diſponat 350.d
intellect. materia, & forma 184.b
intellectus cur ſpecies cognoſcat 39.d
intellectus percipit ſine paßione 2.d
intellectus quando uoluntas, deinde intelligentia 351.a
intellectus an peccet 3.a
intellectus quomodo ad ipſum bonum enitatur 348.a
intellectus perfectus quomodo cõprehendendus 251.d
intellectus communis 2.e
intellectus primò gignitur 257.b
intellectus quale uideat intelligibile 251.b
intellectus cur maſculo comparetur 128.c
intellectus quomodo ſeipſum cognoſcat 247.e
intellectus cur non animaduertat ſe circa diuina occupari 246.c
intellectus optimus 244.e
intellectus diuinus quomodo omnia 34.c
intellectus quomodo moueatur ſõlio 58.f
intellectus eſt Deus 259.a
intellectus finis motionum 13.f
intellectus primus quis 107.c
intellectus gignit 14.b

intellectus diuinus quomodo ſe habeat ad ſuas ideas 297.a
intellectus quid 2.e
intellectus uniuerſi ambitũ conſpicit 22.c
intellectus erga Deum ut affectus 356.f
intellectus animæ infuſus ſcientiarum cauſa 361.c
intellectus regi ſimilis 259.a
intellectus corporeis inſtrumentis non utitur 190.f
intellectus quando libero uoluntario̊q; motu incedat 349.f
intellectus producit animam, hæc naturam 150.b
intellectus per ſphæram imaginatio quæ diuina, et quomodo inſtituatur 271.a
intellectus conditiones aliquot, folio 252.d
intellect. & luminis collatio 76.b
intellect. rationalis definitio 34.c
intellectus & animæ diſcrimen à felicitate 130.a
intellectus & intelligibilis rei diſtinctio 179.d
intellectus ſubiectum 11.f
intellectus uis maior quàm ſenſus. 171.b
intellec. primi propagatio 333.d
intellectus diuini in ideas deriuatio 268.e
intellectus diuini et mundi animæ eadem ratio 312.f
intellectus pulchritudo 164.c
intellectus ortus 246.f
intellect. perfecti obiecta 274.d
intellectus operationes in quæ agant, & ubi interquieſcant, folio 275.e
intellectus primi imago expreſſa & uirtus 313.b
intellectus diuini in ſua eſſentia uis & facultas 298.b
intellectus obiecta qualia 258.d
intellectus ſumma uita 13.f
intellectus officium 16.a
intellect. & animæ collatio 250.a
intellectus origo 244.d
intellectus ad corpus inclinatio. 21.d
intellectus libertas 350.d
intellect. et ſenſus diſcrimẽ 257.e
intellectus & rationis collatio, folio 129.b
intellectus, rationis & imaginationis collatio 185.e
intellectus diuini & rationalis diſtinctio 34.b
intellectus diuini dimanatio in naturam 272.f
ut Intellectus primus uita prima, ſic ſola intellectualis uita eſt uera 337.a
intellectus animalis quis 133.c
intellectus ſecundi quomodo formas ſuſcipiant 5.e
intellectus non ſunt plures 110.c
intellectus quomodo inſint intelligibilia 15.f
intellectui cur argumentatio non conueniat 331.e
intellectum ea ipſa eſſe, quæ habet 6.b
intellectum eſſe diuinum quomodo probetur 31.e
intellectum ſeipſum nõ cognoſcere abſurdiſſimum eſt 248.a
intellectũ multiplicẽ eſſe, adeo̊q; non primum, probatur 179.e
intellectum in omnibus hominib. unum eſſe arbitratus eſt Auerroes 190.f
intellectum ab anima non generari, ſed contrà 274.e
intellectum & intelligibile primum idem eſſe probatur 107.b
intellectum pro menſura uirtutis ſuæ agere, quomodo intelligendum 191.f
intellectum non poſſe primũ eſſe oſtẽditur 359.f
intellectum non eſſe ipſum bonũ. 339.c
intellectum Deo ſemel potitũ nunquam inde reuerti 364.a
intellectũ infundere materiæ rationem quõ intelligend. 128.c
intellectum uniuerſum eſſe, & cognoſci 318.a
intellectu quomodo proficiat animus 137.f
intellectu duobus modis agimus. 249.b
in Intellectu omnia quomodo ſimul ſint, & tamen diſtincta. 275.c
in Intellectu quæ rerum genera inſint 292.e
intellectuum differentiæ quomodo probentur 191.a
in intellectibus diuinis quõ præter centrũ unus orbis extet 361.f
intellectualis anima quõ una in multis, & rurſus multa circa unum 318.a
intellectualis animæ finis 342.f
intellectual. naturæ imagines tres folio 15.b
intellectualis naturæ tres gradus 15.e
intellectualis uitæ finis 179.b
intellectual. animæ eſſe quid 22.b
in Intellectuali mũdo cur ſint animalia 333.e
intellectualem animam in intelligibili, irrationalem in materia eſſe, quomodo intellig. 95.a
intellectualem actionem intellectuali naturæ nõ ſeruire 350.a
intellectualem animã partem uniuerſi non eſſe unde deprehendatur 118.e
intellectuales animæ quomodo in ipſo intellectu ſint 187.e
intellectuales ſubſtãtiæ ad quam ideam referendæ 133.e
ut Intellectualia in diuinis cuncta eſſe 329.e
intelligibilis mundus continéatne aliquid rationis expers 334.a
intelligibilis mundus potentiã reſtituit 94.e
intelligibilis ſphæra 109.e
intelligibilis ad intellectum proportio 107.b
intelligibilis duplex 257.a
intelligibile primum 184.f
intelligibile poſſit ne intellectus eſſe 186.e
intelligibilis mũdi encomion 96.f
intelligibilis mundi contemplationum diſtinctio 9.f
intelligibilis mundi animalibus quid cornua, ungues, aliaq; id genus conducant 334.e
intelligibilis mundi incolæ quæ contemplentur 269.b
intelligibilis mundi num ullus defectus 334.e
intelligibilis mundi ſors exoptatiſſima 343.b
in intelligibili mundo nihil informe 343.b
intelligibilia fieri intellectum, & non è conuerſo, quæ ratio ſit. 275.d

intelligibilia aliter ab Aristotele quàm Plat. disponuntur 245.d
interitus quarũrerum sit & non sit 110.f
interiores res cur sæpè intereant 32.b
inordinata quæ apparent, ordinata sunt 136.e
ine siue esse ab en, hoc est uno, deriuatur 260.a
insanus brutum est 45.a
insaniæ causæ 120.a
insaniam à dæmonib. excitari auctoritate humana et diuina probatur 120.b
insaniã sibi imminere persentiẽs nũ seipsum interficere debeat. fol. 45.c
inuidia à diis aliena 116.d
Ioannes Damascenus 109.b
Iouis & Saturni coniunctio quid portendat 66.d
Iouis tres 72.b
Iouis & Mercurij domus cur oppositæ 61.e
Iouis & Martis magnum internallum 50.e
Iouis actiones 208.d
Iouis lex quid 221.c
Iouis splendores 160.b
Iouis collegæ à Platone qui dicãtur 73.c
Iouis horti qui 160.b
Ippasus Pythagoricus quomodo numerum definiat 325.d
ἐπίγνωσις diuina per filiũ & in se quomodo agat 272.e
irascendi natura quomodo uel fortis uel timida 163.d
irascibilis facultatis prauitas, folio 163.b
iudicium hominis de rebus conditis peruersum 143.d
iudicia futurorum qualia 62.d
iudiciorum astrologicorum nullæ rationes 62.a
Iulianus Platonicus 47.a
Iuno 44.b
Iupiter Marti coniunctus 59.c
Iupiter planeta 78.c
Iupiter anima mundi 44.b
Iupiter cur masculus & fœmina ab Orpheo fingatur 55.b
Iupiter quid philosoph. & eius digni muneris descriptio 271.d
Iupiter quid 159.f
Iupiter diuitias significat 61.c
iustitia quid 8.c
iustitia animæ 8.b
iustitiæ uultus hespero præstantior 28.f
iustum esse quid sit 7.c
iuuenis forma iucunda 28.c

K

Kabalistica 70.a

L

Lachesis quid repræsentet 80.f
Lacteus circulus 67.a
lactuca anseres delectant 193.f
lapsus animæ remedium 365.a
lapsus in deterius 153.c
lapides crescunt 215.d
leo cur inter signa constitutus, folio 61.d
leo unde dictus 60.a
lethæum flumen 203.d
lex diuina ineuitabilis 202.c
lex à natura insita 199.a
lex ineuitabilis insita animis 193.f
legum maior quàm siderum auctoritas 122.e
libertas ipsa ipsum bonum 351.d
libertas quando animæ contingat 350.d
libertas in actionibus quæ à perturbatione proficiscuntur nulla 349.c
libertas & arbitrium in quo saltem intellectu ponantur 350.d
libertas humana in quæ ius nullũ habeat 122.c
Libertatis arbitrium quæ requirat 349.f
libertas ad quæ referatur & nõ referatur 351.b
libertatem uel uenerandum quid quo modo tribuere debeamus, folio 352.a
libertatem arbitrij quæ non habeant 349.c
ex Libertate & seruitute quãnam permistus esse uideatur. 349.f
liber mente, mentisq; legibus metiendus 349.e
liberum, dominumq; suijpsius esse in quo consistat 355.f
liberi arbitrij defensores philosophi 190.b
liberi cur à parentibus degenerent 118.e
liberi ex ijsdem parentibus prognati cur dissimiles 266.d
libera actio in rebus quæ animo cõpetunt, an nobis insit 349.b
liberius est quid et ordinatus quo superius 351.d
libri tertij scopus 8.e
libri de potẽtia & actu argumentum 94.b
libra unde dicta 61.e
lignum in uia diuidere quid 44.c
lineæ proprietas adhibita rectitudine & curuitate significatur 303.a
liquores quomodo permisceantur 101.d
liquidorum commixtio 101.a
literæ futurorum in cælo 66.d
locus quà cõtinens est in quo prædicamento 301.f
locus posterior materia 92.d
loco si quid adijciatur, non nouũ prædicamentum facere, sed relationem uel substantiã 283.c
locum quærens est egenum 362.b
lucidum corpus tria considerandà habet 133.a
lucida quædam sine igne 53.c
lucifer 78.c
luctus non est signum res esse malas 144.f
lumen quid 26.c
lumen quomodo oculis accommodatum 348.a
lumen incorporeum est 50.d
lumen euanescátne illuminante abeunte 228.d
lumen indiuisibile totum in qualibet aeris parte 311.f
lumen non confunditur 227.f
lumen ignis materiam quomodo formet atq; permutet 275.d
lumen ante Solem à Deo conditum 65.c
lumen quòdnam uideri possit 50.f
lumen ignis proprium 45.e
lumen sine sine aere 228.a
lumen actus flammæ 94.f
lumen cæleste cur defluat 54.d
lumen unde dependeat 227.e
lumen Solis quale 54.c
lumen duplex 263.f
luminis ad diaphanũ an facilior unio, an ad lumen 313.d
luminis summitas circa speculum concauum calor est 342.f
luminis uires 138.f

luminis ex-

luminis cæleſtis diffuſio 54.d
luminis cæli ſignificationes 47.a
luna cæleſtiũ rerum infima 48.f
luna Mercuriũ aſpiciens quid efficiat 59.c
luna quomodo humores augeat aut minuat 65.a
luna à Sole lumen mutuat 50.f
luna ſemper ex dimidio plena, folio 78.b
luna quando bona uel mala 78.b
lunæ & primi entis comparatio. 327.f
lunæ cum Saturno uel Marte concurſus qualis 63.b
lunæ globi partes quomodo diuerſi luminis ſint 293.d
lunæ uis 121.d
lunæ qualitates 64.a
lunaris ſphæra quæ apud ueteres 49.a
luſus & ioci cõtemplationis gratia inſtituuntur 180.c
lux cæli ſenſus 137.a
Lycurgus catulis oſtendit educationis uim 122.f
lynncei oculi 269.a

M

MAgus Aegyptius dæmones oſtendere potuit 149.c
Magi uxores uiris ut cõiungant, aut etiam illas ab his diſiungant 223.b
magi ut concilient ſibi dæmones. 223.c
magi cur figuris utantur 222.b
magi quomodo interiores ſenſus alliciant 193.f
magi uulgò probantur, prudentibus non item 115.b
magi & rebus & uerbis utuntur 223.d
magi corporeorum ſacrificiorum autores 222.d
magi aereas ſtellas ſeu dæmones congregare & oſtendere poſſunt 149.c
Magorum arti quæ præſint ſtellæ 223.b
magico ritu actiões honeſtæ num deducantur 224.b
magico ritu contemplatio nõ ſubducitur 224.a
magica faſcinatio quibus utatur rebus, & in quæ agat 223.a
magica 70.a
magica ueneficia in quos aliquid poſſint 14.c
magica carmina 240.c
magica opera à dæmonibus adiuuantur 223.c
magici attractus quomodo fiant. 222.d
magicæ artes num ſolicem animũ è ſtatu ſuo dimoueant 19.d
magicæ uis quæ 222.d
magicis artibus quomodo uir probus ſubducatur 223.c
magnanimitas quid 29.c
magnetis uis 62.d
magnitudo ſecundũ accidens cernitur 103.f
magnitudo in quibus rebus locũ habeat 343 f
magnitudo an inter genera prima habenda 294.c
magnitudo pluribus percipitur ſenſibus 103.b
magnitudo uocis quid 103.c
magnitudo colorem ſequitur, folio 104.d
magnitudinis uniformes maximè fallunt uiſum 104.d
malus totus quis dicatur 115.f
malum omnino deleri nequit, folio 41.d
malum primũ & ſummum quid. 38.b
malum in quibus ſit & non ſit. fol. 129.f
malum Deo opponitur magis, q̃ contingentia 120.d
malum ex productione graduum bonitatis 131.c
malum non tollit prouidentiam, & uiciſſim 139.c
malum in iis quæ non ſunt 40.d
malum per ſe 40.c
malum ſuperari poteſt 41.d
malum non eſt in cute 40.d
malum quomodo rerũ formis conueniat 35.b
malum in quibus inueniatur 34.f
malum in quibus eſſe nequeat, folio 34.c
malum in artibus quid dicatur, et eius περιφρασις 276.c
malum in Deum non cadit 34.c
malum nullum apud deos 41.d
malum priuatio 42.c
malum in qualibet mundi particula 36.f
malũ primo loco & ſecundo 42.b
mali notitia 39.d
mali principium 41.d
mali aliunde non cuſtodiuntur. 142.f
mali occurſus 43.d
mali non impediunt mundi ordinem 115.d
mali deſpiciunt alios 115.f
mali in bonum transformatio. 129.c
mali generatio 131.f
mali informitas ut cognoſcatur. fol. 33.d
mali neceſſitas 41.c
mala an neceſſaria 61.c
mala quomodo fiant 148.b
mala quomodo à uatibus et aſtrologis prædici poſſint, cũ à prouidentia non ſint 148.d
mala extra animam quomodo ad malum ipſum reducantur 49.f
mala cur permittat Deus 120.d
mala dijs non adſcribenda 218.d
mala quomodo præuideantur, folio 139.d
mala acciduit, non intenduntur, 169.d
mala ubi fiant 71.d
mala unde proueniant 71.c
mala ni eſſent, totum imperfectũ foret 81.c
mala in mundũ unde introducantur 41.c
mala quomodo tutentur 42.c
mala omnino deleri non poſſunt. 36.c
materiæ ſterilitas 170.d
malè uiuere ſit diu mori 32.c
Malliusaſtronomus 59.f
malorum ſenſus quid diuerſum putantur à bonorum 272.c
malorum nulla idea 130.b
malorum cauſa dupliciter conſideratur 76.c
malorum gradus 35.d
Manichæorum error 71.c
Mars indomitos reddit 72.b
Mars in augulis horrendus 60.d
Mars & Venus nũ adulteria procreent 78.d
mare cur à terris ſeparatũ 127.c
mare augetur à luna 65.a
mater mundi quid 114.c
materia cur mater appellata, folio 170.c

materia prima cur non ens 161.c
materia prima qualis cogitetur. 342.a
materia primæ formæq; simplices perire nequeunt 161.c
materia quid in actu 97.b
materia ſub uiſum nõ cadit 168.b
materia omnium accidentiũ ſubiectum 42.c
materia cur fœminæ comparetur 170.d
materia ab intrantibus non læditur 170.b
materia in malum 94.a
materia non eſt magnitudo 169.c
materia nec figura nec magnitudine fruitur 169.b
materia cùm magnitudinem non habeat, quomodo magna fieri queat 169.b
materia corpus & magnitudo ſecundum aliquos 89.c
materia cur nõ qualis dicta 42.d
materia cur à quibuſdam qualis dicatur 92.f
materia ſpeculum, formæ uerò imagines idearum 161.d
materia cur formã ſuſcipiat 86.c
mater. an forma dignior ſit 300.b
materia mundi quomodo formetur 191.a
materia cur mala 38.a
materia quomodo non poſſit eſſe omnũ rerum principiũ 388.b
materia non impletur 168.d
materia cùm non ſit qualis mala ſit 37.f
materia non corpus 82.b
materia mentitur & fallit 165.c
materia nigredini ſimilis 161.f
materia mundi ut prodeat 191.a
materia profundum cuiuſque rei. folio 90.c
materia ſitne in actu ſimul & potentia 96.b
materia quomodo efficiatur quãta 169.a
materia quomodo plurimum patiatur 288.f
materia & forma intelligibilis mundi quid 94.f
materia quomodo accipiat 92.b
materia qua ratione ſit omnũ infima 288.f
materia nec parua nec magna, folio 92.b
materia num qualitas 92.f
materia & priuatio ſintne idem ſubiectio, ratione autem diuerſa 93.b
materia eſt falſitas 95.d
materia num idem ſit quod alteritas 93.f
materia omnia entia potentia, folio 96.f
materia nil eorũ quæ habet 97.a
materia ab ente ſeparata 95.a
materia nõ habet eſſe in actu, folio 95.c
materia prima ſemper eſt materia 91.b
materia non quieſcit 92.c
materia utriuſq; mundi 82.a
materia prima ſubiectum animalis 48.f
materia qua conditione mala, folio 42.d
materia ſuſceptaculum 167.f
materia potentia pura 89.d
materia bonum appetit 35.c
materia & mundi forma unde profluant 128.c
materia cur neget propriè eſſe aliquid 89.c
materia idem quod alteritas 88.c
materia quomodo infinita 88.c
materia ſubcontraria Deo 36.d
materia corporum & incorporei mundi ut conueniant 83.c
materia ſecatur 90.b
materiale quiddã ſuperioris mundi reſpondet huic noſtræ materiæ 139.a
materia cur non ens 34.f
materia cæli non mutatur 52.c
materia prima omnis formæ expers 35.c
materia eadem cæli & reliquorũ corporum 46.b
materia non eſt corpus 84.f
materia quomodo corrumpat fõrmam 42.a
materia multa ex uniuerſali natura, nõ ex mente habet 132.b
materia ſeipſam nõ format 232.a
materia cur non patiatur 166.a
materia quomodo dicatur nõ ens. 165.d
materia plus minusq; haud ſuſcipit 167.a
materia num ſpecies aufugiat. fo 167.f
materia quæ ſubterfugiat 165.d
materia ſitne à paſſione remotæ. 164.c
materia ſublata, formæ ſenſibiles intereunt 168.c
materia ab entibus diuerſiſſima. 168.a
materia cur introducta 127.a
materia quæ careant 126.b
materia quum mala ſit, cur bonũ appetat 167.c
materia ad formam refertur. folio 127.a
materia prima qualis 27.a
materia quomodo aſſimiletur deo fol. 7.b
materia intelligibilis num ſempiterna 90.d
materia non eſt corporea 83.a
materia niſi in intelligibili mundo admittatur, neque in hoc erit 90.b
materia illuſtrata faciátne animarum ſimulachra 114.a
materia Deo diſſimilis, quomodo ei aſſimiletur 4.f
materia diſſimilis Deo 7.b
materia ſempiternorum eandem habet ſpeciem 89.f
materia ſitne in intelligibili mundo 89.c
materia quomodo actum habeat. 89.a
materia prima magis ſubſiſtit q̃ qualitates aut quantitates. folio 89.b
materia eſſentiæ nomen uix meretur 83.c
materia infinitum quiddam. folio 87.a
materia & priuatio partim unũ, partim duo 87.c
materia quomodo in mundo intelligibili 96.c
materia ſecunda 86.b
materia in duobus à reliquis differt 87.d
de materia falſæ opiniones. folio 84.d
materia quatenus mixtionem reſpuat 102.a
materia intelligibilis eſt eſſentia. 90.d
materia cur binarius à Pythagoricis dicta 34.a
materia hæc quomodo ab intellectuali

lectuali differat 83.c
materia ſimplex quiddam 91.c
materia prima non eſt qualitas. 87.b
materia adulterina ratione percipitur 91.c
materia prima quantitatis expers 91.d
materia ſub ſenſus non cadit, folio 92.c
materia non eſt omnino figmentum 87.a
materia in mundo incorporeo, folio 82.c
materia ſpacium uacuum 86.c
materia quur infinita dicatur, folio 82.c
materia diuerſitas ipſa quæ à reliquis differt 87.d
materia propriam quantitatem non habet 85.c
materia informis quomodo cognoſcatur 85.c
materia imaginationi confert. 168.f
materia ens & non ens 88.c
materia informis 82.c
materia ſitne mali cauſa 41.f
materia quædam etiam incorporearum rerum 82.b
materia num dimenſio 86.a
materia uacuum quiddam, folio 92.c
materia ſitne cauſa inſcitiæ animi 37.b
materia ſi uoluntatem haberet, num ſe ſpeciem eſſe uelit, folio 342.b
materia quatenus bona 35.c
materia incorporea 165.d
materia mutabilitatis origo, folio 83.a
materia non eſt corpus 91.b
materiæ quidnam primò infundatur 114.b
materiæ primæ & artificis concurſus non eſt fortuitus, folio 85.b
materiæ & formæ affinitas, folio 82.c
materiæ participatio 167.b
materiæ proprietas quæ 93.a
materiæ erga formam affectio. 38.c
materiæ partitio 94.c
materiæ intelligibilis & ſenſibilis diſcrimen 82.a
materiæ contagio 40.d
materiæ nulla accidentia 40.b
materiæ mala 40.c
materiæ deformitas 26.c
materiæ indigentia 168.d
materiæ nulla idæa 84.f
materiæ in molem productio, folio 162.b
materiæ illuſtratio 43.d
materiæ generatio 38.c
materiæ primæ innata uis, tum uitium 342.d
materiæ aſtutia 168.d
materiæ conditiones 40.b
materiæ primæ & artificis primi collatio 85.d
materiæ nihil eorum quæ ſenſum mouent, tribuendum eſt. fol. 91.b
materiæ præparatio 86.b
materiæ ſuſtentaculum 35.c
materiæ & boni collatio 35.a
materiæ uitia cur non queant ſuperari 42.d
materiæ definitio 82.b
materiæ huius & illius ſuperioris magnum diſcrimen 90.c
materiæ & quantitatis affinitas 85.a
materiæ nomen haud uanum, folio 92.c
materiæ eſſe eſt non eſſe 97.c
materiæ eſſe 97.a
materiæ percipiendæ ratio, folio 91.c
materiæ nullus finis 87.f
materiæ nulla actio 170.d
materiam eſſe probatur 43.e
materiam molem eſſe neceſſe nõ eſt 92.b
materiam ſimplicem qui ponant loco principij quantum & in quot peccent 388.a
materiam in arte nominare quid. 95.c
materiam informem nefas eſſe pro rerum principio ponere 387.f
materiam eſſe neceſſariò 39.a
materiam quæ uel reſpuant uel recipiant 154.f
materiam informem per ſe parere non poſſe formas 388.c
materiam, ſi formarum principium, non poſſe eſſe ſubiectam. folio 388.d
materiam eſſe quicquid in mundo eſt, & formas imaginamenta unde ſequatur 388.e
materiam formas ſuſcipere, quomodo intelligendum apud Platonem 167.d
materiam naturaliter formã appetere 342.a
materiam non pati ſimili oſtendi tur 166.d
materiam et formam à cauſa ſeparata dependere 300.a
materiam non pati firmiſſimo argumẽto declaratur 166.d
materiam in corporibus eſſe quatuor argumentis oſtenditur, folio 84.c
materiam in mundo intelligibili eſſe probatur 90.a
materiam omnes ſimiliter definiunt 89.d
materiam motione & alteritate conflari ut intelligendum, folio 84.a
materiam odio deformitatis ſuæ, & appetitione boni formã appetere 342.a
materiam non eſſe dimenſionem probatur 86.f
materiam primam ſubeſſe corporibus 90.b
materiam Deo coæternam non eſſe, tribus probatur rationibus 82.d
ex Materia rebus quæ labes accidat 264.b
ex Materia informi quum ne forma quidem formari poſſit, minimè uitam poſſe 388.c
martyres Plotini tẽpore frequentes 14.f
matrimonij cauſæ 80.c
medicinæ fructus 113.a
medium in corpore 58.d
medium corpus in uiſione priũ accipiat 225.b
medium inter ens & nihil 35.c
medium in anima quid 58.d
media uita quæ 21.a
media natura inter impartibile & partibile 189.a
meliores benigniores 113.c
membrorum uis quæ in attrahendo nutrimento cernitur, diuerſa 211.f

membrorum corporis humani & partium mundi collatio 125.a
membrorum ac partium in omnibus rebus ſplendor & utilitas. 227.c
membrorum defectus & peruerſa conſtitutio unde cauſetur. folio 276.d
membrorum humani corporis cognatio 69.b
memoria quid 163.c
memoria utri animæ conueniat. 203.c
memoria humanorũ poſt obitum remanet 205.a
memoria cur nam ea quæ ſæpius audiuimus, tentamus 230.c
memoria quomodo in ſenſu collocetur 204.b
memoria ſitne in animabus poſt mortem 202.d
memoria ſtellæ nõ indigent 217.a
memoria in Ioue collocatur 207.c
memoria puerorum firma 230.c
meminiſſe quid ſit 230.c
meminiſſe differt ab intelligentia 202.c
menſuratio quomodo dicatur ratio, & tamen ponatur in relatione 281.b
mens quid 21.c
mens imago Dei 5.a
mens materia formarum idealium 83.a
mens ideas continetur 186.b
mens diuina per ideas ſuas quaratione agat in materiam, quomodoq; erga materiam affecta 318.c
mens diuina quomodo inuenienda 270.f
mens diuina quas ideas habeat. 133.c
mens quomodo libertatem habeat 350.b
mens & anima in unitate ſimul quomodo diſtinctam habeant multitudinem 291.c
mens uera nunquã mentitur 257.f
mens æterna 21.c
mens efficiẽs & exemplaris cauſa 13.f
mens artifex mũdi quomodo concipienda 127.f
mens quo actu uergat in finem rerum ultimum 342.f
mens quomodo gignatur 244.c
mens omnia habet 132.c
mentis actus quando animaducertantur 16.a
mentis quies quid 250.f
mentis diuinæ deſcriptio 10.a
mentis actiones non impediuntur fol. 20.b
mentis æternitas quomodo probetur à Plotino 171.b
mentis ſubſtantia indiuidua 105.d
mentis & ſenſuũ paßiones 172.d
mentis conſtantia 21.c
mentis progenies 245.a
mentis & rationis diſcrimẽ 133.c
menti quædã per ſe cognita, quædam inſita 258.a
mentem materia ſuperiorem eſſe unde probetur 289.a
mentem formas diſponere, easq; ipſas complecti 276.a
mentem tranſcendere quid 113.c
mentium diuin. dotes duæ 234.d
mentium & animarum ſubſtantiam ſemper diſtinctas eſſe, licet inter ipſas ſit mirabilis unio 313.b
mentium & ſtellarum comparatio 132.c
Mercurius antiquus 162.d
Mercurius ancipitis naturæ 61.a
Mercurius ſapientiam ſignificat 61.c
mercurius cum generationis inſtrumento à ueteribus cur introductus 170.c
mercurius rationis autor 61.a
mercurium Cameleontem fingunt aſtrologi 59.c
mercurius quõ indifferens 78.c
mercurius medium inter planetas obtinet 50.f
mercurij ambitus 50.c
mercurij planetæ dona 162.d
merc. in conuerſione munus 8.c
mercurij uis 72.b
mercurij motio cur nondum ſatis deprehenſa 67.b
mercurij inconſtantia unde 65.c
mercuriales cur ſapientes 59.f
metallum quid, Plotini ſententia 94.b
metalli definitio 50.a
metalla cur liquefiant 50.a
metallorum & lapidum formatio 54.c
metallorum materia 50.a
metallorum pater 50.a
metaphyſicus ueri falſiq; cenſor. fol. 10.d
metaphyſicus ut fiat animus 10.d
metaphyſici officium 10.d
metaphyſica honoranda 12.a
metaphyſica omnib. ſcientijs principia tradit 10.e
metaphyſica eſt dialectica 10.d
metaphyſica in quibus uerſetur. fol. 11.e
metaphyſica quomodo cùm erga prudentiam, tum reliquas uirtutes affecta ſit 10.e
metaphyſicæ ſubiectum 10.c
metaphyſicæ quies 11.e
metaphyſicæ & logicæ diſcrimen 10.d
metaphyſicæ inſtrumentum logica 10.d
metempſychoſis Platonis 151.b
Minos legislator 362.e
minima quæq; ex cælo nõ perſpiciuntur 66.f
minora cur appareant, quæ longè abſunt, Plotini ſententia. folio 103.a
minora cur appareant quæ remota ſunt opiniones tres 103.e
miſeria cur augeatur 23.f
miſtorum ad ſimplicia reductio. 35.b
miſtum cur prodierit 140.d
miſti uaria nomina 2.e
miſti, animalis, & hominis differentia 2.d
miſti ex animo & corpore duplex conſideratio 1.a
miſta ex quatuor elementis conflantur 155.d
mobile per ſe 117.d
moleſtijs ſuis & incommodis quo modo ſuccurrat, et remedia inueniat intellectus 350.d
moleſtorum origo 79.d
monſtra unde 72.f
morbi definitio 40.f
morbi num felicitatem impediat. 19.d
morbi dæmones ſunt, Gnoſticorũ ſententia 115.b
morborũ curationes uariæ 115.c
morborum cauſæ 115.b
mori quid 31.a
mors quid 63.d

mors cui malum 33.b
mors cur non mala, licet uita bona 33.c
mors ſitne malum 32.c
mors animalium utilis 144.c
mortis definitio 29.c
mortis circuitus 50.c
mortis periodus 50.c
mortem ſibi inferre licitum eſſe probatur 44.c
mortem cur nemo afferre ſibi ipſi debeat 45.b
mortem ſibi ipſi conſciſcere impium eſt 44.c
mortem ſibi conſciſcentes redire ad frugem nequeunt 44.f
mortem ſibi afferentes in Dionyſium & Iouem peccant 44.e
mortalium uita theatro perſimilis 144.e
motorem primum oportere eſſe efficaciſſimum & liberrimum à materialibus impedimentis. 388.c
motus 13.c
motus definitio, uis, facultas, & effectus, tum proprietates 307.c
motus quæ complectatur 299.d
motus localis terminis oppoſitis, aut proceſſionis figura differre 307.f
motus diuerſa relatione & actio & perpeſſio dici poteſt 286.c
motus omnis in tempore ſit 174.e
motus quomodo ens 99.a
motus uelociſſimus quis 174.e
motus in animali cur differentes. 232.c
motus tardior quis 174.f
motus in nobis duplex 4.d
motus eſſentia 99.a
motus metaphoricus quid 185.f
motus num ſit priuatio, tum quid ſit 308.c
motus ueſtigium uitæ 13.f
motus primi & ſecundi qui 4.d
motus uitalis quid 97.d
motus mundi qualis 13.f
motus quid propriè loquendo. folio 56.f
motus non in anima, ſed in corpore 161.a
motus etſi quantitatis particeps, tamen in formali ratione non includit quantitatem 279.c
motus quomodo ſpecies ſit, tum quõ caſus alicuius ſpeciei. fol. 306.f
motus tempore quomodo indigeat 284.c
motus pro genere poſitus in ſpecies quas diuidatur 285.a
motus an tranſmutatio loco generis rectius ponatur 306.c
motus ex mouente dependet, & in mobile deſit ut afflatus mouentis 307.c
motus quomodo, & quatenus dicatur imperfectus 284.c
motus etiãſi inuiſibilis, ex uarietate deprehenditur 307.c
motus naturalis uitæ ſimillimus. 306.f
motus utrum latius pateat tranſmutatione 305.c
motu recto omnia feruntur corpora 58.a
motu recto feruntur corpora in ſuum locum 58.a
motui maximè propria alteritas. 306.f
motũ conſequitur diuerſitas 97.d
motum habere duos terminos. folio 308.c
motuum ſpecies differentijs internis probabilius diſtinguuntur. 308.c
motuum differentiæ internæ quæ ſint, & in motum quomodo afficiantur 308.c
motibus omnibus cõmunis eſt proceſſio quædam ex potentia in actum primum ſiue ſecundum. 306.f
motio perfectiſſima quæ 14.b
motionis duratio eſt ipſa motio. fol. 175.a
motionum differentiæ unde accipiantur 307.c
motrix uirtus inuiſibilis ut uita. 307.c
multitudo ex uno progreditur. 186.f
multitudo ſi infinita fingatur, an numerus ſit 321.e
multitudo quomodo deterior euadat 321.b
multitudo infinita & unitatis expers ipſum malum 321.b
multiplex patitur quadruplicem indigentiam 361.e
multiplex à ſimplici quomodo oriatur 254.f
muli ſteriles 131.f
mundus Deus 79.d
mundus animal 50.f
mundus ſenſibilis quid 9.d
mundus cur ex igne et terra 53.d
mundus nouus ultra intelligibilẽ non expectandus 111.d
mundus ſemper fit, niunq; eſt 46.d
mundus cur non uideatur ſempiternus 45.e
mundus cur circa mediũ ſeſe uertat 56.e
mũdus poßitne uidere corpus extra ſe collocatum 229.b
mundus ſeminarius quis 77.a
mundus ut referat per omnia animal 55.b
mundus Deus eſt tertius 159.a
mundus hic quo argumento probetur ſempiternus 272.e
mundus hic multiplex 140.b
mundus hic cur factus 140.b
mundus ſenſibilis in mundo ſuperiore qua ratione ſit 309.e
mundus uitæ quomodo ad corpora accedat, & an motu locali. 315.b
mundus eiusq; cauſa omni culpa uacant 149.d
mundus nec ſeparatus ab effectore ſuo, nec ei permiſtus 197.d
mundus intelligibilis omnium & capaciſſimum et perfectiſſimũ ens 305.e
mundus corporeus uitæ mundo ubiq; neceſſario indiget 317.a
mundus uitæ unicuiq; quomodo adſit 317.a
mundus uitæ & intelligibilis totus ſemper ubiq; 317.a
mundus totum formale 190.a
mundus intellig. an cuiq; parti totus adſit, & tamen ſuperemineat 310.b
mundus hic omnia poßidet 198.a
mũdus diuinus quare animal perfectum 327.f
mundus ſenſibilis ad intelligibilis mundi exemplar productus. folio 335.e
mundus intelligibilis quæ contineat 188.c
mundus quomodo à mente deperideat 139.f (48.a
mundus magnitudine nõ infinitus

mundus animal 48.a
mundus intelligibilis ubiq; eſt, & eſt ipſum ubiq; 309.e
mundus intelligibilis nullam diuiſionem admittit 316.e
mundus ſempiternus 139.f & 112.b
mundus ex neceſsitate 140.d
mundus dupliciter imitatur Deũ 108.a
mundus ratione utitur, & à bono dependet 108.b
mundus ſenſibilis quibus gradib. ad ipſum bonũ deducat 128.e
mundus, Sol, omnésque ſtellæ diſſunt 242.d
mundus hic à Platone amor non uocatur 158.e
mundus hic cur in maligno dicatur poſitus 133.d
mundus animalium numerũ ſimpliciter uniuerſum habet 328.a
mundus intelligibilis tria offert contemplanda 9.f
mũdus intelligibilis quomodo nõ ipſum bonum 321.e
mundus ſenſibilis quomodo ex intelligibili procedat 128.a
mundus cur ſine intermiſsione in orbem torqueatur 56.e
mundus malorum cauſa non eſt. 114.d
mundus num ſentiat 153.d
mũdus cur factus ſit, curioſa quæſtio 112.d
mundus malè nõ inſtitutus 111.b
mundus cur nequeat contrarietatem expellere 133.d
mundus genitæ proli ſimilis 128.c
mundus ſenſibilis cur loqui fingatur 128.e
mundus intellectualis à motu alienus 128.a
mundus imitatur ſupernum exemplar 112.e
mundus ſentit 214.a
mundus ex quibus conſtet, & in quæ reſoluatur 128.c
mundus hic quomodo ex ſeminaria ratione pullalet 139.b
mundus ſicut & nos, propriã habet animam 239.f
mundus intelligibilis præter ſpecies nihil continet 343.e
mundus eſt in anima 261.e
mundus ab ornatu dictus 90.b
mundus uitæ nominatus quid ſignificet 313.f
mundus Dei ſtatua 107.f
mundus ſenſibilis quomodo conſiderandus 128.e
mundus neutiquam malus 107.f
mundus ſeminarius quid 86.d
mundus num mutandus olim ob animæ ſuæ pœnitentiam 53.b
mundus uniuerſus à uita 8.b
mundus in duobus refert Deum. 127.c
mundus hic imago intelligibilis mundi 111.b
mundus corporeus tria continet. 127.c
mundus cur ſempiternus 52.b
mundus præter hunc nullus. folio 112.e
mundus ſenſibilis imago mũdi intelligibilis 13.d
mundus animal quomodo accipiat eſſe diuerſum, & à quo rediganter in mentem 276 b
mundus omneſq; eius partes duplices 79.d
mundus intelligibilis ſupra prouidentiam conſtitutus 148.a
mundus ueſtigia diuini numinis in ſe continet 107.f
mundus ex quibus conſtet 41.b
mundus ſimul totus factus 114.c
mundus ſenſibilis eſt uerè paruũ, & quare ſit 309.c
mundus numero finitus 48.b
mundus cur progenitus 106.b
mundus diuinus eſt aliquid definitum 344.b
mundus duplex apud Platonicos folio 9.d
mundus cur non definat 53.b
mundus ſuperior individuus & diuiſibilis 90.b
mundus reſolui nequit 106.b
mundus hic malis refertus 6.d
mundus corporeus ſuperioris imago 83.b
mundus à quo conſtructus 106.d
mundus intelligibilis quid 9.d
mundus quam ob cauſam fabricatus, Gnoſticorum opinio. folio 106.c
mundus à Deo gubernatur 113.d
mundus animal ſaltans 218.e
mundus templum Dei 107.f
mundi uita 208.f
mundi pater Mercurius 162.e
mundi figura circularis 46.d
mundi partus 55.b
mundi ordo & diſpoſitio muſicis inſtrumentis confertur 146.a
mundi contemplatio ad ſuperiora euehit 180.c
mundi animæ duæ 155.b
mundi anima æterna 48.b
mundi uox per proſopopœiam. folio 140.c
mundi motus qualis 55.b
mundi gradus tres 108.b
mudi partium natura & habitudo 271.a
mundi ſenſibilis pulchritudo. folio 243.a
mundi magnitudo, atq; eius partium proportio 271.b
mundi machina unde fabricata, & à quo uegetetur 319.b
mundi corporei pulchritudo, quã proportionem habeat ad primam intelligentiam 272.f
mundi machinam à caſu alienam eſſe 139.c
mundi interitus & ortus ex quibus, & in quæ 140.d
mundi ornatus 140.e
mundi partes nõ ſunt ſeorſim perpendendæ 140.e
mundi utriuſq; motus 309.e
mundi intelligibilis liberaliter in ſe inferiores omnes partes: itẽ ubi ſit maximè euidens 310.b
mundi opificis & hominis diſcrimen 356.d
mundi ſuperioris contemplatio longè ſuauiſſima 184.d
mundi anima duplex 221.b
mundi intelligibilis pulchritudo. fol. 3.b
mundi & animæ tum entis partium iucũda & frugifera collatio 362.f
mundi artificem bonum eſſe, quomodo in Timæo intelligendum 174.c (118.c
mundi perfectio in quo conſiſtat.
mundi totius plures animæ 124.c
mundi huius diſcordia unde. folio 140.b
mundi ultima forma 127.c
mundi diſtinctionem non eſſe materiam probatur 127.a
mundi forma non à caſu 116 f

mundi intelligibilis quæ forma, locus, & omnibus an præſens. 310.b
mundi optimum in quo 126.f
mundi circuitus quot annorum. fol. 21.f
mundi ornatus 112.c
mundi rationalis notio 114.a
mundi cauſæ finalis, exemplaris & efficiens 127.f
mundi natura haud uituperanda. 114.c
mundi natura non eſt mala. folio 106.d
mundi intellectualis finis 5.c
mundi ortus 107.c
mundi & perfecti animalis atq; lyræ collatio 222.c
mundi uituperium moribus obeſt 115.d
mundi ornatus ad Deum nos deducit 116.c
mundi quatuor, ſingulorumq; generatio 128.d
mundi ſeminario ratio 128.c
mundi primi pulchritudo in hoc non deſideranda 130.c
mundi regina ratio muſicæ quàm poeticæ ſimilior 133.d
mundi innumerabiles multitudinis cauſæ 134.a
mundi partes duobus modis uiuunt 73.c
mundi intelligibilis conſideratio. 83.f
mundi ſenſibilis conſideratio. folio 83.f
mundi ambitus quot annorum. 67.c
mundi uita cur nam in ſeipſam reflectatur 58.c
mundi partes ex Timæo 53.d
mundi cõſtitutio inuiolabilis 53.b
mundi parentes 55.b
mundi quatuor 76.f
mundi ſempiternitatem unde collegerint philoſophi 46.a
mundi fundamentum 45.f
mundi immortalitatis cauſa 46.a
mundi intelligibilis bonitas 239.a
mundi à diuinitate degeneratio unde 76.d
mundi partibus omnib. mirabiles inſitæ uirtutes 220.c
mundi corporei ex incorporeo propagatio 66.d
mundi artifices tres 76.f
mundi quinq; ſecundum Timæum & Plutarchum 251.c
mundi partes nos ſumus 78.f
mũdi pulchritudo à Gnoſticis contemnitur 116.c
mundi animæ plures 190.a
mũdi uita à ſenſu ipſius in orbem torquetur 58.c
mundi intelligibilis diſcurſio duo offert 265.c
mundi conceptus 55.b
mundo quod impedimentum inferat corporis in eo potẽtia paruа 271.b
mundo toti quomodo ſenſus inſit. 214.c
mundum à Deo nunquam deſtitui probatur 116.b
mundum ſenſibilem tribus modis diſperſum eſſe 316.c
mundum non interituru confirmatur 106.b
mundum animatum eſſe quomodo probet Plato 191.f
mundum intelligibilem ſpeciem eſſe ex ſpeciebus conſtantem. 343.c
mundum totũ ſimul prodijſſe probatur 136.b
mundum fieri per naturam probatur 128.f
extra Mundũ num quid ſit 271.b
mundanum animal quale 76.d
mundanum animal quomodo imaginatione concipiendum 76.c
mundani opificis pater 76.f
mundani motus obſeruatio primas in præſagiẽdo tenet 148.c
mundani opificij perfectio oſtenditur 146.d
mundana ratio quid 134.b
mundana omnia caduca 46.c
mundana ſi offendant, Deus non incuſandus 128.c
mundana tragœdia 245.c
mũdanæ animæ ſenſualis uis 57.b
mũdanæ machinæ diſpoſitio 136.c
mundanæ animæ ſubſtãtia quæ in ſe contineat 57.c
mundanæ animæ & corporis uinculum 57.c
mundanæ animæ ratio 57.b
mundanæ animæ uitalis uis ubique ſideat 57.b
mundanæ animæ mens 57.b
muſicus, philoſophus & amator cur nam conſpirent 10.b
muſicum ingenium 10.a
muſici natura 11.b
muſica quomodo intellectui per ideas accommodatas adaptari poſſet 276.f
muſicæ harmoniæ cũ cæleſti pulcherrima collatio 62.d
muſicam quis facilè diſcat 9.c
mutationem eſſe in mundo perneceſſariam uarijs probatur rationibus 129.b

N

Natura quid 281.d
Natura ad eſſe properat. folio 137.c
natura duplex 239.b
natura quæ progignat 210.c
natura cur à Platone mortalis dicta 41.c
natura uniuerſalis 231.f
natura ſimplex liberrima 350.b
natura uniuerſ. ut prodeat 133.b
natura quæ in ſe contineat 178.c
natura prouidentiæ inſtrumentũ. 138.c
natura optima ut conſideranda. 348.b
natura per inſitam ſibi ſapientiã agit 269.c
natura materialis quæ 133.c
natura cuiuſq; rei quomodo conſideranda 234.f
natura mundi non cõſultat 209.a
natura arte, & naturalia artificioſis præſtant 127.f
natura diuerſo ſubiecto quomodo mutetur, et aliud fiat 272.a
natura quomodo opus ſuum efficiat 180.f
natura uniuerſalis bona & mala complectitur 146.e
natura ob certum finem omnia agit 127.d
natura in efficiendo mundo efficit ſemetipſam 132.a
natura ſublunaris ſpeciem ſeruat indiuiduis ſemper mutatis 51.e
natura quomodo agat 178.c
natura prius exiſtere quod melius eſt 274.c
natura cur non accuſanda 128.d
natura genitalis quid 151.d
natura genitalis ſempiterna & indiuidua 152.d

natura ab imperfectiorib. ad perfectiora progreditur 209.c
natura imaginationem non habet 210.b
natura ſine conſilio agit 76.c
natura uniuerſalis per propriam agit 44.d
natura & intelligentia quales actus ſint, & quomodo unum. 275.f
natura non defatigatur 76.d
naturæ uniuerſalis omniformis. folio 132.a
à natura aliena præter ideas quo modo intercidant aliquando. 477.c
naturæ uniuerſalis munera 133.b
naturæ uis maior quàm ſtellarum in his rebus 125.d
naturæ nam quid repugnet 133.b
naturæ qualis cognitio tribuenda 181.d
naturæ ſub luna duæ, Ariſtotelis ſententia 94.c
naturæ & mentis collatio 133.f
naturæ uniuerſalis cõditiões quatuor conſiderandæ 132.f
naturæ formatio 76.c
naturæ & geometræ collatio. folio 179.a
naturæ loci uis magna 125.a
natu. uniuerſ. degeneratio 133.d
naturæ uniuerſalis & mentis differentia 132.a
naturæ intellectualis & intellectus mutuus quis ſit reſpectus. 276.b
naturæ præſtantia unde colligatur 132.d
naturam primã ſorte id quod habet, nactam non fuiſſe probatur 351.c
naturam incorporeã neceſſariò eſſe probatur 234.c
naturam primò uiuentem neceſſe eſt eſſe 234.c
naturam rerum non ab hora dependere probatur 118.f
naturale iudicium num fallí poſſit 316.c
naturalis uirtutis cum diuina collatio 317.c
naturalis actio ſola bonum 31.c
naturalia incitamenta 212.c
naturalia diuinis collata qualia. 161.f
natural. actionum partitio 217.d
naturalium operum excellentia non ratione, ſed ſolo intellectu percipitur 132.d
naturalium rerum reſolutio 83.d
naturaliũ rerũ degeneratio 75.c
naturalium rerum cauſæ 75.b
naturaliter moueri quid 33.f
naturaliter agere cuncta ad bonum 337.f
neceßitas duplex 135.f
neceſſitas non ſemper moleſtiam infert 352.c
neceßitas conditionalis 118.b
neceſſitatem philoſophi in principijs fundarunt 124.b
neceſſitate nõ omnia fiunt 120.a
neceſſarium & impoßibile ſe mutuò includunt 120.c
neceſſarij uerum oppoſitum quod ſit 120.c
neceſſaria quomodo animus expetat 18.d
neceſſaria ratione cæli cur contingentia apud nos fiant 121.b
neceßitudo propria ſimplici rei an inſit, quõ indagetur 342.a
nectar deorum quid 160.b
Nemeſis 151.c
Nicolaus Græcus philoſ. 253.d
Nigidius philoſophus 67.c
nigredo materiam refert 37.c
nihilum & non ens apud Platonicos differunt 88.f
nix uerſus ſeptentrionem diutius durat 121.d
nona ſphæra 75.d
nonarij productio 100.c
notitiæ, ſenſibiliũ ſcientiæ an ſint nominandæ 275.c
notiones à ſubiecto differentiam accipere 275.d
noxia quæ uidentur in mundo, finem habent optimum 129.b
numerus an inter genera prima connumerandus 295.c
numerus diuinitatis 253.c
numerus inipſo ente cõſiſtens antecedit ſpeciales ideas 324.c
numerus duplex, eſſentialis et ad quantitatem pertinens 259.d
numerus in mundo intelligibili. fol. 9.f
numerus, continuũ, locus & tempus an unam naturã habeant cunctis communem 278.c
numerus rerum inter ſe formaliter differentium quomodo determinetur in mundo incorporeo 329.d
numerus multus aut paucus quomodo fiat 302.b
numerus quomodo omnibus numeris communis 302.c
numeri definitio ſecundum uarios 325.c
numerum in quantitate eſſe imaginem numeri ſubſtantialis. 324.d
ad Numerum uerè per ſe quantitatem quomodo redigantur reliquæ tres 278.c
numeri & rationes extra infinitatem 93.d
numeri ante actum uitalem & intellectualem ubi 324.a
numeros eſſe initia corporum. folio 329.a
circa Numeros quorum authoritate utatur Plotinus 325.d
numerorum multitudo an prohibeat quo minus unitas ſit impartibilis, licet ex ea fluat. folio 311.f
numerorum ſex gradus conſtitui 327.c
numerorum & naturalium rerum collatio 100.b
in Numeris & dimenſionibus ad indiuiduum qua uia accedatur 361.c

O

OBliuio unde 203.c
Occumbere in prælio nõ ſubterfugiendum 144.c
octauo menſe natus puer cura & diligentia ſeruatus 69.f
octauo menſe nati cur non ſuperſtites maneant 64.d
octauo menſe nati apud Aegyptios & Græcos manent 64.d
oculus intimus quid aſpiciat 30.c
oculi natura 165.c
olei uis in penetrando 100.f
omniforme quid eſſe poßit 336.b
opinio ad ſenſum uergit 1.d
opinio cur δόξα Græcis dicta. 256.d
opinionis ſubiectum 1.a
opiniones uiſionibus ſimiles 163.d
opiniones quid ſint, & quomodo à notitijs differant 275.c

opiniones aliorum quomodo citandæ 112.a
oppoſitio relatiua quomodo in loco dicatur 302.c
optare alium rei cuiuslibet ſtatũ impium eſt 237.d
Opticorum opinio de uiſu refellitur 103.c
opus diuinam intelligentiam referens quale 127.c
oratio ſupplex ad Deum connumeratur inter ſcalas altarũ rerum inquiſitionis, quod Chriſtianis obſeruandum 345.f
oratio per accidens quo in genere ſit 302.b
oratio qualis eſſe debeat 109.a
orationis ſupplicis ad Deũ dignitas & eminentia 346.b
orationem per ſe in motu eſſe. folio 302.c
ordo rerum quomodo aſcendendo deſcendendoq; inſpiciendus, folio 146.f
ordo cur inſtitutus 141.b
ordo partium mundi 114.c
ordo intelligentiæ ſignũ eſt 13.d
ordo caſu non contigit 12.f
ordinis naturæ quomodo deleri poſſit, tum eius conditiones. folio 353.c
ordinis rerum elegans partitio. 117.d
ordinem rerum non eſſe ex rerum ſucceſſione tantum 127.b
ordine ſublato quæ incommoda ſequantur 118.b
ordinata diſtinctio per formas, eſt uel in minimis rebus 336.e
Origenes 104.d
Orpheus quæ conſecrauerit uniuerſi huius partibus 220.f
Orphei fabula explicatur 44.b
ortus rerum & interitus à ſeminarijs rationibus 59.a
Oſirus Aegyptiorum rex Typhonem fratrem è medio ſuſtulit. 123.d
Olympus Alexandrinus 70.a
Olympiodorus philoſophus 21.d
Olympiodorus 44.b
oximellis compoſitio 100.d

P

Pandoræ explicatio 199.b
Parmenidis de trib. naturis ſententia 245.c
Parmenidis diſtũ de entis coniunctione 311.a
paradoxon Dionyſij Areopagitæ 254.a
Parcæ 70.b
Parcarum mater 79.b
Parcarum myſterium explicatur. fol. 74.b
Parcarum regiones 138.c
Parcarum fuſus 79.b
parricidarum pœna 132.c
partitio cuius ſit animæ facultatis 186.d
partes unius corporis ſe inuicem interdum lædunt 218.c
partium diſtinctio 194.f
partibile & impartibile quid Platonicis 200.d
patibilis rei proprietas 165.f
paruũ & magnum contraria eſſe 302.b
paſſio diſſolutiua & uoluptas inſtauratiua 212.a
paſſio quid 160.c
paſſio ab actione quõ differ. 285.b
paſſio aliquam actionem non comitatur 284.d
aliquam intus comitatur, ibid.
paſſionem non eſſe corporis quanti 309.b
paſſiones quot modis fiant & imprimantur 285.c
paſſiones à quibus rebus non admittantur 160.c
paſſiones coporales cur animam non moueant 163.c
paſſiones animæ inſtrumẽtis differunt 195.c
paſſiones & qualitates aliunde attingere rerũ eſſentijs 295.c
paſſiones in compoſito uerſantur 163.c
paſſiones ad compoſitum ex corpore et anima referũtur 211.f
paſſiones corporum affectioni reſpondent 216.a
paſſionum diuiſio 164.a
paſſionum ſedes quæ 215.c
paſſionũ principium quod 163.c
paſſiuũ in anima quid 164.a
paſſionibus corporis animæ cogitationes reſpondent 170.b
patriam repetere quid 30.d
paucum & multum quare contraria 302.b
pauones cur albi naſcantur 68.b
paupertas & morbus quibus & quomodo proſint 141.d
Paulus Florentinus aſtrolog. 68.f
Pauli illud: Videmus non per ſpeculum in ænigmate, quomodo intelligendum 161.f
peccantes lapſis ſimiles 44.f
peccatum duplex 238.d
peccata quomodo committãtur à nobis 3.a
peccata non mentis, ſed animæ. folio 113.a
peccata exercitationi anſã præbent 113.a
pecuniarũ æqualitas haud expetenda 115.a
pedes quare in longitudinẽ protenduntur 355.c
Peoniæ uis 73.c
perfectum in tempore 174.b
perfecta quõ imperfectis priora 33.c
perfectiſſima in mundo cur ſemper agant 106.b
perfecta uita quæ 14.c
permiſtio non conſiſtit in appoſitione 191.d
permiſtionem per totum utrunq; corpus fieri, quomodo probetur 101.c
perpetuitas quid 370.f
Peripateticorum argumenta, quibus Platonicorum de felicitate ſententiam oppugnant 18.c
Peripateticorum ſententia nemo felix 18.f
Perſarum Magi ad Moyſen alludunt 37.a
perturbationes corporis potius q̃ animæ 2.d
perturbationes cuius ſint, opinio triplex 1.a
perturbationes in nobis quomodo fiant 3.b
perturbationum origo 79.b
phantaſia quid 3.a
& 44.a 164.b
phantaſia præfigurata 5.f
phantaſma unde proueniat 204.f
Phauorinus philoſophus 67.a
Phœbi uis in conuerſione 8.f
Phœnicum theologia 47.a
Pherecydes philoſophus 245.e
Philolaus Pythagoricus 44.b
Philolai definitio de numero. fol. 315.d
Phyleta poeta 122.f

philoſophi natura. 11.e
philoſopho mathematica neceſſaria 11.d
philoſophorum ueterum de rebus naturalibus falſa opinio 178.a
philoſophorum ingenia concilijs patrum ſubijcienda 5.b
philoſophici ingenij natura 10.b
philoſophia quid 11.f
philoſophia naturã mutat 122.b
philoſophiæ partes 12.a
philoſophiæ & dialecticæ collatio 11.f
phyſionomiæ officium 78.c
phyſicorum & mathematicorũ contentio 64.d
piſcium ſignum unde dictum 61.d
Plato multa de amore ſcripſit, folio 157.a
Plato poeticus 150.c
Plato myſterium Chriſtianæ trinitatis imitatur 154.f
Platonis de materia ſententia explicatur 41.c
Platonis de animo ſentẽtia 236.c
Platonis ſpelunca & Empedoclis antrum quid 236.c
Platonis dubitatio de formarum materia exiſtentia 165.f
Platonis & Galeni ſententia de modo uidendi 103.d
Platonis aurea ſententia 4.a
Platonis & Plotini antiquũ oraculum 26.f
Platonis de corpore ſententia ut intelligenda 116.c
Platonicorum & Chriſtianorum de principio primo eadem ſententia. 264.b
planeta angularis quis 60.d
planeta retrogradus 61.d
planeta directus 61.d
planeta planetam quomodo aſpiciat 62.c
planetam ab angulo cadere quid ſit 60.d
planetæ longè à zodiaco 60.c
planetæ non diligunt quenquam. 77.c
planetæ ſentiunt 12.c
planetæ corporis cõferunt membris 65.c
planetæ mutuis ſedibus non delectantur 78.a
planetæ aſpectibus non mutantur 78.a
planetæ à zodiaco remotæ 77.c
planetæ num ſe inuicem oderint. fol. 62.b
planetæ de rebus uniuerſalib. ſigna præbent 61.f
planetæ non cedunt in terræ umbram 78.b
planetas non mutare naturam loco quinque rationibus probatur 60.c
planetæ plures quàm ſeptẽ 67.a
planetæ irati 77.c
planetarum uires in exornandis animis 64.c
planetarũ actiones quomodo mutentur 77.c
planetarum nulla diſcordia 78.a
planetarum ſignificationes regionum diuerſitate mutantur. folio 123.b
planetarum coniunctiones magnæ 75.c
planetarum tranquillitas 77.f
planetarum officium in formando fœtu 64.c
planetarum miſtio 77.d
planetarum diuiſio 77.c
planetas alios ortu, occaſu alios gaudere falſum eſt 77.f
planetas ſubinde mutari ridiculum eſt 77.c
plantæ ſenſus qualis 178.c
plantæ natura maſculina ſimul & fœminina 215.
plantæ num felices 16.a & 12.f
plantæ quare ad Solem uergent. 337.c
plantæ ab iracũdia remotæ 216.b
plantæ ſexu diſcernuntur 12.c
plantarum motus 14.a
plantarum aſpectus 77.c
plãtis tenerioribus quare & quo modo uimina naſcantur 127.d
plenitudo ſeu multitudo quadruplex 133.c
plenilunij tempore noctes calidiores 64.a
Plotinus aſtrologiæ ſtudioſus 59.a
Plotinus D. Paulum imitatur 4.c
Plotinus Pythagoricorum æmulus 44.c
Plotinus cur librum de dæmonibus conſcripſerit 149.c
Plotinus & Origenes diſcipuli Ammonij Alexandrini 66.a
Plotinus uates 68.f
Plotinus hæreticorum antagoniſta 104.d
Plotinus aſtrologiam confutauit. fol. 59.a
Plotinus fuit Chriſtianus 104.d
Plotinus Ammonij æmulus 106.a
Plotinus Origenis amicus 104.d
Plotinus gentilium religionis contemptor 104.d
Plotini anima 70.a
Plotini iocus contra Gnoſticos. 115.c
Plotini liber de materia omnium clariſſimus 82.a
Plotini dæmonem præſtantiſſimũ eſſe unde Magus collegerit. folio 149.c
Plotini præceptor quis 104.d
Plotini de animæ relapſu error. fõlio 363.d
Plotinum haud quaquam ponere unam in cunctis animam 311.c
Plotinicæ philoſophiæ natura. folio 115.c
plumbũ Saturnum ſequitur 50.a
po etmundanus prouidentia nominatur 145.c
poetices & muſices diſcrimen. 113.d
pœna medicina 130.a
pœna cur afficiantur quã iniuſtè egerunt 141.b
pœna uoluptatibus deditorum. folio 142.d
pœnitentiæ 111.c
pœnitentiã quõ agãt animæ 180.c
polipodij uis 73.c
Porus amoris pater quid 160.a
Porus uino inebriatus amorem genuit 159.c
Porus quomõ nectare inebrietur. 160.b
Porphyrius Plotini diſcip. 104.d
Porphyrius apoſtata 108.c
Porphyrius Plotini uitam deſcripſit 21.c
Porphyrij quæſtiones ad Anebonem 59.f
poßibilitas aliter ſe habendi unde proueniat 126.c
poſteriora in prioribus continentur 261.c
potentia quid requirat 58.a
potentia quomodo in intelligibilibus 95.f

in Poten-

in Potentia quod eſt, & potentia num idem 96.a
in Potentia eſſe quid ſit 95.f
potentia elementorũ quæ & quales 271.c
potentia cognoſcẽdi certa & incerta 156.d
potentia in mũdo intelligibili nulla 94.b
potentia in intelligibi mundo nõ tollitur ab actu 94.c
potentia in ſenſibilib. rebus 95.f
potentia naſcituri mundi quid, fõlio 36.c
potentia & actu eſſe quæ dicantur 94.d
potentia refertur ad actum 94.b
potentia duplex 94.b
potentia ſubiectalis quid 89.a
potentia animi actu non tollitur. 96.c
potentiæ uim agendi poſſeſſorib. ſuis tribuunt 2.d
potentiæ & actus diſcrimen 96.c
potentiæ præſentia quid 95.c
potentiam non eſſe in intelligibili mundo quomodo probetur. folio 96.d
potentiæ animæ nunquam ceſſant 138.a
potentiæ ſunt immobiles 2.c
potentiæ non agunt ipſæ, ſed ea quæ potentijs prædita ſunt 2.c
potentiarum ueterum uis & natura 271.b
poteſtatis exceſſus, & extenſio, & quantitas eiuſdem ſunt functionis 314.d
prauus in ciuitate nonnunquã neceſſarius 146.b
praui cur acutiores & efficaciores bonis 150.e
pr..uitas quomodo cognoſcatur. 42.c
prauit..s quomodo utile afferat. folio 141.d
prauitas à natura non ineſt 36.c
prauitatis ut..ilitas 81.f
preces quando ..im habeant maximam 223.c
prædicendi modi quinq; 68.f
prædicamẽta quatuor an ſub uno genere ponenda 287.c
prædicamẽta ſex poſteriora cum relatione nec prima genera eſſe, nec penes illa 296.b
prædicamentorum quomodo infinitum numerum ſtatuerint Ariſtotelei 286.f
præſentia neceſſitate quadã fiunt 118.b
præuidendi rationes multæ 66.c
præſagiendi ars 148.e
primum ſimpliciter quid 117.d
primum ipſum circa nullũ aliud occupatur, reliqua autem omnia circa hos 287.b
primum ipſum quomodo ſe intelligat 287.b
primum uniuerſi numerũ non admittit 290.f
primum ipſum cur neq; ſub ſermonem, nec ſub ſenſum, nec ſub ſcientiam cadat 348.c
primum libertate nõ caret 351.f
primum & ſimplex reciprocantur 104.e
præter primum quicquid eſt, ex partibus conſtare, aut uiribus in unam totius formam conciliatis 358.d
prima uita quid 183.e
princeps uniuerſi 78.e
principium ſummum in nullo continetur 261.e
principium ſuper omne determinatum extare 360.e
principium omniũ rerum quo inquiritur ſcalã ſeptem graduũ eſſe, eorum nomina 345.f
principium quomodo attingere poſſimus 360.e
principium an contingenter euenuſſe fingendum 352.c
principium rerum ab aliqua cauſa dependet 217.f
principium eſſendi 21.b
principium eſt quod ſibi ſufficit. 325.c
principium primum quomodo ſe ipſo fruatur 254.a
principium primum unum & ſimpliciſſimum eſſe omnes philoſophi fatentur 245.c
principium primũ quæ procreat, eadem ad ſe reuocat 343.c
principium primum an cum ſuis principiatur, collocandũ in eodem genere 267.d
principium primum omnia imitantur 257.a
principium optima & immenſa poteſtas 358.b
principium primum pulchritudine ſuperius 270.d
principium nõ eſſe fortuitum, aut coactum ut Stoici ſtatuerunt. 351.d
principium uniuerſi ſimilib. declaratur 183.f
principium eorum quæ in mundo fiunt, quódnam ſit 178.d
principium aliter ſe habere non potuit 358.b
principium uniuerſi quod 183.f
principium ipſum actus eſſentiæ ſuperior 357.c
principium primum quid ſit, & propter quia non requirendũ 353.c
principij ſummi filius intellectus. folio 191.d
principij proprietas 183.e
principij ſummi ſimplicitas & poteſtas 191.d
principij ratio unica 352.d
principij ipſius naturam comprehendere uelle, ridiculum eſt. 260.c
principij cauſæ non ſunt quærendæ 270.d
principij proprietates 262.b
in Principio primo rerum nec eſt intelligentia ſui nec aliorum. 347.a
à Principio quantum boni cuncta conſecuta ſint 357.d
principia rerum communia quæ. 138.f
principia rerum tria 105.f
principia rerum propria quæ, folio 138.f
princ.rerũ præcipua tria 348.c
principia mundi tria 69.c
principia boni & mali 41.c
principia an tria uideantur 329.f
principia quædã actu, quædã potentia ponere, ridiculũ 110.b
principia diuerſa ex rerũ diuerſitate non colliguntur 127.b
principia æquè ſumma plura non ſunt 82.c
principia rerum quænam ubique ſint, eorumq; functiones 318.e
princ.rerum præcipua tria 348.c
principiorum trinitas extra controuerſiam 146.e
principiorum origo 41.f

in principiorũ compoſitionis diſſolutione quomodo agendum. 274.a
principiorum ordo 107.c
principiorum proprietatẽ etiam obtinere numeros 329.b
principiorũ cum ipſius entis ſubiectorum generum multiplex comparatio 289.b
principiorũ trinitas philoſophis & Chriſtianis cõmunis 246.d
prius & poſterius in noſtro iudicio poſita 380.a
prius & poſterius in ſpeciebus locum non habent 205.c
priuatio non ſimpliciter nihilum 88.c
priuatio non eſt qualitas 87.c
priuatio negationi reſpõdet 93.a
priuatio ab habitu non diſperditur 93.f
priuatio quale quiddam 92.f
priuatio ſumma 38.b
priuatio prædicetúrne de materia 93.b
priuatio non eſt qualitas 93.a
priuationis nomine quid intelligatur 87.f
probus non conſtat ex corpore, folio 20.c
probus quis 152.b
probi nequaquam arrogantes, folio 113.b
proceſſio eſſentiæ duplex 97.c
Proculus reprehenditur 13.c
productio & contractio contraria 302.b
Prõmethei fabula explicatur, folio 194.a
prophetæ cur inuolucris ſua uaticinia tegant 364.d
prophetæ intellectus qualis 187.c
prophetarum oracula ſapiens ſacerdos quomodo dicatur explicarẽ 364.c
propenſio ad artem à dæmone. 150.a
proprij motus ubi ſcripti 134.b
propria actio hominis 134.b
proprietates ſpeciales quæ dicantur 62.f
proprietates intimæ quædã actus eſſentiales an qualitates ſint. 295.c
propriæ ſingulorum conditiones ut cognoſcantur 61.f
proximarum cauſarum uis 118.f
prouidentia 27.b
prouidentia rebus proprias naturas non auſert 131.b
prouidentia non cogit ad peccatum 131.c
prouidentia duplex ſingularis et uniuerſalis 139.e & f
prouidentia fortunam non tollit. 131.b
prouidentia non eſt omnia 142.f
prouidentia imperatori ſimilis, folio 146.f
prouidentia in uniuerſo duplex. 237.c
prouidentia poetæ aßimilatur. fol. 145.e
prouidentia quomodo uideatur. 139.c
prouidentia ſublatis è medio malis conſiſtere nequit 148.f
prouidentia num ad ſolos homines ſeſe extendat 116.a
prouidentia perfecta 147.d
prouidentia etiam minima quæq; attingit 130.c
prouidentia quomodo in Deo nõ negetur 347.c
prouidetiæ ratio amica Deo, folio 148.b
prouidentiæ officium 142.f
prouidentiæ diffuſio qualis 148.a
prouidentia cur à quibuſdam negatur 139.e
prudentia quid 5.a
prudentia non cadit in Deũ 6.e
prudẽtia in quibus uerſetur 12.b
prudentiæ definitio 29.e
prudentiæ ſubiectum 6.e
Pſellus 109.d
Ptolomæus reprehẽditur à recentioribus 62.f
Ptolomei de fato ſententia 122.d
puer eo die quo eſt natus, locutus eſt 194.b
puerorum operationes quæ 3.c
pugil ſcientia ab naturali potentia pugile quomodo diſcrepet 282.b
pulchritudo quid 24.f & 25.d 26.d 28.a
pulchritudo 29.e
pulchritudo in mixto ut quærenda 142.a
pulchritudo in mundo diuino animam admirabundam quomodo reuocet 314.b
pulchritudo corporea duplex. fol. 26.d
pulchritudo primæ eſſentiæ ſuapte natura uiuentis eſt intelligentia 329.c
pulchritudo non ex commenſuratione 27.f
pulchritudo quomodo cernenda. fol. 27.d 13.f
pulchritudo intellectus imago.
pulchritudo quãta uoluptate afficiat 30.a
pulchritudo quomodo iudicetur. 28.d
pulchritudo in quib. eluceat 27.d
pulchritudo ex ordine & diſtinctione oritur 108.b
pulchritudo incorporea bipartita 26.e
pulchritudo mentis maximam uoluptatem affert 26.e
pulchritudo duplex 26.e
pulchritudo quomodo iudicetur ab animo 26.b
pulchritudo prima quid, & unde edificetur 271.d
pulchritudo uoluptas eſt 25.d
pulchritudo uocis unde 26.d
pulchritudo tres gratias repræſentat 25.d
pulchritudo corporea quomodo incitamentum ſit ad pulchritudinem incorpoream deſiderandam 344.c
pulchritudo inferior ſimulachrũ ſuperioris 25.f
pulchritudo corporis quid 25.f
pulchritudo uoci & corpori non tribuitur 25.c
pulchritudo in anima prædita quid 267.e
pulchritudo boni ipſius ſpecie uniuerſa ſuperior 344.b
pulchritudo in magnitudine non conſiſtit 268.a
pulchritudo ſpeciei quando ad ſe alliciat 267.e
pulchritudo quando imprimatur materiæ 267.d
pulchritudo ad uiſum pertinet ſõlio 25.e
pulchritudo non ex oculorũ cenſura perpendenda 344.e
pulchritudo mundi intelligibilis quid 26.a

pulchritudo prima quæ 268.b
pulchritudo corporei mundi uera ſpecie inferior 344.b
pulchritudinis & amoris principium quodnam 344.e
pulchritudinis particeps formatum eſt 344.a
pulchritudinis genera tria 268.a
pulchritudinis apud nos exiſtentis à ſuperiore diſtinctio 28.b
pulchritudinis natura à quo explicari queat 26.e
pulchritudinis ſpectator 30.c
pulchritudinis idæa 26.a
pulchritudinis origo 27.b
pulchritudinis falſa definitio refellitur. 25.c
pulchritudinis cõtemplator 30.a
pulcher homo 26.b
pulchri & turpes quando ſimus. 273.a
pulchrũ non niſi ex pulchris conflatur 25.c
pulchrum primò quomodo pulchrum 273.d
pulchrum quare in qualitate, & pulchrius in relatione 301.f
pulchrorum author eorum nihil. 343.a
pulchra ſuperiora quomodo ſpectanda 28.d
pulchra corpora 29.f
pulchra non niſi pulchri iudicant fol. 28.f
pulcherrimum quid 26.c
pulcherrima ſub ipſo bono tria ſunt 270.c
pulcherrima in cælo tria 270.e
puparij qui 180.f
purgare animã, & à corpore ſeparare quid 164.d
purgatio patibilis quid 164.c
purgatio animi quid 5.d
purgatorium iudicium 152.c
purgati animi uirtutes quales 5.b
purificatum eſſe quid 7.d
putrefactorũ animæ unde 297.b
Pythagoras quantum numeris tribuerit 325.c
Pythagorici terram in ſtellis quodammodo numerarunt 130.d
Pythagorici inuolucris uſi 236.d
Pytagorici cantus ad Iouem precatio 74.a
Pythagoricorum & Platonicorũ de numeri proceſſione ſententia 243.d
Pythagorica medicina 70.a
Pythagoricæ obſcuritatis cauſæ duæ 236.d

Q

QVale 42.d
Quale quotuplex 99.b
Quale quid ad eſſentiam conferat 99.b
quale quot modis appellemus. fõlio 281.b
quale quomodo prædicamentum faciat 289.d
quale & quodammodo ſe habens quomodo ſeſe reſpiciãt, et quo modo diſtinguantur 289.d
qualitas quare non ſit inter primum rerum genera 295.e
qualitas quid ſit, & quotuplex. fol. 99.f
qualitas in ſubiecto 38.a
qualitas quando cadat in ſubſtantiam 98.d
qualitas quomodo cõmunis quædam conditio ſit 282.a
qualitas num ad eſſentiam pertineat 98.c
qualitas lati gradus ſola recipit contraria 305.f
qualitas ex extremis compoſita, an extremis poßit eſſe contraria 305.d
qualitas quomodo contraria non ſuſcipiat 305.f
quantitas infima formarum 47.f
qualitas ante quantitatem uiſu percipitur 103.a
qualitas media extremis quomodo ſit contraria 305.f
qualitatis definitio 98.e
quantitatis quatuor ſpecies à Peripateticis enumeratæ, in communi quadam ſerie per gradus diſponi 278.e
qualitatis definitio Peripateticorum uniuocène prædicari poſſit de omnibus quæcunq; complectitur 281.c
qualitatis proprium 87.c
qualitatis genus per differentias quomodo in ſuas ſpecies diuidatur 304.c
qualitatum genera duo 99.b
in Qualitate quo res ordine collocantur 305.b
qualitates inter ſe per ſeipſas, uel exiſtendi modis diſtinguuntur. 304.f
qualitates duplices 98.a
qualitates eſſentiales quæ dicantur 98.a
qualitates nullæ in diuinis rebus. fol. 98.a
qualitates quatenus miſtionẽ conficiant 102.c
qualitates quænã contrariæ ſunt iudicandæ 305.e
qualitates cùm non ſint in materia, in genere coniuncto cur numerentur 303.f
qualitates unionem ſine confuſione non habere 275.b
qualitates animæ quando corpori coniunctæ dicantur, & quando ſeparatæ 303.f
qualitates corporis, animæ, mentis non ſub eodem genere ſtatuendas eſſe 282.e
qualitatum illic & tunc exiſtentium diſtinctio 100.a
qualitatum pugna 101.b
qualitatum & magnitudinũ concurſus diſſimilis 102.b
qualitatum diuiſio unde difficilis fiat 282.b
qualitatum uirtutes ex actionib. cognoſcuntur. 132.d
qualitatũ naturaliũ origo 178.b
quantitas quid 47.f
quantitas ad formã pertinet 85.c
quantitas ſpecies quædam 91.d
quantitas nihil agit 47.f
quantitas non eſt quanta 91.d
quantitas unde dependeat 85.d
quantitas à materia abſorbetur. fol. 47.f
quantitas non eſt materia 87.a
quantitas in infinitum diuidua. fo lio 47.f
quantitas quas res complectatur. 301.f
quantitas extrema formarum. fo lio 162.b
quantitas materiæ accedens quid efficiat 91.d
quãtitatis primus ad materiæ aduentus 85.e
quantitatis orius 85.c
quantitatis ſubiectum forma eſſe nequit 85.c
quantitatis natura reliqua quãta non ipſa quantitas 279.c

quantitatis genus numeris & continuis commune quomodo. folio 302.c
quantum & ens differunt 91.d
quando prædicamentum an tempus temporisq; partes formali ratione comprehendat 283.b
quaternarius in rerum productione 84.a
quaternarij creatio 100.c
quæstio omnis ad principium tendit 353.d
quæstio inutilis, quur res sit id quod est 137.d
quæstionum formæ quatuor. folio 353.d
quæstiones de re qualibet præcipuæ duæ 330.f
quid sit res mens penes se habet, propter quid non item 331.a
quid sit res, & propter quid ex eodem fonte manant 355.c
quidditatis rationisue formalis signa quatuor 98.d
quies quid sit, in quibus rebus sit, & cui contraria 308.c
quinarius in rerum productione. fol. 84.a

R

Radius uisualis 102.c
Radium uisualem ex oculis emitti uarijs probatur signis. 103.d
radij ex bono effusi quo transmutentur in ipsam felicitatem. folio 303.c
radix mundanæ arboris quæ sit. 139.d
rarefieri, & diuidi corporis passiones sunt 314.a
raritatis & densitatis utilitas. folio 47.b
Rasis consilium in physionomia seruandum 66.c
ratio duplex 15.f
ratio dupliciter utitur in intellectu 249.a
ratio triplex 101.c
rationis prauitas 163.b
ratio seminaria quid 101.c
ratio quomodo libera 351.a
ratio intellectualis à Gnosticis introducta refellitur 105.c
ratio cur seipsam non cognoscat. 248.c
ratio an ad intellectū cōuertatur discursione deposita 364.a
ratio mundi gemina communis. 137.f
ratio conuersa quomodo omnia intueatur 22.c
ratio & intellectus corpori se nō tradunt 200.c
ratio quomodo adiuuetur à mente 248.d
ratio quatenus libera 351.a
ratio nostra in eodē statu cum anima mundi manere potest 237.f
ratio effectrix rerum planè inculpabilis 144.a
ratio ubi agat, & ubi se agere, id est argumentari sentiat 298.b
ratio animaduertit in nobis iudicia inferiorum uirium 311.c
ratio argumentatrix ad intellectum qua proportione se habeat 297.d
ratio quomodo ducatur ab animæ motu 349.b
ratio pedissequa animæ, hæc mentis 147.b
ratio mundi artifex quare nolit omnia æquè bona esse 143.d
ratio felicitatem ut degustet 21.f
ratio iudex & auriga 13.a
ratio causa est bene uiuendi 13.a
ratio triplex 98.b
ratio adulterina quid 92.c
ratio quō mentem uideat 16.c
ratio quomodo bonum habeat folio 248.c
ratio ad mentē instar oculi 16.c
ratio felix 14.c
ratio quō formetur 14.d
ratio materiam à sensu accipit. 248.c
ratio seminalis & legifera 131.c
ratio seminaria ex contrarijs constat 133.c
rationis impedimenta 138.d
rationis communis & nostræ quare difficilis communicatio est. 311.c
rationis munus 16.a
rationis uniuersæ decrementum. 147.c
rationis sine materia consideratio 101.d
rationis discursus quid 2.c
rationis officium 13.a
rationis humanæ uis 162.c
rationis finis 13.c
rationis usus 111.c
rationis descriptio analogica. folio 133.a
rationis proprium 248.d
rationis seminariæ propagatio qualis 131.f
rationi obtemperare 163.b
ratione quomodo proficiat animus 137.f
rationes rerum in anima naturaliter mobili quomodo uindicentur à mutatione 274.d
rationalis facultatis impedimenta 40.d
rationalis uis Aristoteli mortalis fol. 16.d
rationalis facultas 21.c
rationalis facultatis formatio. fol. 22.b
rationalis naturæ quatenus beatæ 21.c
rationalis animus à fato se defendit 70.d
rationalis uirtus 14.b
rationalis animæ finis 14.f
rationalis potentiæ officiū 24.b
rationalis & naturalis uis imperfecto non est malum 31.f
rationalem animā in se totam existere tribus argumentis probatur 56.d
rationales potentiæ ad quam ideam referendæ 133.c
rationalium animarum omnium idem actus 56.f
ratiocinator qualis 209.c
ratiocinatio moueátne appetitū, an ab eo moueatur 349.d
ratiocinatio moueátne appetitū, 349.c
ratiocinandi facultas 163.c
ratiocinandi uirtus an seipsam cognoscat 248.c
ratiocinandi uirtus circa quæ uersetur 248.b
ratiocinari 2.c
recordari quid 160.f
rectus motus non est sempiternus 46.d
rectus motus quid 51.d
recti & obliqui nomine quid intelligent Platonici 69.d
referri quædam ad aliquid quæ tamen absolutè in seipsis existunt 284.c
regulus serpens 72.b

regionum diuerſitatis cauſæ explicantur 121.d
relatio quot modis fiat 280.f
relatio quid ſit, & relata quomodo inter ſe affecta eſſe debeãt. 309.b
relatio in rebus quæ quædã communis habitudo habetur, num natura uniuoca ſit 280.b
relationis prædicamento quæ includũt Peripatetici, an in una natura generica conueniant. 279.c
relationis deſcriptio eſt mutua eorum habitudo 280.d
relationem ſignificantia ad quod genus redigantur 299.d
relatiua diuerſa ſimpliciter non in eadem natura congruere. 280.d
inter Relatiua nonnulla unà cum habitudine eſſe quandam actionem 280.d
relatiuè quæ inuicem dicuntur, præter ipſa ſubiecta fieri inter ſe actum, & aliquem motum 279.c
relatio non quatenus ſubſtantia relatiuum eſſe, ſed quatenus relatione affectum eſt 309.b
in Relatiuis differentibus an habitudo uniuoca ſit 280.c
in Relatiuis eſt mutua habitudo. 280.b (ſe 289.c
relatiua omnia circa materiã eſſin Relatis quibuſdam nihil reſtare præter cogitationem noſtram 279.c
reminiſcentia 202.f
reminiſcentia in quo conſiſtat. 248.c
reminiſcentiæ uis cur non eadem inſit omnibus 204.c
remota ædificia cur cùm à ſe inuicem, tum & à nobis minus diſtare uideantur 103.c
remota cur uideantur nobis propriora 104.a
remotiora cur appareant minora cauſæ uariæ 102.c
reſolutio compoſitorum 192.b
reſolutioni omnia ſubiecta 274.a
res ipſa cũ ſua imagine an ſub eodem genere ſtatuenda 290.c
res quæuis proprium opus habet. 78.f
res materialis qua proportione ſe habeat ad ſuã ideam 277.b
res nulla ad ocium à Deo creata. 130.f
rei eſſentia cui accepta ferenda. 332.a
res naturales quæ in ſe inuicem agant 128.b
res naturales foras naturam ſuam exerunt 244.b
res quomodo in materia plures, q̃ in anima, & in hac plures q̃ in mente 266.a
res tum corporeæ tum incorporeæ quib. terminis diſtẽt 313.d
rerum genera quinq; ab intellectu recipi 292.f
rerum inæqualitas nil detrahit mundi bonitati 115.a
rerum omnium connexio 110.f
reaum conditarum gradus diſpares 143.d
rerũ cauſæ apud nos extant 66.d
rerum quæ fiunt conſtantiſſimus ordo 127.c
rerum ſpecialis diſtinctionis cauſæ 122.a
rerum triplex diſtinctio 80.b
rerum ſiue corporum partes duæ 89.d
rerum in mundo connexio 78.f
rerum compoſitio ex quibus 35.c
rerum humanarum cauſæ 59.b
rerum gradus quinq; 188.a

S

SAcra & ſtatuæ cur à ueterib. fabricatæ 198.b
Salomonis illud: Omnia uanitas, ut intelligendum 161.f
ſalus non à dijs ſola exigenda, folio 142.c
ſancta ſanctorum 30.a
ſagittarius unde dictus 61.c
ſagittarius non eſt calidus 62.c
ſanitas & indolentia ad felicitatem non requiruntur 18.c
ſanitas & morbus an contraria ſint 305.f
ſanitas neceſſarium non bonum. fõlio 18.c
ſanitatis & morbi affectiones agentes 272.c
ſapientia in quibus uerſetur 12.b
ſapientia actionem ubique ducit. 269.d
ſapientia quid 8.b
ſapientia duplex 8.b
ſapientia quid in diuino & humano intellectu 6.a
ſapientia eſſentia eſt 19.d
ſapientia in intellectu 8.b
ſapientia animæ quid ſit 8.c
ſapientia felicis in eſſentia 15.c
ſapientiæ actus quomodo animad uertatur 19.c
ſapientiæ actus cur lateat hominem 19.c
ſapientiæ res 269.c
ſapientiæ ſubiectum 11.f
ſapientiæ intellectualis impedimenta 120.b
ſapientiæ intellectualis cauſa 120.b
ſapiens quomodo dominetur aſtris 69.c
ſapiens ſemper felix 19.c
ſapientes fortunati & infortunati pariter beati 20.c
ſapientes quare imitationes diuinorum obſcuris inuoluunt. folio 364.c
Saturnus in duodecima domo ineptè collocatur 63.b
Saturnus nequaq̃ mortiferus 64.c
Saturnus intellectum immaculatum denotat 243.b
ſaturnus aſcendenti ſigno ineptè ab aſtrologis accommodatur. fol. 61.a
ſaturnus quare fingatur ligatus. 272.f
ſaturnus agularis noxius 60.d
ſaturnus res abſentes cur portendere credatur 61.a
ſaturnus uelociſſimus 61.d
ſaturnus quomodo conglutinet. 64.d
ſaturnus planeta maſculini ſexus fol. 61.c
ſaturnus tarditatẽ portendit 61.d
ſaturnus pluuiam portendit. folio 61.c
ſaturni ſtella lucidiſſima 61.a
Saturni Martiſq; coniunctio num obſit 63.b
ſaturni uis 72.b
& 59.c
Saturni lex quid apud Platonem. 221.b
Saturni & Iouis magna diſtantia 50.c
ſaturni ambitus 50.c
ſaturno tenebras aſſignare abſur-

dian eſt 61.a
ſaxa cur non liqueſcant 50.b
ſcalæ quæ ad ipſum aſcenditur, principium, gradus 345.f
ſcammoneæ uis 62.f
ſcientia Dei qualis 270.a
ſcientia ſolius Dei 68.d
ſcientiæ quomodo diuidantur. 186.d
ſcientiæ & mores non ſunt proportiones 25.c
ſcientiæ multæ quomodo in animæ diſtinctæ ſint 275.b
ſcientiæ & temperantiæ diſcrimen 8.c
ſcientiæ unde naſcantur 275.c
ſcorpius unde dictus 61.c
ſectio materiæ paſſio 83.c
ſeculum ſeculorum quot annorũ ſit 75.c
ſecundæ animæ officium 95.d
ſemen quomodo membra in ſe cõtineat 69.a
ſeminalis ratio cuius gratia omnia faciat 181.c
ſeminalis natura mundi ſimilis uiri ſemini 128.c
ſeminalis rationis contemplatio qualis 181.b
ſeminales rationes ineſſe animalibus & plantis probatur 181.a
ſeminales rationes non eſſe notiones probatur 75.f
ſeminales rationes non ſint intelligentiæ 81.d
ſeminales rationes naturæ nunquam repugnant 75.c
ſeminarium mundi inſtrumentum 136.a
ſeminarium mundi animam eſſe quomodo intelligendum ſit. 136.a
ſeminaria mundi ratio quid. folio 145.a
ſemiperfectus quis 2.f
ſempiternitas & æternitas num idem 172.c
ſempiternitatis & æui diſtinctio. 173.c
ſempiternorum genera duo 52.f
ſempiternarũ rerum genera duo. 123.d
ſenarius in rerum productione. folio 84.a
ſenes cur debiliores ſenſus, debiliorẽq; memoriã habeãt 230.f
ſentire quid ſit 160.f & 225.a
ſentire cur dicamur 2.d
ſentire corporis eſt & luminis animæ 2.d
ſenſus quid 1.a 2.c item 16.c
ſenſus duplex 12.f
ſenſus quomodo fiat 189.d
ſenſus nihil patitur ab obiectis. 230.a
ſenſus lineæ reliqua cognitio circulo ſimilis 244.c
ſenſus lineæ rectæ, ratio obliquæ, intellectus circulo ſimilis 250.b
ſenſus & intellectus collatio. folio 249.a
ſenſus nõ eſſe impreßiones in animæ 229.c
ſenſus, imaginationis, rationis & intellectus collatio 247.f
ſenſus non eſt corpus 233.d
ſenſus deſcriptio analogica 133.a
ſenſus concupiſcentiam & iram excitat 204.a
ſenſus exterior ſimulachrum intellectus 2.d
ſenſus natura ad notitiam & intelligentiam cõtendunt 342.c
ſenſus agit circa ſubiecta 230.a
ſenſus fallit 162.a
ſenſus animæ dormientis munus. 165.c
ſenſus in ſe & in imaginatione magno diſcrimine agere 298.b
ſenſus quæ requirat 224.c
ſenſus qui in mundo & ſtellis eſt, quomodo à noſtro differat. folio 214.f
ſenſus ſitne utilitatis tantùm gratia à natura tributus 214.b
ſenſus ſubiectum 1.a
ſenſus exteriores lineis ſimiles, communis uerò ſenſus puncto. 233.c
ſenſum mouentia accidentia ſunt. fol. 98.b
ſenſu hominem poſt ortum uti citius q̃ mente 273.b
ſenſus quinq; quomodo in unum cõmunem ſenſum coniungantur 318.c
ſenſus & paßiones differentes an obſtent quo minus in homine ſit una anima, & in mundo una 311.d
ſenſuum inſtrumenta 214.a
ſenſuum finis cognitio 182.c
ſenſuum inſtrumenta cur à Deo fabricata 330.b
ſenſuũ obiecta colligi in unto ſenſu confirmatur 233.b
ſenſuũ obiecta non ſemper ad animam perueniunt 208.a
ſenſibus in ſublimioribus haudquaquam fidem præſtandã unde conuincatur 289.a
ſenſibilis mũdus multiplex 145.d
ſenſibile corpus extra mundum nullum 229.a
ſenſibilium paßionum unus iudex 190.d
ſenſibilum formæ non imprimuntur in animæ 229.d
ſenſitiua potentia differt à potentia concupiſcendi & iraſcendi 203.f
ſenſuale quid 332.f
ſenſualis uirtus 14.a
ſenſualis uis imagines rerum ſenſibilium percipit 2.d
ſenſualis uirtus circa quæ uerſetur 248.b
ſphæra quæuis ſuperior aliquot ſtellas habet 51.c
ſphæra quæuis in orbem mouetur 51.d
ſphæræ pars mota totam mouet ſphæram 58.f
ſphæræ mundi omnia ſalutaria afferunt 114.f
ſphæræ elementares ex parte mutabiles 48.f
ſphæræ omnes ſupra terrã aquæ uocantur 65.b
ſphæræ cæleſtes omnino manent. 48.f
ſphæræ cæleſtes diſtinctas, elemẽta uerò unicam tantùm animã habent 213.a
ſphæricum quiddam in nobis 58.d
ſphæricus motus qualis 57.d
ſeptim. annus mutat corpus 68.e
ſeptimus dies in morbis magnam uim habet 68.e
ſeptima domus hoſtes ſignif. 61.b
ſeptenarius in rerũ product. 84.a
ſepten. dies et annus criticus 62.e
ſeptenarius naturæ acceptus. folio 68.b
ſeptenario numero uterq; mundus conſumitur 84.a

ſermonis genera tria, eorumq; collatio 7.d
ſermonis triplicis diſtinctio 5.b
ſerpens alatus caudam ore apprehendens, quid Aegyptijs denotauerit 69.f
ſeruus quot modis quis eſſe poſſit 349.c
ſerui quot rationibus ſimus 349.b
ſeruitus & libertas circa quæ uerſentur 351.d
ſeruatus cur improbetur 350.b
ſeruitutis et libertatis gradus duo 349.c
ſeſſio & ſtatus præter ſubiectum nihil eſſe 280.a
Sextus Pyrronius 192.c
ſexto die quur finita fuerint Dei opera 25.a
ſidus aſcendẽs cúr nam uitæ principium ſignificet 61.b
ſidus aſcendens cùm uiuere incipit fœtus, aſtrologi ignorant. fol. 61.b
ſigna recta & obliqua 67.d
ſigna corporum noſtrorum cur incerta 69.c
ſignorum plena omnia 78.f
ſignificationum utilitas 119.c
ſimilitudo duplex 7.a
ſimilitudo noſtri ad hominem qualis 8.a
ſimilitudo ad Deũm quid 7.d
ſimilitudo amorẽ procreat 62.b
ſimilitudinis duo modi 4.d
ſimile cognoſci ſimili, quomodo intelligendum 86.a
ſimilia fieri omnia haud decuit. 143.c
ſimulachra repercuſſa 111.e
ſimplicitas uniformis quõ poſſideatur 135.a
ſimplicitate ipſa nil ſuperius cogitari poteſt 358.c
ſimplex an compoſitorum genus. 294.a
ſimplicia corpora compoſita ſunt 231.c
ſimplicia cur indiſſoluta 48.f
ſimplicium corporum qualis actio 150.b
ſimpliciſſimũ quod eſt ſui ipſius intelligentiam nõ habet 254.d
ſingulare quomodo cognoſcatur 185.c
ſingularia ex aſtris non colliguntur, ſed communia 61.f
Socrates in extaſim ſæpe raptus. 217.b
ſol à Platonicis adoratus 217.a
ſol filius Dei uiſibilis 217.b
ſol cor mundi 219.d
ſol & luna cur planetarum omnium maximi appareant 50.f
ſol & luna maximè in nos agunt fol. 50.f
ſol exiccat 64.b
ſol quõ generet naturalia 128.c
ſol à perturbationibus magis remotus, atq; prudentior hominibus 111.c
ſolis calor 54.b
ſolis uis 72.b
ſolis radius mutatur 121.d
ſolis radij cur minus firmi perſeuerent 313.b
ſolis ambitus 50.c
ſolis & Martis calor diuerſus. fõlio 65.a
ſolis radijs natiuus ineſt calor. 64.c
ſolem uocat Plato ſecundã ſphæram 54.b
ſolem lunæ propiorem eſſe Mercurio & Venere phyſicæ ratione probatur 50.f
ſolem proximè ſequi lunam quinam arbitrati fuerint 50.e
ſolida cur ſe inuicem non penetrent 102.c
ſoliditas omnibus rebus ineſt 54.a
ſoliditas quomodo inſit rebus. fõlio 49.f
ſors contingens uix inuenitur in ultimis, nedum primò 352.a
ſors hominis perpendi omnino nequit 68.c
ſortis uitæ cauſæ 74.b
ſortes quid ſignificent Platoni. fõlio 80.f
ſpacia conferunt corporibus 92.c
ſpecies eſt aliquid intelligẽtia definitum 343.c
ſpecies uniuerſa ex definitis conſtans eſt definita 343.c
ſpecies determinatus à bono actus 339.f
ſpecies an ab intelligentia procreantur 323.c
ſpecies rerum immutabiles 80.c
ſpecies mutari non poſſe probatur 138.b
ſpecies cur ſit rebus tributa 32.b
ſpecies præcedit priuationẽ 39.c
ſpecies in mundo intelligibili 9.f
ſpecies indiuiduo ſimplicior, & natura prior 301.a (185.c
ſpecies quomodo cognoſcatur.
ſpeciei ſtellaris, dæmonicæ & humanæ collatio 134.c
ſpecie omnino deſtitutum quomodo cognoſcatur 42.c
ſpecies ab æterno certis terminis definitæ 137.d
ſpecies cur æternæ 48.a
ſpecies rerum ſenſibiles inter ſe per differentias diſtinguuntur 304.f
ſpecies ſenſibiles ſunt ueluti fons opinionis & intelligentiæ 2.d
ſpecies circa magnitudinem non fiunt 92.d
ſpecies rerũ duplici ratione à nobis habentur 2.f
ſpecies rerũ in prima eſſentia earum intelligentiam ordine quodam antecedere 323.c
ſpecies manent, indiuidua pereũt 192.d
ſpecies rerum quõ mutẽtur 150.d
ſpecies ſenſibiles intelligibiles ſunt. 2.d
ſpecierum formatio 81.c
ſpecierum diſtinctio non à caſu. 126.c
ſpeciebus uarijs diſtincta quare uideantur maiora 104.a
ſpeculi ſimulachrum actus quidam 218.f
ſpectator externus à contemplatore quantum differat 271.f
ſpiritus ipſius boni quõ rebus hiſce prouideat 105.d
ſpiritus animalis 47.b
ſpũs cæleſtis unde accipiatur 47.c
ſpiritus intus alit, quomodo intelligendum 46.f
ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, ut intelligendum 46.f
ſpiritus uitalis per omnia diffuſus 51.a
ſpiritus naturalium genitor 47.d
ſpũs cæleſtis quibus inſit 47.c
ſpiritus uapor ſanguinis 47.c
ſpiritum cæli comprehendere ut queamus 47.d
ſpiritus fuerintne ab initio æquales 106.f

ſpirituũ diuerſitatis cauſæ 106.f
ſpiritale corpus in nobis 58.d
Stella quæuis reliquas in ſe continet 69.b
Stellæ quæ faciant 71.f
Stellæ cur futura portendant 78.e
ſtellæ non cogunt malè facere folio 77.e
ſtellæ in animi & fortunæ bona uim nullam habent 77.d
Stellæ quouſq; ſuas actiones extendant 77.d
ſtellæ ſi ſint animatæ, haud nocebunt 77.e
Stellæ dij ſunt 112.f
Stellæ quomodo exaudiant noſtras preces 221.b
Stellæ non mutant naturam unicum loco 59.b
ſtellæ cur interdum noxiæ 220.f
ſtellæ calefaciunt duobus modis. fol. 64.a
ſtellæ non ſunt partim bonæ, partim malæ 59.c
ſtellæ cur appareant 50.f
Stellæ inuiſibules 119.b
ſtellæ ſapientiores nobis 112.f
ſtellæ multorũ ſigna potius quàm cauſæ 59.f
Stellæ omnes quomodo agant in Solis uirtute 318.c
ſtellæ in tribus ſeruiunt diuinæ prouidentiæ 69.c
ſtellæ quomodo exaudiant & opitulentur 222.f
ſtellæ cur pallidæ & rubeæ appareant 50.f
Stellæ omnes proſunt 72.b
Stellæ res futuras prædicunt 59.f
ſtellæ cur non omnia faciant 66.a
Stellæ à ueteribus adoratæ 217.a
ſtellæ non tam faciunt quàm portendunt 77.b
ſtellæ nec animi, nec fortunæ bona ſuppeditant 63.a
Stellarum motus naturalis 58.c
Stellarum duplex motus 58.c
ſtellarum inferiorum opera qualia 71.d
Stellarum animas uniuerſi partes non eſſe probatur 71.d
Stellarum uires diuerſæ 219.a
ſtellarum uires quouſque ſe extendant 73.d
Stellarum opus 208.b
Stellarum & elementorum actiones diuerſæ 51.d
Stellarum circuitus non fit conſilio 57.b
Stellarum habitudine futura prædicuntur, non fiunt 125.c
ſtellarum radij confuſi num nouam uirtutem producant. folio 59.d
Stellarum influxus quomodo concipiantur 69.c
Stellarum uires uariæ 60.a
ſtellarum diuerſus fulgor unde proueniat 51.c
Stellarum fixarum periodus. folio 67.b
Stellarum motus qualis, Plotini et Platonis ſententia 57.a
Stellarum ſignificationes ſignum ſunt prouidentiæ 66.a
ſtellarum aſpectus non ſunt noxij 125.c
ſtellarum influxus 59.a
Stellarum uſus 79.a
Stellas non omnia facere quinque indicijs probatur 65.d
Stannum Ioui attributum. folio 50.a
Stare quid 185.f
Stare in metu quid 57.d
ſtatus entis 97.c
ſtatus primus quis 57.d
Status ubi, & in quibus rebus, tũ quando 308.c
ſtatua 94.c
Statuæ loquentes à magis confectæ 194.b
Stoicorum & Stratonis, error de cælo 48.a
Stoicorum, Cinicorum, & Cirenaicorum de materia error. fol. 82.a
Stratonis de fato ſententia 119.c
ſtruthij 12.b
ſtrutiorum oua 137.a
ſubiectum eſſe, nec tamen in ſubiecto eſſe, cui competat 300.d
ſublunaria quõ ſempiterna 52.c
ſubſtantia nuſquã uelut in ſubiecto ineſt, nec de ſubiecto ut extraneum prædicatur 300.b
ſubſtãtia ratione percipitur 98.b
ſubſtantia quomodo prædicetur tanquam genus de materia & forma 300.b
ſubſtantia pura quæ ſubſtantia dicatur 300.d
ſubſtãtia corporea ex quibus efficiatur 300.e
ſubſtantiæ ut primo generi quæ ſubijciantur 299.d
ſubſtantiæ corporeæ propriũ accidentia ſuſtinere 299.f
ſubſtantiæ genus unum non eſſe poſſe cõmune intelligibili, ſenſibiliq; naturæ 278.c
ſubſtantiæ diuiſio Peripatetica. fol. 89.c
ſubſtantiæ primæ & ſecundæ quæ 301.a
ſubſtantiæ diuinæ inter principiũ primum & mundũ tres 184.e
ſubſtantiæ ſenſibilis genus quomodo optimè in ſpecies diſtinguatur 301.d
ſub Subſtãtiæ genere ſpecies quæ diſtinctione numerandæ ſint, 301.a
ſubſtantiarum compoſitarũ proprium 300.d
ſubſtantiarum numerus 299.c
ſubſtantias quas Peripatetici uocant in eadem natura non congruere 278.c
ſubſtãtias in una ſerie ab uno deinceps dependente diſpoſitas eſſe 278.d
ſudor 100.f
ſuccini uis 61.d
ſummum malum quale 36.a
ſummum in homine quid 179.e
ſuperiora in inferiora agunt, ſed duplici ratione 239.a
ſuperiora cur inferiorum iudicia contineant 139.b
ſuperiora magis ſpecies inferioribus 342.e
ſuperiora prouident inferioribus 137.d
ſuperna omnia caſum reſpuunt. 104.e
ſuperiorum uita qualis 268.f
ſupplicia iniuſtis illata cui attribuenda 199.e
ſuperpulchrum quid 344.d
Syneſius Platonicus 123.c
Syneſij Platonici diuina ſententia fol. 130.a

T

Tactus obiecta 92.e
Tactus inſtrumenta 201.f
Talionis lex in humano gen. plurimum conſpicitur 141.e

Talionis pœna 132.b
taurus cur arieti ſuccedat 61.c
taurus cur à ueteribus inſidera collocatus 61.d
tauri uis 73.c
temeritatis in mundo nullus locus 136.f
tempus quid 171.f 176.f
tempus non eſt motionis conſecutio 176.a
tempus à circuitu aſtrorum non generatur, ſed demonſtratur. 177.b
tempus ratione menſuræ menſurantis in quantitate eſt 301.f
tempus extra animam non accipiendum 176.e
tempus cur aſtrorũ motus à Platone dicatur 177.a
tempus num factum 176.b
tempus num motionis interuallũ. 175.b
tempus cum uniuerſo factũ 177.a
tẽpus qua ratione dicatur, ſeu numerus, ſeu mẽſura motus 175.b
tempus quid menſuretur 175.d
tempus nõ poſſe motum eſſe probatur 174.e
tempus nũ metiatur quietẽ 171.e
tempus in anima mundi 171.c
tempus cur cæli motioni aſſignetur 177.e
tempus qui dicunt aliquid motionis eſſe, triplicem habent ſententiam 171.e
tempus eſſe menſurã probabilius eſt q̃ numerum 171.e
tempus non eſt ſtatus 174.d
tempus quid, triplex ſententia. folio 174.d
tempus non eſt in mente diuina. 171.c
tempus non eſt ſphæra 174.f
tempus non eſt motus 171.c
tempus ſit ne motionis interuallum 174.f
tempus quimotum dixere, duplicem habuere de eo opinionem. 174.d
tempus ſit ne ordinati motus ſpacium 174.f
tempus num in nobis 177.f
tempus qualis numerus 175.e
tempus intermitti nequit 174.e
tempus æternitatis imago 176.c
temporis definitio Ariſtotelica reprehenditur 175.f
tẽporis definitio Ariſtotelica cur in telleclu difficilis 177.d
temporis natura 171.a
temporis natura quomodo indaganda 174.d
temporis eſſentia ex eſſe & non eſſe mixta 171.a
temporis eſſentiam quomodo Plato oſtenderit 177.d
tẽporis æternitatis & circuli collatio 171.a
temporis partes 23.a
temporis & dimenſionis combinatio 320.c
tempore quomodo motus indigeat 284.f
temperantia quid 8.b
temperantia in Deum non cadit. fol. 6.d
temperantia humana quibus paſſibus ſubſequatur diuinam. folio 271.c
temperantiæ definitio 23.a
temperantiæ ſubiectum 6.c
temperatum eſſe quid 7.c
tergum ſpectare quid 44.c
terminus & determinatio ad quod genus reuocãda ſint 303.a
ternarius omnem in ſe numerum continet 244.d
ternarius in rerum compoſitione quis 84.a
ternarij natura 8.e
terra num ſine igne lucida 53.d
terra in medio mundi 46.d
terra cur non luceat 49.c
terra mundi reſpectu punctum folio 136.e
terra omnium fundamentum 54.d
terra cur non in cælo 54.a
terra quæ ſentiat 215.a
terra quõ igni miſceatur 54.b
terra ſit ne animæ particeps 213.c
terra omnia in ſe elementa continet 54.b
terra immobilis ſemper 46.d
terra ſoliditatem ex ſeipſa habet 54.b
terra qua ui ſentiat 215.a
terra peregrina, hoſpitaliſq; Gnoſticorum figmentum 114.a
terræ ſoliditas qualis 54.a
terræ utilitas 46.c
terræ anima unde ſit 213.b
terram animatam eſſe 335.d
terrã eſſe animal probatur 213.d
terrenum in deterius ſumitur. folio 54.c
terrena ordinatiſſima 136.c
terrena ſciſſa cur non rurſum coaleſcant 165.b
terrenorum ſenſuum inſtrumenta diuerſa à noſtris 215.b
Theodorus philoſophus 41.b
Theophraſti liber de igne 47.d
theſauri inuentionis cauſa 80.c
Therſites deformoſiſsimus 140.c
Timæus Locrus 150.f
Timæus Pythagoricus 138.c
timor animõ ne ſit corpori, an miſto cuidam adſcribendus 1.a
Titanes à Ioue fulminati 44.b
Titanes 44.b
torpedinis uis 73.a
totum primò quid 171.a
totum ſeu omne quid 171.a
totum materiale et formale quid. 190.a
tranſmigrationem animarum Platonici non probant 332.f
tranſmigrationes 111.e
trinitas perfectoria 8.f
trinitas conuerſoria 8.e
trinitas quotuplex 8.e
trinitas productoria 8.e
trinitatis unitas & diſtinctio. folio 264.c
trinitatis ſacroſanctæ perſonarũ diſtinctio 5.a
trinitatis myſteriũ quomodo Plotinus inueſtigarit 273.d
trinum in Deo quomodo cõſequi poſſimus 360.c
triangulus non eſt quale 99.f
turpe quid 28.c
turpitudo 29.c
turpitudo quid 26.a
turpes num formoſi 116.f

V

VAcuum natura non admittit. 127.c (234.f
ualete uos: cui animo conueniat. 1
uarietas formalis & ordinata, neque caſu accidit, neq; à materia tenebroſa, ſed dependet ab uno 336.c
uarietas rerum ad ſimplicem unitatem reuocatur 146.c
uatis officium 148.c
uaticinia quadam efficiuntur analogia 148.c

ubi propriè locus eſt 283.e
uegetalis uis 202.a
uegetalis animæ pars materiam omnino ſuperare non poteſt. 277.c
uehementia naturæ quid 103.f
Venus duplex 157.e & 363.e
Venus Mercurio mixta 59.c
Venus amorem procreat 72.b
Veneris natalia, amorq; cum ea genitus quid myſterij ſignificent 363.e
Veneris ambitus 50.e
Veneris in conuerſione officium fol. 8.f
Veneres in mũdo permultæ 158.d
uentri dediti cur uaſa immundorum dæmonum 155.f
uerbum triplex 5.a
uerba Timæi tria explicantur. 107.a
uerba magica unde uim ſuam habeant 223.b
uerecundia in quo conſiſtat 163.f
ueritas ideæ 9.a
Veſta & Ceres quid ſignificent. 215.d
ueterum ſuperſtitiones uanæ. folio 61.f
uiciſſitudo rerum omnium unde. 48.b
uiciſſitudo rerum nequaquam temeraria 144.a
uiciſſitudo rerum omnium 132.b
uidere ſecundum actum, duobus contingit modis 260.e
Virgilius Platonicus 48.a
uigilantiam ſuper eſſentiam intellectum extare 356.f
uirgo cur dicta 61.e
uirgo Hiſpaniæ præeſt 61.c
Vlyſſis fabula explicatur 30.d
uiperarum natura 132.f
uires omnium quæ habemus, non ſtatim ſe proferunt 3.c
uirtus quid ſit 163.a
uirtus ciuilis quid 4.c
uirtus quid in anima noſtra. folio 4.d
uirtus animæ duplex 161.a
uirtus purgati animi quæ ſit. folio 4.e
uirtus non eſt ſummum bonum. 38.c (43.a
uirtus participatione pulchrum. uirtus purgatoria quid 4.e
uirtus aliqua, uel ipſa quo modo bonum – 33.b
uirtus quoddam bonum 41.b
uirtus ſitne purificatio 7.d
uirtus quid in Deo 4.d
uirtus rationalis ad beatitudinẽ confertur 13.a
uirtus in animo exemplar apud Deum 7.a
uirtus ſimiles redit Deo 4.a
uirtus ciuilis non eſt mentis 7.d
uirtus quid in animabus ſuperioribus 4.d
uirtus purificatio 29.d
uirtus in animo quid apud Deum ſit 4.c
uirtus ad excipiendos ictus fortunæ clypeus 19.c
uirtus eſt forma ſubiecti 4.b
uirtus mirabilis quatuor rerum generibus ineſt 221.f
uirtus animæ media quæ 161.a
uirtutis cognitio 41.c
uirtutis ideæ 4.c
uirtutis occurſus 43.a
uirtutis imago 4.a
uirtutis ciuilis officium 7.a
uirtutis uiæ 6.b
uirtutis forma 4.a
uirtuti abſolutæ externa nil addunt, aut adimunt 130.c
uirtutem nulli ſeruire, ut intelligendum 350.f
uiuere quid 32.d
uirtute præditus omnia habet 18.a
uirtute quando opus ſit 79.c
uirtutes exemplaria ſua conſequuntur 8.c
uirtutes ad intellectum quam relationem habeant 296.f
uirtutes in Deo cur non ſint 4.e
uirtutes ſine ſapientia imperfectæ 10.e
uirtutes in intellectu exemplaria 8.b
uirtutes morales 3.b
uirtutes à Deo ut ſint, ſimilitudinibus declaratur 4.b
uirtutes ſint ne in Deo ſuperioris ſpeciei, quàm in homine. folio 4.b
uirtutes perfectæ ſunt 8.c
uirtutes rationales 12.b
uirtutes quæ in Deũ cadere præcipuè uidentur 4.b
uirtutes naturales quomodo perficiantur 12.b
uirtutes in intelligentia quæ 3.b
uirtutes quomodo contingant. folio 79.a
uirtutes maiores & minores 8.c
uirtutes eſſe purificationes. folio 7.b
uirtutes ciuiles menſuræ ſunt 7.b
uirtutes in anima ſunt 8.b
uirtutum decorum 29.b
uirtutum ſpecialium origo 73.c
uirtutum exemplarium genera tria 5.d
uirtutum omnium finis in Deo. folio 6.b
uis uegetalis communis omnibus animalibus ſubeſt 192.f
uiſio an ſit ubi res uiſa 272.c
uiſio tribus modis fieri poteſt folio 225.d
uiſio fiátne emittẽdo, an accipiendo 103.c
uiſio ut fiat 163.d
uiſionis modus quis, M. Ficini ſententia 103.d
uiſionis anguli minores in cauſa non ſunt, cur minora uideantur remota 104.b
uiſiones diuinæ quomodo intellectui & animæ imprimantur. 345.e
uiſus quid 51.a
uiſus requirátne corpus medium. 225.b
uiſus quur lumen requirat. folio 22.a
uiſus quomodo obiecta appreben dat 102.e
uiſus præſtantia 9.e
uiſus obiectum 103.b
de Viſu tres opiniones refellũtur à Plotino 226.f
uiſui formam cæli non imprimi quinque argumentis probatur. 229.e
uiſui, quæ ſubijciuntur, omnia eſſe, eadémque non eſſe ſimplicia 274.a
uiſus lumine indiget 49.e
inter Viſum & uiſibile aerem non eſſe neceſſariò intermedium ut formæ ei imprimantur, probatur tribus rationibus 226.b
uitium quid 163.a
uitium quo-

uitium quõ cognoſcatur 42.c
uitium animi quædam imbecillitas 38.d
uitium non eſt ſummum malum. fol. 38.c
uitia additamenta ſunt ipſius mali 40.f
uitia moralia 3.b
uitia animæ ſunt additamenta. 234.c
uitiorum origo 40.d
uiuere fato quid 79.c
uiuere æquiuocum diſtinguitur. fol. 17.c
uiuere non eſt uniuocum 17.d
uiuendi ſenſus gradatio & incrementum quomodo ad ipſum gaudij bonum aſcendat. folio 342.f
uita 13.c
uita quid 13.c.d.f item 21.b 57.f
uita prima quæ 180.a
uita una ubiq; uigente cuncta ſpirare 519.c
uita corporis num intereat. folio 229.a
uita ex ſphærarum conſpiratione corpori infunditur 70.d
uita extinguatúrne, an cum anima diſcedat 216.c
uita quædam eſt ubique rebus infuſa 131.c
uita à morte animam partim comitatur, partim cælitus conſeruatur 235.f
uita non ſimpliciter bona 32.d
uita exoptatiſſima 18.d
uita cui bona 33.b
uita communis quid 65.d
uita adulta eſt intellectus 339.c
uita medium quiddam inter ſubſtantiam & accidens 178.c
uita num omnibus bona 32.c
uita uera 13.b & 17.c
uita beata circa quid uerſetur. fõlio 13.b
uita quomodo inſtituenda 113.b
uita carẽtia ſenſus expertia ſunt fol. 1.b
uita beata in mente 23.c
uita beata quid 13.d
uita hîc gemina 113.a
uita cur retinenda 44.f
uita uiri præcipua 8.d
uita infunditur abſq; animæ propriæ beneficio 70.c
uita omnis actus eſt 145.a
uita ab eſſentia quomodo deriuetur 292.a
uita rerum omniũ unde originem ducat 110.f
uita humiliorum duplex 113.a
uita ſimpliciter quid 128.c
uita immobilis & mobilis quæ. 129.c
uita actus circa bonum quæ 339.c
uita in mũdo duplex, cuiuſq; qualis degendi ratio 320.c
uita in ente quid ſit 292.c
uitæ principia calor & humor. 63.d
uitæ definitio 73.a
uitæ ſuperioris & inferioris collatio 57.c
uitæ & intelligentiæ genera plura 183.a
uitæ principium quódnam, & quantum excellat materiam. 288.c
uitæ, eſſentiæ, & intellectus collatio 13.d
uitæ genera quot, eorumq; inter ſe collatio 14.a
uitæ incorporeæ ubiq; diffuſæ deſcriptio 131.c
uitæ multitudo quomodo ſit ex non multitudine 184.a
uitæ participes res quatenus. folio 128.c
uitæ mundi intelligentia ſtabilis. 76. d
uitæ actus intimus 95.b
uitæ imagines 17.c
uitæ incorporeæ duo termini. folio 131.c
uitæ ſummus gradus 13.f
uitam qui uerbis ſpernit, ſibi habet repugnantes affectus 342.f
uitarum genera tria, eorumq; inter ſe collatio 223.f
uiuens non eſt intellectus 186.b
uiuentia cur naſcantur paſſim ſine manifeſto ſemine 178.b
uiuentium diſtinctio 73.b
uiuentium & uita carentium diſcrimen 133.f
uitra quatuor diſpoſita quid apud Plotinum 179.a
unitas neq; omnia, nec intellectus. 360.a
unitas quomodo rebus diuerſa ineſſe dicatur 317.b
unitas & bonitas idem 105.a
unitas atq; numeri in mundo intelligibili num diſtinctam rationem habeant à cæteris idæis 322.c
unitas an numerorum genus. folio 294.a
unitas ſtatu motuq; prior 185.f
unitas quæ uera ſit, & quid ſequatur, tum ubi ea inueniatur. 291.c
unitas & numeri utrũ idæas præcedant, an ſequantur 322.c
unitas eſt ipſa ſimplicitas 338.c
unitas quomodo definiatur à Pythagoricis 325.d
unitas cur uniuſcuiuſque natura dicatur 358.f
unitas numeri principium. fol. 183.c
unitas cur tributa rebus 32.a
unitas à diuiſione aliena eſt. folio 105.a
unitas ſiue ipſum unum ſimpliciſſimum eſt 105.a
unitas includitur in ratione uniuſcuiuſque ſpeciei formali. folio 325.b
unitatis uires 358.c & 359.a
unitatis & formæ proprietates quomodo differunt 369.f
unitatem contineri omnium numerorum rationes 325.c
unus quõ efficiatur 30.c
unus homo, hæ duæ uoces aliud et aliud ſunt 316.c
unum 21.b
unum ſimpliciter quid 253.c
unum neq; intellectum omne, neq; ſpeciem, neque ens probatur. 359.f
unum ſimpiciter non prædicari de idæis 294.a
unum ens antecedit 324.c
unum an duntaxat affirmatiuum ſit 326.d
unum quodnã non prædicetur de ullo tanquam genus 293.d
unum eſſe entia omnia 316.c
unum uarietatem non admittere 294.a
unum tribus accipitur modis. folio 161.c

Digitized by Google

unum nulli addictum quod in ſingulis eſt 325.e
ad Vnum quibus gradibus perueniatur 36.a
unum quid ſit dictu difficillimum 360.b
unum ſpeciem non habet 260.b
unum rerũ ordini præſidere probatur 253.e
unum an relationem ſignificet ſolummodo 327.b
unum quomodo & ubiq; & nuſquam 186.f
unum eſt ſubſtantialis unius notio uera menti inſita 326.a
unum reſpuere multitudinem ut oppoſitam 361.a
unum quomodo exprimatur in ipſa mundi uita, tum etiam in mente 336.e
unum ſeu unitas nomen eſt à Pythagoricis inuentum 260.a
unum nullo indiget 362.a
unum ipſum 13.e
unum réne ſit aliqua ſecundum ſe, an potius conceptio mentis 326.a
unum numerari ſe non patitur. 259.c
unum quomodo in cunctis reperiatur 136.d
unum ipſum quomodo & omnia ſit & nullum 247.a
unum participatione quum fiat, quicquid ex multis conſtet, dependet ab aliquo uno per ſeipſum 388.b
unum quare ſolum eſſe poteſt uniuerſi principium 361.a
unum quid cur explicatu difficile 360.a
unius diffuſio & collectio 136.d
unius proprietates 360.d
unius productio 28.c
unius natura qualis 361.d
uni cur intelligentia potiſſimũ accommodanda 361.f
de Vno ipſo quomodo loquamur. 254.e
ex uno quomodo procedat multitudo 247.a
de Vno philoſophaturus quomodo ſe comparare debeat 360.b
ex Vno qua ratione intellectus, ens & mens prodeant 247.b
uniuerſum quid ſit, & eius contrarius 271.b
uniuerſum ex quibus cõſtet 36.f
uniuerſum ſenſibile ens non uerum 34.f
uniuerſum pati non concedendũ. 223.a
uniuerſum hoc num in materiam reſolui queat 110.c
uniuerſum mouetur & permanet 58.f
uniuerſum cur perpetuum 46.b
uniuerſum hoc ex contrarijs conſtat 41.d
uniuerſum omnis eſt intellectus, omneq; ens 243.c
uniuerſum extra caſum & rationem exiſtere 355.e
uniuerſi regiones tres 142.c
uniuerſi principium cauſa prima 124.b
uniuerſi primo qua ratione fruendum 179.e
uniuerſi optimus finis 34.a
uniuerſi non unum tantum agens 118.c
uniuerſi principium & poſtremum 33.d
uniuerſi conatus fortunæ non obnoxius 34.a
uniuerſi finis in quo cõſiſtat 34.a
uniuerſi mirabilis poteſtas 224.e
uniuerſi lex, iuſtitia & iudicium. 194.a
uniuerſi ordo 208.e
uniuerſi actiones quæ 217.d
uniuerſi pulcherrima & maximè ordinata inueſtigatio. folio 274.a
unio cuius uirtute fiat 364.a
unio rerum 134.a
unionis rerum in mundo quæ cauſa 319.e
in Vnione cõpaßionis noſtræ cum cæleſtibus cõſiſtit uis attractionis & magicæ 311.e
in Vnitate fundantur identitas & ſtatus 348.e
uoluntas certa & libera quæ dicatur 348.f
uoluntatis actus 71.a
uoluntarium quid 348.f
uoluntariũ quid uocemus 348.e
uoluptas utrum neceſſariò ſit bono permiſta 343.a
uoluptas animi & corporis 70.d
uoluptas quaſi motio quædam nõ eſt finis perfectióque naturæ. 342.d
uoluptas actui coniuncta, eſt actionis expedita integritas 342.f
uoluptásne ſolo cõſequatur ipſũ bonum, an aliud inſuper quicquam 340.f
uoluptas animi 25.c
uoluptatis ſignificationes 22.f
uoluptate quæ maiora & iucundiora ſint in hac uita 342.d
uoluptate manifeſtiore quando ſoliti ſimus moueri 342.d
uoluptates quomodo fiant ſenſus. fol. 7.f
uoluptates cuius ſint animine, corporis, an mixti 21.a
uota & precationes quomodo peragi debeant 244.a
uox imago mentis 5.a
uoces remotæ cur minores uideãtur 103.f
uerbi & actus à cæleſti anima manantis collatio 228.a

Z

ZAel philoſophus 119.c
Zaeles aſtrologus 59.f
Zopyrus phyſiognomon 122.b
Zoroaſter 44.c

INDICIS
FINIS.

Digitized by Google